THEOLOGIA POLEMICA IN QUA DOCTRINAE CATHOLICORUM DOCTORUM...

Adam Burghaber

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — N
13

O XI

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA POLEMICA

IN QUA

DOCTRINAE CATHOLICORUM DOCTORUM

ASSERUNTUR AC DEFENDUNTUR

ET

ERRORES HÆRETICORUM

HUJUS TEMPORIS

PROPONUNTUR AC REFELLUNTUR.

AUCTORE

R. P. ADAMO BURGHABER

E SOCIETATE JESU

THEOLOGO.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

Anno Virginei Partûs M. DC. LXXVIII.

FRIBURGI HELVETIORUM

Typis JOANNIS JACOBI QUENTZ. Typ. Ord.

Digitized by Google

MARIÆ
SANCTISSIMÆ
DEI
GENITRICI.
Auguſtiſsimæ Cælitum Reginæ.
Dominæ Terrarum Clementiſsimæ
VIRGINI
SINE MACULA CONCEPTÆ.
POTENTISSIMÆ
HÆRESUM
DEBELLATRICI
D. D. D.

Digitized by Google

PAtière DOMINA, ut cum ſuo libro Auctor pedibus TUIS ſupplex advolvatur: & hic & ille extra omnem controverſiam TUUS eſt ex aſſe totus: utrúmque benignis, ſi lubet, ſuſcipe Manibus, utrumque gratioſo, quo tuos conſuevisti, dignare oculo, ac protectione; ridebo obtrectantium tela, ſi TU defendis, *ex qua velut turre Davidica mille pendent clypei, & omnis armatura fortium*; neque ſanè alterius mihi quærendum, aut ambiendum duxi patrocinium, quàm illius, cujus in hoc opere luculentum ſenſi auxilium; cúmque ejuſdem officij ſit, parta tueri, ac parere tuenda, agnoſcit hæc mea THEOLOGIA POLEMICA meliorem TE, quàm me parentem, & ſponte in eum ſinum redit, unde tota prodijt, TE ſiquidem SUMMA IMPERATRICE dictante, hoc belli genus & formam concepi; TE claſſicum canente arma in hoſtes fidei noſtræ corripui; TE ſuppetias è cælo ferente, quæ *terribilis es, ut caſtrorum acies ordinata*, in certamen deſcendi, quod tandem TE quoque mecum calamum ſtringente feliciter abſolvi. Liceat hìc mihi illud Juſtiniani Imperatoris epiphonema uſurpare, quod olim Tabulæ nobiliſſimæ à ſe in Sanctæ Sophiæ templo dedicatæ inſcribi voluit. TUA DE TUIS. TUA ſunt dona quæ tibi offero, TUA arma quæ tibi conſecro, TUA ſpolia quæ ad aram cœli ſuſpendo, TUÆ denique Victoriæ, quas orbi ſcribo & canto; quia etſi Victoria nobis per JESUM CHRISTUM data eſt, per TE tamen nobis CHRISTUS, & cum eo omnis Victoria obtigit, præſertim adverſus falſa dogmata, quæ filij TUI Regnum & Tunicam inconſutilem ſcindunt. His maximè inimica es, neque enim VERITATIS MATER potes non odiſſe mendacium, aut ſole juſtitiæ veſtita cum ſis, ferre errorum tenebras. Quot monſtra hæreſum naſci vidit, & horruit orbis; tót repreſſas hydras TUIS annumerat trophæis: earum ſtrages TUAM attollit & accumulat gloriam, quippe quas ſpiritu oris TUI, qui Chriſtus eſt, interfeciſti. Unde non immeritò Eccleſia, veteres imitata choros, TIBI Victrici in lætitiæ ſignis occurrens, his verbis applaudit: *Gaude MARIA Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo; Hanc* ſcilicet *confuſionem in domo ſtygij Nabuchodonoſor TU UNA, ſed fortis mulier excitaſti*: Adgradulante ſcilicet cælo, reſpirante mundo, dolente inferno, ejuſque infeliciſſimo Tyranno, dum non ſine vana jam ira intueri cogitur TUIS pro Eccleſia Militante auſpicijs inclinatas ſuas acies, confuſos Ordines, & everſas vires: Nec mirum: non hodie primam de illo palmam reportas, poſteaquam palmarem illam in Conceptione TUA ſanctiſſimâ victoriam retuliſti, prioribus ſæculis planè inauditam; ibi primùm advertit callidus ſerpens ſe à Virguncula deluſum, qui olim mulieri ac viro illuſerat: conabatur quidem peſtem Virgineæ animæ TUÆ afflare, ſed nullum relinquebas DEO & gratia plena, veneno ac vulneri locum, quin imò dum venenata cauda infernalis Draco TE cogitat in communem orbis ruinam trahere, peſſimè capiti ſuo conſuluit, eo namque per TE obtrito, repere nunc cogitur, inſultare nequit, & vires non modò TIBI, ſed & alijs, quos ſalvos cupis, nocendi perdidit. Sic pæne priùs orſa vincere, quàm vivere, auſpicatam nobili triumpho vitam perpetuis deinde coronis innexuiſti, quas vel hodie è cœlo toties auges, quoties in ſervis TUIS pugnas, TIBI enim pugnare, idem ac triumphare eſt.

Sub TUUM igitur præſidium O POTENTISSIMA DOMINA confugio, tuis ſtipendijs mereri cupio. Da Chriſtiani militis officio & virtute ſic certem adverſus hoſtes TUOS, ut ſub extremam luctam ſolemne illud Divi Pauli epinicium canere poſſim. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi per TE* FILIUS TUUS, *juſtus Judex.* Qui in agone contendentibus & vires ſuppeditat, ut poſſint, & animos, ut audeant, & præmia, quæ ſperent. Dignetur ille Maternis exoratus precibus ſuos in me, & TUOS coronare favores. Ita voveo, ita ſpero.

Clientum Infimus

ADAMUS BURGHABER.

APPRO-

APPROBATIO FACULTATIS THEOLOGICÆ
ex Academia Friburgenſi Briſgoica.

EGo infra-ſcriptus Societatis IESV Theologus, Facultatis Theologicæ in Auſtriaco-Cæſarea Academia Friburgenſi Briſgoica Decanus, ex officio meo, autoritate, & conſenſu DD. Doctorum Collegarum meorum, accuratè (quantum potui) legi, expendíque præſens opus; cui titulus eſt THEOLOGIA POLEMICA Auctore R. P. ADAMO BURGHABER Societatis JESU Doctore Theologo, nunc Collegij Friburgenſis apud Helvetios Rectore, *multâ eruditione plenum; pari diligentiâ ſtudióque elaboratum; Sacræ Paginæ, Antiquæ Fidei ab Apoſtolis, & Majoribus noſtris ad nos uſque continuò per doctrinam publicam certiſſimâ ſerie propagatæ, Pontificum & Conciliorum Oraculis adverſus omnem erroris aleam communitum; Sapientiſſimorum Theologorum, & communi Gregis Chriſtiani voce ac ſenſu, deinde etiam Cenſorum Romanorum judicio pro Societatis noſtræ more probatum. Dignum Authore ſuo; qui Romæ, Friburgi Briſgoiæ, Monachij, Lucernæ, alibi annos quàm plurimos Theologiæ Scholaſticæ, Morali, Polemicæ docendæ ſemper indefeſſus impendit. In eo nihil ab avita noſtra & orthodoxa, ſeu Catholica Romana & Apoſtolica Religione, nec à ſanctis moribus alienum: omnia potiùs eò ſpectantia, ut boni in recta ſalutis ſemita confirmentur, devij errantéſque ad eam reducantur. Hoc judicium meum chirographo meo ad faciendam Lectori fidem ſignatum ex majorum voluntate dabam Friburgi Briſgoiæ 18. Octobris 1676.*

CLAUDIUS FRERE Soc. IESU Theologus.

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS SOC. IESU
Germaniæ Superioris,

CUm librum, cujus titulus: THEOLOGIA POLEMICA A P. ADAMO BURGHABER Soc. noſtræ Theologo conſcriptum aliquot noſtri Patres, quibus id commiſſum eſt, recognoverint, & in lucem edi poſſe judicaverint; Ego Benedictus Painter Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate à P. N. Joanne Paulo Oliva ejuſdem Societatis Præpoſito Generali ad id mihi conceſſa, eundem Librum typis Vulgari permitto. In cujus rei fidem hoc teſtimonium chirographo meo, & officij ſigillo munitum dedi. Conſtantiæ 27. Septembris 1676.

BENEDICTUS PAINTER.

FACULTAS
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
JOANNIS BAPTISTÆ DE STRAMbino ex Comitibus S. Martini, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ
Epiſcopi, & Comitis Lauſanenſis, S. R. I. Principis, nec non SS. Mauritij & Lazari Crucis Equitis &c.

HIs viſis, & examinatis concedimus Librum *Theologiæ Polemicæ* in noſtra Diœceſi typo mandari. Datum Friburgi Helvetiorum die 24. Octobris 1676.

JOANNES BAPTISTA Epiſcopus Lauſanenſis.

INGRES-

Digitized by Google

INGRESSUS

DE CAUSA SCRIBENDI. DE OBJECTO. ET DE *Partitione hujus Operis Polemici.*

I.

ACtum agere forſan alicui videor, dum tot tantiſque libris, qui de rebus Fidei inter Catholicos atque heterodoxos controverſis agunt, unum addere molior; quis enim ex omnibus fidei articulis vel unus eſt, qui à pluribus ac doctiſſimis viris contra quoſvis hæreticorum inſultus non eſt clariſſimè in lucem datus, fortiſſimè propugnatus, & authoritatis ac rationis momentis firmiſſimè roboratus? Non negaverim, ita videri poſſe.

Cauſa ſcribendi hoc opus.

II. NIhilominus poſt omnes libros de rebus Fidei controverſis hactenus impreſſos unus maximè in Germania deſideratur, qui ſolus id præſtet, in quo cuncti alij deſideriũ non explent. Nam plerique omnes libri, qui hactenus in lucem prodierunt, vel particulares tantùm ſunt de una ſolâ aut paucis materijs tractantes: vel ſi de omnibus rebus controverſis agunt, nimis prolixi ſunt; ac mole ſuâ & emptu & lectu difficiles. Methodus in pleriſque etiam talis cernitur, ut Lector doctrinam catholicam; quæ imprimis attendi debet, non clarè perſpiciat, ſed inter ipſas hæreſes inſperſam eruere debeat, priùs falsâ hæreticorum doctrinâ, quàm ipsâ Catholicorum veritate imbutus. Sunt quoque, qui ſolâ Sacræ Scripturæ effata proferant, aut mera Conciliorum ac Patrum teſtimonia allegent, & tam ex iſtis, quàm illis cumulum ſtruant, ac chartas impleant, relictis cæteris; quæ ad doctrinas Catholicorum declarandas, & errores Sectariorum refellendos plurimum faciunt. Demum plerique omnes veteribus fere hæreticorum erroribus ſe impendunt refutandis: nec ad recentia Sectariorum effugia, & ad excogitata de novo errorum ſuorum fulcimenta ſe extendunt, cum hiſce priores tempore extiterint, quæ tamen nec pauca ſunt, nec talia, ut abſque illis everſis Catholica veritas manifeſtè appareat hæreſeos triumphatrix.

III. Propter hæc aliáque P. Laurentius Forer (vir è Societate noſtra primis in Germanica hæreſum Domitoribus haud immeritò annumerandus) inter innumeros controverſiarum libros unum optari poſſe ſapienter advertit, qui ſcilicet materias omnes hoc tempore controverſas cum ſuis quaſque fundamentis gratâ brevitate ac claritate complecteretur. Atque ad hunc talem conſcribendum ipſe jam ſe accinxerat, ſed mors calamum ei cum vita eripuit, & ad cœleſtia æternáque præmia pro maximis ſuis laboribus & meritis prope, Octogenarium evocavit. Ne autem propoſitum tam laudabile atque Eccleſiæ Catholicæ tam utile in tumulum cum illo inferretur, id mihi ſumpſi executioni mandandum, poſtquam ejuſdem P. Laurentij nutu à Superioribus è Scholaſtica Theologia ad Polemicam fui translatus; & ad docendas Controverſias Fidei tum Monachij in Germania, tum in Italia Romæ applicatus; ubi in præſenti libro elaborando hunc mihi ſcopum præfixi.

Methodus.

IV. IMprimis ſtatui omnes omnino materias Theologiæ Polemicæ uno libro complecti, qui tamen mole ſuâ mediocrem Tomum non excederet; etenim viâ magis compendiariâ articuli fidei omnes, qui hodie in controverſiam trahuntur, obſcure quidem indicari, non autem dilucidè explanari poſſunt:

V. Tum Methodum ſelegi, ut opinor, commodiſſimam; nempe ſingulas controverſias in duas partes dividendo; in quarum priore doctrinæ Catholicorum: in poſteriore hæreticorum errores proponantur, & hi ex illis refutentur. Sic fiet, ut Lector utriuſque Partis fundamenta probè percipiat, & prius veritates Catholicorum rite apprehendat; quàm hæreticorum erroribus phantaſiam impleat, quæ tenacitate ſuâ frequenter multum negotij faceſſit: Nomine autem *doctrina Catholica* non eam ſemper volo intelligi, cujus oppoſitum error habetur in Fide: ſed frequenter illam duntaxat, quæ à Catholicis doctoribus communior & verior cenſetur, & aſſeritur.

VI. Deinde maximam moderationem habui tam in probandis, quàm refutandis rebus, ut non niſi ſelectâ, certa, atque indubitatâ teſtimonia Sac. Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum adducerem, & graviora ſolùm rationum momenta adjungerem, ut ita intra gratam brevitatem ac ſoliditatem me continerem; ſi tamen Lector abundantiorem ſubinde doctrinam cuperet, ne illius deſiderio deeſſem, plerumque ad finem Authorem nominavi, qui copioſiùs de eadem materia tractans videri poſſit.

VII. Poſtea pro Doctrinis Catholicis eos præſertim Authores poſt Sac. Script. Concil. & Patres allegavi, qui facilius & maximè in Germania haberi poſſunt v. g. D. Thomam Aquinatem, Franciſcum Suarezium, Gabrielem Vaſquezium, Gregorium Valentiam, Adamum Tannerum, Martinum Eſparzam, Cornelium à Lapide, Jacobum Tirinum, Cardinalem Robertum Bellarminum, Martinum Becanum, Ill.mos & Rev.mos Adrianum & Petrum de Wallenburch, Jacobum Kellerum, Laurentium Forerum, Card. Boronium in Hiſt.

Digitized by Google

Eccleſ. Etſi præter iſtos plurium aliorum doctiſſimis libris uſus fuerim. Errores autem hæreticorum eorúmque explicationes ac probationes ſumpſi præcipuè ex Ioanne Gerhardi Doct. Ienenſi de doctrina Evangelica Confeſſionis Auguſtanæ. Guilielmo Amelio Calviniano Theologiæ apud Friſios Profeſſore contra Card. Bellarminum, quem ſcurriliter medio digito in titulo libri intendens vocat Enervatum. Menone Hanneken Superintendente Lubecenſi, cujus Irenicũ Catholico-Evangelicum in vernacula lingua ante paucos annos per alium librum Monachij impreſſum refutavi. Petro Molinæo Profeſſore Sedanenſi, & Jacobo Hailbrunner; quorum ille Calviniſta Librum de Papatu novo: iſte verò Lutheranus de eodem Papatu non-catholico ſcripſit. Atque ex alijs, qui recentiſſimè vel univerſim de omnibus articulis hodie controverſis: Vel particulatim de certis ſolùm materijs tractârunt, quorum poſteriorum particulares tractatus permultos in præſenti adhibui.

VIII. Denique ex omnibus, quæ apud Advreſarios legi ac reperi, nihil prorſus relatu dignum diſſimulavi, ſed omnia argumenta, quibus ſuos fulciunt errores, fideliter propoſui, apertè reſpondi, ac validè rejeci, ita ut quilibet æquus rerum arbiter, & ſuæ cupidus æternæ ſalutis luculenter tam Catholicarum doctrinarum veritatem, quàm errorum hæreticorum falſitatem perſpicere poſſit. Solùm à mendacijs, criminationibus, calumnijs, & quibuſcunque injurijs (quibus Sectariorum libri ſcatent, uti expreſsè & velut digito nonnunquam oſtendo) me abſtinui, ut vel ex ſolo modeſto, Chriſtiano, ac Religioſo ſcribendi modo Veritas Catholica eluceſcat, quæ ad ſui agnitionem & acceptationem mendacibus verborum phaleris veſtiri non indiget, ſolo ſuæ puritatis candore longè pulcherrima & amabiliſſima. Hæc de ratione ſcribendi hujus Theologiæ Polemicæ; ex quibus ſatis liquere arbitror, me illam moliendo actum non agere.

Objectum Operis hujus Polemici.

IX. Objectũ hujus libri ſeu Theologiæ Polemicæ eſt Sancta Romano-Catholica Fides contra hæreticos aſſerenda, defendenda, ſtabilienda. Nam *huic Scientiæ*, inquit S. Auguſtinus lib. 14. de Trinitate c. 1. *tribuitur id, quo Fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur roboratur.* Unde facilè, Neceſſitas, & Præſtantia ejuſdem Theologiæ Polemicæ apparet. Quid enim iſtâ utilius ad venenũ hæreſum & lethiferos Sectariorum errores evitandos, ſanámque doctrinã retinendam? Quid eâdem magis neceſſarium ad ſacram Chriſti Fidem, unicam Salutis æternæ viam, concipiendam, fovendam, conſervandam, propagandam, &c? Tolle Theologiam Polemicam, mox malæ beſtiæ, hæreſes, inquam, Fidem diſcerpent. Quid demum præſtantius, quàm pro DEI optimi maximi majeſtate & gloria, pro Sanctorum cultu & honore, pro Animarum Humanarum ſalute & æterna felicitate, pro Sacrorum omnium ſublimitate & æſtimatione ſtare, pugnare triumphare? quod feliciſſimè & invictiſſimè præſtat Theologia Polemica.

Cum igitur hæc ita ſe habeant, aliquid prius de ipſa ſacra Fide præmitti oportet, ne hujus Nomen, Eſſentiam, Objectum, ac Proprietates ſilentio prætereamus, cujus ſolius causâ cætera omnia adeo laborioſè fuerunt pertractata. Itaque

Nomen & Eſſentia Fidei.

X. Nomen Fidei, etſi varias habeat ſignificationes, præcipua tamẽ videtur eſſe, quâ ſumitur pro credulitate ſive aſſenſu fundato in teſtimonio dicentis; quia acceptio iſta valde uſitata eſt non tantùm apud Latinos, quibus fidem habere, adhibere, & tribuere dicenti idem eſt, quod credere, ſed etiam in ſcriptura & Patribus; quidquid ex hæreticis nonnulli contradicant cum Melanchthone *in locis Communibus.* Cicero lib. 2. de divin. *inſanorum Viſis,* ait, *fides non eſt adhibenda.* S. Auguſtin. lib. de Spirit. lit. c. 31. *Aliter,* inquit, *dicimus, non mihi habuit fidem, aliter, non mihi ſervavit fidem; Nam illud eſt, non credidit, quod dixi: iſtud, non fecit, quod dixit.* Atque in hac principali ſignificatione Fides à D. Paulo ad Heb. 11. v. 1. dicitur: *Subſtantia rerum ſperandarum: argumentum non apparentium.* Quod dictum Paulinum, etſi non ſit definitio exacta, eſt tamen commoda, cum in poſteriore ſaltem ſui parte omnia eſſentialia involuat, & hunc contineat ſenſum: *Fides eſt aſſenſus certus & infallibilis, quo aſſentimur rebus non apparentibus;* ſupple *propter authoritatem DEI obſcurè revelantis,* ut rectè Suarez Tom. de Fide, & communiter alij Theologi. Hæc Fidei Eſſentia & Natura ex objecto ejuſdem clareſcit. Itaque.

Objectum Fidei.

XI. Objectum Fidei divinæ Materiale ex communi Authorum eſt id omne, quod propter Veracitatem & Revelationem Dei creditur, adeóque Ens tam Naturale quàm Supernaturale, tam negativum, quàm poſitivum, tam obſcurum, quàm aliunde clarè cognitum; hæc quippe omnia fide divinâ ob dictam Veracitatem & Revelationem DEI obſcuram creduntur, de quorum proinde veritate, ut ſubſtant tali Teſtimonio dubitari neutiquã poteſt, cum DEUS nulla Potentiâ vel per ſe, vel per alium fallere aut mentiri queat. Nam *non eſt DEUS quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Num. 23. v. 19. *Eſt autem DEUS verax, omnis autem homo mendax* Rom. 3. v. 4. In quibus locis non præcisè agitur de actuali commiſſione mendacij, ſed de poteſtate quoque mentiendi; quia DEUS totus diverſus eſt ab homine, & quidem per ea, quæ cuique illorum peculiaria ac propria ſunt. Atqui Soli DEO proprium eſt ac peculiare, non poſſe mentiri; etenim actu & reipsâ non mentiri commune fuit alijs. Quo ſenſu hunc locum explicat S. Ambroſius *Lib. 6. epiſt. 37.* In prædictis etiam locis non tantùm agitur de veracitate DEI per ſeipſum, ſed etiam per alium, ut ex communi aliorum docet Suarez *Tom. cit. de Fide D. 3. Sect. 5. num. 12.* quia agunt de locutione, quâ DEUS locutus eſt per os Sanctorum, per Prophetas ſcil. Apoſtolos, & Angelos tanquam ſuos Miniſtros & Vicarios.

XII. Objectum Formale Fidei divinæ adæquatum eſt DEUS ſummè Verax ac Revelans. Ita S. Thomas *22. Q. 1. art. 1. & Q. 5. art. 3.* Albertus, Bonaventura, Valentia, Suarez, Tanner, Gammacheus, Mendoza, Arriaga, Oviedo, Eſparza de Fide *Q. 16. & 17.* & cæteri Theologi communiter. Habet doctrina hæc duas partes. Prima harum (DEUM ſcil. eſſe veracem, & ſic objectum formale fidei) ut ritè intelligatur, advertendum, per DEUM ſummè veracem, ſeu quod idem eſt, per primam Veritatem tanquam Motivum Fidei intelligi

Digitized by Google

telligi duplicem perfectionem DEI; unam ex parte intellectûs, per quam DEUS habet, non poſſe falli in cognitione objecti: alteram ex parte voluntatis, per quam DEUS habet, non velle, nec poſſe mentiri; totum enim hoc in DEO ſummè verari includitur, & quovis deficiente nutaret fides noſtra, ut bene notant Suarez D. 3. S. 4. n. 7. & alij Theologi.

Probatur jam eadem pars 1. ex Sac. Script. 1. Ioan. 5. v. 10. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt DEUS de Filio ſuo.* Ergo credimus propter veracitatem DEI; huic enim opponitur mendacij capacitas, quam DEO non credendo impingimus. Prob. 2. ex Patribus, quorum plura teſtimonia congerunt Valentia de Fide. Q. 1. pun. 1. & 4. atque alij citati. Sufficiat nobis D. Dionyſius, qui cap. 7. de div. Nom. ait: *Fides eſt circa ſimplicem & ſemper exiſtentem veritatem.* Parb, 3. ratione. Quia ille, qui DEO aliquid revelanti non crederet, injuriam ei faceret, idque non aliâ ratione, quàm, quod ſic oſtenderet, ſe in eo non agnoſcere ſumam veracitatem; ob quam moveri debeat, ut ipſi teſtificanti firmiter credat. Ergo ratio movens ad credendum erit Veritas DEI teſtificantis.

XIII. Secundâ pars ejuſdem doctrinæ (nempe DEUM revelantem eſſe & pertinere ad objectum itidem Prob. 1. ex Sacra Script. quæ aliquoties ſignificat, myſteria fidei eſſe credenda propter hanc cauſam, quia *DEUS ea revelavit, enarravit, teſtatus eſt*, ut Matth. 16. v. 17. Ioan. 1. v. 18. 1. Ioan. 5. v. 6. 1. Theſſal. 2. v. 13. &c. Prob. 2. Authoritate Patrum, quorum teſtimonia habentur paſſim apud Doctores, & omnia expreſsè aſſenſum Fidei in Revelationem & teſtimonium DEI reducunt. Prob. 3. ratione. Quia Authoritas DEI nudè ſpectata non poteſt eſſe ratio aſſentiendi per fidem, niſi interveniat teſtimonium aliquod, mediante quo illa Authoritas ſuo modo informat objectum materiale Fidei. Ergo Revelatio pertinet ad Objectum Formale, & quidem ſecundum omnem ſuam rationem, hoc eſt, tam Interna ſeu Activa, quàm Externa ſeu Paſſiva. Prior eſt conceptus ſeu cognitio mentis divinæ de re aliqua ad credendum nobis exhibenda. Poſterior ſunt media qualiacunque; quibus DEUS ſuum illum conceptum nobis ſignificat; etenim Sac. Scriptura ait, nos credere *propter teſtimonium; enarrationem, verbum ſeu Revelationem DEI &c.* quibus vocibus clarum videtur, quod utramque revelationem complectatur; paſſivam; quia loquitur de Revelatione, quâ myſteria Fidei innotuerunt: activam, quia loquitur de revelatione, prout hæc eſt verè locutio DEI; illa autem paſſiva revelatio non poteſt eſſe verè locutio, niſi prout huic activæ, quam exprimit, ſubſtat.

Notitia prævia ad aſſenſum fidei. Et Pia Affectio.

XIV. ANtequam aliquis fide divinâ credat aliquod objectum, cognoſcere debet, illud eſſe tale, ut prudenter poſſit, & debeat credi omnino firmiſſimè, & certiſſimè, & ſuper omnia. Nam ut docet S. Thomas 22. Q. 1. art. 4. ad 2. *Non crederet quis, niſi videret, ea eſſe credenda vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi.* Ubi S. Doctor ad Fidei aſſenſum prærequirit videre (hoc eſt, evidenter cognoſcere) credibilitatem myſteriorum, ut eum interpretantur Cajetanus & alij Theologi communiter, & conformiter S. Scripturæ Ioan. 15. v. 22. Ubi Chriſtus de ijs, qui non credebant, ait: *nunc autem excuſationem non habent*; ſcil. poſtquam fides in verum Meſſiam ex motivis exhibitis evidenter illis apparuit credibilis, & tamen non crediderunt. Unde colligitur, non credentibus locum eſſe excuſationi, quamdiu evidentia illa non habetur: & conſequenter prærequiri ad aſſenſum Fidei eliciendum evidentiam credibilitatis, ita ut intellectus judicet, oppoſitum hîc & nunc prudenter, & ſecundum certam rationem eſſe prorſus incredibile; *qui enim citò credit, levis eſt corde.* Eccleſiaſtici 19. vers. 4.

XV. Myſteria Fidei noſtræ Catholicæ eſſe evidenter credibilia, communis habet & indubitata Doctorum Sententia, idque conformiter Sac. Scripturæ Pſal. 92. v. 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Unde Matth. 5. v. 15. comparatur Eccleſia *Civitati ſupra montem poſitæ*, quæ abſcondi non poteſt. Accedit ratio. Quia ſi Myſteria fidei noſtræ habent argumenta, quibus oſtendi poſſunt, eſſe digna creditu, & credi debere, à quovis prudente, ſunt evidenter credibilia: Atqui habent hujuſmodi deſumpta à Perſona Chriſti Authoris ſui: ab integritate & rectitudine Doctrinæ: à Sanctificatione Sectatorum Fidei noſtræ Catholicæ: ex Miraculis tot & tantis omnibus retrò ſæculis in confirmationem Fidei noſtræ perpetratis: à modo, quo fuit Fides noſtra propagata: ex conſtantia Martyrum prope innumerorum: ab excellentia & conditione eorum, qui noſtræ Religionis fuerunt: ex vaticinijs & prophetijs: denique ex varijs capitibus contra Lutheranam, Calvinianam, & alias hujus temporis ſectas. Ergo &c.

XVI. Præter motiva autem extrinſeca, de quibus diximus, & fusè ab alijs explicatur, ad ſuadendâ ac capeſſendam prudenter fidem ab Inſtructore propoſitam neceſſarium inſuper eſt Lumen fidei, intelligendo per hoc ſpecialem aliquam mentis illuminationem à Deo immiſſam, quâ illa vel compleantur, vel cognoſcantur habere hic & nunc propoſita vim faciendi myſteria Fidei evidenter credibilia. Ita communis doctrina Theologorum itidem conformiter Sacræ Scripturæ, Concilijs ac Patribus, è quibus pulcherrimè S. Auguſtinus lib: 15: de Civitate cap. 6: *Etſi Deus ipſe*, inquit, *Utens creaturâ tibi ſubditâ in aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos: nec interiore gratiâ mentem regat, atque agat, nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis.*

XVII. Ad prædictam evidentiam credibilitatis duplex ſequitur ejuſdem Iudicium. Remotum unum ac merè ſpeculativum dictans, objectum propoſitum apparere evidenter credibile: Proximum alterum ac penitus practicum dictans, objectum hic & nunc eſſe credendum, atque obligationem ad hoc adeſſe. Ita communiter Doctores; quia utriuſque actûs eſt diverſum objectum; Prius enim judicium verſatur circa credibilitatem objecti, & videtur abſolutè naturale; quia non apparet, cur judicium, quo aliquid dignum creditu cenſetur, debeat eſſe ſupernaturale: Poſterius verò verſatur circa ipſum actum fidei, ejuſque honeſtatem ut ponendam; Unde ſecundum ſubſtantiam ſuam eſt ſupernatule, ut ex Concilijs & Patribus fusè oſtendunt Scholaſtici. Ratio breviter ſumitur ex eo, quod univerſim ad omnem volitionem ſupernaturalem prærequiratur cognitio proportionata, & ejuſdem ordinis. Cur ergò

non etiam ad volitionem credendi ſupernaturalem.

XVIII. Nondum ponitur Actus fidei etiam poſito credibilitatis judicio (quod notitia prævia dicitur, & ab hæreticis etiam admittitur) priuſquam interveniat pia voluntatis motio, quæ procedit à ſpeciali quodam habitu in voluntate ſeu virtute infuſa, quam *Piam Affectionem* vocare communiter Theologi ſolent. Itaque intellectus pendet à voluntate per actualem & poſitivum affectum imperante aſſenſum fidei, à quo affectu Fides denominatur voluntaria & libera. Ita cum D. Thoma 22. Q. 1. cit. art. 4. Et Q. 2. art. 12. & alibi omnes Theologi. Prob. 1. ex Script. in qua paſſim ſupponitur, Fidem eſſe liberam, quod abſque voluntatis interveniente motu eſſe non poteſt. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*; Ubi nomine cordis intelligi voluntatem, notat D. Thomas ibi. Prob. 2. ex Conciliis, ex quibus Arauſicanum 11. can. 5. dicit: *Initium fidei eſſe ipſum voluntatis affectum, eumque ineſſe nobis per inſpirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad Fidem.* Ubi Fides & infidelitas radicaliter ponuntur in voluntate. Prob. 3. ex Patribus, quos fusè adducunt Suarez, Valentia, Tanner & Scholaſtici paſſim. Sufficiat nobis S. Ambroſius, qui in illa verba S. Pauli ad Rom. 4. v. 4. *Ei autem, qui operatur, &c.* Sic ſcribit: *Aut credere aut non credere, voluntatis eſt; neque enim cogi poteſt ad id, quod manifeſtum non eſt.* Prob. 4. Ratione deſumpta ex natura ipſius intellectûs. Nam actus Fidei eſt aſſenſus obſcurus & certus excludens omnem formidinem. Intellectus autem de ſe vi motivorum non determinatur ſufficienter ad excludendam omnem formidinem. Ergo indiget ad hoc determinatione voluntatis, à qua licet veritas objecti non ponatur, nec augeatur, non tamen idcirco intellectus tantùm remotè movetur ab illa, hoc eſt, tantùm applicatur ad conſideranda motiva ad credendum inducentia; ſiquidem actus fidei proximè, poſtquam jam applicata ſunt motiva, per actum voluntatis poſitivum imperatur.

Proprietates Fidei.

XIX. Ex his, quæ hactenus de Objecto Formali, & Natura Fidei diximus, jam apparent quædam præcipuæ quaſi Proprietates Fidei; nempe Libertas, Supernaturalitas, Certitudo, Neceſſitas &c. Libertas ex recens dictis conſtat, & omiſſis pluribus & manifeſtis teſtimoniis Sac. Scripturæ ac Patrum, quæ videri poſſunt apud Suarez de Fide. Diſputat. & Sect. 6. quiſque experientiâ clarâ conjicit, eâ ſe libertate inducere actum Fidei, aut hujus ſuſpenſionem, ut lubet, quâ inducit applicationem intellectûs ad conſiderandum vel hæc, vel illa objecta; quâ experientiâ nixus D. Auguſtinus cap. 2. de Prædeſt. Sanctor. *cæterâ*, inquit, *poteſt homo nolens; credere autem non niſi volens.* Quare quando aſſenſus elicitur, aut vi voluntatis neceſſariæ, aut etiam liberæ, non tamen cum plena deliberatione, non eſt verè & propriè Actus Supernaturalis Fidei, de qua Sacra Scriptura & Patres loquuntur.

XX. Supernaturalitas Fidei quoad Subſtantiam probari ſolet ex pluribus Scripturæ locis, ubi Fides vocatur donum Dei, & quod ſine dono non ſimus ſufficientes ad credendum, ut oportet, qui textus ſyncerè ponderati ſuadent ſupernaturalitatem quoad ſubſtantiam; etenim dicitur Fides eſſe donum, quo nos Pater cœleſtis ad ſe trahit: & ſine quo nemo venit ad Deum, nec illi placere poteſt. Ioan. 6. v. 66. *Nemo poteſt venire ad me, niſi ei fuerit datum à Patre meo.* Et ibi. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Hebræ. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt, placere Deo.* Unde colligitur, hoc donum dari tanquam medium maximè & primariò neceſſarium atque ordinans ad vitæ æternæ conſecutionem, in quo Scholaſtici ponunt Supernaturalitatem quoad ſubſtantiam. Adhæc ad ſtatum ſupernaturalem & Filij Adoptivi non ſolùm pertinet, poſſe ſupernaturaliter operari per voluntatem, ſed etiam per intellectum eliciendo operationes proprias Filij Dei, & quæ ſint fructus participationis Naturæ divinæ, adeóque radicentur in Gratia ſanctificante. Ergo ſupernaturales ſunt quoad ſubſtantiam non minùs, quàm Viſio Beata, quæ ſuccedit Fidei.

XXI. Certitudo Fidei communiter duplex aſſignatur. Una propria, intrinſeca, & eſſentialis, quæ in eo conſiſtit, ac talis eſt naturæ, ut ei repugnet omnino falſitas etiam metaphyſicè loquendo. Altera formalis & adhæſiva, quæ conſiſtit non tam in connexione ipſius actûs cum objecto, quàm in firma adhæſione intellectûs erga illud objectum. Aſſenſus Fidei certitudine propriâ & intrinſecâ ſuperat omnes alios actus naturales & evidentes, ut communiter tenent Scholaſtici. Prob. 1. ex Scriptura, quæ ſemper cum emphaſi loquitur de certitudine fidei 2. Pet. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem.* 2. ex PP. quos copioſè allegat Suarez D. 6. ſect. 5. Sufficiat hic S. Auguſtinus, qui lib. 7. Confeſſ. c. 10. *Faciliùs*, inquit, *dubitarem, me vivere, quàm eſſe veritatem, quam audivi in corde.* 3. Ratione; quia actus fidei propter ſuam perfectionem, quam habet, ex natura ſua petit, ne ullo modo producatur, niſi objectum ita exiſtat, ut exprimit. Et de hac certitudine intelligendi ſunt Authores, quando Fidem vel comparant Viſioni Beatificæ, vel ſupra omnem certitudinem naturalem extollunt. Nam Certitudo adhæſiva non requiritur in credente major, quàm in aliis ſit adhæſio alia, quæ non eſt ex fide. Sæpe enim hæretici & alij Philoſophi adhærent ſuis erroribus aut veritatibus evidenter cognitis tam firmiter, quàm adhæreant Fideles rebus fidei; & in ipſo Fideli contingere poteſt, ut invincibiliter ſeductus circa myſterium fidei tam certò adhæreat errori, quàm veritati; quamvis ſecundùm rectam rationem, & debitam æſtimationem Fides Catholica etiam certitudine adhæſivâ ſeu ſubjecti firmior eſſe deberet, quàm fides humana; quippe æquum eſt, ut ille firmiùs credat, qui certius habet credendi motivum.

XXII. Neceſſitas Fidei univerſim permagna eſt. Nam omnes ratione Utentes, cujuſcunque ſint Gentis, Sectæ, Conditionis, Loci, Temporis fidem neceſſariò habere debent ad Gratiam & Gloriam adipiſcendam. Sic enim divina oracula ſe habent Heb. 11. v. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt, placere Deo. Credere enim oportet, accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Marci 16. v. 16. *qui verò non crediderit, condemnabitur.* Sac. Scripturæ conſentiunt Patres, è quibus D. Gregorius 2. Moral. c. 33. *Niſi Fides*, inquit, *prima in corde noſtro gignitur, reliqua quaque eſſe bona* (bonitate ad Iuſtificationem & meritum vitæ æternæ requiſita) *non*

Digitized by Google

non poſſunt, etiamſi bona videantur. Porro neceſſarium ad ſalutem duobus modis aliquid dici poteſt, ſcilicet neceſſitate Medij & Præcepti.

XXIII. Priori modo ſive Neceſſitate Medij dicitur neceſſarium id, ſine quo aliquis reipsâ non poteſt juſtificari & ſalvari ſecundum ordinariam Dei legem; tametſi quis invincibiliter, adeóque inculpabiliter ignoret, illud eſſe neceſſarium. Sic ſemper in omni ſtatu Naturæ lapſæ neceſſarium fuit explicitè credere, Deum eſſe, ac Remuneratorem eſſe, ſeu habere providentiam tum in hac, tum in altera vita. Nam cum Apoſtolus ad Heb. 11. cit. dixiſſet, *ſine fide impoſſibile eſſe, placere DEO*, id eſt, neceſſariò credendum aliquid eſſe ad Juſtitiam, Deique Amicitiam, & conſequenter ad ſalutem obtinendam, determinare volens, quid neceſſariò ſic eſſet credendum; ſtatim ſubjunxit eod. vers. 6. *credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia Eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit.* Ratio hujus eſt; quia illud neceſſariò neceſſitate Medij eſt credendum, ſine quo etiam invincibiliter ignorato nemo adultus juſtitiam & ſalutem conſequi poteſt. Sed talis eſt explicata Fides duorum illorum articulorum. Ergo, &c. Major conſtat. Min. Probatur. Quia ſine tali cognitione & fide non habemus notitiam ultimi finis noſtri; Conſequenter non poſſumus ullum actum ſupernaturalem circa illum elicere, multò minùs actum charitatis, ſine quo tamen nullus adultus ſaltem extra Sacramenta poteſt primam gratiam aut ſalutem conſequi.

XXIV. Poſteriori modo ſive Neceſſitate Præcepti neceſſarium eſſe dicitur id, quod ex vi præcepti ad ſalutis conſecutionem vel faciendum vel exequendum eſt, tunc Scil. quando adeſt facultas & occaſio. Sic omnes Chriſtiani tenentur credere explicitè omnes articulos, qui in vulgato Apoſtolorum ſymbolo continentur ſaltem quoad ſubſtantiam, ut conſtat ex varijs Concilijs & catecheſi Pij V. ubi dicitur in principio, omnes ſcire & credere oportere ea, quæ Apoſtoli certis articulis comprehenderunt. Nam iſti in diverſas orbis partes diſceſſuri compoſuerunt hoc ſymbolum, ut id juxta Chriſti præceptum docerent omnem creaturam, hoc eſt, omnes homines rationis capaces, antequam baptizarentur; ſicuti piè ſemper & indubitatè poſt Sanctos Patres Clementem L. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 4. Irenæum lib. 1. contra hæres. c. 2. & lib. 3. c. 4. Epiphanium hæreſ. 68. Leonem ſerm. 11. de Paſſione. Et Epiſt. 8. 13. & 25. Chryſoſt. hom. 12. de Symbolo. Ambroſ. L. 1. de Spiritu Sancto. Epiſtol. 81. & ſerm. 38. Maximum hom. de tradit. Symboli, & alios tenuerunt S. Thomas 22. Q. 1. art. 9. & omnes Scholaſtici ac Catholici. Ergo omnes homines tenentur diſcere; alioquin fruſtra Apoſtoli obligarentur, id ita amplè & univerſim docere.

XXV. Præter explicitam fidem Symboli Apoſtolici omnes quoque in Lege Evangelica tenentur ſcire ea, quæ & communiter Chriſtianis omnibus, & cuique juxta ſtatum ſuum neceſſaria ſunt ad rectè vivendum, ut docent omnes Catholici, habeturque ex perpetuò Uſu Eccleſiæ, quæ hanc notitiam à ſingulis ante atque etiam poſt baptiſmum exigit, & planè ſtatus ac profeſſio Chriſtiana requirit. Imprimis igitur omnes adulti ſic ſcire debent ſubſtantiam & rationem Sacramentorum Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, & quæ ad eadem Sacramenta dignè recipienda ſunt neceſſaria: in cæteris verò Sacramentis idem opus erit, ſi quando quis ſuſcipere eadem voluerit. Deinde ſcire etiam omnes tenentur modum legitimè orandi DEUM, ac in ſpecie etiam juxta receptum Eccleſiæ morem orationem Dominicam. Item præcepta Decalogi, & communia Eccleſiæ præcepta. Demum etſi non obligentur Chriſtiani, ut omnia explicitè credant, quæ DEUS revelavit; ſed ſufficiat, ſi implicitè; attamen Fideles ſingulos paratos eſſe oportet ad credendum quidvis, quod Eccleſia ſufficienter proponit credendum tanquam verum, ac de Fide, ita ut actum contrarium elicere minimè valeant, atque audeant; quippe prohibitum eſt, judicare, Eccleſiam in rebus fidei errare poſſe, cum ea teſte Paulò 1. ad Timoth. 3. v. 15. cit. ſit, *Columna ac Firmamentum Veritatis.*

Oppugnatio Fidei ex Objecto hujus Formali.

XXVI. CONtra Naturam Fidei ſic breviter explicatam, & potiſſimam atque eſſentialem ejus rationem, nimirum contra objectum Formale opponit ſe Joannes Muſæus in Academia Jenenſi Theologiæ Profeſſor in alterâ ſua de Eccleſia Tractatione non pridem edita aſſignans pro Objecto Fidei Formali ac Motivo Supernaturalem concurſum & elevationem Objectivam. *Voluntas*, inquit num. 64. *ſupernaturali concurſu DEI elevata intellectum in aſſenſum ſui: & credendorum Revelatiò divina movet: adeoq; ſupernaturalis ille concurſus DEI ad ipſam rationem objectivam Fidei pertinet; voluntas enim cum ad res in Scripturis revelatas naturâ ſuâ mortua ſit; non poteſt earum apprehenſione ad ullum actum efficacem moveri citra illarum elevationem.* Probat. Tum ex Sac. Scriptura. 1. Theſſ. 2. ℣. 13. dicit Apoſtolus: *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione; quoniam cum accepiſſetis à nobis Verbum auditûs Dei; accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed (ſicuti eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis:* Item Matth. c. 7. ℣. 28. ubi dicitur; *Turbam fuiſſe doctrinâ Chriſti percuſſam.* In his, ait Muſæus, indicat Sac. Scriptura, à concurſu ſupernaturali provenire vim ac virtutem Verbo Dei; & voluntatem inde perculſam & elevatam movere intellectum in aſſenſum Fidei. Ergo Objectum Formale & Motivum Fidei eſt Concurſus ſupernaturalis & elevatio objectiva. Tum ratione; quia Revelatio divina in Scripturis per ſe nihil continet præter verba & res ſignificatas. Ergo relinquitur, quod ſupernaturali Dei coucurſu elevata voluntas intellectum in aſſenſum ſui; & credendorum Revelatio divina moveat; adeoq; ſupernaturalis ille concurſus ad rationem formalem objectivam pertineat.

XXVII. Hoc argumentum mirè extollit Muſæus thraſonicè gloriando, quaſi omnes hactenus Pontificij Scholaſtici ad lucis conſpectum fuiſſent meri veſpertiliones: ipſe verò veluti genuinus Aquilæ pullus fixo ſolem obtutu aſpexiſſet; unde jactabundus aſſerit; *commentum ſuum eſſe veritatem demonſtratam, eamque liquidiſſimam, & vel ipsâ ſolis luce clariorem.* Ego re bene lectâ & expensâ argumentum illud nihil judico eſſe aliud, quàm hæreticam & recoctam crambem, craſſiſſimam ignorantiam, & chimæricas ineptias. Nec quiſquam hoc miretur; plura enim ſimilia argumenta ex Adverſariorum ſcriptis & libris per Theologiam Polemicam occurrent; ſiquidem Prædi-

Digitized by Google

Prædicantes ſuis irretiti erroribus alia ex aliis deliramenta texunt, meris ſe verbis vanè paſcunt, & ſyncerè audire ac diſcere veritatem nolunt.

XXVIII. Inprimis igitur argumentum Muſæi dixi eſſe meam hæreticam & recoctam cramben. Quia prorſus idem eſt *concurſus ſupernaturalis, & elevatio objectiva* Muſæi: ac *teſtimonium infallibile, ſed occultum Spiritûs divini*, Calixti: *vel publica Spiritûs Sancti auctoritas in Verbo Dei Chriſtianis omnibus communis*, Riveti: vel *Verbum ſyncerum ſecundum ſenſum Spiritus Sancti*: vel *πληροφορία certioratio interna de verbo Dei & hujus ſenſu*: vel *denique tritirion, ſeu inſtinctus internus Spiritûs Sancti*, quibus alii Calviniſtæ & Lutherani agnoſcere ſe jactant, quodnam ſit Verbum Dei, & quis legitimus hujus ſenſus. Oſtendamus rem in exemplo. Hæc verba Chriſti Matth. 26. ℣. 27. *Hoc eſt Corpus meum*, Molinæus, Ameſius, Rivetus & alii Calviniſtæ dicunt, eſſe verba DEI, ſed ſignificare ſolùm Chriſtum ejuſque Paſſionem, corpus autem Ejuſdem non ponere præſens. Cur hoc? quia, ajunt, Spiritûs Sancti authoritas omnibus Chriſtianis communis ita nobis intus dictat, nos certiorat &c. Gerhardus, Meno Hanneken, Hailbrunner, Calixtus & alii Lutherani ajunt itidem, eſſe verba Dei, & ſignificare, ipſum Chriſti Corpus intimè præſens eſſe in ſumptione, fierique conſubſtantiationem. Cur hoc? quia, inquiunt, Spiritus S. intus teſtatur, docet, notificat &c. Adſtipulatur Lutheranis ſuis Muſæus. Cur ita? propter concurſum ſupernaturalem & elevationem objectivam. Quid autem eſt hoc ab aliis diverſum? nihil; Utique enim alii Sectarii in ſuo teſtimonio, authoritate, certioratione, critirio, inſtinctu Spiritûs Sancti actionem ſupernaturalem atque elevationem intervenire agnoſcunt. Præterea motio voluntatis per concurſum ſupernaturalem &c. vel eſt imperium voluntatis ex motivis credibilitatis ſurgens: vel etiam ſola illuſtratio abſque illis motivis credibilitatis: vel eſt perculſio voluntatis intellectum moventis in aſſenſum. Nihil horum dici potuſt. Non primum & ſecundum, quod utrumque tenent Catholici; illud in hominibus: iſtud in Angelis. Si igitur tertium, recidit in privatum inſtinctum Spiritûs Sancti, nihilque eſt aliud, ut dixi, quàm hæretica & recocta crambe.

XXIX. Deinde dixi, argumentum Muſæi eſſe craſſiſſimam inſcitiam. Nam in omnibus Scholis Theologicis & Philoſophicis notiſſimum eſt, & veluti primum principium, elevationem ſupernaturalem fieri non objectivè, ſed effectivè, eamque nihil eſſe aliud, quàm confortationem Potentiæ naturalis ad effectum altioris ordinis producendum, atque naturæ improportionatum. v. g. Intellectus noſter, quia vi & virtute ſuâ viſionem Dei producere in cælo nequit, idcirco elevatur & proportionatur tali effectui per qualitatem ſupernaturalem, quam Theologi Lumen Gloriæ appellant. Sic etiam, quando voluntas Peccatoris elevatur ad contritionem aut amorem ſupernaturalem, quo ad juſtificationem diſponitur, fit ea elevatio per concurſum DEI extrinſecum & ſupernaturalem, quo voluntas, quæ naturalis eſt potentia, confortatur, atque effectui altioris ordinis proportionatur. Ecce in cœlo & in terra elevatio fit efficienter; oſtendat Muſæus, ubi fiat objectivè, aut quis ex Patribus, Theologis, aut Philoſophis hoc unquam docuerit?

XXX. Demum dixi, argumentum Muſæi eſſe chimæricas ineptias. Nam quid ineptius, quàm obſcurum illuſtrari per obſcurum? libertatem aſtrui per neceſſitatem? in intelligendis ſcripturis, non intellectum, ſed ipſas elevari ſcripturas? His & alijs ineptijs ſcatet opinio Muſæi. Primum oſtenditur. Num. 68. ſcribit Muſæus, *Nullum Supernaturale poſſe viatori eſſe evidenter cognitum.* Ergo concurſus ſupernaturalis additus voluntati eſt æquè obſcurus, ac ipſa revelatio. Ergo obſcurum illuſtratur per obſcurum. Alterum oſtenditur. Voluntas, quando v. g. eliciendus eſt primus actus fidei, non agit liberè, ſed juxta Muſæum agitur ut inſtrumentum merè paſſivum. Ergo libertas aſſenſûs fidei aſtruitur per neceſſitatem voluntatis actæ. Ultimum oſtenditur. Inauditum eſt, ipſas Scripturas, quæ ſunt revelationes divinæ: & non potius homines ipſos elevari ad illas admittendas. Aut Scripturæ in ſe intentionaliter exprimunt homines: & non vice verſâ homines in ſe intentionaliter exprimunt Scripturas, eáſque aſſenſu ſuo amplectuntur? Multa etiam creduntur extra Scripturas, v. g. quando Petrus Actor. 10. in mentis exceſſu per lintei deſcenſionem & cætera ibi narrata fuit edoctus, Gentes ad Evangelium eſſe admittendas; idem dicendum de innumeris alijs ejuſmodi raptibus & viſionibus objectorum à parte rei non exiſtentiũ, ſed miraculosè apparentium, ac ſi exiſterent, quibus plena eſt Apocalypſis. Oſtendat nobis hic Muſæus, quomodo Petrus aut Ioannes per concurſum ſuum ſupernaturalem & elevationem objectivam tanquam per objectum formale elicuerint aſſenſum Fidei, & non moveat omnibus riſum? Nos Catholici facilè dicimus, viſionem v. g. Petri reflexè cognitam & rite expenſam prudenter factam eſſe credibilem, quod ſit à Deo, & quidem in eum finem, ut tale objectum cognoſceretur; inde voluntas imperare potuit intellectui, ut tali viſioni ſeu illuſtrationi veluti rationi formali paſſivæ aſſenſum præberet.

XXXI. Probationes Muſæi nihil prorſus faciunt ad rem, & nequicquam evincunt contra Catholicos. Primæ Probationis Sac. Scripturæ 1. Theſſalon. 2. v. 13. Senſus ex comuni Patrum & Interpretum eſt iſte; Vos Theſſalonicenſes accepiſtis verbum auditûs DEI, hoc eſt, prædicationis meæ, non, ut eſt verbum Eccleſiæ, vel Hominum, aut Angelorum, ſed ut verbum DEI, qui additis prædicationi meæ ſignis ac prodigijs operatur in vobis fidem, & perficit in vobis gratias & beneficia ſua, quæ per Evangelium ſeu Chriſtum credidiſtis obventura vobis. Quid, quæſo, genuinus iſte juxta Patres & Interpretes Sac. Scripturæ ſenſus quid facit ad concurſum ſupernaturalem & elevationem objectivam? non ſolùm non patrocinatur, ſed etiam illi adverſatur. Siquidem objectum Fidei Formale ſtatuitur Verbum DEI ut DEI, non hominum, aut Angelorum. & per hoc DEUS operatur in Theſſalonicenſibus conſenſum fidei, poſtquam illud externis ſignis fecit evidenter credibile. Unde ſic argumentari poſſumus. Quemadmodum Theſſalonicenſes ad fidem inducuntur & moventur ad aſſenſum, ita nos Fideles inducimur & movemur. Sed Theſſalonicenſes inducuntur ſignis externis, ut objectum formale

Digitized by Google

male ſeu Dei verbum à Paulo prædicatum credibile judicat: & per iſtud ad aſſenſum Fidei moventur. Ergo & Nos Fideles ſic inducimur & credimus.

XXXI. Secundæ Probationis ibidem ex Sac. Scripturæ Matth. 7. v. 28. Senſus eſt, turbam auditâ prædicatione & Sapientiâ Chriſti fuiſſe ſuper doctrina ejus admiratam; non autem dicit Evangeliſta, eandem turbam efficaciâ prædicationis ejuſdem, eſſe motam ad credendum, illum eſſe Filium DEI, promiſſum Meſſiam &c. Quid iterum iſte Sac. Scripturæ ſenſus facit ad concurſum ſupernaturalem & elevationem objectivam? Multi etiam ſancti viri ferventi ſuâ prædicatione valde perculerunt animos auditorum, an idcirco illorum ſermones poſtea typo mandati fuerunt Scripturæ divinæ? Tertia probatio nihil minus evincit, quàm Supernaturalem concurſum & elevationem objectivam. Eſto enim, quod dicitur in Antecedente, Revelatio divina in Scripturis per ſe nihil contineat præter verba, & res per illa ſignificatas; nunquid extrinſeca motiva accedere poſſunt, quibus ita revelatio illa evadat evidenter credibilis, ut voluntas imperare poſſit intellectui aſſenſum fidei eidem revelationi dandum? Adhæc fatetur Muſæus, ut diximus, ſupernaturalem concurſum omni viatori eſſe obſcuriſſimum, quomodo ergo in notitiam alterius ignoti trahere poteſt? Videatur Vitus Erberman in Trophæis Romanis S. Cathol. Eccleſiæ *à fol. 82.*

Partitio Operis Polemici.

XXXII. Reſtat Partitio Operis Polemici, quæ ex dictis haud difficulter conjici poteſt. Nam cum Theologia Polemica verſetur circa Sacram Romano-Catholicam Fidem tanquam circa Caſtrum ſummi momenti, extra quod nulli patet ad cœlum via, ut hanc Fidem ab hæreticis malignè oppugnatam defendat, propugnet, & propaget, fundamenta ſolidiſſima atque inexpugnabilia habere debet, quæ ſunt Authoritas S. Spiritûs per S. Scripturam loquentis: Item Authoritas Chriſti partim per ſuum Vicarium ſummum Pontificem, partim per totam Eccleſiam docentis. At verò cum ſola Fides abſque operibus neutiquam ſufficiat, ſicuti fundamenta in Caſtro ſine vallis eductis fruſtranea ſunt, opera quoque, quæ illam ceu valla circundent, adeſſe, declararique debent tum ipſamet, tum eorum principia, tum peccata, quæ bonis operibus opponuntur. Demum ut Caſtro bene proviſum ſit, varia ſubſidia ei neceſſaria ſunt, quæ Fidei Catholicæ minimè deſunt; hæc enim ſubſidia ſunt Sacro Sancta Sacramenta; quibus abundantiſſimè, & magis quàm ulli Caſtro, eſt fidei proſpectum.

XXXIII. Itaque quæ hodie de Fide & Religione controvertuntur, in præſenti opere Polemico in octo ſummos Titulos (qui tamen ſubdividi interdum poſſunt) redigemus, & agemus, I. de Sacra Scriptura. II. de Chriſto. III. de Eccleſia tam in communi, quàm in ſpecie de Militante, Patiente, & Triumphante. IV. de Summo Pontifice ac Concilijs, quæ velut Corpus dependent ab illo tanquam Capite. V. de principijs bonorum operum, libertate ſcilicet & gratia. VI. de bonis operibus tam in communi, quã nonnullis in ſpecie VII. de oppoſitis illorũ malis operibus ac peccatis VIII. denique de ſubſidijs eorumdem bonorũ operũ ſeu Sacramentis. Singulas autẽ ſub his titulis controverſias eâ methodo tractabimus, quam ad initium hujus ingreſsûs indicavimus. *Chriſtus IESUS, Beatiſſima DEI Mater & Virgo MARIA, omnes Sancti Angeli ac Beati cœli Incolæ gratiâ ac favore ſuo ceptis noſtris adſint, & ad finem fixum ac fructum optatum feliciter perducant.*

***

):(IHS.):(

CON-

IHS.

CONTROVERSIA I.

AN QUILIBET IN SUA FIDE SALVARI POSSIT, MOdo honeſte vivat: & præſertim ſi potiſſimos articulos de S.S. Trinitate & Chriſto in Symbolo Apoſtolico contentos credat?

I.

CAllidiſſimus Mortalium Seductor dæmon, ut miſeros Homines ſuis jam irretitos laqueis ſuaviùs in iiſdem retineat, dulce hoc eis conciliat ſomnium: *In ſua quemq; fide ſalvari poſſe, modò honeſtè vivere ſtudeat.* Ut ſub hoc ſpecioſo veritatis prætextu humanæ cupiditati ſuas laxent habenas, carniq; ac promiſſæ ſimul ſaluti blandiantur. Atq; iſtud deliramentum placet hâc præſertim additione veluti ſaccaro conditum: *Si fides illa potiſſimos de S. S. Trinitate ac Jeſu Chriſto Salvatore articulos in Symbolo Apoſtolico contentos complectatur.*

II. Hinc in ultimis Comitijs Imperialibus Ratisbonæ Anno 1653. & 1654. item ante ac poſt illud tempus ſæpe alibi multi palam edixerunt, hanc ſe Religionem tenere. Viri quoq; Sapientes, qui de rebus Fidei frequenter agunt cum alijs cujuſvis ſtatûs ac conditionis hominibus, clarè deprehenderunt, hanc perſuaſionem vaniſſimam altas jam agere radices in multorum cordibus Summorum æque ac Infimorum; qui vocabulo ad rem ſignificandam non inepto hæreſim ſuam vocant *Adiaphoriam* ſeu *Indifferentiſmum*, eique adhærentes inde appellant *Adiaphoriſtas* ſeu *Indifferentes*; non malè eoſdem etiam *Amphidoxos* dixeris.

III. Ab hac Adiaphoriâ Georgij Calixti Helmſtattenſis Profeſſoris Theologi non abludit ultima Fidei confeſſio, quam ante paucos annos morti proximus edidit: *Ego*, inquit *volo mori ſub Capite Chriſto, & in Fide vera Catholica Eccleſiæ, & in Charitate illorum omnium, qui Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum ſyncerè honorant & amant. Ego nolo damnare illos, qui errant in quæſtionibus non neceſſarijs, & ſpero etiam Deum mihi condonaturum, ſi ego, uti fieri potuit, in ſimilibus erravi. Ego agnoſco & confiteor nullum alium Authorem & Caput ſalutis meæ, quàm Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in cujus Nomine baptizatus fui. Ego etiam non agnoſco alterius merita, quàm Unigeniti Filij Dei Noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti.* Ità ex oratione funebri ejuſdem in Academia dictâ.

IV. Hujus ſuaviloqui ac mendaciſſimi ſomni ſibilo longè exſufflantur omnes controverſiæ, & laborioſæ de rebus Fidei diſceptationes; quid enim hiſce opus, ſi in ſuâ quilibet fide ſalvus fieri poſſit modò interim honeſtè vivere ſtudeat, ſi præſertim fundamentales articulos S.S. Trinitatis ac Chriſti teneat? ad quid unius veræ ac ſalvificæ Fidei & Eccleſiæ longa ſollicitáque indagatio, ſi vel omnibus omninò, vel ſaltem cunctis hæreticorum Sectis conceſſum ſit, quod nos Romano-Catholici uni veræque Chriſti Eccleſiæ & fidei adſcribimus, quod ſcilicet Cultoribus ſuis ſalutem certè tribuat, & ad felicem æternamque beatitudinem ſecurè perducat?

V. Quapropter ne inaniter in controverſiam vocemus, quænam ex pluribus ſit illa Eccleſia, quæ ſuâ ſolius fide ac doctrinâ ſalvare homines poſſit, ante omnia prædictum ſomnium nobis diſcutiendum, atque oſtendendum ſumemus, illud longè vaniſſimum ac falſiſſimum eſſe, meriſſimamque Infernalis Morphei illuſionem; id quod hâc inſtar præludij præviâ Controverſiâ (quæ tamen omnium reliquarum numerum inchoet.) Superis faventibus, præſtabimus.

VI. Non eſt autem nobis animus, hîc contra Paganos & Hæreticos agere, horum hæreſin, infidelitatem illorum refutando, ſed ſolùm Homini Chriſtiano oſtendere, Adiaphoriam ſeu Indifferentiam credendi non eſſe talem Religionem, quæ ſalvare animas certò valeat, quaſi Eccleſia & Fides Chriſtiana ex omnibus quælibet Sectatoribus ſuis vitam ſalutemque æternam conferre poſſit. Deus enim, ut homines ad Cœleſte ſuum regnum admittat, non quâvis ratione coli & adorari ab his debet, ſed quomodo ipſe ſtatuit & gratum habet: *Una Incorrupta Catholica Eccleſia, non in quâ ſolâ unus Deus colitur, ſed in quâ ſolâ unus Deus piè colitur.* Auguſt. contra Creſconium Lib. 2 cap. 29.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICorum.

I. DOctrina Prima. Una eſt tantùm vera Chriſti Eccleſia, quæ homines ſalvare æternùm valeat: & hæc eſt ſola Romana Catholica. Hanc doctrinam ſuô loco fusè & ſolidè probabimus. Nunc ſufficiant verba D. Athanaſij in Symbolo ab Acatholicis recepto, ubi dicitur: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem* (in Eccleſia ſolùm Catholica exiſtentem) *quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, ſalvus eſſe non poterit.* Item hiſce clariora iſta S. Fulgentij ad Petrum Diac. de Fide: *Firmiſſime tene, ac nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, ſive Schiſmaticum in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunq; eleemoſynas fecerit, nullatenus poſſe ſalvari.* Verbo, *qui non credit* (fide vivâ in Chriſtum) *jam judicatus eſt.* Joan. 3. v. 18. & condemnatus, ſcil. in Dei præſcientia, & reprobationis decreto.

Doctri-

II. *Doctrina Secunda.* Non poteſt quilibet ſalvari in ſua fide etiam Ethnicâ, Turcicâ, Judaicâ, &c. etiamſi interim honeſtè vivat. Ita non ſolùm Catholici omnes, ſed plerique etiam Sectarij.

Probatur 1. Nemo ſalvari poteſt abſque vera ſupernaturali & divinâ Fide, quæ nitatur authoritate Dei teſtificantis, & ſit donum Dei; ſic enim divina habent oracula. Hebr. 11. ℣. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Marc. 16. ℣. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Joan. 6. ℣. 11. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit.* Epheſ. 2. ℣. 8. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Sacræ Scripturæ conſonant Patres & Concilia, è quibus Trident. Seſſ. 6. cap. 8. ait: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, radix omnis juſtificationis, ſine quâ impoſſibile eſt, placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Atqui Pagani, Turcæ, ac Judæi adhærentes Sectæ ſuæ non habent veram ac divinam fidem, quæ nitatur authoritate Dei teſtantis. Nam Ethnici omninò non credunt unum Deum Cœli Terræque Conditorem, bonorum ac malorum operum Remuneratorem: Turcæ autem ac Judæi, tametſi hoc teneant, ea tamen fides non eſt vera ac divina ex teſtimonio Dei, ſed nititur ſolùm humanâ authoritate & motivo; ſiquidem Turcæ, quando credunt ea, quæ in Alcorano ſuo continentur, pro ratione credendi uſurpant authoritatem Mahometis ſceleſti ac falſi ſui Prophetæ: Judæi verò, quando aliqua in Scripturis contenta admittunt, credunt ea propter authoritatem Rabinorum ſuorum ſeu Doctorum hoc vel illo modo interpretantium. Ergò nec hi, nec illi in ſuâ fide ſalvari poſſunt.

III. Probatur 2. Quicunque eandem participant Naturam, eundem quoq; præfixum ſibi habent finem, eademq; ijs ad hunc finem neceſſaria ſunt media, ſine quibus obtineri ille finis nequit; ut patet in primis rerum elementis; Sic enim omnes Ignes, cum eandem habeant naturam, videmus ſcandere ſurſum, atq; in hunc finem exigere levitatem: Sic quoq; omnes Terræ portiones, cum eâdem conſtent naturâ, cernimus moveri deorſum, atque idcirco requirere gravitatem. Et ſic de alijs loquendo. Atqui omnibus hominibus, ut ut aliàs linguis, moribus Regionibus, ac officijs longè diverſiſſimis eadem eſt natura rationalis; Omnes quippe *ad Imaginem & Similitudinem Dei* facti ſunt Gen. 9. v. 6. Ergo omnes eundem quoque habent finem, nempe Contemplationem Dei, ut ait S. Gregorius ex illo Joan. 17. v. 3. *Hac eſt Vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Verum Deum*; Unde & notum illud: *Creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Ergo & eadem illos media habere oportet, ſine quibus perveniri ad finem illum non poteſt; inter quæ media primum maximeque neceſſarium eſt Fides divina, cui tanquam finis, clara Dei viſio ſuccedit juxta illud 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo cum hoc medio, Fide ſcil. divinâ tam implicitâ, quàm explicitâ careant Pagani, Turcæ, Judæi (ſiquidem CHRISTUS & hujus Paſſio iſtis eſt Scandalum, Illis autem ſtultitia 1. Cor. 1. v. 13.) finem quoque eundem nobiſcum participare, & æternam Beatitudinem obtinere nequibunt.

IV. Probatur 3. Si quiſque etiam Paganus, Turca, Judæus in ſuâ fide ſive Ethnicâ, ſive Turcicâ, ſive aliâ quavis ſalvari poteſt, cur DEUS in Sacrâ Scripturâ tam frequenter tam graviter prohibet falſum Deorum Cultum, nec alio ſe ritu coli permittit, præterquam à ſe præſcripto? cum nullus cultus ad finem ultimum obtinendum non ſit aptus. Cur Idola confringi, & Deos Deaſque omnes exturbari, ac eorum cultores ſeverè puniri mandat? cum ex hoc præcisè nihil fiat, quod cujuſquam Religioni non ſit conſentaneum, cumque à ſalute impediat, modò interim honeſtè vivat. Cur CHRISTUS Homo factus tot miracula perpetravit, ut Meſſias, & Mundi Salvator crederetur? Cur tanta egit ac paſſus eſt, ac tandem in cruce inter Latrones exſpiravit? cum nihil horum ad ſalutem fuerit neceſſarium. Hoc modo ratiocinatur Apoſtolus Galat. 2. v. 21. *Si per legem Juſtitia. Ergo gratis CHRISTUS mortuus eſt?* Cur denique Apoſtoli in omnes terræ partes ſe penetrârunt, tot labores & moleſtias exantlârunt, tot Carnificinas ſuſtinuerunt, tot ſanguinis flumina effuderunt, &, ut verbo dicam, per omnia tormentorum genera incedentes vitam ultimò poſuerunt? Profectò quemadmodum hæc nemo prudens velut minùs rectè ac laudabiliter, vel fruſtrà facta dicere auſit, ita nullus ſanæ mentis homo cogitare poteſt, in ſuâ quemlibet fide ſalvari poſſe; eſto etiam DEUM, cœli terræque conditorem cum Iudæis ac Turcis confiteatur. Plura pro hac 1. veritate mox in 2. dicentur.

V. *Doctrina tertia.* Non poteſt quiſq; ſalvari in ſuâ fide, quantumvis potiſſimos, ſeu fundamentales articulos de Sanctiſſimâ TRINITATE, ac CHRISTO Domino, cæteroſque in Symbolo Apoſtolico teneat; ſi interim alios fidei articulos ſufficienter propoſitos, aut etiam unum ex iſtis non credat, ſed diſcredat. Ita omnes Romano-Catholici.

Probatur 1. Apoſtolus Epheſ. 4. v. 5. dicit: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* Et 1. Cor. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, & unum Corpus multi ſumus.* Unde etiam Chriſtiana Fides dicitur *unum Regnum*, Daniel. 2. v. 44. *Una Domus*, Matth. 24. v. 45. *Unum ovile*, Ioan. 10. v. 16. *Unum Matrimonium*, in quo Chriſtus eſt Sponſus, Oſee 2. v. 19. & Epheſ. 5. v. 17. ex quo ſic argumentamur. Quæcunque Eccleſia ſeu Fides non habet Unitatem in Sac. Scripturâ aſſertam, illa non eſt vera & ſalvifica Fides & Eccleſia: Atqui Adiaphoria iſta, ſeu Religionis Indifferentia apud eos, qui Sanctiſſimam TRINITATEM & CHRISTUM confitentur, non habet prædictam Unitatem. Ergo non eſt vera ſalvifica Eccleſia & Fides. Major conſtat ex locis ſcripturæ recens adductis; & hanc unitatem Chriſtus validis precibus rogavit à Patre ſuo Ioan. 17. v. 11. *Pater Sancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint Unum, ſicut & nos.* Nec dubium eſt, quin exauditus ſit pro reverentiâ ſuâ Hebr. 5. v. 7. Probatur Minor. Omnes omninò ſectæ diſſentiunt in uno ſaltem alterove articulo Fidei ab Eccleſiâ Romano-Catholicâ hoc ipſo, quod ab iſtâ damnentur & reijciantur. Ipſæ autem ſectæ in rebus Fidei nec paucis nec levibus diſſentiunt inter ſe, & è diametro oppoſita tenent, ut Henricus Eckardi in præfatione faſciculi controverſiarum ad Chriſtianum II. Saxoniæ Electorem dicat, *non magis inter Calviniſtas & Lutheranos, quàm inter CHRISTUM & Belial fraternitatem iniri, aut conjunctionem fieri poſſe.* Idem de quibusvis alijs Sectis ſentiendum,

quarum ſingulæ ſuis peculiaribus erroribus mordicus adhærent. Cum igitur divinæ paginæ teſtentur Marc. 3. v. 23. & Luc. 11. v. 17. *Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & non poteſt ſtare*; quis ſanæ mentis homo perſuadere ſibi poteſt, Chriſtum tale Regnum, hoc eſt, Eccleſiam ita diviſam, ſciſſam, & laceratam ædificare voluiſſe? Quippe certo certius eſt, ubi univerſalis Eccleſia Chriſti ex diverſis adeò Sectis compacta eſt, ibi unitatem in eâ nullam eſſe poſſe. Ergò cum Adiaphoria unitatem non habeat, vera Chriſti & ſalvifica Eccleſia eſſe non poteſt.

VI. Probatur 2. Adiaphoriæ, ſeu Opinioni, quod quilibet in ſuâ fide Chriſtianâ ſalvari poſſit, apertiſſimè oppoſitum tenuerunt Apoſtoli. Nam licet Hymenæus, Alexander, Philetus, & alij olim Hæretici in Chriſtum crederent; quia tamen de reſurrectione diverſum quid ab Eccleſiâ Chriſti ſentiebant 2. Tim. 2. v. 17. per Divum Paulum manifeſtè damnati ſunt. 1. Tim. 1. v. 11. *Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragârunt, in quibus eſt Himenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ.* Apoſtolorum exemplo & veſtigijs inſiſtens omnibus retro ætatibus Catholica Eccleſia illos, qui vel ultro à Fidelium congregatione ſe ſeparârunt, vel Eccleſiæ Sententiâ ab eadem abſciſſi fuerunt, damnatos & ſalutis expertes cenſuit. Et profectò qui hanc tam firmam Univerſæ Eccleſiæ ſententiam in ſupremo æternæ ſalutis negotio contemnit, vilis animæ, profligatæque mentis homo eſt, quantumvis in auro & purpurâ ſplendens circumeat.

VII. Obſervatione autem dignum eſt, quod D. Paulus in citatis verbis ad Timoth. amiſſionem Fidei comparet naufragio: *circa Fidem naufragaverunt*; quâ phraſi ſignificare Apoſtolus vult: ſicuti in naufragio omnium pariter bonorum fit jactura, ita per receſſum ab hoc Fidei articulo totam Fidem amitti; adeoque hoc fidei naufragio jacturam fieri omnium donorum ſpiritualium. Nunc ſubſumo ſub hac Majore: Atqui Amphidoxi ſeu Indifferentes errant pertinaciter vel in hoc, quod putent, quemlibet in ſuâ Fide (ſaltem ſi fundamentales articulos teneat, & Symbolum Apoſtolicum confiteatur) ſalvari poſſe; Iſte quippe eſt error manifeſtus in fide, ut tenent omnes Catholici, & damnatus in Bulla Pij IV. Summi Pontificis ſuper forma Juramenti profeſſionis Fidei. Ergò naufragantes perdunt totam Fidem Chriſtianam. Ergò miſeris non patet amplius Via ad ſalutem, quæ occluſa eſt Hæreticis, quorum infelicem numerum auxêre.

VIII. Probatur 3. Ad Salutem & æternam Beatitudinem conſequendam non minùs eſt neceſſaria Fides, quàm Charitas aut Vitæ integritas: neque magis voluntas rectificari deſiderat, quàm intellectus, cum utraque iſta animæ vis ideo fuerit conceſſa, ut ſic in Deum & beatitudinem rectà tenderemus. Ergò quemadmodum ad voluntatis rectitudinem non ſufficit unius aut alterius mandati obſervatio, ſic ad intellectûs rectitudinem non ſatis eſt unum aut alterum, vel etiam totum Symbolum Apoſtolicum credere, ſed Fides extendere ſe debet ad omnia, quæ Deus revelavit, & per Eccleſiam ſponſam ſuam dilectiſſimam credenda ſufficienter propoſuit. Quemadmodum enim offendens in uno mandato Dei, factus eſt omnium reus Jacob. 2. v. 10. ita denegans fidem uni articulo, omnibus eandem ſuſtulit. Cujus ratio eſt, quia non magis lex perfecta eſt, ut æternam Dei Juſtitiam repræſentet, quàm Eccleſia vera ſit in doctrina, ut æternam Dei ſapientiam nobis exhibeat, & ab hac dirigatur, juxta illud Ioan. 16. v. 12. *Cum autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Perinde igitur ut unum peccatum facit hominem reum totius legis quoad pœnam æternæ damnationis, ſic maculat unus error in fide univerſam Eccleſiam, & tollit ab eâ ſecuritatem veræ ac ſalvificæ doctrinæ; Eſt quippe precioſa margarita, quæ maximè æſtimatur, quàmdiu integra manet: contemnitur verò diviſa in partes. Unde D. Nazianzenus oratione 31. *Quæcunque*, inquit, *magarita obłæſa fuerit, tota ejus gratia extinguitur; aut Deum totum cole, aut totum contemne, nolo dimidiatam partem.* Eadem Fides comparatur annulo. Atqui non cenſetur annulus poſt fractionem, ſed ſolùm ſi integer fuerit. Huic concordat nobiliſſima illa D. Athanaſij ſententia in Symbolo (quod apud ipſos etiam Adverſarios Authoritatem obtinuit) *Quicunq;*, inquit, *vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quis integram inviolatamq; ſervaverit, abſq; dubio in æternum peribit.*

IX. Cujus Regulæ obſervantiſſimi Catholici Majores noſtri, cum olim ab eis peterent Ariani, ut ſaltem unam vocem omitterent, quæ non habetur in Scripturâ, nec in Symbolo Apoſtolico, vel unam litteram immutarent, id eſt, non dicerent ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον, &c, ſi hoc fecerint, pacem pollicerentur; Catholici noluerunt, & Imperatori ſcripſerunt, nefarium eſſe de rebus jam definitis alquid immutare, ut teſtatur Theodoretus lib. 2. Hiſt. cap. 18. & 19. Jam ſubſumo: Atqui Adiaphoria, ſeu Indifferentia credendi errat graviſſimè vel in hoc ſuo effato, quod quiſque in ſuâ fide ſalvari poſſit, modò Chriſtum confiteatur, & fundamentales articulos Symboli Apoſtolici amplectatur, ut taceam quoſvis alios errores tum communes omnibus ſectis extra Romanam Eccleſiam, tum ſingulis peculiares; Sicuti enim omnes Sectæ errant rejiciendo Romanum Pontificem, ita nominatim Lutherani, aſſerendo ſolam Fidem ſufficere ad ſalutem: Calviniſtæ affirmando, CHRISTUM in Euchariſtiâ non eſſe realiter præſentem: Wicleffiſtæ docendo, nullum eſſe Dominum Civilem, nullum eſſe Prælatum, nullum eſſe Epiſcopum, dum eſt in peccato mortali: Anabaptiſtæ volendo, non eſſe parvulos baptizandos, & ſi baptizati ſunt, eoſdem, poſtquam adulti facti fuerunt, eſſe rebaptizandos: Et ſic de alijs &c. de quibus rectè dixeris, quod de Donatiſtis Auguſtinus in Pſalmum 54. *In multis ſunt mecum, in paucis non mecum: Sed in his paucis, in quibus non ſunt mecum, non proſunt illis multa.*

X. Probatur 4. Adiaphoria ſeu Religio tam Eccleſiam Catholicâ, quàm omnes alias, aut ſaltem Recentiores Sectas Chriſtianas Lutheranam, Calvinianam ſimul complectens, non habet, nec confitetur Symbolum Apoſtolicum quoad rem ipſam & legitimum ſenſum. Ergo juxta ipſam in ſuâ quiſque fide ſalvari non poteſt. Antecedens per aliquos articulos ſingillatim oſtendimus:

Nam articulum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, Catholici & plerique ex Sectarijs ita intelligunt, ut affirment, Deum latiore ſignificatione verè omnium hominum eſſe & dici Patrem: Eundem eſſe reverâ Omnipotentem. Negat

gat prius horum Beza Calviniſta Volumine 1. fol. 334. & 335. Alterum quoque negat eodem Volumine fol. 299. ubi ait: *Dictum illud, Deo eſſe omnia poſſibilia, habere exceptionem*, quem ſequuntur Anton. Sadeel tom. 3. pag. 33. & Joan. Piſcator Volumine 1. pag. 77.

Articulum: *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus Unicum* &c. aliter explicant Catholici & Lutherani, qui juxta Symbolum Athanaſianum Filium Æqualem & Conſubſtantialem faciunt Patri: aliter multi Calviniſtæ poſt Arianos, qui Filium Patre ſtatuunt minorem ex Magiſtro ſuo Calvino, qui admonit. ad Polon. f. 793. *ſi Pater*, inquit, *ſuum eſſe habet à ſe: Filius ſuum eſſe habet à Patre: Spiritus ab utroque, an non tres eſſentiæ emergunt?*

Articulum: *Crucifixus, Mortuus*, &c. ita ſumunt Catholici omnes, ut credant Chriſtum pro omnibus Homnibus mortuum: diſcredunt Calviniſtæ ſibi vanè perſuadentes, Chriſtum pro ſolis Electis fuiſſe mortuum. Unde Aretius parte 2. Problem. pag. 388. ait: *Falſum eſt, quod Chriſtum dicunt omnibus datum Redemptorem, cum Judæ non ſit: & in ſummâ, omnium deſperantium atq; damnatorum*; Similia habent alij poſt Calvinum in primam Joan. 2. v. 2. Item in cap. 17. Joan.

Articulum: *Deſcendit ad Inferos* &c. aliter accipiunt Catholici, nempe Chriſti animam à corpore ſeparatam ſecundùm ſubſtantiam ſuam deſcendiſſe ad limbum Patrum: aliter Hæretici, quorum aliqui volunt, Chriſtum deſcendiſſe ad Inferos, nihil eſſe aliud, quàm ſepultum fuiſſe: Alij Chriſtum paſſum dolores Inferni, ut Lutherani apud Joannem Gerhardum Lib. 2. part. 1. fol. 312. quibus addunt Calviniſtæ, eum etiam poſt mortem pœnas damnatorum ſuſtinuiſſe ex Magiſtro ſuo Calvino lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 10. Eò quod ſola corporalis Chriſti mors nihil nobis profutura fuiſſet, &c.

Articulum: *Aſcendit ad Cælos*, &c. aliter intelligunt Lutherani Ubiquiſtæ: aliter Calviniſtæ, & Catholici, qui ubiquitatem corporis Chriſti negant, probè gnari, per eam everti totum penè Symbolum, Chriſtique Incarnationem, Nativitatem, Paſſionem, Mortem &c.

Articulum: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos* aliter exponunt Catholici, qui dicunt, Deum ita Judicaturum, ut ſuum reddat præmium operibus bonis, malis pœnam: Aliter Calviniſtæ, & Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem negantes ſolius Fidei ſpecialis rationem in Judicio habitum iri cenſent.

Articulum: *Sanctam Eccleſiam Catholicam* Lutherani & Calviniſtæ interpretantur de Congregatione Inviſibili Prædeſtinatorum: Catholici de Viſibili Orthodoxorum, inter quos & Prædeſtinati multi, & multi reprobati.

Denique ut alia præteream, Articulum: *Remiſſionem peccatorum* aliter ſumunt Hæretici, qui fingunt peccata ſolùm tegi, non imputari, nullam autem internam fieri renovationem per juſtitiam inhærentem, & dona infuſa: Aliter Catholici, qui agnoſcunt interiorem hominis renovationem per gratiam ſanctificantem, quâ formaliter ac verè peccata tolli & deleri docent. Videantur Laurentius Forer in lib. cujus titulus: *Symbolum Catholicum ſeu Pontificium collatum cum Symbolo Apoſtolico*, Lutheranorum & Calviniſtarum. Item DD. de Walenburch Tom. 2. à fol. 588. ubi oſtendunt, à Marco Antonio de Dominis nequicquam conciliari Lutheranos & Calviniſtas alioſque Sectarios in Symbolo Apoſtolico. Et Tom. 1. ubi à fol. 426. fusè declarant, quomodo Symbolo Fidei, quo utitur Romana Eccleſia, hæreſes Calvini & aliorum contrarientur.

XI. Cum igitur in genuino Symboli ſenſu tanta ſit Opinionum diverſitas; Veritas autem Una tantùm exiſtat, eáque ſtet ex parte Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt columna veritatis 1. Timot. 3. v. 15. clarè evincitur, Adiaphoriam non habere, nec confiteri Symbolum Apoſtolicum ac Fidei. Quomodo enim fieri poteſt, ut qui contrarijs eoſdem articulos ſenſibus credunt, verâ tamen fide, utrinque cenſeantur credere? Certò hoc aliud non foret, quàm admittere, contraria ſimul vera eſſe poſſe; aut non requiri in homine, ut vera credat, ſed falſa etiam credentem ſalvari poſſe, adeóque non Chriſtianos tantùm, ſed etiam gentiles ad hoc Adiaphoriſtarum Cœlum admitti oportere, quod eſt Fidem de Fide tollere, falſitatemque cum veritate in pari throno collocare. Taceo, Sectarios non credere totum Symbolum Apoſtolicum ex revelatione Dei ſummè veracis, prout ab Eccleſiâ Catholicâ proponitur, quam audire ſpernunt ſolâ authoritate Calvini, Lutheri, Zvvinglij in aſſenſu ſuæ Fidei nitentes. Quantumcunque igitur Adiaphoriſtæ Symbolum Apoſtolicum jactent, vaniſſimè id faciunt, cum in illo non exterior Verborum Cortex, ſed interior intelligentiæ nucleus & divinæ revelationis motivum ad ſalutem conducant: *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat* 2. Cor. 3. v. 6. Idem de Symbolo Niceno, Athanaſiano &c. ſentiendum.

XII. Probatur 5. Adiaphoria ſeu Indifferentia credendi, etiamſi ex hypotheſi Symbolum Apoſtolicum integrum, & in legitimo ſenſu acceptum admitteret, tamen acephala eſſet, & vera Chriſti Eccleſia non foret. Ergò in ſuâ quiſque fide Chriſtianâ ſalvari non poteſt. Antecedens oſtenditur ex eo, quod ad perfectam Veræ & à Chriſto ædificatæ Eccleſiæ Unitatem, quam ex Sac. Script. & Symbolo Niceno confitemur, omninò requiratur, ut unum ejus ſit viſibile Caput. Nam licet Chriſtus propriè ſit Caput, ut habetur Epheſ. 1. v. 22. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus Ipſius*; quia tamen ipſe non gubernat Eccleſiam immediatè & viſibiliter, fuit Moraliter neceſſarium, ut aliud Caput Viſibile conſtitueretur, à quo Eccleſia tota dirigeretur. Quemadmodum enim in Exercitu, in Regno, in Ovili, in domo, in Corpore humano unum eſt caput viſibile, ita quoque in Eccleſiâ eſſe oportet, cum hæc dicatur *Acies Caſtrorum Ordinata* Can. 6. v. 30. *Regnum*. Daniel. 2. v. 24. *Ovile* Ioan. 10. v. 16. *Domus* 1. Tim. 3. v. 25. *Corpus* 1. Cor. 12. vers. 12. Eadem Eccleſia 2. Corinth. 11. vers. 2. Epheſ. 8. v. 25. Apoc. 21. v. 2. comparatur *Sponſæ*. Ergo habebit caput præter Chriſtum, niſi ſit ſponſa in terrâ abſque capite. Certè Cantic. 7. v. 5. Sponſus alloquens Sponſam ait: *Caput tuum ſicut Carmelus*, cum priùs cap. 5. v. 11. Sponſa de Sponſo dixiſſet: *Caput ejus aurum optimum*.

XIII. Hoc autem ſupremum Eccleſiæ Chriſti Caput omnes Catholici agnoſcunt Romanum Pontificem, & pro tempore Legitimum in Sanctiſſimâ Sede Petri Succeſſorem ex illo Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; Ubi omnes ferè Patres & Interpretes ſentiunt, Petrum eſſe Fundamentum Eccleſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, non quidem primarium & principale, ſed ſecundarium & Vicarium ipſius Chriſti, ut pluribus alibi oſtendemus. Ex quo ſic in rem præſentem argumentari licet: Quæcunque Religio non agnoſcit ſanctum Petrum, ejuſque legitimum in Sede Apoſtolicâ Succeſſorem tanquam Chriſti in terris Vicarium, & ei veluti ſupremo viſibili Eccleſiæ Capiti non ſe ſubjicit, eſt Acephala, & non vera Chriſti Eccleſia, quæ animas ſalvare poſſit. Adiaphoria, quà Lutheranos, Calviniſtas, omnesq; alios Sectarios complectitur, non agnoſcit S. Petrum, Ejusq; Legitimum in Sede Succeſſorem, Romanum, inquam, Pontificem, nec ei tanquam Supremo Viſibili Eccleſiæ Capiti ſe ſubjicit. Ergo non eſt vera Chriſti Eccleſia, ſed Acephola, & animas ſalvare non potis, Majorem Bonifacius VIII. Papa in capitulum Unam ſanctam, extra: de Majorit. & Obed. in hunc modum definit: *Subeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omninò eſſe de neceſſitate Salutis.* Certè Aërius quoad ſenſum in Symbolo etiam conveniebat cum Catholicis; tamen quia nolebat ſubeſſe Epiſcopo, & cæteris membris communicare, ab Epiphanio & Auguſtino in catalogo Hæreticorum vel ex hoc ſolùm ponitur, etſi deinde alias etiam graves hæreſes prodiderit. Et Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. dicit, Novatianum eſſe extra Eccleſiam, quia non volebat ſubjici Pontifici Cornelio, etiamſi nullam aliam Hæreſin introduxiſſet. Quare nemo poteſt, quantumvis velit, ſubeſſe Chriſto, & communicare cum Eccleſiâ cæleſti, qui non ſubeſt Pontifici, & non communicat cum Eccleſiâ militante. Minorem ultro fatentur ipſimet Sectarij, qui, ut in aliis omnibus mutabiles ſunt, interq; ſe diviſi, ita in odio & abjectione Romani Pontificis conſtantes & unanimes perſtant, ut jam olim D. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. & lib. 4. cit. epiſt. 9. omnium hæreſum & ſchiſmatum pullulantium cauſam in eo ſtatuerit, *quod Uni Sacerdoti ac Judici vice Chriſti non obtemperetur*; Cauſas autem, cur tanto odio in Pontificem ferantur Hæretici, breviter enarrat P. Contzen in Politic. lib. 6. cap. 21. & in ipſorum tantùm Sectariorum malitiâ radicatas eſſe clarè oſtendit. Ergo Adiaphoria in ſuâ quemque fide ſalvare non poteſt.

XIV. Probatur 6. Fides & Eccleſia Chriſti vera ac ſalvifica, ut agnoſci ab omnibus, prudenterque aſſumi poſſit, habet motiva evidentia credibilitatis, ut indicat Chriſtus Joan. 15. v. 22. ſupra in Ingreſſu §. XIV. cit. de ijs, qui non credebant, inquiens: *Nunc autem excuſationem non habent*, ſcil. poſtquam Fides in me Verum Meſſiam ex motivis exhibitis apparuit illis evidenter credibilis, & tamen non crediderunt. Atqui Adiaphoria, quatenus Lutheraniſmum, Calviniſmum cæteraſque Sectas Chriſtianas complectitur, non habet talia motiva credibilitatis. Aut producant Adiaphoriſtæ ex omnibus vel unum, quo Secta ſua orbi innoteſcere, & dogma iſtud (quemlibet in ſuâ Fide Chriſtianâ ſalvari poſſe) perſuaderi hominibus jure valeat. Ergo Adiaphoria in ſuis obſcurè latet tenebris. Ergo non eſt Eccleſia Chriſti vera & ſalvifica, ſed falſa, ſed noxia, ſed impia, & in orcum, unde prodijt, releganda, ad quem magnis etiam paſſibus properant, qui cœco illi impetu adhærent, & leves corde credunt. Eccleſiaſtici 19. v. 4. Quod autem execrabilis iſta Religionis umbra oſtendere nequit, hoc luculentiſſimè exhibet Romano-Catholica Eccleſia, quæ non ſolùm olim, ſed etiamnum claret Viris Doctrinâ & Sanctitate inſignibus, Miraculis plurimis in Fidei ſuæ confirmationem factis, fortiſſimis Martyribus pro eâdem fide mortuis, ut abundè docent Annales Eccleſiaſtici, & alia rerum geſtarum monumenta. Solus St. Franciſcus Xaverius, dum noſtris temporibus fidem modernæ Rom. Eccleſiæ novo Orbi importavit, miris plurimis patratis & mortuis etiam ad vitam revocatis eam confirmavit, atque ſuis humeris ex gentili ſuperſtitione ultra decies centena millia Hominum ad eandem fidem & Eccleſiam deportavit. Quam idcirco dignam fecit, quæ ab omnibus ſuſciperetur.

XV. Probatur 7. & ultimò ex triplici abſurdo, quæ præter alia ex hac Adiaphoriâ ſeu Indifferentiâ credendi apertè deducuntur, & luculenter oſtendunt, rectius ex iſtis abſurdis prædictam Adiaphoriam veluti novum in orbe Chriſtiano Religionis monſtrum abjici, & contemni, quàm pluribus rationum monumentis ulterius impugnari.

Primum. Inter Chriſtianos nullos eſſe, ac reperiri Hæreticos, Pſeudoprophetas, Magiſtros mendaces, Lupos rapaces, cum plerique omnes Chriſtum confiteantur, & Symbolum Apoſtolicum venerentur; Imò nec Scripturam Veteris ac Novi Teſtamenti Verbo tenus reſpuant, juxta illud D. Hilarij lib. 2. ad Conſtantinum: *Memento, neminem Hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum Scripturam prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur.* Ad quid ergo abhis cavere tam ſeverè nos jubet Chriſtus Matth. 7. v. 15. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces*, & cap. 24. v. 11. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* 2. Petri 2. v. 1. *In vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent Sectas perditionis.*

Secundum. Eos, qui inter Chriſtianos præter Symbolum Apoſtolicum nova introducunt dogmata, & pertinaciter tuentur, non eſſe devitandos à Fidelibus, non oppugnandos à Prælatis & Doctoribus, non prohibendos à Principibus & Magiſtratibus, non damnandos à Sacris Synodis & Capitulis; cur enim hæc adverſus illos ſuſcipiant, cum novâ ſuâ doctrinâ nulli noceant hoc ipſo, quod illa citra jacturam ſalutis credi à quovis vel non credi pro libitu poſſint; Et tamen eoſdem devitari, oppugnari, damnari apertis verbis juſſerunt Apoſtoli. Idem graviſſimis orationibus & Scriptis præſtiterunt Patres: Exemplo ſuaſerunt Principes & Imperatores: Multis denique Canonibus, Sanctionibus, Anathematiſmis ab exordio Eccleſiæ illud ipſum docuerunt generales Conventus & Concilia.

Tertium. Adiaphoriâ iſtâ ſeu Indifferentiâ credendi ſemel admiſsâ, fatendum eſt, impiè perverſeque Religionis cauſâ tot lites, diſſidia, & bella fuiſſe ſuſcepta: Delirare univerſos, ipſos etiam Acatholicos, qui ſibi in rebus fidei contradicunt, ſeque mutuò exagitant & acerbè perſtringunt: Fatuos jure haberi, quotquot inter Chriſtianos unquam pro ſua fide & religione fortiter laborârunt, ſudârunt, & decertârunt; Quorſum enim hæc, ſi omnes, cujuſcunque Religio-

ligionis Chriſtianæ exiſtant, ſint membra unius Eccleſiæ, ſint Filij Dei, ſint capaces æternæ beatitudinis, ſi modò Symbolum Apoſtolicum teneant? Imò fatendum eſt, ipſum Deum & erroris & Odiorum Fidei cauſâ ſuſceptorum non Authorem modò, ſed Fautorem ac Procuratorem per diverſas Scripturas eſſe, & Charitate atque Unitate Eccleſiarum ſciſsâ delectari, ac probare hæc diſſenſionum capita; ſiquidem ipſe in unâ Fide complectitur omnes illos, qui à ſeipſis inimicè diſſident.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

XVI. **E***rror Primus.* In ſua quisque fide etiam Gentili, Turcica, & Judaica ſalvari poteſt, modò interim honeſtè vivat. Ita olim Ethnici, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. quorum ſuos quilibet Deos colebant, eosque plurimos; Aliqui etiam univerſè omnes; & in horum conſortium Iſraëlis Deum adſciviſſent libenter, ſi hoc ipſe conſortium ferre potuiſſet, ut narrant de Tyberio Tertullianus Apol. 5. de Alexandro Severo Lamprid. in Alexandro. de Romanis omnibus D. Auguſtinus de Conſenſu Evangelico cap. 12. & ſequent. Non multùm ab his recedunt Turcæ, qui putant, modò Deus unus creator, & Judex unus credatur, cætera omnia libera & adiaphora eſſe. *Sciendum*, ait Mahomet Alcoran. cap. 1. & 5. *generaliter, Quoniam omnis rectè vivens ſeu Judæus ſeu Chriſtianus lege ſuâ relictâ in aliam tranſiens, omnis, inquam, qui Deum unum adorat, bonumq́; agit, divinum amorem conſequetur.* Idem tenent Franciſcus Puccius Filidinus, qui in peſtilenti ſuo libro, quem homo impudens Clementi VIII. ſummo Pontifici inſcribere eſt auſus, ſæpè repetit, *Chriſtianam fidem ad æternam ſalutem non eſſe neceſſariam*; ratus utique ad ſalutem ſufficere fidem unius Dei, eamque merè naturalem, ut expreſsè docet fol. 14. 19. & ſequent. & multi alij Hæretici ac Politici, ut teſtantur Pater Leonardus Leſſius in append. Conſult. quæ fides ſit capeſſenda. Adamus Conzen lib. 9. polit. cap. 23. P. Nicolaus Serrarius in Symbolo St. Ath. Theſi 41. & alij Authores.

Nituntur 1. authoritate Sac. Script. Matth. 8. v. 11. *Dico autem vobis*, inquit Chriſtus, *multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbunt cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum.* 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes Homines ſalvos fieri.* Et pro iiſdem mortuus eſt. Iſa. 53. v. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium Noſtrum.* Rom. 8. v. 32. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit Illum.* 1. Tim. 4. v. 10. *Qui Salvator eſt omnium, maximè Fidelium*; Ergo etiam Infidelium, Paganorum, Turcarum, &c. Act. 10. v. 2. Cornelius Centurio appellatur *Religioſus, ac timens Deum* ante etiam quàm Juſſus erat accerſere B. Petrum, ut ab Illo Fidem doceretur.

Nituntur 2. authoritate Doctorum: Nam ſunt, inquiunt, in Eccleſiâ Romanâ Doctiſſimi Theologi, qui negant ad ſalutem requiri fidem ſtrictè ſumptam, quâ credatur aliquid propter Teſtimonium Dei revelantis. Aliqui igitur ex iſtis, ac nominatim Andreas Vega lib. 6. in Trident. cap. 20. & 21. tenent, eum, qui invincibiliter ignorat, aliquid eſſe revelatum à Deo, dummodo legem naturalem cognoſcat, & ſecundum eam vivat, poſſe abſque ullâ cognitione ſupernaturali ſalvari, id eſt; gratiam & gloriam conſequi. Fundant ſe in illo Scholaſticorum axiomate: *Facienti (*Homini adulto*) quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam ſuam.* Alij apud Cardinalem de Lugo tom. de fide diſp. 12. ſect. 1. tradunt, ad ſalutem ſufficere fidem latiore modo acceptam, hoc eſt; notitiam ſupernaturalem comparatam vel ex creaturis, vel ex alijs rationibus oſtendentibus nobis bonitatem Dei, honeſtatem Virtutis &c.

Nituntur 3. Ratione & ajunt, incredibile videri, miſericordiſſimum Deum, *cujus miſericordia non eſt numerus*, tot Turcas ac Gentiles benè ac honeſtè viventes æternùm damnare propter unicum Fidei defectum, quod in ipſum non credant, cum præſertim vix appareat, quomodo media ad fidem veram acquirendam ſufficientia habeant, quibus tamen ad ſalutem via negari ac præcludi non debet.

XVII. Error iſte Sac. Scripturæ ita apertè repugnat, ut è Chriſtianis nulli dubium de hoc eſſe poſſit. Quid enim D. Paulus in epiſtolis ſuis ad Rom. & Gal. molitur aliud, quàm ut perſuaſiſſimum faciat, nullum unquam, niſi per JESU CHRISTI Domini noſtri fidem juſtificatum, aut juſtificandum; quod ipſum etiam faciunt Patres paſſim relati. Solùm adducere lubet D. Auguſt. qui lib. 18. de Civit. cap. 47. ſcribit, *neminem placuiſſe Deo ex antiquis vel Judæis vel Gentibus, nec pertinuiſſe ad ſpiritualem Jeruſalem, niſi cui divinitùs revelatus eſt verus Mediator Dei & Hominum Homo Chriſtus Jeſus.* Supple: niſi cui revelatus eſt ſaltem implicitè, ut Auguſtinum explicat D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. Hinc Baſileenſes Georgium David, cum animas Infidelium & Fidelium, hoc eſt, Paganorum & Judæorum æque ac Chriſtianorum ſalvandas affirmaret, jam mortuum effoderunt & cremârunt; ut refert Serrarius in Symbol. D. Athanaſij theſ. 69.

XVIII. Reſpondetur 1. ad Scripturam. Certiſſimum eſſe, quod Deus omnes Homines etiam Paganos, Turcas, & Judæos velit ſalvos, & quidem ſeriâ ac ſynceerâ atque etiam efficaci voluntate ex parte ſuâ ſubminiſtrando media (inter quæ imprimis ſunt Sanctiſſima Ipſius mors, merita, fides, & Sacramenta) ad ſalutem obtinendam neceſſaria, quantum eſt ex ſe: At verò non vult omnes homines ſalvos voluntate abſolutâ, ſed ex hypotheſi, ſi etiam ipſi homines ſalvari velint, & præſtent, quæ ab ipſis requiruntur, internas inſpirationes admittendo, fidem ac baptiſmum ſuſcipiendo, pœnitentiam agendo, mandata obſervando. Ita Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. & communiter SS. PP. Sic CHRISTUS eſt Salvator non ſolùm Fidelium; ſed etiam Infidelium, quantum ſcil. eſt ex ſe & parte ſuâ. Sic ad Fidem, Baptiſmum, & Eccleſiam Chriſti converſi *Gentiles venient & recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cælorum.* Sic Cornelius Centurio poſtquam admiſit divinam inſpirationem, & concepit jam fidem aliquam ſupernaturalem de exiſtentiâ & providentiâ Dei, paratumque animum habuit ad reliqua

Digitized by Google

liqua credenda, juſſus eſt accerſere Beatum Petrum, ut ab illo explicitam & diſtinctam Fidem de Myſterio SS. Trinitatis, Incarnationis &c. doceretur, ut tradunt Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap. 10. Hieron. in cap 3. ad Galat. Gregor. Hom. 19. in Ezech. & alij P.P. apud Gammach. Tom. 2. Theol. fol. 504.

XIX. Reſpondetur 2. ad probationem ex authoritate Doctorum. An in Eccleſiâ Romanâ plures ſint doctiſſimi Theologi, qui negent Fidem ſtrictè ſumptam requiri ad ſalutem, planè ignoro, Unum vidi & legi Vegam. Si autem nonnulli tales ſint, malè id negant, & contra communiſſimam aliorum Doctorum ſententiam. Nam D. Paulus in epiſt. Rom. & Gal. dum tam reſpectu Judæorum, quàm Gentilium Fidei neceſſitatem adſtruit, apertè & ex inſtituto loquitur de Fide Chriſti, aut certè Dei revelantis authoritate mixâ. Item 1. Cor. 2. v. 6. omnem humanam & naturalem rerum cognitionem tanquam ad ſalutem ſufficientem rejicit. Demum Hebr. 11. v. 1. ubi fides ad ſalutem neceſſaria deſcribitur, eadem vocatur *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*; Cujus quidem generis objecta, non niſi ſupernaturali Dei revelatione cognoſcuntur. Ibidem v. 6. Verba ejuſdem Apoſtoli: *Accedentem ad Deum oportet credere*, non poſſunt intelligi de Fide illâ latâ, hoc eſt, de notitiâ Dei ex creaturis hauſtâ propter Trident. Seſſ. 6. cap. 6. expreſsè ajens, *verba illa D. Pauli intelligi de Fide illâ, quâ homo liberè movetur in Deum credens vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt.* Notitia autem illa, quâ ex creaturis cognoſcitur Deus earum Author, non eſt libera, ſed neceſſaria, cum ſit plerumq; evidens, prout etiam Authores iſti fatentur. Eadem pro objecto non habet revelationem aut promiſſionem Dei, cum creaturæ non oſtendant, Deum aliquid revelaſſe aut promiſiſſe; Revelatio quippe & promiſſio liberè fiunt à Deo, & potuit neutra poni etiam poſitis creaturis. Rationem hujus communiſſimæ doctrinæ affert D. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 3. quam breviter ſic formamus: Cum ad viſionem Dei (in qua ultima hominis beatitudo conſiſtit) intellectu & voluntate acquirendam nemo pertingere poſſit ſolâ vi naturæ, opus eſt, ut intellectus interventu cœleſtis ac ſupernaturalis ductûs eò pertingat juxta illud Joan. 6. v. 54. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Atqui diſcere à Deo nemo poteſt quicquam, niſi Deo docenti & revelanti credat juxta illud Philoſophi: *addiſcentem oportet credere.* Ergo neceſſe eſt, credere Deo revelanti, ac proinde etiam aliquid ex Dei revelatione dependens.

XX. Axioma pro fundamento adductum non facit, quò minùs ad ſalutem acquirendam requiratur fides ſupernaturalis, & propriè ſumpta, ſive illud intelligatur de homine faciente cum auxilio gratiæ prævenientis exhibito quod in ſe eſt, uti explicant Vaſquez, Valent. Medin. Tanner tom. 2. diſp. 6. qu. 3. nu. 217. & hoc teſte RR. communiter: Sive intelligatur de homine prævento per gratiam ordinis naturalis, & benè utente naturalibus cogitationibus à Deo immiſſis, uti vult P. Franciſcus de Lugo tom. 1. in 1. part. diſp. 40. cap. 8. ajens, hunc ſenſum non mereri cenſuram ullam; ſiquidem nulla penitus admittitur connexio operum ſolâ vi naturæ ſine ſpeciali gratia factorum cum auxilijs gratuitis vel intrinſecè vel extrinſecè ſupernaturalibus, ideoq; in prædictum ſenſum allegat Sanct. Thom. & plures alios Theologos.

XXI. Ex hoc eodem ſenſu prædicti axiomatis pulchrè apparet, quo pacto Deus homini providerit de medijs ſufficientibus ad ſalutem ex voluntate illâ generali, quâ omnes cupit ſalvos: Item quâ ratione quilibet homo ſui compos potentiam habeat, ut ſalutem à Deo cupitam conſequatur. Nam etſi non habeat ſemper immediatam potentiam (quia non ſemper habet auxilia gratiæ) habet tamen potentiam, ut faciat, quantum eſt in ſe; tunc autem illi viribus naturæ bene uſo non deerit Deus pro bonitate ſuâ ad auxilia gratiæ modo conveniendi recipienda, ita ut ſemper abſolutè & ſimpliciter potentiam conſequendæ ſalutis habeat, ſicuti præter alios docet pluribus Arriaga tom. 4. Theol. diſp. 41. à num. 14. Quod ſi tamen ex Turcis & Paganis aliqui invincibilem Dei ignorantiam habuerint, iſti non damnati fuerunt propter carentiam Fidei divinæ, ſeu infidelitatem negativam, ſed propter peccatorum aliquod mortale, quod commiſerunt contra legem poſitivam aut naturalem, tametſi forniſecùs viſi ſint honeſtè ſemper vixiſſe. Ita D. Tho. 2. 2. qu. 10. ar. 1. & communior Theologorum ſententia, quæ non obſcurè traditur in Scripturâ Ioan. 15. cit. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*; magnum ſcil. illud Infidelitatis juxta D. Aug. Tract. 89. in Ioannem.

XXI. Ad 3. Probationem ex ratione patebit infra §. 42. Solùm hic dico, Deus eſt quidem Miſericos, ſed & Iuſtus, juſtè pro ſalute certas leges ponens, atque ſecundum has procedens; quidquid enim Deus facit circa creaturas, vel eſt opus miſericordiæ & benignitatis erga hominem: vel juſtitiæ peccatorum & violatarum legum vindicis. Es hoc modo intelligi poteſt illud Pſal. 24. v. 10. Omnes viæ Domini Miſericordia & Vertias. Itaque Iuſtitia Vindex occupat mediam, ut ita dixerim, Providentiæ & Gubernationis partem, & ſicut Miſericordia ſperari, ita Iuſtitia timeri debet.

XXII. ERror *Secundus.* In ſuâ quilibet fide ſalvari poteſt, qui credit potiſſimos de SS. TRINITATE ac CHRISTO articulos in Symbolo Apoſtolico contentos; ſi interim alios ab Eccleſia ſufficienter propoſitos non credat, ſed diſcredat. Ita olim affirmarunt Pacificantes, quorum Dux fuit Zeno Imperator apud Evagrium lib. 3. cap. 14. & 30. Apelles Martioniſta apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 13. Noſtro ævo eundem errorem tuentur Marcus Antonius de Dominis, qui in libris ſuis de Rep. Eccl. nihil ferè aliud molitur, quàm ut perſuadeat, non omnia ea credi ad ſalutem æternam debere, quæ à Romanâ & Catholicâ Eccleſiâ proponuntur tanquam fidei dogmata, ſed ſolùm quæ in antiquis Symbolis Religionis fundamenta adſtruuntur, ut prodit in ipſâ ſtatim expoſitione ſui Conſilij dictis libris præfixâ num. 14. Eraſmus Roderodamus Lib. de Sa. Eccl. concord. Georgius Caſſander lib. de offic. Pij viri. Bernardinus Ochinus dial. 19. Theodorus Beza epiſt. 1. ad Andream Dudithium, ubi amicos Calvini affirmat Lutherum, Zvinglium, Oecolampadium, & hujus farinæ Novatores, quaſi à ſalutiferâ fide non alienos; quod idem

facit

Digitized by Google

facit Joannes Crocius in vindicatione Anti-Becani part. 1. à fol. 13. ubi vehementer contendit, Lutheranos & Calviniſtas in puncto veræ fidei non eſſe diſcernendos, ſed æquè hos ac illos in ſua utroſque fide ſalvos fore. Joannes Serranus in lib. cui Titulus eſt: De Fide Catholicâ ſive Principijs Chriſtianæ Religionis communi omnium Chriſtianorum conſenſu ſemper & ubique ratis. Georgius Calixtus Profeſſor Helmſtadienſis in diſcurſ. de Verâ Chriſt. Eccleſ. cæteriſq; ſuis ſcriptis. Et alij multi, ut teſtantur Nicolaus Serrarius in Symb. S. Athan. citato. Leſſius loco ſupra cit. num. 9. Cardinalis Bellarminus tom. 1. Contr. 5. generali de membris Eccleſiæ lib. 3. cap. 19. Valentia Tom. 3. D. 1. Q. 2. pun. 6. &c.

XXIII. Probant 1. ex Sac. Script. quæ in Nov. Teſt. aliquoties ſalutem noſtram tribuit Fidei in Chriſtum. Marc. ult. v. 16. ait Chriſtus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Item Joan. 3. v. 15. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in Ipſum (Chriſtum) non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et iterum Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt Vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum.* Demum 1. Cor. 3. v. 11. ait Apoſtolus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.*

Confirmatur 1. Latro Luc. 23. v. 43. Solum Chriſtum fide tenuit, & audire meruit certam illam ſalutis promiſſionem: *Hodie mecum eris in Paradiſo:* Ita ſcil. veriſſimum eſt, quod ait Joan. 3. v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.*

Confirmatur 2. Philippus Act. 8. à v. 27. Eunuchum potentem Candacis Reginæ Æthiopum baptizavit; quis perſuadere ſibi poteſt, quod tempore tam modico illum docuerit aliud, quàm Chriſtum? quid ergo amplius ad ſalvificam fidem requiratur?

Confirmatur 3. Corinthij vocantur à D. Paulo Sancti ex ſolius Nominis JESU Invocatione ſeu fide in Chriſtum 1. Cor. 1. v. 2. quantumvis inter eoſdem Schiſmata eſſent, ut patet ex cap. 3. v. 4.

XXIV. Probant 2. authoritate DD. Catholicorum. Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis non ſciri dixit, quomodo aliquando à Deo puniendi ſint Gothi & Wandali infecti Arianâ hæreſi, quâ nulla fuit gravior. D. Bonaventura lib. 3. Sent. diſt. 25. diſtinguit inter credibilia antecedentia, conſtituentia, & conſequentia, aitq; Prima eſſe Sa. Scripturâ, & aliqua Dei attributa lumine rationis cognoſcibilia. Secunda vocat articulos 12 Symboli Apoſtolici, quæ neceſſariò credi oportet. Tertia ſunt, quæ per conſequentias ex prioribus deducuntur. Pius IV. Summus pontifex ad Eliſabetham Angliæ Reginam declaravit ſeſe, quod velit & librum liturgicum à parlamento approbatum, & totam Eccleſiaſticam Hierarchiam ſuâ etiam authoritate confirmare, ſi modò illa Primatum Romani Pontificis, & authoritatem hujus ſupremam ſuper univerſam Eccleſiam agnoſcere velit.

XXV. Probant 3. Quicunque credit ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij & præcepti, poteſt ſalvari. Sed qui credit Symbolum Apoſtolicum, credit ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij & præcepti, quia in illis articulis continetur ſumma ſeu regula totius fidei Chriſtianæ, ut rectè notat S. Auguſtin. ſerm. 135. de tempore, cum ait: *Symbolum eſt Regula fidei brevis & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum.* Ergo qui credit Symbolum Apoſtolicum, poteſt ſalvari. Iam ſubſumunt. Atqui in omni Chriſtianâ Religione ſive Catholicâ, ſive Lutheranâ, ſive Calvinianâ, ſive quavis aliâ creditur Symbolum Apoſtolicum. Ergo in quavis harum ſalvari quilibet poterit. Ita cum alijs diſcurrere Georgium Calixtum teſtatur Joannes Hülſenman Lipſienſis in lib. cui titulus: Calixtiniſcher Gewiſſens-Wurm / ſeu Vermis Conſcientiæ Calixti poſt dedicationem.

XXVI. Hæc fundamentalis ratio. Confirmatur 1. Quæ CHRISTUS reliquit creditu libera, non debent obtrudi populo tanquam neceſſaria Fidei dogmata. Sed major pars ex ijs, quæ hodie inter Catholicos & Proteſtantes controvertuntur, in ſecundo & tertio ſæculo relicta fuit à Chriſto creditu libera; ſiquidem nihil eorum quiſquam tunc credidit. Ergo jam non debent populo obtrudi tanquam articuli Fidei ad ſalutem neceſſarij.

XXVII. Confirmatur 2. In Eccleſia Judaicâ præſertim ultimis temporibus fuerunt præcipuè Phariſæi, Sadducæi, & Eſſeni, quibus populus adhæſit. Iſti omnes Unum habuerunt Templum, unumque expectârunt Meſſiam: Nec alia tunc in terris fuit Vera Dei Eccleſia. Ergo ſicuti Judæi inter diverſitatem doctrinarum Unitatem fidei ſalvificæ retinuerunt, ita etiam inter Chriſtianos poteſt unitas veræ fidei conſiſtere inter diverſas Religiones, quæ tamen omnes unum Symbolum, unum Deum, & Chriſtum Salvatorem confitentur.

XXVIII. Confirmatur 3. Eccleſia Græca in paucis atque exigui momenti rebus diſſidet à Romanâ. Potiſſima lis ferè nominis eſt de proceſſione Spiritus Sancti, quem Græci dicunt procedere à Patre per Filium: non verò ab utroque, ut volunt Latini. Non etiam videtur Eccleſia Græca diſplicere Deo, à cujus providentiâ in hunc diem uſque mirabiliter eſt conſervata, pereuntibus interea temporis alijs Sectis. Cur ergo inter has duas Eccleſias Fidei unitas eſſe nequeat, & conſequenter inter plures alias in nullo etiam fundamentali articulo diſſidentes?

XXIX. Confirmatur 4. Admodum pauci ſunt, qui Romanæ Eccleſiæ adhærent. Nam ſi totus terrarum orbis in 24. partes dividatur, ex iſtis quinque ſunt Chriſtianæ: ſex Mahometicæ: tredecim paganæ & infideles, omiſſis Judæis, qui certam loci ſedem non habent. Quaproptер ſi ex quinq; illis partibus Chriſtianorum ſola Eccleſia Romana beare ſua membra poſſit, minor Salvandorum erit numerus, quàm credi prudenter queat. Videant ergo Romano-Catholici, ne adinſtar Donatiſtarum ſimile quid olim ſibi tribuentium riſu excipiantur; ſiquidem major ipſorum numerus non eſt, quàm Donatiſtarum, ſi ad alios Chriſtianos quoſvis comparentur.

XXX. Confirmatur 5. Ut plures in unâ conſtituantur Eccleſiâ, in eaque juxta ſua quilibet dogmata ſalventur, aliud non requiritur in eis, quàm unitas fidei fundamentalis; Reliquæ enim eorum diſſenſiones ſolummodo ſunt fœnum, ſtipula, & ligna, quæ ſuperædificantes fundamento patiuntur, quidem damnum, ſalute tamen ſuâ non excidunt. Atqui Lutherani & Calviniſtæ habent eandem fidei unitatem fundamen-

damentalem: diſſentiunt autem ſolùm in ſententijs, quas velut fœnum & ſtipulas fundamento illi ſuperædificantes charitatem quidem lædunt, fundamentalem tamen unitatem non elidunt. Ergo utrique ſalvari juxta ſua quilibet dogmata poſſunt.

XXXI. Confirmatur 6. Ad Unitatem Eccleſiæ ſalvificæ non requiritur unio cum Romano Epiſcopo, veluti univerſæ Eccleſiæ ſupremo Capite. Nam hoc neque ex Sac. Script. neque ex Symbolo Apoſtolico, neq; ex uſu Veteris Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ oſtendi poteſt. Qui etiam ex Indijs priori ſæculo reverſi ſunt, & multa de rebus fidei Chriſtianæ inibi adhuc inventa retulerunt, nec minimam mentionem Papæ fecerunt; Imò hanc Unionem antiquitus impoſſibilem fuiſſe aſſerverunt. Ergo abſque illâ Unitas veræ Fidei Chriſti inter plures Chriſtianas Religiones ſtare poteſt.

XXXII. Confirmatur denique 7. ex eo maximè capite, quod Adiaphoria & Fidei Unio pacem & concordiam in Romanum Imperium, imò Orbem Chriſtianum inductura videatur. Unde quod in naturalibus advertunt, elementa qualitatum contrariarum remiſſione in ſolida ac firma corpora attemperari: Quod in politicis vident, adverſantes ſibi partes mutuâ in jure ac rebus ceſſione pacem & concordiam conficere: quod in arbitrarijs judicijs obſervant, moderatione aliquâ pacificationem conſtitui, id etiam Religioni accommodandum cenſent, ut permittendo hoc Catholicis, dando iſtud Lutheranis, concedendo id Calviniſtis, alijs aliud indulgendo in certis tandem punctis fidei inter omnes conveniat, inq; ijs pax & concordia orbis Chriſtiani obtineatur; quippe ſummum jus, ajunt, ſūma eſt injuria: & extrema omnia etiam in bonis ſunt periculoſa.

XXXIII. De Errore hoc Adiaphoriæ ſapientiſſimè cenſet D. Auguſtinus, vix hominem ſanæ mentis inveniri, qui eum perſuaderi ſibi ſinat. Unde hær. 72. ſic ſcribit: *A Rhetorio quodam exortam hæreſin dicit Philiaſter nimis mirabilis vanitatis, qua omnes Hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita abſurdum, ut mihi incredibile videatur.* Et merito cenſetur incredibile à quolibet Viro prudente; ſiquidem apertè pugnat cum pluribus Sac. Script. textibus, & nominatim cum illo D. Pauli effato 1. Cor. 11. v. 19. *oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*; Has quippe hæreſes ab Eccleſiâ Chriſtianâ tollunt, qui omnes in Chriſtum credentes ſervari poſſe autumant, cum nemo Hæreticorum in hunc non credat. Imò quid contra totum Symbolum Apoſtolicum fecit Neſtorius duas perſonas in Chriſto ponendo? Quid Pelagius peccatum Adami huic ſoli, non nobis nocuiſſe aſſerendo? Quid Eutyches duas Naturas divinam & humanam in unam confundendo? Quid Macedonius Spiritum Sanctum Filio minorem dicendo? Quid Arius Filium Patri non conſubſtantialem ponendo? Quid alij Veteres? Quos tamen tanquam Hæreticos etiam Imperatores legibus civilibus percellunt, & Chriſtianorum privilegia jure civili his auferunt, ut videre eſt apud P. Contzen lib. 2. Polit. cap. 5. ubi etiam ex lib. 2. Cod. de Hæret. notat, eoſdem Imperatores pro Hæreticis declarare, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare. Nihilominus inveniuntur prôh dolor hodie plurimi, qui hanc ſibi Religionis larvam Adiaphoriam, inquam, perſuadent, & dogma illud, quod St. Auguſtinus incredibile, inſanum, atq; abſurdum cenſet, ipſi prudens, pulchrum, rationiq; imprimis conveniens arbitrentur; Unde pluribus illud argumentis ſtabilire conantur, ſed quæ omnia in nihilum recidunt, ſi ritè expendantur, ut conſtabit, Itaq;

XXXIV. Reſpondetur ad 1. probationem ex Scripturâ. Salutem noſtram attribui Fidei Chriſti; vel quia Fides Illius ſaltem implicita eſt neceſſaria neceſſitate medij, explicita neceſſitate præcepti: vel quia fides, quâ ſalvamur, habetur ex meritis Chriſti. In ſpecie ad 1. teſtimonium ex S. Marco dicimus, hoc intelligendum eſſe de eo, qui crediderit verè & practicè, ita ut nihil eorum recuſet aut omittat, quæ vi talis Fidei in Chriſtum credi, & fieri ad ſalutem juxta explicationem Eccleſiæ oporteat; aliàs ſi verba illa nudè & ſpeculativè ſumantur, nihil omnino præter unicam in Chriſtum fidem erit ad ſalutem neceſſarium, quod nec ipſi Adverſarij concedent; ſic enim non tantùm opera bona rejici, ſed etiam aliqui articuli ex Symbolo Apoſtolico citra jacturam Beatitudinis negari poterunt. Atq; in hunc ſenſum duo poſteriora loca Scripturæ ex D. Joan. accipi debent. Ad 4. teſtimonium ex 1. Cor. dicimus, non poni aliud fundamentum, quàm Chriſtum, ſi hic ipſe & doctrina ejus ritè in cordibus fidelium concipiatur; Ulterius tamen eidem identificari debere aliorum dogmatum notitiam, ac ſimul etiam alia Chriſtiani hominis officia inſuper explicanda eſſe, ex alibi dictis conſtat.

XXXV. Ad 1. confirmationem. Latronem à St. Cypriano & Auguſtino vocari *martyrem, & baptiſmo ſanguinis ablutum*; martyrem, inquam, ob liberam Chriſti confeſſionem, & mortis pro eâ (ſaltem ex animi præparatione) conſtantem tolerantiam; quam præparationem animi habuit etiam ad quidvis aliud credendum, quod Eccleſia Chriſti ſufficienter propoſitura fuiſſet tanquam verum, ac de fide; Si diutius illum vivere contigiſſet. Ad textum ex Joan. 3. patet ex recèns dictis.

XXXVI. Ad 2. Confirmationem. Ex Scriptura nihil aliud haberi, quàm Philippum Eunucho interpretatum fuiſſe Prophetam, & Chriſtum eidem prædicaſſe; pro quo apud hominem prudentem & ſalutis ſuæ cupidum non multo indiguit tempore, Deo internâ & extraordinariâ illuminatione peculiariter cooperante. Non autem videtur dubitandum, quin illi explicaverit Symbolum Apoſtolicum, & neceſſitatem Baptiſmi ſpeciatim poſtulati, nec reliquerit eundem abſque aliqua notitia Corporis Eccleſiæ, cujus Chriſtus eſt caput: ipſe autem Eunuchus jam effectus fuit illius membrum, quod in omnibus corpori ſuo conformari debet. Verbo, Philippus inſtruxit Eunuchum pro tempore, ſtatu, & capacitate, &c.

XXXVII. Ad 3. Confirmationem. Schiſma Corinthiorum non fuiſſe inter homines pertinaces; etiamſi enim aliqui errarent, attamen docibiles erant & veritatis intelligendæ cupidi, nec unquam reipsâ ſe à ſe invicem ſeparârunt; quod ſecus fit ab Hæreticis. Lis quoque non fuit gravis, ſed ſolùm de præſtantia majore

Prædi-

Digitized by Google

Prædicatorum, qui Evangelium annunciaverunt, cum tamen apud Hæreticos controverſia ſit de ipſis fidei articulis; unde inſtantia hæc Corinthiorum non facit ad rem. Et quamvis in Eccleſia Corinthiaca diſſenſio hæc durârit uſque ad Clementem Papam; qui idcirco Epiſtolam ad Corinthios miſit, nunquam tamen res ad rupturam venit, uti tamen apud Sectarios contingit.

XXXVIII. Reſpondetur ad 2. probationem ex Authoritate Doctorum. Salvianus vir vitæ integritate & Zelo divino clariſſimus nihil contra Fidem Catholicam dixit aut fecit, nec putavit unquam, Gothos & Wandalos, aut alios ſine fide Catholica eſſe ſalvandos; ſed in mores Chriſtianorum præſertim Clericorum vehementiùs invectus ſcripſit; ſeveriùs olim iſtos ſceleratos Chriſtianos & Clericos à Deo punitum iri, quàm illos Gothos & Wandalos, qui à ſuis Epiſcopis ſeducti rectam fidem habere ſe putant, & paſſiones ſuas ad honeſtatem morum majore ſtudio moderantur, ut ita ex horum exemplo illos ad meliora induceret, & à vitijs abſterreret.

D. Bonaventura mox declarat ſe, dicendo, quod tam antecedentia, quàm conſequentia ſint creditu neceſſaria, non quidem tanquam dogmata principalia, ſed ut articuli fidei in Symbolo Apoſtolico radicati; *Nullum*, inquit, *eſt credibile à fide, quod non poſſit reduci ad articulos in Symbolo contentos, ſicuti ad principia dirigentia & ſtabilia fundamenta.* Et addit: *Sic Articulus de Præſentia in Euchariſtia revocari poteſt ad articulum de Omnipotentia Dei, vel ad articulum de Paſſione, & morte Chriſti. Baptiſmus ad articulum de remiſſione peccatorum, &c.* Quibus verbis ſatis indicat Sanctus Doctor, ſe cæteros fidei articulos non arcere, etiamſi 12 illos in Symbolo contentos præferat, & potiſſimos cenſeat.

Quod Pius IV. Papa dicitur ſcripſiſſe ad Eliſabetham Angliæ Reginam, mera eſt fabula, & probari nullatenus poteſt. Non fuit ſummus iſte Pontifex tam vecors, ut talem Monarchiam Eccleſiaſticam approbaret, cujus ſupremum Caput eſt Fœmina; cum Apoſtolus Mulieribus nec loqui in Eccleſia permittat. 1. Corinth. 14. v. 34. Quis etiam prudens perſuadere ſibi poteſt, Papam ſuam ſuperioritatem pluris facere, quàm omnes fidei articulos, de quibus inter Catholicos & Proteſtantes controvertitur? Et quamvis nonnulli Prædicantes Papæ poteſtatem Patriarchalem in Occidente concedunt, plerique tamen alij Romanæ Urbis anguſtijs illam includunt.

XXXIX. Reſpondetur 3. ad probationem ex ratione. Transeat Major, diſtinguendo Minorem. Quicunque credit Symbolum Apoſtolorum in vero & legitimo ſenſu nixus verâ ratione ac motivo credendi, conceditur; ſecus negatur. Et ſic diſtincto conſequenti, negatur aſſumptum; nam ex ſupra dictis conſtat, nec Lutheranos nec Calviniſtas nec alios ævi noſtri Sectarios vel Symbolum in genuino accipere ſenſu, vel veram credendi rationem ac motivum habere. Credunt igitur Symbolum prædictum putatitiè tantùm in ſenſu falſo & erroneo juxta propriam perſuaſionem, cui divinam revelationem ab infallibili Eccleſia ſufficienter propoſitam more hæretico poſtponunt. S. Auguſtinus nihil favet Adverſarijs; quippe etiam nos ſentimus, Symbolum Apoſtolorum eſſe Regulam fidei grandem pondere ſententiarum, ſed rectè intellectarum, quo modo virtualiter ſaltem reliqua omnia fidei Myſteria in eo includuntur; quia admittens illud juxta Eccleſiæ ſenſum & propoſitionem paratus eſt, cetera quoq; omnia credere, quæcunque Eccleſia propoſuerit tanquam à Deo revelata, quam animi habitudinem hæretici afferre non poſſunt, quamdiù hæretici ſunt, & ab Eccleſia recedunt.

XL. Ad 1. Confirmationem. Quæ Chriſtus reliquit creditu libera, ea non fuiſſe ab Eccleſia tranſlata in neceſſaria: quæ verò ab eodem fuerunt Eccleſiæ arbitrio conceſſa, de his ipſam diſpoſuiſſe pro poteſtate, quam habet à Deo tanquam Mater in Filios ſuos. Cæterùm majorem partem eorum, quæ hodie inter Catholicos & Proteſtantes controvertuntur, à Chriſto relictam fuiſſe liberam creditu, verum non eſt, nec Adverſarij unquam oſtendent, ut ex dicendis in toto iſto opere conſtabit. Videri poteſt P. Laurentius Forer Part. 2. quæſt. vex. lib. 1. c. 12. ubi ſolidè demonſtrat, 25 articulos hodie inter Catholicos & Sectarios controverſos jam in ſecundo & tertio Sæculo tanquam communem fidei materiam fuiſſe cognitos. Interim non negamus, aliqua fidei dogmata, de quibus olim dubitare licuit, nunc exiſtere certiſſima; etenim fuerunt nonnulla, quæ ante Eccleſiæ definitionem & declarationem Fideles fide divinâ credere non tenebantur; quia licet reipsâ fuerint revelata, adeò tamen obſcurè vel in SS. Scripturis, vel Traditionibus latebant, ut abſque Eccleſiæ manifeſtatione agnoſci non poſſent. Sic D. Cyprianus ignoravit valorem baptiſmi ab Hæretico ritè collati. Sic D. Auguſtinus dubitavit de animæ origine, an per infuſionem, an per traducem. Sic S. Hieronymus aliiq; Patres de quibusdam libris Canonicis hæſitârunt.

XLI. Ad 2. Confirmationem. Res planè eſt indigna, Chriſtianos regulari oportere exemplo Judæorum, cum Eccleſia Chriſtiana & Judaica valde differant, & multa reperiantur in illa, quæ in iſta non extiterunt. Apoſtoli etiam ipſo facto docuerunt, Eccleſiam Chriſtianam non eſſe exemplo Judaicæ regendam; ſiquidem lex vetus fuerit ſublata per legem novam: & illa ſit lex timoris, hæc verò amoris; licet igitur inter Eccleſiam Chriſtianam & Judaicam aliqua ſit analogia, nulla tamen æqualitas aut ſimilitudo vera. Phariſæos univerſim non fuiſſe hæreticos, ſuo exemplo probant Gamaliel, Nicodemus & alij plures, quibuſcum Chriſtus aliàs non ita familiariter fuiſſet converſatus. Si ergo in fide erraverunt, error iſte fuit privatorum hominum, non Eccleſiæ Judaicæ. Fatentur etiam Adverſarij, Phariſæos fuiſſe ultimo tempore ante Chriſtum; nempe cum Judaica Eccleſia ruinæ ſuæ eſſet proxima. Sadducæi fuerunt indubitati hæretici, cùm Reſurrectionem, & æternam bonorum operum mercedem negarent. Eſſeni nihil mali intulerunt Eccleſiæ Judaicæ, nec in templum venerunt. An hæretici fuerint, videri poteſt P. Nicolaus Serrarius lib. 3. trihæreſij, ubi etiam lib. 2. de Phariſæis & Sadducæis multa congerit.

XLII. Ad 3. Confirmationem. Eccleſiam Romanam non ſe ſeparaſſe à Græca, ſed hanc ab illa diſceſſiſſe; ſicuti filia ſubinde relinquit matrem, & communicare cum iſta recuſat. Nam Græci aliquot centenis annis in ſumma concordia

 perſti-

perſtiterunt cum Eccleſia Romana, & confeſſi fuerunt tum Primatum Romani Pontificis, tum proceſſionem Spiritûs Sancti ab utraque divina Perſona Patre & Filio. Sunt quidem paucæ, ſed non exigui momenti res, quæ inter Latinos & Græcos poſtea controverti cœperunt. Nihil etiam Latini intermiſerunt, quod unitati & paci reducendæ ſervire poſſet, ſed Græci inconſtantiâ ſuâ initæ concordiæ perennitatem non conceſſerunt. De proceſſione Spiritus S. de Primatu Romani Pontificis, & de alijs, in quibus Græci à Romano-Catholicis diſſident, agemus ſuo loco. Solùm hîc notaverim, Leonem Allatium Virum doctiſſimum lib. 3. de Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis perpetua conſenſione cap. 10. n. 2. conqueri, quod aliqui Catholici malè quoſdam errores Græcis imputent; *Non*: inquit, *attendendum eſt, quid hic vel ille privatus Græcus ſcribat, ſed quid Eccleſia Græca in ſuis Symbolis, Profeſſionibus & Ritualibus populo proponat, eumque doceat.* Hinc fatemur, in Eccleſia Græca multos ſalvari, illos ſcil. qui abſque ſua culpa meliore inſtructione carent, de quo Divinæ Providentiæ nihil præſcribendum. Et hæc probabiliter eſt cauſa, cur Deus Eccleſiam Græcam inter tam atroces Chriſtianorum hoſtes conſervet, pereuntibus interea hæreticis; quia videlicet tot innocentes & fideles adhuc in illa reperiuntur.

XLIII. Ad 4. Confirmationem. Demus, totum terrarum orbem in 24 partes dividi, & ex his ſolùm 5 à Chriſti Nominis ac Fidei Cultoribus inhabitari. Concedamus etiam admodum paucos eſſe, qui Romano-Catholicam Eccleſiam agnoſcunt, ſi iſti ad quoslibet alios Chriſtianos conferantur. An non hæc paucitas ſalvandorum eſt conformis Sac. Scripturæ? expreſſa in Figuris? aſſerta à Patribus? toti rerum univerſitati conſentanea? *Multi ſunt vocati*, inquit Chriſtus Matth. 20. v. 16. *pauci verò electi.* Ex ſexcentis millibus virorum præter mulieres & parvulos, qui ex Ægypto exierunt, ſolummodò duo terram promiſſam intraverunt. Plures, ait D. Gregorius hom. 9. in Evang. *ad fidem perveniunt, ſed ad regnum cœleſte non niſi pauci perducuntur.* Ita nimirum rara ſunt, quæcunque chara & pretioſa habentur. Multò plures lateres ſunt, ex quibus domus & turres educuntur, quàm margaritæ, quæ in coronis Regum ſplendent. Inter maximum volucrum gregem ſolæ Aquilæ pennis ſuis in aërem & ſuper nubes ſe elevant, cæteræ circa terram volitant. In ipſo quoque cœlo inter innumeras ſtellas ſeptem ſolùm Planetæ eminent, & præ alijs lucent.

XLIV. Sed dedimus Romano-Catholicorum paucitatem, non conceſſimus. Nam difficile non eſt oſtendere, numerum Catholicorum multò majorem eſſe, quàm Adverſarij opinentur. Taceo Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Germaniam & totam fere Europam Romano-Catholicis eſſe refertiſſimam. In Oriente & Græcia ingens eſt numerus Chriſtianorum, qui per Archi-Epiſcopos & Epiſcopos Catholicos Romano Pontifici tanquam ſupremo Capiti ſe conjungant, id quod Leo Allatius loc. cit. num. 3. fusè oſtendit. Nam, inquit, Mercatores Italiani permulti in Græciam iter faciunt, ibique inito matrimonio Romanæ Religionis exercitia retinent, ſuóſque habent Archi-Epiſcopos & Epiſcopos. Edeſſæ quoque præeſt Archi-Epiſcopus. Smyrnæ in Minore Aſia Archi-Epiſcopus eſt Latinus. Peræ verò in Thracia Patriarchæ Latini Vicarius, multiq; latini conſpiciuntur. Caffæ in Tartaria magna vivit copia Chriſtianorum Latinorũ. In Inſulis Ægæis ſingulæ ſuos venerantur Epiſcopos. Sic etiam in alijs Patriarchatibus, ut Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana permulti ſunt Chriſtiani, qui ſub Juriſdictione P. Guardiani Hieroſolymitani, Patriarchæ Maronitarum, Epiſcopi Babylonenſis diſcalceati Carmelitæ Romanum Pontificem Chriſti in terris Vicarium agnoſcunt. In Æthiopia innumeri ſunt Chriſtiani, qui omnes ſub illo Patriarcha & duobus Epiſcopis Romano-Catholico more vivunt & moriuntur, ut ſic per univerſam Græciam & Orientem in potiſſimis locis Catholici reperiantur, qui ob ſuæ Fidei ac Religionis exercitia à Græcis amantur & honorantur. Ita fere Allatius.

XLV. In Indijs Res Catholica eſt in majore vigore & augmento, quàm Adverſarij audire velint. Et tam in his, quàm alijs noviſſimè repertis terris ac Inſulis indies Infideles à Patribus Societatis JESU aliiſque Religioſis ad fidem Catholicam convertuntur, in qua tantum fervorem oſtendunt, ut multi ex ijs ſuperatis tormentis glorioſi Chriſti Martyres evadant. Quod jure Sectarios in ruborem dare poteſt, cum ipſi nihil ſimile efficere poſſint. Nam, ut referunt litteræ ex China recentes & fide dignæ, Prædicantes ex Anglia & Holandia illuc delati unicè lucro temporali inhiant & vitam inſuper agunt adeo turpem & flagitioſam, ut ab omnibus odio habeantur, atque ipſimet fateri cogantur, neminem ſe ex Gentiliſmo ad Fidem Chriſti convertere poſſe, ad hoc Jeſuitas præmitti oportere, ut ſcil. jam converſos illi iterum pervertant. O præclarum opus ab omnibus infernalibus Spiritibus laudatum! Quod Eccleſia Romano-Catholica ſe ſolam agnoſcat, dicatque veram ac ſalvificam Chriſti Eccleſiam, rectè facit; quia poteſt principium fidei doctrinæque ſuæ & nunquam interruptam ſucceſſionem ab Apoſtolis (qui utique veram habuere fidem ac doctrinam Chriſti) luculenter demonſtrare, ſive deinde ſit magna, ſive parva in comparatione cum alijs Chriſtianis quibuslibet. Atque hinc nulla penitus eſt comparatio inter Romano-Catholicos & Donatiſtas, qui nullatenus originem Eccleſiæ ſuæ à tempore Apoſtolorum deducere, & fidem ac doctrinam ſuam Apoſtolorum fidei doctrinæque conformem oſtendere poſſunt. Ut ſuo loco pluribus dicemus. Videantur DD. à Wallenburch tom. 2. à pag. 83. ubi Eccleſia Chriſti ante Lutherum fuerit?

XLVI. Ad 5. Confirmationem, quæ eſt Joannis Crocij in Vindicat. Anti-Becani P. 1. à fol. 13. in ea nec Majorem, nec Minorem probari; quod tamen in re tanti momenti fieri oportebat. Scire igitur ab ipſo duo cupio. Primum. Qui ſint illi fundamentales articuli, & unitas, cum alij aliter de his ſentiant? Apelles aſſignat *Chriſtum crucifixum.* Caſſander & plerique alij volunt eſſe *Symbolum Apoſtolicum.* Caſtalion & Academici apud Bezam lib. de pun. hæret. fundamentum hoc ſtatuunt *Chriſtum eſſe Dei Filium, Mundi Judicem.* Ochinus nihil creditu eſſe neceſſarium putat *in Evangelio, quod olim à Judæis non ſit creditum.* Vergerius ſingularis Eccleſiæ Romanæ & Sedis Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolicæ hoſtis, ut de ipſo teſtatur Gaulterius in Tab. Chron. fol. 798. fundamentum fidei ponit *Rejectionem Romani Pontificis.* Demum Marcus Antonius de Dominis in revocatione ſua 1623. Dilingæ impreſſa fol. 20. apertè fatetur, neſcire ſe ullum articulum fidei Catholicæ, qui non ſit fundamentalis: nunquam etiam vel ipſum capere, vel reperire potuiſſe aliquem, qui explicaret diſtinctionem articulorum in fundamentales & non fundamentales, ſe in eo erraſſe; quod quoſdam articulos non agnoverit pro veris; quales tamen reipsâ erant, & abſque hæreſi negari non poterant, quantùmvis non eſſent ex primis & præcipuis v. g. de SS. Trinitate; Incarnatione Verbi, &c. Ecce diverſitatem in aſſignanda Unitate! Videantur iterum DD. à Walenburch Tom. 1. Tract. 3. toto de Articulis neceſſarijs & fundamentalibus, &c.

XLVI. Alterum eſt, quæ illæ ſint ſtipulæ, fœnum, ligna? Affirmant Catholici in Sac. Euchariſtia Chriſtum verè eſſe præſentem ſub ſolis ſpeciebus panis & vini. Negant Lutherani mordicus, Chriſtum eſſe ſub ſolis ſpeciebus, ſed aſſerunt, eum ſub ipſa ſubſtantia panis & vini latere, & hanc penitus intrare. Calviniſtæ utriſq; contradicunt aſſerentes, Chriſti Corpus ita cœlo affigi, ut inter Chriſti Corpus & panem tantum ſit intervallum loci, quantum eſt inter cœlum & terram. Verbo: Chriſtum nec ſub ſpeciebus, nec ſub Subſtantia panis & vini eſſe præſentem. Hæccine ſunt meræ ſtipulæ, fœnum, & ligna, quæ ſuper ædificantes fundamento charitatem quidem offendant, fundamentum tamen Unitatis ſalvum relinquant? Quid ergò, quid quæſo fidei unitatem ſcindet, tolletque; ſi hæc pluráque ſimilia diſſidia eandem unitatem non rumpant perdántque? Non dicat Crocius, inter Romanos quoque Theologos eſſe diſſenſiones v.g. de Imaculata Conceptione B.V. MARIÆ, de æterna hominum Prædeſtinatione &c. Nam iſtæ lites ſunt ſolùm de ſententijs, non de gravibus fidei articulis, uti tamen apud Sectarios fieri amat; unde Calviniſmus cum Lutheraniſmo eſt Irreconciliabilis Eckhardi, Hülſemanni, Hutteri, Sigvvarti & aliorum judicio; cum interim omnes Catholici Doctores paratum animum gerant, id unicè in omnibus ſentiendi, quod judicaverit Sancta Catholica Eccleſia.

XLVII. Ad 6. Confirmationem. Romanos Theologos bene facere aſſerendo, quod ad Unitatem Eccleſiæ etiam requiratur conjunctio & unio cum Romano Pontifice, tanquam viſibili Capite totius Corporis Eccleſiæ; unde etiam D. Cyprianus Eccleſiam deſcripſit: *Plebem adunatam Paſtori.* Quid autem hoc eſt aliud, quàm Oves debere eſſe conjunctas ſuo Paſtori, hunc audire, hunc ſequi? Si igitur Chriſtus Ioan. 21. v. 17. & alibi D. Petro ejuſque Succeſſoribus mandavit, ut eſſent Paſtores & Præpoſiti Gregis ſui Eccleſiaſtici, hocipſo etiam præcepit ſuo Gregi & Ovibus, ut Paſtori huic ſe conjungerent, & unirent, obedientiam præſtando; quippe ſunt correlativa, & unum ponit aliud. Quod autem hæc unitas Corporis Eccleſiæ cum Romano Pontifice viſibili Capite ejuſdem Corporis nec in Sac. Scriptura, nec in Symbolo, nec in uſu antiquæ Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis reperiatur, eſt apertè falſum, ut ſuo loco oſtendemus, & videri poſſunt Sanderus de Monarchia Eccleſiaſtica, Keller de Papatu Catholico, Forer de Papatu Antiquo, Bellarminus, Stapletonus & alij. Qui ex Indijs ad nos veniunt, quamvis aliqua veſtigia Chriſtianorum olim ibi exiſtentium afferant, ea tamen ita modica & obſcura ſunt, ut vix umbra appareat ſignorum, & quidem rerum exiguarum & parvi momenti. De primarijs autem Fidei Myſterijs v. g. SS. Trinitate, Paſſione ac Morte Chriſti, Baptiſmo, Pœnitentia &c. fere nihil; aut perobſcurum aliquid conijcitur. Quid igitur mirum, ſi neque de Romano Pontifice clara indicia deprehendantur. Non obſtat P. Athanaſius Kircher in China illuſtrata, ubi majorum indiciorum Chriſtianæ fidei apud Sinas repertorum meminit. Tum quia plus ijs credendum, qui ex Indijs venerunt; quàm uni ſcriptori in Italia. Tum quia nec iſte Author talia indicia adducit, ex quibus Romanus Pontifex conijci facilè poſſit. Nunc verò tam in iſtis quàm alijs remotiſſimis terrarum locis, ubi de novo Fides Catholica agnoſcitur, omnes Chriſtianos Romano Pontifici ſe ſubijcere, eum audire, ac venerari, ex ſupra dictis patet.

XLVIII. Ad 7. denique confirmationem. Dicimus I. Adiaphoriam hanc & Religionis ſeu Moderationem, ſeu remiſſionem, nec fieri, nec expeti à Chriſtiano homine poſſe. Quia Veritas falſitati attemperari ac miſceri nequit. Veram fidem ac Religionem nos Romano-Catholici tenemus; ſine ſcelere eam inquinare non poſſumus. Nos mentiamur, ut Lutherani, Calviniani, aut quivis alij Hæretici de noſtro mendacio diſcant verum loqui? Deum nos Authorem peccati adorabimus? Humanitatem Chriſti ubiquitariam affirmabimus? Deiparæ ac Sanctorum cultum & interceſſionem abjurabimus? decem articulos negabimus, ne illi de purgatorio, indulgentijs, aquâ benedictâ, & alijs more ſuo nugari pergant? Fidem noſtram perdamus totam, ut nullam cum illis habeamus? Nam, ut præclarè S. Hilarius lib. ad Conſtantium Auguſtum: *Cum Unus DEus ſit; & una Fides; idcirco ubi plures fides ſunt, jam incipit Fides eſſe nulla.* Nihil DEO credimus, ſi in uno fallacem arbitramur: nulla nobis credendi ſupereſt ratio, ſi authoritatem revelantis vel repudiavimus, vel exitiali Hæreticorum paci condonavimus: Non eſt pax illa, ſed cum perfidiâ, ſacrilegio, impietate, cum ipſo inferno pactio. Apoſtolorum Princeps & Chriſti in terris Vicarius D. Petrus vocat *Sectas perditionis* 2. Pet. 2. v. 1. Quis adeò demens igitur, ut ſectis illis communicet; atque inde ſalutem exſpectet, unde non niſi exitium hauriri poteſt.

XLIX. Dicimus II. Adiaphoriâ & Religionis moderatione non conſuli paci ac bono communi, ut jam tempore Arianæ hæreſis ſapienter adverterunt Catholici apud Theodoretum lib. 2. Hiſt. ca. 18. & 19. Nam dum errantibus indulgetur; animus ipſis additur, ut majora moliantur. Pacis & unionis auctrix eſt Una Religio; ex hujus confuſione ſemper turbæ: *Specioſum*, inquit D. Hilarius init. lib. cont. Arian. *Nomen eſt pacis, & Pulchra eſt Opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ atq; Evangeliorum unitam pacem eſſe, quæ Chriſtus eſt.* Teſtantur tot, tamque funeſtæ, quæ hactenus in Eccleſiâ extiterunt, tragœdiæ. Atque utinam Adiaphoriſtarum minor eſſet in diverſis Regnis & provincijs numerus! multò meliore ac tranquilliore ſtatu tum illorum, tum Univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ res forent.

L. Dicimus III. Non poſſe hic teneri illam, quæ in Corporibus naturalibus contemperandis, in fœderibus principum pangendis, in ſententijs litium ferendis ſervatur moderatio. Nam in hiſce juris, reique ſuæ remiſſionem ſuadet inſita Naturæ benignitas, & pro rationum momentis flexilis illorum in diverſa indoles, ut pervicaciæ detur nimia in ijſdem retinendis firmitas. At de Religione, quando controvertitur, non eſt in poteſtate Litigantium in placidas utrinque conditiones convenire; veritatis enim cauſa agitur, & ejus Veritatis, de quâ ſummæ atque increatæ veritatis æternum decretum habemus. Quidquid de illâ veritate mutatum fuerit, ſacrilegium, quidquid additum, abominatio eſt.

LI. Miſsâ igitur communis pacis curâ per Adiaphoriam inducendæ, quiſque ſuæ potius Animæ paci æternæque ſaluti conſulat, ita ex eadem Adiaphoriâ, & ijs, quæ hactenus dicta ſunt, prudentiſſimè diſcurrendo. Catholici Doctores magnô Authoritatis & Religionis pondere aſſerunt, ſalvari neminem poſſe extra Romano-Catholicam Eccleſiam: Omnes aliarum Sectarum Theologi concedunt in ſuâ quemlibet Fide ac Religione Chriſtianâ ſalutem æternam obtineri poſſe. Ut igitur in re ſummi momenti, æternamque animæ ſalutem concernente ſecuriſſimè juxta ac ſapientiſſimè procedam, Antiquam, Catholicam, Romanam Fidem & Eccleſiam amplectar; in hac namque ex commui omnium Theologorum ſententiâ ſalvari ſervarique æternùm potero: minimè verò in quavis aliâ Fide & Sectâ juxta Catholicorum Doctorum aſſertionem authoritate & ratione graviſſimam. Sic olim Henricus IV. Magnus Franciæ Rex ſagaciſſimè diſcurrit, idque maximo ſuo bono; Regnum quippe Galliæ hâc ratione obtinuit, & ad Cœleſte Regnum ſibi jus acquiſivit. Sapientiſſimi hujus Regis Exemplum quiſquis fuerit ſecutus, non minore id bono ſuo faciet; veram namque animi pacem Regno quovis optabiliorem obtinebit, & Regni Cœleſtis promiſſionem à CHRISTO JESU habebit.

LII. Hinc etiam laudo Theodorum Bezam Calviniſtam, quem de cætero minimè laudo, quod multis Catholicis ad ſe inviſentibus, & de vera fide ſollicitis conſilium dederit, ut in Catholica Fide permanerent, affirmans, *rectè id eos facturos, & minimè ſalutis periculum eſſe ſubituros*, ut ex viris gravibus ſæpius ſe audiviſſe teſtatur Jacobus Gualterius in Tabula Chronographica fol. 191. de Apellitis, qui antiqui hæretici, & Adiaphoriſtarum prodromi itidem voluêre, quemlibet in ſua fide ſalvari poſſe. Hoc idem Bezæ celebris Calviniſtæ conſilium dedit matri ſuæ Philippus Melanchthon inſignis Lutheranus, imò Confeſſioniſtarum Author & Promotor. Nam, ut ſcribit Florimundus de Remond de origine hæreſum part. 2. cap. 9. fol. 288. cum anno 1560. ad ipſum in ultimo morbo decumbentem inviſeret Mater ſua grandæva jam Anus, his illum verbis allocuta fuit. Fili mi, vides te morti proximum brevi ex hac vita diſceſſurum, & ad ſeverum ſupremi Judicis tribunal ſiſtendum, ubi omnium, quæcunque egeris, ratio Deo erit reddenda. Noſti me inter Catholicos natam & educatam, horum fidem diu tenuiſſe: te autem authorem mihi fuiſſe & cauſam, cur fidem illam mutârim, & aliam fidei Patrum meorum contrariam acceptârim. Adivro igitur te per Deum vivum, ut jam dicas mihi, quæ Fides ſit vera, & me ſalvare poſſit, nihilque me de veritate celes? Adhæc Melanchthon: *Mater mea*, inquit, *hæc doctrina nova gratiſſima eſt: illa antiqua ſecuriſſima & certiſſima.* Mox in alterum ſe latus verſans magno clamore in iſta verba erupit: *hæc nova Lutherana plauſibilior: illa fides antiqua Catholica eſt ſecurior.*

LIII. Quiſquis igitur ſecurus de vera Fide eſſe vult, antiquam Catholicam, Romanam amplectatur. Eſt quidem apud imperitos homines fides ſeu Lutherana ſeu Calviniana ſeu alia quævis ex modernis Sectis plauſibilior; quia ſpatioſa eſt via, & lata ſeu libera porta à neceſſitate confitendi, jejunandi, decreta Pontificia obſervandi, opera bona & pœnitentialia agendi &c. Attamen apud Viros Sapientes Verior eſt Fides Catholica; quia anguſta eſt via, & arcta porta ob timorem judicij, opera pœnitentiæ, obſervationem legum tam divinarum quàm Eccleſiaſticarum, confeſſionem, jejunium &c. *Intrate*, inquit Chriſtus æterna Veritas & Salvator mundi Matth. 7. v. 13. *Intrate per anguſtam portam, quia lata eſt porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Hæc autem verba ipſius Chriſti æternæ Veritatis quàm à Veritate forent aliena, ſi in ſua quiſque fide Chriſtiana ſalvari poſſet?

SACRA SCRIPTURA.

I. *Ponimus Sacram Scripturam primo loco. Tum quia, ut in partitione hujus Operis diximus, ex Sac. Scriptura & Authoritate S. Spiritûs ſumi oportet inexpugnabilia fundamenta ad Fidem defendendam. Tum quia in hanc veluti ſcopulum primò & graviſſimè impingunt hæretici, dum ex ea malè intellecta omnes fere ſuos deſumunt & pertinaciter tuentur errores. Imò noſtri temporis Sectarij nihil credendum putant, niſi in Sac. Scriptura expreſſum, quam ſecundùm ſuum quivis libitum explicat, neglectâ Vet. Doctorum & Eccleſiæ interpretatione; quibus erroribus everſis alij ſponte ſuâ concidunt, ſicuti mœnia ſuffoſſis & incenſis cuniculis corruunt, ut ita ſemper negotium habituri ſimus cum Sac. Scriptura.*

II. Vocatur autem Sacra Scriptura in propoſito illa, quæ Spiritu Sancto inſpirante ſeu dictante concinnata fuit, & per hominem velut calamum quemdam divinâ Manu regente exarata ſecundùm illud Pſal. 44. v. 2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. *Quam verò nos vocamus Scripturam, Græci vocant Biblia, hoc eſt, libros, utrinque per antonomaſiam, nomina generalia omnibus ſcriptionibus & libris communia appropriando Verbo Dei ſcripto & in libros redacto tanquam præſtantiſſimo. Eadem Sac. Scriptura dicitur etiam Canonica, vel quod ipſa ſit Canon, id eſt, Norma & Regula fidei*, cui benefacimus attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, *2. Petri 1. v. 19. vel quod ejus libri Canone Eccleſiaſtico notati & deſcripti ſint, ut notavit D. Auguſtin. tum alibi, tum contra Fauſtum L. 22. c. 79. ubi ait:* has Scripturas Canon Eccleſiaſticus reſpicit.

III. Tria

III. Tria autem univerſim ſunt, quæ de Sac. Scriptura controvertuntur. 1. Eſt Authoritas. 2. Senſus. 3. Uſus illius, de quibus in præſenti decidendum.

CONTROVERSIA II.

AN DETUR SCRIPTURA DIvina & Infallibilis: & unde conſtet, hunc vel illum Librum habere Authoritatem Sac. Scripturæ, & eſſe Canonicum?

I.

QUæſtionem, unde conſtet, hunc vel illum librum eſſe Sac. Scripturam, rectè dixeris vexatam, adeo pungit & vexat hæreticos, ut extricare ex ea nunquam ſe potuerint. Ut igitur reſponſum evitarent, eò tandem venerunt, ut dicerent, illam quæſtionem eſſe curioſam, non neceſſariam, ineptam, & indignam Chriſtiano. Curioſam, inquiunt, judicio S. Auguſtini Lib. 6. Confeſſ. c. 5. ita DEUM alloquentis: *Perſuaſiſti mihi, ô DEUS, nec audiendos eſſe quidem, ſiqui fortè mihi dicerent, unde ſcis, illos libros unius, veri, veraciſſimi DEI Spiritu eſſe humano generi miniſtratos?* Non neceſſariam, quia inter nos & illos non eſt controverſia, an Biblia ſint Verbum Dei, ſed utrique hoc fatemur. Ineptam, quia prima Principia ſupponenda ſunt, non in quæſtionem trahenda. Atqui Sac. Scripturam eſſe Verbum Dei eſt primum Principium & Fundamentum Fidei. Ergo non diſputandum, ſed ſupponendum. Indignum denique Chriſtiano, quia per eam tota Chriſtianitas in dubium vocatur. Ita præter alios Sectarios recentiſſimè Meno Hanneckenius Lutheranus, & Wilhelmus Hülſius Calviniſta quorum iſte deteſtatur Jeſuitas, quòd in Orbem invexerint quæſtionem iſtam, an iſtud Evangelium S. Matthæi ſit S. Matthæi?

II. Verùm quæſtio hæc 1. non eſt nova, & à Jeſuitis recèns inventa, ſed perantiqua, ut videre eſt apud D. Thomam 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. Ibi cum eo Theologi in communi de motivis evidentis credibilitatis myſteriorum Fidei fusè tractant. 2. Non eſt curioſa; quia id inquirere, à quo Fides & conſequenter ſalus æterna dependet, non eſt curioſum; quippe ſi pro Verbo Dei aliquid fictitium reciperemus, tota Fides nutaret. D. Auguſtinus loc. cit. non loquitur de Scriptura nudè ſecundum ſe ſpectata, ſed jam per traditionem Eccleſiæ approbata, puta ſiquis non contentus alias evidentes rationes exigeret, ut faciebant Manichæi, quos ibi tacitè perſtringit, ſanè abſurdè faceret; ſic enim loquitur S. Pater: *Perſuaſiſti mihi, ô DEUS, non qui crederent libris tuis, quos tantâ in omnibus ferè Gentibus authoritate fundaſti, ſed qui non crederent, eſſe culpandos.* Hoc reſponſo rejicitur ſpeciatim Gerhardus L. 1. fol. 52. ubi S. Auguſt. & alios Authores inſcitè contra nos adducit. 3. Non eſt fruſtranea & abſque neceſſitate & fructu; nam licet inter nos & illos generatim conveniat, S. Scripturam eſſe Verbum Dei, non tamen convenit, nec de numero librorum, quinam ſint Verbum Dei, nec de fundamento, cur ſint Verbum Dei; ſi enim in hoc nobiſcum convenirent, non diſſentirent in alijs fidei punctis. Multùm igitur refert, hujus quæſtionis fundamentum indagare. 4. Non eſt inepta. Nam Scripturam eſſe Verbum Dei, non eſt primum principium, quia non eſt per ſe notum, cum multa ſpargantur pro Verbo Dei, quæ non ſunt. Ut Talmut Judæorum, Alcoranus Turcarum, Evangelium Nicodemi, Periodus Pauli & Theclæ, &c. oportet ergo aliud principium quærere, quo Verbum Dei verum à falſo diſcernatur. 5. Denique non eſt indigna Chriſtiano, ut ſibi imaginatur Meno Hanneken in ſuo Irenico fol. 592. quia per hanc quæſtionem non vertitur in dubium tota Fides Chriſtiana, ſed magis firmatur, declaratur, ac propugnatur. Rejectis igitur iſtis frivolis effugijs deciſionem propoſitæ controverſiæ aggrediamur.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

III. DOctrina Prima. Datur de facto Sacra Scriptura, cujus Authoritas eſt divina, Sacroſancta, & certiſſima, ut nefas ſit, eandem in re etiam leviſſima vel minimi erroris à Scriptore Canonico profecti arguere. Prima pars deſumitur ex ſuavi & conſueta Dei Providentia res omnes ita gubernantis, ut cujuslibet natura exigit. Cum igitur corpore & anima conſtemus, & faciliùs corporalia, quàm Spiritualia capiamus, convenit per corporales litteras, quas cerneremus & legeremus, à Deo nos doceri, quid de ſe credi, & quid à nobis fieri ſibi velit. Et ſic ex divino beneplacito nos de facto gubernari, extareq; Scripturas, apertè docent Moyſes, Prophetæ, Chriſtus ipſe, Joannes, & Apoſtoli, qui divina dogmata vel ipſi ex Scripturis confirmabant, vel certè ad has legendas alios hortabantur. Eandem Scripturarum exiſtentiam teſtatur univerſitas Chriſtianorum, & conſenſio Gentium.

IV. Altera pars doctrinæ, nempe Scripturas eſſe divinas, Sacroſanctas & certiſſimas, conſtat. Tum ex veritate vaticiniorum; nam, ut ait S. Auguſtinus Lib. 12. Civit. cap. 9. *inter cætera, quæ dixit, verâ divinitate prædixit.* Tum ex incredibili & planè divinâ conſpiratione tot virorum, qui diverſis temporibus, locis, linguis, occaſionibus ſacra volumina conſcripſerunt, ut non tam ipſi Scriptores diverſi, quàm unius Scriptoris diverſi calami fuiſſe videantur. Tum ex miraculis, quibus Deus veritatem & Sanctitatem Scripturarum manifeſtare voluit; ſcribit enim D. Athanaſius Epiſt. de interpretatione Pſal. dœmones Biblijs applicitis fuiſſe fugatos; quia ſcil. mendaces Spiritus divinam Scripturarum veritate ſuſtinere non potuerunt. Refert etiam Joſephus L. 12. Antiquit. c. 2. Theopempum & Theotectium ethnicos Scriptores quibuſdam locis Bibliorum abuſos mox divinitus fuiſſe punitos, priorem amentiâ, poſteriorem cæcitate. Et ſanè neceſſum eſt, omnem omnino à Scripturis arceri errorem; admiſſo enim in tantum Autho-

Digitized by Google

ritatis faſtigium aliquo mendacio, (aut errore) nulla particula horum librorum manebit; quæ non poſſit in dubium revocari, ut præclarè advertit S. Auguſtinus in epiſt. 8. ad Hieronymum.

V. Sed difficultatem movet illud Matthæi 27. v. 9. *Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam Jeremiam dicentem: Et acceperunt 30. argenteos &c.* Ubi manifeſtè videtur, errore quodam poſitum nomen Jeremiæ pro Zacharia. Negant quidam, quos refert & ſequitur Cornelius à Lapide in Zachariam c. 11. v. 13. ullo id errore accidiſſe, ſed eadem omnia in Jeremia exſtitiſſe (ut in Apocrypho uno exemplari vidiſſe ſe teſtatur Hieronymus) ſed intercidiſſe, vel à Judæis eraſa fuiſſe. Alij errorem agnoſcunt, ſed incuriæ librariorum eum adſcribunt. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Liranus, Janſenius, Franc. Lucas, Maldonatus, Suarez, Tanner, Baronius ad annum Chriſti 34. & alij, quorum opinio probabilior videtur. Nam Matthæus non ſolet exprimere nomina Prophetarum, quos allegat. Et textus Syriacus ac nonnulli codices Latini (quorum unum adhuc videre eſt Romæ) non habent nomen Iremiæ, ſed Zachariæ, qui cap. 11. v. 13. ſimilia habet. Videri poteſt Tirinus in cit. textum Matthæi & Zachariæ, ubi etiam locos indicat Authorum, quos adduximus.

VI. Nihil proinde dubitandum de infallibili Authoritate Bibliorum; quod contineant Verbum Dei, qui nec falli, nec fallere poteſt, cum ſit eſſentialiter infinita Dei veritas. Unde Chriſtus dixit Matth. 24. v. 35. *Citius cœlum & terram interitura, quàm unicum verbum Dei falſificetur.* Quod tamen intelligendum eſt de verbis Dei ritè intellectis; ſubinde enim quædam videntur falſa, vel quia malè intelliguntur, vel tacitam conditionem continent, qualium ingentem numerum affert Jacob Tirinus poſt finem Commentariorum ſuorum in totam Sac. Scripturam, Indice quarto Antilogiarum ſeu apparentium Contradictionum.

VII. Afferamus præter hæc unum alterúmque locum, qui niſi rite intelligantur, falſitatem præ ſe ferre videntur. 2. Paral. 7. v. 16. Salomoni templum DEI dedicanti promiſerat DEUS: *Elegi & Sanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*; quod tamen non videtur præſtitiſſe, quia jam templum illud funditus dirutum eſt, & à DEO deſertum. Intelligenda igitur æternitas hujus promiſſionis non ſtrictè pro infinita duratione, ſed laxiùs pro valde longa plurium ſæculorum duratione; Sicuti Micheæ 4. v. 5. legimus: *Ambulabimus in nomine Domini DEI noſtri in æternum & ultra*, cum tamen ultra æternitatem infinitam nihil poſſit exiſtere. Itaque more hebræorum æternitas pro longiſſima duratione ſumitur. Similiter Marci 16. v. 16. ait Chriſtus diſcipulis ſuis: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; intellige, ſi gratiam in baptiſmo acceptam uſque ad mortem conſervaverint per obſervationem mandatorum DEI, vel ſaltem per pœnitentiam recuperaverint. Idem Joh. 14. v. 13. dicit: *Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam*; intellige, ſi debito modo cum debita fide & conſtantia aliquid utile ad ſalutem veſtram, & DEI gloriam petieritis; alioqui ſæpe falleret hæc promiſſio. Atque hinc plerique errores hæreticorum pullulant, quod verba Scripturæ nimis craſsè & grammaticè accipiant, non inſpectis alijs locis Scripturæ, nec conſideratis circumſtantijs.

VIII. *Doctrina Secunda.* Authoritatem Bibliorum, quod hi vel illi libri à DEO dictati ſint Verbum DEI, aliunde nobis non conſtare, quàm ex traditione Majorum, & Eccleſiæ definitione: Ita omnes Catholici, & jam olim D. Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum c. 11. ſic ſcribens: *Sicut ego credo, illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per diſcipulos ejus certâ Præpoſitorum veſtrorum ſucceſſione ad noſtra uſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt, ſic etiam iſtum librum credo eſſe Matthæi, quoniam ex illo tempore, quo Matthæus in carne vixit, non interruptâ ſerie temporum Eccleſia certâ connexionis ſucceſſione uſque ad noſtra tempora ita perduxit.* Et lib. cont. Epiſtol. Fundamenti c. 5. *Ego*, inquit, *non crederem Evangelio, niſi me commoveret Eccleſiæ Catholicæ Authoritas.* Unde & ipſe Lutherus authoritatem Eccleſiæ hac in re negare non fuit auſus, ita lib. de Captivit. Babyl. ſcribens Tom. 2. Wittenberg. fol. 88. *Hoc ſanè habet Eccleſia, quod poteſt diſcernere Verbum DEI à verbis hominum, ſicut Auguſtinus confitetur, ſe Evangelio credidiſſe motum Authoritate Eccleſiæ, quæ eſſe Evangelium prædicat.* Poſſet quidem DEUS alijs modis ſuam Scripturam manifeſtare v. g. per Angelos, per Prophetas, per Miracula, per internas illuminationes &c. attamen ordinarium medium agnoſcendi veram Scripturam voluit non eſſe aliud, quàm Authoritatem Eccleſiæ: atque hanc ſufficere ad certam Scripturæ notitiam pariendam.

IX. Probatur ex Sac. Scriptura infallibilem Eccleſiæ authoritatem tribuente 1. Tim. 3. v. 15. *Eccleſia Dei vivi eſt columna & firmamentum veritatis.* Ergo ex hujus definitione conſtare nobis certò poteſt, quinam libri ſint Canonici & Sacræ Scripturæ. Confirmatur. Eccleſia declarare poteſt articulos Fidei, quinam ut tales ſint tenendi ac credendi. Ergo etiam decidere poteſt, quinam libri pro Canonicis ſint habendi. Conſequentia eſt clara. Antecedens oſtenditur ex eo, quod Eccleſia jam olim obortis dubijs circa legitimum Sac. Scripturæ ab omnibus receptæ ſenſum, aut Fidei articulum potuerit decernere: & hujus decreto Fideles acquieverint. Sic Anno 258. obortis diſſenſionibus circa articulum, utrum hæretici baptizati & ad Eccleſiam Catholicam converſi eſſent rebaptizandi, Stephanus Romanus Pontifex ſtatuit & declaravit, illos non eſſe iterum baptizandos, cui ſtatuto & declarationi Patres acquieverunt, & in plenario Concilio Niceno per novam definitionem hunc Fidei articulum ſtabilierunt, ut teſtatur S. Auguſtin. lib. 1. de baptiſ. c. 7.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

X. ERror *Primus eſt.* Non extare ullam Scripturam Sacram Deo inſpirante conſcriptam, ac regulam Fidei infallibilem. Ita Gaſpar Svvenckfeldius, & Libertini, qui Scripturas ac Scriptores Sacros impiè rident, ac pro fabulis habent: atque interim ſuos enthuſiaſmos

pro

pro vivo, vero, atque unico Dei verbo jactant. Error iſte riſum potius, quàm refutationem meretur. Quaſi verò, quem Spiritum DEI iſti phanatici enthuſiaſtæ ſibi familiariſſimum gloriantur, is Prophetis & Apoſtolis Dei inter ſcribendum vel omnino non adfuerit, vel merè otioſus ac mutus aſtiterit, nihil quicquam conferens ad ſcribendum. Et ſi etiam in hunc modum erga ſanctiſſimos viros ſe exhibeat Spiritus Sanctus, tunc profectò ipſimet Phantaſtæ nec Spiritum Dei habent, nec quicquam ex Deo loquuntur, adeoque nec hocipſum quidem, quod Sancti DEI homines, Spiritu Sancto inſpirante, nihil dixerint, nihiloue ſcripſerint. Ad quid etiam Moyſes, CHRISTUS, & Apoſtoli dogmata ſua, ut dicebamus, ex Scripturis confirmârunt, aut ad has legendas nos ablegârunt, ſi his neglectis quisque ſuos potius internos Spiritûs inſtinctus attendere debeat?

XI. Non juvat Schvvenckfeldianos & Libertinos D. Paulus Apoſtolus 2. ad Corinth. 3. v. 6. ſcribens: *Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat*; non enim per litteram intelligit Scripturam: per Spiritum verò internum inſtinctum; Sic enim idem Apoſtolus fruſtra tot litteras ſcripſiſſet, & monuiſſet 1. Tim. 4. v. 13. diſcipulum, ut lectioni intenderet. Senſus igitur adductorum verborum eſt: Littera ſeu lex ſola, ſi gratiæ præſidio deſtituatur, (uti in veteri teſtamento) nocet potius, quàm proſit; etenim occidit animam (licet ſolùm occaſionaliter) dum multitudine & difficultate præceptorum urget ac premit, nec tamen vires ſubminiſtrat ad ea omnia complenda, ut oportet: Spiritus autem ſolus, id eſt, gratia ſpiritualis vivificat animam, vitam ei ſpiritualem afferendo, quâ potens redditur ad opera æternæ ſaluti parandæ neceſſaria. Huic ſenſui concordant verba immediatè antecedentia: *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*, hoc eſt, ad prædicandum Evangelium, Eccleſias fundandas, Sacramenta adminiſtranda idoneos nos Miniſtros fecit, non *litterâ* ſolâ vobis communicando, ſed & *ſpiritu* impertiendo; q. d. non eo modo Miniſtri ſumus, quo in Lege Moyſes, ut ſcil. nudam litteram vobis proponamus, ſed inſuper etiam Spiritum, id eſt, Dei gratiam afferamus; quia Deus ad verba noſtra immittit vobis copioſam gratiam, ſanctaſque inſpirationes & impulſus. Ita D. Auguſtin. de Spiritu & littera c. 1. & ſeqq. & de Nat. & Grat. c. 57. Chryſoſt. Ambroſ. alij Patres.

XII. *Error Secundus eſt*, Scripturas Sacras & Canonicas non diſcerni à non-Sacris libris, & non-Canonicis ſcripturis ſolâ Romano-Catholicæ Eccleſiæ authoritate. Ita Lutherani apud Joan. Gerhardum Lib. 2. Part. 1. fol. 105. & ſeqq. Calviniſtæ apud Guiliel. Ameſium Tom. 1. à fol. 6. Coccejus apud DD. à Walenburg Tom. 1. à pag. 835. & alij Sectarij communiter. Probant 1. Scriptura eſt prior, quàm Eccleſia, utpote ipſius ſemen & fundamentum. Matth. 13. Epheſ. 2. v. 20. *ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, id eſt, ſupra ſcripta illorum. Ergo Eccleſia non tribuit Scripturæ Authoritatem, ſed ſupponit. 2. Si Eccleſia authoritatem Scripturæ tribuit, tunc eſt ſupra Scripturam. Hoc eſt abſurdum. 3. Si Eccleſiæ teſtimonio diſcimus, quodnam ſit Verbum Dei, tunc Eccleſia prius id ſcire debuit; ſed unde? non ex Scriptura, ſed ex alijs medijs. Ergo ex iiſdem alij ſcire idem poſſunt abſque Eccleſiæ authoritate. 4. In diſcurſu Catholicorum committitur vitioſus circulus, dum divina Scriptura creditur ob infallibilem authoritatem Eccleſiæ: & rurſus iſta propter illam. 5. Auguſtinus ajens: non crederem Evangelio, niſi me commoveret Eccleſiæ authoritas, reſpexit ad Eccleſiam Primam, non ad modernam Romanam. Ita Jacobus Hailbrunner in Papatu Acatholico fol. 553. & plures Sectarij.

XIII. Errorem iſtum præter omnes Catholicos, ut ſupra diximus, rejiciunt etiam reipſa Acatholici. Nam mox poſt initium Eccleſiæ Libris Canonicis fuerunt alij Apocryphi permixti, v. g. Evangelia Petri, Thomæ, Bartholomæi tanquam ab illis ſcripta: item Epiſtola ad Laodicenſes ſub nomine Pauli, qui libri, alijque adhuc extant; & tamen nec à Catholicis, nec à Sectarijs tanquam Canonici recipiuntur. Ergo penes Eccleſiam eſt determinare, quinam libri ſint Canonici & Sacræ Scripturæ. Quod clarè agnoſcens Petrus Martyr Calviniſta in locis comm. loco 6. ſic ſcribit: *Eccleſiæ functionem eſſe agnoſcimus, ut, cum ſit prædita Spiritu divino, ſinceros & germanos libros divinarum litterarum ab adulterinis & apocryphis diſcernat.* Idem agnoſcunt nonnulli Lutherani, ut infra patebit. D. Gregorius Magnus Lib. 1. c. 2. quatuor Concilijs Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi tanquam quatuor Evangelijs honorem haberi voluit, eáque velut legitima recipiunt Sectarij: Et unde norunt illa fuiſſe à Spiritu Sancto directa, niſi ex authoritate Eccleſiæ? Si autem hæc ſufficit pro declarandis Concilijs legitimis, cur non pro libris canonicis? Præclarè Hieronymus contra Luciferianos dixit: *Si non ſit in Eccleſia una eminens poteſtas, tot erunt Schiſmata, quot Sacerdotes*; quod uti de alijs rebus multis, id de libris Canonicis eſt intelligendum. Probationes Adverſariorum debiles ſunt.

XIV. Reſpond. ad 1. probationem, negando Antecedens. Nam Eccleſia totaliter ſumpta fuit prior Scripturâ; cùm ab initio mundi ceperit ab Adamo uſque ad Moyſen, qui primus Verbum Dei ſcripto annotavit. Si verò ſpeciatim de Chriſtiana Eccleſia loquamur, ejus ſemen eſt Verbum Dei ſeu ſcriptum, ſeu non ſcriptum: Fundamentum etiam ſunt Apoſtoli non quà ſcribentes, ſed quà primi credentes & prædicatores, cum plerique Apoſtoli nihil ſcripſerint. Et ſi nullus quidquam ſcripſiſſet, cur Eccleſia Chriſtiana non æque perſtare abſque Scriptura potuiſſet, ac perſtitit Eccleſia ab Adamo uſque ad Moyſen? certè Irenæus, qui circa annum Chriſti 180. floruit, in hunc finem teſtatur Lib. 3. c. 4. *adhuc ſuo tempore multas barbaras Gentes abſque ulla Scriptura Fidem Catholicam ore & corde profeſſas ſolis Apoſtolicis adhæſiſſe traditionibus.*

XV. Ad 2. Eccleſiam non dare, ſed notam facere authoritatem Scripturæ, quam ex DEO habet, cujus eſt Verbum; perinde ac ſi ego alicui extero Papam antea ignotum oſtenderem, non facerem illum Papam, ſed hujus notitiam alteri communicarem, ut debitam illi reverentiam exhibere poſſit. Item ſicuti Stephanus Papa & Concilium Nicenum I. non formârunt novum articulum Fidei de non rebaptizandis hæreticis, ſed Fidei veritatem in Eccleſia uſurpatam quidem, ſed à nonnullis ſalvâ pace diſputatam determinaverunt

Digitized by Google

verunt & declaraverunt, ita Eccleſia Catholica non format novos libros Canonicos, authoritatẽ Sacræ Scripturæ, quam prius non habebant, ipſis tribuendo; ſed illos, qui ab initio Eccleſiæ uſurpati ſunt, & de quibus diſſenſiones erant, determinavit, declaravit, & publicavit.

XVI. Ad 3. quam ſpeciatim urget Gerhardus lib. 1. fol. 52. Eccleſiam Recentiorem accepiſſe notitiam Scripturæ ex Traditione Antiquæ; iſtam verò à Prophetis: hos denique immediatè à Deo. Nos autem talibus medijs uti non poſſumus, quia non habemus præſentes Apoſtolos aut Prophetas, nec vidimus veterem Eccleſiam. Ergo Traditioni per Eccleſiam præſentem propoſitæ credere debemus; non per aliam Traditionem, ut objicit Gerhardus, ſed per illamipſam; quia univerſim Myſterio Fidei aſſentimus tanquam rei credendæ per revelationem ſive ſcriptam ſive traditam: revelationi verò per ſeipſam, uti communiter docent Theologi.

Inſtat Gerhardus loc. cit. ſic ipſam Scripturam Sacram per ſeipſam credi poſſe. Sed inſtantia hæc egregiè prodit hominis inſcitiam. Nam licet Sacræ Scripturæ ſint revelationes divinæ, quia tamen in propoſito ſunt ignotæ & res credendæ, ut objectum Quod, non poſſunt per ſeipſas, ſed debent neceſſariò per aliud, Traditionem ſcil. innoteſcere & credi, ut cum S. Thom. 22. q. 1. art. 1. docent cæteri Theologi.

Urget lib. 2. Part. 1. fol. 218. Teſtimonium illud Eccleſiæ eſſe hiſtoricum, & non niſi humanam parere fidem. Reſp. Negando. Nam hos libros eſſe Canonicos, credimus propter Revelationem divinam immediatè à DEO factam Prophetis & Apoſtolis, quam iſti non ſcripto, ſed oretenus tradiderunt Eccleſiæ primitivæ, quæ ad noſtra uſque tempora illam continuò ſecum ſervans ſurgentia dubia ex eadem decidit, affirmando, hos libros eſſe ſacros, non illos. Unde aliud eſt propoſitio, & teſtificatio Eccleſiæ: aliud revelatio non ſcripta ſeu Traditio, per illam tanquam humanum teſtimonium & motivum credibilitatis inducimur ad credendum: propter hanc veluti atteſtationem & loquelam DEI Fide divinâ credimus, hos libros eſſe Cauonicos, ut optimè & pluribus contra Cocceſum & alios declarant DD. à Wallenburch. Tom. 1. à pag. 841.

XVII. Ad 4. non apparere hic periculum circuli apud Catholicos, qui utrumque ſcriptum & non-ſcriptum DEI Verbum admittunt inducti ad hoc & illud credendum per motiva credibilitatis. Sicuti ergo per Scriptum DEI Verbum Matth. 1. v. 16. credimus, Chriſtum eſſe natum ex MARIA, ita credimus per traditionem ſeu non ſcriptum DEI Verbum, Evangelium hoc Matthæi eſſe Matthæi Apoſtoli: atque ad utrumque horum credendum communibus credibilitatis motivis inducimur. Ubi hic vitioſus circulus? Sed plura de hoc infra, ubi de Infallibilitate Eccleſiæ agemus, ubi etiam oſtendemus, quàm apertè hoc vitium incurrant Sectarij.

XVIII. Ad 5. probationem & Authoritatem S. Auguſtini. Demus, Auguſtinum ad primam Eccleſiam, non ad modernam Romanam reſpexiſſe; Si abſque primæ Eccleſiæ teſtimonio credi certò non poſſit, quinam libri ſint Canonici, ſequuntur duo manifeſtè contra Adverſarios. Primum eſt, internis critirijs abſque Eccleſiæ authoritate fidere ſecurè neminam poſſe. Alterum, Traditiones omnino admittendas eſſe; Siquidem abſque Traditione Eccleſiæ primæ diſcerni inter libros ſacros & prophanos non poſſit. Sed falſum omnino eſt, S. Auguſtinum loc. cit. reſpexiſſe ad Eccleſiam primam. Nam Lib. 28. contra Fauſtum c. 2. ſcribit, *credere ſe, Matthæi fuiſſe hiſtoriam de Nativit. Chriſti; quia tota Eccleſia ab Apoſtolis non interruptâ ſerie temporum, & legitima ſucceſſione Epiſcoporum ita affirmat.* Quomodo etiamnum hodie inſiſtimus nos veſtigijs S. Auguſtini, & aſſerimus; quia Eccleſia Sac. Scripturas ab Apoſtolis accepit, & non interruptâ ſerie temporum ac ſucceſſione Epiſcoporum ad nos detulit, ideo oportet, illas eſſe veras & infallibiles Scripturas.

XIX. *Error Tertius eſt*, Scripturas Sacras à non ſacris diſcerni poſſe varijs modis extrinſecis. Ita Hæretici paſſim, ne Eccleſiæ authoritatem agnoſcere, & hujus judicio ſubjicere ſe cogantur. Proponam modos illos ordine, & refellam breviter. Primus eſt Calvini Lib. 1. Inſtit. cap. 7. §. 2. ubi cenſet, *tam facilè eſſe, Sacram Scripturam à non-ſacra diſtinguere, quàm lucem à tenebris, album à nigro, ſuave ab amaro.* Sed contra eſt. Tum quia aliqui olim Patres ante ſtabilitum Canonem de nonnullis libris inter ſe diſſentiebant, qui tamen utique adeo cæci non fuerunt, ut rem per ſe claram & evidentem non perſpicerent. Tum quia etiamnum hodie inter Sectarios non convenit, quinam libri univerſim ſint Canonici; Epiſtolam S. Jacobi in Canonem recipiunt Calviniſtæ: ab eodem rejiciunt Lutherani. Calvinus, Lutherus, Eraſmus Apocalypſin à Canone Sac. Scripturæ arcent: eandem Auguſtinus Marlatus, Beza, Meno Hanneken atque alij moderni Calviniſtæ & Lutherani in Canonem admittunt &c. Tum quia hanc vel illam eſſe Scripturam Sacram, fide ſolùm credimus, ut & alia Myſteria ſupernaturalia; At verò Fides non eſt rerum evidentium, ſed obſcurarum, ſeu non apparentium Hebr. 11. v. 1.

XX. Secundus eſt Ægidij Hunnij in Colloquio Ratisbon. Seſſ. 10. & aliorum, Scripturam Sacram à non ſacra diſcerni poſſe ex ipſo titulo ſeu inſcriptione Apoſtolum aut Prophetam præſeferente. Sed contra eſt. Tum quia tituli vel ſunt partes librorum Canonicorum, vel non; ſi prius, ipſos ante cognoſci oportet authenticos, quod ſint Verbum Dei: ſi poſterius, authoritatem infallibilem non habent ad teſtificandum. Tum quia aliqui libri Sacræ Scripturæ titulum non habent, v. g. Liber Geneſis. Tum quia multa Scripta Apocrypha titulos Apoſtolorum & Prophetarum preſeferunt, ut Evangelium Andreæ, Thomæ, Bartholomæi, Barnabæ, Apocalypſis Petri, & alia hujus generis, quæ recenſentur à Gelaſio Diſt. 15. Can. Sancta Romana.

XXI. Tertius eſt Kemnitij in Examine Trident. P. 1. Seſſ. ult. diſcerni Sacram Scripturam ex allegationibus; dum enim unus liber citat alterum, ſuam huic authoritatem tribuit. Sed contra eſt. Tum quia redit quæſtio, unde conſtet, illum librum, à quo alius citatur, eſſe Scripturam Sacram. Tum quia non omnes Vet. Teſtamenti Libri allegantur in Novo. v. g. Liber Ruth, Eſther &c. Tum quia nonnunquam in Scriptura citantur ſententiæ Gentilium, quæ tamen non ſunt Verbum Dei v. g. Epimenidis: *Cretenſes ſemper mendaces*, quem Paulus adducit

cap. 1.

cap. 1. epiſt. ad Tit. v. 12. vocans eum proprium Cretenſium Prophetam. Tum quia non minùs dubitari poteſt de partibus & capitibus ſingulorum librorum, quæ tamen ex Vet. Teſtamento non citantur in Novo. Kemnitio conſentit Gerhardus Lib. 2. part. 1. fol. 5. qui tamen ibid. fol. 39. rejicit ex Daniele hiſtoriam Suſannæ c. 13. Dicat ergo, cur hiſtoriam de Adultera Joan. 8. pro Canonica habeat, cum hæc etiam à nullo alio Apoſtolo aut Evangeliſta citetur; & negetur à Beza Calviniſta?

XXII. Quartus modus eſt Davidis Parei in Diſp. de authorit. Scriptur. Biblia agnoſci ex mirabili harmonia & conſenſu omnium librorum inter ſe, quod humanitus fieri non poteſt; ut tot Scriptores ingenijs, locis, & temporibus maximè diſſiti adeo inter ſe conſpirent, niſi Spiritus Sanctus direxiſſet, cum alioquin vix duo inter ſe, imò vix unus ſecum in eodem libro conſentiat. Unde Chriſtoph. Scheibler Lutheranus Superintendens ſic argumentatur: Sacra Scriptura eſt Sacra Scriptura. Ergò verum eſt, libros iſtos, quos Biblia vocamus, eſſe Sacras Scripturas, quia propoſitiones illæ ſunt identicæ. Sed contra eſt. Tum quia multa in Sac. Scriptura apparent repugnantia & difficulter inter ſe reconciliantur; & niſi aliunde ſciremus, eſſe Verba Dei, exiſtimaremus contradictoria. Tum quia potuerunt paulatim poſt tot ſecula corrigi Biblia, & in ijs diſcordiæ auferri. Tum quia multa profanè ſcripta ſunt vera, & optimè inter ſe conſonantia, & tamen ſacra non ſunt; niſi fortè nihil unquam veri ſcripſerint Sectarij. Argumentatio Scheibleri eſt planè ſtolida; etenim ſic etiam dici poſſet: Sacra Scriptura eſt Sacra Scriptura. Ergo verum eſt, Alcoranicam ſcripturam eſſe ſacram ſcripturam. Eſt quidem aliquid reconditæ & latentis veritatis in S. ſcriptura, quod proprium eſt S. ſcripturæ, nempe quod non ſolùm ipſa non fallat, ſed nec fallere aut errare poſſit. Sed hanc propriam veritatis excellentiam, cum per ſe occultiſſima ſit, tum demum in ſcriptura agnoſcimus, cum jam aliunde ſcripturam ſacram, ejuſque Auctorem Deum cognoverimus.

XXIII. Dicunt Adverſarij, non eſſe mirum, ſi ſacra ſcriptura per ſeipſam probetur, cum Ariſtoteles doceat, *Rectum eſſe normam ſui & obliqui*: Et ex Catholicis Alphonſ. de Caſtro lib. 7. adverſ. hæreſ. c. 2. apud Gerhardum Lib. 1. fol. 52. ſic diſſerit: velle rationibus convincere, ſacram ſcripturam eſſe veracem, tanta mihi videtur dementia, ac ſi vellet quis rationibus fulcire, prima alicujus ſcientiæ principia. Et mox: Omnes velut primum principium credere hoc tenentur. Reſpond. Ariſtotelem eſſe intelligendum de Recto in genere, non in individuo; etenim quando dubitatur, num aliquid rectum ſit, non per ſeipſum, ſed per aliud, quod conſtat, eſſe rectum, dijudicatur. Unde libenter dederim, unum Verbum DEI confirmari per aliud, quod conſtat eſſe Verbum DEI, non autem per ſemetipſum, aut aliud æquè ignotum. Alphonſum à Caſtro ineptè adducit Gerhardus. Nam non loquitur ille de Sac. Scriptura primùm cognoſcenda & diſcernenda à non-Sacra, ſed de jam cognita & recepta; poſteriore modo ſumpta & ritè intellecta eſt principium; & dementia foret rationibus fulcire velle: non priore modo; hocipſo enim, quod nobis non conſtet, an ſit Verbum DEI, per aliud principium innoteſcere nobis debet, quod principium nos dicimus, eſſe authoritatem Eccleſiæ. Atque in hunc modum intelligenda ſunt, quæ diximus ſupra part. priore Doctr. 1. §. III.

XXIV. *Error Quartus eſt.* Sacras Scripturas à non ſacris diſcerni poſſe ex arcano teſtimonio Spiritûs, & internis critirijs. Ita pleriſque hodie Hæretici, qui nihil illis extrinſecis argumentis ſe efficere advertentes dicunt, ijſdem opus non eſſe, ſed Spiritum Sanctum mentes hominum interius ita illuminare, ut certò cognoſcant, & ſine ulla hæſitatione (quam ipſi græco nomine πληροφορία h. e. plenam aſſertionem ſeu certiorationem vocant) credant, hæc Biblia eſſe Verbum DEI. *Authorem Scripturæ eſſe DEUM, diſcendum*, inquit Calvinus 1. Inſtit. c. 7. §. 4. *Ex arcano teſtimonio Spiritûs, quod Spiritus Sanctus piorum cordibus obſignet.* Et Hunnius in Colloquio Ratisbon. Sect. 1. ait: *Quod Evangelium Matthæi ſit Canonicum, & habeat divinam authoritatem, id habemus non ſimpliciter ex authoritate Eccleſiæ, ſed internis etiam critirijs.* Hunc internum Spiritûs Sancti inſtinctum jam olim fuiſſe promiſſum, probant ex varijs Sac. Scripturæ textibus. 1. habetur Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit vir proximum dicens, cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum.* 2. Ioan. Epiſtola 1. c. 2. v. 27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed ſicuti unctio DEI docet vos de omnibus.* 3. ibid. c. 5. v. 10. *Qui credit in Filium DEI, habet teſtimonium DEI in ſe.* 4. habetur Ioan. 14. v. 26. *Spiritus docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia.* 5. ibid. c. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 6. Roman. 8. v. 16. *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro.* 7. 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus Scrutatur omnia etiam profunda DEI.* 8. denique & præcipuus textus habetur Iſaiæ 54. v. 13. *Ponam univerſos filios tuos doctos ad omnia.*

XXV. Error iſte quàm familiaris eſt Hæreticis abdita ſemper rerum quærentibus, ita eſt noxius, & vehementiſſimè hac in re hallucinantur Sectarij. Nam *Primò* privatus hic inſtinctus non certiorat & tutam reddit conſcientiam; quippe ſcire nequeunt, an ille ſit à Spiritu Sancto, an à diabolo; cum Ioannes Epiſtol. 1. cap. 4. v. 1. moneat ſollicitè: *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex DEO ſint.* Unde autem ipſi probant, quod ex DEO ſint? quid ſi ille Spiritus ſuggeſſit, qui 3. Reg. 22. v. 22. coram DEO ait: *Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Audiant S. Auguſtinum ſuper cit. Ioan. loc. ubi tam ipſum Spiritum, per quem alios probari oportet, quàm Spiritus, qui probandi & reijciendi ſunt, fusè declarat. De priore inter alia ſic ſcribit: *Ipſe eſt Spiritus DEI, quem non poſſunt habere hæretici, & quicunque ſe ab Eccleſia præcidunt.* Poſtea adducit etiam alios Spiritus, & ait, *eſſe hæreticorum & ſchiſmaticorum Spiritus; ita ut certa nobis regula ſit, Spiritum ejus, qui per hæreſin & ſchiſma ſeparat ſe ab Eccleſia Catholica, non eſſe ex DEO.*

XXVI. *Secundò.* In Eccleſia Chriſti debet eſſe authoritas & regula, per quam in rebus Religionis omnes Fideles ſecuritatem obtinere poſſint, quodnam ſit Verbum DEI, quodnam non; incredibile enim videtur, DEUM non providiſſe aliquod medium veræ fidei perſuadendæ. Atqui hanc ſecuritatem nemo habere poteſt ex critirijs inter-

Digitized by Google

internis. Ergo alia regula eſſe & oſtendi debet, quæ in re tanti momenti ſecuros non reddat. Majorem ſic confirmo. Si non ſim certus, & indubitâ fide credere poſſim, Evangelium Matthæi eſſe verum DEI Verbum, tunc nec indubitatâ fide tenere poſſum ea, quæ in illo continentur, & ſic ruit tota mea fides. Minor conſtat; cum enim interna critiria apud diverſos homines diverſa ſint, nihil certi ex his ſtatui poteſt; imò apud unum eundémque hominem diſparia ſunt, & fortè hominem in ambiguo ſuſpenſum relinquunt. Certè Lutherus in præfat. ad Apocal. S. Ioannis apertè fatetur, *nihil circa illam determinare ſe poſſe, num ſit Verbum DEI.*

XXVII. *Tertiò,* Adverſarij petunt principium. Tum quia ſupponunt, Scripturam eſſe Verbum DEI, ſiquidem ex ſententijs Scripturæ tanquam ex divina promiſſione conantur probare, hunc inſtinctum Spiritûs Sancti, cum tamen hocipſum controvertatur, utrum illæ ſententiæ ſint Verbum DEI. Tum quia ſupponunt, ſe eſſe veros Fideles, quibus factæ ſunt illæ promiſſiones, & conſequenter hic inſtinctus ſupponit fidem; atque hinc probari non poteſt, quod habeant hunc inſtinctum. Taceo minimè vero ſimile videri, ſanctiſſimos Patres talem inſtinctum non habuiſſe, hocipſo, quod receperint aliquos libros pro Verbo DEI, quos Sectarij reijciunt: ipſum verò Lutherum, aliósque Novatores vaniſſimos à Spiritu Sancto illuminatos fuiſſe, quis hoc ſibi perſuadeat?

XXVIII. Loci & textus Sacræ Scripturæ ſupra allati non favent Adverſarijs. Tum quia ſic non omnia fidei dogmata continentur in S. Scriptura, & ab hac non unicè dependent, ut ipſi mordicus volunt; etenim primarium fidei dogma eſt, *Sac. Scripturam eſſe Verbum DEI*, quod tamen ex Sac. Scriptura non probant, ſed ex privato ſuo inſtinctu crepant. Tum quia promiſſiones illorum textuum ſunt univerſales de omnibus articulis. Ergo Sac. Scriptura omnino non erit neceſſaria, pro qua iſti toti ſtant in armis. Tum quia ritè intellecti non loquuntur de tali privato inſtinctu, ut ex ſingulorum explicatione conſtabit.

XXIX. Reſpond. igitur ad 1. ex Hieremiæ 31. hunc textum non intelligendum eſſe de prima fidei acquiſitione, quaſi abſque omni externa doctrina hominibus infundenda ſit (hoc enim repugnat Apoſtolo ad Rom. 10. v. 14. dicenti: *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?*) ſed de conſtantia in fide ſemel per externam prædicationem accepta, promittendo, Chriſtianos non tam mutabiles fore, ac Judeos, qui toties à vero DEO ad idola defecerunt, ut notitia DEI perpetuò illis inculcanda fuerit, ſed ſtabiliter in DEI notitia perſeveraturos. Quodſi intelligatur etiam locus iſte Hieremiæ de prima fidei acquiſitione cum S. Auguſtino, Chryſoſtomo, Theophylacto & alijs apud Cornelium à Lapide, nequaquam infertur inde, externam prædicationem non requiri; cur enim alioqui DEUS in Eccleſia ſua poſuiſſet Paſtores & Doctores Epheſ. 4. v. 11. ſed illam reſpectu internæ Spiritûs Sancti vocis, quaſi nihil eſſe, & hanc quaſi nullo labore conſequi optatum fructum, ſecus quàm fiebat in veteri lege, ubi circumibant mare & aridam, ut facerent unum proſelytum; At in nova lege integræ nationes Gentilium, ac præ omnibus Samaritani cognoſcent DEUM; Actor. 8. adeo copioſo lumine gratiæ illuminabit corda illorum DEUS.

XXX. Ad 2. ex epiſt. 1. Ioan. c. 2. hunc etiam textum non agere de initio fidei, quam non ab unctione interna, ſed ab Apoſtolis didicerunt primi Fideles; quippe loquitur Ioannes ſcientibus, ut ipſemet ait. v. 21. Itaque in prædicto textu ſermo ſolùm eſt de certis articulis & Myſterijs Fidei, quæ ſcire quilibet Fidelis debet: item de quibuſdam corollarijs inde deducendis; neque excluditur inſtructio Doctorum & Paſtorum Eccleſiæ, ut fatetur hic etiam Beza, ſed ſolùm Pſeudo-doctorum.

XXXI. Ad 3. ibid. ex cap. 5. hunc textum non eſſe ad rem; quia hoc teſtimonium DEI non fuit inſtinctus merè internus, ſed externa vox DEI in baptiſmo Ioannis cœlitùs emiſſa Matth. 3. v. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Senſus igitur eſt: Qui credit in Filium DEI ſeu in JESUM, habet teſtimonium illud DEI in ſe pro vero, liquido, & certo: qui non credit Filio tanquam Meſſiæ & Filio DEI, is mendacem facit eum, nempe tam Filium quàm Patrem & Spiritum Sanctum; quia teſtimonium, quo teſtantur, JESUM eſſe Filium DEI & Meſſiam, non credit, quia non habet illud pro certo, liquido, & vero, ſed pro incerto, dubio, & fallaci, quod eſt extremè blaſphemum & injurium divinæ Majeſtati & infallibili Veritati.

XXXII. Ad 4. ex Ioan. 14. Item ad 5. ibid. ex cap. 16. hos textus Imprimis tantùm pertinere ad Apoſtolos, tanquàm primos & univerſales totius mundi Doctores, quibus Chriſtus ſpecialem Spiritûs Sancti aſſiſtentiam pollicitus eſt, non cuivis homini. Deinde non in ſolo articulo dignoſcendi Scripturam, ſed in omnibus rebus Spiritum Sanctum adfuturum dixit. Demum non dixit Chriſtus, Spiritum Sanctum ſolâ internâ inſpiratione eos docturum? ſæpe enim homine pro inſtrumento ad alios homines docendos utitur.

XXXIII. Ad 6. ex Apoſt. ad Rom. 8. hunc textum non loqui de vera Scriptura, ſed de teſtimonio Spiritûs Sancti, quiſnam ſit Filius DEI, ſcil. per filialem affectum & fiduciam erga DEUM. Et licet teſtimonium hoc in ſe, & quatenus à Spiritu Sancto procedit, ſit certiſſimum, & infallibile: quâtenus tamen nobis exhibetur, non eſt certum niſi certitudine conjecturali, & ut ſummùm morali; unde enim novimus, illud à Spiritu bono, & non à malingno proficiſci?

XXXIV. Ad 7. ex 1. ad Cor. 2. hunc etiam textum non facere ad rem. Nam per Spiritum Sanctum omnia ſcrutantem intelligitur ipſemet Spiritus Sanctus, ut interpretantur Ambroſ. Theodoretus, & alij communiter, qui non omnia ſua ſecreta omnibus communicat. Spiritualis autem homo ibidem v. 15. dicitur omnia judicare per internum lumen à Spiritu Sancto infuſum, ſed non per ſolum iſtud. Senſus igitur eſt: Spiritualis homo expendit & ponderat omnia non minùs rationes ſpirituales & divinas, quàm humanas, ut de myſterio aliquo ſibi propoſito ſolidè judicet, & ſtatuat: & ſic ipſe à nemine judicatur, hoc eſt, argui & condemnari poteſt.

XXXV. Ad 8. denique & præcipuum textum ex Iſaiæ 54. hunc duntaxat oſtendere neceſſitatem internæ illuminationis, & liberalem ejuſ-

ejuſdem communicationem tempore legis Evangelicæ, non verò illam ſolam ſufficere. Senſus itaque eſt, myſteria fidei, quæ Evangelici Præcones diſcipulis ſuis exteriùs proponent, ego interius illuminado ſupernaturali lumine intellectus illorum, & impulſu pio excitando movendóque voluntates inculcabo ſuaviter & perſuadebo. Abſque hac interna illuminatione & excitatione interna fruſtra eſt omnis doctrina externa &c. Videri poteſt P. Cornel. à Lapide in cit. Iſaiæ locum.

XXXVI. Hactenus de critirijs internis in genere. Porro videndum in ſpecie, quæ & quot Adverſarij aſſignent critiria ſeu notas ac indicia, ex quibus certè cognoſcatur Verbum DEI. Ioan. Gerhardus lib. 1. fol. 53. affert quinque. Hunnius in Colloq. Ratisbon. Seſs. 10. cit. duo his ſuperaddit. Primum eſt *Antiquitas Bibliorum per tot ſæcula conſervatorum*; quod enim hi libri inter tam varios caſus & tot Tyrannos eos delere cupientes nihilominus ad manus noſtras devenerint, profectò non abſque ſingulari DEI providentia Verbi ſui tutrice fuit factum. Sed contra eſt. Tum quia Adverſarij ſic incidunt in traditionem, quam effugere volunt; unde enim nôrunt, hæc ipſa Biblia, quibus hodie utimur, tot ſæculis duraſſe, & Tyrannos comburere ea voluiſſe, ſed divinâ protectione fuiſſe impeditos, niſi per majorum traditionem? Tum quia ſic quoque argumentari debent; Papatum Romanum à DEO eſſe fundatum; cum tot ſæculis inter tot perſecutiones ſingulari DEI Providentiâ conſervatus fuerit. Tum quia non omnes libri Sacræ Scripturæ ita fuerunt conſervati, ſed multi perierunt, quorum tamen mentio fit in extantibus libris, id quod aliqui paulò ſupra allati atque ipſimet Gerhardus voluerunt, eſſe certum indicium Verbi DEI.

XXXVII. Multi etiam Patres arbitrantur, totum vetus Teſtamentum in Captivitate Babylonica intercidiſſe, & memoriter ab Eſdra reſtauratum fuiſſe, ut refert Nicolaus Serrarius in Proleg. cap. 12. q. 1. poſtquàm cap. 8. quæſt. 14. enumeravit 20. libros, qui perierunt. I. Fuit liber bellorum DEI. Num. 21. II. Liber juſtorum ſeu liber Recti. Joſue 12. & 2. Reg. 1. III. Liber verborum ſeu rerum geſtarum Salomonis 3. Reg. 11. IV. Liber verborum Regum Iſrael 3. Reg. 14. V. Liber verborum Regum Juda ibid. VI. Samuelis libri 1. Paralip. ult. VII. Alius quidem ejuſdem Samuelis lib. 1. Reg. 12. VIII. Nachanis. 1. Paralip. 29. & 2. Paralip. 9. IX. Gad Prophetæ ibid. X. Achiæ Proph. 3. Reg. 14. & apertiùs 2. Paralip. 9. *Ut in libris Ahiæ Prophetæ.* XI. Addo Prophetæ 2. Paralip. 9. XII. Jehu Prophetæ 2. Paralip. 20. XIII. Chozai Prophetæ 2. Paralip. 33. XIV. Salomonis 3000. parabolarum 3. Reg. 4. XV. Ejuſdem Carmina quinque & mille 3. Reg. 4. XVI. Ejuſdem phyſica de plantis, jumentis & volucribus. XVII. Liber Enoch., ut ex Judæ Apoſtoli epiſtola S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate c. 18. colligit. XVIII. Epiſtola Eliæ Prophetæ, quam ad Regem Iſrael miſit 2. Paralip. 21. XXI. Iremiæ deſcriptiones 2. Machab. 2. XX. Ioannis Hircani liber dierum 1. Machab. ult. Ex his libris viginti probabiliter dici poteſt, ſi non omnes, certò nonnullos fuiſſe canonicos & authoritatis divinæ, ac eos præſertim, qui non ſimpliciter citantur, ſed cum elogio & titulo Prophetæ. Ergò non eſt proprium Sac. Scripturæ durare, & aboleri non poſſe.

XXXVIII. Secundum. *Miracula in confirmationem Bibliorum facta.* Nam ſcribit Victor Uticenſis lib. 3. de perſecut. Wandal. cum Diocletianus Imperator Biblia Chriſtianorum exuri juſſiſſet, imbre cœlitùs delapſo ignem extinctum fuiſſe. Zonaras quoque 3. Annal. teſtatur, Biblia in ignem conjecta non arſiſſe. Hujuſmodi miracula plura contigiſſe, & magnam Sac. Scripturæ authoritatem conciliaſſe minimè negamus, ſed ea Hæreticis non patrocinantur. Tum quia horum miraculorum veritas non conſtat niſi ex Traditione, quam ipſi ſpernunt. Tum quia non poſſunt probare, hodierna Biblia eſſe eadem cum illis, quibus cum talia miracula acciderunt. Tum quia alia noſtræ fidei dogmata multò pluribus miraculis comprobata non volunt agnoſcere, v. g. Miſſam, & Invocationem Sanctorum, occinentes, miraculis non fidendum eò, quod ſimilia dæmonis auxilio ab Ethnicis olim facta fuerint, & Antichriſtus multò majora patraturus ſit; quæ certè contra iſta miracula pro Biblijs facta æquè objici poſſunt. Tum quia ſimilia miracula leguntur facta cum ſcriptis quorumdam Sanctorum, quæ tamen non fuerunt Verbum DEI.

XXXIX. Tertium eſt. *Energia Bibliorum ad permovendos hominum animos*, qualis in humanis ſcriptis non reperitur. Verùm hinc non ſatis probatur intentum. Tum quia iſti motus animorum ſupponunt jam notam Bibliorum authoritatem; ſiquidem neſcius aut incredulus eſſe Verbum DEI, eorum lectione vel auditione non moveretur. Tum quia ſimiles quidam motus etiam ex alijs libris Scriptorum Chriſtianorum, imò Ethnicorum quoque exorti ſunt, ſicuti non pauci lecto Platonis libro de immortalitate animæ ita commoti ſunt, ut ſibimet necem conſciſcerent, an ideo fuit Verbum DEI?

XL. Quartum eſt. *Sanctitas & Majeſtas rerum, quæ in Sac. Scriptura tractantur.* Sed contra hoc critirium eſt. Tum quia non convenit toti Scripturæ; ſæpius enim valde viles & in ſpeciem abſurdæ res in ea tractantur; unde Auguſtinus adhuc Catechumenus lectione libri Geneſis Scandalizatus fuit, quod tam vilia & abjecta proponeret, ut D. Ambroſius coactus fuerit ad myſticum ſenſum elevare. Tum quia etiam ſublimia myſteria ſcripturæ apud Sanctos Patres, D. Thomam Aquinatem, & cæteros Theologos reperiuntur, non ideo eorum Scripta ſunt Verbum DEI.

XLI. Quintum eſt *eventus prædictionum in Scriptura contentarum.* Sed hinc nihil probatur. Tum quia hoc non convenit omnibus libris Scripturæ, ſiquidem non omnes ſunt Prophetici, ſed multi hiſtorici præterita referentes. Tum quia etiam in vitis Sanctorum multa vaticinia eventu comprobata recenſentur, non ideo ſunt partes Scripturæ. Tum quia in libris Sibyllinis etiam de Chriſto multæ prædictiones fuerunt, quas rerum eventus comprobavit, non ideo habiti ſunt Verbum Dei.

XLII. Sextum eſt *Sanctitas Scriptorum.* Sed contra eſt. Tum quia hoc critirium, ſi aliquid valeat, ſupponit Traditionem; unde enim noverunt Adverſarij, vel hos libros ab eis conſcriptos fuiſſe, vel illos Scriptores tam ſanctam vitam duxiſſe, niſi ex traditione? Tum quia aliquorum librorum incertus eſt Author, ut libri Job, Judi-

Digitized by Google

Judicum, Paralipomenon. Tum quia quorundam Authorum ſanctitas eſt valde incerta, ut Salomonis, nihilominus ejus ſcripta ſunt oracula.

XLIV. Septimum denique critirium eſt *Fortitudo Martyrum*, qui maluerunt vitam perdere, quàm Biblia Ethnicis comburenda tradere, ut teſtatur Martyrologium Romanum 2. Januarij allegans S. Auguſtinum, & alios. Sed hinc etiam Adverſarij nihil evincunt. Tum quia ſupponunt, talia à Martyribus geſta fuiſſe: item eadem nunc Biblia extare, pro quibus illi occubuerunt, quorum tamen utrumque non niſi ex traditione haberi poteſt. Tum quia nonnulli etiam hæretici pro ſuis erroribus mortui ſunt præſertim Anabaptiſtæ. Et Infideles aliqui ad nutum ſui Imperatoris aut ventrem ſecant, aut ex alto ſe præcipitant; quomodo horum pertinacia à Martyrum conſtantia internoſcetur, niſi aliunde conſtet æquitas cauſæ pro qua moriuntur. Videantur DD. à Walenburg Tom.1. Append. 2. c. 4. ubi fusè oſtendunt, Proteſtantes ſolidè determinare non poſſe, quinam libri ſint Canonici.

XLV. Joannes Gerhardus loc. cit. allata critiria tueri nititur authoritate tum aliorum Catholicorum Scriptorum tum maximè Cardin. Bellarmini Lib. 1. de Verbo Dei c. 2. Sed ſicuti in alijs ita etiam in hoc graviter hallucinatur. Nam etſi veriſſimum ſit, ea, quæ allata ſunt Scripturæ critiria, valere ad confirmandam fidem illorum, qui jam credunt, librum eſſe Canonicum; in quem ſenſum differit & intelligi debet Cardinalis Bellarminus loc. cit. attamen vaniſſimum eſt dicere, ex ijs ſolis, ſeclusâ omni Eccleſiæ Authoritate Scripturam Sacram à non-ſacra diſcerni, præſertim quando ipſimet illi, qui hæc critiria aſſignant, in Canone concinnando non planè conſentiunt, ſive Lutheranos cum Calviniſtis ſive ipſos inter ſe Lutheranos conferamus.

XLVI. Adhæc fatentur quidem Serrarius in Prolog. Biblic. c. 4. q. 2. ac 7. & Domin. Lopez in Tract. de Script. Authorit. nonnulla ex prædictis critirijs v. g. miracula, & Martyrum conſtantiam, ſi cum debitis circumſtantijs temporis & Perſonarum accipiantur, non malè aſſumi ad probandam Bibliorum authoritatem: at verò reſpectu hujus temporis, & Perſonarum ſine Traditione Eccleſiæ non ſufficere. Nam quoad tempus; ſi miracula in teſtimonium Bibliorum patrata oculis noſtris vidiſſemus, & Scriptorum ſanctitatem Martyrumque conſtantiam coram intuiti fuiſſemus, non foret neceſſarium Eccleſiæ teſtimonium; nunc autem, quia hæc ſolùm referuntur, ut olim facta, ſine traditione conſtare non poſſunt. Quantum verò ad Perſonas attinet, quamvis nos rectè utamur hujuſmodi argumentis ad probandam Scripturæ divinitatem, ipſi tamen Hæretici prudenter uti illis non poſſunt; etenim quia eadem argumenta ſeu critiria æquè probant alios Fidei noſtræ articulos, vel omnes debent admittere, vel illis argumentis fidem abrogare; ſtultum quippe eſt, quando unum argumentum duo æqualiter probat, unum propter illud credere, & alterum repudiare.

XLVII. Hinc apparet, argumenta iſta Sacræ Scripturæ intrinſeca rectè laudari tanquam ad probationem facientia: attamen non ſola judicari ſufficientia ad probationem. Putat quidem Coccejus apud D D. à Walenburch Tomo 1. pag. 840. apertam in his involui contradictionem. Sed neſcit Logicam, ſuamq́ prodit inſcitiam. Ex propoſitionibus contradictorijs debet negare una, quod altera affirmat. Prior ex dictis propoſitio affirmat, illa argumenta eſſe laudabilia & facere ad probationem: Poſterior negat, eadem ſola ſufficere ad probandam Scripturarum divinitatem. An nonne duæ iſtæ propoſitiones circa diverſa objecta verſantur? Ubi ergo contradictio?

XLVIII. *Error Quintus eſt*, Sacram Scripturam ſecerni quidem à non ſacra per Eccleſiam Romanam, non tamen ob præſentis Papiſticæ authoritatem, ſed ob antiquæ Apoſtolicæ Eccleſiæ traditionem. Ita Kemnitius in examine Tridentini Concilij P. 1. Seſſ. 4. ubi ait: *Pendet tota hæc diſputatio, à certis, firmis, & conſentientibus primæ & veteris Eccleſiæ teſtificationibus, quæ ubi deſunt, ſequens Eccleſia, ſicuti non poteſt ex falſis facere vera, ita nec ex dubijs poteſt certa facere ſine manifeſtis & firmis documentis.* Conſentiunt non pauci alij hæretici, & nominatim Gerhardus Lib. 2. Part. 1. fol. 218. ubi in hunc ſenſum intelligenda putat verba S. Auguſtini ſup. allata: *Non crederem Evangelio &c.* Fundamentum illorum eſt, ut apparet ex verbis Kemnitij, quod fieri non poſſe arbitrentur, ut progrediente tempore libri quidam, de quibus olim fuit dubitatum, pro Canonicis unquam Eccleſiæ Authoritate legitimè proponantur.

XLIX. Errorem iſtum jam ſupra in fine §. XVIII. perſtrinximus, nunc non difficulter eum ulterius rejicimus. Tum quia licet remotè à Primitiva Eccleſia, tamen proximè à Moderna Eccleſia habentur ſacra Biblia; nec aliunde ſciri poteſt, eadem Biblia nunc extare, quæ temporibus Primitivæ Eccleſiæ extiterint. Tum quia non eſt minùs infallibilis præſentis Eccleſiæ authoritas, quàm veteris Eccleſiæ, utraque enim *eſt columna & firmamentum veritatis* 1. ad Timoth. 3. v. 15. Si ergo veteris Eccleſiæ traditio & teſtificatio de libris ſacris habetur infallibilis, cur non & Eccleſiæ præſentis? Tum quia falſum & abſurdum eſt, in rebus ad fidem pertinentibus nihil poſſe certi ſtatui, ubi conſtat, fuiſſe olim dubitatum. Ut plurima alia taceam, an non D. Cyprianus cum multis Africanis Epiſcopis, cum cenſeret baptizatos ab hæreticis rebaptizandos, non ſolùm in re graviſſima dubitàvit, ſed & erravit. Et num ideo de iſta re incerta ſemper erit Eccleſia? Atque ex his patet etiam ad fundamentum Adverſariorum.

L. *Error demum Sextus eſt*, Biblia ſacra ſecerni, & haberi unicè à Romana Eccleſia, & quidem à Moderna, atque huic in acceptis referri debere, quæ, licet in alijs multis articulis erraverit, tamen in hoc puncto Scripturæ Sacræ non erravit, idque per ſingularem Dei providentiam, qui hoc fundamentum fidei non paſſus eſt interire. Ita Brentius in Prolog. Witthackerus q. 3. de Scriptura cap. 6. Et teſte Tannero Tom. 3. f. 332. ad Eccleſiæ Catholicæ traditionem confugere coacti fuerunt Lutherani in Colloq. Ratiſbon. 1601.

LI. Error iſte non minùs facilè, quàm alij priores rejicitur. Tum quia Adverſarij ſibimet contradicunt, dum ex una parte affirmant, Eccleſiam præſentem Romanam in judicio Scripturæ errare non potuiſſe: ex altera verò de eadem aſſeve-

aſſeverant, illam de facto erraviſſe, aliquos libros pro verbo Dei acceptando, qui non ſint, ut mox conſtabit. Tum quia ſi Romana & Papalis Eccleſia habet omne Chriſtianum Bonum, tunc non habet errores, propter quos meritò deſeratur & traducatur. Sed Eccleſia Romana & Papalis etiam nunc & tempore exiſtentium hæreſum habet omne Chriſtianum Bonum. Ergo non habet errores, propter quos meritò deſeratur & traducatur. Major eſt ita evidens, ut à nemine negari poſſit, niſi qui Bonum Malum, Verum Falſum, pium impium dixerit, & mentiri juraverit. Minor eſt Lutheri αὐτὸς ἔφα Tom. 1. Jenenſ. pag. 320. & Tom. 6. Jenenſ. pag. 92. *Nos fatemur, quod ſub Papatu multum boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianum ſit, & inde pervenerit ad Nos. Nimirum ſatemur, eſſe in Papatu veram Sac. Scripturam, verum Baptiſmum, verum Sacramentum, Altaris, veras Claves ad remiſſionem peccatorum, verum Prædicationis Miniſterium, verum Catechiſmum &c.* Quomodo cum hoc luculento teſtimonio ipſius Lutheri conſiſtere poteſt apertum mendacium Sectariorum, quod in Papatu ſint errores circa multos articulos? Certè unicus hic Syllogiſmus non tantùm in præſenti controverſia rem omnem planè conficit, ſed etiam omnes Lutheranos & Luthero adhærentes obtruncat, redditque prorſus inexcuſabiles in ſeveriſſimo Dei tribunali, quod cum in Papatu ſit omne Chriſtianum Bonum, ipſi tamen inde ſe abſtraxerint.

LII. Nec evadent, ſi ex eodem Luthero dixerint, ſe propter additamenta diabolica receſſiſſe. Nam Eccleſia Catholica nullo legitimo judicio hujus diabolici additamenti convicta fuit, ut ex toto hoc opere patebit, & oſtendunt DD. à Walenburg. Tom. 1. à fol. 120. Quibus enim Judicibus iſtud additamentum fecit, niſi accuſatoribus ejus? coram quo tribunali damnata fuit, niſi illo, quod cum diviſione cepit, & in diviſione etiamnum perſiſtit? Si hoc tribunal, ſi hi Judices ſequendi ſunt, abſoluti erunt omnes hæretici, omnes ſchiſmatici, quorum nullus unquam ebullijt, qui pro defenſione criminis non eâ temeritate condemnat Eccleſiam, quâ eandem accuſabat. Adhæc, vel illa additamenta pertinent ad Fidem, & ſic falſum eſt, quod dixerat, ſub Papatu eſſe bonum Chriſtianum; etenim *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, ut ex Apoſtolo ad Galat. 5. v. 9. ipſemet Lutherus in Comment. ad Galat. fusè declarat. Si autem ad Fidem non pertineant, Sectarij Apoſtaſiam ſuam quomodo excuſabunt? Sed ſolenne eſt Luthero tam ſibiipſi, quàm Veritati contradicere: & cùm veritatem loquitur, ex proprijs non loquitur, ſicut & Pater ejus diabolus.

LIII. Manet igitur firmiſſima Doctrina noſtra, Sacram Scripturam ſolâ Romanæ Eccleſiæ authoritate dignoſci à non-ſacra. Et calumnia eſt hæreticorum, eandem Eccleſiam Papalem, licet in puncto Scripturæ ex ſingulari Dei providentia errare non potuerit, in alijs tamen multis articulis erràſſe, quam calumniam ſuo loco pluribus refutabimus. Nec ſatis etiam congruè Sectarij juxta ſua principia Sac. Scripturam vocant fundamentum fidei, cum Paulus 1. Cor. 3. v. 10. dicat, *Chriſtum eſſe fundamentum, præter quod aliud nemo poteſt ponere.* Nam quia idem Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. v. 5. ait: *Unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus*, nolunt hæretici admittere, aut dicere alium Mediatorem, ideoque negant Sanctos velut Mediatores noſtros ad Deum eſſe invocandos, eorumque interceſſionem, & preces flagitandas. Cum ergo Chriſtus ſit fundamentum, præter quod nemo aliud poteſt ponere, cur huic addunt Scripturam? Deinde quomodo Novatores Scripturam dicere poſſunt fundamentum, quam tandem coacti fatentur niti ceu fundamento authoritate Sacræ Eccleſiæ: & ex qua non poſſunt omnia ſua dogmata eruere, ac probare. Tenent fide nobiſcum, hæreticos non eſſe rebaptizandos, ex quo fundamento Scripturæ? Audiant, quæſo clariſſima verba D. Auguſtini Lib. 5. de Baptiſm. contra Donatiſt. c. 23. *Apoſtoli quidem nihil ex inde* (de hæreticis non rebaptizandis) *præceperunt. Sed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt. Sicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Demum quid majus dici poteſt de Eccleſia ſupra id D. Pauli 1. ad Timoth. 3. v. 15. quod ſit *columna & firmamentum Veritatis*? quomodo non etiam eſt fundamentum? quomodo non ſolidè cum illa ſtabimus? quomodo non ſecurè eidem innitemur tam in libris Canonicis recipiendis, quàm in rebus aliis, quas ipſa proponit, credendis?

CONTROVERSIA III.

QUANTA SIT AUTHORITAS Sac. Scripturæ; an ſcil. huic æquivaleat Traditio, ſeu Verbum DEI non-ſcriptum?

CElebris eſt hæc quæſtio, cujus ſenſus eſt; An Sacra Scriptura tantæ ſit authoritatis & perfectionis, ut nihil ipſi æquivaleat, & ad parem ei dignitatem aſcendat; An verò aliud etiam ſit Verbum non-ſcriptum haud minoris illâ æſtimationis? unde aliqui Doctores Catholici ſic titulum ponunt: An præter Verbum Dei ſcriptum ſit aliquod Verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum? Acatholici verò ſic eundem formant: An Sacra Scriptura ſit perfecta, ita ſcil. ut omnia ad fidem & mores neceſſaria complectatur, adeoque fruſtra ponantur Traditiones?

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. TRaditio latiſſimè ſumitur pro omnibus, quæ Deus revelavit in Eccleſiæ bonum & ſalutem, & ſic comprehendit omne Dei Verbum tam in Sacra Scriptura expreſſum, quàm oretenus ſolùm à Chriſto & ab Apoſtolis prædicatum; in quo ſenſu loquitur Apoſtolus 2. Theſſ. 2. v. 14. ajens: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Strictè & propriè ſumitur nomen Traditionis pro doctrina aliqua

Digitized by Google

aliqua ad Religionem pertinente, quæ nec in Sacra Scriptura apertè traditur, nec ex ſola ſcriptura per ſe infallibiliter ſeu evidenter colligitur; quæ etiam vocatur Verbum Dei non-ſcriptum, maximè ſiquæ traditio ab ipſo Chriſto profecta ſit; quia utique Verbum Dei eſt, quidquid Chriſtus docuit, ſive poſtea Evangeliſtæ & Apoſtoli ſcripto id comprehenderint, ſive voce ſolùm tradiderint. Sed & Traditiones Apoſtolorum ac Eccleſiæ in materia Religionis Verbum Dei non ſcriptum rectè dicuntur hoc ipſo, quod divino Spiritu ac nutu traditæ ſint juxta illud Matth. 10. v. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris, qui loquitur in vobis.*

II. Hinc tria Traditionum genera diſtingui poſſunt. 1. Divinarum, quæ ab ipſo Chriſto Deo & Homine traditæ ſunt. 2. Apoſtolicarum, quæ ab Apoſtolis traditæ. 3. Eccleſiaſticarum, quæ poſt Apoſtolos ab Eccleſia, hoc eſt, Petri & Apoſtolorum Succeſſoribus traditæ fuerunt; etſi non rarò Eccleſiaſticæ Traditionis nomen generatim omne genus Traditionis in Eccleſia conſervari ſolitæ complectatur. Ex his diverſis Traditionibus aliquæ ad fidem pertinent, quia tantùm fide ſunt credendæ, ut Verbum eſſe incarnatum: aliæ verò ad exercitium ſpectant, quales ſunt omnes illæ, quæ Sacramentorum miniſterium concernunt; & rurſus aliquæ ex iſtis ſunt ſub præcepto, aliæ ſolùm ſub conſilio. Videantur DD. à Walenburch. Tom. 1. à pag. 779. His poſitis.

III. *Doctrina Prima.* Quamvis omnia, quæ in Biblijs continentur, infallibili fide credenda ſint, non tamen omnia credenda continentur in Biblijs, ſed alia multa per antiquas Traditiones cognita credita & obſervata credi & obſervari debent. Ita omnes Catholici, & apertè definit Concilium Tridentinum Seſſ. 4. in decreto de Canonic. Scriptur. ubi dicitur, *veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ex ipſo Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt.*

IV. Probatur Catholica hæc Doctrina 1. ex Sac. Scriptura. Joan. 21. v. 25. ait Evangeliſta de Chriſto: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, qui ſcribendi ſunt, libros.* Quæ per hyperbolen dicta volunt Auguſtin. Cyrillus & alij Patres ad deſignandam multitudinem & magnitudinem rerum à Chriſto geſtarum, ſicuti Joan. 12. v. 19. *Ecce mundus totus poſt eum abijt.* Et quamvis Joannes facta ſolùm Chriſti commemoret, hiſce tamen utique dicta erant admixta; quemadmodum nullum prope factum Chriſti ab hoc aut alijs Evangeliſtis commemoratur ſine aliquibus ejuſdem dictis. Ea autem dicta & doctrina Chriſti cum nuſquam ſcripta ſint, ad Traditiones ac Verbum Dei non ſcriptum pertinent. Unde locus iſte pro Traditionibus adeo clarus eſt, ut ex hæreticis Joan. Brentius in Proleg. de Tradit. ſcribat, *certum eſſe, multa feciſſe Chriſtum & dixiſſe, quæ ſcripta non ſunt.*

V. Nihilominus hiſce Ameſius duo obgannit Lib. 1. fol. 61. *Primum,* non minùs antiquos hæreticos inde ſuos colorare poſſe errores. *Alterum,* probare nos non poſſe, ea, quæ Chriſtus dixit, non fuiſſe poſtea ab Apoſtolis ſcripta. Reſp. ad 1. diſparitatem eſſe, quod ea, quæ nos ex traditione affirmamus, conſonent veterum Patrum & Conciliorum doctrinis, nec Scripturis repugnent: ſecus ſe habeant figmenta antiquorum hæreticorum. Ad 2. non nobis, ſed Adverſarijs probationem incumbere, cum pro nobis ſtet præſumptio, & poſſeſſio veræ doctrinæ contra illorum novas accuſationes. Qui Titium dicit homicidam; accuſat, affirmat, atque homicidium probare tenetur. Qui Cajum dicit injuſtum poſſeſſorem domûs; actor eſt, & ad probationem obligatur. Qui dicit Sempronij uxorem non eſſe honeſtam. Actor eſt, tenetque probare. Hæc adeo clara ſunt, ut nemo, niſi rudiſſimus, ſit, qui ignoret. Cum ergo nos Catholici à mille & quingentis annis teneamus utrumque DEI Verbum tam ſcriptum ſcil. quàm traditum: Et Sectarij hodie erroris nos accuſent circa Verbum Dei, & negent non ſcriptum ſeu traditum aliquod verbum Dei extare, an non ſunt Accuſatores & Actores? An non illis incumbit probatio? An non juremerito contra eoſdem utimur ultimis illis verbis Jephte Judicum c. 11. v. 11. & 27: *Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam? non ego pecco in te, ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non juſta.* Plura de hoc paſſim per iſtud opus. Et videri poſſunt DD. à Walenburg. Tom. 1. Part. 2. à fol. 239. ubi ex D. Auguſtino hanc noſtram doctrinam demonſtrant, & effugia hæreticorum refutant.

VI. 2. ad Theſſalonic. 2. v. 14. *Itaque ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Ubi præcipit Apoſtolus expreſſè poſt ſcriptum jam Evangelium aliaque, ut etiam Traditiones non ſcriptæ ſerventur. Unde adverſus omnem ſiniſtram interpretationem ſic argumentamur. Si Paulus hortetur Theſſalonicenſes, ut obſervent, quæ verbo prædicavit, non autem ſcripto conſignare voluit, tunc non malè fit, aliqua pro Apoſtolicis Traditionibus haberi. Sed Apoſtolus Paulus Theſſalonicenſes hortatus eſt, ut obſervarent, quæ verbo illis prædicavit, ſcripto autem conſignare non voluit; nempe de tempore adventûs Anti-Chriſti poſt deſtructum Romanum Imperium, ut interpretantur Patres. Ergo non malè fit, aliqua pro Apoſtolicis Traditionibus haberi, quæ expreſsè in Scriptura non continentur. Huic diſcurſui conſonant verba Oecumenij, Baſilij, Damaſceni & aliorum ſuper dictum textum Apoſtoli, quæ mox referam. Quod autem Ameſius fol. 62. autumat, ea, quæ Paulus verbo tenus tradidit, ab alio poſtea ſcripta fuiſſe, vanum eſt, nec meretur fidem, ut bene notat Theophylactus in Epiſt. 1. Cor. 11. ſuper illa verba Apoſtoli v. 2. ſicuti tradidi vobis, præcepta mea tenete, ſic ſcribens: *Liquet ex his, cum Paulum, tum Apoſtolos reliquos haudquaquam omnia litteris mandaſſe præcepta, quæ populis tradidiſſent.*

VII. 2. ad Timoth. 1. v. 13. ait Apoſtolus: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti*; non ait, quæ tibi ſcripſi; etenim affirmat 2. Timoth. 2. v. 2. *penes ipſum fuiſſe Verbum Dei depoſitum coram teſtibus*, quod non foret opus, ſi ſcripſiſſet; aut ubi ſcripta conſpiciuntur? 1. Cor. 11. v. 34. ait Apoſtolus: *cætera cum venero, diſponam.* S. Chryſoſtom. & Theophylactus notant expreſsè in hunc locum, D. Paulum loqui de præceptis non-ſcriptis; aut ubi ſunt illa, quæ diſpoſuit Apoſtolus? Actor. 1. v. 3. dicitur de Chriſto, *quod Apoſtolis*

poſtolis ſe poſt reſurrectionem ſuam manifeſtârit per dies 40 apparens & loquens de Regno Dei, hoc eſt, de futuro Eccleſiæ ſtatu, & inſtitutis. Ubi hæc leguntur ſcripta? Moyſes quoque Judæos ad Majorum traditionem remiſit Deut. 32. v. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, Majores tuos, & dicent tibi.* Et Job cap. 8. v. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam; & ipſi docebunt te.* David Pſal. 43. v. 1. *DEUS auribus noſtris audivimus; Patres noſtri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Eccleſ. c. 8. v. 9. *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum Sapientum, ab ipſis enim diſces ſapientiam & doctrinam &c.*

VIII. Probatur 2. exemplis Traditionum. Nam ſic tenemus, *noſtra Biblia eſſe veram Scripturam; & Dei Verbum: Spiritum Sanctum non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio procedere: Beatiſſ. Mariam ſemper permanſiſſe Virginem, etiam in, & poſt partum: Parvulos eſſe baptizandos etiam abſque actuali propria fide: Baptizatum hæreticum non eſſe rebaptizandum*, adeoq; Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe validum: *Symbolum Apoſtolicum neceſſariò acceptandum & retinendum eſſe.* Plura tam Novi, quàm Veteris Teſtamenti affert Adamus Tanner Tom. 3. fol. 324.

IX. Multùm ſe hîc torquent Sectarij, ut elabantur. 1. Jacob Hailbrunner in Acathol. ſuo Papatu fol. 533. miratur, hos non-ſcriptos fidei articulos ſibi objici, cum inter Evangelicos & Romano-Catholicos non ſint controverſi. Sed vanum effugium. Nam non jam controvertitur; an Articuli illi ſint veri: ſed hæc eſt controverſia; an etiam aliqui articuli credendi, qui neque per ſe in Scriptura continentur, neque ex ea per bonam conſequentiam deducuntur? Sectarij negant. Catholici affirmant, & afferunt nonnullos fidei articulos, qui in Sac. Scriptura non habent ſolidum, immobile, & irrefragabile fundamentum. Ergo non omnes articuli in Scriptura continentur.

X. 2. Guilielmus Ameſius Tom. 1. fol. 59. & Ioan. Gerhardus lib. 1. fol. 47. volunt, omnia eſſe ſcripta; idque probant ex Bellarm. lib. 4. de Verbo DEI c. 11. ubi ait; omnia ſcripta eſſe, quæ ſunt omnibus neceſſaria. Sed inane iterum effugium. Nam Cardin. Bellarminus loquitur ſolùm de omnibus Scitu ad ſalutem ſimpliciter & expreſsè neceſſarijs, ut ex paulò antè dictis clarè patet. Unde non niſi perversè effatum illud generaliter accipitur, & ad quælibet applicatur. Certè Baptiſmus in re vel in voto ſuſceptus omnibus in novo Teſtamento eſt indiſpenſabiliter neceſſarius: Notitia tamen ejus neceſſitatis non eſt omnibus etiam adultis neceſſitate medij neceſſaria; ſiquidem in infantia baptizatus, ſi poſtea ignoraret Baptiſmi neceſſitatem, crederet tamen de SS. Trinitate & Chriſto ea præcisè, quæ in Symbolo Apoſtol. continentur, poſſet ſalvari, ut omnes concedunt.

XI. Plerique Acatholici docent, talia & plura ſimilia exempla pro Traditionibus adduci ſolita deduci ſaltem ex Scripturâ. Sed hoc quoque fruſtraneum eſt effugium. *Primò* enim, Biblia, quæ nos habemus, eſſe vera Biblia & Canonicas Scipturas, non poſſe ullo modo ex Sac. Scriptura oſtendi, ſupra jam & clarè demonſtravimus.

XII. *Secundò.* Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, negant Græci, non facturi, ſi iſtud ex Sac. Scriptura luculenter deduci poſſet. Unde Patres ex Verbo tradito id probârunt, quibus ſubinde victi Græci conſenſerunt, & Catholicæ Eccleſiæ adhæſerunt, quamvis ex inconſtantia poſtea ſe iterum ſeparârint.

XIII. *Tertiò.* DEIparam Mariam ſemper etiam poſt partum Virginem permanſiſſe, eſſe articulum fidei omnibus credendum, apertè docet S. Auguſtinus cap. 69. de Eccl. dogm. (hujus enim libri ipſe à pleriſque creditur Author) ſic ſcribens: *Integrâ fide credendum eſt, Beatam Mariam DEI Chriſti Matrem, & Virginem concepiſſe, & Virginem genuiſſe, & poſt partum Virginem permanſiſſe. Nec eſt blaſphemiæ Helvidij acquieſcendum, qui dixit, fuit Virgo ante partum, non Virgo poſt partum.* Ex quo autem textu Scripturæ probari hoc poteſt? ex nullo; ſed ex mera habetur Traditione, ut etiam Eraſmus Roterodamus (quem faciliùs admittent Adverſarij) fatetur præf. in lib. s. Hieronymi adverſus Helvidium his verbis: *Invenit hic egregius Doctor diſcipulos, hoc eſt, dignum patellâ operculum, qui Helvidiani ſunt dicti, ſive, quemadmodum teſtatur Epiphanius, Anti-dicomariani, græco vocabulo, quos latinè poſſis dicere Adverſarios Mariæ.* Hunc igitur Helvidium refellit Hieronymus, & confirmat, Mariam fuiſſe perpetuò Virginem, etiamſi hoc non ſit apertè ſcriptum in litteris divinis, ſed Apoſtolorum & Patrum traditione veluti per manus ad nos derivatum & omnium Chriſtianorum conſenſu comprobatum. Jam igitur vel concedunt Adverſarij eſſe articulum fidei, quod DEIpara Maria fuerit Virgo etiam poſt partum: vel iſtud negant. Hoc poſterius fieri non poteſt abſque blaſphemia, cujus ſe reum agit Gerhardus lib. 1. fol. 62. Si itaque illud prius afferunt, jam admittitur, non omnes articulos in Sacra Scriptura contineri; aut per bonam conſequentiam ex ea deduci.

XIV. *Quartò.* Baptiſmum rectè parvulis dari, & his prodeſſe docent nobiſcum Sectarij contra Anabaptiſtas. Sed cum dicant apud Gerhardum Lib. 1. cit. fol. 48. totam Scripturam teſtari, neminem abſque propria fide ſalvari & juſtificari; non poſſunt ex illa vel unicum textum allegare, Infantes habere propriam & actualem fidem. Unde etiam Lutherus in Epiſtol. contra Anabaptiſtas ad duos Parochos apertè concedit, *ex nulla ſententia Sac. Scripturæ validè concludi, Infantes rectè baptizari; nihilominus laudabiliter iſtud fieri, quia à tempore Apoſtolorum in Eccleſia iſte mos viget*; adeóque ex traditione habetur; ut præter alios Patres antiquus Origenes docet Lib. 5. cap. 6. in Epiſt. ad Roman. his paucis verbis: *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam parvulis baptiſmum dare.*

XV. *Quintò.* Baptizatos hæreticos non eſſe rebaptizandos iterum rectè nobiſcum Catholicis admittunt Novatores. Sed hunc articulum contra Cyprianum ejúſque Adhærentes non potuit ſufficienter probare ex Sacra Scriptura Stephanus Romanus Pontifex, ſed ſolam Eccleſiæ Traditionem fortiſſimè & conſtantiſſimè oppoſuit, ex qua etiam rem feliciter evicit, & conſenſum totius Chriſtianitatis obtinuit, ut pluribus refert Card. Baronius in Hiſt. Eccleſ. ad annum Chriſti 258. Quâ de re etiam Auguſtin. Lib. 5. de Baptiſ. contra Donatiſtas, cujus verba in fine prioris controverſiæ attulimus.

XVI. *Sextò* denique Symbolum Apoſtolorum de Fide neceſſariò credendum & tenendum eſſe, agno-

Digitized by Google

bis mille annos ab Adamo uſque ad Moyſen (qui natus an. Mundi 2043. habetur primus Scriptor Canonicus) nulla fuit Scriptura. Deinde ruſus per bis mille annos à Moyſe uſque ad Chriſtum fuit quidem Scriptura Sacra, ſed ſolùm penes Iſraeliticum populum, cum tamen ex alijs Gentibus multi haberent veram fidem, & ad veram Eccleſiam ſpectarent. Teſtari etiam D. Irenæum, ſuo tempore multos Barbaros, qui ad Chriſtum converſi ſunt, ſine charta & atramento veteres traditiones ab Apoſtolis acceptas diligenter cuſtodiviſſe, ſupra jam diximus.

XX. Ameſius Tom. 1. fol. 56. hinc nihil probari autumat, tum quia viva ſemper vox DEI ſonabat in vet. Eccleſia, tum quia Religio etiam ſine Papatu, Baptiſmo, cæna Dominica, &c. fuit in vet. Eccleſia conſervata; an idcirco iſta in nova Eccleſia non ſunt neceſſaria? Sed primum prorſus temere dicitur; unde enim probatur, DEI vocem continuò auribus Fidelium per bis mille annos inſonuiſſe? certè Gentes, de quibus Irenæus, non ità aſſiduò ſenſerunt vivam Apoſtolorum vocem? Alterum conceditur; nimirum Papatum, Baptiſmum, Cœnam Dominicam &c. non eſſe abſolutè neceſſaria; ſed tantùm ex ſuppoſita Chriſti voluntate, qui utique ſine his aliter ſuam Eccleſiam inſtituere potuiſſet. Sed quid hoc ad rem?

XXI. Tertia Ratio eſt. Hæretici ex eo, quod nullas Traditiones teneant, etiam nullam certam & infallibilem Regulam Fidei habent. Nam propria & immediata Regula fidei non eſt præcisè ipſa littera nuda ſeu cortex Sacræ Scripturæ ſecundùm ſe, ſed ſignificatio illius, adeóque ſenſus & interpretatio. Hanc autem cum illi ſepoſitâ Patrum & Eccleſiæ Authoritate & Traditione aliunde non habeant, quàm ex ſuo capite & ingenio deprompτam, neceſſariò efficitur, normam Fidei, quam habent, infallibilem non eſſe. Unde fatentur, & ſe & univerſum ſuum Miniſterium in Scriptura interpretanda abſolutè falli poſſe. De hiſce rectè Auguſtinus de Gen. ad Litt. l. 7. c. 9. *Omnes*, inquit, *Hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quod eas non rectè intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.*

XXII. Demum Doctrina noſtra de Traditionibus omnibus retro ſæculis in univerſa Eccleſia ita fuit recepta, ut pro hæreticis haberentur, quicúnque eandem pertinaciter negarent; imò hocipſum fuit commune omnium quaſi hæreticorum principium, *nihil credendum eſſe, niſi particulatim in Scriptura Sacra expreſſum.* Græci autem, licet ab Eccleſia Romana ſe ſepararent, Apoſtolicas tamen Traditiones ſemper retinuerunt, atque etiamnum illas cuſtodiunt. Nam cum Lutherani & Calviniſtæ Græcorum Societatem ambirent, & prò hac obtinenda ad diverſos Patriarchas ſcriberent, Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha in epiſt. ad Jacobum Andreæ, & Martinum Cruſium inter alia Reſponſ. 1. c. 13. ſic reſcripſit: *Noſtra Eccleſia gloriatur ſplendore Apoſtolicarum & Patriarum Traditionum &c.* Similiter etiam Theodoſius Zygomata in epiſt. ad eundem Cruſium: *Hoc autem ſcito, dogmata Eccleſiæ noſtræ partim teſtimonijs Sac. Scripturæ conſtare, partim Apoſtolorum traditione; quas traditiones tanquam myſteria accepimus, & Majores noſtri in his quieverunt. Laudo vos,* inquit, *& Traditiones tenetis. Et tenete Traditiones, quas accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam.* Item Gabriel Epiſcopus Philadelphienſis in epiſt. ad prædictum Cruſium: *Quodſi*, inquit, *de noſtris rebus ſcire cupis, ſcito nos veram doctrinam & Sanctorum Apoſtolorum Traditiones ſequi &c.* En utraque Eccleſia Latina & Græca ſemper conſtantérque Traditiones tenet.

XXIII. *Doctrina ſecunda.* Traditiones divinæ non ſcriptæ, & doctrina Chriſti in Evangelijs conſcripta: Item Traditiones Apoſtolicæ non ſcriptæ, & cætera Apoſtolorum ſcripta: Demum Traditiones Eccleſiaſticæ non ſcriptæ, cum decretis Eccleſiæ ſcriptis ejuſdem ſunt Authoritatis, eandémque vim habent ad Catholicam ac veram Fidem & Religionis doctrinam comprobandam. Ita D. Baſilius, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus ſupra §. VII. relati, dum apertè adſtruunt, eàdem fide digna eſſe tam ea, quæ Apoſtoli verbo tenus tradiderunt, quàm quæ ſcripto conſignata reliquerunt. Idem ſupponunt cæteri Patres, & ex communi Theologorum docet Cardin. Bellarminus lib. 4. de Verbo DEI. cap. 2. Ratio eſt manifeſta, quia Verbum DEI non eſt tale, nec habet illam Authoritatem, quia ſcriptum eſt in membranis, ſed quia à Deo profectum eſt vel immediatè per Chriſtum, vel mediatè per Apoſtolos; ac proinde eodem modo à Deo procedit, ſive ſcriptum ſit, ſive non, ita parem ſemper habebit ac merebitur Authoritatem.

XXIV. *Doctrina tertia.* Univerſim loquendo, non deeſt modus ſeu regula, per quam legitimæ Traditiones ab illegitimis dignoſcantur: & hæc Regula eſt in judicio & authoritate Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſita. Ita Card. Bellarminus L. 4. cit. cap. 9. Gregorius de Valentia Tom. 3. Diſp. 1. Q. 1. pun. 7. §. 43. Adamus Tanner Tom. 3. Q. 5. dub. 4. ex communi aliorum Theologorum. Ratio eſt, quia Eccleſiæ Catholicæ infallibiliter conſtat de una Traditione legitima, ut ipſi Adverſarij confitentur in Colloquio Ratiſbon. ſupra cit. nempe hoſce libros eſſe Sacram Scripturam. De qua etiam Martinus Kemnitius in exam. Trident. Seſs. 4. ſic ait: *Hanc Traditionem, quâ nobis in manum dantur Sacræ Scripturæ Libri, reverenter accipimus.* Cur ergo eidem conſtare infallibiliter nequeat de alijs quibuſvis Traditionibus, cum eadem via & ratio diſcernendi ad omnes æquè ſuppetat? Et ſi Eccleſia eſt infallibilis in una traditione ad poſteros propaganda, cur non in omnibus? certè Apoſtolus 1. Tim. 3. v. 15. non limitatè, ſed abſolutè illam vocat *columnam & firmamentum veritatis.* Ipſe etiam Lutherus in omnibus illam infallibilem agnoſcit Tom. 7. fol. 562. Germ. ſic ſcribens: *Eccleſia nec debet, nec poteſt mentiri, nec errores docere ne in minimis quidem; cum DEUS ſit os Eccleſiæ, & DEUS mentiri non poſſit, ſic etiam Eccleſia nequit.* Sed vel maximè D. Auguſtinus lib de utilitate credendi c. 14. diſertè docet, eandem Eccleſiæ Authoritatem ſufficere generatim ad diſcernendas Traditiones legitimas ab illegitimis: *Cur non*, inquit, *apud eos potiſſimum diligentiſſimè requiram, quid Chriſtus præceperit, quorum authoritate commotus Chriſtum aliquid utile præcepiſſe, jam credidi? Tune mihi melius expoſiturus es, quid ille dixerit, quem fuiſſe aut eſſe non putarem, ſi abs te mihi commendaretur eſſe credendum? Hoc ergo credidi, ut dixi, famæ celebritate conſenſione vetuſtate roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi nemini dubium eſt, quin nihil dignum authoritate proferatis. Quâ*

igitur iſta tanta dementia eſt? Illis crede, Chriſto eſſe credendum: & à nobis diſce, quid dixerit. Cur obſecro te? Nam ſi illi deficerent, nec me quidquam docere poſſent; multò facilius mihi perſuaderem, Chriſto non eſſe credendum, quàm de illo quidquam, niſi ab his, per quos ei credidiſſem, diſcendum.

XXV. *Doctrina quarta.* Speciatim loquendo, quatruplex eſt ratio ac norma, quâ ipſæ quoque Traditiones divinæ & Apoſtolicæ diſcernantur, ac dignoſcantur. Ita Authores pro priore Doctrinâ citati, & alij, qui in prædictas regulas conveniunt; non quod una Traditio ex una harum regularum, & alia ex alijs cognoſcatur; conſtant enim fere omnes ex illis omnibus: ſed quod ſingulæ illarum regularum ſufficiant ad quamlibet Apoſtolicam Traditionem deprehendendam,

Prima igitur eſt infallibilis Eccleſiæ Authoritas, quando vel Concilia, vel Summus Pontifex aliquid tanquam ex Traditione divina vel Apoſtolica acceptum proponunt credendum vel tenendum. Sic Patres in VII. Synodo act. 6. Imaginum venerationem, ut ab Apoſtolis traditam, approbaverunt.

Secunda eſt concors Patrum ſententia, quando vel circa communia dogmata & objecta aliquid tanquam ex fide certum aſſerunt, vel expreſsè affirmant quidpiam ex Apoſtolica Traditione profectum. Dixi circa objecta communia: non particularia quælibet v. g. Concilium Nicænum fuiſſe legitimum; quia hæc traditio particulatim ſpectata propriè eſt traditio Eccleſiaſtica, utpote Apoſtolorum tempore poſterior.

Tertia eſt unanimis conſenſus & uſus Fidelium, ſi quid extra Scripturam circa fidem aut Religionem credant vel obſervent, præſertim ſi id majus quiddam & excellentius ſit, quàm humanâ authoritate conſtitui potuerit; cum enim Eccleſia, ut recèns dictum, *ſit columna & firmamentum veritatis*, non errat circa res fidei. Atque hinc probari poteſt Poteſtas diſpenſandi in votis, & relaxandi juramenta, item diremptio matrimonij rati per votum ſolenne Religionis &c. in Eccleſia uſitata.

Quarta eáque latiſſimè patens Regula eſt, quam D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſ. contra Donatiſt. cap. 24. magno Orthodoxorum conſenſu tradit in hæc verba: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi ab Apoſtolica Authoritate traditum rectiſsimè creditur.* Unde etiam idem S. Pater epiſt. 118. ad Januarium cap. 5. ſcribit, *inſolentiſsimam inſaniam eſſe, de ijs rebus diſputare, quas univerſa tenet Eccleſia.* Ratio eſt aperta, quia ſi aliquid circa fidem aut Religionem omnibus retro annis in Eccleſia fuerit receptum aut obſervatum, ita ut ex nullius Concilij aut Eccleſiæ decreto initium ejus ſciatur, meritò ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi tale id ſit, ut ab Eccleſia inſtitui potuerit. Hujus generis ſunt Ordines Minores, jejunium quadrageſimale, obſervatio Diei Dominicæ &c.

M R A.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

XXVI. *Error primus.* Sacram Scripturam continere omnia credenda, nihílque eſſe fide divinâ tenendum, niſi in Scriptura oſtendi queat: & conſequenter nullas eſſe admittendas Traditiones utpote ſuperfluas. Ita tam Veteres plerique Hæretici, quàm Moderni, è quibus Lutherus in cap. 1. ad Galat. ſic detonat: *Neque alia doctrina in Eccleſia tradi debet, quàm purum DEI Verbum, hoc eſt, Sacra Scriptura. Doctores ſeu Auditores alij anathema ſint.* In eundem modum ex cathedra ſua ſtatuit Calvinus Lib. 4. Inſtitut. c. 8. §. 8. *Eſto igitur firmum axioma, non aliud habendum Verbum DEI, cui detur in Eccleſia locus, quàm quod lege primum & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur, nec alium eſſe in Eccleſia rite docendi modum, niſi ex ejus Verbi præſcripto & norma.* Priorem ſequuntur Ioannes Gerhardus lib. 1. à fol. 29. & omnes Lutherani. Poſteriorem Guilielmus Ameſius Tom. 1. à fol. 55. Petrus Molinæus in ſuo novo Papatu à fol. 202. & omnes Calviniſtæ.

XXVII. Probant 1. ex Sac. Scriptura. Deut. 4. v. 2. *Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et ibid. c. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quidquam, nec minuas.* Proverb. 30. v. 6. *Ne addas quicquam verbis illius.* Galat. 1. v. 9. *Siquis vobis evangelizaverit, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et ibid. c. 3. v. 15. *Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat;* quaſi diceret, quantò minus Teſtamento DEI aliquid ſuperaddendum. Epiſt. 2. ad Timoth. 2. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo DEI ad omne opus bonum inſtructus.* Apocal. 18. v. 22. *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſiquis appoſuerit ad hæc, apponet DEUS ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſiquis diminuerit de Verbis libri prophetiæ hujus, auferet DEUS partem ejus de libro vitæ.*

XXVIII. Probant 2. ex Patribus. Veteres, ſi quandoque admittunt Traditiones, non intelligere per has niſi in Sacra Scriptura contentas: Vel certè non loqui de Traditionibus Dogmatum, ſed ſolùm quarumdam ceremoniarum, rituum, & conſuetudinum in Eccleſia obſervari ſolitarum, de quibus in præſenti non controvertitur.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 129. & 141. ſcribit, *Apoſtolos habuiſſe res quaſdam ſecretas, ſicuti Philoſophi*, cui vehementer ſe opponunt Tertullian. de Præſcript. p. 95, & 97. & Irenæus adverſ. hæreſ. lib. 3. c. 2. & 3.

Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. docet, Chriſtum ſolùm audiendum; *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt*, inquit, *non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit.*

Irenæus lib. 3. cap. 2. cit. ait: *Cum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum; quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dicta, & quia non poſſit inve-*

Digitized by Google

inveniri ex his veritas ab his ; qui neſciunt traditionem.

Hieronymus in Aggæum Prophetam cap. 1. *Gladius*, inquit, *Verbi DEI percutit omnia, quæ abſque authoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolicâ reperiunt, atque confingunt.*

XXIX. Probant 3. ex Ratione. Tum quia convenit divinæ Bonitati, ut ea omnia, quæ creditu neceſſaria ſunt, Chriſtus Apoſtolis manifeſtârit, eáque conſignata litteris reliquerit per ſe vel per Apoſtolos. Tum quia cuncta, quæ ad Religionem pertinent, ſufficienter in Sac. Scripturis continentur, ut affirmant Patres relati apud Bellarminum lib. 4. de Verbo DEI. cap. 11. Tum quia ſi omnia omnibus neceſſaria vel utilia ſcripta ſunt, tunc tota DEI voluntas ad ſalutem hominem revelata eſt. Sed verum eſt Antecedens ex confeſſione Bellarmini loc. recèns cit. Ergo & Conſequens; ſiquidem tota DEI voluntas omnibus eſt utilis, quia facit ad ſalutem omnium. Tum quia litteræ divinæ ſcriptæ ſunt, ut habeamus Regulam & Normam perfectam fidei & morum. Ergo nullæ ſunt Traditiones non ſcriptæ. Tum quia impoſſibile videtur, Traditiones non ſcriptas potuiſſe tam diu conſervari puras propter hominum oblivionem, imperitiam, negligentiam & perverſitatem. Tum quia proprium hæreticorum eſt, abſcondere ſua dogmata, ac dicere, Apoſtolos quædam palam omnibus prædicaſſe, quædam occultè ſolùm nonnullis tradidiſſe. Tum quia per hujuſmodi traditiones etiam magnæ authoritatis viri ſeducti fuerunt, ut Euſebius lib. 3. hiſtor. ſcribit de Papia &c.

XXX. Errorem hunc abunde rejecimus Part. priore, & ei oppoſuimus veritatem Catholicam in Sac. Scriptura fundatam, Sanctis Patribus agnitam, validis rationibus demonſtratam; quæ veritas ſummatim in hoc conſiſtit, quod Spiritus Sanctus Patribus & Rectoribus Eccleſiæ res fidei non ſcriptas infallibili illuminatione & favore imprimat, inſcribat, atque illæſas conſervet juxta illud D. Pauli 2. Corinth. 3. v. 2. *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus; manifeſtati, quod epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis; & ſcripta non atramento, ſed Spiritu DEI vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Dicere vult Apoſtolus. *Epiſtola eſtis Chriſti longè pretioſior, quàm in pergameno & charta ſcriptum. Verbum; quia illa non eſt exarata atramento, ſed Spiritu DEI viventis ſupra carneam tabulam cordis.* Solùm lubet hîc addere abſurdas quaſdam ex illo ſequelas. Si igitur Fides pendet ex ſola Scriptura, ſequitur 1. ſublatâ Scripturâ & ab Ethnicis combuſtâ totam fidem perire, veluti ſublato fundamento. 2. eos, qui neſciunt legere, non poſſe credere, quia non ſciunt, quid ſcriptum, & alijs prælegentibus fidere non audent; quippe omnis homo mendax & fallax. 3. eos, qui primarias linguas, quibus uſi ſunt Canonici Scriptores, videlicet Hebraicam, Græcam, & Latinam neſciunt, non poſſe credere, quia Vernaculæ linguæ Anglica, Germanica &c. non ſunt Authenticæ, nec certò conſtat, eas originali textui reſpondere. Unde liquet, non omnia requiſita ad fidem contineri in Scriptura; imprimis enim non eſt iſtud credendum ipſi Scripturæ, quod hæc ſit Scriptura Authentica, non ficta, non ſuppoſititia, non falſificata &c. quod revera ex ipſamet Sac. Scriptura diſcere non valemus. Atque hoc argumento ex Evangelicis præcipui viri fuerunt coacti admittere Traditiones, cum hiſce infallibilitas Sac. Scripturæ nitatur. Argumenta in oppoſitum allata nihil evincunt. Itaque

XXXI. Reſpond. 1. ad probationes ex Sac. Scriptura. Ad textum ex Deut. 4. & 12. Inprimis quæro, vel iſtud præceptum illis locis expreſſum ſpectat ad ſolos Judæos, vel ad ſolos Chriſtianos, vel ad utróſque. Si ad ſolos Judæos, cur Sectarij Lutherani æquè ac Calviniſtæ apud Gerhardum & Ameſium id objiciunt nobis Chriſtianis? Si ad ſolos Chriſtianos, cur Sectarij non ſe circumcidunt, cum circumciſio tunc fuerit præcepta? Si ad utróſque. Ergo Chriſtiani omnes nunc obligati ſunt ad omnia præcepta ceremonialia, quæ olim DEUS in veteri Teſtamento dedit, quod eſt falſum, cum lex Moyſis non amplius valeat, ut ipſi Novatores fatentur. Deinde loquuntur citati textus ex Deut. ſolùm de libris Moyſis, quibus poſtea multa Scriptores ſacri addiderunt; aliàs nec Evangelium & totum novum Teſtamentum admittere deberemus. Demum eadem Teſtimonia ex Deut. non loquuntur de tali additione, quâ quidpiam à DEO dictum aſſeritur, licet non ſcriptum, ſed de additione fallaci, quâ ipſi ſacræ Scripturæ fictitium aliquid adjungitur aſſumendum tanquam pars illius. Atque in hunc eundem ſenſum intelligendus eſt textus ex Proverb. 30. adductus, ut rectè Tirinus & alij.

XXXII. Non obſtat, Deut. 12. cit. haberi particulam tantùm, *quod præcipio tibi, hoc tantùm facito:* Nam in hebraico textu non reperitur. Adhæc verbum faciendi hic non ſignificat quaslibet hominum actiones, ſed tantùm ſacrificia, *hoc tantùm facito*, id eſt, aliter mihi non ſacrificato, ut docent antecedentia verba, quibus prohibita fuerunt Gentium ſacrificia, quæ filios & filias immolabant igni comburentes; tali modo non vult DEUS ſibi ſacrificari, ſed ritu à ſe præſcripto, quem in utroque Teſtamento ſibimet reſervavit; ſicut etiamnum non licet, aliter ſacrificare, quàm per Euchariſtiam à Chriſto inſtitutam; cui expoſitioni favet lingua hebraica, quæ verbum faciendi ſæpe accipit pro ſacrificare.

XXXIII. Ad textum Gal. 1. Apoſtolum, maledicendo & execrando omnes, qui aliquid prædicaverint præter id, quod ipſe prædicavit, non loqui de ſuis epiſtolis ſcriptis, ſed de vocalibus concionibus: deinde præpoſitionem *præter* ſumi pro *contra*; etenim certum eſt, inquit Tirinus ad hunc locum, tam græcum παρὰ, quàm latinum *præter* tum apud ſacros, tum apud prophanos Authores Ariſtotelem, Terentium & alios uſurpari pro *contra*. Locos Sanct. Patrum ſic particulam illam interpretantes affert Bellarm. Lib. 4. cit. cap. 10.

XXXIV. Ad textum ex c. 3. ad Galat. Sanctum Paulum intelligendum eſſe de addidamento contrario, quod mentem Teſtatoris everteret; etenim Teſtes ſubſcribendo teſtamento addunt aliquid de ſuo abſque vitio. Colligitur hoc apertè ex diſcurſu Apoſtoli plus non requirente; probare namque vult, circumciſionem & alias ceremonias legis Judaicæ non requiri ad ſalutem, ſed ſufficere fidem in Chriſtum, & media ab illo præparata, ſiquidem DEUS totis quadringentis & triginta annis ante inſtitutam circumciſionem

Digitized by Google

& alia legis Moyſaicæ decreta jam promiſerat Abrahæ anno vitæ ipſius 75. & ejus Poſteris per modum Teſtamenti ſalutem per Chriſtum ex illo naſciturum. Si ergo poſtea per inſtitutionem legis Moyſaicæ nova Conditio ad conſequendam ſalutem fuiſſet requiſita, tunc everſa eſſet prior promiſſio; quemadmodum ſi Teſtator aliquem cognatum ex aſſe omnium Bonorum hæredem ſcripſiſſet abſque alia conditione: & aliquis poſtmodum teſtamento apponeret hanc conditionem, ſi habuerit filios &c. planè everteret mentem Teſtatoris. Verùm traditiones Eccleſiæ Verbo DEI ſcripto ſeu Teſtamento nihil addunt contrarium, quo DEI diſpoſitionem evertant. Ergo non repugnant Teſtamento DEI, nec ab Apoſtolo improbantur.

XXXV. Ad textum ex epiſt. 2. ad Timoth. c. 2. negando, quod idem ſit, eſſe utilem Sac. Scripturam, ut perfectus ſit homo ad omne bonum: ac eſſe ſufficentem, excluſo omni alio medio ad eum finem. Nunquid enim ſol eſt utilis ad omne vivens producendum? an idcirco etiam ſufficiens ſine cauſis particularibus ſecundis & Univerſali Prima? Omnis etiam homo vivit, num ideo ſolus homo vivit? Dicit Apoſtolus, *Sacra littera*, ubi dicit ſolæ? ait idem, *Scripturæ utiles ſunt*, ubi dicit ſufficientes ſunt, ut Traditionibus opus non ſit? cur ergo vos hæretici Scripturæ verba diſtorquetis contra genuinam illorum ſignificationem & contra receptiſſimum uſum? contra mentem D. Pauli? contrà communem Patrum interpretationem? Præterea ſi vox utilis idem denotat, ac ſufficiens, tum omnis Scriptura, adeóque ſolum etiam vetus Teſtamentum erit ſufficiens ad ſalutem & inſtructionem, quia iſtud eſt utile ad docendũ &c. & ipſe etiam Apoſtolus de hoc ſolo loquitur; dixerat enim immediatè ante de Timotheo, quod ab infantia didicerit ſacras litteras; utique Teſtamenti Veteris, quia tunc libri novi Teſtamenti nondum erant ſcripti: Si autem ſolum antiquum Teſtamentum, quod didicerat Timotheus, eſt utile ad docendum, ut ſubjungit Paulus, cur non quilibet hujus liber? Ecce quo deveniat, qui ſemel à recto tramite deviat! Demum Apoſtolus ad Theſſal. 2. c. 2. cit. monet & mandat ſcribens: *tenete traditiones ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.* Ergo præter Sacram Scripturam judicat & admittit, Verbum non ſcriptum, ſed per ſermonem traditum eſſe utile & obſervandum.

XXXVI. Ad textum ex Apocal. 22. aliud hinc non ſequi, niſi tam Apocalypſi D. Ioannis, quàm alijs omnibus & ſingulis Sac. Scripturæ libris nihil veluti ad illos ſpectans eſſe addendum, aut ex ipſis auferendum, adeóque nullum librum Bibliorum eſſe viciandum, quod ipſum etiam Concilium Tridentinum in decret. de Canon. Scripturis graviſſimè prohibet. Quemadmodum autem cum eo, quod Evangelio v. g. S. Matthæi nihil addendum tanquam ſpectans ad illud, adhuc conſiſtit, quod alia Evangelia ab alijs Evangeliſtis ſcripta addantur, ita etiam cum tota Sacra Scriptura integrè conſervata Verbum DEI traditum optimè cohæret. Viderint autem Sectarij, quomodo ipſi evadant plagas in Apocal. expreſſas, cum non ſolùm ex diverſis Sacræ Scripturæ libris capita, ſed etiam ex Canone totos libros tollant,

XXXVII. Reſpond. 2. ad probationem ex Patribus. Quamquam veteres nomine Traditionis ſubinde intelligant doctrinas in Scriptura contentas, aut ſenſus Scriptræ ex traditione Eccleſiaſtica habitos: item formulas Verborum, ut ὁμοούσιος, θεοτόκος &c. demum nonnulla quædam ad ad ritus & ceremonias potius, quàm ad dogmata pertinentia, attamen clariſſimum eſt, SS. Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum loqui expreſſis verbis, & quidem in actu ſignato de dogmatibus, ut liquet exemplo vel ſolius Symboli Apoſtolici. Et ſi etiam loquerentur de ſolis ritibus, verborum formulis, & ſenſu Scripturarum, jam haberetur Traditionum neceſſitas; quiſquis enim pertinaciter contenderet, ejuſmodi rituum inſtitutionem non niti authoritate in Scripturis à DEO conceſſa, abſque dubio hæreſeos labe ſorderet. Unde falſum eſt, Adverſarios de Traditionibus in hoc ſenſu non movere litem; licet enim fateantur, Veteres nomine Traditionum interdum ritus, ceremonias, & ordinationes Eccleſiaſticas intelligere, negant tamen hiſce virtutem & dignitatem ſacram: item ordinationibus & ritibus Eccleſiæ vim obligandi. Equidem ejuſmodi res v. g. formare Crucem, uti aquâ benedicta, obſervare dies feſtos & abſtinentiam à carnibus certo tempore non ſunt articuli fidei nec ſpectant ad fidem, ſed ad mores, innituntur tamen duobus fidei articulis. 1. quod Eccleſia in ordinatione & obſervatione illarum errare non poſſit. 2. quod quilibet Chriſtianus in conſcientia ſit obligatus, Eccleſiæ leges & ordinationes ſervare.

XXXVIII. Ad Clementem Alexandrinum, hunc per res ſecretas intelligere fidei noſtræ myſteria, quomodo ſæpe vocantur à Patribus; *Adhuc vereor*, inquit, L. 1. Stromat. p. 62. *ante porcos jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & conversi nos frangant; eſt enim difficile, de vero lumine verè puros & perſpicuos oſtendere ſermones ſuillis, & indoctis Auditoribus.* In eundem modum ſcribit Tertullianus L. de Præſcript. pag. 97. nec aliud ambo volunt, quàm fidei noſtræ myſteria non proponenda eſſe coram ſciolis, ſcurris &c. Cæterùm Clementem ex Traditione abſurdos errores hauſiſſe, quorum illum incuſat Molinæus fol. 202. falſum eſt. Nam tam Baronius An. Chriſt. 196. quàm Poſſevinus in appar. Sac. V. Clemens Alex. oſtendunt ex Ruffino & alijs libros Clementis ab hæreticis orientalibus fuiſſe corruptos, & abſurdos errores intruſos, quos rectè oppugnant Tertull. & Iren. Videatur Forer in Antiq. pap. L. 1. c. 21. §. 5. & c. 22. §. 2.

XXXIX. Ad D. Cyprianum. hujus S. Martyris & Doctoris tempore fuiſſe hæreticos, qui voluerunt, in Sacrificio Miſſæ ſolam aquam calici infundendam eſſe; unde Aquarij appellati ſunt. Contra hos Cyprianus ſcribit & docet, *nihil alienum ab hæreticis excogitatum in hoc myſterium Cœnæ Dominicæ inducendum, ſed id duntaxat faciendum, quod Chriſtus JESUS fecit, & nobis, ut faceremus, præcepit.* Ex quo adeo nihil ſequitur contra Traditiones, ut iſtæ potius valde confirmentur. Nam in ſacrificio facere debemus, quod Chriſtus fecit. Quid autem fecit Chriſtus? non ſolum vinum, nec ſolam aquam, ſed vinum aquâ miſtum in Sacrificio obtulit. Unde hoc ſcimus, ubi ſcriptum, Chriſtum in cœna calici vinum & aquam infu-

infudiſſe? nullibi. Ergo à ſola Eccleſia & Traditione id habemus & tenemus.

XL. Ad Irenæum, ſcribere hunc contra Gnoſticos & illos hæreticos, qui in circuitu ambulant, & à Scriptura ad Traditionem: à Traditione rurſus ad Scripturam provocant, atque undique ſe implicant. Hinc S. Pater mox ſubjungit, *illos ad Traditionem provocatos adverſari etiam Traditioni.* Hæc autem non ſunt adverſus nos Catholicos, ſed contra Sectarios; iſti enim pro libitu Scripturas, quæ ad palatum non faciunt, reijciunt; puta libros Machabæorum, epiſtolas Jacobi & Judæ &c. tanquam non ſint ex authoritate: cum verſione latinâ impugnentur, hæc, inquiunt, non rectè ſe habet: cum traditione ex comuni Eccleſiæ ſenſu premuntur, adverſantur traditioni ſeſe Patribus & Doctoribus omnibus præferentes. *Adverſus tales* ait ibidem Iræneus. *certamen nobis eſt, qui more ſerpentum lubrici undique effugere conantur.* Cæterùm ex cit. loco luculenter conſtat, eundem Patrem admittere Traditionem, *quæ*, ut ipſe loquitur, *ab Apoſtolis per Succeſſionem Presbyterorum in Eccleſijs cuſtoditur.*

XLI. Ad D. Hieronymum; verba hujus ita ſonare in Edit. Paris. an 1609. Tom. 9. pag. 102. *Sed & alia, quæ abſque authoritate & teſtimonijs Scripturarum quaſi traditione Apoſtolicâ ſponte reperiunt. atque confingunt, percutit gladius DEI.* Ubi non videtur verbum *Omnia* apud Hieronymum; alia autem & omnia non ſunt Synonima 2. non legitur, *gladius Verbi DEI*, ſed gladius DEI; equidem novi, Hieronymum loqui de gladio Verbi DEI, ſed hoc Verbum non habet in textu. 3. apponitur particula *Sponte*, à qua pendet tota rei ſubſtantia; & illam idcirco plerique hæretici omittunt. Hieronymus dicit, Gladius DEI percutere adhuc alia, quæ hæretici ſine authoritate & teſtimonijs Scripturarum ſponte & ex perverſa ſua voluntate reperiunt & fingunt, quaſi Apoſtolicæ eſſent Traditiones. Quid hoc contra Eccleſiam Romanam, quæ non invenit & fingit Traditiones Apoſtolicas, ſed eas à Majoribus per legitimam ſucceſſionem acceptas cuſtodit? Dolendum ſanè ab hæreticis ita iniquè tractari veneranda Antiquorum Patrum Scripta?

XLII. Reſpond. 3. ad probationem ex ratione. Ad 1. & 2. pro certo nos credere, Chriſtum omnia manifeſtaſſe, & Apoſtolos omnia annunciaſſe; inde tamen non ſequi, quod omnia debuerint conſcribi, ſed ſufficere, quod quædam ſcriptis, quædam etiam ſolis verbis & manifeſtata & annunciata fuerint, quæ per aliorum ſcripta poſtea nobis ſint tradita. Dici etiam aliquo ſenſu poteſt, in Scriptura omnia contineri ad fidem & Religionem ſpectantia partim determinatè & in ſpecie: partim generatim & implicitè, quatenus oſtendit Eccleſiam (*columnam & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15.) à qua omnia poſſunt dici, quæ ſunt ſcitu neceſſaria; Sicuti Index librorum è varijs Authoribus Collectus continet omnia, quia deſignat loca, ubi reperiri queant. Atque in hunc ſenſum explicanda ſunt loca Sanct. Patrum apud Bellarminum, qui aſſerere videntur, omnia in Scripturis contineri, cjuſmodi multa allegârunt hæretici in Colloquio Ratisbonenſi poſt ſeſs. octavam.

XLIII. Ad 3. Negando aſſumptum ſeu Minorem, pro qua fraudulenter adducitur Cardin. Bellarminus, cum nuſpiam iſte aſſerat, omnibus omnia neceſſaria & utilia ad ſalutem ab Apoſtolis ſcripta: ſed tantùm de ſimpliciter & explicitè ſcitu neceſſarijs loquatur; quæ duo neceſſaria inter ſe valde diverſa ſunt; hæc enim poſteriora Bellarmini c. 11, cit. pauciſſima ſunt, & Symboli Apoſtolici & Decalogi limites vix egrediuntur: illa autem Ameſij tom. 1. fol. 73. plurima ſunt, omnia ſcil. revelata ſive ſcripto ſive traditione ad nos tranſmiſſa; quæ utique non omnibus ſcitu explicitè utilia, ne dicam neceſſaria ſunt, ſed ſolùm Prælatis & Eccleſiæ Doctoribus; quid enim ea, quæ ad ſacrificiorum & Sacramentorum adminiſtrationem, ad Eccleſiæ gubernationem, ad hæreſum refutationem pertinent, quid, inquam, iſta utilitatis ſimplicibus ac rudibus fidelibus aſſerunt? Sufficit ergo hiſce indoctis & plebeis ſcire explicitè Myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. quæ ſicuti omnibus omnino ſcitu ad ſalutem neceſſaria & utilia ſunt, ita ab Apoſtolis ſcripto conſignata fuerunt: & dum hiſce paucis cognitis explicitè aſſentiuntur, implicitè etiam aſſenſum præbent omnibus reliquis fidei dogmatibus, quæſive ſcripta ſive tradita tenet Eccleſia, parati ſemper, ſingulos fidei articulos qrofiteri publicè, quando id legitimè fuerit requiſitum.

XLIV. Ad 4. diſtinguendo Antec. Sacræ litteræ ſcriptæ ſunt, ut habeamus regulam partialem ſaltem & in pluribus, concedimus: adæquatam in omnibus & uſquequaque perfectam ſine ullius alterius acceſſu, negamus. Siquidem littera ſcripta ſine acceſſu genuini ſenſûs (qui ſine traditione Eccleſiaſtica ſæpiſſimè non conſtat) non eſt plus, quàm Corpus abſque Anima. Nam, ut pulcherrimè Hilarius Lib. 3. ad Conſtantinum Imperatorem ſcripſit: *Scriptura non in legendo ſunt, ſed intelligendo.* Cur autem quædam v. g. myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. habeant regulam Scriptam: quædam verò non, uti Pædobaptiſmus, non-rebaptizatio hæreticorum &c. à bono Chriſtiano non anxiè eſt inquirendum, ſed divino Beneplacito acquieſcendum. Conſequentia etiam negari qoſſet, ſicuti ab ipſis hæreticis in pari argumentatione exploderetur: Symbolum Apoſtolicum & Decalogus ſunt data, ut haberemus regulam perfectam Fidei ac Morum. Ergo Scriptnra Novi teſtamenti non eſt Verbum DEI, aut ſaltem ſuperfluum.

XLV. Ad 5. quod Sectarijs videtur impoſſibile, facillimum eſſe DEO; quemadmodum igitur iſte Providentiâ ſuâ eximiâ cavet, ne in Sacra Biblia error irrepat fidei & moribus pernitioſus, ita prohibet, ne Traditionibus Eccleſiaſticis genuinis aliæ ſpuriæ admiſceantur; quam providentiſſimam DEI curam ampliſſimæ illæ Chriſti pollicitationes innuunt Matthæ 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Luc. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit.* Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit &c.*

XLVI. Ad 6. negando, proprium eſſe hæreticorum, abſcondere ſua dogmata, & ſub pulchro Apoſtolicarum Traditionum prætextu alijs obtrudere; quia maximè proprium, imò commune omnibus hæreticis eſt, venena ſua palam ſpargere ſub ſpecioſo Verbi Dei velamine, ut de illis jam pridem rectiſſimè ſcripſerit Tertullianus de Præſcript. cap. 15. *Scripturas oſtendunt, & hâc ſuâ audaciâ quoſdam movent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimit-*

Digitized by Google

dimittunt. Abſurditas illa myſteriorum turpium inter Gnoſticos, Baſilidianos Capocratianos &c. eſt paucorum apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium & Auguſtinum. Nihil tale habuêre Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Monotelitæ, Sacramentarij, & innumeri alij Sectarij. Et quid ad nos Catholicos ſpurca illorum deliramenta, quæ nomine etiam myſterij indigna ſunt. Myſteria noſtra ac Fdei dogmata ſive ſcripta, ſive tradita caſtiſſima ſunt, & poſſent ubique propalari atque omnibus manifeſtari, ſi omnes protinus capaces forent, ut SS. Dionyſ. Chryſoſtom. Baſilius alij Patres docent.

XLVII. Ad 7. denique rationem; ſi hoc argumentum firmum ſtaret, in periculo ruinæ totam fore Sac. Scripturam; ſiquidem non ſolùm falſæ & adulterinæ Traditiones, ſed etiam falſi & ſpurij libri ſub nomine Apoſtolorum antehac ipſis Biblijs inſerti, & per illos non pauci boni Chriſtiani decepti fuerunt. Papias Epiſcopus Hierapolitanus & Diſcipulus S. Ioannis Apoſtoli errorem ſuum ex ſcriptura potius pravè intellecta, quàm ex traditionibus traxit, ut de ipſo teſtatur Hieronymus in cap. 49. Iſaiæ, & 19. Matthæi; unde ineptè & nequiter illum abſolutè contra Traditiones adducit Molinæus fol. 59. Videatur Forer lib. 1. cit. c. 8. num. 3.

XLVIII. *Error ſecundus* eſt, in Eccleſia Romana haberi ſolum Traditiones humanas. Ita ijdem Hæretici, è quibus Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. 15. ait; *nos Romano-Catholicos docere, quod per traditiones humanas mereamur gratiam juſtificationis, & remiſſionem peccatorum.* Probant ex eo, quod paſſim à Scriptura damnentur; nominatim adducunt iſta loca Mathæi 15. v. 9. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens, populus hic labijs me honorat, cor eorum longè eſt à me, ſine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Coloſſens. 2. vers. 8. *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* 1. Pet. 1. v. 18. *Redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis &c.* Molinæus etiam fol. 59. nos Catholicos comparat Phariſæis, & antiquis hæreticis, qui Phariſæos imitati traditiones ſuas iiſdem, inquit, D. Pauli verbis tuebantur, quibus hodiè Papiſtæ.

XLIX. Pro errore iſto refellendo advertendum, duplices eſſe hominum traditiones; aliquæ harum conſonant Sacræ Scripturæ, aliæ diſſonant. Priores laudat Scriptura ſupra adducta, & hic iterum illas confirmo hoc Syllogiſmo: Qui Traditiones reijcit, præcipuis Evangelij partibus damnum affert. Sed Sectarij Calviniſtæ, Lutherani, & alij traditiones reijciunt. Ergo &c. Min. patet. Majorem habet in terminis Baſilius M. ut teſtatur D. Damaſcenus in oratione 1. de Imaginibus hiſce verbis: *D. Baſilius in cap. 27. illius libri, quem de Spiritu Sancto 30. diſtinctum capitibus ad Amphilochium ſcribit: quæ in Eccleſia ſervantur & prædicantur, partim ex ſcripta conſtant doctrina: partim Apoſtolorum traditione data nobis in myſterio ſuſcepimus. Et utraque quidem eandem ad pietatem vim obtinent. Nec quiſquam ijs, qui vel mediocriter in Eccleſiæ jure verſatus ſit, contradixerit. Si enim, quæ ſcripta non ſunt, ſed moribus tantùm & conſuetudine continentur, tanquam magni momenti non ſint, reijcere aggrediamur, imprudenter ipſis Evangelij partibus præcipuis damnum afferemus.* Hæc Damaſcenus ex D. Baſilio, ubi ad propoſitum noſtrum ultima verba ſpeciatim obſervanda, priorum enim jam ſupra meminimus.

L. Poſteriores Traditiones hominum reijcit eadem Scriptura locis recèns adductis, & bene declarat Chriſtus Matth. 15. cit. vers. 6. aiens: *Irritum feciſtis mandatum DEI per Traditiones veſtras,* id eſt, traditiones Scripturæ contrarias ſecuti eſtis; quales apud Judæos erant variæ. I. quod ante cibum lavandæ eſſent manus Matth. 15. v. 2. II. quod etiam inter comedendum illa lotio ſæpius eſſet repetenda. Matth. 7. v. 3. III. quod veniens è foro non debeat cibos capere, niſi lotæ eſſent manus. Marc. 7. v. 4. IV. quod cum peccatoribus non eſſet ſumendus cibus. Matth. 9. v. 11. V. quod ne quidem permittendum eſſet, ut quis à peccatoribus tangeretur. Luc. 7. v. 36. VI. quod in Sabbatho non liceret ægros curare. Luc. 6. v. 7. VII. quod famelici non poſſent ſpicas vellere & comedere in Sabbatho. Matth. 12. v. 1. VIII. quod frequenter eſſet jejunandum & orandum Luc. 5. v. 33. IX. quod omnium rerum etiam minimarum decimæ offerendæ eſſent DEO Matth. 25. v. 23. X. quod, qui juraret per templum vel altare, non eſſet reus criminis: qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, eſſet reus. Matth. 23. v. 16. XI. quod filij non tenerentur reipsâ parentes ſuos honorare, aut illis benefacere, ſed abunde ſufficeret, munus aliquod DEO offere. Matth. 15. v. 3. Has, inquam, traditiones humanas reijcit Scriptura, & reprehendit Chriſtus, non quòd omnes ex genere ſuo eſſent malæ, ſed tùm quia Phariſæi ex eorum obſervatione quærebant inanem gloriam & opinionem Sanctitatis apud homines Matth. 23. vers. 5. tum quia ex eorum obſervatione ſectabantur opes & divitias, præſertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Mtth. 23. v. 14. & Marc. 12. v. 40. tum quia ſuperſtitioſè obſervabant ſuas traditiones, & interim mandata DEI negligebant. Matth. 23. v. 24. excolantes culicem, camelum autem deglutientes.

LI. Nullas hujuſmodi traditiones humanas habet aut obſervat Romano-Catholica Eccleſia. Fatetur hoc ipſe Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 18. §. 10. aiens: *Romanenſes Magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos ceremoniola: quæ non Apoſtolica cenſeatur.* Verùm licet iſtud oppugnet & refellat mendacium Melachthonis aſſerentis: *Omnes Eccleſiæ Romanæ traditiones eſſe merè humanas*; attamen reipsâ æquè errat Calvinus, ac Melanchthon; ille quidem, quia nos Catholici, ut ſæpe jam dictum, duplices admittimus traditiones; unas ab Apoſtolis acceptas: alteras poſt tempora Apoſtolorum à Prælatis Eccleſiæ introductas: iſte verò, quia contrarium apertè docemus, nimirum nullo modo nos mereri juſtificationem aut remiſſionem peccatorum, ſed eam gratis conferri nobis per merita Chriſti, ut patet ex Concilio Tridentino Seſs. 6. c. 8. ubi hæc habentur: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Quare dicto Melanchthonis ſuper relato nihil ſubeſt, niſi impudens calumnia.

LII. Ad probationem Adverſariorum, negamus Traditiones univerſim & ubique damnari

in Sac.

Digitized by Google

n Sac. Scriptura. An non Epiſtola 2. ad Theſſa-lonicenſes eſt Scriptura ſacra? quas tamen Traditiones commendat c. 2. v. 15. hiſce expreſſis verbis: *tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Audio ex Sectarijs recentiorem quemdam dicere, hinc non ſuffulciri Traditiones, cum concludi nequeat: Paulus in hac epiſtola quædam dogmata non ſcripſit. Ergo illa in alijs Scripturis non reperiuntur; certè inepta & falſa hæc argumentatio: Quæ in iſta epiſtola ad Theſſal. non fuerunt ſcripta, meræ ſunt traditiones. Doctrina de cœna Dominica non fuit in illa ſcripta. Ergo mera eſt traditio. Verùm nos Catholici nequaquam ſic argumentamur, ſed in hunc modum validiſſimè concludimus: Apoſtolus præcipit & vult, æquè obſervari, quæ oretenus ſolùm prædicavit, ac illa, quæ ſcripto conſignavit, & non dirigit Theſſalonicenſes ad ullam Scripturam ſive præſentem, ſive futuram. Ergo doctrina illa Apoſtolica oretenùs ſolùm tradita eſt obſervanda abſque ulteriore directione ad ullam Scripturam, & hâc eâdem directione Sectarij fruſtra Traditiones laceſſunt. Cæterùm Traditiones, quas Scriptura & Dominus reprehendit, non ſunt illæ genuinæ, ſed ſolùm adulterinæ, & humanæ, quæ initium habuerunt à quibuſdam Rabbinis, & non multùm ante Chriſti tempora, ut apertè docet D. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam. q. 10. Tales adulterinas & humanas traditiones habere nos Catholicos, atque ideo Phariſæis & antiquis hæreticis comparari poſſe, calumnia eſt Molinæi; aut nominet vel unam ſimilem? interim nihil obeſt, Catholicos ijſdem hodie verbis D. Pauli uti, quibus olim hæretici uſi fuerunt; quia non faciunt id eodem intellectu & fine.

LII. *Error tertius.* Nihil penitus aſſignari poteſt, quod ab univerſa Eccleſia per omnia ſæcula fuit receptum, ut neceſſarium creditu aut obſervatu, quod in ſacris litteris non continetur. Ita contra regulas ſupra à §. XXIII. à nobis allatas Guilielm. Ameſius. Tom. 1. fol. 66. ubi ulterius ſic arguit: Si, inquit, Traditiones eâdem fide ſunt recipiendæ cum ijs, quæ in Scripturis continentur, propter teſtimonium Eccleſiæ & Patrum conſenſum, ſequitur 1. hæc teſtimonia Eccleſiæ & Patrum eandem authoritatem habere cum ſcripturis. 2. Scriptis Patrum eâdem fide credendum, quâ ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis credimus. 3. Sive Patres loquantur ex Scripturis, ſive abſque ſcriptura, nullam eſſe differentiam quoad fidem ipſis habendam. Præterea aliqui ex Neothericis graviter incuſant Franc. Coſterum nimis Traditiones extollentem in Enchiridio cap. 1. de Traditionibus: Ubi Traditio inquit, *Omnem veritatem in ſe habet, omnia fidei myſteria, omnémque rationem Chriſtianæ veritatis complectitur, & omnia, quæ de negotijs fidei oriri poſſunt, diſſolvit.* Item: *hujus Traditionis præſtantia multis partibus ſuperat Scripturas, quas nobis in membranis Apoſtoli reliquerunt.* Alij verò præſtantiam Sac. Scripturæ ſupra omnes Traditiones evincere volunt ex ipſo Cardin. Bellarm. tum lib. 1. de Verbo Dei c. 2. ubi ait, *Sacris Scripturis nihil eſſe notius, nihil certius &c.* (quæ verba ſæpe ſæpius adducit Ioan. Gerhardus.) tum lib. 4. de Verbo DEI non ſcripto c. 11. in reſp. ad 5. prope finem, ubi docet, *teſtimonia Scripturæ anteponenda eſſe teſtimonijs Conciliorum.* Atque iſti æquè ac priores & ipſe Ameſius allatas regulas noſtras retundere, & enervare contendunt.

Error iſte non eſt diverſus à prioribus; cum enim Adverſarij Verbum DEI ſcriptum ſemper clamitent tanquam unicam regulam, ex qua omnia metiamur, utique omnes alias regulas abjicient, nihilque non-ſcriptum admittent Verbo DEI ſcripto æquale. Quamvis autem noſtros per Traditionem abſque ſcriptura acceptos fidei articulos varijs calumnijs inquinent, omnibúſque machinis irrefragabilium, uti ſibi imaginantur, argumentorum impetant, nihilo tamen plus efficiunt contra veritatem, quam (verba repeto ſupra allata) nos opponimus in Sac. Scriptura fundatam, à SS. Patribus approbatam, & per validas rationes confirmatam, uti videre eſt in ijs, quæ hactenus diximus, & fuſius apud Card. Bellarminum toto libro 4. cit, ac ſummatim in hoc conſiſtit: quod Spiritus veritatis doctrinas fidei non ſcriptas per infallibilem ſuam illuminationem & gratiam cordibus Paſtorum & Præpoſitorum Eccleſiæ infundat, inſerat, & in eis illibatas conſervet, juxta illa Verba 2. Corinth. 3. v. 3. ſupra cit. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu DEI vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

LIV. Negamus igitur, nihil aſſignari poſſe, quod ab univerſa Eccleſia per omnia ſæcula fuit receptum, ut neceſſarium creditu & obſervatu, quod in ſacris litteris non continetur. Nunquid ſupra §. VIII. plura hujuſmodi fuerunt adducta? In Veteri Teſtamento Judæi per multa ſæcula crediderunt, omnes & ſingulos libros, qui in canone ipſorum conſignabantur, eſſe verè divinos & à DEO inſpiratos, ubi hoc ſcriptum? Item fœmellas à peccato originali per remedium aliquod particulare & neceſſarium purgari, ubi hoc in ſacris libris fuit expreſſum? In Novo Teſtamento per omnia ſæcula Chriſtiani crediderunt, Evangelium S. Matthæi eſſe Verbum Dei: item totam Sac. Scripturam in ijs, quæ ad fidem & mores pertinent, manere nobis ſalvam & incorruptam, ubi hoc legerunt ſcriptum? Hanc traditionem, ajunt Acatholici apud Kemnitium in exam. Trident. Seſs. 4. ſupra citatum, quâ nobis in manus dantur Sacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus. Quæro jam ex ipſis, Eccleſia Catholica vel poteſt fallere, vel non? ſi prius, cur credunt Evangelium proponenti? ſi poſterius, cur non credunt eidem Eccleſiæ alias traditiones Apoſtolicas aſſerenti? & ſi rectè creditur Eccleſiæ Catholicæ laudanti Evangelium, rectè etiam omnino credetur vituperanti & condemnanti Lutherum, Calvinum, alióſque Novatores, ut optimè contra Manichæos argumentatur D. Auguſt. contra epiſtolam Manichæi cap. 5.

LV. Ad objectionem Ameſij reſpondemus, ſi tres illæ illationes rectè intelligantur, nempe de ſcriptis SS. Patrum concorditer aliquid atteſtantium, nihil in illis non pium, rectum, ac ſanum apparere; ſenſus quippe alius non eſt, quàm teſtimonium Eccleſiæ ac Patrum æqualiter ſe habere reſpectu Verbi DEI, ſive id ſcripto, ſive vocali traditione ad nos derivetur, cum certiſſimum ſit, & firmiſſimè teneamus, quod tam in uno, quàm in altero decipi ab Eccleſia nequeamus.

LVI. Neotherici aliqui malè incuſant Coſterum Traditiones nimis ultra Scripturas extollentem;

lentem; cum ille pulchras hujus afferat rationes. 1. quia Traditiones ab ipſo DEO cordibus ſunt inſcriptæ: Biblia à Prophetis & Apoſtolis ſunt exarata. 2. quia traditiones ſunt antiquiores, & ſtatim cum Eccleſia ceperunt: Scripturæ in Novo Teſtamento multò poſt chartæ fuerunt mandatæ & promulgatæ. 3. quia Sacra Scriptura agnoſcitur & confirmatur per Traditiones juxta D. Auguſt. c. 4. contra epiſtol. Fundamenti: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Authoritas commoveret.* 4. quia Biblia ſunt littera mortua, quæ truncari & diverſimodè explicari ſe ſinit: Traditiones verò cordibus à DEO inſcriptæ manent integræ & immutatæ. 5. quia in Biblijs non continentur omnia, quæ ad plenitudinem doctrinæ Catholicæ ſunt neceſſaria, ut liquet ex dictis: Traditiones verò comprehendunt omnia myſteria & fidei articulos, dant quoque verum illorum, & totorum Bibliorum ſenſum & intelligentiam.

LVII. Alij denique, dum Sac. Scripturam ſupra omnes Traditiones extollere nituntur, malè utuntur verbis Cardinal. Bellarmini. Nam quando iſte lib. 1. de Verbo DEI c. 2. ait, *Sacris Scripturis nihil eſſe notius, nihil certius &c.* Intelligendum id apud Chriſtianiſmum qualitercunque profeſſos, hoc eſt, apud illos, qui ex traditione Eccleſiæ jam admittunt libros Scripturæ eſſe Canonicos; quod contra nos nihil juvat Gerhardum, qui, ut dixi, ſæpe in hanc petram impingit. Ex verbis ejuſdem Cardinalis Lib. 4. c. 11. non infertur, Verbum Eccleſiæ non eſſe Verbum DEI, cum omne Verbum DEI ſit unius & ejuſdem authoritatis irrefragabilis, & veritatis infallibilis ſive immediatè per ſe, ſive mediatè per Legatum aut Interpretem loquatur. Interim nemo negaverit, ſi per impoſſibile diſcrepare poſſet Verbū Interpretis à Verbo, quod DEUS ipſe per ſe proferre dignatus eſt, anteponendum hoc abſque dubio illi. Ex hypotheſi iſtà, juxta quam intelligendus Bellarminus tum hoc cit. tum lib. 2. de Eccleſia c. 12. ad initium, malè infertur conſequens abſolutum. Simile eſt dictum hujus Auhoris illi Apoſtolico ad Galat. 1. v. 8. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod nos evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Sed de hoc ipſo plura infra, ubi agemus de Eccleſia.

LVIII. Stant igitur inconcuſſæ Regulæ noſtræ, & firmiſſimè tenendum, dari Traditiones divinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, & Scripturam omnem eſſe quidem utilem ad docendum, & erudiendum in juſtitiâ, non tamen ſolam; quamvis enim ea, quæ ſunt omnibus ſimpliciter ad fidem & bonos mores ſcitū neceſſaria, contineantur in Scriptura, multa tamen ſunt præter hæc, quæ non omnibus & ſingulis, ſed quibuſdam tantùm propter certum in Eccleſia munus ſunt neceſſaria, nec tamen in Scripturis neceſſariò conſignari debent. Quid ad pleroſque in Eccleſia attinet, num hæretici ad Eccleſiam redeuntes ſint rebaptizandi? ſpectat autem iſtud ad Eccleſiæ Rectorem & maximè ad ſummum Pontificem. Unde licet Chriſtus per Apoſtolos ſcripto non expreſſerit, quid in hoc caſu ſit factu opus, tradere tamen per eoſdem verbo, quid tunc fieri oporteat, non omiſit. Quare cum eadem quæſtio in Eccleſia motus graviſſimos cieret, Stephanus Romanus Pontifex hiſce eam verbis dicidit: *Nihil innovetur, ſed illud ſervetur, quod traditum eſt:* Atque ſic Eccleſiam tranquillavit, & ſublato periculo eandem in antiqua, pura, ac ſancta doctrina conſervavit, qui inde ob Catholicam Traditionem egregiè propugnatam meruit omnium præconijs celebrari, & aniverſariâ commemoratione non ſolùm à Latinis, ſed & à Græcis in Tabulis Eccleſiaſticis commendari. Ecce quanta vis Eccleſiæ in Traditione, ubi Scriptura nihil virium eidem ſuppeditat! videatur jam cit. Baronius ad an. Chriſti 258. Quemadmodum autem ab iſta, ita à quibus alijs ſuis Traditionibus Eccleſia plurimum habet utilitatis; etenim hodie in moderna Eccleſia aliquas Traditiones cum abuſu haberi, calumnia eſt hæreticorum. Plura de Traditionibus videri poſſunt apud DD. à Walenburch Tom. 1. à pag. 779. ac nominatim variâ effugia Cocceij, Scheibleri, Hundij, Zanchij, Crocij & aliorum contra doctrinam noſtram; quæ tamen omnia hîc vel apertè refutantur, vel refutari ex dictis facilè poſſunt.

CONTROVERSIA IV.

QUOUSQUE SE AUTHORITAS Sacræ Scripturæ extendat?

PLura ſub hac controverſia continentur; nimirum quinam libri divinam habeant authoritatem? in qua lingua? an quælibet etiam minima pars horum librorum pro infallibili Verbo DEO habenda? Singula horum ſub diſtinctis controverſiarum titulis tractari poſſent, ſed placuit brevitatis causâ omnia ſub hac complecti, cum inter ſe cohæreant.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Κανὼν Græcum verbum Latinè regulam ſignificat; unde omnes regulæ vocantur Canones, tanquam regulæ, ſecundum quas dirigendæ ſunt actiones hominum. Inter alias verò leges primaria eſt de numero Librorum Sac. Scripturæ, quinam recipiendi pro Verbo DEI. Liber ergo hoc canone ſeu Catalogo comprehenſus dicitur Canonicus, id eſt, pro Authentico DEI Verbo ab Eccleſia receptus & agnitus. Quare ſicuti aliud eſt, eſſe Sanctum: aliud eſſe canonizatum, hoc eſt, pro Sancto receptum & declaratum, cum multi ſint Sanctorum nondum canonizati, ita aliud eſt, aliquem librum eſſe Verbum DEI: aliud, eſſe Canonicum; quippe fieri poteſt: ut aliquis liber revera ſit Verbum DEI, qui nondum agnoſcatur pro Verbo DEI; ſicuti olim dubitatum eſt de libris Machabæorum, & etiamnum dubitatur de tertio & quarto Eſdræ, qui idcirco ad finem Bibliorum rejecti ſunt, tanquam Apocryphi, hoc eſt, abſconditi, quorum authoritas nondum eſt comperta, ſiquidem DEUS nondum revelavit Eccleſiæ; licet nomen apocryphi interdum duriùs ſumatur pro illo, quod

penitus

Google

enitus ab Eccleſia rejectum, & improbatum; ujuſmodi plures libri recenſentur in jure Canoiico c. 3. Diſt. 15. Hoc quoad nomen Canonis ɔræmiſſo.

II. *Doctrina prima.* In canone, quo utuntur Catholici, relati ſunt hi libri Veteris Teſtamenti: *Jeneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, Quatuor libri Regum, Duo Paralipomenon, Duo Eſdra, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, Quatuor majores Prophetæ, Baruch, Duodecim Minores, Duo libri Machabæorum.* Item hi libri Novi Teſtamenti: *Quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli, Tres S. Joannis, Duæ S. Petri, Una Jacobi, Una Judæ, Apocalypſis Joannis.* Univerſim libri 72. Veteris Teſtamenti 45. Novi 27. juxta decretum Concilij Tridentini Seſs. 4. quod initio Bibliorum præfigitur.

III. Acceperunt autem Patres hujus Concilij canonem illum per Traditionem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre eſt apud Bartholomæum Carranzam in ſumma Conciliorum. Rurſus Eugenius eundem recepit à Gelaſio Papa in Concil. Romano, ut patet ex Tom. 2. Concilior. in decretis Gelaſij circa finem. Deinde Gelaſius à D. Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſt. c. 8. & Auguſtinus à Concilio Carthaginenſi III. quod alij quintum, alij ſextum appellant. Denum Patres hujus Concilij acceperunt ab Innocentio I. Papa in epiſtola ad Exuperium; vixit autem Innocentius anno Chriſti 402. Itaque ab hoc tempore primitivæ Eccleſiæ ad nos uſque per continuam traditionem perſeverat idem ille Sac. Scripturæ Canon, quem nos Catholici nunc tenemus & amplectimur.

IV. Objicere ſolent Adverſarij, Concilium Carthaginenſe, licet huic interfuerit & ſubſcripſerit Auguſtinus, fuiſſe tamen Provinciale, & fallibile, imò vitiatum; etenim Canon quadrageſimus ſeptimus ſecundi Concilij Carthaginenſis, ubi numerus librorum Sac. Scripturæ definitur, facit mentionem Bonifacij Papæ, qui multò poſt hoc Concilium fuit primùm electus. Reſp. 1. ex Baronio Tom. 5. & ejus Compendiatore Spondano ad an Chriſti 397. n. 26. fuiſſe quidem Concilium Provinciale, ſed poſtea confirmatum in univerſali Concilio Lateranenſi. 2. Canones vitio Librariorum ex tertio Concilio Carthaginenſi ſub Bonifacio Papa celebrato ad ſecundum eſſe tranſportatos, nullo ipſius veritatis detrimento.

V. Ex allata doctrina & decreto Tridentini Concilij manifeſtè apparet, Romano-Catholicam Eccleſiam nec poſſe nec velle aliquem librum pro mero ſuo arbitrio facere Canonicum, vel non Canonicum, ut falsò ipſi imponunt Sectarij: ſed profiteri, ſolos illos libros agnoſci & admitti debere tanquam Canonicos & ſacros, quos Prophetæ & Apoſtoli dictante S. Spiritu ſcripſerunt. Eſt quidem aliquorum Theologorum opinio Patri Adamo Tannero Tom. 3. D. 1. Quæſt. 5. n. 56. non prorſus improbabilis, Eccleſiam etiamnum poſſe librum aliquem olim ſcriptum, & in authoritate hactenus exiſtentem, nec poſitivè rejectum proponere & declarare tanquam ſacrum, atque in canonem recipere: oppoſitum tamen videtur verius; tum quia ad illud non ſuppetunt ſufficientia Veterum teſtimonia, tum quia uſus & ſenſus præſentis Eccleſiæ non eſt talis, ut ex iſto fieri id poſſe exiſtimemus. tum quia libri nonnulli, quos hujus honoris capaces aliqui cenſebant, à Gelaſio Papa Can. Sancta Romana Diſt. 15. inter Apocryphos poſiti aliquam inde etiam erroris ſuſcipionem traxêre. Videri poteſt. cit. Author.

VI. *Doctrina ſecunda.* Ex Biblijs diverſarum linguarum hodie ſolùm Latina ſunt authentica; cæteræ verò linguæ eatenus admittuntur, quatenus cum Latina editione concordant. Ita Catholici Doctores ob Authoritatem Concilij Tridentini ſola Biblia Latina approbantis Seſs. 4. his verbis: *Sacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio* (Latina ſcilic.) *quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis Lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro Authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Et infra: *Decernit & ſtatuit, ut poſthac Sac. Scriptura potiſſimum verò hæc ipſa vetus & vulgata editio quàm emendatiſſimè imprimatur.*

VII. Quamvis enim nullus Author Canonicus latinè ſcripſerit præter D. Marcum, ut de iſto creditur, tamen dubium non eſt, quin ſtatim initio naſcentis Eccleſiæ Romanæ a multis Biblia in Latinum fuerint converſa. Una autem (incerti Authoris) ex omnibus verſionibus primatum tenuit, quæ idcirco Itala ſeu Vulgata dicebatur, & vigebat quotuor primis ſæculis uſque ad S. Hieronymum, qui animadvertens, eam verſionem non immediatè ex Hebræis fontibus, ſed ex Græca Septuaginta Interpretum tranſlatione deſumptam, multiſque mendis infectam eſſe, authoritate Damaſi Papæ novam verſionem molitus eſt. Et quidem Vetus Teſtamentum totum ex Hebræo in Latinum tranſtulit excepto libro Sapientiæ, Eccleſiaſtico, Baruch, Machabæis, & Epiſtola Jeremiæ, ut ipſe fatetur in fine de Scriptoribus Eccleſiaſticis his verbis: *Vetus juxta Hebraicum tranſtuli.* Exceptos autem libros non tranſtulit, quia vel Canonicos non putavit, ut Eccleſiaſticum, vel Hebræos non juvenit, ut Sapientiam, ſicuti ſignificat præfat. in Proverb. etenim Librum Baruch ideo à ſe prætermiſſum disertè narrat in præfat. in Iremiam. Novum verò Teſtamentum ex Græco antea translatum multis in locis correxit, uti ipſemet lib. de viris illuſtrib. ait: *Novum Teſtamentum Græcæ Fidei reddidi &c.* Atque hoc opus adeo probatum eſt Eccleſiæ, ut paulatim relictâ veteri Hieronymianam verſionem acceptârit, excepto Pſalterio ob hanc forſan rationem, quia cum in Eccleſijs quotidie Pſalmi juxta Septuaginta canerentur, iiſque Fidelium aures aſſueviſſent, durum ac violentum propemodum fuiſſet, inducere verſionem S. Hieronymi. Quare ab eadem Eccleſia retenta fuit antiqua editio, prius tamen à Luciano Martyre emendata.

VIII. Hinc apparet ratio Doctrinæ allatæ; nimirum quia tota Latina Eccleſia jam per mille & amplius annos hâc unâ editione fuit uſa, ideo per ſeipſam hæc Editio obtinuit authoritatem atque approbationem à DEO; etenim hunc permiſiſſe, ut Eccleſia hac in re tamdiu erraret, non eſt conſentaneum ipſius Providentiæ ac promiſſis, præſertim quando pluribus annis non

F fuit

Digitized by Google

fuit alia Eccleſia vera, quàm Latina. Unde etiam ſapienter ſacrum Concilium nec tribuit S. Hieronymo hanc editionis authenticæ authoritatem, nec ulli Translatori, cum tales non fuerint Prophetæ nec Apoſtoli aut Canonici Scriptores; ſed, ut diximus, quia hæc Editio à tanto tempore, à tot Sanctis Patribus ac doctiſſimis viris examinata & cum Originalibus Sac. Scripturæ textibus collata, ita fuit integra & ſincera inventa. Item quia ab univerſa Eccleſia per tot ſæcula præ alijs ita fuit uſurpata atque approbata, ut ſatis inde conſtaret, nihil in illa contineri contra Fidem Catholicam, bonos mores, & originales Sac. Scripturæ textus; Ideo, inquam, ſacrum Concilium judicavit & declaravit, hanc vulgatam editionem veluti veram & authenticam Sac. Scripturæ Editionem eſſe cenſendam ac retinendam. Quare audiendi non ſunt, qui fas eſſe putant, vulgatam verſionem Latinam, ubi etiam de genuina ejus lectione conſtat, ex Græco & Hebraico textu, ſiquandoque ab iſtis diſſentiat, corrigere, ut bene notavit Greg. de Valentia Tom. 3. Diſput. 1. Quæſt. 1. punct. 7. §. 42.

IX. Quod attinet ad cæteras linguas, & inprimis ad Hebraicam. Si textus Hebraicus eorum librorum, qui primùm ab Authoribus hebraicè ſcripti ſunt (ut plerique Vet. Teſtamenti, & nonnulli Novi, ſcil. Evangelium S. Matthæi, & Epiſtola ad Hebræos) incorruptus extaret, maximæ utique foret Authoritatis præ omnibus linguis; quippe primo-genius, & à Canonicis Scriptoribus immediatè promanans. Verùm quia multis locis depravatus eſt partim Librariorum vitio, partim Rabinorum inſcitiâ vel malitiâ, non eſt undequaque indubitatæ Fidei, ut rectè cenſet Card. Bellarminus lib. 2. de Verb. DEI. cap. 2. Nam Veteres Hebræi in ſua ſcriptione ſolas conſonantes ſine vocalibus pingere conſueverant, ut fere nos facimus in abbreviationibus. Deinde ex poſterioribus Hebræis Maſſonethæ Rabinorum Duces Anno Chriſti 436. ad Tiberiadem Palæſtinæ tum ad minuendam difficultatem, tum etiam ne paulatim ſcientia linguæ Hebraicæ penitus interiret, quæ ipſi Majorum traditione & uſu didicerant, ad artem revocare conati ſunt, certis quibuſdam punctis excogitatis, quæ ubique locum vocalium obtinerent; unde ſenſus Sac. Scripturæ facilè potuit mutari, cum idem vocabulum cum alijs & alijs punctis diverſa ſignificet; & quia conſonantes multùm ſimiles ſunt, facilè etiam una in alteram mutari potuit magnâ ſignificationis varietate.

X. Chaldaica Lingua ex Hebraica & Syriaca in unum coaluit, Judæis in Babylonica captivitate nec ſuam vernaculam retinentibus, nec Syriacam perfectè addiſcentibus, ſed inter ſe miſcentibus; unde tertia lingua orta eſt, quâ uſi ſunt ijdem poſt captivitatem uſque ad Chriſtum, & deinceps, ac dicta fuit Syriaca vel Hebraica latè ſumendo nomen linguæ hebraicæ. Hâc lingua Chaldaica ſeu Syriaca quidam libri Vet. Teſtamenti originaliter conſcripti vulgantur, nimirum Daniel, Tobias, Judith, Eſdras, ſaltem ex parte, de quibus idem tenendum, quod de Hebraicis ex communi Catholicorum Doctorum jam cenſuimus; nimirum ſi ejuſmodi libri primùm Chaldaicè ſcripti extarent puri, fore eos magnæ Authoritatis: nunc verò propter varias corruptelas temporis longinquitate & hominum improbitate intervenientes, illis tutò fidere neminem poſſe prudentem.

XI. Cæteri libri ex Hebræo vel Græco à tribus Judæis (Onchelos, Jonathan, & Joſeph cæcus dicti fuerunt) longè poſt Chriſtum in Chaldaicam linguam tranſlati ſub titulo Chaldaici Chargum (quæ vox interpretationem ſeu paraphraſin ſignificat) nullius ſunt authoritatis, quia Thalmudiſtarum fabulis conſperſi ſunt, habent tamen aliquam Utilitatem ad convincendos Judæos, à quibus magni fiunt, ad explicationem etiam ſacri textûs, ejuſque ſententiam meliùs aſſequendam. In Biblijs Regijs extat etiam totius novi Teſtamenti Syriaca Interpretatio, præter epiſtolam ſecundam S. Petri, ſecundam & tertiam Joannis, epiſtolam Judæ & Apocalypſin; quæ ipſa tamen à Maronitis Romam fuiſſe allata, affirmat Serrarius in Prol. c. 15. q. 1. Authorem hujus verſionis putant aliqui eſſe S. Marcum. Sed hoc credibile non eſt; cum Evangelium & Apocalypſis S. Joannis poſt obitum D. Marci fuerint conſcripta. Iſta tamen inde habetur utilitas, quod noſtram editionem vulgatam ſtabiliat, & confundat hæreticos mentionem faciendo de veneratione Sanctæ Crucis, de jejunio quadrageſimali, de commemoratione Fidelium defunctorum, &c.

XII. De Græca lingua itidem ſentiendum, ea, quæ originaliter Græcè ſcripta ſunt (ut major pars novi teſtamenti) ſummæ authoritatis fore, ſi purè extarent; nunc autem, quia multis locis depravata ſunt, non merentur utique fidem. Inter cæteros libros, qui primùm hebraicè vel chaldaicè conſcripti, ſed poſtea in Græcum tranſlati fuerunt, diſtinquendæ ſunt quatuor ejuſmodi translationes. 1. eſt Aquilæ, qui verbum verbo. 2. Symmachi, qui ſenſum ſenſui reddere laboravit. 3. eſt Theodotionis, qui mediam viam tenuit. Horum trium Authoritas vel nulla vel exigua eſt in ijs, quæ ad Chriſtum vel Religionem Chriſtianam ſpectant. Nam Aquila ex Gentili Chriſtianus, & ex Chriſtiano Judæus factus in odium Chriſtianæ Religionis à ſe deſertæ, quæ de Chriſto ſunt, ex induſtria corrupit, aut obſcuravit. Nec melior eſt Symmachi fides, qui ex Samaritano Judæus, iterúmque circumciſus, tum ex Judæo Chriſtianus, tandem ex Catholico hæreticus Ebionita factus eſt. Theodotion reliquis duobus ſcelere par poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra Tatiani, Marcionis atque Ebionis hæreſes amplexus eſt, tandémque proſelytus factus ad Judæos tranſijt. In alijs, quæ ad Chriſtianam Religionem non pertinent, Interpretes iſti authoritatem habuerunt apud Originem, Hieronymum & alios, præſertim Theodotion, ex cujus verſione etiam Eccleſia olim totum legebat Danielem, atque etiamnum duo poſtrema capita cum hymno trium Puerorum & oratione antecedente cap. 3. legit.

XIII. Quarta verſio Septuaginta Interpretum magnæ foret authoritatis, ſi perveniſſet ad nos incorrupta, cum præſertim non tam fuerint Interpretes, quàm veluti Prophetæ divino ſpiritu inflati; unde Apoſtoli & Evangeliſtæ in citandis eâ uſi ſunt; & Eccleſia Græca ſemper: Univerſalis verò Catholica totis 400. annis pro Authentica & vulgata illam adhibuit, & etiamnum in Pſalterio adhibet. Multi quoque Patres anti-

quio-

Digitized by Google

quiores eandem Commentarijs ſuis illuſtrârunt. Verùm corrupta eſt nunc multis locis, quod apertè affirmat S. Hieronymus præfat. in lib. Paralip. quo tamen non obſtante poſt noſtram vulgatam præ alijs æſtimatur; quia à varijs doctiſſimis viris iterum iterúmque purgata, & demum induſtriâ Antonij Caraffæ S.R.E. Cardinalis & Bibliothecarij ad ſynceritatem authoritatémque reducta fuit, ut refert Spondanus ad Ann. Chriſti 183. n. 5. Enata autem fuit verſio illa Septuaginta Interpretum Ann. Mundi 3770. ante Chriſtum annis circiter 280. ex hac occaſione. Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex Bibliothecam Alexandri M. imitatione à Patre inceptam Demetrij Phalarei conſilio conquiſitis undique libris inſtruxit quaſi Scientiarum gazophylacium, quam ducentis jam voluminum millibus repletam, ut Judaicis etiam libris ornaret, miſsâ legatione ad Eleazarum Pontificem impetravit ab eo Septuaginta duos peritiſſimos Judæos, qui apud Alexandriam in Inſula Pharo ſeparatis ab invicem cellulis ſinguli Opus græco idiomate elaborârunt (non quidem de Verbo ad Verbum, ſed ſubinde paraphraſticè) ac poſtea factâ collatione nihil penitus reperti ſunt inter ſe diſſentientes ſcripſiſſe, ut meritò SS. Patres unanimiter ſentiant, id divino ac prophetico Spiritu afflante eveniſſe.

XIV. Fuerunt inſuper duæ aliæ incertis Authoribus verſiones Græcæ, quas Antiqui non damnarunt ut parùm fideles minúſue ſynceras, ſed harum fragmenta ſolùm reliqua ſunt, cum integræ perierint. Lucianus Martyr & Heſychius etiam ediderunt verſiones, non tamen novas, ſed emendarunt verſionem, quæ erat Septuaginta Interpretum. Jam ex ſuperioribus memoratis Editionibus coaluerunt Originis Tetrapla, Hexapla, & Octapla deſcriptis in eadem pagina per columellas quatuor vel pluribus interpretationibus & inter ſeſe compoſitis, ut in quo diſcreparent, aut convenirent, facili comparatione agnoſci poſſet.

XV. Ex omnibus prædictis Verſionibus vulgatæ Editionis authoritas meritò ſumma eſſe debet, ut reipsâ eſt juxta doctrinam noſtram. Tum quia de eadem extat decretum Concilij Tridentini Seſs. 4. ſupra cit. per quod declaratur Authentica, quod idem eſt, ac abſolutè & ſimpliciter fidelis ac ſyncera. Tum quia D. Hieronymus, ut linguarum peritiſſimus, ita divinas ſcripturas peritè: ut ſanctiſſimus, ita illas fideliter & diligenter interpretatus eſt divino auxilio ad iſtud opus peculiariter adjutus. Unde D. Auguſtinus lib. 18. de Civit. DEI. cap. 43. ſcribit: *Quamvis non defuerit temporibus noſtris presbyter Hieronymus homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem ſcripturas convertit.* Et S. Iſidorus lib. 6. Etymol. c. 5. ſimiliter ait: *Hieronymus trium linguarum peritiſſimus ex Hebræo in Latinum eloquium divinas ſcripturas convertit, cujus Interpretatio meritò cæteris anteponitur.*

XVI. *Doctrina tertia.* Vulgata Editio Latina, licet pro authentica ab omnibus habenda ſit, utpote quoad fieri poteſt, pura & emendata, nondum tamen ita ab omnibus mendis purgata eſt, ut adhuc emendari nequeat. Ita Cardinal. Bellarminus lib. 2. de Verbo DEI. cap. 11. Jacobus Gretſerus, Adamus Conzen, Nicolaus Serrarius, Melchior Canus, Adamus Tanner Tom. 3. D. 1. de Fide. Q. 5. n. 79. Bernardinus Vetvveis in Speculo veræ Eccleſiæ lib. 2. c. 6. art. 4. & plerique alij. Probatur 1. ex Præfatione juſſu Pontificis Biblijs præfixa, & teſte Baronio Tom. 3. compoſita à Bellarmino, quæ haud obſcurè indicat, adhuc quædam menda in illis latere. Nam 1. dicitur, pro humana imbecillitate difficulter affirmari poſſe, hanc editionem omnibus numeris abſolutam eſſe. 2. aliqua, quæ mutanda videbantur, conſultò relicta eſſe ad offenſionem populorum vitandam. 3. Correctoribus Bibliorum à Papa deſignatis (inter quos præcipui dicuntur Cardinal. Caraffa & Bellarminus) non fuiſſe propoſitum corrigere antiquum Interpretem, ſed tantùm Librariorum & Correctorum vitia tollere. 4. non prohiberi, quin adhuc variæ lectiones annotentur, modò non in contextu, nec ad marginem ponantur. 5. ſæpius iterari eam clauſulam: *quantâ fieri potuit diligentiâ*, vel *quoad fieri potuit*, caſtigatam, reſtitutam &c.

XVII. Probatur 2. authoritate illorum Theologorum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, ejúſque mentem utique melius ſcire potuerunt; uti Andreas Vega, Jacobus de Payva Andradius, Alphonſus Salmeron, Melchior Canus &c. è quibus primus teſtatur, Cardinalem S. Crucis, qui loco Summi Pontificis Concilio Tridentino præfuit, & adhuc durante Concilio in Papam fuit electus ac Marcellus II. vocatus, ſibi dixiſſe, mentem Concilij non fuiſſe, ut approbaret omnia verba & ſyllabas latinæ editionis. Accedunt litteræ Legatorum Concilij ad Cardinalem Farneſium, quas refert Card. Sfortia Pallavicinus in genuina Concilij Tridentini Hiſtoria Lib. 6. c. 17. contra fabuloſam Petri Soave Polano narrationem.

XVIII. Probatur 3. Si omnes voculæ ac Syllabæ Latinorum Bibliorum eſſent de fide, hoc fieret vel propter decretum Tridentini, vel propter decretum Papæ. Neutrum dici poteſt. Quia poſt Concilium Tridentinum juſſu Pontificum hæc Biblia primùm correcta ſunt: & in Bullis Pontificum nihil tale reperitur, ut ſatis oſtendunt hæc præfationis Biblicæ verba ſupra jam indicata: *Accipe igitur, Chriſtiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente ex Vaticana Typographia Veterem & Vulgatam Sac. Script. Editionem, quantâ fieri potuit diligentiâ caſtigatam, quam quidem, ſicut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus, quæ ad hunc uſque diem prodierunt, emendatiorem puriorémque eſſe, nimimè dubitandum.*

XIX. Probatur 4. aliquot exempla apparentium errorum, quos doctiſſimi Interpretes in Biblijs correctis adhuc deprehenderunt v. g. 2. Reg. 4. v. 7. perperam repetitur cædes Isboſeth à duobus latronibus perpetrata, quæ v. 6. jam erat expreſſa. Judith cap. 8. v. 2. dicitur filia Ruben, quod, inquit Tirinus ibid. mendum eſt; certò enim conſtat ex initio cap. ſequentis Juditham non Rubeni, ſed Simeonis Patriarchæ filiam fuiſſe. Luc. 11. v. 36. legitur: *Si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens partem tenebrarum, erit lucidum totum*; ubi ταυτολογία eſſe, & idem ex eodem concludi videtur; hinc Joannes Maldonatus in cit. locum ſuſpicatur, latinum Interpretem vitio græci codicis deceptum σῶμα pro ὄμμα legiſſe, id eſt, Corpus pro Oculo. Joannis 1. v. 28. ponitur

Digitized by Google

nitur *Bethania trans Iordanem*, cum tamen cis Jordanem prope Jeruſalem fuerit; unde multa græca exemplaria pro Bethania legunt *Bethabara*, id eſt, domus tranſitùs ſeu locus, in quo trajicitur ſcil. ultra Jordanem. Ibidem c. 5. v. 2. vocatur piſcina Jeroſolymitana Bethſaida, quæ eſt urbs ad mare Tiberiadis, ubi rectiùs legere videntur multa græca exemplaria & S. Hieronymus *Bethesda*, id eſt, domus ſeu locus effuſionis. Actor. 7. v. 15. dicitur Abraham ſepulchrum emiſſe à *filijs Sichem*, qui tamen Geneſ. 23. v.16. memoratur agrum emiſſe *ab Ephron filio Seor*. De quo videri poteſt Cornel. à Lapid. in cit. locum, ubi hos textus reconciliare nititur. Demum 2. ad Timoth. 4. v. 20. habetur: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Ubi Cardinalis Baronius rationibus aliquot chronologicis adductus autumat ad annum Chriſti 59. legi oportere *Melitæ, &c.* Plura videri poſſunt apud Joan. Cabaſſutio in notitia Conciliorum à fol. 493.

XX. Oppoſitum huic doctrinæ tenent Franciſcus Turrianus 2. 2. Diſp. 22. dub. 4. & nonnulli Theologi rati, minimas quaſque voculas & particulas eſſe de fide. Nituntur his argumentis, quæ ſuis ſingula ſubjunctis reſponſionibus ſtatim diſſolvemus. *Primum*. Omnes partes latinæ editionis ſunt de fide. Sed omnes voces ac Syllabæ ſunt illius partes. Ergo omnes ſunt de fide. Majorem probant ex Tridentino Seſs. 4. ſic loquente: *Siquis libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Min inde conſtat, quod Biblia corrupiſſe diceretur, qui vel unam vocem eraderet, ſæpe enim ex una littera totus ſenſus pendet. Reſpond. Concilium Tridentinum nomine patium non intellexiſſe minutas particulas, ſed majores partes, nempe integros libros vel capita, quam Concilij expoſitionem eſſe genuinam, non ſolùm citata authoritas Pontificum & aliorum, qui Concilio interfuerunt & aſſederunt, comprobat, ſed ſuadet etiam ratio; quia leges ex mente & intentione Legiſlatoris ſunt interpretandæ. Atqui mens & propoſitum Concilij fuit, hoc decreto hæreticos damnare, qui integros libros vel capita ex Canone Scripturæ eraſerunt. Quod nonnunquam ex una ſyllaba totus ſenſus pendeat, concedimus libenter. At verò non loquimur de perverſa correctione & immutatione ſenſûs legitimi & Catholici, ſed de recta emendatione mendæ typographicæ & erroris merè accidentalis, probè gnari, vi prædicti decreti Tridentini ſtatui, vulgatam Editionem eſſe ſine erroribus ſpectantibus ad fidem & mores, ac ſic nec in ſyllaba, nec in voce corrigi emendarique poſſe.

XXI. *Secundum*. Clemens VIII. in Bulla Biblijs præfixa vetat, ea ullo modo aliter imprimi, quàm Romæ impreſſa ſunt. Ergo ſupponit, nullum amplius mendum in ijs latere. Reſpon. negando conſequentiam; cauſa enim, cur Pontifex vetuit aliter imprimi Biblia, quàm Romæ impreſſa ſunt, non fuit, quod exiſtimet, impreſſionem Romanam omni prorſus mendo vacuam (id enim repugnat citatæ præfationi Bibliorum) ſed quod voluerit, ne vetera jam emendata vitia redirent, aut plura & majora irreperent, ſi cuilibet typographo libera poteſtas concederetur, aut veterem corruptam recudendi, vel novam à privatis hominibus correctam imprimendi, cum videamus etiam ſtante hoc interdicto Pontificis Romanam editionem typographorum incuriâ & inſcientiâ non ſine mendis prodire, quantumcúnque Epiſcopi, quibus ea cura incumbit & demandata eſt, invigilent; tanta eſt mortalium oculorum fallacia.

XXII. *Tertium*. In Præfatione Bibliorum dicitur: *in hac editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt.* Ergo omnia ſunt Canonica. Reſpon. particulam omnia non reſpicere omnia vocabula, ſed omnes partes, ut jam ſupra expoſuimus Tridentinum.

XXIII. *Quartum*. Congregatio Cardinalium, quos Papa dubijs Concilij Tridentini declarandis præfecit, hac ſuper re conſulta reſpondit, nihil admittendum eſſe, quod vulgatæ repugnat, nec ſyllabam, nec jota unum. Reſpon. Sententiam Cardinalium in rebus Fidei non eſſe majoris Authoritatis, quàm privatas Theologorum opiniones, cum Papa tantùm commiſerit illis deciſionem dubiorum moralium, res autem fidei ſibi reſervaverit. Adhæc P. Serrarius in Prolog. Biblic. quæſt. 11. arbitratur, hanc declarationem Cardinalium eſſe confictam, affirmans ſe manuſcriptas eorum declarationes vidiſſe, & nihil horum in illis reperiſſe.

XXIV. *Quintum*. Si Biblia non penitùs emendata ſint, tum nihil conducunt ad fidem, quia ubique poſſumus timere, ne fortè mendum lateat, & ſic nunquam erimus ſecuri. Reſpon. negando ſequelam Majoris. Nam duplicem certitudinem de correctis Biblijs habemus. Unam phyſicam & prorſus infallibilem, ſcil. nihil eſſe in ijſdem contra fidem ab Eccleſia propoſitam, nec contra bonos mores: item non contineri fraudem vel apertam difformitatem (neque in minima parte textûs) nec contradictionem &c. adeóque tutò ſine periculo ſalutis legi poſſunt. Alteram moralem, nihil erroris ſuſpicando, niſi occurrat ſpecialis ratio dubitandi, quæ certitudo licet non ſit prorſus infallibilis, nihil tamen nocet, imò ſæpe ad fidem ſufficit. Nam docent Theologi in materia de Fide Valent. Diſp. 1. Q. 1. pun. 4. Turrianus D. 7. dub. 7. Granado Tr. 2. D. 3. Sect. 1. & 2, Amicus D. 3. Sect. 1. à num. 43. ubi adducit S. Auguſtin L. 6. Confeſs. c. 5. Conink Diſp. 13. dub. 1. n. 8. Becanus cap. 2. n. 9. & cap. 11. q. 4. n. 4. Card. Lugo D. 5. n. 25. & 36. & prius D. 4. n. 84. atque alij plurimi, ad actum fidei ſufficere, ut objectum credendum tanquam divinitus revelatum morali certitudine judicetur, modò à parte rei tale ſit; aliter enim ſimplices & illiterati homines nunquam poſſent credere, quia non aliunde ſciunt, articulos fidei ſibi propoſitos eſſe divinitus revelatos, quàm ex humana authoritate Parentum, Præceptorum, Parochorum, &c. de quorum prudentia & fide nihil dubitant. Si igitur credam, quod in Biblijs lego, & morali certitudine authenticum judico, ſi id à parte rei tale ſit, verum actum fidei eliciam: ſin fallar, & à parte rei non ſit tale, eliciam tantùm fidem humanam; & hic error materialis nihil nocebit.

XXV. Speciatim verò diviſiones Capitum, & Interpunctiones verſuum non eſſe de fide, docet Serrarius in Prolog. c. 20. quia diviſio Capitum non eſt facta ab ipſiſmet Scriptoribus Canonicis, ſed ab alio incerto Authore ante annos circiter 400. teſte Jacobo Gualterio in Chronographia

graphia ad annum Chriſti 1206. Interpunctiones etiam à Recentioribus additas tradit Ruiz in Scientia DEI. Diſp. 81. Sect. 2. num. 4. & Alvarez in c. 9. Iſa. v. 3. unde adhuc de quibuſdam interpunctionibus dubitatur v. g. Ioan. 1. v. 3. in illis verbis : *ſine ipſo factum eſt nihil ; quod factum eſt , in ipſo vita erat &c.* neſcitur , quò pertineant illa verba , *quod factum eſt* ; An ad præcedentia, nihil quod factum eſt, ſine ipſo factum ; & tunc poſtponendum punctum : An ad poſteriora , quod factum eſt, in ipſo vita erat ; & tunc præponendum punctum ; quod Eccleſia Romana noluit determinare, ſed utrobique poſuit coma, ut utrovis referri poſſent, quod D. D. judicio reliquit. Videri poteſt Tirin. ubi pro utraque parte PP. allegat. Verſus etiam Numerorum non ſunt admodum antiqui ; etenim olim ad marginem tantùm apponebantur litteræ Alphabeticæ A. B. &c.

XXVI. *Doctrina quarta.* Nulla verſio ullius linguæ vulgaris : neque ulla Recentiorum Interpretum verſio pro ſacrâ & authenticâ habenda eſt ; ita ut per omnia indubitatè credi poſſit ac debeat Sacri Scriptoris ſenſum aſſecuta. Ita communis Doctorum ſententia ſupra jam inſinuata. Unde etiam ratio deſumitur ; quia nulla talis verſio uſpiam legitur ab Eccleſia ita approbata, uti ipſi etiam Adverſarij apud Tanner Tom. 1. D. 1. Q. 5. N. 84. fatentur, ſuos Interpretes abſolutè loquendo infallibilis auctoritatis non eſſe. Auguſtinus quoque L. 2. de Doct. Chriſtiana cap. 12. & Epiſt. 8. ad Hieron. hoc ſenſu dixit, *Interpretes poſſe errare.* Nominatim in Biblijs Lutheri non pauci occurrunt errores & corruptelæ partim additione, partim detractione, partim commutatione verborum commiſſæ, quæ videri poſſunt apud Cochlæum de actis Luth. Anni 1522. & Hieronym. Enſer. de verſione novi Teſtam. Lutheri, & alios. Sufficiat hic unicam illam fraudem adduxiſſe, quam commiſit in Epiſt. ad Rom. C. 3. v. 23. ubi enim legimus : *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, ipſe in ſuis Biblijs impiè & ſacrilegè contra omnium exemplarium fidem addidit particulam *ſolùm*, de quâ plura dicemus in Controv. de Juſtificatione. 1. Ioan. 5. v. 7. omnino omittit præclariſſimum de Sacroſancta Trinitate teſtimonium : *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum ſunt &c.* Aliorum ſimilium Interpretum, & interpretationum infidelitatem ac varietatem exoſus ipſemet Luth. Lib. contra Zvvinglium de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia ſic ſcribit : *Si diutius ſteterit mundus, iterum erit neceſſarium, ut propter diverſas ſcripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſervandam fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea fugiamus.* Videri poſſunt D D. de Walenburch Tom. 1. in diſcuſione Bibliorum vulgarium, ubi à pag. 713. Primò ordinem texunt errorum locorum SS. Scripturæ ; in quibus errarunt Biblia vulgaria Lutheranorum , Germano-Calviniſtarum , Gallo-Calviniſtarum , Hollandorum , &c. Deinde inſufficientiam oſtendunt Bibliorum Acatholicorum & fidei in illis fundatæ. Denique docent, Sectarios provocare non poſſe vel ad textum Hebraicum vel ad Græcum tanquam originalem purum atque incorruptum.

XXVII. Non obſtat allatæ doctrinæ vulgare illud Hæreticorum argumentum. Si verſio vulgata eſt bona & in forma probante, ſequitur, malas eſſe reliquas ſtulteque uſurpari. Quia falſa eſt illatio. Nam ſi ejuſdem libri unus interpres affirmatur fidelis, non hoc ipſo alius ſtatim infidelitatis condemnatur. Ex eo etiam , quod Hiſtoria aliqua magni momenti ex latina in vernaculam linguam fideliter transferatur, ideóque habeatur authentica & ſufficiens ad litem ; quæ à principali ejus continentia dependet ; decidendam, haud ſequitur, fieri non poſſe aliam vulgarem interpretationem magis expreſſivam, propriam, & claram vel ex toto vel ex parte, unde reſplendeant multæ alluſiones ; & multa vivacitatis Auctoris, quæ non ita refulgent in alterâ ; prius ſolùm tribuitur verſioni vulgatæ ex verbis Tridentini , quod ſcilicet ſit fidelis ideóque authentica ; ex quo aliæ Catholicorum verſiones non prorſus rejjciuntur, tanquam malæ. Breviter cum D D. à Walenburch loc. cit. fol. 683. non ſequitur, ullam aliam verſionem à Concilio eſſe damnatam vel inprobatam : ſed nullum aliud exemplar , nullam aliam verſionem fuiſſe agnitam tanquam authenticam.

XXVIII. Unde etiam D. Hieron. quem Adverſarij objiciunt , contrarius nobis non eſt, dum Lib. de opt. gen. Interpret. & Comment. in Prophet. & Eccleſiaſt. ſcribit, *quædam aliter fuiſſe vertenda , quàm nunc in verſione vulgata leguntur.* Loquitur enim S. Pater de alia verſione faciendâ, non quoad res fidei ac morum , ſed ſolùm quoad verborum expreſſionem ac proprietatem. Si etiam in alio Eccleſia quandóque primam verſionis lectionem retinuit , quam D. Hieron. mutandam cenſuit , pluris illius , quàm hujus facienda eſt auctoritas, ut bene Bell. L. 2. de verbo DEI cap. 10.

Nonnulli quoque Scioli in verſione noſtra utriuſque Teſtam. Solœciſmos & barbariſmos carpentes omninò curari non debent, quia in Sacris Litt. res ipſæ potius, quàm verba ſpectandæ ſunt, quippe melius eſt, inquit S. Auguſt. in Pſal. 148. *Ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant Populi.* Taceo pleráque eorum , quæ imperitis ſolæciſmi & babariſmi videntur , apud optimos latinæ linguæ Auctores fuiſſe uſurpata , aut hebraiſmos, helleniſmos , & ſimiles tropos ac figuras æſtimari debere. Videri poteſt Jacobus Gretſerus Tom. 1. Defenſionis Bellarm. L. 1. de Verbo DEI cap. 14. ubi etiam Sectariorum quorundam judicio & cenſurâ retundit Witthackeri, Junij, ac præcipuè Hunnij maledicentiam, qui vulgatam verſionem Latinam tanquam barbaram ac ſolæcam non minùs imprudenter, quàm imperitè traducunt.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIX. ERror primus. Eſt omnium hæreticorum hujus temporis contra Canonem ab Eccleſia Romano-Catholica receptum, & ſuprà à nobis allatum, quem oppugnant univerſim his ferè argumentis apud Ameſium Tom. 1. à fol. 1. Molinæum à fol. 238. & Gerardum L. 2. Parte 1. à fol. 4. &c. 1. Quia Libri in eo Canone comprehenſi non fuerunt pro canonicis agniti à Judæis,

qſibus *credita ſunt eloquia* DEI, ad Rom. 3. v. 2. 2. Quia Chriſtus nec Judæos unquam reprehendit, quod illos Libros non reciperent, tanquam Verbum DEI: nec ipſe & Apoſtoli ijſdem uſi fuerunt. 3. Quia Libri illius Canonis pertinent vel ad legem, vel ad Pſalmos, vel ad Prophetam, in quæ membra Chriſtus Luc. 24. v. 44. totum vetus Teſtamentum diſtinxit. 4. Quia privati Libri non ſunt ſcripti ab aliquo propheta, ſicuti tamen libri veteris Teſtam.; unde S. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. v. 20. totam veterem ſcripturam vocat propheticam. 5. Quia non ſunt ſcripti hebraicè vel chaldaicè, quæ erat tunc lingua vernacula Judæorum. 6. Quia illos ipſos libros nec pro Canonicis congnoverunt. Patres aliqui antiqui Concilij Laodicenſis. item Origines, Cyrill. Jeroſol. Athan. Euſeb. Epiphan. Hilarius, Amphilochius, Hieron. &c.

XXX. Errorem hunc damnant omnia Concilia, omnes Pontifices, omnes PP. tam Græci quàm Latini; qui hac de cauſa illum Sacrorum Librorum Canonem conſcripſerunt, quem ſupra nos ad initium hujus Contov. adduximus; & planè majore authoritate & firmiori fundamento nititur; quàm ut allatis ratiunculis (quæ ferè omnes retorſionem patiuntur) vel leviſſimè concutiatur, ne dum evertatur. Refert etiam Overius Tom. 2. de ſcript. authoritate in Epiphanio, Libros mox nominandos, quos hodie hæretici reijciunt, in vetuſtis Judæorum Concilijs in Canonem receptos fuiſſe. D. Auguſtino lib. 13. cont. Fauſtum jam olim de hoc Canone licuit dicere Manichæis: *Noſtrorum librorum authoritas tot Gentium conſenſione per ſucceſſores Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorúmque roborata, vobis adverſa.* Quanto id potiore nunc ratione obtendimus.

XXXI. Reſpond. Ad 1. Canonem, quem allegant heretici, non eſſe veterum, ſed recentium Judæorum poſt Chriſtum confectum. Antiquis Judæis fuit quidem Sac. Scriptura tradita juxta Apoſtolum, ut tanquam bonos & utiles libros poſteris tranſmitterent, attamen neſciêrunt, omnes eſſe Verbum Dei, ſicuti ſæpe Domini ſuis famulis ſarcinas committunt, non indicando, quid intus lateat. Interim fatemur, libros Machabæorum in Canone Judaico non fuiſſe comprehenſos; quia primùm conſcripti ſunt poſt illum Canonem ab Eſdra confectum. Cæterùm miror, Sectarios plus fidei adhibere Judæis, quàm Chriſtianis; cum tamen iſtis multò clariùs promiſſus ſit Spiritus S. quàm Synagogæ Judæorum. Taceo traditionem ſic ab illis non evitari.

XXXII. Ad 2. propoſitum Chriſto non fuiſſe, eos Judæorum errores, qui ſaluti non obſtabant, corrigere; poterant enim nihilominus ſalvari, etiamſi hos libros pro Verbo DEI non agnoſcerent. Taceo quod ſupra jam dixi ex Joan. 21. v. 22. non omnia Chriſti geſta, nec dum verba conſcripta fuiſſe.

XXXIII. Ad 3. Chriſtum non voluiſſe loco cit. aſſignare adæquatam Sacræ Scripturæ diviſionem, ſed exempli causâ aliquos Libros proferre.

XXXIV. Ad 4. Nomen Prophetæ interdum ſumi ſtrictè pro eo, qui futura prænunciat juxta etymologiam græcam, interdum latè pro eo, qui arcana divina denunciat etiam præterita, qui perpetrat miracula, qui cantu & muſicis inſtrumentis laudat Deum, qui rerum ſpiritualium notitiam habet. Si tali modo ſumatur nomen prophetæ pro omni eo, qui ex ſingulari aſſiſtentia Dei aliquid extraordinarium dicit aut facit, conceditur omnium librorum Canonicorum Auctores fuiſſe prophetas: ſi ſtrictè accipiatur pro prænuncijs futurorum, negatur.

XXXV. Ad 5. licet prædicti Libri jam non extent, niſi græcè ſcripti, potuerunt nihilominus primitus ſcripti fuiſſe hebraicè vel chaldaicè & deinde in græcum translati, & juxta ſolam hanc translationem ſupereſſe. Non deſunt etiam, qui affirment, linguam græcam tempore Machabæorum Judæis fuiſſe familiariorem, quàm hebraicam vel chaldaicam.

XXXVI. Ad 6. Canonem nunc receptum nondum extitiſſe tempore illorum Patrum; erant quidem in manibus omnium varij libri tam veteris quàm novi Teſtamenti, ſed prædicti PP. tantum ſibi non ſumebant, ut certi aliquid de ijs ſtatuerent, ſed Eccleſiæ judicium exſpectabant. Primus igitur, qui legitimè definivit, quinam libri ex ijs Canonici habendi eſſent; fuit Innocentius Papa circa annum Chriſti 402. ejus definitionem ſecutus eſt S. Auguſt. cum Epiſcopis Africæ in Concil. Carthaginenſi: Exuperius cum Epiſcopis Galliæ: Gelaſius in Concilio Romano: totus denique orbis Chriſtianus ad noſtra uſque tempora. Soli ferè Lutherani & Calviniſtæ ſine cauſa tergiverſantur, & à communi conſenſu Patrum & Conciliorum ad paucos PP. qui ante definitionem Innocentij de hac re ſcripſerunt, importunè provocant, ſed fruſtra; Nam Patres illi, cum res nondum eſſet per Eccleſiam legitimè declarata, poterant de quibuſdam libris vel dubitare, vel aliter ſentire. Nec mirum, quod Eccleſia non agnoverit omnes libros Canonicos uſque ad annum prædictum; quia Spiritus S. non omnia ſimul revelat, ſed ſucceſſivè magis & magis illam illuminat, atque ideo Cant. 6. v. 9. Auroræ conſurgenti comparatur.

XXXVII. Dicunt Sectarij, S. Hieronymum Concilio Chalcedon. ſuperſtitem ſcripſiſſe contra illud. Reſp. id feciſſe S. Patrem non ex ſua, ſed Judæorum ſententia, ut teſtatur in Apologia ad Ruffinum.

XXXVIII. In ſpecie ac nominatim ex eodem Eccleſiaſtico S. Scripturæ Canone prædicti Hæretici reijciunt. Primò. *Tobiam.* Tum quia Innocentius I. Papa hunc Librum Canoni Eccleſiaſtico non inſerit, ſed præterit. Tum quia cap. 3. v. 7. dicitur, Saram habitaſſe in Rages, cum habitaculum hujus longè diſſitum fuerit ab hac civitate, ut conſtat ex cap. 9. v. 3. Tum quia c. 6. v. 8. Raphaël hepati alicujus piſcis vim tribuit eijciendi dæmones, contra illud Chriſti Matth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi per orationem & jejunium.* Tum quia cap. 5. v. 18. Raphaël Angelus affirmat, ſe eſſe Azariam Ananiæ filium, quod non eſt verum. Reſpon. ad primum. Librum Tobiæ ab omnibus fere PP. qui S. Hieronymo poſteriores ſunt, pro canonico fuiſſe habitum. & à mille ducentis jam annis varios Pontifices & Concilia pro tali Canonico Libro declaraſſe, idque nominatim feciſſe Innocentium I. in Epiſt. ad Exuperium; unde meriſſimum figmentum eſt, quod Gerhardus fol. 43. in oppoſitum affert, quaſi Librum iſtum Canoni Eccleſiaſtico non inſeruiſſet. Ad ſecundum. Rages ſumi biſariè, tum pro urbe, tum pro toto tractu,

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti hodie in Germania Salisburgum accipitur tum pro ipſa Reſidentia Archiepiſcopi, tum pro tota illius Provincia. Hebræa & græca Exemplaria pro Rages habent hic *in Ecbathenis*, ubi erat Regia ſedes Medorum. Ad tertium, nec cor piſcis, nec orationem & jejunium naturâ ſuâ expellere dæmones, ſed ut inſtrumenta à Deo aſſumpta pro diverſis temporibus; ſicuti ergo Deus tempore Tobiæ voluit uti corde piſcis, ſic à tempore Apoſtolorum oratione & jejunio. Ita fere Tirinus, cujus opinioni favet Scriptura cap. 8. v. 3. expulſionem dæmonis magis Raphaëli, quàm hepati piſcis aſcribens. Ad 4. Angelum non fuiſſe mentitum, ſed æquivocaſſe; etenim Azarias ſignificat adjutorium Dei: Ananias verò nubem Domini, ſeu Dominum nube tectum. Raphaël igitur indicare vult, ſe eſſe filium Dei miſſum in auxilium Tobiæ, quod erat verum.

XXXIX. Secundò. *Librum Judith.* Tum quia tota iſta hiſtoria ex Chronologia convincitur eſſe conficta. Tum quia Judith tanquam pijſſima fæmina laudatur, cum mendacia aperta obtruſerit Aſſyrijs; nempe ſcire ſe, Judæos in manus Aſſyriorum venturos, Holoferni ſe monſtraturam aditum ad Urbem capiendam &c. Tum quia eadem mulier Cap. 9. v. 2. laudat homicidium Simeonis Geneſ. 49. v. 5. perpetratum. Reſpondetur ad primum. Hiſtoriam hanc accidiſſe non poſt celebrem illam ſeptuagenariam captivitatem tempore Joachim & Sedeciæ, ſed poſt aliam priorem & minorem anno circiter decimo Manaſſis Regis, ut cum multis Auctoribus probat Tirinus in Cronico Cap. 33. Quare negatur, hiſtoriam illam fuiſſe conficta m. Ad ſecundum, velle quidem aliquos Catholicos, Juditham officiosè & in bonum Patriæ fuiſſe mentitam, ſed hoc negant cum D. Auguſtino plerique alij aſſerentes, illam prudenter uſam fuiſſe æquivocatione ad fallendum hoſtem; nam ſcivit viâ naturali & ordinaria, Judæos tradendos Aſſyrijs, niſi Deus extraordinariè ſuccurrat. Oſtendit quoque Holoferni urbis aditum, imò per mediam introduxit, cum caput ejus à cervice reſectum triumphabunda intulit. Simeonem non laudatum fuiſſe à Juditha, ſed Deum, qui permittendo hanc cædem oſtendit, ſe vindicem caſtitatis. Videri poteſt Tirin. in Geneſ. cap. 34. Cæterùm ex eo quod Bellarm. L. 1. de Verbo Dei cap. 10. hunc librum Judith à Synodo Nicena approbatum aſſerat, ineptiſſimè infert Gerhardus fol. 64. judicio Bellarmini mendacium approbari; eſt enim perinde, ac ſi dicerem: Lutherani affirmant Evangelium S. Matthæi fuiſſe à Prima Eccleſia approbatum. Ergo judicio Lutheranorum approbari traditionem, condemnationem, & crucifixionem Chriſti ab impijs hominibus factam.

XL. Tertiò. Reijciunt hæretici *ſeptem ultima Capita Eſtheris.* Tum quia non extant in hebræo. Tum quia eadem fruſtra repetunt, quæ in ſuperioribus capitibus dicta fuerunt. Tum quia falsò aſſerunt, Aman Macedonem occiſo Rege Perſarum regnum ad Macedonas transferre voluiſſe; qui enim fieri id potuiſſet ab unico homine inermi? Tum quia quædam in ijs apparent contradictoria. Reſpond. ad primum. Licet jam græcè extent, fuiſſe tamen primitus hebraicè conſcripta, ut colligitur ex Joſepho, qui cum L. 10. Antiquitatum c. 22. proteſtatus fuiſſet, ſe tantùm hebraica volumina in Græcum translaturum, Lib. 11. c. 6. epiſtolas Aſueri in illis capitibus comprehenſas recenſet. Fertur etiam Bononiæ in Cænobio PP. Auguſtinianorum aſſervari membranam more priſco involutam, ubi hæc Capita hebraicè ſcripta reperiuntur. Ad ſecundum, videri illa eſſe alterius Auctoris, quàm priora; unde non mirum, ſi eadem repetuntur cum etiam Evangeliſtæ ſæpe ab alijs dicta repetant. Ad Tertium, Aman habuiſſe conſpirationem clandeſtinam cum Macedonibus, & eorum exſpectaſſe auxilium.

Inſtat Molinæus in ſuo novo Papatu fol. 240. Amanem non fuiſſe Macedonium, ſed Agagianum. Sed potuit bene origine & remotè fuiſſe Agagianus; natione verò & proximè Macedonianus; probat enim Serrarius in Caput. 3. Eſter. Macedonianos fuiſſe ortos ex Regione Amalecitarum, quorum Rex fuit Agag.

Ad quartum, Contradictionibus occurri cum diſtinctione temporum; quam temporum & rerum geſtarum ſeriem, quæ in hoc libello turbata videtur, citatus Auctor in pulchrum ordinem redegit. Cæterùm Lutherus totum Librum Eſther ex Canone excludit. Libro de ſervo Arbitr. contra Eraſmum Tom. 2. Wittenbergico fol. 474. quantumvis fateatur, eundem in Canone Judæorum extitiſſe: *Eſther Libellum*, inquit, *in Canone Judæi habent, digniorem omnibus, me judice, qui extra Canonem habeantur*; ipſemet dignior; cujus nomen è memoria hominum tollatur.

XLI. Quartò. *Librum Sapientiæ*, quia falsò tribuitur Salomoni, quem ejus Auctorem non fuiſſe etiam nonnulli Catholici cum S. Hieron. fatentur. Reſp. velle quidem nonnullos, Librum hunc adſcribi ſolùm Salomoni, quod alius quiſpiam ejus ſapienter dicta collegerit, probabilius tamen videri, ipſummet Salamonem Authorem & Scriptorem eſſe; etenim cap. 9. v. 7. ait: *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & dixiſti ad me, ædificare Templum Nomini Sancto tuo.* Atque ita ſentiunt plurimi PP. ad initium hujus Libri à Tirino citati, è quibus Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſiaſticis aſſerit, *prædictum librum olim Judæos pro Canonico habuiſſe, ſed poſt Chriſti necem cum viderent ſcelus ſuum in Chriſto crucifigendo commiſſum capite 2. illius Libri tam apertè depictum, ex canone reſecuiſſe.* Sanctus Hieronymus non ex ſuâ, ſed aliorum mente Philonem Alexandrinum hujus Libri Auctorem aſſignavit.

XLII. Quintò *Eccleſiaſticum.* quia cap. 36. abſurdam hiſtoriam Samuelis per incantationes mulieris evocati narrat. Reſpon. Dei virtute Samuelem adductum fuiſſe non in favorem magiæ, ſed in odium Saulis, ut exitium ſibi imminens intelligeret. Videri poteſt Tirin. in primum Regum cap. 28.

XLIII. Sextò *Prophetiam Baruch.* quia antiqui PP. ejus non meminerunt. Reſpon. Patres illum nomine Jeremiæ comprehendiſſe, ut videre eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogi cap. 10. Ambr. lib. 1. de Pænitentia cap. 8. & lib. 3. Hexaem. cap. 14. Baſilium. lib. 4. Contra Eunom. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 33. &c. quod quia non advertit Joan. Driedo, Librum hunc itidem ex Can. excluſit. nondum perſpecto decreto Concil. Trident.

XLIV. Septimò. *Danielem Prophetam mutilant tribus Capitibus; ſcilicet decimò tertiò*, quia Chronologia non cohæret: *decimò quartò*, quia ſexto Capiti

& alia legis Moyſaicæ decreta jam promiſerat Abrahæ anno vitæ ipſius 75. & ejus Poſteris per modum Teſtamenti ſalutem per Chriſtum ex illo naſciturum. Si ergo poſtea per inſtitutionem legis Moyſaicæ nova Conditio ad conſequendam ſalutem fuiſſet requiſita, tunc everſa eſſet prior promiſſio; quemadmodum ſi Teſtator aliquem cognatum ex aſſe omnium Bonorum hæredem ſcripſiſſet abſque alia conditione: & aliquis poſtmodum teſtamento apponeret hanc conditionem, ſi habuerit filios &c. planè everteret mentem Teſtatoris. Verùm traditiones Eccleſiæ Verbo DEI ſcripto ſeu Teſtamento nihil addunt contrarium, quo DEI diſpoſitionem evertant. Ergo non repugnant Teſtamento DEI, nec ab Apoſtolo improbantur.

XXXV. Ad textum ex epiſt. 2. ad Timoth. c. 2. negando, quod idem ſit, eſſe utilem Sac. Scripturam, ut perfectus ſit homo ad omne bonum: ac eſſe ſufficentem, excluſo omni alio medio ad eum finem. Nunquid enim ſol eſt utilis ad omne vivens producendum? an idcirco etiam ſufficiens ſine cauſis particularibus ſecundis & Univerſali Prima? Omnis etiam homo vivit, num ideo ſolus homo vivit? Dicit Apoſtolus, *Sacra littera*, ubi dicit ſolæ? ait idem, *Scriptura utiles ſunt*, ubi dicit ſufficientes ſunt, ut Traditionibus opus non ſit? cur ergo vos hæretici Scripturæ verba diſtorquetis contra genuinam illorum ſignificationem & contra receptiſſimum uſum? contra mentem D. Pauli? contra communem Patrum interpretationem? Præterea ſi vox utilis idem denotat, ac ſufficiens, tum omnis Scriptura, adeóque ſolum etiam vetus Teſtamentum erit ſufficiens ad ſalutem & inſtructionem, quia iſtud eſt utile ad docendũ &c. & ipſe etiam Apoſtolus de hoc ſolo loquitur; dixerat enim immediatè ante de Timotheo, quod ab infantia didicerit ſacras litteras; utique Teſtamenti Veteris, quia tunc libri novi Teſtamenti nondum erant ſcripti: Si autem ſolum antiquum Teſtamentum, quod didicerat Timotheus, eſt utile ad docendum, ut ſubjungit Paulus, cur non quilibet hujus liber? Ecce quo deveniat, qui ſemel à recto tramite deviat! Demum Apoſtolus ad Theſſal. 2. c. 2. cit. monet & mandat ſcribens: *tenete traditiones ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.* Ergo præter Sacram Scripturam judicat & admittit, Verbum non ſcriptum, ſed per ſermonem traditum eſſe utile & obſervandum.

XXXVI. Ad textum ex Apocal. 22. aliud hinc non ſequi, niſi tam Apocalypſi D. Ioannis, quàm alijs omnibus & ſingulis Sac. Scripturæ libris nihil veluti ad illos ſpectans eſſe addendum, aut ex ipſis auferendum, adeóque nullum librum Bibliorum eſſe viciandum, quod ipſum etiam Concilium Tridentinum in decret. de Canon. Scripturis graviſſimè prohibet. Quemadmodum autem cum eo, quod Evangelio v. g. S. Matthæi nihil addendum tanquam ſpectans ad illud, adhuc conſiſtit, quod alia Evangelia ab alijs Evangeliſtis ſcripta addantur, ita etiam cum tota Sacra Scriptura integrè conſervata Verbum DEI traditum optimè cohæret. Viderint autem Sectarij, quomodo ipſi evadant plagas in Apocal. expreſſas, cum non ſolùm ex diverſis Sacræ Scripturæ libris capita, ſed etiam ex Canone totos libros tollant,

XXXVII. Reſpond. 2. ad probationem ex Patribus. Quamquam veteres nomine Traditionis ſubinde intelligant doctrinas in Scriptura contentas, aut ſenſus Scripturæ ex traditione Eccleſiaſtica habitos: item formulas Verborum, ut *ὁμοούσιον*, *θεοτόκον* &c. demum nonnulla quædam ad ad ritus & ceremonias potius, quàm ad dogmata pertinentia, attamen clariſſimum eſt, SS. Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum loqui expreſſis verbis, & quidem in actu ſignato de dogmatibus, ut liquet exemplo vel ſolius Symboli Apoſtolici. Et ſi etiam loquerentur de ſolis ritibus, verborum formulis, & ſenſu Scripturarum, jam haberetur Traditionum neceſſitas; quiſquis enim pertinaciter contênderet, ejuſmodi rituum inſtitutionem non niti authoritate in Scripturis à DEO conceſſa, abſque dubio hæreſeos labe ſorderet. Unde falſum eſt, Adverſarios de Traditionibus in hoc ſenſu non movere litem; licet enim fateantur, Veteres nomine Traditionum interdum ritus, ceremonias, & ordinationes Eccleſiaſticas intelligere, negant tamen hiſce virtutem & dignitatem ſacram: item ordinationibus & ritibus Eccleſiæ vim obligandi. Equidem ejuſmodi res v. g. formare Crucem, uti aquâ benedicta, obſervare dies feſtos & abſtinentiam à carnibus certo tempore non ſunt articuli fidei nec ſpectant ad fidem, ſed ad mores, innituntur tamen duobus fidei articulis. 1. quod Eccleſia in ordinatione & obſervatione illarum errare non poſſit. 2. quod quilibet Chriſtianus in conſcientia ſit obligatus, Eccleſiæ leges & ordinationes ſervare.

XXXVIII. Ad Clementem Alexandrinum, hunc per res ſecretas intelligere fidei noſtræ myſteria, quomodo ſæpe vocantur à Patribus; *Adhuc vereor*, inquit, L. 1. Stromat. p. 62. *ante porcos jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & converſi nos frangant; eſt enim difficile, de vero lumine verè puros & perſpicuos oſtendere ſermones ſuillis, & indoctis Auditoribus.* In eundem modum ſcribit Tertullianus L. de Præſcript. pag. 97. nec aliud ambo volunt, quàm fidei noſtræ myſteria non proponenda eſſe coram ſciolis, ſcurris &c. Cæterùm Clementem ex Traditione abſurdos errores hauſiſſe, quorum illum incuſat Molinæus fol. 202. falſum eſt. Nam tam Baronius An. Chriſt. 196. quàm Poſſevinus in appar. Sac. V. Clemens Alex. oſtendunt ex Ruffino & alijs libros Clementis ab hæreticis orientalibus fuiſſe corruptos, & abſurdos errores intruſos, quos rectè oppugnant Tertull. & Iren. Videatur Forer in Antiq. pap. L. 1. c. 21. §. 5. & c. 22. §. 2.

XXXIX. Ad D. Cyprianum, hujus S. Martyris & Doctoris tempore fuiſſe hæreticos, qui voluerunt, in Sacrificio Miſſæ ſolam aquam calici infundendam eſſe; unde Aquarij appellati ſunt. Contra hos Cyprianus ſcribit & docet, *nihil alienum ab hæreticis excogitatum in hoc myſterium Cœnæ Dominicæ inducendum, ſed id duntaxat faciendum, quod Chriſtus JESUS fecit, & nobis, ut faceremus, præcepit.* Ex quo adeo nihil ſequitur contra Traditiones, ut iſtæ potius valde confirmentur. Nam in ſacrificio facere debemus, quod Chriſtus fecit. Quid autem fecit Chriſtus? non ſolum vinum, nec ſolam aquam, ſed vinum aquâ mixtum in Sacrificio obtulit. Unde hoc ſcimus, ubi ſcriptum, Chriſtum in cœna calici vinum & aquam infu-

Digitized by Google

infudiſſe? nullibi. Ergo à ſola Eccleſia & Traditione id habemus & tenemus.

XL. Ad Irenæum, ſcribere hunc contra Gnoſticos & illos hæreticos, qui in circuitu ambulant, & à Scriptura ad Traditionem: à Traditione rurſus ad Scripturam provocant, atque undique ſe implicant. Hinc S. Pater mox ſubjungit, *illos ad Traditionem provocatos adverſari etiam Traditioni.* Hæc autem non ſunt adverſus nos Catholicos, ſed contra Sectarios; iſti enim pro libitu Scripturas, quæ ad palatum non faciunt, reijciunt; puta libros Machabæorum, epiſtolas Jacobi & Judæ &c. tanquam non ſint ex authoritate: cum verſione latinâ impugnentur, hæc, inquiunt, non rectè ſe habet: cum traditione ex comuni Eccleſiæ ſenſu premuntur, adverſantur traditioni ſeſe Patribus & Doctoribus omnibus præferentes. *Adverſus tales* ait ibidem Iræneus. *certamen nobis eſt, qui more ſerpentum lubrici undique effugere conantur.* Cæterùm ex cit. loco luculenter conſtat, eundem Patrem admittere Traditionem, *quæ*, ut ipſe loquitur, *ab Apoſtolis per Succeſſionem Presbyterorum in Eccleſijs cuſtoditur.*

XLI. Ad D. Hieronymum; verba hujus ita ſonare in Edit. Paris. an 1609. Tom. 9. pag. 102. *Sed & alia, quæ abſque authoritate & teſtimonijs Scripturarum quaſi traditione Apoſtolicâ ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius DEI.* Ubi non videtur verbum *Omnia* apud Hieronymum; alia autem & omnia non ſunt Synonima 2. non legitur, *gladius Verbi DEI*, ſed gladius DEI; equidem novi, Hieronymum loqui de gladio Verbi DEI, ſed hoc Verbum non habet in textu. 3. apponitur particula *Sponte*, à qua pendet tota rei ſubſtantia; & illam idcirco plerique hæretici omittunt. Hieronymus dicit, Gladius DEI percutere adhuc alia, quæ hæretici ſine authoritate & teſtimonijs Scripturarum ſponte & ex perverſa ſua voluntate reperiunt & fingunt, quaſi Apoſtolicæ eſſent Traditiones. Quid hoc contra Eccleſiam Romanam, quæ non invenit & fingit Traditiones Apoſtolicas, ſed eas à Majoribus per legitimam ſucceſſionem acceptas cuſtodit? Dolendum ſanè ab hæreticis ita iniquè tractari veneranda Antiquorum Patrum Scripta?

XLII. Reſpond. 3. ad probationem ex ratione. Ad 1. & 2. pro certo nos credere, Chriſtum omnia manifeſtaſſe, & Apoſtolos omnia annuntiaſſe; inde tamen non ſequi, quod omnia debuerint conſcribi, ſed ſufficere, quod quædam ſcriptis, quædam etiam ſolis verbis & manifeſtata & annunciata fuerint, quæ per aliorum ſcripta poſtea nobis ſint tradita. Dici etiam aliquo ſenſu poteſt, in Scriptura omnia contineri ad fidem & Religionem ſpectantia partim determinatè & in ſpecie: partim generatim & implicitè, quatenus oſtendit Eccleſiam (*columnam & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15.) à qua omnia poſſunt diſci, quæ ſunt ſcitu neceſſaria; Sicuti Index librorum è varijs Authoribus Collectus continet omnia, quia deſignat loca, ubi reperiri queant. Atque in hunc ſenſum explicanda ſunt loca Sanct. Patrum apud Bellarminum, qui aſſerere videntur, omnia in Scripturis contineri, cjuſmodi multa allegârunt hæretici in Colloquio Ratiſbonenſi poſt Seſſ. octavam.

XLIII. Ad 3. Negando aſſumptum ſeu Minorem, pro qua fraudulenter adducitur Cardin. Bellarminus, cum nuſpiam iſte aſſerat, omnibus omnia neceſſaria & utilia ad ſalutem ab Apoſtolis ſcripta: ſed tantùm de ſimpliciter & explicitè ſcitu neceſſarijs loquatur; quæ duo neceſſaria inter ſe valde diverſa ſunt; hæc enim poſteriora Bellarmini c. 11, cit. pauciſſima ſunt, & Symboli Apoſtolici & Decalogi limites vix egrediuntur: illa autem Ameſij tom. 1. fol. 73. plurima ſunt, omnia ſcil. revelata ſive ſcripto ſive traditione ad nos tranſmiſſa; quæ utique non omnibus ſcitu explicitè utilia, ne dicam neceſſaria ſunt, ſed ſolùm Prælatis & Eccleſiæ Doctoribus; quid enim ea, quæ ad ſacrificiorum & Sacramentorum adminiſtrationem, ad Eccleſiæ gubernationem, ad hæreſum refutationem pertinent, quid, inquam, iſta utilitatis ſimplicibus ac rudibus fidelibus afferunt? Sufficit ergo hiſce indoctis & plebeis ſcire explicitè Myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. quæ ſicuti omnibus omnino ſcitu ad ſalutem neceſſaria & utilia ſunt, ita ab Apoſtolis ſcripto conſignata fuerunt: & dum hiſce paucis cognitis explicitè aſſentiuntur, implicitè etiam aſſenſum præbent omnibus reliquis fidei dogmatibus, quæſive ſcripta ſive tradita tenet Eccleſia, parati ſemper, ſingulos fidei articulos qrofiteri publicè, quando id legitimè fuerit requiſitum.

XLIV. Ad 4. diſtinguendo Antec. Sacræ litteræ ſcriptæ ſunt, ut habeamus regulam partialem ſaltem & in pluribus, concedimus: adæquatam in omnibus & uſquequaque perfectam ſine ullius alterius acceſſu, negamus. Siquidem littera ſcripta ſine acceſſu genuini ſenſûs (qui ſine traditione Eccleſiaſtica ſæpiſſimè non conſtat) non eſt plus, quàm Corpus abſque Anima. Nam, ut pulcherrimè Hilarius Lib. 3. ad Conſtantinum Imperatorem ſcripſit: *Scripturæ non in legendo ſunt, ſed intelligendo.* Cur autem quædam v. g. myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis &c. habeant regulam Scriptam: quædam verò non, uti Pædobaptiſmus, non-rebaptizatio hæreticorum &c. à bono Chriſtiano non anxiè eſt inquirendum, ſed divino Beneplacito acquieſcendum. Conſequentia etiam negari poſſet, ſicuti ab ipſis hæreticis in pari argumentatione exploderetur: Symbolum Apoſtolicum & Decalogus ſunt data, ut haberemus regulam perfectam Fidei ac Morum. Ergo Scriptnra Novi teſtamenti non eſt Verbum DEI, aut ſaltem ſuperfluum.

XLV. Ad 5. quod Sectarijs videtur impoſſibile, facillimum eſſe DEO; quemadmodum igitur iſte Providentiâ ſuâ eximiâ cavet, ne in Sacra Biblia error irrepat fidei & moribus pernitioſus, ita prohibet, ne Traditionibus Eccleſiaſticis genuinis aliæ ſpuriæ admiſceantur; quam providentiſſimam DEI curam ampliſſimæ illæ Chriſti pollicitationes innuunt Matthæ 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Luc. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit.* Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit &c.*

XLVI. Ad 6. negando, proprium eſſe hæreticorum, abſcondere ſua dogmata, & ſub pulchro Apoſtolicarum Traditionum prætextu alijs obtrudere; quia maximè proprium, imò commune omnibus hæreticis eſt, venena ſua palam ſpargere ſub ſpecioſo Verbi Dei velamine, ut de illis jam pridem rectiſſimè ſcripſerit Tertullianus de Præſcript. cap. 15. *Scripturas oſtendunt, & hâc ſuâ audaciâ quoſdam movent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimit-*

dimittunt. Abſurditas illa myſteriorum turpium inter Gnoſticos, Baſilidianos Capocratianos &c. eſt paucorum apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium & Auguſtinum. Nihil tale habuêre Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Monotelitæ, Sacramentarij, & innumeri alij Sectarij. Et quid ad nos Catholicos ſpurca illorum deliramenta, quæ nomine etiam myſterij indigna ſunt. Myſteria noſtra ac Fdei dogmata ſive ſcripta, ſive tradita caſtiſſima ſunt, & poſſent ubique propalari atque omnibus manifeſtari, ſi omnes protinus capaces forent, ut SS. Dionyſ. Chryſoſtom. Baſilius alij Patres docent.

XLVII. Ad 7. denique rationem; ſi hoc argumentum firmum ſtaret, in periculo ruinæ totam fore Sac. Scripturam; ſiquidem non ſolùm falſæ & adulterinæ Traditiones, ſed etiam falſi & ſpurij libri ſub nomine Apoſtolorum antehac ipſis Biblijs inſerti, & per illos non pauci boni Chriſtiani decepti fuerunt. Papias Epiſcopus Hierapolitanus & Diſcipulus S. Ioannis, Apoſtoli errorem ſuum ex ſcriptura potius pravè intellecta, quàm ex traditionibus traxit, ut de ipſo teſtatur Hieronymus in cap. 49. Iſaiæ, & 19. Matthæi; unde ineptè & nequiter illum abſolutè contra Traditiones adducit Molinæus fol. 59. Videatur Forer lib. 1. cit. c. 8. num. 3.

XLVIII. *Error ſecundus* eſt, in Eccleſia Romana haberi ſolum Traditiones humanas. Ita ijdem Hæretici, è quibus Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. 15. ait, *nos Romano-Catholicos docere, quod per traditiones humanas mereamur gratiam juſtificationis, & remiſſionem peccatorum.* Probant ex eo, quod paſſim à Scriptura damnentur; nominatim adducunt iſta loca Mathæi 15. v. 9. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens, populus hic labijs me honorat, cor eorum longè eſt à me, ſine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Coloſſens. 2. vers. 8. *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* 1. Pet. 1. v. 18. *Redempti eſtis de vana veſtra converſatione paterna traditionis &c.* Molinæus etiam fol. 59. nos Catholicos comparat Phariſæis, & antiquis hæreticis, qui Phariſæos imitati traditiones ſuas iiſdem, inquit, D. Pauli verbis tuebantur, quibus hodie Papiſtæ.

XLIX. Pro errore iſto refellendo advertendum, duplices eſſe hominum traditiones; aliquæ harum conſonant Sacræ Scripturæ, aliæ diſſonant. Priores laudat Scriptura ſupra adducta, & hic iterum illas confirmo hoc Syllogiſmo: Qui Traditiones reijcit, præcipuis Evangelij partibus damnum affert. Sed Sectarij Calviniſtæ, Lutherani, & alij traditiones reijciunt. Ergo &c. Min. patet. Majorem habet in terminis Baſilius M. ut teſtatur D. Damaſcenus in oratione 1. de Imaginibus hiſce verbis: *D. Baſilius in cap. 27. illius libri, quem de Spiritu Sancto 30. diſtinctum capitibus ad Amphilochium ſcribit: quæ in Eccleſia ſervantur & prædicantur, partim ex ſcripta conſtant doctrina: partim Apoſtolorum traditione data nobis in myſterio ſuſcepimus. Et utraque quidem eandem ad pietatem vim obtinent. Nec quiſquam ijs, qui vel mediocriter in Eccleſiæ jure verſatus ſit, contradixerit. Si enim, quæ ſcripta non ſunt, ſed moribus tantùm & conſuetudine continentur, tanquam magni momenti non ſint, reijcere aggrediamur, imprudenter ipſis Evangelij partibus præcipuis damnum afferemus.* Hæc Damaſcenus ex D. Baſilio, ubi ad propoſitum noſtrum ultima verba ſpeciatim obſervanda, priorum enim jam ſupra meminimus.

L. Poſteriores Traditiones hominum reijcit eadem Scriptura locis recèns adductis, & bene declarat Chriſtus Matth. 15. cit. vers. 6. aiens: *Irritum feciſtis mandatum DEI per Traditiones veſtras,* id eſt, traditiones Scripturæ contrarias ſecuti eſtis; quales apud Judæos erant variæ. I. quod ante cibum lavandæ eſſent manus Matth. 15. v. 2. II. quod etiam inter comedendum illa lotio ſæpius eſſet repetenda. Matth. 7. v. 3. III. quod veniens è foro non debeat cibos capere, niſi lotæ eſſent manus. Marc. 7. v. 4. IV. quod cum peccatoribus non eſſet ſumendus cibus. Matth. 9. v. 11. V. quod ne quidem permittendum eſſet, ut quis à peccatoribus tangeretur. Luc. 7. v. 36. VI. quod in Sabbatho non liceret ægros curare. Luc. 6. v. 7. VII. quod famelici non poſſent ſpicas vellere & comedere in Sabbatho. Matth. 12. v. 1. VIII. quod frequenter eſſet jejunandum & orandum Luc. 5. v. 33. IX. quod omnium rerum etiam minimarum decimæ offerendæ eſſent DEO Matth. 25. v. 23. X. quod, qui juraret per templum vel altare, non eſſet reus criminis: qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, eſſet reus. Matth. 23. v. 16. XI. quod filij non tenerentur reipsâ parentes ſuos honorare, aut illis benefacere, ſed abunde ſufficeret, munus aliquod DEO offere. Matth. 15. v. 3. Has, inquam, traditiones humanas reijcit Scriptura, & reprehendit Chriſtus, non quod omnes ex genere ſuo eſſent malæ, ſed tùm quia Phariſæi ex eorum obſervatione quærebant inanem gloriam & opinionem Sanctitatis apud homines Matth. 23. vers. 5. tum quia ex eorum obſervatione ſectabantur opes & divitias, præſertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Mtth. 23. v. 14. & Marc. 12. v. 40. tum quia ſuperſtitioſè obſervabant ſuas traditiones, & interim mandata DEI negligebant. Matth. 23. v. 24. excolantes culicem, camelum autem deglutientes.

LI. Nullas hujuſmodi traditiones humanas habet aut obſervat Romano-Catholica Eccleſia. Fatetur hoc ipſe Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 18. §. 16. aiens: *Romanenſes Magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos ceremoniola: quæ non Apoſtolica cenſeatur.* Verùm licet iſtud oppugnet & refellat mendacium Melachthonis aſſerentis: *Omnes Eccleſiæ Romanæ traditiones eſſe merè humanas*; attamen reipsâ æquè errat Calvinus, ac Melanchthon; ille quidem, quia nos Catholici, ut ſæpe jam dictum, duplices admittimus traditiones; unas ab Apoſtolis acceptas: alteras poſt tempora Apoſtolorum à Prælatis Eccleſiæ introductas: iſte verò, quia contrarium apertè docemus, nimirum nullo modo nos mereri juſtificationem aut remiſſionem peccatorum, ſed eam gratis conferri nobis per merita Chriſti, ut patet ex Concilio Tridentino Seſs. 6. c. 8. ubi hæc habentur: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Quare dicto Melanchthonis ſuper relato nihil ſubeſt, niſi impudens calumnia.

LII. Ad probationem Adverſariorum, negamus Traditiones univerſim & ubique damnari

Digitized by Google

n Sac. Scriptura. An non Epiſtola 2. ad Theſſalonicenſes eſt Scriptura ſacra? quas tamen Traditiones commendat c. 2. v. 15. hiſce expreſſis verbis: *tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Audio ex Sectarijs recentiorem quemdam dicere, hinc non ſuffulciri Traditiones, cum concludi nequeat: Paulus n hac epiſtola quædam dogmata non ſcripſit. Ergo illa in alijs Scripturis non reperiuntur; certè inepta & falſa hæc argumentatio: Quæ in iſta epiſtola ad Theſſal. non fuerunt ſcripta; meræ ſunt traditiones. Doctrina de cœna Dominica non fuit in illa ſcripta. Ergo mera eſt traditio. Verùm nos Catholici nequaquam ſic argumentamur, ſed in hunc modum validiſſimè concludimus: Apoſtolus præcipit & vult, æquè obſervari, quæ oretenus ſolùm prædicavit, ac illa, quæ ſcripto conſignavit, & non dirigit Theſſalonicenſes ad ullam Scripturam ſive præſentem, ſive futuram. Ergo doctrina illa Apoſtolica oretenùs ſolùm tradita eſt obſervanda abſque ulteriore directione ad ullam Scripturam, & hâc eâdem directione Sectarij fruſtra Traditiones laceſſunt. Cæterùm Traditiones, quas Scriptura & Dominus reprehendit, non ſunt illæ genuinæ, ſed ſolùm adulterinæ, & humanæ, quæ initium habuerunt à quibuſdam Rabbinis, & non multùm ante Chriſti tempora, ut apertè docet D. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam. q. 10. Tales adulterinas & humanas traditiones habere nos Catholicos, atque ideo Phariſæis & antiquis hæreticis comparari poſſe, calumnia eſt Molinæi; aut nominet vel unam ſimilem? interim nihil obeſt, Catholicos ijſdem hodie verbis D. Pauli uti, quibus olim hæretici uſi fuerunt; quia non faciunt id eodem intellectu & fine.

LII. *Error tertius.* Nihil penitus aſſignari poteſt, quod ab univerſa Eccleſia per omnia ſæcula fuit receptum, ut neceſſarium creditu aut obſervatu, quod in ſacris litteris non continetur. Ita contra regulas ſupra à §. XXIII. à nobis allatas Guilielm. Ameſius. Tom. 1. fol. 66. ubi ulterius ſic arguit: Si, inquit, Traditiones eâdem fide ſunt recipiendæ cum ijs, quæ in Scripturis continentur, propter teſtimonium Eccleſiæ & Patrum conſenſum, ſequitur 1. hæc teſtimonia Eccleſiæ & Patrum eandem authoritatem habere cum ſcripturis. 2. Scriptis Patrum eâdem fide credendum, quâ ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis credimus. 3. Sive Patres loquantur ex Scripturis, ſive abſque ſcriptura, nullam eſſe differentiam quoad fidem ipſis habendam. Præterea aliqui ex Neothericis graviter incuſant Franc. Coſterum nimis Traditiones extollentem in Enchiridio cap. 1. de Traditionibus: Ubi Traditio inquit, *Omnem veritatem in ſe habet, omnia fidei myſteria, omnémque rationem Chriſtianæ veritatis complectitur, & omnia, quæ de negotijs fidei oriri poſſunt, diſſolvit.* Item: *hujus Traditionis præſtantia multis partibus ſuperat Scripturas, quas nobis in membranis Apoſtoli reliquerunt.* Alij verò præſtantiam Sac. Scripturæ ſupra omnes Traditiones evincere volunt ex ipſo Cardin. Bellarm. tum lib. 1. de Verbo Dei c. 2. ubi ait, *Sacris Scripturis nihil eſſe notius, nihil certius &c.* (quæ verba ſæpe ſæpius adducit Ioan. Gerhardus.) tum lib. 4. de Verbo DEI non ſcripto c. 11. in reſp. ad 5. prope finem, ubi docet, *teſtimonia Scripturæ anteponenda eſſe teſtimonijs Conciliorum.* Atque iſti æquè ac priores & ipſe Ameſius allatas regulas noſtras retundere, & enervare contendunt.

Error iſte non eſt diverſus à prioribus; cum enim Adverſarij Verbum DEI ſcriptum ſemper clamitent tanquam unicam regulam, ex qua omnia metiamur, utique omnes alias regulas abjicient, nihilque non-ſcriptum admittent Verbo DEI ſcripto æquale. Quamvis autem noſtros per Traditionem abſque ſcriptura acceptos fidei articulos varijs calumnijs inquinent, omnibúſque machinis irrefragabilium, uti ſibi imaginantur, argumentorum impetant, nihilo tamen plus efficiunt contra veritatem, quam (verba repeto ſuprà allata) nos opponimus in Sac. Scriptura fundatam, à SS. Patribus approbatam, & per validas rationes confirmatam, uti videre eſt in ijs, quæ hactenus diximus, & fuſius apud Card. Bellarminum toto libro 4. cit, ac ſummatim in hoc conſiſtit: quod Spiritus veritatis doctrinas fidei non ſcriptas per infallibilem ſuam illuminationem & gratiam cordibus Paſtorum & Præpoſitorum Eccleſiæ infundat, inſerat, & in eis illibatas conſervet, juxta illa Verba 2. Corinth. 3. v. 3. ſupra cit. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu DEI vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

LIV. Negamus igitur, nihil aſſignari poſſe, quod ab univerſa Eccleſia per omnia ſæcula fuit receptum, ut neceſſarium creditu & obſervatu, quod in ſacris litteris non continetur. Nunquid ſupra §. VIII. plura hujuſmodi fuerunt adducta? In Veteri Teſtamento Judæi per multa ſæcula crediderunt, omnes & ſingulos libros, qui in canone ipſorum conſignabantur, eſſe verè divinos & à DEO inſpiratos, ubi hoc ſcriptum? Item fœmellas à peccato originali per remedium aliquod particulare & neceſſarium purgari, ubi hoc in ſacris libris fuit expreſſum? In Novo Teſtamento per omnia ſæcula Chriſtiani crediderunt, Evangelium S. Matthæi eſſe Verbum DEI: item totam Sac. Scripturam in ijs, quæ ad fidem & mores pertinent, manere nobis ſalvam & incorruptam, ubi hoc legerunt ſcriptum? Hanc traditionem, ajunt Acatholici apud Kemnitium in exam. Trident. Seſs. 4. ſupra citatum, quâ nobis in manus dantur Sacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus. Quæro jam ex ipſis, Eccleſia Catholica vel poteſt fallere, vel non? ſi prius, cur credunt Evangelium proponenti? ſi poſterius, cur non credunt eidem Eccleſiæ alias traditiones Apoſtolicas aſſerenti? & ſi rectè creditur Eccleſiæ Catholicæ laudanti Evangelium, rectè etiam omnino credetur vituperanti & condemnanti Lutherum, Calvinum, alióſque Novatores, ut optimè contra Manichæos argumentatur D. Auguſt. contra epiſtolam Manichæi cap. 5.

LV. Ad objectionem Ameſij reſpondemus, ſi tres illæ illationes rectè intelligantur, nempe de ſcriptis SS. Patrum concorditer aliquid atteſtantium, nihil in illis non pium, rectum, ac ſanum apparere; ſenſus quippe alius non eſt, quàm teſtimonium Eccleſiæ ac Patrum æqualiter ſe habere reſpectu Verbi DEI, ſive id ſcripto, ſive vocali traditione ad nos derivetur, cum certiſſimum ſit, & firmiſſimè teneamus, quod tam in uno, quàm in altero decipi ab Eccleſia nequeamus.

LVI. Neotherici aliqui malè incuſant Coſterum Traditiones nimis ultra Scripturas extollentem;

enitus ab Eccleſia rejectum, & improbatum; ujuſmodi plures libri recenſentur in jure Canoico c. 3. Diſt. 15. Hoc quoad nomen Canonis ræmiſſo.

II. *Doctrina prima.* In canone, quo utunturCaholici, relati ſunt hi libri Veteris Teſtamenti: *ieneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, oſue, Judices, Ruth, Quatuor libri Regum, Duo Paralipomenon, Duo Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, ſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, ccleſiaſticus, Quatuor majores Prophetæ, Baruch, Duoecim Minores, Duo libri Machabæorum.* Item hi liri Novi Teſtamenti: *Quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, Quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli, Tres S. Joannis, Duæ S. Petri, Una Jacobi, Una Judæ, Apocalyp. Joannis.* Univerſim libri 72. Veteris Teſtamen-45. Novi 27. juxta decretum Concilij Tridenni Seſs. 4. quod initio Bibliorum præfigitur.

III. Acceperunt autem Patres hujus Concilij inonem illum per Traditionem ab Eugenio apa in Concilio Florentino, ut videre eſt apud arthol. Carranzam in ſumma Conciliorum. urſus Eugenius eundem recepit à Gelaſio Papa Concil. Romano, ut patet ex Tom. 2. Conlior. in decretis Gelaſij circa finem. Deinde elaſius à D. Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſt. 8. & Auguſtinus à Concilio Carthaginenſi III. uod alij quintum, alij ſextum appellant. Deum Patres hujus Concilij acceperunt ab Innontio I. Papa in epiſtola ad Exuperium; ixit autem Innocentius anno Chriſti 402. Itaue ab hoc tempore primitivæ Eccleſiæ ad nos ſque per continuam traditionem perſeverat iem ille Sac. Scripturæ Canon, quem nos Caiolici nunc tenemus & amplectimur.

IV. Objicere ſolent Adverſarij, Concilium arthaginenſe, licet huic interfuerit & ſubſcrierit Auguſtinus, fuiſſe tamen Provinciale, & llibile, imò vitiatum; etenim Canon quadraeſimus ſeptimus ſecundi Concilij Carthaginenſ, ubi numerus librorum Sac. Scripturæ definiir, facit mentionem Boniſacij Papæ, qui mul poſt hoc Concilium fuit primùm electus. Reſp. ex Baronio Tom. 5. & ejus Compendiatore pondano ad an Chriſti 397. n. 26. fuiſſe quidem oncilium Provinciale, ſed poſtea confirmatum univerſali Concilio Lateranenſi. 2. Canones itio Librariorum ex tertio Concilio Carthaginſi ſub Bonifacio Papa celebrato ad ſecundum ſe tranſportatos, nullo ipſius veritatis detriiento.

V. Ex allata doctrina & decreto Tridentini oncilij manifeſtè apparet, Romano-Catholicam ccleſiam nec poſſe nec velle aliquem librum pro iero ſuo arbitrio facere Canonicum, vel non anonicum, ut falsò ipſi imponunt Sectarij: ſed rofiteri, ſolos illos libros agnoſci & admitti deere tanquam Canonicos & ſacros, quos Prohetæ & Apoſtoli dictante S. Spiritu ſcripſerunt. ſt quidem aliquorum Theologorum opinio Pai Adamo Tannero Tom. 3. D. 1. Quæſt. 5. n. 56. on prorſus improbabilis, Eccleſiam etiamnum oſſe librum aliquem olim ſcriptum, & in auoritate hactenus exiſtentem, nec poſitivè rectum proponere & declarare tanquam ſacrum, que in canonem recipere: oppoſitum tamen detur verius; tum quia ad illud non ſuppent ſufficientia Veterum teſtimonia, tum quia ſus & ſenſus præſentis Eccleſiæ non eſt talis, ut ex iſto fieri id poſſe exiſtimemus. tum quia libri nonnulli, quos hujus honoris capaces aliqui cenſebant, *a* Gelaſio Papa Can. Sancta Romana Diſt. 15. inter Apocryphos poſiti aliquam inde etiam erroris ſuſcipionem traxêre. Videri poteſt. cit. Author.

VI. *Doctrina ſecunda.* Ex Biblijs diverſarum linguarum hodie ſolùm Latina ſunt authentica; cæteræ verò linguæ eatenus admittuntur, quatenus cum Latina editione concordant. Ita Catholici Doctores ob Authoritatem Concilij Tridentini ſola Biblia Latina approbantis Seſs. 4. his verbis: *Sacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio* (Latina ſcilic.) *quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis Lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro Authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Et infra: *Decrevit & ſtatuit, ut poſthàc Sac. Scriptura potiſſimum verò hæc ipſa vetus & vulgata editio quàm emendatiſſimè imprimatur.*

VII. Quamvis enim nullus Author Canonicus latinè ſcripſerit præter D. Marcum, ut de iſto creditur, tamen dubium non eſt, quin ſtatim initio naſcentis Eccleſiæ Romanæ a multis Biblia in Latinum fuerint converſa. Una autem (incerti Authoris) ex omnibus verſionibus primatum tenuit, quæ idcirco Itala ſeu Vulgata dicebatur, & vigebat quotuor primis ſæculis uſque ad S. Hieronymum, qui animadvertens, eam verſionem non immediatè ex Hebræis fontibus, ſed ex Græca Septuaginta Interpretum tranſlatione deſumptam, multiſque mendis infectam eſſe, authoritate Damaſi Papæ novam verſionem molitus eſt. Et quidem Vetus Teſtamentum totum ex Hebræo in Latinum tranſtulit excepto libro Sapientiæ, Eccleſiaſtico, Baruch, Machabæis, & Epiſtola Jeremiæ, ut ipſe fatetur in fine de Scriptoribus Eccleſiaſticis his verbis: *Vetus juxta Hebraicum tranſtuli.* Exceptos autem libros non tranſtulit, quia vel Canonicos non putavit, ut Eccleſiaſticum, vel Hebræos non juvenit, ut Sapientiam, ſicuti ſignificat præfat. in Proverb. etenim Librum Baruch ideo à ſe prætermiſſum diſertè narrat in præfat. in Iremiam. Novum verò Teſtamentum ex Græco antea tranſlatum multis in locis correxit, uti ipſemet lib. de viris illuſtrib. ait: *Novum Teſtamentum Græcæ Fidei reddidi &c.* Atque hoc opus adeo probatum eſt Eccleſiæ, ut paulatim relictâ veteri Hieronymianam verſionem acceptârit, excepto Pſalterio ob hanc forſan rationem, quia cum in Eccleſijs quotidie Pſalmi juxta Septuaginta canerentur, iiſque Fidelium aures aſſueviſſent, durum ac violentum propemodum fuiſſet, inducere verſionem S. Hieronymi. Quare ab eadem Eccleſia retenta fuit antiqua editio, prius tamen à Luciano Martyre emendata.

VIII. Hinc apparet ratio Doctrinæ allatæ; nimirum quia tota Latina Eccleſia jam per mille & amplius annos hâc unâ editione fuit uſa, ideo per ſeipſam hæc Editio obtinuit authoritatem atque approbationem à DEO; etenim hunc permiſiſſe, ut Eccleſia hac in re tamdiu erraret, non eſt conſentaneum ipſius Providentiæ ac promiſſis, præſertim quando pluribus annis non

F fuit

Digitized by Google

juiores eandem Commentarijs ſuis illuſtrârunt. Verùm corrupta eſt nunc multis locis, quod a-iertè affirmat S. Hieronymus præfat. in lib. Pa-alip. quo tamen non obſtante poſt noſtram vul-gatam præ alijs æſtimatur; quia à varijs doctiſ-imis viris iterum iterúmque purgata, & demùm nduſtriâ Antonij Caraffæ S.R.E. Cardinalis & Bibliothecarij ad ſynceritatem authoritatémque educta fuit, ut refert Spondanus ad Ann. Chriſti 83. n. 5. Enata autem fuit verſio illa Septuagin-a Interpretum Ann. Mundi 3770. ante Chriſtum nnis circiter 280. ex hac occaſione. Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex Bibliothecam Ale-andri M. imitatione à Patre inceptam Demetrij Phalarei conſilio conquiſitis undique libris inſtru-xit quaſi Scientiarum gazophylacium; quam du-entis jam voluminum millibus repletam, ut Ju-aicis etiam libris ornaret, miſsâ legatione ad Eleazarum Pontificem impetravit ab eo Septua-inta duos peritiſſimos Judæos, qui apud Ale-andriam in Inſula Pharo ſeparatis ab invicem ellulis ſinguli Opus græco idiomate elaborâ-ant (non quidem de Verbo ad Verbum, ſed ubinde paraphraſticè) ac poſtea factâ collatione ihil penitus reperti ſunt inter ſe diſſentientes ripſiſſe, ut meritò SS. Patres unanimiter ſenti-nt, id divino ac prophetico Spiritu aſſlante eve-iſſe.

XIV. Fuerunt inſuper duæ aliæ incertis Au-ioribus verſiones Græcæ, quas Antiqui non ämnarunt ut parùm fideles minúſue ſynceras, d harum fragmenta ſolùm reliqua ſunt, cum tegræ perierint. Lucianus Martyr & Heſy-ius etiam ediderunt verſiones, non tamen no-as, ſed emendarunt verſionem, quæ erat Septu-ginta Interpretum. Jam ex ſuperioribus memo-atis Editionibus coaluerunt Originis Tetrapla, Hexapla, & Octapla deſcriptis in eadem pagi-à per columellas quatuor vel pluribus interpre-itionibus & inter ſeſe compoſitis, ut in quo di-reparent, aut convenirent, facili comparatione gnoſci poſſet.

XV. Ex omnibus prædictis Verſionibus vul-atæ Editionis authoritas meritò ſumma eſſe de-et, ut reipsâ eſt juxta doctrinam noſtram. Tum uia de eadem extat decretum Concilij Triden-ni Seſs. 4. ſupra cit. per quod declaratur Au-tentica, quod idem eſt, ac abſolutè & ſimpli-ter fidelis ac ſyncera. Tum quia D. Hierony-ius, ut linguarum peritiſſimus, ita divinas ſcri-turas peritè: ut ſanctiſſimus, ita illas fideliter & iligenter interpretatus eſt divino auxilio ad i-ud opus peculiariter adjutus. Unde D. Augu-inus lib. 18. de Civit. DEI. cap. 43. ſcribit: *uamvis non defuerit temporibus noſtris presbyter Hiero-ymus homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum ritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum elo-uium eaſdem ſcripturas convertit.* Et S. Iſidorus lib. . Etymol. c. 5. ſimiliter ait: *Hieronymus trium nguarum peritiſſimus ex Hebræo in Latinum eloquium di-nas ſcripturas convertit, cujus Interpretatio meritò ca-ris anteponitur.*

XVI. *Doctrina tertia.* Vulgata Editio Latina, cet pro authentica ab omnibus habenda ſit, ut-ote quoad fieri poteſt, pura & emendata, non-um tamen ita ab omnibus mendis purgata eſt, adhuc emendari nequeat. Ita Cardinal. Bel-rminus lib. 2. de Verbo DEI. cap. 11. Jacobus reſerus, Adamus Conzen, Nicolaus Serrarius, Melchior Canus, Adamus Tanner Tom. 3. D. 1. de Fide. Q. 5. n. 79. Bernardinus Vetvveis in Speculo veræ Eccleſiæ lib. 2. c. 6. art. 4. & ple-tique alij. Probatur 1. ex Præfatione juſſu Pon-tificis Biblijs præfixa, & teſte Baronio Tom. 3. compoſita à Bellarmino, quæ haud obſcurè in-dicat, adhuc quædam menda in illis latere. Nam 1. dicitur, pro humana imbecillitate difficulter affirmari poſſe, hanc editionem omnibus nume-ris abſolutam eſſe. 2. aliqua, quæ mutanda vi-debantur, conſultò relicta eſſe ad offenſionem populorum vitandam. 3. Correctoribus Biblio-rum à Papa deſignatis (inter quos præcipui di-cuntur Cardinal. Caraffa & Bellarminus) non fuiſſe propoſitum corrigere antiquum Interpre-tem, ſed tantùm Librariorum & Correctorum vitia tollere. 4. non prohiberi, quin adhuc va-riæ lectiones annotentur, modò non in contex-tu, nec ad marginem ponantur. 5. ſæpius itera-ri eam clauſulam: *quantâ fieri potuit diligentiâ,* vel *quoad fieri potuit*, caſtigatam, reſtitutam &c.

XVII. Probatur 2. authoritate illorum Theo-logorum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, ejúſque mentem utique melius ſcire potuerunt; uti Andreas Vega, Jacobus de Payva Andradius, Alphonſus Salmeron, Melchior Canus &c. è qui-bus primus teſtatur, Cardinalem S. Crucis, qui loco Summi Pontificis Concilio Tridentino præ-fuit, & adhuc durante Concilio in Papam fuit electus ac Marcellus II. vocatus, ſibi dixiſſe, men-tem Concilij non fuiſſe; ut approbaret omnia verba & ſyllabas latinæ editionis. Accedunt lit-teræ Legatorum Concilij ad Cardinalem Farne-ſium, quas refert Card. Sfortia Pallavicinus in genuina Concilij Tridentini Hiſtoria Lib. 6. c. 17. contra fabuloſam Petri Soave Polano nar-rationem.

XVIII. Probatur 3. Si omnes voculæ ac Syl-labæ Latinorum Bibliorum eſſent de fide, hoc fieret vel propter decretum Tridentini, vel pro-pter decretum Papæ. Neutrum dici poteſt. Quia poſt Concilium Tridentinum juſſu Pontificum hæc Biblia primùm correcta ſunt: & in Bullis Pontificum nihil tale reperitur, ut ſatis oſten-dunt hæc præfationis Biblicæ verba ſupra jam indicata: *Accipe igitur, Chriſtiane Lector, eodem Cle-mente Summo Pontifice annuente ex Vaticana Typogra-phia Veterem & Vulgatam Sac. Script. Editionem, quan-tâ fieri potuit diligentiâ caſtigatam, quam quidem, ſi-cut omnibus numeris abſolutam pro humana imbecillita-te affirmare difficile eſt, ita cæteris omnibus, quæ ad hunc uſque diem prodierunt, emendatiorem puriorémque eſſe, minimè dubitandum.*

XIX. Probatur 4. aliquot exempla apparen-tium errorum, quos doctiſſimi Interpretes in Bi-blijs correctis adhuc deprehenderunt v. g. 2. Reg. 4. v. 7. perperam repetitur cædes Isboſeth à duo-bus latronibus perpetrata, quæ v. 6. jam erat ex-preſſa. Judith cap. 8. v. 2. dicitur filia Ruben, quod, inquit Tirinus ibid. mendum eſt; certò enim conſtat ex initio cap. ſequentis Juditham non Rubeni, ſed Simeonis Patriarchæ filiam fu-iſſe. Luc. 11. v. 36. legitur: *Si corpus tuum totum lu-cidum fuerit, non habens partem tenebrarum, erit luci-dum totum*; ubi ταυτολογία eſſe, & idem ex eodem concludi videtur; hinc Joannes Maldonatus in cit. locum ſuſpicatur, latinum Interpretem vi-tio græci codicis deceptum σῶμα pro ὄμμα legiſſe, id eſt, Corpus pro Oculo. Joannis 1. v. 28. po-

Digitized by Google

nitur *Bethania trans Iordanem*, cum tamen cis Jordanem prope Jeruſalem fuerit; unde multa græca exemplaria pro Bethania legunt *Bethabara*, id eſt, domus tranſitùs ſeu locus, in quo trajicitur ſcil. ultra Jordanem. Ibidem c. 5. v. 2. vocatur piſcina Jeroſolymitana Bethſaida, quæ eſt urbs ad mare Tiberiadis, ubi rectiùs legere videntur multa græca exemplaria & S. Hieronymus *Bethesda*, id eſt, domus ſeu locus effuſionis. Actor. 7. v. 15. dicitur Abraham ſepulchrum emiſſe à *filijs Sichem*, qui tamen Geneſ. 23. v. 16. memoratur agrum emiſſe *ab Ephron filio Seor*. De quo videri poteſt Cornel. à Lapid. in cit. locum, ubi hos textus reconciliare nititur. Demum 2. ad Timoth. 4. v. 20. habetur: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Ubi Cardinalis Baronius rationibus aliquot chronologicis adductus autumat ad annum Chriſti 59. legi oportere *Melitæ*, *&c.* Plura videri poſſunt apud Joan. Cabaſſutio in notitia Conciliorum à fol. 493.

XX. Oppoſitum huic doctrinæ tenent Franciſcus Turrianus 2. 2. Diſp. 22. dub. 4. & nonnulli Theologi rati, minimas quaſque voculas & particulas eſſe de fide. Nituntur his argumentis, quæ ſuis ſingula ſubjunctis reſponſionibus ſtatim diſſolvemus. *Primum*. Omnes partes latinæ editionis ſunt de fide. Sed omnes voces ac Syllabæ ſunt illius partes. Ergo omnes ſunt de fide. Majorem probant ex Tridentino Seſs. 4. ſic loquente: *Siquis libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Min inde conſtat, quod Biblia corrupiſſe diceretur, qui vel unam vocem eraderet, ſæpe enim ex una littera totus ſenſus pendet. Reſpond. Concilium Tridentinum nomine patium non intellexiſſe minutas particulas, ſed majores partes, nempe integros libros vel capita, quam Concilij expoſitionem eſſe genuinam, non ſolùm citata authoritas Pontificum & aliorum, qui Concilio interfuerunt & aſſederunt, comprobat, ſed ſuadet etiam ratio; quia leges ex mente & intentione Legislatoris ſunt interpretandæ. Atqui mens & propoſitum Concilij fuit, hoc decreto hæreticos damnare, qui integros libros vel capita ex Canone Scripturæ eraſerunt. Quod nonnunquam ex una ſyllaba totus ſenſus pendeat, concedimus libenter. At verò non loquimur de perverſa correctione & immutatione ſensûs legitimi & Catholici, ſed de recta emendatione mendæ typographicæ & erroris merè accidentalis, probè gnari, vi prædicti decreti Tridentini ſtatui, vulgatam Editionem eſſe ſine erroribus ſpectantibus ad fidem & mores, ac ſic nec in ſyllaba, nec in voce corrigi emendarique poſſe.

XXI. *Secundum*. Clemens VIII. in Bulla Biblijs præfixa vetat, ea ullo modo aliter imprimi, quàm Romæ impreſſa ſunt. Ergo ſupponit, nullum amplius mendum in ijs latere. Reſpon. negando conſequentiam; cauſa enim, cur Pontifex vetuit aliter imprimi Biblia, quàm Romæ impreſſa ſunt, non fuit, quod exiſtimet, impreſſionem Romanam omni prorſus mendo vacuam (id enim repugnat citatæ præfationi Bibliorum) ſed quod voluerit, ne vetera jam emendata vitia redirent, aut plura & majora irreperent, ſi cuilibet typographo libera poteſtas concederetur, aut veterem corruptam recudendi, vel novam à privatis hominibus correctam imprimendi, cum videamus etiam ſtante hoc interdicto Pontificis Romanam editionem typographorum incuriâ & inſcientiâ non ſine mendis prodire, quantumcúnque Epiſcopi, quibus ea cura incumbit & demandata eſt, invigilent; tanta eſt mortalium oculorum fallacia.

XXII. *Tertium*. In Præfatione Bibliorum dicitur: *in hac editione nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt.* Ergo omnia ſunt Canonica. Reſpon. particulam omnia non reſpicere omnia vocabula, ſed omnes partes, ut jam ſupra expoſuimus Tridentinum.

XXIII. *Quartum*. Congregatio Cardinalium, quos Papa dubijs Concilij Tridentini declarandis præfecit, hac ſuper re conſulta reſpondit, nihil admittendum eſſe, quod vulgatæ repugnat, nec ſyllabam, nec jota unum. Reſpon. Sententiam Cardinalium in rebus Fidei non eſſe majoris Authoritatis, quàm privatas Theologorum opiniones, cum Papa tantùm commiſerit illis deciſionem dubiorum moralium, res autem fidei ſibi reſervaverit. Adhæc P. Serrarius in Prolog. Biblic. quæſt. 11. arbitratur, hanc declarationem Cardinalium eſſe confictam, affirmans ſe manuſcriptas eorum declarationes vidiſſe, & nihil horum in illis reperiſſe.

XXIV. *Quintum*. Si Biblia non penitus emendata ſint, tum nihil conducunt ad fidem, quia ubique poſſumus timere, ne fortè mendum lateat, & ſic nunquam erimus ſecuri. Reſpon. negando ſequelam Majoris. Nam duplicem certitudinem de correctis Biblijs habemus. Unam phyſicam & prorſus infallibilem, ſcil. nihil eſſe in ijſdem contra fidem ab Eccleſia propoſitam, nec contra bonos mores: item non contineri fraudem vel apertam difformitatem (neque in minima parte textûs) nec contradictionem &c. adeóque tutò ſine periculo ſalutis legi poſſunt. Alteram moralem, nihil erroris ſuſpicando, niſi occurrat ſpecialis ratio dubitandi, quæ certitudo licet non ſit prorſus infallibilis, nihil tamen nocet, imò ſæpe ad fidem ſufficit. Nam docent Theologi in materia de Fide Valent. Diſp. 1. Q. 1. pun. 4. Turrianus D. 7. dub. 7. Granado Tr. 2. D. 3. Sect. 1. & 2, Amicus D. 3. Sect. 1. à num. 43. ubi adducit S. Auguſtin L. 6. Confeſs. c. 5. Conink Diſp. 13. dub. 1. n. 8. Becanus cap. 2. n. 9. & cap. 11. q. 4. n. 4. Card. Lugo D. 5. n. 25. & 36. & prius D. 4. n. 84. atque alij plurimi, ad actum fidei ſufficere, ut objectum credendum tanquam divinitus revelatum morali certitudine judicetur, modò à parte rei tale ſit; aliter enim ſimplices & illiterati homines nunquam poſſent credere, quia non aliunde ſciunt, articulos fidei ſibi propoſitos eſſe divinitus revelatos, quàm ex humana authoritate Parentum, Præceptorum, Parochorum, &c. de quorum prudentia & fide nihil dubitant. Si igitur credam, quod in Biblijs lego, & morali certitudine authenticum judico, ſi id à parte rei tale ſit, verum actum fidei eliciam: ſin fallar, & à parte rei non ſit tale, eliciam tantùm fidem humanam; & hic error materialis nihil nocebit.

XXV. Speciatim verò diviſiones Capitum, & Interpunctiones verſuum non eſſe de fide, docet Serrarius in Prolog. c. 20. quia diviſio Capitum non eſt facta ab ipſiſmet Scriptoribus Canonicis, ſed ab alio incerto Authore ante annos circiter 400. teſte Jacobo Gualterio in Chronographia

graphia

Digitized by Google

graphia ad annum Chriſti 1206. Interpunctiones etiam à Recentioribus additas tradit Ruiz in Scientia Dei. Diſp. 81. Sect. 2. num. 4. & Alvarez in c. 9. Iſa. v. 3. unde adhuc de quibuſdam interpunctionibus dubitatur v. g. Ioan. 1. v. 3. in illis verbis: *ſine ipſo factum eſt nihil; quod factum eſt, in ipſo vita erat &c.* neſcitur, quò pertineant illa verba, *quod factum eſt*; An ad præcedentia, nihil quod factum eſt, ſine ipſo factum; & tunc poſtponendum punctum: An ad poſteriora, quod factum eſt, in ipſo vita erat; & tunc præponendum punctum, quod Eccleſia Romana noluit determinare, ſed utrobique poſuit coma, ut utrovis referri poſſent, quod D.D. judicio reliquit. Videri poteſt Tirin. ubi pro utraque parte PP. allegat. Verſus etiam Numerorum non ſunt admodum antiqui; etenim olim ad marginem tantùm apponebantur litteræ Alphabeticæ A. B. &c.

XXVI. *Doctrina quarta.* Nulla verſio ullius linguæ vulgaris: neque ulla Recentiorum Interpretum verſio pro ſacrâ & authenticâ habenda eſt; ita ut per omnia indubitatè credi poſſit ac debeat Sacri Scriptoris ſenſum aſſecuta. Ita communis Doctorum ſententia ſupra jam inſinuata. Unde etiam ratio deſumitur; quia nulla talis verſio uſpiam legitur ab Eccleſiâ ita approbata, uti ipſi etiam Adverſarij apud Tanner Tom. 1. D. 1. Q. 5. N. 84. fatentur, ſuos Interpretes abſolutè loquendo infallibilis auctoritatis non eſſe. Auguſtinus quoque L. 2. de Doct. Chriſtiana cap. 12. & Epiſt. 8. ad Hieron. hoc ſenſu dixit, *Interpretes poſſe errare.* Nominatim in Biblijs Lutheri non pauci occurrunt errores & corruptelæ partim additione, partim detractione, partim commutatione verborum commiſſæ, quæ videri poſſunt apud Cochlæum de actis Luth. Anni 1522. & Hieronym. Enſer. de verſione novi Teſtam. Lutheri, & alios. Sufficiat hic unicam illam fraudem adduxiſſe, quam commiſit in Epiſt. ad Rom. C. 3. v. 23. ubi enim legimus: *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, ipſe in ſuis Biblijs impiè & ſacrilegè contra omnium exemplarium fidem addidit particulam *ſolùm*, de quâ plura dicemus in Controv. de Juſtificatione. 1. Ioan. 5. v. 7. omnino omittit præclariſſimum de Sacroſancta Trinitate teſtimonium: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum ſunt &c.* Aliorum ſimilium Interpretum, & interpretationum infidelitatem ac varietatem exoſus ipſemet Luth. Lib. contra Zvvinglium de veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia ſic ſcribit: *Si diutius ſteterit mundus, iterum erit neceſſarium, ut propter diverſas ſcripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſervandam fidei unitatem Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea fugiamus.* Videri poſſunt D D. de Walenburch Tom. 1. in diſcuſione Bibliorum vulgarium, ubi à pag. 713. Primò ordinem texunt errorum locorum SS. Scripturæ, in quibus errarunt Biblia vulgaria Lutheranorum, Germano-Calviniſtarum, Gallo-Calviniſtarum, Hollandorum, &c. Deinde inſufficientiam oſtendunt Bibliorum Acatholicorum & fidei in illis fundatæ. Denique docent, Sectarios provocare non poſſe vel ad textum Hebraicum vel ad Græcum tanquam originalem purum atque incorruptum.

XXVII. Non obſtat allatæ doctrinæ vulgare illud Hæreticorum argumentum. Si verſio vulgata eſt bona & in forma probante, ſequitur, malas eſſe reliquas ſtultéque uſurpari. Quia falſa eſt illatio. Nam ſi ejuſdem libri unus interpres affirmatur fidelis, non hoc ipſo alius ſtatim infidelitatis condemnatur. Ex eo etiam, quod Hiſtoria aliqua magni momenti ex latina in vernaculam linguam fideliter transferatur, ideóque habeatur authentica & ſufficiens ad litem, quæ à principali ejus continentia dependet, decidendam, haud ſequitur, fieri non poſſe aliam vulgarem interpretationem magis expreſſivam, propriam, & claram vel ex toto vel ex parte, unde reſplendeant multæ alluſiones; & multa vivacitas Auctoris, quæ non ita refulgent in altera; prius ſolùm tribuitur verſioni vulgatæ ex verbis Tridentini, quod ſcilicet ſit fidelis ideóque authentica; ex quo aliæ Catholicorum verſiones non prorſus rejiciuntur, tanquam malæ. Breviter cum DD. à Walenburch loc. cit. fol. 683. non ſequitur, ullam aliam verſionem à Concilio eſſe damnatam vel inprobatam: ſed nullum aliud exemplar, nullam aliam verſionem fuiſſe agnitam tanquam authenticam.

XXVIII. Unde etiam D. Hieron. quem Adverſarij objiciunt, contrarius nobis non eſt, dum Lib. de opt. gen. Interpret. & Comment. in Prophet. & Eccleſiaſt. ſcribit, *quædam aliter fuiſſe vertenda, quàm nunc in verſione vulgata leguntur.* Loquitur enim S. Pater de alia verſione faciendâ, non quoad res fidei ac morum, ſed ſolùm quoad verborum expreſſionem ac proprietatem. Si etiam in alio Eccleſia quandóque primam verſionis lectionem retinuit, quam D. Hieron. mutandam cenſuit; pluris illius, quàm hujus facienda eſt auctoritas, ut bene Bell. L. 2. de verbo DEI cap. 10.

Nonnulli quoque Scioli in verſione noſtra utriuſque Teſtam. Solœciſmos & barbariſmos carpentes omninò curari non debent, quia in Sacris Litt. res ipſæ potius, quàm verba ſpectandæ ſunt, quippe melius eſt, inquit S. Auguſt. in Pſal. 148. *Ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant Populi.* Taceo pleráque eorum, quæ imperitis ſolæciſmi & babariſmi videntur, apud optimos latinæ linguæ Auctores fuiſſe uſurpata, aut hebraiſmos, helleniſmos, & ſimiles tropos ac figuras æſtimari debere. Videri poteſt Jacobus Gretſerus Tom. 1. Defenſionis Bellarm. L. 1. de Verbo DEI cap. 14. ubi etiam Sectariorum quorundam judicio & cenſurâ retundit Witthackeri, Junij, ac præcipuè Hunnij maledicentiam, qui vulgatam verſionem Latinam tanquam barbaram ac ſolæcam non minùs imprudenter, quàm imperitè traducunt.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIX. Error primus. Eſt omnium hæreticorum hujus temporis contra Canonem ab Eccleſia Romano-Catholica receptum, & ſupra à nobis allatum, quem oppugnant univerſim his ferè argumentis apud Ameſium Tom. 1. à fol. 1. Molinæum à fol. 238. & Gerardum L. 2. Parte 1. à fol. 4. &c. 1. Quia Libri in eo Canone comprehenſi non fuerunt pro canonicis agniti à Judæis,

quibus *credita ſunt eloquia DEI*, ad Rom. 3. v. 2. 2. Quia Chriſtus nec Judæos unquam reprehendit, quod illos Libros non reciperent, tanquam Verbum DEI: nec ipſe & Apoſtoli iiſdem uſi fuerunt. 3. Quia Libri illius Canonis pertinent vel ad legem, vel ad Pſalmos, vel ad Prophetam, in quæ membra Chriſtus Luc. 24. v. 44. totum vetus Teſtamentum diſtinxit. 4. Quia privati Libri non ſunt ſcripti ab aliquo propheta, ſicuti tamen libri veteris Teſtam.; unde S. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. v. 20. totam veterem ſcripturam vocat propheticam. 5. Quia non ſunt ſcripti hebraicè vel chaldaicè, quæ erat tunc lingua vernacula Iudæorum. 6. Quia illos ipſos libros nec pro Canonicis congnoverunt Patres aliqui antiqui Concilij Laodicenſis. item Origines, Cyrill. Jeroſol. Athan. Euſeb. Epiphan. Hilarius, Amphilochius, Hieron. &c.

XXX. Errorem hunc damnant omnia Concilia, omnes Pontifices, omnes PP. tam Græci quàm Latini, qui hac de cauſâ illum Sacrorum Librorum Canonem conſcripſerunt, quem ſupra nos ad initium hujus Contov. adduximus; & planè majore authoritate & firmiori fundamento nititur; quàm ut allatis ratiunculis (quæ ferè omnes retorſionem patiuntur) vel leviſſimè concutiatur, ne dum evertatur. Refert etiam Overius Tom. 2. de ſcript. authoritate in Epiphanio, Libros mox nominandos, quos hodie hæretici reijciunt, in vetuſtis Judæorum Concilijs in Canonem receptos fuiſſe. D. Auguſtino lib. 13. cont. Fauſtum jam olim de hoc Canone licuit dicere Manichæis: *Noſtrorum librorum authoritas tot Gentium conſenſione per ſucceſſores Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorúmque roborata, vobis adverſa.* Quanto id potiore nunc ratione obtendimus.

XXXI. Reſpond. Ad 1. Canonem, quem allegant heretici, non eſſe veterum, ſed recentium Judæorum poſt Chriſtum confectum. Antiquis Judæis fuit quidem Sac. Scriptura tradita juxta Apoſtolum, ut tanquam bonos & utiles libros poſteris tranſmitterent, attamen neſciêrunt, omnes eſſe Verbum Dei, ſicuti ſæpe Domini ſuis famulis ſarcinas committunt, non indicando, quid intus lateat. Interim fatemur, libros Machabæorum in Canone Judaico non fuiſſe comprehenſos, quia primùm conſcripti ſunt poſt illum Canonem ab Eſdra confectum. Cæterùm miror, Sectarios plus fidei adhibere Judæis, quàm Chriſtianis; cum tamen iſtis multò clariùs promiſſus ſit Spiritus S. quàm Synagogæ Judæorum. Taceo traditionem ſic ab illis non evitari.

XXXII. Ad 2. propoſitum Chriſto non fuiſſe, eos Judæorum errores, qui ſaluti non obſtabant, corrigere; poterant enim nihilominus ſalvari, etiamſi hos libros pro Verbo DEI non agnoſcerent. Taceo quod ſupra jam dixi ex Joan. 21. v. 22. non omnia Chriſti geſta, nec dum verba conſcripta fuiſſe.

XXXIII. Ad 3. Chriſtum non voluiſſe loco cit. aſſignare adæquatam Sacræ Scripturæ diviſionem, ſed exempli causâ aliquos Libros proferre.

XXXIV. Ad 4. Nomen Prophetæ interdum ſumi ſtrictè pro eo, qui futura prænunciat juxta etymologiam græcam, interdum latè pro eo, qui arcana divina denunciat etiam præterita, qui perpetrat miracula, qui cantu & muſicis inſtrumentis laudat Deum, qui rerum ſpiritualium notitiam habet. Si tali modo ſumatur nomen prophetæ pro omni eo, qui ex ſingulari aſſiſtentia Dei aliquid extraordinarium dicit aut facit, conceditur omnium librorum Canonicorum Auctores fuiſſe prophetas: ſi ſtrictè accipiatur pro prænuncijs futurorum, negatur.

XXXV. Ad 5. licet prædicti Libri jam non extent, niſi græcè ſcripti, potuerunt nihilominus primitus ſcripti fuiſſe hebraicè vel chaldaicè & deinde in græcum tranſlati, & juxta ſolam hanc tranſlationem ſupereſſe. Non deſunt etiam, qui affirment, linguam græcam tempore Machabæorum Judæis fuiſſe familiariorem, quàm hebraicam vel chaldaicam.

XXXVI. Ad 6. Canonem nunc receptum nondum extitiſſe tempore illorum Patrum; erant quidem in manibus omnium varij libri tam veteris quàm novi Teſtamenti, ſed prædicti PP. tantum ſibi non ſumebant, ut certi aliquid de ijs ſtatuerent, ſed Eccleſiæ judicium exſpectabant. Primus igitur, qui legitimè definivit, quinam libri ex ijs Canonici habendi eſſent, fuit Innocentius Papa circa annum Chriſti 402. ejus definitionem ſecutus eſt S. Auguſt. cum Epiſcopis Africæ in Concil. Carthaginenſi: Exuperius cum Epiſcopis Galliæ: Gelaſius in Concilio Romano; totus denique orbis Chriſtianus ad noſtra uſque tempora. Soli ferè Lutherani & Calviniſtæ ſine cauſa tergiverſantur, & à communi conſenſu Patrum & Conciliorum ad paucos PP. qui ante definitionem Innocentij de hac re ſcripſerunt, importunè provocant, ſed fruſtra; Nam Patres illi, cum res nondum eſſet per Eccleſiam legitimè declarata, poterant de quibuſdam libris vel dubitare, vel aliter ſentire. Nec mirum, quod Eccleſia non agnoverit omnes libros Canonicos uſque ad annum prædictum; quia Spiritus S. non omnia ſimul revelat, ſed ſucceſſivè magis & magis illam illuminat, atque ideo Cant. 6. v. 9. Auroræ conſurgenti comparatur.

XXXVII. Dicunt Sectarij, S. Hieronymum Concilio Chalcedon. ſuperſtitem ſcripſiſſe contra illud. Reſp. id feciſſe S. Patrem non ex ſua, ſed Judæorum ſententia, ut teſtatur in Apologia ad Ruffinum.

XXXVIII. In ſpecie ac nominatim ex eodem Eccleſiaſtico S. Scripturæ Canone prædicti Hæretici reijciunt. Primò. *Tobiam.* Tum quia Innocentius I. Papa hunc Librum Canoni Eccleſiaſtico non inſerit, ſed prætererit. Tum quia cap. 3. v. 7. dicitur, Saram habitaſſe in Rages, cum habitaculum hujus longè diſſitum fuerit ab hac civitate, ut conſtat ex cap. 9. v. 3. Tum quia c. 6. v. 8. Raphaël hepati alicujus piſcis vim tribuit eijciendi dæmones, contra illud Chriſti Matth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi per orationem & jejunium.* Tum quia cap. 5. v. 18. Raphaël Angelus affirmat, ſe eſſe Azariam Ananiæ filium, quod non eſt verum. Reſpon. ad primum. Librum Tobiæ ab omnibus fere PP. qui S. Hieronymo poſteriores ſunt, pro canonico fuiſſe habitum. & à mille ducentis jam annis varios Pontifices & Concilia pro tali Canonico Libro declaraſſe, idque nominatim feciſſe Innocentium I. in Epiſt. ad Exuperium; unde meriſſimum figmentum eſt, quod Gerhardus fol. 43. in oppoſitum affert, quaſi Librum iſtum Canoni Eccleſiaſtico non inſeruiſſet. Ad ſecundum. Rages ſumi bifariè, tum pro urbe, tum pro toto tractu,

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti hodie in Germania Salisburgum accipitur tum pro ipſa Reſidentia Archiepiſcopi, tum pro tota illius Provincia. Hebræa & græca Exemplaria pro Rages habent hîc *in Ecbathenis*, ubi erat Regia ſedes Medorum. Ad tertium, nec cor piſcis, nec orationem & jejunium naturâ ſuâ expellere dæmones, ſed ut inſtrumenta à Deo aſſumpta pro diverſis temporibus; ſicuti ergo Deus tempore Tobiæ voluit uti corde piſcis, ſic à tempore Apoſtolorum oratione & jejunio. Ita fere Tirinus, cujus opinioni favet Scriptura cap. 8. v. 3. expulſionem dæmonis magis Raphaëli, quàm hepati piſcis aſcribens. Ad 4. Angelum non fuiſſe mentitum, ſed æquivocaiſſe; etenim Azarias ſignificat adjutorium DEI: Ananias verò nubem Domini, ſeu Dominum nube tectum. Raphaël igitur indicare vult, ſe eſſe filium Dei miſſum in auxilium Tobiæ, quod erat verum.

XXXIX. Secundò. *Librum Judith.* Tum quia tota iſta hiſtoria ex Chronologia convincitur eſſe conficta. Tum quia Judith tanquam pijſſima fæmina laudatur, cum mendacia aperta obtruſerit Aſſyrijs; nempe ſcire ſe, Judæos in manus Aſſyriorum venturos, Holoferni ſe monſtraturam aditum ad Urbem capiendam &c. Tum quia eadem mulier Cap. 9. v. 2. laudat homicidium Simeonis Geneſ. 49. v. 5. perpetratum. Reſpondetur ad primum. Hiſtoriam hanc accidiſſe non poſt celebrem illam ſeptuagenariam captivitatem tempore Joachim & Sedeciæ, ſed poſt aliam priorem & minorem anno circiter decimo Manaſſis Regis, ut cum multis Auctoribus probat Tirinus in Cronico Cap. 33. Quare negatur, hiſtoriam illam fuiſſe confictam. Ad ſecundum, velle quidem aliquos Catholicos, Juditham officioſè & in bonum Patriæ fuiſſe mentitam, ſed hoc negant cum D. Auguſtino plerique alij aſſerentes, illam prudenter uſam fuiſſe æquivocatione ad fallendum hoſtem; nam ſcivit viâ naturali & ordinaria, Judæos tradendos Aſſyrijs, niſi Deus extraordinariè ſuccurrat. Oſtendit quoque Holoferni urbis aditum, imò per mediam introduxit, cum caput ejus à cervice reſectum triumphabunda intulit. Simeonem non laudatum fuiſſe à Juditha, ſed Deum, qui permittendo hanc cædem oſtendit, ſe vindicem caſtitatis. Videri poteſt Tirin. in Geneſ. cap. 34. Cæterùm ex eo quod Bellarm. L. 1. de Verbo DEI cap. 10. hunc Librum Judith à Synodo Nicena approbatum aſſerat, ineptiſſimè infert Gerhardus fol. 64. judicio Bellarmini mendacium approbari; eſt enim perinde, ac ſi diceremus: Lutherani affirmant Evangelium S. Matthæi fuiſſe à Prima Eccleſia approbatum. Ergo judicio Lutheranorum approbatam traditionem, condemnationem, & crucifixionem Chriſti ab impijs hominibus factam.

XL. Tertiò. Reijciunt hæretici *ſeptem ultima Capita Eſtheris.* Tum quia non extant in hebræo. Tum quia eadem fruſtra repetunt, quæ in ſuperioribus capitibus dicta fuerunt. Tum quia falsò ferunt, Aman Macedonem occiſo Rege Perſarum regnum ad Macedonas transferre voluiſſe; qui enim fieri id potuiſſet ab unico homine inermi? Tum quia quædam in ijs apparent contradictoria. Reſpond. ad primum. Licet jam græcè extent, fuiſſe tamen primitus hebraicè conſcripta, ut colligitur ex Joſepho, qui cum L. 1. Antiquitatum c. 22. proteſtatus fuiſſet, ſe tantùm hebraica volumina in Græcum translaturum, Lib. 11. c. 6. epiſtolas Aſueri in illis capitibus comprehenſas recenſet. Fertur etiam Bononiæ in Cænobio PP. Auguſtinianorum aſſervari membranam more priſco involutam, ubi hæc Capita hebraicè ſcripta reperiuntur. Ad ſecundum, videri illa eſſe alterius Auctoris, quàm priora; unde non mirum, ſi eadem repetuntur cum etiam Evangeliſtæ ſæpe ab alijs dicta repetant. Ad Tertium, Aman habuiſſe conſpirationem clandeſtinam cum Macedonibus, & eorum exſpectaſſe auxilium.

Inſtat Molinæus in ſuo novo Papatu fol. 240. Amanem non fuiſſe Macedonium, ſed Agagianum. Sed potuit bene origine & remotè fuiſſe Agagianus; natione verò & proximè Macedonianus; probat enim Serrarius in Caput. 3. Eſter. Macedonianos fuiſſe ortos ex Regione Amalecitarum, quorum Rex fuit Agag.

Ad quartum, Contradictionibus occurri cum diſtinctione temporum; quam temporum & rerum geſtarum ſeriem, quæ in hoc libello turbata videtur, citatus Auctor in pulchrum ordinem redegit. Cæterùm Lutherus totum Librum Eſther ex Canone excludit. Libro de ſeruo Arbitr. contra Eraſmum Tom. 2. Wittenbergico fol. 474. quantumvis fateatur, eundem in Canone Judæorum extitiſſe: *Eſther Libellum*, inquit, *in Canone Judæi habent, digniorem omnibus, me judice, qui extra Canonem habentur*; ipſemet dignior; cujus nomen è memoria hominum tollatur.

XLI. Quartò. *Librum Sapientiæ*, quia falsò tribuitur Salomoni, quem ejus Auctorem non fuiſſe etiam nonnulli Catholici cum S. Hieron. fatentur. Reſp. velle quidem nonnullos, Librum hunc adſcribi ſolùm Salomoni, quod alius quiſpiam ejus ſapienter dicta collegerit, probabilius tamen videri, ipſummet Salamonem Authorem & Scriptorem eſſe; etenim cap. 9. v. 7. ait: *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & dixiſti ad me, ædificare Templum Nomini Sancto tuo.* Atque ita ſentiunt plurimi PP. ad initium hujus Libri à Tirino citati, è quibus Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſiaſticis aſſerit, *prædictum librum olim Judæos pro Canonico habuiſſe, ſed poſt Chriſti necem cum viderent ſcelus ſuum in Chriſto crucifigendo commiſſum capite 2. illius Libri tam apertè depictum, ex canone reſecuiſſe.* Sanctus Hieronymus non ex ſuâ, ſed aliorum mente Philonem Alexandrinum hujus Libri Auctorem aſſignavit.

XLII. Quintò *Eccleſiaſticum.* quia cap. 36. abſurdam hiſtoriam Samuelis per incantationes mulieris evocati narrat. Reſpon. Dei virtute Samuelem adductum fuiſſe non in favorem magiæ, ſed in odium Saulis, ut exitium ſibi imminens intelligeret. Videri poteſt Tirin. in primum Regum cap. 28.

XLIII. Sextò *Prophetiam Baruch.* quia antiqui PP. ejus non meminerunt. Reſpon. Patres illum nomine Jeremiæ comprehendiſſe, ut videre eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Pædagogi cap. 10. Ambr. lib. 1. de Pœnitentia cap. 8. & lib. 3. Hexaem. cap. 14. Baſilium. lib. 4. Contra Eunom. Aug. lib. 18. de Civit. cap. 33. &c. quod quia non advertit Joan. Driedo, Librum hunc itidem ex Can. excluſit. nondum perſpecto decreto Concil. Trident.

XLIV. Septimò. *Danielem Prophetam mutilant tribus Capitibus; ſcilicet decimò tertiò*, quia Chronologia non cohæret; *decimò quartò*, quia ſexto Capiti

piti

Digitized by Google

piti contrariatur: & *aliqua parte Capitis 3.* Nituntur auctoritate D. Hieron. in præfatione ad Danielem, ubi fabulas vocat. Reſpon. ad 1. Hiſtoriam Suſanne non accidiſſe ſub Cyro, ſed multò ante ſub quartum annum à migratione Judæorum in Babilonem, cum Daniel eſſet adhuc junior; unde per ſaltum tranſitur ad aliam hiſtoriam geſtam multò poſt Cyrum, qui Danielem utpote jam ſenem nunquam vocavit puerum. Videri poſſunt Cornel. à Lapide. Tirinus & alij. Ad 2. nullam eſſe repugnantiam, quia de diverſis rebus loquuntur; ſiquidem Daniel bis fuit in lacum leonum conjectus; priùs unâ: poſtmodum ſex noctibus. Ad 3. fuiſſe in hebræo, ut ſat innuunt ipſe ſtylus græcus & latinus, qui hebraiſmum ſapiunt. S. Hieronymus nihil huic rei præjudicat; fabula quippe ipſi non eſt res ficta vel falſa, ſed quæ fando paſſim uſurpatur; neque loquitur ex animi ſui ſententia, ſed Judæorum quorundam opinione, ut ipſemet ſe explicat Apolog. 2. Contra Ruffinum fabulas vocans non fabulas. Videri poteſt Salianus in hiſtoria Suſannæ.

XLV. Octavò. Reijciunt hæretici *Libros Machabeorum.* Tum quia iſti in Canone Judæorum non extant. Tum quia Lib. 1. cap. 15. v. 16. affirmant, uni commiſſum fuiſſe regimen Romæ, cum conſtet ex hiſtoricis, duos ſemper fuiſſe Conſules. Tum quia diſcordant circa mortem Regis Antiochi. Tum quia ſimilem diſcordiam habent circa tempus Judæ Machabæi. Tum quia Lib. 2. cap. 14. v. 42. laudatur Razias ſui interfector. Reſpon. ad 1. Licet Judæi Machabeorum Libros non habeant pro Canonicis, Eccleſiam tamen DEI pro talibus habere, ut ait S. Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Gaudentij cap. 23. quæ Eccleſia non habet minorem poteſtatem declarandi Libros Canonicos, quàm olim habuerit Synagoga. Ad 2. Sermonem eſſe aut de Magiſtratu actu imperante, qui ſemper unius fuit apud Romanos; etenim duo Conſules alternis vicibus imperabant, quilibet uno ſemeſtri, ut etiamnum in aliquibus Civitatibus mos viget: aut forſan de Dictatore, qui ſemper unicus fuit. Ad 3. duos fuiſſe Antiochos; unus vocabatur Epiphanes partim mœrore, partim lapſu, partim viſcerum dolore extinctus: alter dicebatur Demetrij magni filius fruſtillatim diſſectus. Ad 4. ſimiliter duos fuiſſe Judas; unus erat Machabæus Anno 152. mortuus: alter ſecundo Machab. cap. 1. v. 10. dicitur Epiſtolam exaraſſe anno 186. Regi Græcorum, à Seleuco ſumpto numerandi exordio. Ad 5. Raziam feciſſe forſan vel ex ignorantia invincibili, vel Dei inſtinctu, qui cum Dominus vitæ & mortis ſit, facultatem occidendi ſemet concedere poteſt. Addo Raziam laudari non ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid tanquam generoſum vitæ contemptorem. Videri poteſt S. Auguſt. loco cit. & Serrarius in Libros Machab. fol. 717. & ſequenti. Atque hæc de veteri Teſtamento.

XLVI. Nonò Sectarij rejiciunt ex novo Teſtamento *Epiſtolam ad Hebræos.* Ita olim Marcion & Arius, quos ex novis Secutus eſt Lutherus in Prologo Epiſtolæ ad Hebræos, & nonnulli apud Bellarm. L. 1. de Verbo Dei cap. 17. Probant ſuam opinionem. Tum quia ſtylus cæteris D. Pauli Epiſtolis non reſpondet. Tum quia cap. 6. v. 4. negat pænitentibus veniam. Tum quia contradicit alijs ejuſdem Apoſtoli Epiſtolis. Nam cap. 2. v. 3. ait: Paulum didiciſſe fidem ab hominibus, quod negat ad Galatas cap. 1. v. 12. Tum quia cap. 9. v. 4. dicit, urnam mannæ & virgam fuiſſe poſitas in arca, cum ex 3. Reg. c. 8. v. 9. conſtet, ſolas tabulas fuiſſe. Verùm Epiſtolam ad Hebræos eſſe D. Pauli, definivit Concil. Carthag. 3. Can. 47. Laodicenſe Can. 59. Florentin. in Inſtit. Armenorum. Trident. Seſs. 6. Accedit communis PP. Græcorum ac Latinorum conſenſus apud Bellarm. loc. cit. Sed & Petrus idem inſinuat 2. Petri 3. v. 15. cùm ad eoſdem Hebræos per Aſiam diſperſos ait: *Chariſſimus noſter Paulus ſcripſit vobis.* At quam Epiſtolam ſcripſit Hebræis Paulus, ſi non iſtam? Reſpon. ad 1. non eſſe mirum; etenim priores græcè: iſta hebraicè fuit ſcripta; linguæ autem diverſæ ſtylum ac dicendi genus habent diverſum. Ad 2. Tò impoſſibile ſumi pro valde difficili, & quaſi moraliter impoſſibili; etenim apoſtatæ à fide, de quibus ibi agitur, difficilimè convertuntur, ut experientia docet. Ad 3. Paulum ad Galatas loqui in propria perſona: ad Hebræos verò more concionatorum in communi Fidelium perſona. Ad 4. præpoſitionem *in* ſumi pro *juxta*, ſicuti Chriſtus ſcribitur in Jeruſalem paſſus, ideſt, juxta Jeruſalem. Quare erant quidem in arca ſolæ tabulæ Moyſis, at juxta illam urna mannæ, & virga Moyſis. Videri poteſt Tirin. in cit. Locum.

XLVII. Decimò. *Epiſtolam S. Jacobi*; quam Lutherus in Prologo *ſtramineam aridam & Apoſtolo indignam vocat*; quia, inquiunt Sectarij, tota eſt in commendandis operibus bonis, & fide deprimenda, quam Paulus adeo extulit. Reſpon. Jacobum non adverſari Paulo, ſed ejus dicta de fide (ab impijs malè intellecta, quaſi ſola fides ad juſtificationem & ſalutem ſufficeret) explicare; nempe quod fides ſit quidem origo Juſtitiæ, ſed ſola ſine operibus non ſufficiat, ut oſtendemus in Controv. de Juſtificatione.

XLVIII. Undecimò denique reijciunt hæretici *Epiſtolam Judæ*, quia v. 14. allegat Lib. Enoch, quam ipſe Gelaſius Papa cap. 13. Diſt. 15. apocryphis annumerat. Reſpon. Judam non allegare librum Enoch, ſed verba iſta: *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes &c.* veluti gemmam genuinam ſelegiſſe, vaticinium ſcilicet de extremo judicio & pœnis futuri ſæculi; quod intellexerat ſive ex traditione, ſive ex authentico Libro, qui tum extabat; quamvis poſterioribus ſæculis multæ fabulæ illi fuerint adjectæ, ut videre eſt ex ijs, quas citant Tertullianus. Irenæn. Auguſt. Hieronymus & alij, ut meritò tanquam corruptum rejecerit Gelaſius Papa.

XLIX. Plura videri poſſunt apud Card. Bellarm. Lib. 1. de Verbo DEI. Genebrar. lib. 2. chronologiæ. Serrarium in Prologam: Biblicis cap. 8. & alios. Pro coronide duo adijcio. Primum. Cauſam unicam eſſe, cur hæretici præfatos Libros reijciant, quod bona opera in ijs commendentur, cura & oratio pro mortuis laudentur, atque univerſim pravis illorum dogmatibus oppoſitæ doctrinæ aſſerantur. Alterum. Inter antiquos & recentiores Lutheranos & Calvinianos non convenire; aliqui enim libri ab his tanquam Canonici recipiuntur, qui ab illis reijciuntur. Sic Antiquiores Lutherani è canone etiam Apocalypſin excluſerunt cum Luthero præfatione in

Apo-

Digitized by Google

Apocalypſin, ubi ait: *hunc librum nec Apoſtolicum, nec propheticum eſſe, ſed ſimilem 4to libro Eſdræ &c. ·ui ſuus ſe Spiritus accomodare non poſſit*, quam tamen Apocalypſin hodie tam Lutherani quàm Calviniani in Canonem recipiunt, & inde Romanum Pontificem eſſe antichriſtum contendunt.

L. *Error ſecundus* eſt itidem Modernorum hæreticorum, præſertim Calvini in antidoto Concilij Trident. & Kemnitij in examine ejuſdem Conilij Seſs. 4. ſolam Hebraicam editionem in Veeri Teſtamento: in Novo ſolam Græcam pro anonica habendam eſſe, prout ſcilicet libri ab pſis Authoribus primùm conſcripti fuerunt. Funlant ſe in authoritate SS. PP. Hieron. & Auuſt. Prior horum in cap. 6. Iſaiæ ſcribit: *Si quis icat, corruptos eſſe codices hebræos, cachinnum tenere non otero.* Poſterior verò lib. 15. de Civit. Dei cap. 3. ait: *nullus prudens dicere debet corruptos eſſe codi·s hebræos.* Et Epiſt. ad S. Hieron. prout refertur 1 Jure. Canon. Cap. 6. Diſt. 9. ait: *ut veterum brorum fides de hebraicis voluminibus examinanda eſt, a novorum veritas græci ſermonis normam deſiderat.* 'erùm ſic hæretici in ſuis Eccleſijs nunquam leunt authenticum DEI Verbum: multis etiam rgumentis ſuis contra Catholicos adimunt vim.

LI. Reſpon. Teſtimonia iſtorum PP. non ſerire præſenti tempori, cum mutatio utique intra iille ducentos annos, quibus Hieronymus & Auuſtinus nos anteceſſerunt, potuerit magna textûs ebraici accidere, præſertim nondum inventâ arte ypographicâ, quam Argentinæ Anno 1440. excoitavit Joannes Guttenbergius: juxta alios Mountiæ Anno 1452. Joannes Fauſtius; & ſic per numeras ſcriptorum manus tranſire debuit maıâ facilitate errorum. Addo, quando dicitur xtum Græcum & Hebraicum eſſe normam Lani, potius de ſenſu, quàm de vocabulis intelgendum; fatemur enim collationem textûs tini cum Græco & Hebraico no ſolùm utilem, ſed ·ope neceſſarium eſſe ad veri ſenſûs indagatio:m; etenim textus Latinus, quantùm fieri poſt, cum Græco & Hebraico conciliandus eſt, . cæteris paribus ille ſenſus præferendus, qui l fontem Hebraicum & Græcum magis accet, ut paſſim faciunt Catholici Interpretes in is commentarijs, quantumvis enim alicubi rruptus ſit textus Hebraicus vel Græcus, neıaquam tamen temere dicendum, hic & illic rruptum eſſe, niſi neceſſitas urgeat; at verò ılla urget neceſſitas, quando conciliari cum ıtino poteſt. Videantur DD. à Walenburch pra citati maximè à fol. 716.

LII. Urget Petrus Soave Polanus exiſtimans litionem Vulgatam non eſſe Verbum DEI; prot id authoritate Cajetani qui in commentarijs Scripturam hoc effatum habet: *Intelligere texn Latinum non eſt intelligere Verbum DEI, quod erre non poteſt*: At verò vox Interpretis eſt errori noxia. Reſpon. negando Editionem vulgatam ·n eſſe Verbum Dei. Nam, cum Deus voluerit, ſcriptura eſſet veritatis norma infallibilis non ucis duntaxat, ſed univerſæ Eccleſiæ, non pot reſtringi Scriptura Authentica ad duas linas, quarum intelligentia in gradu excellenti l eſt, qui ſufficiat ad bene judicandum) fuit ı à converſione mundi uſque huc in pauimis. Quare oportuit, ſcripturam in una linà pluribus nota verti & tradi, atque interpreı ita à Deo dirigi, ut in nullo puncto ſubſtantiali fidem ac mores concernente erraret; qualem verſionem D. Hieronymo vel Auctore, vel, ut alij malunt, Emendatore Romana Eccleſia agnoſcit vulgatam, & illam, quà talem, per Concilium Trid. omnibus ita proponit tenendam, ut nulli fas ſit, dubitare, quin intelligere illius textum latinum ſit intelligere Verbum DEI.

LIII. Unde argumentum Adverſariorum validiſſimè retorqueo: Quicunque non fundat fidem ſuam in verſione aliqua approbata per inſtinctum Spiritûs Sancti, non fundat eam in verſione ſufficienti ad articulum fidei. Sed Sectarij omnes Lutherani Calviniſtæ &c. non fundant fidem ſuam in verſione aliqua approbata per inſtinctum Spiritûs Sancti. Ergo non fundant fidem ſuam in verſione ſufficienti ad articulum fidei. Maj. & Min. eſt Adverſariorum; quemadmodum enim iſti nihil ad fidem volunt, niſi Verbum DEI infallibile, ita ſe fatentur in verſione ſua fallibiles, hoc ipſo quod ſe corrigi, ſibiq; ignoſci velint, ſi in verſione erraverint. Concluſio eſt legitima.

LIV. Cæterùm Cajetanus, utut in alijs ſuis Operibus ſit admirandus, in Commentarijs tamen in Scripturam non eſt curandus, ubi à Doctore grammaticæ, quàm myſteriornm divinorum peritiore ſeduci ſe permiſit.

CONTROVERSIA V.

DE SENSU SACRAE Scripturæ.

DUO hic controvertuntur. Primum. Quotuplex ſit ſenſus Sac. Scripturæ? Alterum. An ſenſus Literalis ſit clarus, & à quolibet facilè intelligibilis? Utrumque unâ hâc controverſiâ complectemur.

PARS PRIOR

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. *Doctrina Prima.* Senſus Scripturæ generatim eſt duplex Verus, & Accommodatitius; Ille eſt, quem DEUS intendit: Iſte verò, quem homines præter DEI mentem ad res aliquo modo ſimiles accommodant. Sic quod de Noë dicitur Eccleſiaſtici cap. 44. v. 17. *Inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Eccleſia omnibus Confeſſoribus accommodat. Atque hoc ſenſu pulcherrimè ac convenientiſſimè uſus eſt S. Bernardus, quantumvis firmum inde argumentum ad probandum duci non poſſit.

II. *Doctrina Secunda.* Verus & à DEO intentus ſenſus rurſus eſt duplex. Literalis, & Myſticus. Senſus Litteralis ſeu Hiſtoricus eſt ille, quem verba ſive propriè ſive metaphoricè accepta ſignificant ex Spiritûs S. loquentis intentione primò atque immediatè. Dixi metaphoricè; quia ſi metaphorâ aut alio tropo ſenſus aliquis exprima-

tur, non facit, quo minùs ſenſus ille ſit litteralis. Exemplum hujus habetur Matth. 16. v. 11. ubi Chriſtus ait: *Cavete à fermento phariſæorum.* Id quod idem eſt, remotâ metaphorâ, ac cavete à doctrina phariſæorum. Dixi ex Spiritûs S. loquentis intentione; quia ex ea pendet, ut verba vel propriè ſumantur, vel metaphoricè; ut ſi quis dicat: leo rugiens circuit, ambiguum eſt, ſimpliciterne, & ut verba ſonant, an verò tropicè intelligenda ſint de leone animali, an de dæmone? Iſte ſenſus litteralis in omni loco ſcripturæ reperitur, & interdum plures, ut cum S. Thom. 1. Parte Q. 1. A. 10. ad 1. & ad 3. communiter docent Theologi.

III. Ratio prioris eſt; quia nullus locus eſt Scripturæ, in quo non ipſa etiam verba aliquid immediatè ſignificent; quandoquidem nec mediatè quidem aliquid ſignificare poſſent, niſi mediante re illâ, quam immediatè ſignificant. Accedit, quod ſenſus Spiritualis nitatur ſenſu litterali. Ratio poſterioris eſt, tum fæcunditas S. Scripturæ, tum quod in ſignis ab hominibus inſtitutis eadem res duo ſimul indicare poteſt; etenim ſono campanæ v. g. datur ſignũ ad evitandũ incendium, & ad evitandum tumultum ſeu ſeditionem populi. Sic Joan. 11. v. 49. Caiphas ſenſu politico impio & falſo dixit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*, qui tamen ab Evangeliſta dicitur propheraſſe, quia illius voce Spiritus S. bonum ſenſum expreſſit. Pari ratione illud Pſal. 2. v. 7. *Filius meus es tu.* & Iſaiæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit*, rectè tam de generatione Chriſti æterna, quàm temporali exponitur: ut & prior locus etiam de Chriſti Reſurrectione à S. Paulo Actorum 13. v. 33.

IV. Senſus Myſticus eſt, qui non proximè per voces, ſed mediatè & remotè mediantibus ſcilicet rebus per voces ſenſu litterali ſignificatis à Spiritu S. indicatur v. g. in Deutr. cap. 52. v. 4. præcipitur: *non alligabis os bovi trituranti*, ſenſus litteralis eſt is, quem verba ſonant: myſticus eſt, qui ſuppoſito ſenſu litterali ex eo & rebus per ipſum ſignificatis ulterius à Spiritu S. intenditur, hoc eſt, ut explicat D. Paulus 1. ad Corinth. 9. Doctoribus & Concionatoribus honeſtum victum ſuppeditandum. Porro ſenſus iſte myſticus eſt triplex Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus; ſicuti enim tres ſunt virtutes Theologicæ fides ſpes Charitas, ita tres ſunt ſenſus myſtici Allegoricus reſpondet fidei, Anagogicus ſpei, Tropologicus charitati. Nam Allegoricus dicitur, qui aliquod fidei myſterium declarat. Tropologicus ſeu Moralis, qui mores inſtruit. Anagogicus qui alterius vitæ ſtatum reſpicit, quos omnes Lyranus his verſibus complexus eſt.

Littera geſta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quò tendas Anagogia.

V. Quorum omnium exemplum nobis præbuit S. Paulus Apoſtolus ad Gal. 4. agens de duobus filijs Abraham Iſaäc & Iſmaële. Nam. v. 22. dicit: *Abraham duos habuit filios unum de ancilla, alterum de libera*, qui eſt ſenſus litteralis & hiſtoricus. v. 24. ſubdit ſenſum allegoricum, *quæ ſunt per allegoriam dicta; hæc enim ſunt duo teſtamenta*, ſcilicet Vetus eſt Novum, prius ſervile, poſterius liberum. v. 29. tranſit ad Tropologiam de ſufferendis perſecutionibus Judæorum; *quomodo is, qui ſecundùm carnem natus fuerat* (ſcilicet Iſmaël naturali modo genitus) *perſequebatur eum, qui ſecundùm Spiritum* (ſcilicet Iſaacum miraculosè genitum) *ita nunc*, id eſt, Judæi carnales perſequuntur Chriſtianos Spirituales. v. 26. inſinuat etiam ſenſum Anagogicum, mentem ad Cœlum elevando: *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Dixi quod inſinuet; quia propriè non eſt ſenſus Anagogicus, ſed Allegoricus, cum per cæleſtem Jeruſalem non intellexerit Eccleſiam in cœlo triumphantem, ſed in terra adhuc militantem, ut docent DD. & Interpretes. Proprium ſenſum Anagogicum dat David Pſal. 94. v. 11. dicendo: *quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*; juxta litteram intelligitur de terra promiſſionis in Palæſtinâ: at anagogicè de vitâ æterna, ubi vera eſt requies, ad Hebræos 4. v. 3. Hinc clarè apparet, ſenſum Myſticum iſtis verbis juxta humanam inſtitutionem & uſum acceptis mediatè non ſignificari, ſed ipſis verbis ſignificatis ex DEI ordinatione præfigurari; neque enim hæc vocabula Iſaäc & Iſmaël verbo tenus ſignificabant duo teſtamenta.

VI. *Doctrina tertia.* Ad aſſequendum Sac. Script. ſenſum litteralem, ſequentia juvant. *Primum* eſt. Eccleſiæ declaratio, quæ indubitanter amplectenda juxta Trid. Seſs. 4. ubi ait, *Sacroſancta Synodus ad coërcenda petulantia ingenia decrevit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus detorquens contra eum ſenſum, quem ſemper tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem ſenſum Patrum ipſam Scripturam S. interpretari audeat.*

VII. *Secundum.* Interpretatio Patrum; qui, ſi omnes conſentiant in alicujus loci explicatione vel formaliter idem dicendo, vel virtualiter ſaltem pluribus affirmantibus, & nemine contradicente, indubitatè inhærendum eorum ſententiæ, tanquam à Spiritu S. ſuggeſtæ juxta citatam definitionem Tridentini; ſi verò inter ſe diſcrepent, vel tantùm pauculi affirment, non alligamur ad eorum expoſitionem.

VIII. *Tertium.* Expoſitio Commentariorum, & ſi quidem hæc ſatisfaciunt, in illa, quieſcendum: ſi verò non ſatisfaciat, ulterius inveſtigandum, quiſnam ſenſus lateat, quod illis tantùm convenit, qui ſufficienti doctrinâ Theologiæ & peritiâ linguarum inſtructi ſunt.

IX *Quartum.* Indagatio ſenſûs ſic inſtituenda. 1. Præmittenda oratio ad Deum, ut mentem illuminare dignetur. 2. Singula verba diligenter conſideranda, & quantum fieri poteſt, propriè intelligenda. 3. Textus Græcus & Hebraicus inſpiciendus. 4. Scopus Auctoris, & antecedentia ac conſequentia perpendenda. 5. Alia loca eadem de re agentia conferenda. Quod ſi hoc modo novus ſenſus eruatur, non ſtatim is pro ipſa veritate aſſerendus, ſed Eccleſiæ judicio humiliter ſubijciendus, ut hodie pleroſque Auctores in ſuis commentarijs facere videmus.

X. Adverterunt viri docti juxta quatuor allatos Sac. Scripturæ ſenſus 4. eſſe Doctores Eccleſiæ, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, & Gregorium, & ſingulos ſingulis excelluiſſe, Hieronymum in Litterali, Ambroſium in Allegorico

gorico, Auguſtinum in Anagogica, Gregorium in Morali.

XI. *Doctrina quarta.* Non tantùm ſenſus Literalis, ſed etiam Spiritualis & Myſticus præbet argumentum efficax. Ita cum S. Thoma art. 10. cit. communiter Catholici DD. Ratio prioris eſt, quia iſte ſenſus à Spiritu Sancto per verba intenditur, ideóque falſum ei ſubeſſe non poteſt. Ergo non poteſt non præbere argumentum firmiſſimum; quod tamen intellige, ſi Sacer Auctor aliquid ex mente ſua afferat; etenim ſi quid referat pronunciatum ſolùm ab alijs v. g. illud à Judæis dictum contra Chriſtum: *reus eſt mortis*, item: *nonne benedicimus, quia ſamaritanus es tu, & dæmonium habes &c.* & ſimilia, dum refert ſolùm Scriptor, non verò ex mente ſua aſſerit, utique vera & infallibilia non ſunt, quantumvis infallibiliter verum ſit, quod Scriptor ſacer affirmet, hæc ita dicta vel geſta fuiſſe &c.

XII. Ratio poſterioris eſt, quia etiam hic ſenſus eſt à Spiritu S. intentus, Ergo ex ſe infallibilis eſt, adeóque etiam ad argumentandum efficax, ſi de eo conſtet. Exempla paſſim habemus in Scriptura; illud enim de Agno paſchali dictum Exod. 12. v. 47. *Os illius non confringetis* ſeu *os non comminuetis ex eo*, myſticè per allegoriam ad Chriſtum applicatur *Joan. 19. v. 35.* & illud Deutr. 25. v. 4. citato *non alligabis os bovi triturantis* ad operarios evangelicos 1. ad Corinth. 9. v. 9. ex quibus proinde locis efficax etiam argumentum ad fidei dogmata probanda efficere poſſumus. Conſtat autem, ſenſum myſticum eſſe verum, & à Spiritu S. intentum vel ex Scriptura Sacra, ut de illo bove triturante de ſuppeditando Concionatoribus neceſſaria conſtat ex S. Paulo citato, vel ex Concilijs vel ex conſenſu PP. & Eccleſiæ Doctoribus.

XIII. Comparando inter ſe iſtos ſenſus. Senſus Myſticus dignior eſt, ſi cum ejuſdem loci ſenſu literali conferatur; figuræ enim præſtat figuratum; quod intellige de eo myſtico ſenſu, quem Spiritus S. intendit. At ſi verò non de ſubordinatis ſenſibus per modum figuræ & figurati loquamur, ſed abſolutè, tunc ſenſus litteralis æque præſtans eſſe poteſt, ac myſticus, cum de rebus præſtantiſſimis eſſe queat, ut de Trinitate. Chriſti Paſſione, Reſurrectione &c. imò abſolutè omnibus penſatis ſenſus literalis eſt myſtico præferendus; tum quia de rebus æque præſtantibus eſſe poteſt, tum quia in omnibus Scripturæ locis reperitur, tum demum quia certior & ad probandum utilior; ſuppoſito quod non conſtet, ſenſum myſticum eſſe verum & à Spiritu Sancto intentum; etenim ſi hoc conſtet, æque firmum argumentum ex ſenſu myſtico peti poteſt ac ex literali.

Hactenus de varietate Senſuum Scripturæ, quibus ſolùm breviter addo, nullum ſenſum Sacræ Scripturæ, quem Novatores contra doctrinam ac fidem Romano-Catholicæ Eccleſiæ afferunt, eſſe legitimum. Quia nec Sacræ Scripturæ habent verſionem legitimam, ex qua ſenſus ille eruatur: nec teſtimonia Patrum ex primis quinque ſæculis, quibus idem ſenſus comprobetur; quæ duo fundamenta ad probandum aliquod dogma fidei ipſi unicè admittunt. Videantur DD. à Walenburch Tom. 1. fol. 689. ubi rem pluribus exemplis declarant.

XIV. Porro quoad Claritatem & perſpicuitatem S. Scripturæ, advertendum eſt, duobus modis aliquid dici poſſe neceſſarium; uno abſolutè & ſimpliciter, ut veritatem hanc vel illam credas: altero ſub conditione, nempe ſi aliqua fidei veritas aliàs ſcitu & creditu non abſolutè neceſſaria, nobis proponatur cum errore oppoſito, non poſſumus veritatem hanc rejicere, & errorem illi oppoſitum amplecti; cum infidelitas ſit prohibita; unde ſub conditione dicitur talis veritas eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſcilicet ſi nobis ad credendum proponatur. Priori modo paucarum veritatum fides & cognitio Fidelibus quibuſvis eſt neceſſaria ad ſalutem, eæque fere omnes in Scripturis perſpicuè docentur, & pleræque in Symbolo Apoſtolico comprehenduntur, ac proinde non ſunt obſcuræ & dubiæ, ut Judice opus ſit, qui ſententiam de illis ferat. Poſteriori modo ſe habent ceteræ veritates omnes, de quibus inter nos & Adverſarios controvertitur, quæ cum tantum ſub conditione (nempe ſi ſufficienter una cum oppoſitis erroribus explicatæ fuerint) ad ſalutem ſcitu creditúque ſint neceſſariæ, fit, ut iſtæ non ita clarè in Scripturis explicentur, quin diverſimodè intelligi, & in dubium revocari queant, atque ipſo facto in dubium revocentur. Hoc poſito. Loquendo maximè de poſterioris modi veritatibus.

XV. *Doctrina quinta.* In Sac. Scriptura multa ſunt valde obſcura & intellectu difficilia. Ita omnes Cathol. DD. Prob. 1. Teſtimonijs utriuſque Teſtamenti. David Propheta in legis Moſaicæ intellectu tantam difficultatem expertus eſt, ut ſæpe divini luminis auxilium imploraret, præſertim Pſal. 118. Nam v. 18. exclamat; *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* v. 34. *da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam.* v. 73. *da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* v. 135. *faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum; & doce me Juſtificationes tuas.* v. 125. *da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua*; quæ poſtulata planè frivola forent, ſi mandata Dei per ſe tam clara eſſent, perinde ac ſi quis in meridie lampadem accendi rogitaret.

XVI. In Novo Teſtamento habemus apertum teſtimonium Act. 8. v. 28. ubi Eunuchus Candacis Reginæ in curru legens Iſaiam Prophetam, & à Philippo interrogatus; *Putaſne intelligis, quæ legis*, reſpondit, *quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi.* Ipſos etiam Apoſtolos non ſemper intellexiſſe Scripturam, patet ex Evang. Lucæ 18. cum enim Chriſtus de imminente ſua paſſione dixiſſet: *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas*, ait Sacer Textus v. 34. *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* In eodem Evangelio cap. 24. v. 23. duos diſcipulos in Emaus euntes objurgavit; *ò ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? & incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Ibidem v. 45. *Poſt reſurrectionem aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Ergo priùs non intellexerunt. Joan. 51. 39. hortatus eſt Judæos: *Scrutamini Scripturas*, quod ſupponit, multa occulta latere, quæ indigent accuratiore conſideratione. Clariſſimè demum 2. Petri ultimo v. 16. ubi loquens Princeps Apoſtolorum de Epiſtolis D. Pauli ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras*

ceteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Ubi non eſſe ſermonem ſolùm de quibuſdam phraſibus Apoſtoli, tum ex eo patet, quod Petrus aſſerat, errorem in ijs rebus intellectu difficilibus afferre animæ perditionem, tum ſatis colligitur ex ipſis rebus, quas ſanè explicatu difficilimas in ſuis Epiſtolis Apoſtolus tractat, uti eſt Prædeſtinationis myſterium: Legis Novæ & Moſaicæ comparatio, atque hujus inutilitas: gratuitæ Juſtificationis cum neceſſitate operum Conciliatio: Juſtificatio fidei: fomitis Infectio, ſeu carnis inobedientia: tranſmiſſio peccati Originalis in omnes homines: ſacerdotium Melchiſedech, ipſiúſque Chriſti ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech &c.

XVII. Probatur ſecundò ex teſtimonijs SS. PP. qui licet ingenio, doctrina & ſcientiâ excelluerint, & dies noctéſque in ſcripturarum meditatione inſumpſerint, tamen quædam intelligere non potuerunt, quæ fusè relata videri poſſunt in antiquo Papatu Jacobi Keller Tom. 1. à fol. 512. ſufficiat nobis unus & alter. S. Auguſtinus Lib. 2. Doctrinæ Chriſtianæ cap. 16. *multis, inquit, & multiplicibus obſcuritatibus decipiuntur, qui temere legunt Scripturas, quod totum divinitus proviſum eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam; adde etiam ad humilitatu exercitationem, ad majeſtatem ſcripturæ tuendam, ad occultanda hoſtibus fidei noſtræ myſteria &c.* Idem S. Pater cum à Januario videretur omnia in Scriptura intelligere, & nihil ipſum latere, graviter id ferens ſic ad illum Epiſtolâ 119. cap. 21. reſcripſit: *Tantùm abſum ab eo, quod putaſti nihil me latere, ut nihil in Epiſtola tua legerim triſtius; quia & apertiſſimè falſum eſt, & miror; quia te hoc latet, quod non ſolùm in alijs innumerabilibus rebus, ſed etiam in ipſis Sac. Scripturis plura neſciam quàm ſciam.* Prædicantes debent invertere verba D. Auguſtini, & dicere de ſe, quod multò plura ſciant in ſcripturis, quàm neſciant. D. Hieron. Epiſt. ad Algaſiam Q. 8. *omnis*, inquit, *Epiſtola ad Rom. nimijs obſcuritatibus involuta eſt.* Et de Apocal. D. Joan. ad Paulinum ſic ſcribit: *tot habet Sacramenta, quot verba.* Conſtat in reliquo Bibliorum codice multa eſſe obſcura ac intricata, ut nôrunt illi, qui legerunt. Prædicantibus omnia ſunt plana clara & intellectu facilia ſed cum uni ex illis objectum eſſet, quis ſit ſenſus Eccleſiaſtici 42. v. 24. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens* inſtar piſcis obmutuit.

XVIII. Probatur tertiò ex communi ſenſu & experientia. Nam ſi ita ſe habet res. Cur inter illos, qui S. litteras recipiunt, de prioris generis veritatibus nullæ unquam: de poſterioris autem innumeræ ſemper controverſiæ exoriuntur? De Juſtificatione viginti diverſiſſimas ſententias eſſe ſecundùm ſcripturam inter ſolos Confeſſioniſtas fatetur Oſiander Apolog. contra Philippum. Circa ſola illa verba Matth. 26. v. 26. *Hoc eſt corpus meum* & v. 28. *Hic eſt Sanguis meus.* Chriſtophorus Raſpergerus ducentas hæreticorum Interpretationes collegit, & peculiari Libello Ingolſtadij 1575. impreſſo vulgavit. Cur priores veritates totus Chriſtianus populus unanimiter admittit: in poſterioribus autem eruendis, illuſtrandis, confirmandis omnes Scholæ & DD. cujuslibet Religionis aſſiduè deſudant? Cur in his errant tam multi: in illis nemo? profectò alia ratio aſſignari non poteſt, quàm quod priores illæ veritates clarè & perſpicuè in Scripturis ſunt expoſitæ: poſteriores autem deliteſcunt dubiæ & obſcuræ, in quibus idcirco Judicem & Interpretem quærere debemus. Hinc ingenuè confitetur Lutherus in Præf. operat. in Pſal. *Ignorare ſe, an legitimam habeat, nec ne, intelligentiam pſalmorum: & impudentiſſimæ temeritatis arguit eum, qui audeat profiteri, unum ſcripturæ locum à ſe in omnibus partibus intellectum.*

XIX. Confirmatur Veritas noſtra ex eo, quod DEUS, ſicut in alijs rebus, ita etiam in Eccleſia voluerit ſervare ordinem ad Epheſ. 4. v. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti; ideſt, Eccleſiæ.* At hic ordo non ſervaretur, ſi ſcriptura eſſet tam clara ac perſpicua, ut ab omnibus intelligi & explanari poſſet. Eſto igitur Sac. Scriptura ſit clara in ſe, cum à Patre Luminum ſit profecta: minimè tamen eſt clara ad nos homines relata, ſed requirit magiſterium Eccleſiæ, ut unuſquiſque neceſſaria certò intelligat, uti bene advertunt DD. à Walenburch Tom. 1. à pag. 611. fusè hac de re tractantes.

XX. *Doctrina ſexta.* Obſcuritas Sac. Scripturæ ex duplici Capite provenit. *Primò.* ex rebus, de quibus agit; ſunt enim frequenter res ſublimes & cœleſtes, quæ ſub ſenſum non cadunt, atque idcirco illas imbecillitas noſtra non capit juxta illud Chriſti Joan. 3. v. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia credetis.* Sunt etiam aliquando res longinquitate temporis à nobis diſtantes, ut futuræ extremis Antichriſti temporibus, & quæ olim fuerunt in veteri lege, & ante illam; hæ profectò non poſſunt non afferre difficultatem & obſcuritatem propter illius ævi à nobis diſtantiam, & propter ignorationem aliarum circumſtantiarum.

XXI. *Secundò* provenit ex modo eaſdem res proponendi & explicandi. Nam Sac. Scriptura abundat metaphoris, allegorijs, catecreſibus, antiphraſibus &c. multáque Symbolis involuta de induſtriâ proponit, ſicut facit David Pſal. 77. v. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri:* ubi per ſymbolum columbæ propè jam captæ, ſed celeri pennarum volatu præſens periculum evadentis indicat felicitatem filiorum Eccleſiæ Chriſtianæ & terminis & manibus hoſtium (à quibus comprehenſi videbantur) adjutorio divino velociter evadentium. Quid hoc ſenſu abſtruſius & obſcurius? & tamen tales obſcuritates ſimplices comparativè & illativè plurimæ in Sac. Scriptura reperiuntur, quomodo ergo clara abſolutè dici poterit.? videri poteſt Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 1. Q. 5.

XXII. Sed cur DEUS Sacram Scripturam adeo voluit obſcuram? Dico breviter, voluiſſe, tum ne vileſceret, tum ut honeſtam in hominibus excitaret in illâ ſcrutandâ occupationem, tum ut ex difficultate creſceret ſtudij ejus delectatio, tum ut altiùs mentibus noſtris inſigeretur diu quæſita & verſata, tum ut in Eccleſiâ ſervaretur ordo inter DD. & diſcipulos, inter Paſtores & oves, inter Presbyteros & Laicos, qui ordo, ut paulò ſupra dixi, non ſervaretur, ſi Sac. Scriptura eſſet tam clara, ut promiſcuè ab omnibus intelligi poſſet, 1. Corinth. cap. 12. v. 29.

ad

ad Epheſ. 4. v. 11. cit. & Malach. 2. v. 7. ubi dicitur: *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent &c.*

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

XXIII.

PRimus eſt Gerhardi lib. 2. Part. 1. fol. 168. & omnium aliorum modernorum Sectariorum, ſenſum duntaxat Literalem admittentium, Myſticos quoſuis tanquam nugas & inſanias deridendo. Nituntur his argumentis. Tum quia fundamentum fidei oportet eſſe certum, quales non ſunt myſtici, ſed varij & incerti. Tum quia ipſimet D D. Pontificij fatentur, ex myſtico ſenſu non peti argumentum firmum. Tum quia varietas & pluralitas ſenſuum parit æquivocationem, quæ vim argumenti minuit.

XXIV. Contra hunc errorem eſt, quod non ſolùm SS. Patres ſed etiam D. Paulus Apoſtolus ijs frequenter uſus fuerit, & 1. ad Corinth. 10. v. 11. affirmet, totum Vetus Teſtamentum eſſe plenum ſenſibus myſticis, *hæc omnia*, inquit, *in figurâ contingebant illis; ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram*; etſi fatendum, cum ex figura veteris teſtamenti in novo Teſtamento explicata ſumitur argumentum, jam non ſolùm à ſenſu myſtico, ſed literali quoque declarante myſticum depromi argumentum.

XXV. Imò DEUS nonnunquam magis intendit ſenſum myſticum, quàm litteralem; aliàs multa ejus præcepta in veteri teſtamento tradita & litteraliter ſolùm conſiderata viderentur indigna divinâ ſapientiâ, & majeſtate, niſi latentia myſteria inſpexiſſet v. g. Sacrificium Agni Paſchalis Exodi 12. tot ceremonias requirebat, quæ prorſus ad DEI cultum nihil pertinere viderentur, niſi figuram Chriſti geſſiſſent; nempe Agnus debuit decimo die menſis quatriduo ante immolationem præparari; quid hoc ad rem? quid intereſt, quo die paretur? nempe Chriſtus quatriduo ante Paſſionem Hyeroſolymam erat ingreſſurus: deinde debuit aſſari, non elixari ad ſignificandum, quod Chriſtus ſicciſſimè ſine omni ſolatio eſſet moriturus: inſuper ſanguis ejus quatuor locis poſtium fuit aſpergendus, ſcilicet in formam crucis: nec os ejus frangere licebat, quia Chriſto nullum erat frangendum, ut ſignatè notat Joan. cap. 39. v. 36. Apertè igitur Scripturæ repugnant, qui myſticam hanc explicationem tollere laborant.

XXVI. Reſpon. Ad Primum. Fundamentum fidei utique debere eſſe immotum & certum. Atqui tales ſunt etiam ſenſus myſtici, ſi de ijs vel ex declaratione Eccleſiæ, vel ex communi interpretatione Patrum, vel aliunde ſatis conſtet. Ad ſecundum. Doctores Pontificios fateri ex myſtico ſenſu non peti argumentum firmum regulariter, & à toto genere; quippe non conſtat in particulari de ſenſu myſtico cujuſque loci Scripturæ; & ſi quando conſtat, non tam ex ſpirituali quàm litterali ſenſu petitur argumentum. Ad Tertium negando aſſumptum; modò conſtet, quonam ſenſu verba ad argumentum accommodentur; perinde ut æquivoca verba vim argumentationis minimè impediunt, ſi modò determinatè conſtet, quo ſenſu illa uſurpentur. Ita multiplicitas etiam ſenſûs Spiritualis adjuncti ad litteralem efficaciam argumentationis non impedit, quia hi duo ſenſus ſubordinantur; ſpiritualis enim fundatur in litterali, ut ait S. Thom. cit. a. 10. ad 1.

XXVII. Cæterùm huic errori conſentit Apologia Confeſſionis Auguſt. Tit. de Sacrificio Miſſæ, ubi dicitur: *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Interim tam Calviniſtæ aliique Sectarij, quàm Lutherani parùm memores hujus ſuæ Doctrinæ, quando de Pontifice agendum eſt, perpetuis iiſque plerumque ineptiſſimis allegorijs ex Daniele & Apocalypſi petitis convincere ſe poſſe temere exiſtimant, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. Videri poteſt Tanner Parte 2. Anatomiæ Confeſſion. Auguſtanæ, Demonſtrat. 5. §. 22. à N. 238.

XXVIII. *Error ſecundus.* Tota Biblia eſſe clariſſima, & à quolibet facilè intelligi poſſe: Sic Scribit Lutherus L. de ſeruo arbit. *De tota Scriptura dico, nullam ejus partem volo obſcuram dici.* Petrus Molinæus fol. 3. ſui operis tradit: omnia, quæ credi oportet, ita dilucidè in Sac. Scriptura exprimi, ut nullâ declaratione indigeant. Idem ſentiunt plerique alij Sectarij nominatim Meno Hanneken in ſuo Irenico Fol. 611. Gerhard. Lib. 2. Part. 1. à fol. 161. & Ameſius Tom. 1. à. fol. 37. hoc tamen addito, quod Scriptura, etiamſi alicubi ſit obſcura, tamen illud ipſum alibi clariſſimè proponat. Probant falſam hanc ſuam opinionem: 1. ex Sac. Script. ubi hæc paſſim dicitur Lux, Lumen, Lucerna &c. quibus directè repugnat obſcuritas Pſal. 118. v. 15. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* 2. Petri 1. v. 19. *habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ in Caliginoſo loco*, Pſal. 10. v. 9. *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Probant 2. ex PP. D. Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 6. ſcribit: *Magnificè & ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret: abſtruſioribus autem faſtidia detergeret; nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruit, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* S. Chriſoſt. Hom. 3. in 2. ad Theſalon. ita ſcribit: *Omnia clara ſunt & plana in Scripturis, quæcunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt.* Probat. 3. ſi Scriptura foret obſcura, videretur Deus ſtudio voluiſſe homines decipere, & in errores præcipitare eo modo cum illis loquens, quem ſciebat ab eis intelligi non poſſe. Conſequens repugnat ejus Bonitati. Ergo &c.

XXIX. Errorem hunc ipſi, qui eum committunt, reijciunt, cum paſſim fatentur Scripturam intelligi non poſſe ſine Spiritu Sancto & oratione præmiſsâ: aut etiam cum Kemnitio in Exam. 4. Seſs. Concil. Trid. dicant, *grati & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca* (obſcura ſcilicet) *commentarijs ſuis illuſtrârunt.*

Pro ſolutione bene notandum, Sacram Scripturam duobus modis conſiderari poſſe. 1. materialiter, prout in ſcripto jacet. 2. formaliter, prout ab Eccleſia & PP. declarata fuit; priore modo eſt obſcuriſſima in pluribus locis, ut parte præcedente oſtenſum: poſteriore modo eſt clara & aperta; quemadmodum fere Logica, alijque

que libri Ariſtotelis per ſe ſunt obſcuri: ſi verò iidem retè explicentur, & declarentur, perſpicui dici poſſunt, & ſic de facto Logica bene explicata fax omnium ſcientiarum dicitur. hoc notato.

XXX. Reſpon. ad 1. Sac. Scripturam dici Lumen, Lucem, Lucernam formaliter ſumptam, hoc eſt, probè declaratam & intellectam; quod advertens David Pſal. 118. v. 130. ait: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Eandem loqui etiam de neceſſarijs ad ſalutem omnibus hominibus doctis æquè ac indoctis, nimirum de præceptis decalogi, fide in Deum, & in Chriſtum JESUM &c.

XXXI. Ad 2. Patres ſimiliter non loqui de Scriptura ſecundum litteram, ſed jam declarata per Eccleſiam; quomodo enim aliàs ſcripturæ obſcuritatem tribuerent, quod tamen faciunt, ut videre eſt apud Bellarm. lib. 3. de Verbo DEI. cap. 8. Quomodo aliàs Chryſoſt. hom. 40. in Joan. Scripturam vocaret *theſaurum profundè reconditum?* quomodo aliàs Auguſt. diceret, *plura ſe in Scriptura neſcire, quàm ſcire?* adde Sanctum iſtum Patrem addidiſſe *ferè*, ut inſinuaret quædam in Sacris Litt. eſſe obſcuriſſima: item difficile eſſe repertu, ubi id, quod obſcurè dicitur, exponatur clariùs.

XXXII. Ad 3. Non repugnare divinæ Bonitati excæcationem rebellium & pertinacium ingeniorum per inintelligibilem obſcuritatem juxta illud Iſaiæ 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum;* quem locum adducit Chriſtus Matth. 13. v. 14. reddens rationem, cur tam obſcurè & in parabolis locutus fuerit. Interim DEUS hanc ipſam iracundiam miſericordiâ temperavit juxta Habacuc. cap. 3. v. 2. *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis;* ſuppeditavit enim media declarativa Scripturæ, ſcilicet Eccleſiam & Patres, quorum operâ, ſi quis uti velit, facilè poterit verum ſenſum aſſequi.

XXXIII. *Error tertius.* Scriptura eſt quidem obſcura, non tamen omnibus, ſed ijs tantùm, qui non ſatis attentè eam legunt, aut præjudicio, confidentiâ, invidiâ, odio, ambitione & alijs affectibus pravis faſcinati temerè in ſcripturæ interpretationem irruunt. Ita Luth. lib. de ſervo-arbit. Brentius in Prolog. contra Petrum à Soto. ubi ait, *Impijs & incredulis tantùm ſcripturam eſſe obſcuram.* Brochman de ſcript. c. 2. Q. 6. & Memo Hanneken, qui in Irenico ſuo fol. 615. inſuper requirit timorem DEI, invocationem Spiritûs Sancti, attentam orationem, & alia media.

XXXIV. Iſte error ſolùm impudentiam & temeritatem priori addit. Nam in primis impietatis, incredulitatis, variorum vitiorum, & neglectæ orationis, aliorúmque mediorum reos facit S.S. Patres & totam Eccleſiam primitivam Apoſtolicam, quæ Scripturas longè aliter interpretata eſt, quàm Lutherus, Brentius, Brochman, Ameſius, Gerhardus & Hanneken; quis autem credat, illa cacumina Eccleſiæ, Sanctiſſimos PP. Cyprianum, Irenæum, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, & alios innumeros illis vitijs, pravis affectibus, & negligentijs obnoxios atque in explicandis Scripturis hallucinatos fuiſſe: hos autem homunciones ſolos divino Spiritu repletos; puros, & innocuos Sacrarum Litterarū genuinum ſenſum penetraſſe. Et nunquid extremæ impudentiæ cenſeri debet, quod homo quiſpiam obſcurus, qui nullam infallibilitatis promiſſionem à DEO ſibi factam oſtendere poteſt, judicium & interpretationem ſuam præferre univerſæ Eccleſiæ Apoſtolicæ auſit? quæ Eccleſia ex promiſſione DEI falli & errare neſcit.

XXXV. Deinde idem Error non ſolùm omnes modernos DD. Catholicos: item omnes Calviniſtas, ſed etiam pleroſque cæteros Lutheranos, cum quibus ipſi in ſcripturis explicandis v. g. de ubiquitate Corporis Chriſti minimè conveniunt, eorundē vitiorum, pravorum affectuū, & negligentiarum incuſat; ſi enim Luther, Brentius, Brochman & Hanneken ſcripturas rectè intelligant, alij omnes aliter ſentientes errent, neceſſe eſt; ſi autem errant, ſcripturæ ipſis obſcuræ ſunt propter ipſorum impietatem, incredulitatem, negligentiam &c. Demum ſi Sacræ Litteræ ad rectam ſui intelligentiam requirant tantum fidei ardorem, tantam vitæ innocentiam, tantam affectuum puritatem, atque orationis devotionem pro Spiritus S. illuminatione impetranda, quomodo non ſunt intellectu difficiles & obſcuræ? aut aperti clarique textus tantis impendijs indigent, ut rite percipiantur? quapropter error iſte à priore non eſt alius, ſed ſolum impudentior.

XXXVI. Dicunt. 2. ad Corinth. 4. v. 3. ſcribere Apoſtolum. *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum: in ijs, qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij, gloriæ Chriſti, qui eſt imago DEI.* Unde ſic ratiocinari licet: Sacra Script. eſt Infidelibus operta. Ergo Fidelibus non eſt operta, ſed clara. Reſpon. negando conſeq. Nam Apoſtolus non loquitur de Scriptura, ſed de ſua prædicatione indicans, Infideles propter excæcationem mentis non credere, Chriſtum veniſſe in hunc mundum, & pro nobis paſſum & mortuum eſſe: fideles autem hoc credere auditâ illius prædicatione; ideóque Evangelium ſeu prædicationem hanc ſuam iſtis fidelibus eſſe claram, illis infidelibus autem opertam. Videri poſſunt Tirinus in cit. locum, ubi pro noſtro reſponſo S. Thom. allegat: Item DD. à Wallenburch Tom. 1. ubi pag. 659. de hoc Apoſtoli textu fusè agunt.

XXXVII. *Error quartus* eſt multorum Sectariorum hoc tempore tam Calviniſtarum, quàm Lutheranorum aſſerentium, Sacram Scripturam multis quidem locis obſcuram, attamen in rebus ſcitu neceſſarijs perquam claram eſſe. Non autem inter iſtos convenit. Nam, ut videre eſt apud cit. Authores pag. 650. aliqui aſſerunt id abſolutè reſpectu cujuſque mentis tantùm ſuæ compotis: alij reſpectivè, intuitu ſolùm regenitorum. Probant maximè ex illo Pauli ad Rom. 10. v. 6. 7. & 8. *Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cælum, Chriſtum deducere? aut quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt Chriſtum à mortuis reducere? prope eſt verbum in ore tuo, & corde tuo, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus.* Ergo omnia, quæ ſunt de fide Chriſtiana, clara ſunt in corde & ore omnium vel abſolutè, vel reſpectu regenitorum.

XXXVIII. Error iſte (abſolutè loquendo, non reſpectivè de Renatis tantùm) paulò eſt modeſtior; ſi enim dicere vellent, Sac. Scripturam in

rebus

rebus ſcitu neceſſarijs claram eſſe poſt Eccleſiæ interpretationem, non procul à veritate abeſſent: at vero remotâ Eccleſiæ declaratione, quam ipſi non curant, à veritate deviant. Nam Inprimis ex ſola Scriptura ſcire non poſſumus, quinam libri ſint Canonici: item quinam Articuli fidei omnibus neceſſariò ſint credendi. Deinde etiam in illis articulis, quos ipſimet Adverſarij pro neceſſarijs agnoſcunt, magna eſt obſcuritas, & quod uno loco clarè dictum videtur, in alijs obſcuratur. Nunquid clara ſunt hæc verba Matth. 26. v. 26. *Hoc eſt Corpus meum*, & realem Chriſti præſentiam apertè indicant, ſed alibi obnubilantur Joan. 6. v. 36. *caro non prodeſt quidquam.* Joan. 12. v. 8. *me autem non ſemper habebitis.* Unde ipſi etiam Sectarij acerrimè inter ſe digladiantur, Lutheranis veram realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia aſſerentibus: Calviniſtis eandem negantibus. Similiter Juſtificatio hominis alibi ſoli fidei adſcribi videtur ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*: alibi verò etiam opera requiruntur ad Rom. 2. v. 13. *factores legis juſtificabuntur.* Joan. 2. v. 29. *qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* Ergo nec in articulis fidei ſcitu neceſſarijs ſcriptura ſecundum ſe ſpectata eſt clara. Et unde quis novit, ſe regenitum, & Eccleſiam ſuam eſſe Regenitorum? quo lumine? quâ gratiâ Spiritûs Sancti? quâ neceſſariâ ipſi ſuiſque conſortibus præcæteris illud lumen ſit collatum? Et quid ſi alius ex alia Secta idem lumen tibi neget, & ſibi collatum affirmet, quo argumento illum refelles? an non mera hæc ſunt Enthuſiaſtarum ſomnia?

XXIX. Reſpon. ad probationem, vel ex iſto adducto loco apparere, Sac. Scripturam obſcuram eſſe, dum illum minimè capiunt Adverſarij. Nam ut videre eſt apud Cornelium à Lapide, Tirinum & alios Interpretes, agit hic loci Apoſtolus contra Judæos Legi aſſuetos, ſic quaſi eos alloquens: ne dicatis ô Judæi ad certitudinem fidei & juſtificationis opus eſſe præſente Chriſto, ut eum videamus, ejuſque aſpectu ſanemur, & juſtificemur, ita ut vel è cœlis, vel ex inferis revocatus ſit, hoc inquam, non arbitremini à vobis poſtulari; quippe vicinus & facilis jam eſt juſtificationis modus, ac prope nos eſt verbum (juſtitiæ & ſalutis) ſcilicet ſi corde veſtro in Chriſtum mortuum ac reſuſcitatum licet abſentem credatis, atque ore eundem profiteamini; & hunc Chriſtum vobis annunciamus. Iſte ſenſus uti clarus & certus eſt, ita minimè favet Adverſarijs, ſed nobis, dum conſtat, ab illis non intelligi, adeóque iiſdem eſſe obſcurum. Claudat Controverſiam hanc, & os Novatoribus atque aſſeclis ſuis Lutherus duobus diebus ante mortem ſuam, referente Aurifabro in menſalibus Lutheri cap. 1. ita fatus: *Scripturas S. ſciat ſe nemo deguſtaſſe ſatis, niſi centum annis cum prophetis, ut Elia, & Eliſæo, Joanne Baptiſta, Chriſto, & Apoſtolis Eccleſias gubernarit.*

):(IHS.):(

CONTROVERSIA VI.

DE USU SACRAE SCRIPTURAE.

DUo ſub hoc titulo comprehenduntur. Lectio privata Sac. Scripturæ in vulgaribus linguis Germanica, Gallica, Anglica &c. Et Reverentia SS. Litteris debita; prius horum maximè reprehendunt Sectarij & inde etiam S. Scripturas parùm à Catholicis æſtimari arbitrantur; propter quod etiam poſterius tractandum.

PARS PRIOR.

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Non licet Biblia in vulgaribus Linguis edi, vendi, legi ſine facultate Epiſcoporum. Ita ſtatutum in Indice Librorum prohibitorum, qui Concilio Tridentino ſubjungi ſolet. Reg. 4. quod interdictum per DD. certos à ſummo Pontifice ad id deputatos confectum, licet per ſe vim legis non habeat, tamen per approbationem pontificiam vim legis obtinuit; quia Pius IV. Clemens VIII. illud judicium cum omnibus regulis ſuis approbarunt, & ab omnibus ſervari juſſerunt; Ita autem ſe habet regula illa quarta: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari linguâ paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſletur, ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarij Bibliorum à Catholicis Auctoribus verſorum lectionem in vulgari linguâ eis concedere poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atq; pietatis augmentum capere poſſe; quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere ſeu habere præſumpſerint, niſi Biblijs priùs Ordinario redditis, peccatorum remiſſionem percipere non poſſint.*

II. Porro non omnibus expedire legere Biblia, docet experientia. Refert Thomas Waldenſis lib. 2. cap. 70. & 73. apud Wicleffiſtas ex licentia legendi Sac. Scripturam Mulieres auſas fuiſſe non abſque Ordinariorum contemptu & riſu publicè Biblia interpretari & concionari. Idem de Huſſitis ſcribit Cochlæus lib. 1. & 4. Hiſtoriæ Huſſiticæ. Cum Waldenſes circa Annum 1160. exurgentes S. Biblia in linguam Gallicam & ipſe Wicleff in Anglicam transferrent, quales tumultus, Deum immortalem, in utroque regno fuerunt moti! Cum enim indocti & audaces non intelligant, quæ legunt, putent tamen ſe intelligere, & quod ſemel apprehendunt, non patiantur ſibi eripi, facilè in varios & pernicioſos labuntur errores; unde ſapientiſſimè factum eſt illud interdictum. Oſtendit etiam Sanchez. in Libros Regum fol. 82. Judæis totam ſcripturam vulgariter non eſſe permiſſam, ſed aliquot libros prohibitos ante 30. annum ætatis, præſertim Canticum Canticorum; quid igitur mirum

Digitized by Google

mirum, ſi à Chriſtianis ſimilis cautela adhibeatur. Ne tamen iſtud ſcrupulos pariat, aliquot notandæ ſunt limitationes ſeu exceptiones.

III. *Prima.* Nemini interdictam eſſe lectionem Bibliorum in tribus primarijs linguis Hebraica, Græca & Latina; ut cum Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 16. & alijs notant Forerus in antiquo Papatu lib. 1. Q. 23. §. 2. v. 11. & Jacobus Gretſcherus in defenſione Bellarm. lib. 2. cap. 15. pag. 719. Nam cum hæ linguæ iſto tempore nuſquam ſint vernaculæ, ſed tantùm doctis cognitæ, non tantum exiſtit periculum ex earum lectione; quia docti tanquam prudentiores viſâ difficultate obſcuriorum ſententiarum ſolent intellectum cohibere, nec temerè & præcipitanter judicare.

Secunda. Hæreticis de fide dubitantibus, aut fidem vel hujus veritatem indagantibus non eſſe prohibitam vulgarem Bibliorum lectionem. Nam Eccleſiæ mens non fuit, eos hoc interdicto complecti, ut conijcitur ex intentione Pontificum, qui hâc lege voluerunt animarum ſaluti proſpicere, & nullo modo hæreticorum converſionem impedire; quippe qui non facilè converti poſſunt, niſi permittatur illis collatio fidei noſtræ cum Scriptura, quam ipſi unicam fidei regulam arbitrantur.

IV. *Tertia.* Hodie in Germania & alijs Regionibus ſeptentrionalibus omnibus permiſſa eſt lectio Bibliorum vernaculorum. Ita Paulus Layman in Theol. Moral. lib. 2. Tract. 1. cap. 15. prope finem, & præter alios Nicolaus Serrarius in Prolog. Biblicis cap. 20. Q. 3. ubi ait: non puniri, qui in Germania noſtra nullâ diſertâ petitâ facultate Biblia vulgata & vernacula Eggij aut Dietenbergij (quibus adde Moguntiana recèns edita) legunt. Ratio eſt, quia lectio hæc Bibliorum in his partibus planè eſt neceſſaria Catholicis in medio hæreticorum viventibus, ut ijſdem aſſiduò biblicas ſententias malè intellectas crepantibus occurrere poſſint. Verſio autem Germanica Lutheri & aliorum hæreticorum prorſus interdicta eſt; imò etiam Latinæ verſiones hæreticorum præſertim novi Teſtamenti, cujuſmodi ſunt Sebaſtiani Münſteri, & Oecolampadij, Tigurina, Leonis Judæ Vatabli nomine inſcripta, Caſtalionis Baſileæ inſcripta, Tremelij Genevæ edita &c. Nec habent Sectarij, cur conquerantur, quod eorum Biblia prohibeamus; ipſimet enim cauſam dederunt, dum illa pluribus in locis imminuerunt, corruperunt, & falſis gloſſis perverterunt, atque ita verificatum eſt vetus illud dictum: mali mores faciunt bonas leges.

V. Sed unde conſtat, licere Catholicis in partibus ſeptentrionalibus legere Biblia in lingua vernacula edita? Reſpondent aliqui, conſtare ex tacito permiſſu Epiſcoporum; cum enim iſti videant, hujuſmodi Biblia in omnium manibus verſari, & non contradicant, nec puniant, cenſentur tacitè indulgere. Sed contra hoc eſt, quod in Indice Librorum prohibitorum videatur Epiſcopis ablata facultas hujus conceſſionis; nam in obſervatione circa quartam regulam ſic dicitur: *Advertendum, nullam de novo tribui facultatem Epiſcopis, concedendi licentiam legendi aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita, cum hactenus mandato & uſu Sacræ Romanæ & univerſalis inquiſitionis ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentiam, quod inviolatè ſervandum.* Hinc Layman loc. cit. alijque DD. cenſent, Indicem Librorum prohibitorum cum ſuis regulis non eſſe receptum in ſeptentrione, ideóque non obligare. Verùm hoc etiam difficultate non caret & graviùs Romæ accipitur. Quare ut cautiùs & meliùs procedamus. Dicendum, etiam Summum Pontificem tacitè conſenſiſſe, quandoquidem Nuntij Apoſtolici paſſim per Germaniam ſparſi & alicubi Reſidentes, ut Viennæ in Auſtria, Coloniæ in Inferiori Germania, Lucernæ in Helvetia, utique viderunt Conſuetum uſum vulgarium Bibliorum & Romam perſcripſerunt, unde nulla nova prohibitio venit, ſed diſſimulatum fuit, quod eſt loco tacitæ conſenſionis; etenim hoc modo leges etiam receptæ in deſuetudinem abeunt, ſuámque obligandi vim perdunt. Reſponſio hæc vel inde diſplicere non poteſt, quod ſimul & conſuetudinem receptam, & auctoritatem Indicis ſalvam ſervet, ideóque illâ aliquando uſus ſum ad ſimilem magni momenti difficultatem ſolvendam, ubi etiam alios Auctores pro eadem adduxi. Hinc reijciuntur vaniſſimæ objectiunculæ Dannhavveri, quæ videri poſſunt apud DD. à Walenburch Tom. 1. fol. 383.

VI. *Doctrina ſecunda.* Sacræ Scripturæ tanquam Verbo Dei debetur magna reverentia. Patet per ſe; Nam ſi litteras Pontificum Imperatorum Regum ac Principum magna cum veneratione accipimus, ori admovendo, vel etiam capiti imponendo, quid honoris non debemus ipſis Dei Libris ad nos miſſis? Hinc Eccleſia in Miſſis ſolennibus Evangelium oſculatur, & thus adolet. Olim in Concilijs Liber Evangeliorum in ſublimi Throno ponebatur, Chriſtum ipſum repræſentans, ſicuti in Concilio Chalcedonenſi præſente Marciano Imperatore factum teſtatur Card. Baron. Tom. 6. Anno Chriſti 451. S. Auguſt. æquiparat Sacram Scripturam venerabili Sacramento Euchariſtiæ, ut refertur in jure Canonico Capitul. 94. cauſa 1. Q. 1. Primi Chriſtiani maluerunt mori, quàm Sacra Biblia Gentibus dare comburenda, ut oſtendit Baron. in Martyrologio 2. Januari. Etiamnum hodie in Domibus Religioſis Lector menſæ ſemper primò legit Sac. Scripturam ſtando & detecto Capite, quod non facit in lectione aliorum librorum.

VII. *Doctrina tertia.* Huic reverentiæ Verbo DEI debitæ potiſſimùm tres abuſus repugnant. 1. cum verba & ſententiæ Sac. Scripturæ ad magicas ſuperſtitiones adhibentur; & de his non eſt dubium, quin ex genere ſuo ſint mortales. 2. Cum applicantur Sacræ Scripturæ ad ſortilegium, Biblijs caſu apertis rimando futuros eventus ex occurrentibus ſententijs; quod licet olim valde fuerit conſuetum, ut teſtatur Baron. Anno Chriſti 1052. tamen à graviori peccato excuſari non poteſt, niſi per ſpecialem inſtinctum fiat; quia aliàs continet manifeſtam Dei tentationem, petendo extraordinarias revelationes, & quidem ex præſcripto noſtro. Videri poteſt Suarez. Tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 12. 3. Cum ad Jocos ſcurriles & impuros ſermones uſurpantur, quod valde reprehendit Trident. Seſſ. 4. de uſu Sacrorum Librorum; ſi tamen joci non ſcurriles & impuri ſint, ſed honeſti, quantumvis leviuſculi, putarem talem uſum Sacræ Scripturæ non eſſe mortalem, quia non eſt magna irreverentia. Sed de his Theol. Morales.

PARS

Digitized by Google

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. *Error primus eſt.* Lectionem Bibliorum in quacunque lingua hominibus eſſe conceſſam; imò & præceptam. Ita Lutherani apud Gerhard. lib. 2. Part. 1. à fol. 246. Et ex Calvinianis Pet. Molinæus à fol. 223. Ameſius Tom. 1. à fol. 25. Et cæteri Sectarij hujus temporis omnes, qui velut pro aris & focis contendunt, Laicos à Scripturæ lectione etiam in vernaculâ linguâ non eſſe arcendos, ſed etiam invitandos. Addunt calumniam, quaſi interdictum hoc Concilij Trid. factum fuiſſet ex metu, ne per lectionem Sacrarum Scripturarum errores Pontificij deprehenderentur. *Ingens eſt Papæ tyrannis*, inquit Meno Hanecken in ſuo Irenico fol. 20. *Lectionem Bibliorum prohiberi Laicis, ne ex illa conſolationem hauriant, agnoſcendo DEI bonitatem ipſis oblatam, ſed in terrificis tenebris ſedere debeant.*

IX. Inprimis pro hàc ſuâ perversâ perſuaſione afferunt varia Teſtimonia Sac. Scripturæ. 1. habetur Deuteron. 17. v. 18. & Joſue 1. v. 8. ubi *præcipitur Regibus & Principibus, ut habeant & legant Librum Legis.* 2. habetur Iſaiæ 34. v. 16. *Requirite diligenter in lege Domini, & legite.* 3. habetur Joan. 5. v. 39. ubi Chriſtus Judæos *ad Scripturam ablegat: ſcrutamini Scripturas.* 4. habetur Actorum 17. v. 11. ubi laudantur Beröenſes, quod *quotidie ſcrutati ſint Scripturas.* Deinde afferunt aliquorum PP. dicta. S. Chryſoſt. Hom. 9. in Epiſt. ad Theſſal. ubi ſic loquitur: *audite, obſecro ſæculares, comparate vobis Biblia, audite quicúnque & uxori ac liberis præeſtis, quomodo vobis mandet Apoſtolus legere Scripturas.* Similia habet Hom. 3. de Lazaro & alibi. Item Origenes Hom. 2. in Exod. Hieron. in Epiſtolis ad Salutinam, ad Furiam, ad Lætam, ad Demetriadem & in Epitaphiô Fabiolæ. Auguſt. lib. 6. Confeſſ. lib. 5. Gregorius Nazian. in Epitaphio Gorgoniæ &c. unde ſic arguunt. Quidquid antiqui Patres conſuluerunt, non eſt ab Eccleſia prohibendum, ſed antiqui PP. conſuluerunt Lectionem Scripturæ etiam mulieribus. Ergo non fuit prohibenda. Demum ſic diſcurrunt. Litteræ ad omnes Scriptæ, & Teſtamentum pro omnibus factum ab omnibus eſt legendum, quorum intereſt, ne ab alijs decipiantur. Sed Scriptura eſt quaſi Dei Epiſtola ad omnes Scripta, & teſtamentum pro omnibus factum. Ergo omnibus legenda.

X. Confirmant. In aliquibus locis Catholicis omnis generis impuri libri impunè leguntur, ſolùm Sacra Dei Biblia prohibentur. Ita nominatim Molinæus fol. 225.

XI. Contra Errorem hunc jam ſupra dictum fuit, non interdici Bibliorum lectionem in Hebraica, Græca, & Latina lingua, imò nec in vernacula doctis & prudentibus, ſed ſimplicibus ſolùm & indoctis, qui teſtificante S. Petro Epiſt. 2. c. 3. v. 6. *Scripturam Sacram depravant ad ſuam ipſorum perditionem*; Unde laudantur Conſtantinus Magnus, Carolus Magnus, Alexius Comnenus Imperator. Stephanus, Alphonſus, Philippus III. Reges in Ungaria, Aragonia, Hiſpania & alij ſapientiſſimi viri, quod diligenter frequenterque legerint Sac. Scripturam; ſi autem metus apud Pontificem eſſet, ne ejus errores deprehenderentur, potius his Sapientibus, quàm ſimplicibus prohibitio fieret, cum faciliùs iſti Sapientiſſimi homines notare errores poſſent.

XII. Reſpon. 1. Ad Teſtimonia Sac. Script. ex his nihil evinci. Non ex Deuteron. 17. & Joſue 1. Tum quia hoc mandatum non ſpectat ad Chriſtianos. Tum quia ex Lege Moyſis malà eſt argumentatio ad totam Scripturam. Tum quia Reges iſti & Principes ſunt ſapientes & docti. Non ex Iſaia. Quia ibidem loquitur Propheta non de tota Scriptura, ſed tantùm de ſuis Prophetijs, ut ex Hieronymo & alijs notat Tirinus. Non ex Ioanne. Tum quia tam græcum verbum ἐρευνᾶτε, quàm latinum ſcrutamini & pro indicativo & pro imperativo modo intelligi poteſt. Tum quia loquitur Chriſtus non omnibus, neque idiotis, ſed ſolùm ſcribis & peritis Legis. Non ex Actis. Quia inde non ſequitur, liberum eſſe cujuis etiam Laico & Idiotæ de ſcripturis judicium. Nam Beröenſes erant nobiliores ex Judæis Theſſalonicæ commorantibus; nobiliores, inquam, non ſolùm proſapiâ, ſed & indole, & generoſitate, ut Chryſoſtomus, Oecumenius & alij; unde promptiores ſe exhibuerunt ad capeſſendam Doctrinam Evangelij ſcrutantes Scripturas, ſi hæc, quæ à Paulo ex Scriptura afferebantur, ita ſe haberent. Ex his igitur aliſque Scripturæ locis clarè apparet, oſtendi non poſſe in Scriptura præceptum legendi Biblia tota vulgariter impreſſa.

XIII. Reſpon. 2. Ad Patrum dicta, quando PP. hæc ſcripſerunt, longè alium fuiſſe rerum ſtatum, & conditionem. Nam 1. tunc lingua græca & latina fuit vulgaris, ut non opus eſſet vernaculâ. 2. illi PP. nondum experti fuerunt pericula plebis ex lectione Sac. Scripturæ, quæ nunc in occaſionem hæreſum emerſerunt. 3. nullum adhuc exierat Eccleſiæ interdictum. 4. homines erant aliter conſtituti & firmiores in fide, quàm his ultimis temporibus. Quod ſi omnes Laici forent, ſicut fuerunt Paula Romana, Fabiola, & aliæ fæminæ, quibus S. Hieronymus lectionem Scripturæ ſuaſit, aut propter hanc laudavit, libenter etiam hodie ſcriptura S. legenda omnibus in vernacula linguâ permitteretur, nunc autem, ut ſapientiſſimè ait Gregorius, in vulgo non requiritur ſcientia, ſed bona vita. Nam quod uno tempore prodeſt, non ſemper prodeſt; bona eſt medicina & juvat ægrotos, bene valentibus nocere poteſt; vinum ſuo tempore lætificat cor hominis, aliquibus infirmis eſt venenum, & mortem affert juxta illud antiqui Poetæ.

Temporibus medicina valet; data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

XIV. Reſpon. 3. Si omnes poſſent legere & intelligere, concedi Majorem: Secus negari. Sed Scripturam multi non poſſunt legere, multò minus intelligere, ut ex dictis conſtat; quare magis decet, ut alijs doctioribus fidant. Hinc aurea verba S. Auguſt. Lib. contra Epiſt. fundamenti c. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

XV. Ad confirmationem dicimus, hanc aperti mendacij convinci ab Indice Librorum prohibitorum, ubi regulâ 7. expreſſis verbis omnes impuri libri prohibentur, ne bonos mores corrumpant, cum non ſolùm ad fidem, ſed etiam ad

H vitam

Digitized by Google

vitam & bonos mores attendi oporteat. Videri poteſt Forerus in antiquo Papatu Part. 1. à fol. 683.

XVI. *Error ſecundus eſt.* Sacram Scripturam à Romanis vilipendi, tanquam matricem litigij inhonoratam, ſub ſcamno negligi, tractari velut naſum cereum, regulam plumbeam, illius loco in omnibus Academijs & Cathedris doceri Platonem & Ariſtotelem, ſubtiles diſtinctiones Magiſtri ſententiarum, Seraphici Doctoris Aquinatis, & obſcuri Scoti (ut nomen hujus ſonat) ſermones Diſcipuli, quorum titulus: dormi ſecurè, & hujuſmodi humanas inventiones, imò Sacræ Scripturæ falſa affingi v. g. Purgatorium, Indulgentias, Invocationem Sanctorum &c. Ita paſſim hæretici non ſolùm ſcribunt in libris, ſed etiam in pulpitis ac plateis clamitant, atque imperitæ plebi inſtillant abſque alia ratione & probatione, ſolùm ut Romanam Eccleſiam & Doctrinam apud ſuos faciant exoſam.

XVII. Contra Errorem iſtum & apertiſſimam calumniam. Inprimis ſunt Biblia Sacra maximis ſumptibus ante tempora Lutheri in lucem edita cum gloſſis, Commentarijs, Concord. &c. Item ordinariæ Lectiones S. Scripturæ in Breviario, ſeu Horis Canonicis & Gradus Theologici, ac nominatim Baccalaureatus Biblici in Academijs. Deinde Magiſtri Sententiarum diſtinctiones nihil ſunt aliud, quàm interpretatio Articulorum Fidei & Scripturæ Sacræ ex doctrina SS. Patrum. Summa S. Thomæ Aquinatis (quem nos non Seraphicum, ſed Angelicum appellamus) eſt re ipsâ methodicus Commentarius Sac. Scripturæ, dum S. Doctor omnia pro poſſibilitate in Sac. Scriptura fundat, & ad iſtam dirigit. Scotus (cujus nomen non obſcurus, ſed ſubtilis exponitur) pari modo nuſquam Sac. Scripturam ſepoſuit. Si Gerhardus, Ameſius, Tobias Wagner, Meno Hanneken aliique Prædicantes atque iſtarum calumniarum fabri Catholicorum Scriptorum poſtillas ac homilias ſacras (quæ ante Lutherum in magno numero fuerunt in lucem editæ ac impreſſæ) abſque animi perturbatione imò perverſione legiſſent, aut adhuc legerent, plus allegatæ ac declaratæ ſcripturæ in ijs reperirent, quàm in Concionibus Magiſtri ſui Lutheri. Plato & Ariſtoteles jure meritiſſimo in Philoſophia æſtimantur, & habentur tanquam Magiſtri, atque ex eorum libris ea depromuntur, quæ ex lumine naturæ declarationi fidei ſeruire valent.

XVIII. Quare Lutherus Nos Romano-Catholicos non in Biblia tanquam librum ignotum ac ſub ſcamno latentem vocavit, ut vanè ſpargunt hæretici, ſed ad arma induenda adverſus ſuam hæreſin excitavit. Demum hæreticum convitium eſt, nos Catholicos Sacræ Fidei noſtræ dogmata de Purgatorio, Indulgentijs, honorandis & invocandis Sanctis &c. Sacræ Scripturæ affingere. Nam hos fidei Articulos ſuum in Scripturis ſolidum habere fundamentum, abunde hactenus probaverunt Romani ſcriptores, idque nos ſuis locis faciemus. Nec aliud unquam Sectarij oſtenderunt. Negare has veritates cum antiquis hæreticis potuerunt: oppoſitum ex Sac. Scriptura, S S. Patribus, Concilijs & ſanâ ratione probare nunquam valuerunt.

XIX. Reſtat quæſtiuncula; An Biblia ad Lutheranos à Catholicis venerint? Nolunt hodie admittere Sectarij, ut videre eſt in non-Catholico Papatu Jacobi Hailbrunner, ubi fol. 525. ſic ſcribit: *Nos habemus Biblia non à Papiſtis Romana Eccleſia, ſed ab ipſo Deo &c.* Sed rudem diſcipulum corrigit ipſemet Magiſter Lutherus Tom. 4. Jen. p. 320. Et Tom. 6. Jen. p. 92. hiſce Verbis: *Nos fatemur, quod ſub Papatu multum Boni Chriſtiani, imò omne Bonum Chriſtianum ſit, & unde pervenit ad nos; nempe veram Scripturam, verum Baptiſmum &c. fatemur eſſe in Papatu.* Ecce quod diſcipuli negant, apertè affirmat Magiſter. Si ergo noſtra ſint Biblia, & in Eccleſia noſtra Romano-Catholica ab Apoſtolis relicta fuerunt tanquam pretioſum Depoſitum, nobilis Poſſeſſio, dives Hæreditas. Vos Lutherani & quiuis alij Sectarij non habetis eadem Biblia, niſi furtim à votifrago Apoſtata Luthero exportata: niſi ſacrilegè corrupta & vitiata ab eod. Luhero Patre veſtro: niſi impiè uſurpata contra genuinum ſenſum, quem Spiritus Sanctus primitus intendit, ac ſemper hactenus retinuit, retinétque Sancta Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. Videri poſſunt D D. à Walenburch Tom. 1. pag. 877. ubi ex Tertulliano fusè oſtendunt, poſſeſſionem Sac. Scripturarum Catholicis competere. Nos brevitati conſulimus.

CHRISTUS.

IN hac nobiliſſima Materia S S. Patres olim plurimùm atq, utiliſſimè laborârunt contra Samoſothenos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, & alios veteres hæreticos, eorum errores ſolidiſſimè refellendo & rejiciendo. Hodie cum Sectarij, in noſtris ſaltem partibus, à Catholicis in plerisque parùm diſſideant, iſtis breviter expeditis, ea ſolum exactiùs tractabimus, in quibus ijdem à Catholica Eccleſia doctrina diſcedunt, ſuis quaque Controverſijs complectendo.

CONTROVERSIA VII.

AN CHRISTUS SIT VERUS DEUS.

IN hac Conſideratione copioſi ſunt Theologi Scholaſtici cum S. Thoma in 1. & 3. Parte. ex quibus nos nonnulla libabimus & oppoſitos errores refutabimus. Nomine DEI intelligitur Ens, quo majus meliúſque excogitari non poteſt, adeóque illimitatæ perfectionis, primùm, à ſe ipſo exiſtens, à quo quidquid præterea exiſtit, dependet non ſolùm, ut à cauſa Efficiente, ſed etiam ut à Fine. Nomen verò Chriſti eſt græca vox, idémque quod *Unctus*, & ſecundùm etymologiam non eſt nomen proprium, ſed appellativum, quod pluribus convenit, præſertim Regibus & Prophetis, qui juxta ritum veteris teſtamenti inungebantur. At JESUS, de quo hic agimus, per antonomaſiam vocatur Chriſtus, Hebraicè Meſſias, quia non tantùm extrinſeco oleo, ſed internâ abundantiſſima gratiâ, imó ipsâ Divinitate inunctus, & ſanctificatus fuit.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIOR.

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Eſt, ſive exiſtit DEUS. Probatur 1. ex Sac. Scriptura. c. 13. Sapientiæ v. 1. dicitur : *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Scientia DEI, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neq; operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex.* Et paulò poſt v. 5. *à magnitudine ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Ad Rom. 1. v. 19. *quia quod notum eſt DEI, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit; inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.*

II. Probatur 2. à communi omnium populorum ſenſu; ſic enim Chryſoſtomus Hom. 1. ad populum Antioch. ſcribit : *Creatura tam clarè ſuum Conditorem prædicant, ut neque Scythæ neque Barbarus neque Indus neque ulla alia Gens ſit, quæ hanc vocem omni tubâ clariorem intelligere non poſſit.*

III. Probatur 3. Ratione metaphyſicè evidente. Cauſa improducta exiſtit. Deus eſt hæc cauſa improducta. Ergo Deus exiſtit. Major indè patet : Illud exiſtit, ſine quo impoſſibile eſt exiſtere effectus novos vel contingentes, quos experimur evidentiâ tum phyſica tum metaphyſica. Atqui ſine Cauſa prima improducta impoſſibile eſt eos exiſtere. Quod probatur. Si exiſtunt ſine cauſâ prima improducta, vel caſu incipiunt eſſe à ſe ipſis, & ſibi dant exiſtentiam; quod nemo ſanus dixerit : vel producunt ſe mutuò, quod eſt æquè falſum, ac quod pictor & pictura, pedes & ambulatio, faber & ſcamnum ſe mutuò faciant, ſintque phyſicum & reale medium præſuppoſitum volitivumque, ut abſolutè exiſtens ad obtinendam ſimul ſui & alterius exiſtentiam, à quo eandem accipere debent : vel producuntur in infinitum ab alijs atque alijs cauſis itidem productis, quod pariter falſum eſt. Nam ſic daretur infinitum actu in numero effectuum & cauſarum, quod eſſe chymericum, alibi demonſtratur. Deinde tota illa collectio cauſarum producentium ſimul & productarum cum ſuis effectibus eſſet etiam producta, ut fingitur. Ergo ab alio improducto ab hac collectione adæquatè diſtincto. Hoc Ens Improductum cæterorum omnium productivum eſt DEUS. Plures rationes afferunt Philoſophi & Theologi cum S. Thom. 1. Part. 2. art. 3.

IV. Ex hac neceſſaria Dei exiſtentia, ſequitur evidenter, Eum continere omnem perfectionem puram poſſibilem, nempe Infinitatem, Æternitatem, Immenſitatem, Omnipotentiam &c. Nam debet DEUS tanquam ens neceſſarium carere omni defectu, & nulli unquam poſſe prudenter diſplicere. At verò poſſet diſplicere, ſi careret aliquâ poſſibili perfectione purâ, ut patet ex notione perfectionis puræ, quæ vel eſt Ens omnium ſimpliciter optimum, vel habet identitatem realem cum tali Ente.

V. *Doctrina ſecunda.* DEUS eſt unus. Probatur 1. ex Sac. Scriptura : Deuter. 4. v. 39. *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipſe ſit Deus in Cœlo ſurſum & in Terra deorſum, & non ſit alius.* Ibidem cap. 6. v. 4. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt.* 1. ad Corinth. 8. v. 4. *Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.* Probatur 2. ratione. Tum quia, ſi plures eſſent Dij, unus careret perfectione alterius : non poſſideret perfectè per identitatem omnem perfectionem ſimplicem & puram : perfectiones forent diſſipatæ cum manifeſto defectu diviſionis : nec poſſent eſſe objectum perfectè amabile & beatificativum. Tum quia tolleretur perfecta libertas & dominium, utpote in plures diſperſum dependens & inadæquatum : eſſent diſcordes, vel unus neceſſariò vellet altero volente, Ubi ergo libertas? Hæc non procedunt contra pluralitatem Perſonarum, de qua mox, quia habent naturam, ſcientiam, dominium unicum &c. Tum quia Deus eſt infinitus, ſive incomparabilis, & immenſurabilis cum alio ente æque bono vel meliori à ſe, & à ſuis prædicatis divinis neceſſarijs realiter adæquatè diſtincto. Ergo non eſt, nec eſſe poteſt, niſi unus Deus; certè pluralitas deſtrueret infinitatem.

VI. *Doctrina tertia.* Dantur in DEO tres Perſonæ realiter diſtinctæ, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus Sanctus. Eſt de fide, & habetur, licet obſcurè, in veteri Teſtamento Geneſ. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ex quibus verbis Patres colligunt Myſterium trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, referendo Tò faciamus ad Perſonas : Tò noſtram ad Unitatem Naturæ. Clarè verò idem habetur in Novo. Matth. ultimo v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Joan. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ratio eſt, quia datur producens & productum : procedens & à quo procedit : mittens & miſſus, ut conſtat ex Joan. 8. v. 43. *Ego ex Deo proceſsi.* & ibidem cap. 15. v. 26. dicitur de Spiritu Sancto : *qui à Patre procedit, & à Filio mittitur.* Unde ſic argumentari licet : qui accipit eſſe ab alio : & mittitur ab alio, neceſſariò diſtinguitur ab eo, ſed Filius accipit eſſe à Patre : & Spiritus Sanctus ab utroque : Ille etiam mittitur à Patre : Iſte verò à Filio. Ergo diſtinguitur inter ſe Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

VII. *Doctrina quarta.* Chriſtus eſt verus DEUS. Ita omnes Chriſtiani. Probatur 1. ex Scriptura, cujus plura & luculenta teſtimonia adducit Card. Bellarminus lib. 1. de Chriſto à cap. 4. nobis unum alterumve ſufficiat. Iſaiæ 40. v. 3. *Vox clamantis in deſerto parate viam Domino, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Hæc de Deo Iſraëlis dicuntur ab Iſaia, nec enim Judæi alium Deum ac Dominum ſuum abſolutè vocabant, quàm unum verum Deum, & præſertim Prophetæ alijque SS. viri. At hanc vocem eſſe Joannem, qui præparavit viam Chriſto, teſtantur omnes Evangeliſtæ Matth. 3. Marc. 1. Luc. 1. Joan. 1. Ergo Chriſtus eſt ille Dominus & Deus Iſraël. Joan. 1. cap. 5. v. 20. dicitur de Chriſto. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Philipp. 2. v. 6. *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Hic videtur clariſſimè explicari, Chriſtum eſſe verum Deum, cum habeat formam, hoc eſt ex communi Veterum & Recentiorum Interpretatione, Naturam & Eſſentiam Dei, & ſecundùm illam non ſit rapinâ, ſed Naturâ æqualis Patri.

Digitized by Google

VIII. Probatur 2. ex conſenſu totius Eccleſiæ, quæ in tribus Symbolis Apoſtolico, Niceno, & Athanaſiano palam id profitetur, quibus conſonant Sybillarum teſtimonia, citata à Juſtino, Athanagorâ, Clemente Alexandrino, Lactantio Auguſtino & alijs veteribus frequentiſſimè; quin etiam Clemens lib. 6. Stromatum ante medium affirmat, Apoſtolum Paulum hortatum Gentiles ad Lectionem Sybillarum. Extat autem carmen Sybillæ Erithreæ celeberrimum, cujus capitales litteræ faciunt hanc ſententiam: JESUS CHRISTUS DEI Filius, Salvator, Crux &c. & concluditur hoc Diſtico.

Unus eſt æternus Deus: Hic ſervator & idem
Chriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

IX. Probatur 3. ex ratione. 1. Sumitur ex miraculis, quæ Chriſtus ad confirmandam Divinitatem ſuam geſſit, & tanta & talia ſunt, ut vel ſola cuilibet perſuadere poſſint, Chriſtum eſſe verum Dei Filium, juxtà ejuſdem verba Joan. 10. v. 25. *Quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Unde pulchrè D. Auguſtin. Tract. 24. in Joan: *Interrogemus*, inquit, *ipſa miracula, quid nobis loquantur de Chriſto, habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam. Nam quia ipſe Chriſtus Verbum Dei eſt, etiam factum Verbi Verbum nobis eſt.* 2. Sumitur ex integritate vitæ & doctrinæ Chriſti: Nam ſi falsò contendiſſet, ſe eſſe Filium Dei, fieri non potuiſſet, quin aliquem in doctrina errorem, atque etiam in vita & converſatione peccatum aliquando admiſiſſet. Atqui nihil tale potuit illi obijci à cunctis illius inimicis, quos ipſe, ut ſe, ſi poſſent, de peccato arguerent, etiã provocavit aiens: *quis ex vobis me arguet de peccato.* Joan, 8. v. 46. 3. Sumitur ex cladibus & calamitatibus tam multis, tam magnis, & tam diuturnis, quibus Judæi meritiſſimas à Chriſti morte pœnas exſoluerunt. Jeruſalẽ caput impietatis poſt internas cædes, & abominabilem famem, quâ ipſi mortales in alimentum ceſſerunt, à Tito Veſpaſiani Filio quarto obſidionis menſe expugnata non ſimul, ſed ut vinceretur ſæpius & everteretur funditus; primò capta inferior Urbs: pòſt biduo Templum, quod invito Tito incenſum: tandem Urbs ſuperior omniaque abolita ferro & flammis. Perierunt in obſidione Judæorum undecies centena millia; Captivorum nonaginta ſeptem millia abducti: tota in Imperio deleta Gens pervicaciſſima, ut, fatente Victore, Numen ipſum graſſaretur in victos. Si autem Chriſtus verè non fuiſſet Filius Dei, maximum proud dubio Judæi præſtitiſſent obſequiumDeo, illum tollendo, qui ſe fecit Filium Dei, vindicandóque gloriam Dei, quam ille iniquè ad ſe transtuliſſet.

X. Joſephus Judæus, ut ex ipſo refert Euſebius lib. 2. Hiſt. c. 22. cauſam hujus cladis reijcit in necem innocentis Jacobi Diſcipuli Chriſti. Sed frivolè, ſiquidem & aliàs ſæpe Judæi prophetas ſanctiſſimos occiderunt, nihil tamen ſimile paſſi fuerunt, & à potiori, ſi ob necem innocentis Jacobi Diſcipuli Chriſti hanc cladem Judæi meruiſſent, quantò magis dicere debuerat Joſephus, obveniſſe propter necem Chriſti Innocentiſſimi Auctoris vitæ & Magiſtri Jacobi? Expuncta igitur fuit Civitas Jeruſalem, quia Chriſtum Regem abnuit: & ſuo inundata fuit ſanguine, quia fudit innoxium, eúmque divinum Chriſti.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

CUm hæreſeos ea ſit pernities, ut viam ad abſurdiſſima quæque dogmata ſternat, & ex illa facilis ſit ad iſta lapſus, idcirco in hoc opere aliquos errores nolui ſilentio omnino præterire, quantumvis modernos Sectarios tangere apertè non videantur.

XI. *Error primus* eſt Atheorum, non eſſe Deum. Nituntur hâc falſa perſuaſione, quaſi exiſtentia Dei probari non poſſet ſive à priori, ſive à poſteriori; illud videtur per ſe patere: hoc probant. Tum quia illatio à ſenſu diſtributivo univerſim non valet. Tum quia eſſentia Dei demonſtrari non poteſt etiam à poſteriori ſive per effectus. Ergo neque exiſtentia. Sequela patet, quia Exiſtentia & Eſſentia in Deo ſunt idem. Antecedens ex eo oſtendunt, quia cum Trinitas ſpectet ad eſſentiam, ſequeretur nos naturaliter poſſe cognoſcere Trinitatem, quod communiter negant Theologi; imò Suarez lib. 1. de Trinit. c. 11. hoc etiam de fide eſſe cenſet.

XII. Errorem hunc ſatis reijciunt aperta Sacræ Scripturæ Teſtimonia ſupra adducta, quibus Dei Exiſtentiam demonſtratione metaphyſica ex creaturarum exiſtentia probari, tanquam fidei dogma valentia, Suarez, & alij communiter tenent Theologi. Nam de facto habetur hujuſmodi demonſtratio. Ergo Sacra Scriptura de hac demonſtratione intelligi poteſt. Adhæc demonſtratio metaphyſica eſt omnium propriiſſimè cognitio manifeſta & evidens, utpote excludens omnem tergiverſandi poteſtatem. Atqui Sac. Scriptura, quando poteſt, debet in ſenſu maximè proprio accipi. Ergo &c.

XIII. Reſpondetur ad 1. Non quidem valere illationem à ſenſu diſtributivo ad collectivum, ſi prædicatum, quod ſingulis tribuitur, minuatur aut tollatur ab illis per conjunctionem cum altero: At bene, ſi non minuatur, aut non tollatur; hoc poſterius fit in præſenti, & perinde valet, ac ſi ex eo, quod ſingula accidentia indigeant ſubjecto, inferam, omnia Accidentia ſubjecto indigere: illud prius accidit, ſi ex eo, quod ſingulos lapides unius cumuli portare poſſim, inferam: omnes me portare poſſe; diſcriminis rationem jam indicavimus, videatur D. Thom. 1. 2. Q. 109. A. 8. ad 1.

XIV. Reſpond. ad 2. Non deeſſe nobiles Theologos, qui non contenti demonſtrationibus à creaturarum exiſtentia deductis, exiſtimant, Dei Exiſtentiam independenter ab his, & ſic quodammodo à priori demonſtrari poſſe. Videantur Anton. Perez. 1. P. D. 1. c. 4. & ſequen. Martinus Eſparza in opere ſuo Theol. Q. 2. de Deo, A. 4. & alij. Quidquid autem ſit de hoc; quamvis Eſſentia Dei non poſſit evidenter demonſtrari per effectus quoad Quid eſt: poteſt tamen quoad Quod eſt; ſicuti ex cognitione lucis certò colligo ſolem exiſtere, etſi hinc nequaquam pene-

Digitized by Google

penetrare valeam diſtinctè quidditatem illius, & modum, quo exiſtit.

XV. *Error ſecundus.* Eſt Sabelij, qui ex Prolomaide Lybiæ oriundus & Noëti diſcipulus aſſeruit, in Deo non eſſe Tres perſonas realiter diſtinctas, ſed unam tantùm, quæ habeat tria officia Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Probat. Tum quia ex ſcriptura conſtat, Deum eſſe unum. Tum quia eadem numeroNatura non poteſt eſſe in pluribus perſonis, ſiquidem per Subſiſtentiam redditur incommunicabilis. Tum quia pluralitas Perſonarum in una natura non ſtat cum famoſo illo Axiomate Philoſophorum: *quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

XVI. Error iſte Damnatus fuit in Concilio Alexandrino tempore Sylveſtri Papæ Anno Chriſti 319. juxta Baronium ſufficienterque reijcitur ex ijs, quæ ſupra attulimus. Doctrinâ 3. quam hìc ſolùm confirmo ex Conc. Lateranenſi Capitulo damnamus. de ſumma Trinitate, ubi habentur hæc verba bene obſervanda, ut in modo loquendi conformemur: *Una eſt Res, quæ veraciter eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Tres ſimul Perſonæ, ac ſingillatim quælibet earundem. Quælibet earum Perſonarum eſt ea Res, videlicet ſubſtantia, Eſſentia, ſeu Natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium; & illa Res non eſt generans, neque genita, neque procedens; ſed eſt Pater, qui generat, Filius; qui gignitur, Spiritus, qui procedit, ut diſtinctiones ſint in Perſonis; Unitas in Natura; licet alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud, ſed id, quod eſt Pater, eſt & Filius, & Spiritus S. conſubſtantiales &c.*

XVII. Reſpon. ad 1. Deum eſſe Unum in Eſſentia: Trinum in Perſonis. Non obſtat inConſilio Ariminenſi & Semirnenſi negari in Deo tres Hypoſtaſes. Nam impropriè loquuntur, Hypoſtaſin accipiendo per Subſtantia, quæ tantùm una eſt in Deo. Ad 2. Diſtinguendo; eandem Naturam limitatam aut eodem modo acceptam, eſto: eandem Naturam illimitatam, & diverſo modo ſumptam, nego. At Naturâ divina eſt illimitata, & aliter atque aliter in tribus Perſonis, nimirùm in Patre ex ſe: in Filio per generationem: in Spiritu Sancto per ſpirationem. Et hoc abſque ſui diviſione, ut ſtatim magis conſtabit. Ad 3. Axioma illud verum eſſe in Divinis, negari à Vaſq. in 1. P. Diſp. 123. cap. 2. Suarez lib. 4. de Trinit. cap. 3. & alijs. Mathias Perulle deTrinit. D. 1. q. 2. & alij non pauci idipſum ita explicant, ut per illud tertium intelligatur vel purè ſingulare, hoc eſt, phyſicè & logicè, ſicut in divinis ſunt ipſæ Perſonæ, & quale requirunt ſyllogiſmi expoſitorij: vel adæquatè diſtinctum, quale requirunt ſyllogiſmi univerſales; hujuſmodi autem Eſſentia divina non eſt in hoc ſyllogiſmo: Eſſentia Divina eſt Pater. Filius eſt Eſſentia Divina. Ergo Filius eſt Pater. Nam quamvis Eſſentia divina phyſicè ſit ſingularis, tamen propter identificam inexiſtentiam inpluribus perſonis eſt logicè, ſicut ait Zuniga D. 3. Dub. 2. vel ut alij, æquivalenter univerſalis. Ariaga 1. P. de Trinit. D. 43. Sect. 5. & plerique alij cenſent, illud verum eſſe, quandocunque res illa non eſt capax diſtinctionis virtualis: non verò ſi ſit ejuſdem diſtinctionis capax, uti fit in præſenti.

XVIII. Diſtinctio autem Virtualis eſt capacitas contradictoriorum in eodem ente realiter ſimplici ac indiviſibili, æquivalente tamen pluribus ad terminandas & verificandas propoſitiones de ſe contradictorias; quarum una aliquid intrinſecum verè affirmet de uno, altera verò neget de altero extremo identificatorum. Hanc diſtinctionem virtualem dari inter Relationes & Naturam divinam communis tenet ſententia Theologorum. Nam hæ propoſitiones: *Natura communicatur Filio: Paternitas non communicatur. Filiatio producitur: Natura non producitur. Natura identificatur Filiationi: Paternitas non identificatur eidem. Perſonalitas Verbi immediatè unitur Naturæ humanæ: Eſſentia divina non unitur immediatè eidem.* Hæ inquam, propoſitiones omnes de ſe ſunt contradictoriæ, utpote affirmatio & negatio ejuſdem de eodem. Atqui iſtæ verificantur de Natura & Relationibus. Ergo inter has admittenda eſt diſtinctio virtualis intrinſeca, de qua plura Scholaſtici.

XIX. *Error tertius* eſt Cerinthi Hæreſiarchæ peſſimi, qui Divinitatem Chriſto negavit; unde contra ipſum ex inſtituto S. Joannes ſuum Evangelium ſcripſit ad aſſerendam Chriſti Divinitatem; quem errorem deinde renovârunt Paulus Samoſatenus Epiſcopus damnatus in Synodo Antiochena tempore Dionyſij Papæ anno 266. & Arius presbyter Alexandrinus damnatus in generali conſilio Niceno ſub Sylveſtro Papa & Conſtantino Imperatore anno Chriſti 325. Iſtorum veſtigijs inhæſit Machomet Turcarum Anteſignanus ab Ariano Monacho ſeductus, multóſque in ſuam partem traxit nullo rationabili argumento; ſed tantùm fictitijs prophetijs; cùm enim mobo laboraret caduco, finxit in illa mania ſibi divinitus revelata quædam fuiſſe, quæ ferro potius, quàm ratione defendit ſub pæna capitis interdicens, ne quis contra ejus doctrinam diſputaret. Atque hæc Secta per mille & quinquaginta annos in mali ſemen immenſum & gentem orbis domitricem excreſcens quemadmodum ferro incrementum ſumpſit, ita non niſi ferro exſcindi poſſe videtur.

XX. Noſtrates hæretici nimirum Lutherani & Calviniſtæ, quia proteſtantur ſe cum Romanâ Eccleſiâ in hac doctrinâ convenire, ac tenere in una Natura divinâ tres dari realiter diſtinctas Perſonas, Chriſtúmque eſſe verum DEUM, idcirco non eſt, cur diutius hic immoremur; quamvis Cardinalis Bellarminus in præfatione ad Librum de Chriſto oſtendat, non minùs hoc tempore cum Sabellio, Ario, Neſtorio, Eutychete &c. Sentire Servetum, Gentilem, Blandradam & cæteros, qui palàm eos Sectari ac tueri ſe profitentur, quàm Eraſmum, Lutherum, Melanchthonem, Calvinum, Bulingerum, Martyrem, Brentium, Bezam, Sarnicium, Schegkium, Wigandum, alióſque ſimiles, qui eoſdem odiſſe & deteſtari ſe vociferantur; Nam, inquit, ſi verè & ex animo eos execrarentur, non poſſent non etiã ſe ipſos doctrinámque ſuam exeerari, cum id ſanè negare non poſſint, ſe illis ad progrediendum in caſtra Arianorum non modò occaſionem dediſſe, ſed etiam portam latiſſimam aperuiſſe. Fundamenta illorum hæreticorum contra realem diſtinctionem in una Deitate: & contra Chriſti Divinitatem idem Auctor fusè reijcit in prædictis libris, qui præter ea, quæ ſupra diximus, & porrò dicemus, videri poteſt. Item de Secta Machometis, ejuſque ſucceſſu, & turpi doctrina videantur Bernardinus Vetweis in ſpeculo veræ Eccleſiæ à fol. 120. Hugo Grotius de Veritate Chriſtianæ Religionis lib. 6. & alij.

Digitized by Google

CONTROVERSIA VIII.

AN CHRISTUS, QUA DEUS, ſit Filius DEI.

D. Athanaſius in Epiſt. de decretis Nicenæ Synodi advertit, in Sac. Scriptura duplicem Naturam Filij ſignificatione innui; unam ſecundùm Adoptionem, ut cum dicitur Joan. 1. v. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri:* alteram ſecundùm Naturam, ut cum Iſaac, Abrahæ, Jacob filius Iſaaci, & deinceps patriarchæ Filij Jacobi apellantur. Ad filium priori modo ſumptum non requiritur, ut ſit ejuſdem Naturæ cum eo, cujus dicitur Filius: at bene ad filium poſteriori modo acceptum, & de tali quæritur, utrum DEUS etiam habeat Filium Naturalem ſubſtantialiter ex ſe genitum?

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICÆ.

I. Doctrina prima. Chriſtus, quà DEUS, eſt verus & naturalis Filius DEI Patris. Ita docet S. Catholica Eccleſia in omnibus Symbolis, præſertim Niceno ajens: *Credo in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt.* Probatur 1. ex Sac. Scripturæ ſequentibus Teſtimonijs 1. eſt ipſius Patris Math. 3. v. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 2. Ipſius Filij Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat.* Filius enim hic loquitur, ut Tertul. etiam Libro contra Praxeam intelligit. 3. eſt Spiritûs Sancti Math. 3. qui apparitione ſuâ *in ſpecie columbæ* v. 16. vocem illam Patris de Filio confirmavit. 4. eſt Angeli Luc. 1. v. 35. *vocabitur Filius Dei.* 5. eſt Apoſtoli Petri Math. 16. v. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* 6. eſt Apoſtoli Joannis cap. 1. v. 14. *& vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* 7. eſt ejuſdem Evangeliſtæ cap. 1. v. 18. *unigenitus, qui eſt à Patre, ipſe enarravit.* 8. Apoſtoli Pauli ad Gal. 4. v. 8. *miſit Deus filium ſuum factum ex Muliere factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* 9. eſt ejuſdem ad Hebræos 1. v. 3. *qui cum ſit Splendor Patris & figura ſubſtantiæ ejus.* 10. ejuſdem ibidem v. 5. *cui enim aliquando Angelorum dixit: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* 11. ejuſdem ad Rom. 8. v. 32. *qui proprio Filio ſuo non pepercit.* 12. denique Davidis Regis Pſal. 109. v. 2. *ex utero ante Luciferum genui te.* Hiſce alijſque luculentis Sac. Scripturæ teſtimonijs ſignificari, Chriſtum verum eſſe Dei Filium per Naturam, non ſolùm per adoptionem, ſicuti cæteri homines & Angeli, nemo niſi excutâ omni fronte inficias ibit. Tum quia dicitur unigenitus. Tum quia excellentiori modo Filius eſt, ut contendit Apoſtolus ad Hebræos. Tum quia Filius eſt ex utero, non gratiâ. Tum quia ante luciferum, hoc eſt, ab æterno ante omnes creaturas eſt genitus. Tum quia ita eſt genitus, ut maneat in ſinu Patris. Tum quia Filius Dei vivi & altiſſimi, atque ejuſmodi appellatur. Tum denique quia per illum alij adoptionem Filiorum obtinent, ut dicitur ad Gal. 4. citato, atque adeo filiationis Nomen, & rationem ab ejus filiatione participant.

II. Probatur 2. ex Patribus, qui in hac doctrina & expoſitione adductorum locorum Scripturæ conſpirant, ac videri apud alios poſſunt. Sufficit hic unicus D. Athanaſius qui 2. Sermone contra Arianos ſuper illo verſu 8. Pſal. 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem præ participatoribus tuis,* ita ſcribit: *Videte Ariani, & ſaltem hinc cognoſcite, participatores Domini cæteros omnes Pſalmiſtam appellaſſe; ſi enim unus ex non-entibus creatus fuiſſet, fuiſſet & ipſe ex iſtis participatoribus. Atqui cum eum ut Deum æternum ſuo hymno celebrarit Pſalmiſta, inquiens: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi &c. & reliqua omnia ex eo partes capere declarârit, quid aliud intelligendum, quàm alium illum eſſe à rebus creatis.* ubi S. Pater ſupponens agi in illo Pſal. de filio Dei naturali, ut apertè habetur v. 3. *Speciosus formâ præ filijs hominum,* inde ejus infert Deitatem, quam conſequentiam, ait Sermone 3. contra eoſdem Arianos, *nec diabolus ipſe negare poteſt.*

III. Probatur 3. Ratione. Generatio propriè dicta definitur à Theologis & Philoſophis communiter: *productio naturalis viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ mediante principio conjuncto.* Atqui origo ſeu productio Chriſti, quà Dei. *Primò* eſt naturalis, quia eſt actus intellectûs, ſeu cogitatus; ſicut enim humanus intellectus cogitando producit vivam imaginem objecti cogniti, quam philoſophi appellant ſpeciem expreſſam, & verbum mentis, quo cogitans ſibi ipſi quaſi loquitur, ita Deus de ſe ipſo cogitando genuit vivam ſui Imaginem, quæ propterea vocatur Verbum Patris, prout graphicè deſcripſit Joannes cap. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, &c.* *Secundò* viventis à vivente; quia eſt actus vitalis, quò ſpectant illa Chriſti Verba Joan. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Nam Pater communicando Filio ſuam Eſſentiam, dedit illi hoc ipſo vitam habere in ſemetipſo, tanquam primo & pleno fonte, ex quo omnis vita emanat ad alios, & quidem independenter ab omni alio, ut ajunt Cyrillus, Chryſoſt. Auguſtinus & alij. *Tertiò* in ſimilitudinem Naturæ non tantùm ſpecificæ, ſed etiam numericæ; unde Chriſtus Joan. 10. v. 30. *Ego,* inquit, *& Pater unum ſumus;* ubi per unum deſignatur identitas Eſſentiæ, & omnium proprietatum Eſſentialium: per ſumus diſtinctio perſonarum, & proprietatum Perſonalium; hoc Sabellio: illud Ario adverſatur, ut notant S. Hilarius lib. 7. de Trinit. Auguſt. Tract. 48. & alij PP.

IV. Cæterùm Eſſentiam & Naturam divinam à parte rei conſtitui ultimò per actualem Intellectionem, teſte Ariagâ 1. P. D. 47. Sect. 8. docent communiter Thomiſtæ & Patres Societatis noſtræ moti auctoritate SS. Patrum, quorum teſtimonia copiosè adducunt. Unus nobis ſufficiat S. Auguſt. qui lib. 15. de Trinit. cap. 7. ait: *Hoc Deo eſt Eſſe, quod ſapere: & ea eſt illi Eſſentia, quæ Sapientia;* quæ verba obſervans D. Thom. 1. P. Q. 27.

Art. 2.

Art. 2. docet, in rem præſentem, *Proceſſionem Verbi veram eſſe generationem, quia talis Filius accipit Naturam Patris, hoc eſt, Intelligere, quod, ait, in Deo idem eſt ac eſſe ſua Eſſentia.* *Quartò.* Origo Chriſti, quà Dei, eſt à principio conjuncto, quia eſt de ſubſtantia Patris, quod iſte indicat Pſal. 109. v. 3. aiens. *ex utero ante luciferum genui te.* Et ipſe Filius Joan. 10. v. 29. dicens: *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Unde in Symbolo Niceno dicitur: *Deus de Deo.* & in Toletano III. *Quicunq, negaverit Filium Dei de Paterna ſubſtantia ſine initio genitum, conſubſtantialem Patri, Anathema ſit.* Ergo cum omnia ad veram generationem requiſita conveniant Chriſto, quà Deo, liquidè conſtat, quod iſte ſit verus ac Naturalis Dei Filius.

V. Hinc apparet Generationem divinam multùm differe à generatione humana. Nam 1. Generatio humana carnalis eſt: Divina Spiritualis: *quia Spiritus eſt Deus*, juxta illud Joan. 4. v. 54. & ideo non poteſt, niſi ſpirituali modo gignere Filium; unde in Pſal. 109. citato *ex utero* ſumitur metaphoricè pro interna Eſſentia & Subſtantia. 2. Generatio humana confert non propriam, ſed aliam ſimilem naturam: At Divina communicat eandem numero. 3. Generatio humana facit Patrem priorem, & ſeniorem Filio: at Divina nec prioritate naturæ facit Patrem ſeniorem Filio, ſed ſolùm origine; quia inſtantia naturæ deſignant cauſalitatem: Filius autem non eſt cauſatus à Patre, cum ſit unus idémque Deus cum Patre; idem autem à ſe ipſo non poteſt cauſari, nec ſe ipſo naturâ prius eſſe, cum ſit una eadémque natura. 4. Generatio humana facit Patrem digniorem Filio, ut ille in hunc poteſtatem ac dominium habeat: At Divina ſecus; unde Athanaſius in Symbolo *Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti æqualis eſt gloria, cöæterna majeſtas &c.* ubi etiam explicatur illud dictum Chriſti Joan. 14. v. 28. *Pater major me eſt: æqualis Patri ſecundùm divinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem*; cauſſa verò hujus æqualitatis inter Patrem & Filium eſt, quod Pater non genuerit Filium libero & gratuito beneficio, ſed naturali neceſſitate, ut non potuerit non generare, ideóque nullo titulo illum habeat ſibi ſubjectum. 5. generatio humana poteſt eſſe plurium filiorum: at Divina unius ſolùm juxta Symbolum Athanaſij, *unus Pater, unus Filius, &c.* unde in Script. vocatur *Unigenitus.* 6. Quod generatio Divina fiat abſque mutatione: ſecus humana, quod ex dictis patet.

VI. Sed reſtat quæſtio, cur Proceſſio Spiritûs Sancti non ſit Generatio? Nam quemadmodum eſt de fide certum, & definitum in Concilio Toletano ſub Leone I. & in Symbolis Athanaſiano & Niceno, Spiritum Sanctum procedere, non generari, ita difficile eſt, ſolidam hujus dare rationem & diſparitatem, cur ſcil. Proceſſio Filij vera ſit Generatio, non Spiritûs Sancti? imò prope inexplicabile id cenſent Patres, præſertim Damaſ. lib. 1. cap. 16. & Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 27. Nihilominus cum debita humilitate & ſubjectione ad S. Romanam Eccleſiam inter diverſa Doctorum placita. Sit

VII. *Doctrina ſecunda.* Chriſtus quà Deus ſeu Verbum, procedit ut ſimile Patri in Natura, adeóque verè generatur, & eſt Filius: non autem Spiritus Sanctus; quia Verbum divinum formaliter, vi ſuæ Proceſſionis accipit ipſam Naturam Patris, quod eſt Intelligere: Spiritus autem Sanctus formaliter, & vi ſuæ Proceſſionis accipit tantùm Velle divinum, Eſſentiam ſeu Naturam materialiter & concomitanter. Ita D. Thomas Q. 27. cit. P. 1. Faſolus in 1. P. D. Thomæ Q. 14. art. 2. Ariaga in 1. P. Diſp. 47. Sect. 7. cit. & plurimi alij. Nam ab utróque Concilio Niceno, item à Toletano, & à S. Auguſtino lib. 7. de Trinit. c. 2. Verbum divinum dicitur *Deus de Deo, Eſſentia de Eſſentia:* Spiritus S. autem dicitur ab ijſdem *Voluntas de Voluntate.* Ergo ſicut iſta concilia ideo Spiritum Sanctum vocant Voluntatem de Voluntate, quia procedit per Voluntatem; eique immediatè, & vi ſuæ proceſſionis formaliter communicatur Velle Divinum, ita etiam Verbum divinum dicetur Deus de Deo, Eſſentia de Eſſentia; quia vi ſuæ proceſſionis procedit per Deitatem & Eſſentiam divinam, eique communicatur Deitas & Eſſentia Divina; unde ſic argumentari licet.

VIII. Illud veriſſimè generatur, quod vi ſuæ proceſſionis & tendentiæ, ſeu primariâ intentione Operantis accipit Naturam Patris. Cur enim Petrus eſt filius Ioannis, & non Vermis, vel aliud animalculum ex eodem enaſcens? Certè non aliam ob cauſam, quàm quod ille vi ſuæ actionis accipiat naturam Joannis, non iſtud animalculum. Similiter Eva ex coſta Adami formata non eſt ejus filia, nec ab ipſo genita, licet in natura ſimilis Adamo. Cur? quia deciſio coſtæ per ſe, & ex vi ſuâ non tendebat aud formandum hominem, ſed ex mera Dei voluntate. Atqui Chriſtus, quà Deus, vi ſuæ Proceſſionis ab æterno Patre, & vi tendentiæ ſeu ex primariâ intentione operantis accipit Naturam Patris, ſcilicet Intelligere actuale: non Spiritus Sanctus, qui accipit ſolùm Velle; Voluntas autem ex ſuâ naturâ non eſt aſſimilativa, nec objecti ſimilitudinem exprimit, ſicut Intellectus, ſed tantùm fertur in objectum, & cupit ei ſe conjungere v. g. qui amat pecuniam, non vult pecuniam ſibi ſimilem reddere, ſed eam acquirere ac poſſidere. Ergo Verbum Divinum propriè eſt Filius & generatur: non Spiritus Sanctus.

IX. Dicent. Spiritus Sanctus eſt formaliter & per ſe Deus, & quidem ab alio. Reſpon. ad hoc ſufficere, ut habeat veram Deitatem ab alio communicatam, etiamſi hæc ei non primariò, ſed ſecundariò duntaxat intendatur. Urgent. Spiritus S. procedit primariò, & per ſe, ut Deus, quia procedit, ut Perſona, ſeu Suppoſitum divinum. Ergo primariò accipit Deitatem. Reſpon, negando Antecedens cum ſua probatione. Quia Spiritus S. primariò neque ut Deus, neque ut perſona procedit, ſed purè, ut Amor ſubſiſtens, quem unum ille ſecundùm formale importat; licet ſecundùm materiale & completum eſſe Spiritus Sanctus Naturam quoque, & alia Attributa involuat, perinde ut Filius ſecundum formale ſolùm Naturam ſubſiſtentem dicit; ſecundum materiale autem & completum tam Naturam quàm Attributa. Sed de hoc plura Scholaſtici.

IHS.

PARS

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

X. *Error primus*. Eſt Antiquorum hæreticorum in fine prioris Controverſiæ adductorum, qui, cum negent, Chriſtum eſſe DEUM, conſequenter negant, eundem eſſe Filium DEI Naturalem. Cerinthus & Ebion dixerunt, Chriſtum fuiſſe Joſephi & Mariæ filium, ut teſtantur Irenæus lib. 1. cap. 25. & 26. Tertullianus de carne Chriſti, & alij Patres. Michael Servetus novorum Samoſetanorum Auctor (qui anno 1555. Genevæ fuit combuſtus) docuit, Chriſtum aliquâ aliâ naturâ non fuiſſe prædictum, niſi humanâ, ideóque eſſe, ac dici Filium Dei tantumodo Adoptatione & ſanctificatione ſingulari Naturæ ſuæ humanæ. Valentinus Gentilis Natione Italus, Patriâ Conſentinus poſt hæreſin ſuam in Gallia, Germania, & Polonia ſparſam Bernæ ſupplicio capitali affectus conceſſit quidem, Chriſtum eſſe Filium DEI, ſed Patri non æqualem, quæ eſt univerſim Recentiorum Arianorum opinio. Noſtrates hæretici concedunt, Chriſtum & Deum, & Dei Filium eſſe. Rectè. Sed mirum ſanè, cum Scriptura, cui unicè adhærent, & quam manibus ſemper terunt, nō paucos locos vel uti ſcopulos porrigat, ad quos alij ob illorum difficultatem impingendo naufragium fidei fecerunt. Videamus nonnullos, ſimulque eorum ſolutione Catholicam doctrinam contra rejectum ſupra errorem ſtabiliamus. Itaq;

XI. *Primus*. Proverb. 8. v. 22. dicitur de Filio: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum*. Ergo Filius eſt Creatura, & opus quoddam factum, ut teſte Gregorio Nazian. Oration. 3. de Theolog. Ariani aſſiduè objiciebant. Reſpond. cum D. Athanaſio Serm. 3. contra Arian. Baſilio lib. 4. contra Eunon. & alijs PP. hæc & ſimilia loca plura intelligenda eſſe de Filio ſecundùm Humanitatem aſſumptam; Etenim ſecundùm hanc creatus eſt, ut daret initium divino operi Redemptionis & Reparationis generis humani. Non obſtat Verbum illud præteriti temporis *creavit*; quæ enim de futuro in ſcriptura dicuntur, ſolent verbo præteriti temporis ſignificari, ut judicentur tam certa eſſe, ac ſi jam accidiſſent, uti illud Pſal. 21. v. 17. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Alias interpretationes de æterna Generatione Filij vide apud Scripturiſtas.

XII. *Secundus*. Pſal. 2. v. 17. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. Si eo die, quo ſcriptus eſt hic Pſalmus, primùm genitus eſt Chriſtus, tum non fuit ab æterno. Ergo nec Deus, nec filius Dei; David enim ferè 3600. anno poſt conditum orbem vixit. Reſpon. Davidem non dicere, quod Filius Dei primùm hodie ſit natus, ſed quod hodie natus, ſicut de quolibet die dici poteſt, quod divina generatio ſit æterna, & nunquam ceſſet: at humana fætu formato deſinit. Adhæc David per hodie non intellexit illum diem, quo hæc ſcribebat, ſed alium, quem veluti præſentem intuebatur, ſcilicet diem Reſurrectionis, ut expoſuit D. Paulus Act. 13. v. 32. *Deus adimplevit, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſal. 2. ſcriptum eſt: Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. Dicitur autem illo die peculiariter genitus, quia glorioſi Corporis ſplendore manifeſtata eſt ejus Divinitas, ſicuti eo die dicitur factus Imperator, quo publicè coronatus eſt, licet priùs electus. Vide Tirinin. in cit. Pſal. ubi tò hodie oſtendit à PP. ſumi pro momento æternitatis, pro die Nativitatis, & Reſurrectionis; quia poſſunt unius & ejuſdem loci Sac. Scripturæ plures ſenſus litterales eſſe à Spiritu S. immediate intenti, ut diximus ſupra.

XIII. *Tertius*. Chriſtum in ſcriptura paſſim affirmari verum hominem: & hunc ipſum hominem adſtrui Filium Dei. Ergo non naturâ, ſed adoptione & naturæ humanæ ſanctificatione. Hoc argumentum Servetus in ſuis libris & dialogis de Trinit. ſingulis ferè paginis crepat, ſicut etiam Franciſcus David, & alij Servetiani. Reſpon. Naturâ etiam Deum eſſe illum ipſum hominem, qui Chriſtus eſt. Nam Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus Eum; qui tamen poſtea *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*, Baruch. 3. v. 38. Hic eſt Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, qui idem *caro factum eſt & habitavit in nobis*. Joan. 1. v. 14. *Hic vocabitur Emanuel ideſt nobiſcum Deus* Iſaiæ 7. v. 14. *Hic, Deo cum eſſet æqualis, formam ſervi accepit, & habitu inventus ut homo* ad Philipp. 2. v. 3. Quare idem Filius DEI & homo Naturâ eſt.

XIV. *Quartus*. Filius genitus eſt à Patre. Atqui non coactè, ſed voluntate; quia hoc fuit multò præſtabilius. Ergo potuit non gigni, & conſequenter nec verus Deus eſſe, nec Filius Dei naturalis, cum Deus ſit Ens ſimpliciter neceſſarium. Ita urgebat Sophiſta Aſterius Arianorum Patronus. Reſpon. cum D. Athanaſio Serm. 4. contra Arianos, Patrem æternum neque coactè neque etiam voluntate liberâ genuiſſe, ſed, ut fertur hæc voluntas in objectum ſuum neceſſariò; quemadmodum etiam ipſe Pater volens DEUS eſt, non coactè, neque etiam voluntate liberâ, ſed neceſſariâ & naturâ, ut tradunt Scholaſtici in materia de Sanctiſſima Trinitate.

XV. *Quintus*. Joan. 1. v. 27. ait Joannes Baptiſta de Chriſto: *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt*; quod non poteſt intelligi de Humanitate, quia Chriſtus quoad Humanitatem eſt poſt Joannem factus, ut Gabriel nunciavit Mariæ Luc. 1. v. 36. Ergo intelligendum de Divinitate, & conſequenter non fuit verus Deus, nec filius Dei. Reſpon. Adverbium *Ante* non ſignificare prioritatem temporis, ſed præcedentiam dignitatis; Nam, ut notat Beda Græcum verbum ἔμπροσθεν nunquam ordinem temporis, ſed diſtantiam loci ſeu dignitatis ſignificat. Participium *Factus* etiam non ſignificat productionem, ſed exaltationem, quaſi diceret: longè mihi prælatus, & ad ſublimiorem dignitatem effectus, quàm ego; quod etiam de Humanitate intelligi poteſt. Ita exponunt S. Auguſtin. Chryſoſt. Theophilact. apud Tirinum & Maldonatum in v. 15. cit. capitis.

XVI. *Sextus*. Joannis c. 1. v. 1. Chriſtus vocatur Verbum Patris. Verbum autem non eſt ſubſtantia, ſed Accidens: accidens verò non eſt DEUS, nec Dei filius, ſicut nec verbum hominis ſeu mentale ſeu vocale dicitur ejus Filius. Reſpon. longè diſparem eſſe rationem Verbi humani & Divini. Humanum eſt accidens: Divinum eſt ſubſtantia, quia Deus non eſt capax ullius accidentis; alioquin componeretur ex ſubſtantia &

accidente

accidente, quod repugnat ejus ſimplicitati, cum ſit Ens indiviſibile, omnia in ſe continens, nec ad ſui perfectionem indigeat alterius entis acceſſu. Similiter Figura, Quæ Heb. 1. v. 3. tribuitur Chriſto, & idem ſignificatur, quod Imago, non eſt in Deo accidens, ſed ſubſtantia, quâ Filius æqualis eſt Patri, ut ſupra diximus.

XVII. *Septimus.* Chriſtus Dominus aſſeruit: *Beatius eſt dare, quàm accipere*, ut de ipſo atteſtatur Apoſt. Act. 20. v. 35. cujus ratio eſt, quia divitis & perfecti eſt dare: accipere vero indigentis & imperfecti. Atqui Pater dat & Filius recipit. Nam dedit Pater Filio potentiam Matth. 18. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas &c.* Dedit vitam Joan. 5. v. 16. *Dedit ei vitam habere in ſemetipſo.* Dedit ſapientiam, ibidem v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei.* & Joan. 15. v. 15. *quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Denique quidquid habet Filius, habet à Patre Math. 11. v. 28. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Ergo Chriſtus non eſt Filius Dei Naturalis, non eſt Patri æqualis, & non eſt Unus cum eo Deus. Confirmatur Math. 20. v. 23. dicit Chriſtus: *Sedere ad dextram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Ergo Filius non habet omnia, quæ habet Pater. Reſpon. tunc ſolùm beatius eſſe dare, quàm accipere, quando is, qui recipit, eſt in potentia ad recipiendum, ac proinde eſt indigens, ac imperfectus. At verò Filius Dei ſic accepit vitam, ut tamen nunquam non fuerit vivens, ſic accepit potentiam & ſapientiam, ut nunquam fuerit infirmus & ignorans; quippe omnia hæc accepit naſcendo; ab æterno autem & natus eſt, & perfectè natus eſt. Ita Auguſt. lib. 3. contra Maximin. c. 24. *Beatius eſt*, inquit, *dare quàm accipere, ſed in hac vitâ, ubi eſt inopia, quâ utiq; melior eſt copia.* Vide eundem S. Patrem, & D. Chryſoſtom. in c. 5. Joan. ubi explicant, Patrem demonſtrare Filio non docendo, ſed gignendo: & Filium audire à Patre non diſcendo, ſed naſcendo. Dicitur autem Pater demonſtrare, & Filius audire, quia Pater communicando Eſſentiam, communicat Scientiam. Ad Confirm. ex Math. 20. dicimus cum Hieron. Chryſoſtomo & Cyrillo lib. 10. Theſauri c. 15. Chriſtum dicendo, *non eſt meum dare*, voluiſſe inſinuare: non decet me dare vobis præ alijs, quia juſtus ſum, ſed quibus à Patre meo jam paratum, decretum, & deſtinatum eſt, & conſequenter etiam à me. Videri poteſt Tirin. in cit. loc.

XVIII. *Octavus.* Denique in Symbolo Niceno dicitur Chriſtus *Lumen de Lumine.* Atqui Lumen non eſt ejuſdem naturæ cum Sole, vel Luna &c. unde procedit. Ergo nec Filius propriè dictus. Reſpon. Chriſtum eodem ſenſu appellari Lumen, quo Pater Lumen eſt appellatus, ſcilicet non ſenſibile, ſed ſpirituale conſiſtens in ſapientia & Sanctitate, quibus excluduntur omnes tenebræ, ignorantiæ, & peccata, ut indicat S. Joann. Epiſt. 1. cap. 1. v. 5. *Deus Lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ulla*; ubi per tenebras intelligit errores, & peccata, ut indicat v. 6. *Si dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus* (ideſt in peccatis & erroribus) *mentimur, & veritatem non facimus.* Ad quam ſpiritualem Claritatem ſignificandam Deus in veteri teſtamento nunquam ſine ſenſibili lumine ſe conſpicuum fecit.

XIX. Dicent, ſaltem Filium eſſe portionem & derivationem de Lumine: Patrem verò totum ſubſtantiam Luminis, ut habet Tertullian. lib. 2. contra Hermogenem, qui teſte Spondano anno Chriſti 170. Num. 4. Corpus Domini in Sole eſſe repoſitum finxit. Reſpon. nequaquam Filium eſſe, ſeu habere tantùm particulam Subſtantiæ de Patre, ſed totam & eandem hujus ſubſtantiam; nec aliud per derivationem aut portionem totius indicari, quàm originis ordinem, & Patrem eſſe fontem Deitatis, Filium verò oriri à Patre; in quem ſenſum etiam intelligendus Tertull. contra Praxeam, & loco cit. contra Hermogenem, quando Filium à Patre appellat ſecundum.

XX. Regula igitur omnium SS. Patrum veriſſima tenenda eſt, ut humiliora, quæ dicuntur in Scriptura de Chriſto, eidem adſcribamus ſecundùm aſſumptam Humanitatem: alia verò, quæ Divinitatis propria ſunt, tribuamus illi ipſi ſecundùm Naturam divinam; in qua prius etiam quàm caro fieret, erat Deus. Non obſtat D. Hilar. lib. 9. de Trinit. ubi hæc habet: *Sed ſolus Pater verus eſt Deus, Chriſto non reliquit, ut ſit Deus*; Ergo non, ut ſit Filius Naturalis & æqualis in Natura. Non obſtat, inquam, quia ſolùm refert verba Arianorum, quibus reſpondet, quod, licet ſolus Pater verus ſit Deus, non tamen auferre Chriſto, ut etiam ſit verus Deus, quia Pater & Filius eſt unus Deus. vel, ut D. Hieron. quia *Patris & Filij una eſt Divinitas.*

XXI. *Error ſecundus.* Chriſtum eſſe Filium DEI Adoptivum. Ita olim Felix Urgelitanus & Elipandus Toletanus Epiſcopus, quorum hæreſin Novatores nonnulli per calumniam nobis Catholicis affingere audent, à qua tamen ſumus remotiſſimi, firmiter tenentes, Chriſtum nullâ ratione vocari poſſe Filium DEI adoptivum, ut definitum eſt in Concilio Francofurtenſi, & ab Hadriano Papa. Ratio ſumitur ex definitione Adoptionis, quæ à I. P. deſcribitur: *gratuita aſſumptio Perſonæ extraneæ in hæreditatem.* Atqui Chriſtus non eſt Perſona extranea, ſed Filius Naturalis. Ergo &c. Hoc admittunt de Chriſto, ut Deo, Felix & Elipandus: negant verò de Chriſto, ut homine, rati in Chriſto duas eſſe perſonas juxta hæreſin Neſtorianam damnatam. Sed ex fide omnes tenent Catholici, in Chriſto unicam tantùm eſſe Perſonam divinam, atque ideo Chriſtum, ut hominem, in ſenſu Specificativo non eſſe Filium DEI Adoptivum.

XXII. Dubitatur tamen, an idem ſentiendum de Chriſto, quà homine in ſenſu reduplicativo? Affirmant communiter Theologi, è quibus nonnulli Durandum ſecus opinantem graviter cenſent. Ratio eſt, quod tò Filius Adoptivus dicat negationem unionis realis cum naturali Filiatione, ſeu quod idem eſt, dicat Filium extraneum à naturali. Atqui etiam humanitas non eſt extranea Divinitati, aut Filiationi naturali (eſt enim unita realiter ei filiationi, licet non ſit identificata) Ergo Chriſtus non poteſt eſſe Filius Adoptionis etiam ratione humanitatis.

XXIII. Porro Chriſtum etiam, quà hominem, eſſe Filium DEI naturalem, omnes hodie fatentur Doctores Catholici; & eſt extra dubium, ſi reduplicetur ſuppoſitum, ut ſenſus ſit: Chriſtus in quantum eſt ſuppoſitum naturæ huma-

Digitized by Google

næ, eſt Filius DEI Naturalis, per æternam ſcil. generationem; cum neque natura illa humana habeat aliud ſuppoſitum præter Filium DEI Naturalem: neque illud ſuppoſitum ex eo, quod terminet naturam humanam, deſinat eſſe Filius DEI Naturalis. Sin verò reduplicetur natura, ut ſenſus ſit, Chriſtus ſecundùm naturam humanam eſt Filius Dei naturalis, ita ut humanitas ſpectet ad hunc Conceptum Filij, tunc controverſum eſt inter Recentiores, an Chriſtus, quà homo, dicendus ſit Filius DFI naturalis? Negat poſt nonnullos Card. de Lugo de Incart. D. 31. n. 21. Affirmat cum pluribus alijs Arriaga itid. de Incarnat. D. 45. Sect. 2. Subſ. 2. ponens in Chriſto duas Filiationes naturales; unam æternam ratione æternæ Proceſſionis: alteram temporalem ratione Incarnationis fundatam in unione hypoſtatica, & de cujus conceptu ſit ipſa Humanitas, ita ut concretum ex Humanitate & Perſonalitate Verbi importet novam iſtam & temporalem Filiationem. Fundamentum hujus doctrinæ, quam amplectimur, eſt; quia Chriſtus ut homo eſt hæres Regni. Ergo & Filius; ſiquidem hæc duo ſunt inſeparabiliter connexa; non autem eſt filius adoptivus, cum non ſit extraneus, ſed conjunctus Deo. Ergo erit naturalis (quia conjunctio illa ſeu proceſſio eſt primarium ac diſtinctivum filij naturalis ab adoptivo) & quidem reſpectu totius SS. Trinitatis, quia intuitu hujus eſt hæres, & ab illa Sanctificatur efficienter, atque cum eadem tota SS. Trinitate ſaltem mediatè conjungitur.

XXIV. Non obſtat Concilium Toletanum II. in confeſſione Fidei. & D. Thomas 3. part. q. 32. art. 3. Nam loquitur tam illud, quàm iſte ſolùm de ipſa Perſona, quæ eſt unita humanitati, dum ambò aſſerunt; eam non poſſe dici filium Spiritûs Sancti, aut totius SS. Trinitatis: de humanitate autem ſeu reduplicatione illa Chriſti, in quantum homo eſt, nihil decernunt, ſicuti nec Concilium Francofurtenſe, nec Hadrianus Papa de ijdem reflexionibus quicquam egerunt, ſed, ut diximus, ſolùm de ipſa increata perſona Verbi: non verò de filiatione ab humanitate proveniente. Dicant nunc Novatores, quid in hac Catholicorum doctrina commune ſit cum errore Felicis Urgelitani & Elipandi? & ſi oſtendere nihil poſſunt, erubeſcant & omittant calumnias ſuas.

CONTROVERSIA IX.

AN SPIRITUS SANCTUS SIT verus Deus: Et à Patre Filióque ſimul procedat?

SPiritum Sanctum eſſe verum Deum Æqualem Patri ac Filio, negaverunt ijdem hæretici, qui Chriſti Divinitatem negare auſi fuerunt. De Ejuſdem S. Spiritûs Proceſſione acerrima lis ſæpe fuit, atque etiamnum eſt inter Eccleſiam Latinam & Græcam. Ut igitur Catholicam doctrinam ritè percipiamus, omnémque opinionem non-Sanctam de Sancto Spiritu amoveamus. Sit

IHS.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *DOctrina prima.* Spiritus Sanctus eſt Verus DEUS. Ita omnes Catholici. Probatur 1. ex Sac. Scriptura 1. Act. 5. v. 3. hæc habentur: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto: non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Ergo Spiritus S. eſt Deus, ut ex hoc loco D. Athanaſ. lib. de communi Eſſentia Divinitatis Patris & Filij oſtendit. & D. Gregor. Nazian. orat. 5. de Theol. alijque Patres communiter. 1. ad Corinth. 3. v. 16. *neſcitis,* inquit Apoſtolus, *quia Dei templum eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Dominus. Templum enim Dei Sanctum eſt, quod vos eſtis.* Et cap. 6. v. 19. *An neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritûs Sancti qui in nobis eſt;* & ſubjungit mox v. 20. *glorificate & portate Deum in corpore veſtro,* quem Deum? quærit S. Auguſt. Epiſt. 66. niſi Spiritum Sanctum, cujus corpora veſtra dixerat eſſe templum: nec verò ulla creatura in nobis tanquam in templo habitat; *alioquin dicito,* inquit Athan. in Dialog. de Trinit. contra Anomios, *ubi tandem in Script. dicatur Propheta vel Apoſtolus vel in genere homo quiſpiam templum Angeli vel ullius rei creatæ?* 1. Joan. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres Unum ſunt.* Unde ſic argui poteſt: Qui habet unam eandémque Naturam cum Patre & Filio, Deus eſt. Spiritus S. juxta prædicta verba habet unam eandémque Naturam cum Patre & Filio. Ergo Deus eſt.

II. Probatur 2. ex communi ſenſu Cathol. & teſtimonio PP. qui inprimis diſertis verbis paſſim aſſerunt, Spiritum S. eſſe Deum æquè ac Patrem & Filium. Deinde plerique illorum integris libris Divinitatem Spiritûs S. expreſsè defenderunt, ut Athanas. Baſilius, Nazianzenus, Cyrillus Alexandrin. Hilarius, Auguſt. &c. Demum ſummam eſſe impietatem cenſent, non credere, Spiritum Sanctum eſſe Deum, & ijs, qui id non credunt, graviſſimis pænis maledicunt; *qui,* inquit Athanaſius Epiſt. ad Serapion. *Spiritum S. ad creaturas detrahit, impius eſt, & ſine Deo, & infideli deterior, & quidvis potius, quàm Chriſtianus.* Similia habent Nazianzenus, Baſilius & alij.

III. Probatur 3. ex eo, quod Spiritui S. adſcribantur opera Dei v. g. *creare*: pſal. 103. v. 30. *Sanctificare* 1. ad Corinth. 6. v. 15. *Suſcitare à mortuis* ad Rom. 8. v. 11. *eſſe ubique* Sapient. 1. v. 7. *Juſtificatio* 1. ad Corinth. 6. v. 11. *Gubernare Eccleſiam* ex principali quadam poteſtate, ſicut Pater & Filius Act. 20. v. 28. ibidem cap. 13. v. 2. rurſus cap. 15. v. 28. *Diſtribuere dona Spiritualia in Eccleſia* 1. ad Corinth. 12. v. 11. demum Sacramenta non conferrentur in Nomine Spititus Sancti, niſi DEUS eſſet, uti tamen fit v. g. in Baptiſmo ex juſſu Chriſti Math. ult. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

IV. *Doctrina ſecunda.* Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio ſimul. Ita quoque Catholici omnes. Et quidem à Patre procedere, ultro admittunt Græci, habeturque Joan. 15. v. 26. *Spiritus, qui à Patre procedit.* Eundem à Filio procedere, licet

Digitized by Google

re, licet Sac. Sriptura non ita claris terminis proponat, tamen ea fundamenta ponit, ex quibus efficaciter deduci queat. Probatur itaq; 1. Joan. 16. v. 7. ait Chriſtus : *Expedit vobis, ut ego vadam ; ſi enim non abiero Paraclitus non veniet : ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Et deinde v. 13. & ſeq. *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & ea, quæ ventura ſunt, annunciabit vobis ; ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Unde ſic argumentamur : Si Spiritus Sanctus ſcientiam accepit à Filio, & ab ipſo miſſus eſt in mundum, tunc ab eo ſubſtantialiter proceſſit. Sed verum eſt antecedens. Ergo & conſequens. Minor patet ex adductis locis Sac. Scripturæ : Sequela Majoris probatur quoad primam partem. In Divinis Scientia Dei re ipsâ eadem eſt, quæ Eſſentia Dei, & impoſſibile eſt, ut una Perſona divina ab altera habeat vel accipiat Scientiam, niſi ab eadem etiam habeat Eſſentiam, adeóque ab iſta procedat. Probatur quoad alteram partem in divinis nulla Perſona propriè mittitur, niſi ab ea, à quâ procedit, ut habet S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 2. Quapropter nec Filius Spiritum Sanctum mittere potuiſſet, niſi ab eodem procederet. Ad Rom. 8. v. 9. Spiritus S. vocatur *Spiritus Chriſti*, quod repetitur ad Hebræos 1. v. 10. & ad Gal. 4. v. 6. Unde ſic arguimus : Spiritus Sanctus vocatur in Sacra Scriptura frequenter Spiritus Patris, quia ille ab hoc procedit. Ergo etiam locis adductis vocatur Spiritus Chriſti, quia ille ab iſto quoque procedit. Plura loca Sac. Scripturæ refert & expendit Valentia in 1. P. Q. 10. Diſp. 2. Punct. 2. & alij Theologi.

V. Probatur 2. ex Concilijs & PP. quorum teſtimonia fusè adducit cit. Auctor. & poſt ipſum Tanner in 1. P. D. 4. Q. 4. dub. 5. Sufficit nobis Symbolum Nicenum, prout dudum ante annos ſcilicet pluſquam quingentos ob Græci palàm jam graſſantis ſchiſmatis deteſtationem publicè in tota Eccleſiâ Latina decantari cepit : his verbis : *Credo in Spiritum Sanctum Dominum & Vivificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.* Item Symbolum D. Athanaſij ab univerſa quoque Eccleſia recitari ſolitum, in quo hæc habentur : *Spiritus S. à Patre & Filio non factus nec genitus, ſed procedens* ; hâc autem additione fuiſſe idem Symbolum depravatum, tam perſpicua eſt calumnia Græcorum, quàm parùm ullo indicio antiquioris exemplaris eam comprobare poſſunt. An non etiam alij PP. Latini idipſum apertè docent ? v. g. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 5. ſic ſcribit : *Sicut habet Pater in ſemetipſo, ut de ipſo procedat Filius, ſic dedit Filio, ut de ipſo procedat Spiritus Sanctus.* Cur ergo Athanaſius, non Auguſtinus fuerit depravatus, cum idem uterque doceant ? videantur cit: Auctores.

VI. Probatur 3. Ratione : Quod procedit ex mutuo amore duorum, id ab utroque procedit amante. Atqui Spiritus Sanctus procedit ex mutuo amore duorum, ſcilicet Patris & Filij. Ergo ab utroque amante, Patre videlicet & Filio procedit. Major patet ; quia non eſt ratio, cur potiùs ab uno quàm ab altero procedat, cum æqualis ſit utriuſque amor æquè fervens & vehemens. Minor probatur ex communi Doctrina Patrum, quod Spiritus Sanctus ſit terminus divini amoris, ſicut Filius eſt Terminus divinæ Intellectionis, & ideo vocatur Spiritus, quaſi Anhelitus ; Amor enim metaphoricè dicitur ſpiratio ; quia ſicuti halitus ex corde hominis procedit, ita amor ex voluntate in objectum tendit, & illud quaſi efflat ; Amor autem ſeu Anhelitus iſte neceſſariò eſt inter duos, nempe in propoſito inter Patrem & Filium, à quorum fœcunda Voluntate divina, quæ in utróque exigit eſſe, procedit Spiritûs Sanctus. Unde confirmatur hæc probatio 1. Pater ſpirat, quia habet voluntatem fœcundam, ſeu vim ſpirandi. Sed hanc eandem etiam habet Filius, antequam producatur Spiritus Sanctus. Ergo Spiritus Sanctus non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio producitur. Confirmatur 2. De vi Spirativa eodem modo loquendum eſt, ac de creativâ. Sed hæc communicatur Filio priùs quam Pater creet. Ergo & illa. Ergo ſicut Filius acceptâ vi creativâ cum Patre creat, ita acceptâ vi ſpirativâ cum eodem ſpirat. Ergo tam ab hoc, quàm ab illo procedit Spiritus Sanctus.

VII. Hinc breviter deducitur 1. Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere tanquam ab uno Principio Spirandi. Ita definitur in Concilio Lugdunenſi, & refertur in Capitul. unico de ſumma Trinit. in 6. per verba hæc : *Fideli ac devotâ profeſſione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter à Patre & Filio non tanquam principijs, ſed tanquam ex uno principio : non duabus ſpirationibus, ſed unâ ſpiratione procedit* ; Id quod ratione ſic ſuadetur. Potentia ſpirativa includit volitionem & Relationem ſpiratoris. Sed hæc eſt eadem in Patre & Filio. Ergo eſt eadem utriuſque potentia & principium ſpirandi.

VIII. Deducitur 2. Spiritum Sanctum, ut eſt talis Perſona, poſtulare a duobus procedere, in quibus exiſtat virtus Spirativa ; quia Spiritus S. de facto procedit à Patre & Filio, ut eſt amor, ut nexus, ut vinculum utriúſque ; ſic enim loquuntur SS. PP. Auguſt. Lib. 6. de Trinit. cap. 5. Hieron. Bernard. & alij apud Vaquez de Trinit. D. 1. cap. 1. Ergo petit connaturaliter procedere a duabus perſonis invicem amantibus.

IX. Deducitur 3. Si Spiritus S. per hypotheſin impoſſibilem non procederet à Filio, ſed à Solo Patre, tunc à Filio non diſtinctum iri, ut contra Scotiſtas communiter docent cæteri Theologi ex recepto illo axiomate : *Omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.* Atqui nulla tunc obviaret Relationis oppoſitio inter Filium & Spiritum Sanctum ; quia unus alterum non produceret. Ergo &c.

X. Dicunt contra ultimum corollarium. De facto datur diſtinctio realis in divinis ſine oppoſitione Relativa. Nam Paternitas & Filiatio de facto diſtinguuntur realiter à Spiritu Sancto, & tamen non opponuntur ei relativè ; etenim opponitur ſic eidem ſolùm ſpiratio activa, & in concreto Spirator. Reſpon. Filiationem etiam, prout diſtinctam à ſpiratione activa, opponi Proceſſioni Spiritûs Sancti, ſed mediatè ſolùm & implicitè ; quia Filiatio, licet non ſit Spiratio activa, eſt tamen hujus receptio actualis. Atqui Spiritui Sancto opponitur Spiratio activa. Ergo & receptio ejuſdem ; quippe nequit receptio ſpirationis activæ eſſe in eo, cui repugnat eſſe ſpiratorem. Cùm ergo Filiatio, quæ de facto eſt, ſit acceptio Spirationis activæ, clarum eſt, ſaltem

I 2 tem

rem mediatè eam opponi Spiritui Sancto. Sed de hoc Scholaſtici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI.

E*Rror primus eſt.* Non ſolùm veterum hæreticorum, qui Filium negârunt eſſe Deum, ſed etiam aliorum ex Arianis, qui, cum Filium denique faterentur Patri eſſe conſubſtantialem, contendebant tamen, Spiritum Sanctum non Deum, ſed Filij creaturam eſſe; quod etiam ſenſerunt Macedonius & Eunomius; unde vox Arianorum, Eunomianorum, & Macedonianorum erat, Spiritum Sanctum non verum, ſed peregrinum & adſcriptitium Deum eſſe, ut refert Greg. Nazian. Orat. 5. de Theol. Valentinus ſomniavit, Spiritum Sanctum eſſe Angelum quendam, quod ſomnium etiam placuit Serveto, quibus hæreticis videtur aliquouſque conſentire Eraſmus in præfatione ad Libros Hilarii ita ſcribens: *audemus Spiritum S. Deum appellare, quod veteres non ſunt auſi.* Loci Sacræ Scripturæ, quibus malè intellectis videntur in hanc falſitatem inducti, ſunt præcipuè iſti.

XII. *Primus.* Ad Rom. 8. v. 22. dicitur: *Spiritus S. poſtulat pro nobis genutibus inenarrabilibus.* *Secundus* Joan. 17. v. 3. Chriſtus non addidit aliquid de Spiritu S. quando dixit: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* *Tertius.* Amos 4. juxta LXX. Interp. v. 13. dicitur: *Ego Dominus formans tonitru & creans Spiritum.* *Quartus.* Nomen Spiritûs non reperitur in veteri Teſtamento; vel ſi reperiatur, non Deum, ſed creaturam ſignificat. *Quintus.* Greg, Nazianz. de Theol. loquens Orat. 5. de Spiritu S. ait: *noſtri ſapientes exiſtimarunt illum partim Vim quandam & facultatem, partim Creaturam, partim Deum &c.*

XIII. Errorem iſtum abunde rejecimus ſupra Doctr. 1. quibus ſolùm addimus D. Baſilij teſtimonium lib. 2. contra Eunom. ita ſe habet: *neminem in hunc uſq; diem audivimus, qui Spiritum Sanctum creaturam appellaſſet.* Et lib. 3. contra eundem, *quomodo,* inquit, *non manifeſta impietatis eſt dicere, Spiritum Sanctum eſſe Deitatis expertem.*

XIV. Reſpon. ad 1. Spiritum Sanctum poſtulare pro nobis non formaliter, ſed cauſaliter & effectivè, quatenus adjuvat infirmitatem noſtram, ſicut ait Apoſtolus ibidem, ut ſciamus, quid nobis poſtulandum ſit; & id poſtulemus, quemadmodum oportet. Hâc etiam ratione dixit ad Gal. 4. v. 5. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater*; ſcilicet quia excitat corda, ut id clament.

XV. Ad 2. cum Baſilio lib. 5. contra Eunomium. Spiritum Sanctum in illo ipſo vero Deo, qui eſt Pater & Filius, includi; unde Gregorius Nazianzenus Orat. 5. de Theol. *Colamus,* inquit, *Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum tres proprietates unam divinitatem nec gloriâ nec honore nec eſſentiâ nec regno diviſam. Quiſquis aliter ſentit, nec Luciferum exorientem videat, ut cum Scriptura loquar, nec cæleſtis ſplendoris gloriam.*

XVI. Ad 3. cum D. Athanaſ. in Epiſt. ad Serapionem, & alijs, Sermonem ibi eſſe de vento, non de Spiritu Sancto; quippe fatendum, nomen Spiritûs ſignificare aliquando ventum, aërem, ſolem &c. ſed hoc non impedit, quominùs etiam Spiritum ſignificet, ut advertit quoque ipſe Gerhard. in ſua Iſagoge fol. 313.

XVII. Ad 4. falſum eſſe, non reperiri in veteri Teſtamento, & non ſignificare Deum. Nam Geneſ. 1. v. 2. dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ubi hebraica phraſis habet Elohim, id-eſt, Spiritus Deorum; qui à Patre & Filio procedit. Iſaiæ cap. 11. v. 2. dicitur: *Spiritus Domini,* ubi ſecundùm hebræos Tetragrammaton reperitur, & Adonai. Nec dici poteſt, Elohim non ſignificare Deum; etenim Gen. 1. v. 1. ubi habetur, creavit Deus cœlum & terram, dicitur Elohim.

XVIII. Ad 5. à D. Greg. Nazianz. in cit. loco Sapientes nominari non Patres aliquos orthodoxos, & in in Eccleſia probatos, ſed quoſcunque Chriſtianam fidem profitentes, etiamſi hæretici ſint; quemadmodum revera illi fuerunt, quorum aliquas hujuſmodi de Spiritu Sancto opiniones refert. Videri poteſt Valentia Tom. 1. D. 2. Q. 1. punct. 1. §. 25. Ex dictis patet, Eraſmum nec verè nec ſobriè ſcripſiſſe, *veteres non auſos fuiſſe, Spiritum Sanctum appellare Deum.*

XIX. *Error ſecundus* eſt Græcorum, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, ſed à ſolo Patre. Propugnator hujus erroris poſt alios acerrimus fuit Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſub annum Chriſti 1054. adeo ut Conſtantini Monomachi Imperatoris favore fretus Leonem IX. Romanum Pontificem cum ſuis excommunicatum eſſe proclamare fuerit auſus, & ſic error iſte in Eccleſia Græca à quingentis amplius annis communi & aperto jam Schiſmate viguerit, ut videre eſt apud Baron. Anno Chriſti 857. Valentiam Q. 1. cit. punct. 2. Tanner. Tom. 1. D. 4. Q. 4. Dub. 5. Bellarmin. lib. 2. de Chriſto cap. 21. & alios. Nam licet Græci & hunc, & alios errores ſæpe damnârint, ſemper tamen, quæ hominum eſt inconſtantia, ad vomitum redeuntes illum receperunt, his maximè argumentis nixi.

XX. *Primum*: Sac. Scriptura nunquam aſſerit, Spiritum S. à Filio procedere, ſed prorſus contrarium inſinuat, quod à ſolo Patre procedat; quia ejus ſolius mentionem facit Joan. 15. v. 26. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Non ſuffragatur Adverſarijs Tò *mittam eum ad vos*; Joan. 16. v. 16. etenim aliàs Filius etiam procederet à Spiritu Sancto; quia Iſai 48. v. 16. dicitur, *Dominus Deus miſit me & Spiritus ejus*: item Tò *de meo accipiet.* ibidem v. 14. tum quia ibi loquitur tantùm in futuro. tum quia ibi fit tantùm mentio de Scientia.

XXI. *Secundum.* In 4. Concilijs generalibus nulla penitus fit mentio de illa proceſſione. Nam 1. In Niceno congregato contra Arium agitur ſolùm contra iſtum negantem Chriſti Divinitatem ſub Sylveſtro Papa II. In 2. Conſtantinopolitano tractatur contra Macedonium negantem divinitatem Spiritûs Sancti ſub Damaſo Papa. 3. In Epheſino decernitur contra Neſtorium aſſerentem duas in Chriſto eſſe perſonas ſub Cœleſtino Papa. 4. In Chalcedonenſi definitur contra Eutychen

chen & Dioſcorum affirmantes in Chriſto eſſe unicam Naturam ſub Leone III. Papa.

XXII. *Tertium.* Additio illa (*Filióque*) non habetur in Codicibus græcis. Deinde in 3. Concilio generali fuit prohibita. Inſuper Leo 3. curavit, Symbolum Conſtantino inſcribi in argentea lamina ſine illa additione, quæ tamen ante annos ducentos erat facta. Unde demum Romani Pontifices de fraude ſuſpecti fuerunt, quod Symbolo Niceno hæc verba iutruſerint: *qui ex Patre Filióque procedit.*

XXIII. *Quartum.* Græci Patres vel expreſsè negârunt Spiritum Sanctum ex Filio procedere, ut Theodoretus, Theophylactus, Damaſcenus: vel aliter locuti dixerunt, Spiritum S. à Patre per Filium procedere; imò Photius affirmat, Eccleſiam Romanam etiam Occidentalem exceptis paucis non credidiſſe proceſſionem Spiritûs S. à Patre Filioque &c. Ieremias quoque Patriarcha Conſtantinopolitanus in Cenſura ad Confeſſionem Lutheranam ſcribit, quod à Synodo Nicena aliįſque ſequentibus definitum ſit, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere.

XXIV. Errorem hunc præter illa, quæ ſupra attulimus, luculenter refutat & damnat pæna, quæ illum eſt inſecuta. Nam poſtquam Græci Religionem in Concilio Florentino juramento firmatam haud ſine levitate mutârunt, atque iterum damnârunt; Machometes Rex Turcarum, Deo Græcis iraſcente, & ulciſcente perfidiam eorum circa proceſſionem Spiritûs S. à Patre Filióque, Conſtantinopolin cepit in ipſis ferijs Pentecoſtes, & Conſtantino XI. Imperatore (ut à Conſtantino ortum cum Conſtantino deficeret Imperium) interfecto ingentes Nobilitatis ac vulgi ſtrages edidit. An. 1453.

XXV. Reſpon. ad 1. quamvis adducto Joan. loco nulla fiat mentio Filij, non tamen negari, ſed alijs locis ſufficienter indicari, ut oſtenſum. Unde ad illum locum bene Auguſt. lib. 3. contra Maximin. c. 14. ſcribit, *non dici, quia à Patre ſolo procedit, ad excludendum Filium; ſed qui à Patre procedit, ad deſignandum Patrem eſſe fontem emanâtionum divinarum.* Addit Beda in Dominicam Exaudi, *non dicere Filium, procedere Spiritum S. à ſe, ſed à Patre; quia illud prius jam expreſſerat dicendo, mittam eum ad vos*, quam explanationem tanquam communem aliorum Sac. Scripturæ Interpretum affert Tirinus in locum cit. Atque hinc generalis illa Regula eſt ex Sac. Scriptura: quod omne, quod de una Perſona in Sanctiſſima Trinitate dicitur, id etiam intelligatur de alterâ, niſi ſolùm in his, quæ unam perſonam in eſſe Perſonæ conſtituunt, quale non eſt ſpiratio activa &c.

XXVI. Fundamentum noſtrum ex Joan. 16. non infringitur inſtantijs allâtis. Nam Iſaiæ 48. v. 16. innuitur ſolùm miſſio Chriſti ſecundùm Humanitatem ad Redemptionem generis humani à Patre; & Spiritu S. ſecundùm interpretationem Patrum. Quando autem Joann. 16. cit. dicitur in futuro: *mittam eum*; non id fit per reſpectum ad Mittentem aut ad Miſſum; quia miſſio, ut ſic, ſemper fuit, eſt, & erit, ſed per reſpectum ad Apoſtolos, ad quos miſſurus erat. At verò Tò *de meo accipiet*, ponitur in futuro ad ſignandum, illam acceptionem eſſe æternam, & complectentem eminenter omnia tempora, atque ad iſta accomodari poſſe, ut docet S. Auguſt. Tract. 91. in Joan. Licet autem mentio fiat ſolius ſcientiæ, tamen proceſſio Spiritûs S. à Filio ritè infertur; ſi enim ille omnem veritatem accepit ab iſto, non alio modo accepit, quàm per ſuam proceſſionem.

XXVII. Ad 2. Inprimis ab auctoritate negativa non valere conſequentiam. Deinde à Concilio Niceno non fuiſſe aliquid definitum; quia nondum erat mota ulla controverſia circa proceſſionem Spiritûs S: At exortis Macedonianis & Arianis, qui Spiritum S. à ſolo filio procedere contendebant, primùm Concilium Conſtantinopolitanum addidiſſe Symbolo Niceno, *qui ex Patre procedit.* Poſteà ſubſecuto Græcorum errore, quaſi Spiritus S. à ſolo Patre procederet, Eccleſiam adjunxiſſe *Filioque*; quæ additio non fuit fraudulenta; quia non inſeruit tanquam verba Niceni Concilij, ſed tanquam ejus ſupplementum, idque jure ſuo, quod habet in univerſa Concilia, ſicuti Princeps ſuorum Conciliorum Scriptis, quæcunque vult, adjungere poteſt; quo autem tempore, & à quo Pontifice illa additio facta fuerit, non conſtat; probabile eſt, non multò ante vel poſt annum 600. accidiſſe: Demum in Concilio Conſtantinopolitano III. approbatam & lectam fuiſſe epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium; in qua hæc verba continentur: *Spiritus appellatus eſt Veritas; & Veritas Chriſtus eſt; unde ab ipſo ſimiliter, ſicut à Patre procedit:* Item in VII. quod fuit Nicenum II. ſub Adriano Papa lectum fuiſſe Nicenum cum hac additione, *qui ex Patre Filioque procedit.*

XXVIII. Ad 3. Negari, quod non habeatur, quia Latini in Concilio Florentino Seſs. 5. & 7. produxerunt antiquiſſimum exemplar, in quo erat illa additio. Quantumvis autem in illo 3. Concilio generali fuerit prohibitum, ne quid innovaretur circa Symbolum, hoc tamen ſolùm concernit Auctoritatem non habentes; Nunquid aliquid additum fuit Symbolo Apoſtolorum in Symbolo Niceno, & Conſtantinopolitano: & huic in Chaceldonenſi? Leo III. curavit Symbolum Conſtantino inſcribi in Lamina argentea ſine illa additione ſolùm, ut remaneret Symbolum, ſicut erat; & ut ei honor redderetur, ne Græci contemni ſe à Latinis putarent.

XXIX. Ad 4. Quoſdam ex PP. non eſſe curandos, quia vel fuerunt tunc hæretici, ut Theodoretus Epiſcopus Cyri, qui ab initio fuit Neſtorianus, quamvis poſtea reſipuerit: vel Schiſmatici, ut Theophylactus Archiepiſcopus Bulgarorum, qui in Commentario ad Caput 3. Joannis reprehendit Latinos, quod credant Spiritum Sanctum etiam procedere à Filio. Vide Bellarmin. de Scriptor. Eccleſiaſticis. Cæteri explicari commodè poſſunt; dum enim dixerunt, Spiritum S. procedere à Patre per Filium ſolùm innuere volunt, Filium vim ſpirandi, hoc eſt, voluntatem amandi accepiſſe à Patre, & ſic Spiritum S. duplici quaſi modo à Patre procedere, uno immediatè, alterò mediatè per Filium; quod enim quis per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur. Quæ ex Photio & Jeremia Patriarch. Conſtantinop. adjecta fuerunt, apertiſſima ſunt mendacia, & ex vano hauſta, eòdem recidunt. Videri poteſt S. Thomas in 1. P. Q. 36. Art. 3. Valent. loc. cit. Bernardinus Vetvveis in Speculo veræ Eccleſiæ à fol. 137. & alij.

XXX. Solùm obiter notârim, Lutheranos & Calviniſtas turpiter impingere, dum Sectæ ſuæ

Digitized by Google

amplitudinem & antiquitatem à Græcis Schiſmaticis approbatam volunt. Tum quia Græci in præſenti puncto æquè à Sectarijs, ac Catholicis diſſentiunt. Tum quia ad ſummum ceperunt primùm circa annum Chriſti octingenteſimum. Tum quia in pleriſque alijs fidei articulis ijdem Græci conſentiunt Catholicis, & Sectarios in numerum Sociorum ac Confratrum accipere nolunt.

CONTROVERSIA X.

AN CHRISTUS FUERIT VERUS HOMO?

DE Chriſto ait D. Paulus ad Philipp. 2. v. 6. & 7. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo*, hoc eſt, figurâ & ſpecie externâ fuit, ut quivis alius homo, cùm tamen eſſet ſingulariter Deus-Homo, inquiunt Chryſoſt. & Theophylactus. Cum ergo de Divinitate Chriſti egerimus, porro de ejus Humanitate agendum. An verus fuerit Homo: & an per omnia ſimilis nobis?

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Chriſtus verus eſt homo. Ita Fides Catholica ex innumeris Sac. Script. locis; inter quos eſt allatus Textus D. Pauli ad Philip. 2. Et quando Chriſtus ipſe in Evangelijs paſſim ſe appellat *Filium hominis*, qui ſanè debet eſſe homo. Singulariter autem evincitur ex Promiſſionibus Abrahæ, & Patribus à Deo factis, Meſſiam ex eorum ſemine naſciturum, & Filium Virginis futurum. Hinc illud Deuteron. 8. v. 15. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me* (Legiſlatorem ſcilicet) *ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*: & Iſaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Item ad Gal. 3. v. 16. Paulus vocat Chriſtum *ſemen Abraham.* Et ad Rom. 1. v. 3. ait de eo: *factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem*; quod tamen non ſic intelligendum, quaſi immediatè conceptus ſit ex ſemine David, vel Abrahæ, aut Filiorum utriuſque, ſed mediatè, quatenus carnem accepit ex Virgine, quæ erat ex illorum ſemine. Eadem Fidei noſtræ veritas ſpeciatim declaratur in Symbolo D. Athanaſij his verbis: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini noſtri JESU Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius Deus & homo eſt; Deus per ſubſtantiam Patris, ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris, in ſæculo natus, perfectus Deus, perfectus homo ex animâ rationali, & humana carne ſubſiſtens, &c.* Quibus verbis ratio hujus veritatis aſſignatur. Quicunque habet animam rationalem, & verum corpus humanum, eſt verus homo. Sed Chriſtus habet animam rationalem, & corpus humanum. Ergo eſt verus homo.

II. In hoc diſcurſu Major conſtat ex definitione hominis, cujus tota eſſentia in his duabus partibus inter ſe unitis conſiſtit. Minor quoad corpus, patuit ad oculum intuentibus: quoad animam verò effectus docuit; quippe habuit Chriſtus omnes operationes, quas anima rationalis in humano corpore habere ſolet, locutus eſt, ratiocinatus eſt, miratus eſt, &c. Rurſus de Corpore ſuo ait Chriſtus Lucæ 24. v. 2. *Palpate & videte, quia Spiritus Carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: de Anima verò Matth. 26. v. 38. *triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.* Et Joan. 10. v. 15. *animam meam pono pro ovibus meis.* Advertendum verò, quando Joan. 1. v. 14. dicitur: *Verbum Caro factum eſt*, non ſignificari divinitatem Chriſti converſam in carnem, ut verba præſeferunt, ſed carnem juxta hebraicum idioma ſumi pro toto homine, ut ſenſus ſit: Verbum Caro factum eſt Homo non per tranſmutationem, ſed unionem, ſicut exprimit Athanaſius in Symbolo: *non converſione Divinitatis in Carnem, ſed aſſumptione Humanitatis in Deum*, ut ex ſequentibus magis conſtabit.

III. Porro promiſſiones de Chriſto, quas diximus factas Abrahamo & Davidi jam re ipſâ eſſe impletas, & Meſſiam de facto veniſſe, nominatim contra Judæos probant luculenter Theologi multis argumentis in 3. P. D. Thomæ. Præclarum hujus teſtimonium, & quo paſſim utuntur SS. Patres, habetur Geneſ. 49. v. 10. ubi Jacob Patriarcha in benedictionibus Judæ vaticinatur: *non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*; conſtat autem ex hiſtoricis manifeſtè, circa tempus adventûs Chriſti ablatum fuiſſe ex integro ſceptrum de Juda, (quæ Tribus primò per Davidem acceperat principatum) & tranſlatum in Herodem alienigenam, neque ullus tunc poteſt excogitari, quàm Chriſtus, quem nos agnoſcimus. Dixi contra Judæos. Nam contra Gentiles nullam Scripturam tanquam Verbum Dei admittentes non poteſt aliter probari, quàm reddendo eam veritatem evidenter credibilem per generalia fidei noſtræ motiva, & nominatim per Chriſti aliorúmque miracula in Confirmationem hujus myſterij facta; uti Chriſtus ipſe innuit Joan. 10. v. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*; nempe tam apud eos, qui ea vident, quàm qui ea audiunt, & fide ſaltem hiſtoricâ percipiunt. Contra hæreticos verò unicus ille Locus Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, adeo clarus eſt pro ea veritate & Incarnationis exiſtentia, ut ſuperfluum ſit, alia, quæ innumera ſunt, teſtimonia referre.

IV. *Doctrina ſecunda.* Unio Verbi cum Humanitate facta eſt in Perſona Verbi ſeu Suppoſito, ita ut licet duæ ſint Naturæ in Chriſto, tamen unica tantùm ſit Perſona, propter unicam Subſiſtentiam, quæ utrámque Naturam terminat. Ita omnes Catholici. Supponendum ex Philoſophia, hominem componi ex octo partibus; Metaphyſicis ſeu gradibus Entitativis inter ſe ſubordinatis; quorum quinque ſunt eſſentiales, ſcilicet. Ens, Subſtantiâ, Corpus vivens, Animal, Rationale: tres complentes ac perficientes Eſſentiam.

1. Eſt

Digitized by Google

1. Eſt Hæcceitas ſeu ſingularitas, vel individuatio, per quam diſtinguitur ab alijs entibus ejuſdem naturæ, ut Petrus à Paulo.

2. Exiſtentia, quæ tribuit eſſe actuale, & extrahit è potentiâ cauſarum, ubi latebat.

3. Subſiſtentia ſeu Perſonalitas græcè hypoſtaſis, quæ eſt ultimum complementum, & perficit ſubſtantiam, ut non egeat alio ſuſtentaculo vel complemento, ſed per ſe & ſine alterius conjunctione poſſit exiſtere; ſic Nubes in aëre volans nullo eget ſuſtentaculo: columna verò marmorea, quantumvis ſolida & omnibus partibus abſoluta non poteſt exiſtere, niſi à terra ſuſtineatur. Hoc notato;

V. Probatur Doctrina noſtra primò ex varijs Concilijs contra Neſtorium alioſque hæreticos duas diſtinctas Perſonas aſſerentes, & unam tantùm illarum eſſe verum Deum: alteram verum hominem. Sufficiat nobis illud ex Symbolo Athanaſij ab Eccleſia recepto: *Qui licet Deus ſit & Homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus, unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Ex quibus verbis habetur, duplicem quidem in Chriſto eſſe Naturam, unam verò ſolam Perſonam. Probatur 2. Ratione. Tum quia humanitas Chriſti omnes prædictos gradus naturales, & concreatos habuit, ſola ſubſiſtentiâ caruit, cujus loco Filius Dei ſuam Perſonalitatem illi communicavit, & interveniente Unione hypoſtaticâ quaſi vinculo ſibi colligavit. Tum quia quando dicitur Verbum caro factum, id non poteſt, niſi uno ex his duobus modis intelligi, vel quia hypoſtaticè eſt illi unitum, vel quia Verbum converſum eſt in carnem. At hoc poſterius eſt impoſſibile, Ergo prius illud tenendum, dicendúmque, Humanitatem ſuâ propriâ ſubſiſtentiâ deſtitutam ſubſiſtere Hypoſtaſi Verbi, atque ità in Chriſto eſſe quidem duas Naturas, unicam tamen ſolùm Perſonam ob unicam Perſonalitatem Divinam.

VI. Dicent. Natura Divina, & Perſona non diſtinguuntur realiter in Verbo. Ergo ſi unio facta eſt in Perſona, etiam in Natura. Reſpon. hinc ſolùm ſequi, Naturam Divinam eſſe mediante Perſonalitate Verbi unitam humanæ naturæ, & eo ſenſu, nempe mediatè, unionem factam eſſe in Natura, quod libenter admittimus, cum aliud inde non inferatur, quàm poſt unionem eſſe duas Naturas, unam verò Perſonam. Quamvis autem Natura & Perſonalitas in Deo non diſtinguantur realiter, diſtinguuntur tamen virtualiter; quia una eadémque ſimpliciſſima Dei Entitas ob ſui eminentiam & perfectionum plenitudinem æquipollet rebus diſtinctis, ideóque contradictoria prædicata ſecundùm diverſum reſpectum ſuſtinet; de qua diſtinctione plura Theologi, & nos nonnihil ſuprà jam diximus.

VII. Cæterùm Unio hæc Hypoſtatica humanam Naturam tam arctè complexa eſt, ut etiam poſt mortem Chriſti (licet diviſis ab invicem corpore, & anima, imò etiam loco ſeparatis, cum Anima in Infernis verſaretur, Corpus autem in ſepulchro jaceret) neutram partem reliquerit. Hinc Theologi dicere ſolent, *Verbum nihil dimiſiſſe, quod ſemel aſſumpſerat*; intellige è partibus totalibus; nam minores particulæ, quæ vel quotidianâ vi caloris conſumptæ ſunt, vel in cruce effuſæ & in terra relictæ, nunc inter Reliquias aſſeruantur, non manſerunt Verbo unitæ, ut pluribus explicant Scholaſtici.

PARS POSTERIOR

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. Multi olim & graves Errores contra Humanitatem Chriſti graſſabantur, & hodie adhuc nonnulli clanculùm ſerpunt in aliquibus Europæ partibus. *Primo* fuit Manichæorum à Manete ſive Manichæo, qui putàverunt Chriſtum tantùm habuiſſe corpus phantaſticum ex aëre confictum, quod colorum & figuræ ſimilitudine oculis tantùm illuderet, ſicuti faciunt Angeli humanâ ſpecie apparentes. Ita atteſtatur D. Auguſt. hæreſi 46. Nitebantur maximè illis Apoſtoli verbis ad Philipp. 2. v. 7. ſupra citatis: *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ubi tribus verbis formæ, ſimilitudinis, & habitûs tantùm externa ſpecies & apparentia, non verò hominis eſſentia indicatur.

IX. Errorem hunc ſufficienter jam rejecimus. Et veritas Naturæ humanæ in Chriſto ab ipſomet multis argumentis aſſerta eſt poſt Reſurrectionem quadraginta diebus, quando Diſcipulis ſuis præbuit ſe ipſum vivum, ut ait Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 3. unde Luc. 24. v. 12. cit. *Palpate* inquit, *& videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicuti me videtis habere.* Hinc Joan. 1. cap. 4. v. 2. dicitur: *omnis Spiritus, qui non confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Apoſtolus ad Philipp. per formam non intellexit externam ſpeciem & apparentiam, ſed internam Naturam & Eſſentiam, ut p[illegible] et ex antecedentibus verbis: *cum in forma Dei eſſet, &c.* ubi per formam non poteſt intelligi externa ſpecies, ſed ipſa Dei Eſſentia, quaſi diceret, cum eſſet verus Deus. Ergò nec per formam ſervi intelligenda eſt externa ſpecies, ſed interior natura hominis. Per ſimilitudinem verò & figuram hominis poteſt intelligi exterior ſpecies hominis hoc ſenſu: cum eſſet verus Deus, factus eſt homo, & quoad externam ſpeciem ac modum vivendi nobis tam ſimilis, ut purus homo videretur, ſicut illum Judæi exiſtimârunt eſſe, quod fuit ad laudem Humanitatis Chriſti adeo ſe demittentis ad noſtram ſimilitudinem.

X. *Secundus Error eſt* Valentinianorum, qui aſſeruerunt, Chriſtum habuiſſe corpus non terreſtre, ſed cæleſte ex materia Cœlorum confectum, ideóque non genitum ex Virgine, ſed quòd per eam tranſierit ſolùm quaſi per fiſtulam aut rimam, ut ait S. Auguſt. hæreſi 11. & alij. Decepti ſunt verbis Apoſtoli pravè intellectis 1. ad Corinth. 15. v. 15. dicentis: *Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cælo Cæleſtis.*

XI. Error iſte maximè reijcitur ex illis Sac. Scripturæ locis, in quibus Chriſtus dicitur conceptus de Virgine Iſaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium:* natus ex Maria. Math. 1. v. 16. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus:* factus ex ſemine David. Ad Rom. 1. v. 3. *Qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem.* & paſſim alibi. Unde patet manifeſtè commentum Valentini; ſi enim Chriſtus ex Virgine nihil ſumpſiſſet, ſed per eam tantùm tranſiviſſet, nequaquam dici poſſet ejus Filius

Digitized by Google

lius, ex eáque natus, ut oſtendit etiam Irenæus Lib. 3. cap. 32. Apoſtolus ad Corinth. non dicit, Chriſtum cœleſtem ratione materiæ, ſed reſpectu cauſæ efficientis, quia Cæleſti virtute Spiritûs Sancti conceptus fuit.

XII. *Tertius Error* eſt Apollinariſtarum ab Apollinario Laödiceno appellatorum, qui finxerunt, Chriſtum habuiſſe quidem verum corpus, ſed animâ rationali deſtitutum, rati ejus loco ſufficere Verbum Divinum corpori unitum ad exercendas intellectuales operationes, ut fruſtra fuerit anima. Ita referunt Epiphanius hæreſi 77. & Auguſt. hæreſi 55. Nituntur verbis illis Joan. i. v. 14. *Et Verbum caro factum eſt.* Ergo, inquiunt, caro tantùm, non anima fuit à Verbo aſſumpta.

XIII. Error hic abunde refutatus eſt ſupra doctrinâ primâ, & contra illum extat definitio Eccleſiæ in profeſſione Fidei Catholicæ ſub Damaſo Papâ, quæ habetur Tom. 1. Conciliorum inter Epiſtolas Damaſi. Item in Concil. Epheſ. Can. 3. & alijs. Ratio adducta probat etiam unionem eſſe tollendam, quia Deus operari poteſt in corporibus etiam non aſſumptis, ſicuti Diaboli in obſeſſis corporibus energumenorum loquuntur, diſcurrunt, &c. Ad fundamentum ex Sac. Script. jam etiam diximus, ibi carnem accipi per ſynechdochen pro tota Natura humana, ut cum S. Thomâ P. 3. Q. 5. art. 3. communiter explicant Theologi.

XIV. *Quartus Error* eſt Neſtorij, qui ex Hypocrita Presbytero Conſtantinopolitanus Patriarcha, antiquiores hæreticos ſecutus negavit unionem factam eſſe in Perſona, hoc eſt, humanam Naturam ita unitam eſſe Verbo, ut vi unionis una eademque perſona verè ac propriè eſſet Deus & Homo; unde conſequenter aſſeruit, duas eſſe perſonas Deum & hominem, ita tamen ut Deus huic Homini ſpecialiſſimo affectu & gratiâ conjungeretur, vi cujus moralis conjunctionis aliquomodo ille homo diceretur Deus. Ex quo tria inferebat Conſectaria. 1. Chriſtum non ſignificare utrámque Perſonam, Deum ſimul & hominem, ſed ſolùm Hominem. 2. Chriſtum non eſſe Deum, ſed Deiferum. 3. Beatam Virginem non genuiſſe Deum, ſed purum hominem. Hinc impius hæreſiarcha vehementer invectus eſt in titulum Deiparæ, nec ferre potuit Beatiſſimam THEOTOKON appellari.

XV. Error iſte damnatus eſt primò in Concilio Epheſino, & de eo in Synodo V. Generali Can. 5. ſic ſtatuitur: *Si quis in myſterio Chriſti conatur intraducere duas ſubſtantias vel perſonas, & introductis duabus perſonis unam perſonam dicit per dignitatem & honorem, ſicut Theodorus & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt, & non confitetur Dei Verbum carni ſubſtantialiter uniri, & propterea unam ejus ſubſtantiam vel perſonam, anathema ſit.* Eundem damnant alia Concilia & reijciunt omnes Theologi. Inductus eſt Neſtorius in peſtilentem hanc hæreſin ex eo, quod æſtimaret, unam Naturam humanam & Perſonam eſſe adæquatè idem; unde intulit, & quidem conſequenter, cum ex duabus perſonis non poſſit fieri una, hoc ipſo non poſſe fieri unam perſonam per unionem humanæ Naturæ cum Verbo.

XVI. Notandum hic ſedulò, SS. Patres nondum exiſtente hæreſis periculo nonnunquam ſecuriùs, at minùs accommodatè ad Dialecticæ normæ rigorem locutos fuiſſe, ſæpe uſurpando nomina Concreta pro Abſtractis, ut cùm dicunt, *Filium Dei hominem aſſumpſiſſe*: aut *hominem unitum fuiſſe Verbo &c.* Hujuſmodi quædam etiam leguntur apud poſteriores Patres; utique omnia pio & ſano ſenſu intelligenda, quando ex alijs eorundem PP. teſtimonijs perſpicuè conſtat, eos Catholicæ fidei ſynceros fuiſſe Sectatores. Similiter piè explicandum, ſi quis forſan ex Veteribus uſpiam dixerit, *Chriſtum eſſe hominem Deiferum*, quod tamen apud SS. PP. hactenus non reperitur.

XVII. *Quintus Error* eſt Eutychetis Archimandritæ, qui decimo anno poſt damnatum Neſtorium ſub annum Domini 451. cùm abominaretur errorem Neſtorij, nec tamen ſciret diſtinguere inter Naturam & Perſonam, exiſtimavit, non eſſe alium modum defendendi unitatem perſonæ in Chriſto, quàm ſi dicatur, ex duabus naturis divinâ ſcilicet & humanâ factam eſſe Unam Naturam; adeoque negabat in Chriſto duas naturas hoc ipſo, quia ſecundùm ipſum duæ naturæ erant duæ perſonæ. Cum autem urgeretur, imperceptibile eſſe, ut ex duabus naturis fieret una natura, eò ineptiarum venit, ut diceret, Naturam divinam converſam eſſe in humanam, ſeu in carnem; cum autem hujus propoſitionis abſurditas illi demonſtraretur ex eo, quod id, quod convertitur in aliud, deſinere debeat: Natura autem divina utique non deſierit, mutavit ſuam mentem, & tandem dixit, Carnem eſſe converſam in Naturam divinam. Denique ad plures hujuſmodi ſtoliditates admittendas adactus fuit vel ipſemet, vel ejus Sectatores, ut ultimò dicerent, ex duabus naturis factam eſſe unam commixtionem, ſicuti fit mixtum ex elementis, quæ non actu, ſed tantùm virtute in mixto manent. Ita illum intelligunt Bellarm. Suarez, Valentia, Mendoza, Lugo, Ariaga & alij Theologi plerique.

XVIII. Error hic longè abſurdiſſimus eſt, ideóque damnatus à multis Concilijs, præſertim Chalcedonenſi Actione 5. in Symbolo Fidei ſub Leone Papa. ubi dicitur: *Confitemur in noviſſimis diebus Filium Dei Unigenitum in duabus naturis, inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter cognoſcendum, nunquam ſublatâ differentiâ Naturarum propter unionem.* Idem refutatur illis teſtimonijs Scripturæ, quibus aſſeritur Chriſtus Deus & homo; quippe ijſdem aſſeruntur etiam duæ naturæ incorruptæ.

XIX. Non patrocinatur prædicto errori illud in Symbolo Athanaſij: *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.* Bene enim S. Thom. P. 3. Q. 2. art. 2. ad 2. reſpondet, cùm in unoquoque noſtrum duplex ſit unitas, Naturæ ſcilicet, & Perſonæ; naturæ quidem ſecundùm quod anima unitur corpori: perſonæ verò, in quantum eſt unus aliquis, ſeu una perſona ſubſiſtens in carne & animâ, Similitudinem Athanaſij non pertinere ad priorem unitatem; quia Natura divina non poteſt eſſe corporis forma: ſed ad poſteriorem; quia ex utraque naturâ in Chriſto una conſiſtit Perſona. Videri poſſunt cit. Theologi.

XX. Eidem non ſuffragatur illud Cyrilli recitatum in Concilio Chalcedonenſi Actione 1. *Non oportet intelligere ducas naturas; ſed unam Naturam Dei Verbi incarnatam.* Nam cum per carnem intelligatur ipſa natura humana, certè non natura

tura humana, ſed ſolùm Natura divina dici poteſt incarnata, ſeu caro facta: aut ſolùm vult Cyrillus contra hæreticos dicere, non eſſe ita duas naturas, ut etiam ſuppoſito diſtinguantur, in quem modum illum explicat Tanner Tom. 4. D. 1. Q. 3. Dub. 2.

XXI. *Error ſextus* eſt (omiſſis alijs) Schvvenckfeldianorum, qui à Gaſpare Schvvenckfeldio nominati, & Lutheri antagoniſtæ concedunt quidem Chriſto unum corpus & animam, ſed affirmant, corpus poſt aſcenſum in Cœlum fuiſſe Deificatum, non quidem per tranſmutationem in Deum, cum adhuc haberet oſſa, carnem, Sanguinem &c. Sed per novam unionem cum Divinitate, ſicut caro imbalſamata, ignita, illuminata &c. hiſce enim ſimilitudinibus utuntur, idque perſuadere conantur ex aliquot Scripturæ locis.

XXII. Joan. 17. v. 5. Chriſtus oravit ad Patrem: *nunc clarifica me Pater apud te ipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te.* Ubi Chriſtus non petijt clarificationem ſuæ Divinitatis, quam ſemper habuit, ſed humanitatis, non per creatam aliquam, quæ non fuit, priuſquam mundus fieret, ſed per claritatem divinam. Petijt ergo, ut ſua caro Deificaretur, & per novam unionem Deus fieret. Deinde Apocalypſ. 5. v. 12. Joannes adducit Angelos in Cœlo clamantes de Chriſto: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & Divinitatem*; Atqui non poteſt accipere Divinitatem, quà Deus. Ergo quà homo, ut ipſe Chriſtus inſinuavit Math. 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.* Apoſt. ad Epheſ. 1. v. 20. Summam Chriſto tribuit poteſtatem, ut nihil ſublimius cogitari poſſit, adeóque divina eſſe debet, ſic enim ait: *Secundùm potentiam virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in Cœleſtibus ſupra omnem poteſtatem, & principatum & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.* Ergo fecit illum Deum. Actorum 2. v. 23. ait Petrus: *Certiſſimè ſciat omnis Domus Iſraël, quia & Dominum Eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis*; quod dominium planè divinum eſſe, patet, ex antecedentibus verbis Pſal. 107. quibus utitur Petrus: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à Dextris meis.* Atqui ſeſſio à Dextris Dei ſignificat æqualitatem cum Deo, ubi primò poſt paſſionem collocatus eſt; etenim de tempore locutus eſt David, ut patet ex contextu totius Pſalmi.

XXIII. Error iſte pluribus refutatur in Diſp. P. Joan. Buſæi. Ego puto minimè illis indigere, cum clarè coincidat in hæreſim Eutychetis paulò ante rejectam, & Ubiquiſtarum; de qua opinione infra dicemus. Actorum 10. v. 42. de Chriſto dicitur: *Ipſe etiam, qui à Deo conſtitutus eſt Judex vivorum* ac mortuorum: & Joan. 5. v. 27. *Poteſtatem Dedit ei* (Pater) *judicium facere; quia Filius hominis eſt.* In quem locum D. Auguſt. Tract. 19. in Joan. *Judicium,* inquit, *à Filio per eam formam eſt futurum, quam non habet Pater.* Ergo Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam habet & retinet Naturam humanam; hanc quippe non habet Pater; & quomodo aliàs Filius hominis facturus eſſet judicium, ſi natura humana in Chriſto non perſtitiſſet, ſed in Deitatem tranſijſſet. Ait Schvvenckfeldius, Humanitatem Chriſti non deſtrui, nec tranſmutari in Deitatem, ſed huic de novo cum ſui exaltatione uniri. Sed contra. Vel Natura humana per hanc novam unionem manet eadem, ſicuti prius erat, vel acquirit verè divinum Eſſe; ſi prius; in re aſſentitur Catholicis, quamvis malè loquatur, & fruſtra novam unionem ponat: ſi poſterius, planè cum Eutychianis ſentit, quidquid enim in ſe ipſo (non in eodem ſolùm ſuppoſito) habet divinam Eſſentiam & proprietates, non eſt amplius humanum & creatum. Natura humana habet in ſe ipſa (non in eadem duntaxat Perſona) divinum Eſſe, & proprietates. Ergo non eſt amplius aliquid humanum & creatum, ſed cum deſtructione ſui tranſijt in Deitatem, aut cum hac confuſa fuit, ut tertia aliqua natura enaſceretur, ſicuti voluêre Eutychiani.

XXIV. Ex S. Scriptura miror Schvvenckhfeldium argumentari contra nos, cum ipſe totam Sac. Scripturam contemnat ſolo inſtinctu Spiritûs S. fultus. Sed nec ejus intento favent allata teſtimonia.

XXV. Joan. 17. claritas, quam Chriſtus petivit à Patre, non fuit nova collatio divinitatis, ſed ejus præhabitæ manifeſtatio, ut ab hominibus agnoſceretur verus Deus, qualis ab initio fuerat. Aut ſi de cæleſti gloria ſermo ſit, ut putat Tirinus, petit Chriſtus, ut gloria illa, quam ab æterno, ut Deus, habuit, etiam communicetur & diffundatur in carnem, non iſtam immutando in Deitatem, ſed exaltando, ut præ omnibus alijs Sanctis ad dexteram Dei accedat, & emineat non in dignitate increatâ, ſed creatâ, ut rectè cum alijs citatus Auctor.

XXVI. In Apocalypſ. 5. acceptio Divinitatis ſignificat adorationem Deo debitam, quaſi diceret Angelus: dignus eſt Agnus, ut colatur tanquam Deus, quia verè eſt Deus, ut cum S. Thom. 3. P. Q. 19. a. 3. communiter exponunt cæteri Theologi, & Sac. Scripturæ Interpretes.

XXVII. In Epiſt. ad Epheſ. 1. Exaltatio ſuper omnes creaturas Chriſto etiam quà homini competit; quia omnes ſunt illi ſubjectæ, ſed infrà Deum; quia dominium in omnes creaturas Deo per ſe competit à nullo alio acceptum, nec ab ullo dependens: Chriſto verò quà homini dominium fuit conceſſum à Patre; atque ab hoc dependens. Ita ex Auguſt. Hieronym. & alijs in cit. locum Tirinus.

XXVIII. In Actis Apoſt. 2. & Pſal. 107. Seſſionem ad dextram non ſignificare æqualitatem cum Deo, ſed proximam dignitatem poſt Deum; ſicuti Mater filiorum Zebedæi Math. 20. v. 20. petijt à Chriſto: *dic ut ſedeant hi tuo filij mei unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* utique non cupiens illos Chriſto Regi pares fieri, ſed proximos officiales.

XXIX. Dicet Schvvenckfeldius, Patres & Theologos per Seſſionem ad dextram Patris intelligere ſummam ac perennem Chriſti Dei & Hominis dignitatem, auctoritatem, potentiam, beatitudinem & gloriam. Reſpon. verum eſſe; quia ſuprema illa dignitas convenit Chriſto non ſolùm ſecundùm Divinitatem, ſed etiam ſecundùm Humanitatem, ſed non pari modo; etenim Chriſto Deo convenit increata & divina: Chriſto verò homini ſolùm creata, ut bene declarat S. Auguſt. Lib. de Fide & Symbolo cap. 7. quæ

dignitas creata reſpectu Chriſti, quà hominis, nihil aliud eſt, quàm ipſum eſſe in poteſtate, dignitate, & gloria primum ſeu proximum poſt DEUM.

CONTROVERSIA XI.

AN CHRISTUS QUA HOMO nobis per omnia fuerit ſimilis?

QUamvis, ut diximus, Chriſtus inventus fuerit, ut homo, hoc eſt, Eſſentiâ humanæ Naturæ nobis omnino ſimilis, ut docet etiam S. Auguſt. Tract. 17. in Joan. & alij. Attamen in Accidentibus ſeu adjunctis multas prærogativas habuit tam in corpore, quàm in anima. De quibus nunc agendum, & aliquid etiam obiter dicendum de modo & circumſtantijs partûs Virginei; quæ, licet ad propoſitum facere non videantur, cum controverſa inter nos & hæreticos non ſint, quia tamen præſtantiam corporis Chriſti oſtendunt, idque ſupra cætera Hominum corpora extollunt, ſilentio prætérire nolui; ſiquidem non eſt animus, ſolos hæreticos refellere, ſed etiam Catholicos erudire & ſtabilire.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Corpus Chriſti fuit quidem formatum in utero Beatiſſimæ Virginis tanquam loco conceptionis naturali: modo tamen diverſo & nobiliore. Prima pars apertè patet ex Math. & Luca. 1. Et ex puriſſimis ſanguinibus Beatiſſimæ Virginis fuiſſe Corpus Chriſti formatum ex San. Damaſceno Lib. 3. cap. 2. docet S. Thom. Parte 3. Q. 31. art. 5. cum cæteris Theologis, haberurque in 6. Synodo. Actione 11. Epiſt. Sophronij. Hoc namque ad Maternitatem Virginis, & generationem Chriſti ex Virgine planè neceſſarium erat; ſiquidem juxta Ariſtot. de gener. animal. cap. 18. & 19. materia humanæ conceptionis eſt ſanguis mulieris defæcatior.

II. Secunda pars declaratur. Juxta communem Doctrinam Medicorum nos homines ita concipimur. Inprimis maternus ſanguis, ex quo formandum eſt corpus, in certum locum uteri materni, hoc eſt, in matricem colligitur. Deinde ſanguis ita collectus ope ſeminis paterni in certa membra figuratur, prout anima rationalis poſtulat, quæ figuratio aliquot menſes durat, ſicuti de ſemetipſo teſtatur Salomon Sapient. 7. v. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre Matris figuratus ſum Caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente.* Denique corpore ſufficienter formato ſeu figurato Deus infundit animam, fitq; homo exiguæ admodum parvitatis. At corpus Chriſti ex puriſſimo virginis ſanguine abſque ullo ſemine paterno intra momentum ope Spiritûs S. formatum, animatum, & Verbo unitum fuit, nempe in ultimo inſtanti conſenſûs materni, hiſce verbis expreſſi: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum, Luc. 1. v. 38.*

III. Dixi 1. in verbis Salomonis *decem menſium tempore.* Nam licet aliqui naſcantur ſeptimò, octavò, decimò, vel undecimò menſe; quia tamen optimi & perfectiſſimi fines ſunt novem menſes Solares, ſeu decem Lunares inchoati, & hic ſit maximè naturalis ac communis terminus, idcirco iſtius ſolius Salomon meminit, cum de ſuo natali mentionem inducit. Videri poteſt Tirin. in cit. locum. Dixi 2. Corpus Chriſti intra momentum formatum; ubi tamen hic ordo eſt ſervatus, ut 1. puriores partes ſanguinis fuerint delatæ in ſuum locum generationi deſtinatum. 2. ut ille ſanguis fuerit figuratus. 3. ut condenſatus fuerit ſecundùm proportionem loci continentis. 4. ut in ipſum ſic alteratum & diſpoſitum fuerit introducta forma organica. 5. ut Anima rationalis in Corpore jam organizato fuerit creata. 6. ut ex unione animæ cum corpore reſultaverit Humanitas. Et tandem 7. immediatè ſubſecuta fuerit unio Verbi cum Humanitate. Hinc ſurgunt nonnullæ Quæſtiunculæ breviter diſſolvendæ.

IV. *Prima.* An organizatio Corporis Chriſti facta fuerit cum Anima rationali & Unione hypoſtiticâ in uno eodemque inſtanti? Reſpon. organizationem ſumi poſſe duobus modis. 1. pro introductione formæ ſubſtantialis in materiam jam diſpoſitam. 2. pro tranſmutationibus illis præcedentibus, quæ ſunt præſertim duæ, ſcilicet tranſportatio materiæ in locum aptum, & ejuſdem alteratio, id eſt, diſpoſitio, figuratio, condenſatio, hoc poſito. D. Thom. 3. Part. q. 32. art. 4. & nonnulli Theologi exiſtimârunt, in humana generatione Matrem non concurrere activè, ſed ſolùm miniſtrare materiam, adeóque totam efficientiam Spiritui S. tribuerunt, qui utique in inſtanti eam ponere potuit. Sed D. Bonavent. in 3. Diſt. 4. art. 2. q. 1. & plures alij Theologi ſentiunt, Matrem etiam effectivè concurrere in illa tranſportatione materiæ, & ejuſdem alteratione, qui idcirco docent, organizationem Corporis Chriſti. 1. modo ſumptam in inſtanti eveniſſe, poſitis enim ultimis diſpoſitionibus, quæ ad introductionem formæ requiruntur, ſtatim ea forma ponitur. Uno igitur eodémque inſtanti introducta fuit in Corpus Chriſti forma ſubſtantialis, & facta Animatio, atque Incarnatio; Animatio quidem, quia aliàs mulier non diceretur mater hominis: Incarnatio verò, tum quia aliàs natura humana fuiſſet in ſe perſona perſonalitate propriâ, tum quia Maria non diceretur Mater Chriſti, quod tamen definitum fuit in Concilio Chalcedonenſi Actione 4. 2. autem modo acceptam organizationem tradunt ijdem Auctores, eam non accidiſſe in inſtanti, quia agens naturale non poteſt illas tranſmutationes facere in inſtanti. Attamen cum vis activa Beatæ Virginis roborata fuerit virtute Spiritûs Sancti, ideo organizatio Corporis Chriſti breviſſimo tempore facta fuit. Unde infert bene D. Anſelmus Lib. de Concept. Virginis cap. 11. *Beatam Virginem Mariam fuiſſe Matrem hominis Dei & naturalem & miraculoſam;* illud quia habebat potentiam generativam, licet remotam, & ſecundùm illam egit in formatione corporis Chriſti: hoc verò, quia ejus potentia non fuit reducta ad actum per operationem homi-

hominis, ſed Dei in inſtanti aut breviſſimo tempore. Videatur Tanner Tom. 4. Diſp. 2. q. 2. dub. 9.

V. *Secunda.* Quare conceptio Chriſti tantùm tribuatur Spiritui Sancto; cum etiam Pater & ipſe Filius concurrerint; docent enim Scholaſtici, externas Dei operationes (qualis fuit Conceptio) eſſe communes toti SS. Trinitati & omnes tres Perſonas pariter concurrere v. g. ad creationem Mundi. Reſpon. ad hanc Chriſti conceptionem totam quidem Trinitatem concurriſſe; ſed eam Spiritui Sancto peculiariter adſcribi; tanquam Perſonali ejus Proprietati ſingulariter convenientem; Nam juxta Patrum & Theologorum conſuetudinem communia opera Trinitatis illi Perſonæ peculiariter appropriantur, cujus perſonali perfectioni illud opus magis reſpondet. Sic creatio & ſimilia opera Potentiæ divinæ appropriantur Patri; quia iſte eſt à ſemetipſo primum principium etiam reliquarum Perſonarum: opera Dei Sapientiæ appropriantur Filio, quia eſt Verbum Intellectuale: Opera denique Charitatis appropriantur Spiritui Sancto, qui eſt Auctor divini amoris. Adſcribitur igitur Incarnatio & Conceptio Chriſti Spiritui S. tum quia fuit maximum opus divinæ charitatis, tum quia facta eſt gratis non ex aliquibus meritis, ſed ex ſola gratia, quæ itidem Spiritui S. attribuitur. Tum quia homo ille, qui concipiebatur factus, eſt Sanctus, & Filius Dei, quod utrumque ipſi etiam Spiritui San. attribuitur, ut notavit S. Thom. Q. 32. cit. art. 1. in corp. & ad 1.

VI. *Tertia.* Quomodò Chriſtus deſcenderit de Cœlo in uterum Virginis juxta Symbolum Nicenum: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt.* Nam hic deſcenſus de cœlo nec divinitati, nec humanitati ejuſdem congruere videtur; non Divinitati, quia hæc non poteſt loco moveri, cum ſit ubique, & ſuâ Immenſitate omnia repleat: nec Humanitati, quod enim deſcendit de Cœlo, debet prius fuiſſe ibi, ſicuti nemo poteſt deſcendere de monte, niſi prius fuerit in monte, ſed Humanitas Chriſti non fuit priùs in cœlo, ſed primùm in utero matris creata fuit. Ergo non deſcendit de Cœlo. Reſpon. deſcenſum hic non ſignificare formalem & proprium motum localem, ſed effectum ſimilem motui locali, quia Filius Dei præexiſtens in Cœlo, & repentè apparens in terra videbatur deſcendiſſe de Cœlo, quando enim aliquem vidimus in monte exiſtentem, & poſtea in valle apparentem, putamus illum deſcendiſſe de monte. Ita Filius Dei repentè in carne apparens putatur de cœlo deſcendiſſe; ſicuti Spiritum Sanctum vidit Joannes Baptiſta deſcendentem de Cœlo, ideſt, viſibiliter apparentem, cum antea latuiſſet Joan. 1. v. 32.

VII. *Quarta deniq; Quæſtiuncula eſt.* Utrum Chriſtus ſecundùm Humanitatem ſit Filius Spiritûs Sancti, quandoquidem ab eo peculiariter formatus eſt magis, quàm ullus homo à ſuo Patre, adeoque ſupplevit vices Patris. Reſpon. negativè, quia hoc ſolùm dicitur de viventibus, quando ex ipſa vi productionis unum procedit ab alio in ſimilitudinem perfectam Naturæ, quam ſimilitudinem cum Spiritu Sancto Chriſtus ſecundùm humanam naturam (quæ hujus productionis formalis eſt terminus) non habet. Ergo non eſt Filius Spiritûs Sancti.

VIII. *Doctrina ſecunda.* Nativitas quoque Chriſti multò alia fuit à nativitate reliquorum hominum, & hâc longè felicior, utpote ex Virgine, & abſque hujus ullo dolore. Explicatur. Egreſſus cæterorum hominum ex utero matris eſt planè miſerabilis; quia & matri ingentes dolores creat perrumpendo aut diſtendendo viſcera, & ipſi infantes fœdi ac pleni ſordibus egrediuntur cum ejulatu & gemitu, quamprimum ſentiunt aëris frigiditatem præ calore uteri materni; Sicuti etiam fatetur Salomon loco cit: v. 3. *Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, in involumentis nutritus ſum; nemo enim ex Regibus aliud habet nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Ajunt verò periti ex prima voce infantium dignoſci poſſe, utrum ſint maſculi aut fæmellæ; maſculos enim clamare A. fæmellas E. quaſi illi invocarent Adamum: iſtæ verò Evam juxta initiales iſtorum litteras.

IX. Chriſti autem Nativitas felix fuit. *Primò.* Quia fuit ex Virgine, ut docet fides, & traditur ſatis clarè in Sac. Script. Iſaiæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium. Non enim*, inquit Ambroſ. Epiſt. 81. *concepturam tantùm virginem, ſed & parituram virginem dixit.* Sic igitur miraculosè Chriſtus penetravit uterum Virginis, uti poſtea janus clauſis intravit ad diſcipulos Joan. 20. v. 26. Cæterùm perpetua Beatiſſimæ V. Mariæ virginitas etiam poſt partum definitur à Martino V. in Concilio 1. Lateranenſ. Conſult. 5. Can. 3. apud Tanner Tom. 4. fol. 533. his verbis: *Si quis ſecundùm SS. P P. non confitetur propriè & ſecundùm veritatem Dei Genitricem Sanctam ſempérque Virginem & Immaculatam Mariam, utpote ipſum Deum Verbum ſpecialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia ſæcula natus eſt, in ultimis ſæculorum abſque ſemine concepiſſe ex Spiritu S. & incorruptibiliter eum genuiſſe indiſſolubili permanente & poſt partum ejuſdem Virginitate, condemnatus ſit.* Huc etiam ſpectat articulus Symboli Apoſtolorum: Natus ex Maria Virgine, in quo Fideles Mariam abſolutè Virginem profitentur. Accedunt Patres tum alij apud Valentiam Tom. 4. D. 2. Q. 2. Tum ij, qui ex inſtituto contra Helvidium perpetuam Virginitatem Mariæ defenderunt; è quibus Hieronym. peculiari libro contra Helvidium, & Hildephonſus, de quo Eutrandus apud Vaſq. D. 121. c. 2. n. 23. Anno 659. ſic ſcribit: *Hæreticos Narbonâ venientes, natione Gottos Teudium & Hellagium per Hiſpaniam vagantes, & de Virginitate B. Mariæ Virginis blaſphemè loquentes P. Ildephonſus, editis libris, confutat, & à Rege Recaredo totâ Hiſpaniâ facit exterminari.* Pro confirmatione ejuſdem perpetuæ Virginitatis facit, quod habetur in vita S. Ægidij tertij Franciſci Aſſiſiatis aſſeclæ. Is virum è D. Dominici familia eximiè doctum, & de perpetua Virginitate Deiparæ dubium ſibique difficilè conſentientem tali prodigio contra ancipitem cogitationem confirmavit: ter ſcipione terram impulit, dicto ſingulos ictus proſecutus hoc ordine: *Maria Virgo ante partum: Maria virgo in partu: Maria Virgo poſt Partum*, & mox lilia totidem ad ſcipionis impulſum Ægydijque vocem ſolo emerſerunt.

X. *Secundò.* Nativitas Chriſti non attulit ejus Matri Virgini ullum dolorem, qui ex diſtenſione viſcerum naſcitur, nec membranam illam, quæ dicitur clauſtrum Virginitatis, diſrupit; non enim decebat eam doloribus partûs cruciari, quæ in conceptu nullam carnalem voluptatem ſenſerat. Ita communiter Patres & Scholaſtici, è quibus D. Gregor. Nazianzenus Theologus de Chriſto patiente ita ſcribit: *Expers* (Maria Virgo in partu) *laboris & doloris extitit incorrupta & integra &c.* Sed quomodo potuit eſſe abſque dolore & incorruptione cum ejus aperta fuerit vulva juxta illud Exodi 13. v. 2. *Sanctificate mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filijs Iſrael.* Reſpon. Chriſtum naſcentem non reſeraſſe vulvam Matris, ſed clauſum Virginis uterum penetrando exijſſe in lucem. Ita Cyrillus Hieroſ. & Hormiſda Papa Epiſt. 1. c. 3. Videatur Cornelius à Lapide in locum cit. Atque in hunc ſenſum intelligendus Ambroſius, lib. 2. in cap. 2. Lucæ; ſicuti enim iſte, ita etiam illi aliud non volunt, quàm Moyſes Exod. cit. juxta interpretationem Patrum, quos plures adducit Valentia Tom. de Controverſijs fidei fol. 402.

XI. *Tertio.* Nativitas Chriſti fuit abſque ullis conſueti puerperij ſordibus in Matre Virgine. Ita ſæpe indicant SS. PP. ex quibus S. Auguſt. Lib. 29. contra Fauſtum c. 3. & 4. *Stulte*, inquit, *unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre?* ubi ratio indicatur; Nam ſordes puerperij veniunt ex commixtione ſeminum, & ex eo, quod partes aliquæ ſeminum ſuperfluæ ad formationem corporis egrediantur ex meatuum apertione. Sed in B. Virgine nec ſigillum fuit ruptum apertione uteri, nec in ea erat aliquid ſuperfluum &c. Hinc etiam Corpus Chriſti mundiſſimum apparuit, ſicut etiam in reliqua vita nec corpus ejus, nec linteamina aliquid fætoris exhalârunt, ſed potius ſuaviſſimum odorem ſparſerunt, ut meritò illi accommodes illud Eccleſiaſtici 24. v. 21. *quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Ex quo facile eſt cogitatu, qualem voluptatem hauſerit B. Virgo ex attactu & amplexu Chriſti, cum aliæ Matres ex ſuorum infantium ſordibus & fætoribus magnam moleſtiam ſentiant.

XII. *Doctrina tertia.* Corpus Chriſti in reliquâ etiam vita multiplicem diverſitatem & præſtantiam habuit. Nam 1. potuit ſine cibo & potu vivere, quamdiu voluit, ſicuti in deſerto 40. diebus jejunavit Math. 4. v. 2. 2. potuit aquas tranſire ſine navibus, ſicut fecit Math. 14. v. 22. 3. potuit ſe inviſibilem facere, ſicuti fecit Lucæ 4. v. 3. *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat*, ſcilicet non viſus. 4. Solo attactu panni potuit ſe momento pingere, ſicuti fecit in linteo Veronicæ, & in linteo ſepulturæ. 5. potuit totum corpus ad indiviſibile redigere, ut fecit in Euchariſtia. 6. potuit eſſe in locis pluribus diſtantibus, ſicuti in ſtomachis comunicantium. 7. denique veſtis ejus non eſt detrita, ſed ſemper manſit integra, & cum ipſo crevit, atque adhuc aſſervatur Treviris. Nihil horum poterunt cæteri homines, niſi divinâ vi ad aliquid horum ſubleventur.

XIII. Cæterùm quamvis Chriſtus communes hominum miſerias non refugerit, famem, ſitim, fatigationem &c. tum ad veritatem naturæ comprobandam. tum ad exemplum patientiæ nobis præbendum, nullum tamen morbum admiſit, quia non decebat Chriſtum omnium morborum Medicum & Curatorem, præſertim cum morbi non ex communi naturæ conſtitutione, ſed ex peculiaribus defectibus inordinati victûs aut malæ complexionis proveniant: Ipſi autem Spiritus Sanctus optimam complexionem dederit, & ipſe temperantiſſimè vixerit.

XIV. Objici poteſt, morbos non ſemper oriri ex interno defectu corporis, ſed nonnunquam ab extrinſeca aëris inclementia provenire, unde etiam Chriſtus potuerit morbum contrahere. Reſpon. illas graviores aëris injurias prudenter fuiſſe à Chriſto devitatas, leviores autem complexionis robore ſuperatas. Sed urgetur, ſi Chriſtus nulli morbo fuit obnoxius, tum fuiſſet immortalis, niſi violentâ morte ſublatus fuiſſet; etenim ſi Medicis credimus, nemo ſine febri moritur. Reſpon. illum nihilominus naturaliter moriturum fuiſſe præ nimio ſenio deficiente nativo calore & humido radicali, qui defectus propriè non eſt morbus, licet vulgò dicatur: ſenectus ipſa eſt morbus. Hæc tamen cum iſto limite ſunt intelligenda: niſi Chriſtus uti voluiſſet medio extraordinario, quod paratum habebat.

XV. Demum Corpus Chriſti fuit pulcherrimum, & ipſe ſpecioſiſſimus, ut bene de illo dici poſſit: *Specioſus formâ præ filijs hominum.* Pſal. 44. v. 3. eâ tamen formâ, quæ minimè fuit muliebris, ſed quæ aptiſſimè conveniebat viro. Hoc ſuadent tum communis ſententia Patrum ex cit. loco Script. tum quia omnibus modis perfectiora ſunt, quæ fiunt virtute divinâ cauſam naturalem ſupplente. tum quia hoc teſtantur Nicephorus Lib. 1. cap. 40. & Joſephus Lib. 18. Antiquitatum cap. 16. tum quia ſic conveniebat, ut ſcilicet erga eum faciliùs bene afficerentur homines; etenim gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

XVI. *Doctrina quarta.* Anima quoque Chriſti multis privilegijs antecelluit cæterorum hominum animas. Explicatur. *Primò.* Si vera eſt Sententia Magiſtri. D. Bonav. in 2. Diſt. 41. & quorundam Theolog. & Philoſoph. animas rationales hominum perfectione ſubſtantiali individuali inter ſe differre, tum Anima rationalis Chriſti multò perfectior fuit cunctis animabus hominum. Favet autem huic opinioni Salomon Sapientiæ. 8. v. 19. ajens de ſe: *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Ubi præſtantiam ſui ingenij non attribuit bonæ diſpoſitioni corporis, ſed è contra bonam diſpoſitionem corporis attribuit bonitati animæ, tanquam cauſæ.

XVII. *Secundò* non contraxit peccatum originale, nec ejus contrahendi debitum habuit. Quia Chriſtus in Adamo non peccavit, cum in ejus virtute generativa tanquam effectus aliquando ſecuturus non fuerit contentus, ſed abſque ſemine virili Spiritûs Sancti Virtute fuit conceptus. Unde apertum adhuc eſt diſcrimen inter Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem Mariam, quantumvis hæc etiam piè credatur, nec peccatum originale, nec proximum hujus contrahendi debitum habuiſſe; ille enim habebat prærogativam iſtam per ſe, utpote extra conſuetum naturalem modum ab Adamo deſcendens: hæc verò per ſolum Specialem Dei favorem; cum enim communi cunctis hominibus naturali modo ab Adamo deſcenderet, ideóque pacto, quod Deus cum Adamo ejuſque poſteris fecerat, includi deberet, ob

merita

merita Chriſti præviſa fuit ab iſto pacto (quà odioſum eſt) exempta, & ſic tam à peccato originali, quàm proximo hujus contrahendi debito præſervata, ut fusè oſtendi in Diſp. mea de Immunitate B. Virginis Mariæ à peccato originali, ejúſque debito contrahendi &c. Aliud etiam nullum peccatum in Chriſto locum habuiſſe, mox dicemus.

XVIII. Statim in primo puncto Conceptionis Anima Chriſti habuit uſum rationis (quem nos ante ſeptennium vix aquirimus) juxta illud Jerem 31. v. 22. *creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit Virum*, nempe Maria utero ſuo Chriſtum, qui licet ſtaturâ & ætate ſit adhuc infans, tamen in primo inſtanti conceptionis vir eſt Sapientiâ, gratiâ, & gloriâ perfectus, ut omnes Patres & Doctores exponunt. Hunc Rationis uſum etiam in ſomno retinuit, quia ſpecies habuit infuſas à phantaſia independentes. Ergo potuit illis uti ſine converſione ad iſtam. Advertit etiam S. Auguſt. Lib. 15. de Trinit. c. ultim. neceſſitatem converſionis ad phantaſmata oriri ex peccato, quod utique non erat in Chriſto.

XIX. *Quartò.* Anima Chriſti habuit ſtatim omnis generis Scientias. Ita omnes Catholici juxta illud ad Coloſſ. 2. v. 3. *In quo*, ſcilicet Chriſto, *ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ abſconditi.* Quatruplex autem aſſignatur Scientia. Increata Beatifica, Infuſa, & Aquiſita. Per primam harum Humanitatem Chriſti non cognoviſſe, certa eſt inter Theologos ſententia, & conformis modo loquendi Patrum & Sac. Scripturæ, quæ manifeſtè negat Humanitati Chriſti effectum formalem volentis à volitione Divina, ut patet ex illis verbis Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*: Eadem autem eſt ratio de Cognitione divina, quia neutra Humanitati immediatè unitur. Confirmatur. Nulli creaturæ intellectuali denegatur cognitio proportionata ſuo intellectui. Ergo neque Chriſto, ut Homini.

XX. Alteram Beatificam habuiſſe Chriſtum tanquam hominem quoad animam, omnes tenent Doctores teſte Arriaga Tom. de Incarn. D. 36. num. 2. & quidem ante Reſurrectionem, imò ſtatim in primo inſtanti conceptionis; non enim erat ulla ratio tardiùs conferendi, cum non ſit collata in præmium, ſed tanquam debita Filio Naturali, cui debetur viſio ſui Patris & Hæreditatis poſſeſſio; Siquidem Mors Patris non erat expectanda, ſicuti in humanis; corporis autem gloriam ſuſpendit Chriſtus, donec pro nobis patiendo ſatisfeciſſet, licet eam ſubinde emicare permiſerit, ut in monte Thabor. Differt hæc viſio Beata ab alijs generibus ſcientiarum per ſuum objectum formale, quod eſt ipſe Deus clarè viſus, & in eo tanquam in medio, creaturæ velut objectum materiale.

XXI. Quare Chriſtus per iſtam Scientiam vidit 1. omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, cum etiam cæteri Beati eadem in Verbo videant ex communi TT. 2. Plurima poſſibilia, non tamen omnia. Ratio prioris eſt, quia ex communi DD. ſententia Beati in Deo cognoſcunt aliqua poſſibilia: Ergo cum eò magis cognoſcatur effectus, quò perfectior eſt cauſæ cognitio, & hæc in Chriſto longè perfectiſſima fuerit, quàm plurima poſſibilia Chriſtus in Deo cognoverit, neceſſe eſt. Ratio poſterioris eſt. Quia cognitio omnium poſſibilium in Deo nec poſſibilis eſt, cum aliàs Deus comprehenderetur juxta S. Auguſtinum Epiſt. 112. c. 8. quod fieri non poſſe, ex Fide tenemus: nec pertinet ad ſtatum Chriſti; quippe decens eſt, ſcientiam Chriſti circa res creatas non tantùm intenſivè, ſed etiam extenſivè ſuperari ab increata Dei Scientia, præſertim neceſſaria, atque adeo ſcientia increata Dei poſſit etiam quoad nova objecta ſemper perfectiùs & perfectiùs participari à quacunque ſcientia ſaltem de facto creata. 3. Vidit per eandem ſcientiam Beatificam omnes res præteritas, præſentes, & futuras in ſuâ quaslibet temporis differentia. Ratio eſt, tum quia Chriſto concedenda eſt omnis perfectio, ipſius ſtatui aut decretis Dei non repugnans, tum quia ex communi Auctorum ſinguli Beati clarè & diſtinctè cognoſcunt in Deo, quidquid ad ſuum ſtatum pertinet; aliàs non ſunt planè contenti nec ex omni parte felices. Atqui ad proprium ſtatum & dignitatem Chriſti etiam ut Hominis ſpectant omnes omnino creaturæ, præteritæ, præſentes, & futuræ cum ipſe ſit Caput & Cauſa finalis omnium prorſus creaturarum. Ergo &c.

XXII. Tertia Scientia eſt Infuſa, quâ cognoſcuntur res creatæ in ſe ſeu proprio genere, & per ſpecies proprias. Hanc ſcientiam per ſe infuſam ac ſupernaturalem Chriſtum etiam habuiſſe, & quidem à primo inſtanti Conceptionis, communis eſt DD. ſententia cum S. Thoma 3. P. Q. 9. art. 3. & q. 11. tota. Nam cum res ſupernaturales clarè & intuitivè extra Verbum cognoſci poſſint, non eſt negandum, quin eo modo à Chriſto cognoſcantur, cum hoc ad majorem ipſius perfectionem conducat. Cognovit igitur per iſtam Scientiam. primò plurimas res merè poſſibiles. Secundò res naturales & quidem omnes tam exiſtentes etiam ſecretiſſimas hominum cogitationes & affectus, quàm præteritas & futuras, liberas quoque vel aliter contingentes, imò nonnullas ſaltem ex futuris conditionatis. Tertiò ſupernaturales v. g. gratiam ſanctificantem, habitus & actus ſupernaturales, Unionem hypoſtaticam &c. Quartò myſteria gratiæ & Dei decreta. Unde Apocal. 5. v. 9. dicitur, *Reſeraſſe ſigilla libri, in quo erant deſcripta futura.* Deum autem quidditativè & in ſe ipſo per hanc ſcientiam non cognoſcebat, cum ſit extra objectum iſtius ſcientiæ, ſed ſolùm extrinſecè in alio ac per ſpecies Ratio jam eſt inſinuata, deſumpta ſcilicet ab officio & excellentia Chriſti. In uſu hujus ſcientiæ infuſæ neceſſe non fuit, ut Chriſtus ſe ad phantaſmata converteret, quia utebatur ſpeciebus infuſis, quæ ut non erant à rebus ſenſibilibus acceptæ, ita independenter ab ijs, eaſúmque phantaſmatibus agebat, quamvis etiam ſpeciebus naturalibus & per phantaſmata aquiſitis circa objecta naturalia uti potuerit.

XXIII. Quarta & ultima ſcientia eſt Aquiſita, quam fuiſſe in Chriſto, ſumitur tum ex illo D. Pauli ad Hebr. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia.* Quaſi diceret cum expertus fuerit omnes noſtras miſerias, facilè compati poteſt &c. Tum ex eo, quod Chriſtus ſenſibus fuerit uſus eodem modo, quo reliqui homines, & conſequenter per illos actus aquiſiverit notitias aliquas permanentes, quas vocamus ſcientiam Aquiſitam. Cognovit igitur Chriſtus per hanc Scientiam objecta ſenſuum externorum:

item ſubſtantias materiales per ſpecies alienas, & ſubſtantias ſpirituales per ſpecies rerum materialium, ſicut cognoſcuntur à nobis. Rurſus omnia ſecreta cordium, omniaque exiſtentia. Demum probabiliter aliqua ex rebus poſſibilibus per ſpecies ſumptas ex rebus nunc exiſtentibus; etenim inſtar harum manifeſtari ipſi à Deo poſſunt. Ratio omnium eſt; quia ita fieri poteſt, eſtque ad dignitatem Chriſti. Cæterùm ſpecies eorum objectorum, quæ ſucceſſu temporis (juxta varias occaſiones, in quibus exiturus Chriſtus à Deo prævidebatur) per ſenſus cogniturus erat, non fuerunt infuſæ, ſed illas aquiſivit, ut conſtat ex verbis ad Hebræos 5. v. 8. *didicit ex ys; qua paſſus eſt, obedientiam*; quod non ſubſiſteret, ſi Chriſtus decurſu temporis & exercitio actûs nullam ſcientiam acquiſiviſſet; ſpecies autem illorum objectorum, quorum decurſu temporis illas prævidebatur non aquiſiturus, per accidens fuerunt Chriſto infuſæ. Atque hanc ſcientiam abſolutè vocamus Aquiſitam, ſicuti priorem experimentalem. Fundamentum eſt; quia non debemus Chriſto negare eas cognitiones naturales, quas alijs hominibus concedimus. Atqui eas non poterat per ſe acquirere. Ergo debuit illas ſpecies habere per accidens infuſas. Plura de ſcientia Chriſti videri poſſunt apud Bellarm. lib. 4. à cap. 1. & Scholaſticos.

XXIV. *Quintò.* Voluntas Chriſti fuit prorſus impeccabilis, ut manente Unione hypoſtaticâ etiam per abſolutam Dei Omnipotentiam peccare non potuerit, ſicuti communiter tenent Theol. & Patres, quos magno numero recitat Suarez. de Incarn. D. 34. Sect. 2. & alij. Ratio deſumitur ex ſumma Sanctitate, quæ Humanitati per unionem Verbi communicatur; iſte enim effectus formalis videtur omnino repugnans etiam divinitus cum omni peccato; ſiquidem oppoſitio ſumma cum peccato ſine dubio eſt perfectio intra genus ſanctitatis: eſt eadem abſque contradictione excogitabilis. Ergo oppoſitio iſta debet eidem ſanctitati concedi. Unde confirmatur prædicta ratio. Sanctitas illa divina habet eſſentialem oppoſitionem in ſe cum peccato. Ergo, cùm communicet Humanitati ſuum effectum formalem, debet etiam oppoſitionem prædictam eidem communicare ita, ut in ſenſu compoſito formæ ſanctificantis implicet illi ineſſe ullum peccatum. Nihilominus Chriſtus fuit liber in ſuis actionibus, non quidem per indifferentiam inter bonum & malum, ſed tantùm inter plura bona, ut poſſet eligere, quod vellet; quæ libertas licet extenſivè ratione objecti reſtrictior: tamen intenſivè reſpectu potentiæ fuit multò perfectior; quippe poſſe peccare non eſt perfectionis, ſed potiùs imperfectionis, ſicuti Deus liberrimus non poteſt peccare, nec eſt indifferens ad bonum & malum, ſed tantùm ad bonum hoc vel illud.

XXV. Sed hinc ſurgit graviſſima quæſtio, quæ mirè torquet Doctores, quomodo ſcilicet Chriſtus, ſi peccare non potuit, habuerit liberum arbitrium? Hæretici noſtri nihil circa eam movent, ideóque & nos eandem exactiùs diſputandam Scholaſticis relinquimus; duo ſolùm breviter inſinuantes, ne perinde ac Sectarij ignavi & ignorantes appareamus, ſed illos inſtruamus.

XXVI. *Primum.* In Chriſto fuit Libertas. Ita omnes Catholici DD. habeturque apertè in Scriptura Iſaiæ 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; eligere autem eſt formalis actus libertatis, & hunc fuiſſe in Chriſto ab infantia, obſervant Patres & Interpretes in cit. loc. Iſaiæ. Accedit quod Libertas ad utrumque ſit magna perfectio Naturæ Rationalis, & ſit proprietas communis hominibus, omnique reprehenſione carens, & ad merendum omnino neceſſaria. Ergo in Chriſto fuerit neceſſe eſt, cum perfectam Naturam rationalem, & perfectiſſimum meritum habuerit.

XXVII. *Alterum*, quod eſt pro concilianda libertate Chriſti cum præcepto. Præcepta Chriſto quà Homini tantùm in genere præſcripſerè, quid agendum, aut quid patiendum foret: in particulari autem non determinaverunt, neque omnes circumſtantias extrinſecas loci, temporis, &c. (Saltem quoad indiviſibile) neque intrinſeca motiva formalia virtutum, ex quibus operaretur, neque certos actus individuos; proinde in horum omnium electione integra Chriſto manſit Libertas. Ita expreſsè S. Thom. in 3. P. Q. 18. art. 4. ad 3. & plerique Theologi, quos refert & ſequitur Arriaga in 3. P. D. 42. Num. 39. Atque hæc ſententia etiamnum Romæ docetur, ubi & dum iſtud ſcribo. Ratio prioris eſt. Tum quia Sac. Scriptura nuſquam refert ullum præceptum cum omnibus circumſtantijs latum: neque nobis licet confingere. Tum quia, ut diſcurrit Ruiz Tom. de Scientia Dei D. 74. S. 5. n. 4. non eſt prudentis Gubernatoris, omnes circumſtantias facti ſubdito præſcribere, neque quidquam ejus arbitrio relinquere. Ergo non eſt præſumendum, Chriſto id accidiſſe.

XXVIII. Ratio poſterioris eſt. Tum quia, licet talis indifferentia non tollat neceſſitatem operandi in genere circa tale objectum proſequendum vel fugiendum, relinquit tamen indifferentiam in particulari, quæ ſi non ſufficeret libertati, nulla prorſus eſſet libertas in rerum natura; ſiquidem omnis voluntas tam divina, quàm creata in genere eſt determinata ad bonum in communi, ut nihil niſi bonum poſſit appetere, nec quidquam ut bonum odiſſe; imò nunquam poteſt ab actuali appetitione in communi ceſſare, ut tradit idem Author de voluntate Dei D. 4. Q. 3. n. 3. alijque TT. Tum quia SS. Martyres ſimpliciter, & ſine addito liberè dicuntur pro Chriſto mortui, quantumvis phyſicè non fuerit in eorum poteſtate, mortem penitus evitare, utpote quam aliàs tandem ex neceſſitate Naturæ ſubire debuiſſent; dicuntur, inquam, abſolutè ſimpliciter & ſine addito liberè mortui, & non tantùm ſecundùm quid, id eſt, quoad aliquas ſolùm circumſtantias loci, temporis, &c. Ergo ſimiliter Chriſtus Dominus dici poteſt ſimpliciter liberè mortuus, etiamſi non potuerit phyſicè tranſgredi præceptum, ac proinde non mori, nec vitare mortem, ſed tandem iſtam pro genere humano ſubire debuiſſet.

XXIX. Huic Sententiæ noſtræ tria maximè obſtare videntur breviter expedienda. *Primum.* Circumſtantiæ etiam ſunt præceptæ Joan. 14. v. 31. *Sicut mandatum mihi dedit Pater.* Joan. 13. v. 1. *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus.* Reſpon. cum Tanner de Incarn. D. 1. q. 6. n. 146. & alijs, ſenſum priorum verborum ex Scriptura eſſe, nihil fuiſſe à Patre præceptum, quod Chriſtus non exactiſſimè faceret, ut particula *ſicut* non plus denotet, quàm

quàm præceptum eſt: poſteriorum verò, veniſſe horam paſſioni ac morti liberè à Chriſto deſtinatam, ut patet ex verbis S. Chryſoſtomi Hom. 84. in Joan. *In poteſtate morientis erat, ne priùs, quàm ipſe vellet, moreretur.* Similia habent alij Patres.

XXX. *Secundum.* Antiqui Patriarchæ non dicuntur meruiſſe Incarnationem, ſed tantùm aliquam illius circumſtantiam, etiamſi accelerationem ſeu ejus anticipationem meriti fuerint. Ergo ſimiliter Chriſtus ex liberâ anticipatione non debet ſimpliciter dici, liberè mortuus. Reſpon. negando Conſequentiam. Ratio diſparitatis peti debet ex diverſo loquendi modo in diverſis materijs, ut agnoſcit Cardinal. Lugo de Incarnat. D. 96. n. 91. Nam revera martyres ſimpliciter liberè vitam pro Chriſto dediſſe dicuntur, etiamſi ipſis mors quoad ſubſtantiam jam aliunde fuerit ſtatuta.

XXXI. *Tertium.* Libertas hæc temporis, loci, motivi, individuationis, & ſimilium circumſtantiarum nullius eſt momenti in rebus moralibus idque in propoſito abſurdè efficit, ut nullæ Chriſto debeantur gratiarum actiones, quod ſimpliciter pro nobis fuerit mortuus, ſed tantùm, quod tali tempore, loco, & tali motivo. Reſpon. 1. has circumſtantias augere libertatem, & hoc ſatis eſſe ad propoſitum noſtrum, cujuſcunque deinde momenti ſint. Cæterùm nos cum Arriaga potiſſimùm intendimus circumſtantiam temporis, & ab hujus notabili anticipatione mortem Chriſti abſolutè liberam aſtruimus, licet cæteras (ſi modò notabiles ſint, & non merè extrinſecæ) non reijciamus. Reſpon. 2. negando non deberi Chriſto laudem & gratias, quod pro nobis ſit mortuus; Nam ſicuti laudamus Martyres non tantùm propter circumſtantias ſuæ mortis, ſed etiam ſpecialiter propter mortem ipſam, ita pari jure laudare poſſumus Chriſtum ob mortem pro nobis obitam; eſto eam à Patre impoſitam nō potuerit non acceptare, nec totaliter & pro omni tempore evitare. Ratio deſumitur ex eo, quod actus non ſpectetur ſecundùm aliquas rationes præcisè, ſed ut contractus ad has inferiores rationes, & in his circumſtantijs poſitus; Unde humano modo ſimpliciter liber æſtimatur & dicitur, cui loquendi modo etiam Sacra Scriptura ſe accommodat ad Philip. 2. v. 8. Iſaiæ 53. v. 10. & alibi mortem Chriſti abſolutè liberam appellans.

XXXII. *Sextò.* Omnes reliquæ Potentiæ externorum & internorum ſenſuum ipſæ quoque paſſiones (quæ dicuntur actûs appetitûs ſenſitivi cum aliqua corporis alteratione conjuncti) in communi de his loquendo, fuerunt quidem in Chriſto, ut colligitur ex Sac. Scriptura, quæ hujuſmodi affectus tribuit Chriſto: non tamen eodem modo, ſicuti ſunt in nobis, ſed cum triplici hac differentia, ut notat Cardinal. Lugo de Incarn. D. 22. n. 3. 1. ex objecto, quia nunquam ferebantur in illicita. 2. ab effectu, quia rationis uſum nunquam perturbabant. 3. à principio, quia nunquam ſine præſcitu intellectûs & voluntatis ſurgebant; unde Joan. 11. v. 33. dicitur, *ſe ipſum turbaſſe.* Quare Chriſtus non habuit etiam fomitem, qui cum ſit inclinatio appetitûs in id, quod eſt contra rationem, perpetim nos vexat, & involuntarijs motibus ad malum incitat, nec rationis imperio paret; hinc aſſidua lucta inter carnem & Spiritum: in Chriſto autem fuerunt omnia pacatiſſima, & omnia optimè ſubordinata. Suſtulit autem prædictum fomitem in Chriſto tum Viſio beatifica ita occupans animam, ut imaginatio non poſſet agere. tum externa protectio ac cuſtodia Dei, vel concurſum objectorum rationi adverſantium impedientis, vel illis etiam præſentibus ſuum concurſum negantis, idque exigente ſummâ Chriſti Sanctitate, ut præter alios docet Vaſq. in 3. Diſp. 61. c. 8.

XXXIII. *Septimò.* Chriſtus ſtatim fuit Sanctus, hoc eſt, Amabilis à Deo amore amicitiæ, imò ſanctiſſimus non ſolùm per gratiam infuſam accidentalem ſeu habitualem, ſed etiam per Divinitatem, quæ eſt infinita & eſſentialis Sanctitas; ſiquidem tam ipſa Perſonalitas Verbi, quàm Eſſentia divina ſeu Deitas Humanitati Chriſti fuit unita; illa immediatè: hæc mediatè, & utraque Sanctitatem Humanitati formaliter & phyſicè contulit. Nam Perſonalitas Verbi etiam ut diſtincta à Deitate eſt perfectio divina amore infinito digna, cum ſit infinitè pulchra, ac proinde reddidit Humanitatem omni amore ac viſione beatâ dignam, conſtituitque conſequenter hæredem regni &c. Deitas verò ſeu Eſſentia divina prout etiam formaliter diſtincta à Perſonalitate verè ſanctificat; quia per eam Humanitas innungitur. Danielis 9. v. 24. & Deificatur, ut loquitur Concilium Florent. in decreto unionis. Iſta autem unctio vel unguentum juxta SS. Patres nihil eſt aliud, niſi Sanctitas; Deificatio quoque minùs eſſe non poteſt, quàm ſanctificatio, ſeu amabilitas illa, propter quam Chriſtus, quà homo, amore amicitiæ fuit amatus. Unde Chriſtus deinceps in Sanctitate nec quidquam augmenti accepit, ut innuit Scriptura aiens. Luc. 1. v. 35. *Quod naſcetur ex te Sanctum*, hoc eſt, ſanctiſſimum, *vocabitur Filius DEI.* Ratio eſſe poteſt. Tum quia ſtatus beatitudinis, quem Chriſtus jam tunc in anima obtinebat, varietatem gratiæ excluſit. Tum quia omnis gratia habitualis eſt connaturalis proprietas ſtatim ab initio debita unioni Hypoſtaticæ ſeu potius Perſonalitati unitæ.

XXXIV. *Octavò.* Omnes Actiones Chriſti, quàs liberè exercuit, fuerunt ſupernaturales, & meritoriæ. Ratio eſt. Tum quia ſemper ex ſupernaturali motivo amoris profectæ ſunt. Tum quia Chriſtus plenus fuit gratiâ & Sanctitate: nec ad meritum requiritur aliud, quàm rectitudo & libertas actionis, & Sanctitas perſonæ, quæ ſit adhuc in ſtatu viatoris, ſicuti Chriſtus in hac vita fuit, tametſi fuerit ſimul etiam Comprehenſor.

XXXV. *Nonò.* Chriſtus fuit valdè potens in Sermone & opere, & efficax in dicendo, ut dicitur Luc. 24. v. 19. de JESU Nazaræno, *qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone.* Matth. 7. v. 19. *erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & phariſæi.* & Joan. 7. v. 46. *nunquam homo ſic locutus eſt, ſicut hic homo*; nempe habuit vim commovendi animos hominum non ſolùm exteriori verborum ſono aures pulſando, ſed etiam interiùs per actualis gratiæ infuſionem & inſpirationem, illuminando intellectum & flectendo voluntatem. Ejectio illa vendentium in templo, de qua Joan. 2. v. 14. & Matthæi 21. v. 11. quantæ potentiæ erat opus? de quo Hieron. apud Maldonatum in citatum locum ſcribit: *Pleriq; arbitrantur, maximum eſſe ſignum, quod Lazarus*

Digitized by Google

rus reſuſcitatus ſit: quod cæcus ex utero lumen acceperit: quod ad Jordanem vox audita fuerit Patris: quod transfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis: mihi inter omnia ſigna, quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod homo unus, & illo tempore contemptibilis, & in tantùm vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, menſáſque ſubvertere & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam & ſydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis Majeſtas lucebat in facie.

XXXVI. Ex quibus omnibus patet, quantò Chriſtus nobis præſtantior, & quanto honore & reverentiâ dignus ſit etiam quà Homo. Si omnium Sanctorum virtutes & merita in unam maſſam colligerentur, non æquarent ejus Sanctitatem juxta trutinam divinæ Juſtitiæ, quæ *reddit unicuique juxta opera ejus.* Math. 16. v. 27. Unde Theologi unanimiter docent, merita Chriſti fuiſſe ſimpliciter infiniti valoris, id quod indicat etiam Clemens VI. Papa Extrav. unigenitus. de pænitentia & remiſſionibus. Ubi aſſerit, *theſaurum, quem Eccleſia habet ex Meritis & ſatisfactionibus Chriſti, non poſſe exhauriri, vel minui; quia merita illius ſunt infinita, adeo ut propter unionem ad Verbum una gutta Sanguinis ſuffeciſſet pro redemptione totius generis humani.* Ita Catholici ſentiunt honorificè ſimul & verè de Chriſto: & tamen hæretici calumniari audent, nos Chriſtum parvi facere, & ejus gloriam diminuere &c.

PARS POSTERIOR

ERRORES HÆRETICORUM.

XXXVII. Error Primus eſt Cherinthianorum & Ebioneorum, Beatiſſimam Virginem Mariam nec in Conceptione Virginem fuiſſe: Joviniani apud D. Auguſtin. de hæreſibus cap. 8. eandem pariendo fuiſſe corruptam: Helvidij, illam poſt partum Joſepho conſueviſſe. Conſentiunt ex Calviniſtis Petrus Martyr in cap. 4. ad Rom. & Bezâ lib. de omni-præſentia Carnis, rati B. Virginem in partu Virginitatem amiſiſſe, quod etiam indicat Eraſmus in Annot. ad illud Luc. 2. v. 23. *Omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur.* Nituntur his argumentis ex Script. petitis. 1. Math. 1. v. 18. *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens.* 2. ibidem v. 25. *& non cognoſcebat illam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* 3. Luc. 2. v. 4. Joſeph vocatur *Pater Chriſti.* 4. Joan. 2. v. 4. *B. Virgo Maria vocatur mulier.* ibidem v. 12. *fit mentio fratrum Chriſti.*

XXXVIII. Error iſte refutatur ex perpetuâ Fide & Traditione Eccleſiæ, quæ ſemper veluti hæreticos deteſtata eſt omnes, qui Beatiſſimæ Virgini Mariæ perpetuam & illæſam Virginitatem negârunt; quaſi verò Virgo Caſtiſſima ſui voti oblita fuerit, de quo apud Michaëlem Archangelum Lucæ 1. v. 34. proteſtatur, *virum non cognoſco,* id eſt, nullum carnale commercium cum viris habeo non ſolùm in præſenti, ſed etiam in futuro; loquebatur enim de conceptu futuro Filij DEI; cúmque intellexiſſet, Virginitatem Deo adeo charam eſſe, ut ejus conſervandæ gratiâ inauditum miraculum patrârit, quis credat, illam tam vilipendiſſe virginitatem, ut mox eam peſſum dederit? De propoſito & voto virginitatis videri poteſt Tanner Tomo 3. D. 2. q. 1. dub. 5. Reijcitur idem error non tantùm, ut injurioſus Beatiſſimæ virgini, ſed etiam honori Chriſti in Nativitate ſua parùm conformis. Videri poteſt Valentia in cit. Tomo Controverſiarum à fol. 401. Fundamenta Adverſariorum futilia ſunt ac nullius momenti.

XXXIX. Reſpon. ad 1. Math. 1. adverbium *antequam* ſignificare nonnunquam ea tantùm, quæ ſecutura cogitabantur, licet ſecuta non ſint, ut ſi de aliquo dicitur, mortuus eſt, antequam pænitentiam faceret. Ad 2. Lucæ 2. voculam *donec* denotare ſolùm, quid antea factum non ſit, etiamſi nec poſtea acciderit; ſicut etiam primogenitus dicitur, ante quem non fuit alius; eſto etiam nullus ſit ſecutus. Ad 3. ibidem Joſephum vocari Patrem, non verum & naturalem, ſed nutritium & putatitium. Ad 4. Joan. 2. B. Virginem dici mulierem ſumpto hoc vocabulo per conſuetam phraſin hebraicam pro qualibet fœminâ. Ad 5. ibidem fratres Chriſti vocari cognatos, itidem ſecundùm phraſin Scripturæ etiam in Scholis paſſim receptam.

XL. Rectè addit Tanner loc. cit. dub. 4. perpetuam Virginitatem Mariæ, quantumvis ex ipſa Scriptura per ſe non ſatis probetur, meritò tamen inter Traditiones Eccleſiaſticas recenſeri, uti etiam in Colloquio Ratisbonenſi Seſſ. 10. contra Lutheranos Miniſtros Catholici Doctores defenderunt.

XLI. Non obſtat, Tertullianum lib. de Carne Chriſti in fine ſcribere: *Virginem patefacti corporis lege peperiſſe, & eam fuiſſe virginem, quantùm à Viro, non quantum à partu.* Item teſtimonia aliorum PP. quibus indicatur, *corpus B. Virginis in partu fuiſſe reſeratum.* Reſpon. Tertullianum non curandum, cum in alijs quibuſdam rebus aberrârit, ut bene notat Lirinenſis Lib. adverſus hæreſum novitates: alios Patres alibi ſufficienter ſe explicare, quod non de verâ & formali corporis apertione loqui voluerint, ſed ſolùmodo quaſi quoad effectum, ut idem ſit, quod pervium habere uterum, & per illum ſine impedimento tranſire. Ita enim Hierony. ait. contra Helvidium: *Solus Chriſtus clauſas portas vulvæ Virginalis aperuit;* quæ tamen clauſæ jugiter permanſerunt. Et Gregor. Niſſen. Hom. de occurſu Domini apud Surium in Feſto Purificationis ait: *Solum ipſe ineffabiliter conceptijs non prius Virginalem vulvam aperuit, ſignacula virginitatis illæſa conſervans etiam poſt proceſſum admirabilem.* eodem modo loquuntur alij ac nominatim Damaſc. lib. 4. Fidei c. 25. *Quemadmodum,* inquit, *qui conceptus eſt, Virginem concipientem ſervavit illæſam, ſic & natus ipſius virginitatem ſervavit illæſam. Solus tranſivit per eam, clauſam ſervavit. Manet igitur, & poſt partum Virgo, & ſemper Virgo.* Ubi apparet alludere SS. PP. ad illud Ezechiel 44. v. 2. de porta orientali clauſa, & tamen pervia.

XLII. *Error ſecundus (ſi non contra veritatem fidei, ſaltem contra communem Catholicorum ſenſum)* eſt, Chriſtum fuiſſe abjectâ & deſpicabili formâ. Ita nonnulli apud Valentiam Tom. 4. D. 1. q. 14. punct. 2. Inducti ex uno alteróve Sacræ Scripturæ tex-

ræ textu, nempe Iſaiæ 53. v. 2. *Vidimus eum, quaſi deſpectum & novisſimum virorum.* Pſal. 21. v. 7. *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Verùm hinc aliud non evincitur, quàm in paſſione & cruciatibus Chriſtum habuiſſe formam minimè pulchram: ante iſtam autem fuiſſe ſpecioſum, non obſcurè conjici ex illis verbis Pſalm. 44. v. 3. *ſpecioſus formâ præ filiis hominum.* Et Cantic. 5. v. 10. *dilectus meus candidus & rubicundus.* Interim non diffiteor, iſtiusmodi loca etiam aliter exponi poſſe. Nam illud pſalm. 44. intelligunt de divinitate Baſilius, & Cyrillus: item de ornamentis animæ Hierony. & Theodoret. Et deſcriptio illa ſponſæ ſimiliter poſſet figuratè intelligi de ſpiritualibus Chriſti virtutibus. Nihilominus etiam rectè ſcholaſtici prædicta Scripturæ loca accommodant ad formam corporis, cùm abſque abſurdo ad litteram ſic intelligi poſſint. Nolui tamen inde errorem hunc abſolutè dicere eſſe contra fidem.

XLIII. Reſpôn. ad 1. textum. Iſaiam loqui de forma Chriſti, quam habuit in cruciatibus. Ad 2. in Canticis dici Chriſtum ſecundùm humanitatem Candidum innocentiâ: Rubicundum verò ſanguine, quem in paſſione effudit. Patres, qui formæ decus Chriſto etiam negârunt, intelligi debent vel de deformitate, quam habuit Chriſtus in ipſa paſſione, ut Clemens Alexandr. & Athanaſ. vel de ignobilitate ipſius humanæ naturæ comparatæ cum Divinitate, &c. Quo pacto videntur locuti Tertul. Cyrillus, Baſilius, &c. Videatur Cornelius à Lapide in caput 5. Cantic. v. 10. cit.

XLIV. *Error tertius* eſt. 1. Anima Chriſti non ita repleta fuit omni ſcientiâ ab ipſa ſui creatione, ut non potuerit in ſcientia proficere. Ita Lutherus, in Concione de Natali Domini, ubi ait, *Chriſtum non quolibet tempore intellexiſſe omnia.* Et Calvinus in cap. 24. Matth. ſic ſcribens: *ter & quater inſanus foret, qui ſe gravatim ignorantiæ ſubmitteret, quam ne ipſe quidem filius Dei noſtrâ causâ ſubire abnuit.* Lutherum ſequuntur omnes Lutherani apud Gerhardum l. 2. part. 1. â fol. 306. Calvinum verò omnes ipſius Aſſeclæ apud Ameſium Tom. 1. â fol. 77. Prævierunt hos Zvvinglius in confeſſione ad Carolum V. A. 1. affirmans, *Chriſti ſapientiam paulatim creviſſe.* Et multò ante Agnoitæ, quorum meminit D. Gregorius L. 8. Epiſt. 42. Nituntur triplici maximè S. Scripturæ loco. Primus habetur ad Hebr. 2. v. 17. *debuit per omnia fratribus ſimilis fieri.* Et c. 4. v. 14. *non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato.* Secundus habetur Luc. 2. v. 40. *creſcebat & confortabatur Spiritu plenus ſapientiâ, & gratia Dei erat in illo.* Et v. 52. *Et Ieſus proficiebat ætate, ſapientia & gratiâ apud Deum & homines.* Tertius habetur Marc. 13. v. 32. *de die autem illo vel hora nemo ſcit, neq; Angeli in Cœlo, neq; filius, niſi Pater.* Addi poteſt illud Luc. 22. v. 43. *apparuit autem illi Angelus de Cœlo confortans eum*; qui proinde videtur illi aliqua ad conſolationem expoſuiſſe.

XLV. Error iſte non minùs S. Scripturæ ac Patribus, quàm rationi contrarius honorem Chriſti valde imminuit, dum ignorantiam illi impingit, Joan. 1. verbum caro factum dicitur v. 15. *plenum gratiæ & veritatis.* Quomodo ergo defectum notitiæ competentis vnquam habuit? Ubi enim eſt plenitudo ſcientiæ, ibi non eſt locus errori & defectui notitiæ, S. Auguſt. L. 15. de Trinit. c. 26. *abſurdiſſimum eſt*, inquit, *dicere, Chriſtum anno trigeſimo accepiſſe Spiritum Sanctum; cum ejus præcurſor acceperit in utero Matris ſuæ.* Et rectè, quippe abſurdum eſt, animam Sapientiæ fuiſſe quodammodo inſipientem, & cum impletio Spiritûs atque vnctio cum omni cœleſtium donorum copia (quam S. Script. Iſaiæ 11. v. 2. Pſal. 4. v. 8. & alibi frequenter de Chriſto affirmat) facta fuerit in primo conceptionis inſtanti, quomodo Chriſtus ab illo puncto proficere in ſcientiâ, & aliquam ignorantiam habere potuit? Certè Damaſc. L. 3. c. 22. ſcribit, *eos non credere Incarnationem, qui credunt illam animam paulatim profeciſſe.*

XLVI. Ait Ameſius Fol. 70. ſicut Natura divina in ipſo comprimebat aliquo modo, & occultavit ſuam Majeſtatem in humilitate Chriſti, ne exereret ſuam dignitatem, quæ poſtea apparuit in exaltatione, ſic etiâ cohibebatur Spiritus ille ſapientiæ, ne ſtatim in perfectione, ſed paulatim pro ratione ſtatûs Chriſti exereretur. Verùm grandis inter vtrumque eſt diſparitas. Nam occultatio illa tantùm ſerviebat ad apparentiam externam: & quantùm ad myſterium Redemptionis per corpus viſibile & paſſibile peragendum erat utilis; quid autem utilitatis conferebat ignorantia, & interior omnibus ignotus ſcientiæ defectus? nihil prorſus. Vnde occaſionem ſumpſerunt Patres & Doctores indubitatè affirmandi, Chriſto concedendam eſſe omnem perfectionem, quæ ipſius ſtatui, aut decretis Dei non repugnat, ut ſupra jam inſinuavimus. Atqui pleniſſima ſcientia â primo ſtatim conceptionis inſtanti minimè repugnat vel ſtatui Chriſti, vel divinis decretis. Ergo hæc ipſi concedenda eſt. Confirmatur ratione, quam priori parte adduximus, ſcilicet quod Chriſtus ab Incarnationis primo inſtanti fuerit Filius Dei Naturalis, & hæres omnium bonorum paternorum abſquè expectatione paternæ mortis ſuccedens: item quod conſtitutus fuerit caput Angelorum & Hominum, utique non minùs ornatum minuſquè ſapiens, ac ſint membra. Ergo Chriſtus â primo conceptionis inſtanti ita plenus fuit ſcientiâ, ut juxta præſens decretum creſcere non potuerit. Argumenta in oppoſitum debiliora ſunt, quàm ut Chriſto pleniſſimam ſcientiam eripere, & de ſapiente ignorantem facere poſſint.

XLVII. Reſponſ. Ad 1. ex communi interpretum S. Scripturæ, & D. D. ſententia, cùm excipitur peccatum, intelligi quoque exceptos ſimul omnes defectus, morbos, ignorantiam, &c. Qui non erant utiles Redemptioni: Item cùm dicitur, Chriſtus per omnia aſſimilari, nomine omnium intelligi, quæ ad perfectionem Naturæ pertinent, vel ad Redemptionem conducunt, alioquin non potuiſſet nobis conſtare, Chriſtum verum eſſe Hominem, ac nobis ſimilem.

XLVIII. Ad 2. Jeſum profeciſſe ſapientiâ quoad uſum; quia quò grandior fiebat, eò perfectiora opera edebat. Item quia ſucceſſu temporis cognitionem quandam experimentalem proprijs actibus ſibi comparabat. Ita Origines, Hierony. Nazian. Theophilact. Damaſcen. & communis ſententia P. P. ac D. D. apud Tirin. in locum cit. Urgent Sectarij, Chriſtum eo modo profeciſſe ſcientiâ, quo modo ſtaturâ, paulatim ſcilicet. Sed hæc eſt voluntaria ipſorum interpretatio, & ab allatis P. P. & omnibus Catholicis D. D. rejecta. Sicuti ergo Sol, quo magis aſcendit versùs medium cœlum, tantò magis dicitur proficere in lumine & calore,

Digitized by Google

calore, non quod in ſe fiat lucidior & calidior, ſed quia magis magiſque apparet ejus virtus, ita ſapientia & ſcientia Chriſti cum ætate & ſtatura crevit, hoc eſt, magis magiſquè emicuit & ſe prodidit.

XLIX. Cæterùm quando ex Script. Joan.10. v.16. & Epheſ.4.v.7. &c. dicimus, Chriſtum plenum ſapientiâ & ſcientiâ, imò redundantem ac ſine menſura, non volumus inſinuare, ſcientiam animæ Chriſti communicatam fuiſſe infinitam, ſed ſolùm id aſſerimus, quod Adverſarij negant, ſcilicet Chriſtum proficere non potuiſſe in ſcientia eò, quod acceperit eam plenè abundanter & ſine menſura: alij autem de plenitudine ejus accipiant cum menſura.

L. Ad 3. Particulam *niſi* excludere ſolùm alias perſonas in divinis, quando & ubi occurrit oppoſitio, uti fit in Relationibus & Subſiſtentijs Relatiuis, atque Actibus Notionalibus: Scientia autem eſt quid abſolutum, & eſſentiale, ac proinde omnibus Perſonis commune. Quod ergo Filius dicatur hic ignorare diem ac horam extremi Judicij, exponendum eſt de Filio, ut eſt homo, ſeu ſecundùm humanam Naturam ejus; non quod verè ac prorſus ignoret horam & diem illam etiam ſic ſpectatus, ſed quod ignoret tanquam legatus à Patre ad nos miſſus; ſcilicet eo modo ac lege, ut eandem revelare hominibus poſſit; quemadmodum Legatus conſcius decretorum Regis ſui, ſi ſciat, nolle Regem aliquid propalatum, rogatus, ut aperiret id, poteſt reſpondere, ſe illud neſcire; ſimili modo Joan.15. v.15. dicit Chriſtus: *omnia quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis*; nempe omnia, quæ ut Legatus à Patre audivi, ac vobis communicanda accepi. Vide Maldonatum in Matth. 24. v. 36. Ubi ait, aliquando hunc locum Patribus accidiſſe difficilem contra Arianos diſputantibus, & poſt varias interpretationes tandem aſſerit, Chriſtum ſolùm innuere, quod officium ſuum non ſit ſcire; quia ſcilicet ut Legatus ad nos non audivit illud à Patre nobis revelandum.

LI. Ad id, quod ultimò fuit objectum; Confortationem hanc, etiamſi per eam Chriſtus verè fuiſſet confortatus, ut nonnulli P. P. inſinuant, fieri potuiſſe nudâ repræſentatione & propoſitione quarundam rationum, quibus leniri Chriſti dolor valebat; licet interim Chriſtus nihil ab Angelo incognitum diſceret, ut ſentit S. Thom. 3. p. q. 12. art. 4. ad 1. Sed vero ſimilius videtur, Chriſtum ab Angelo reipſâ non fuiſſe confortatum, ut conijcitur ex verbis ſequentibus Luc. 22. v. 43. *& factus in agonia prolixiùs orabat:* Nihilominus Chriſtus dicitur ab Angelo confortatus, ſive quia Angelus in modum confortantis ſeu conſolantis apparuit, Chriſto interim nullum inde robur aut ſolatium percipiente: ſive potiùs quia confortare in propoſito nihil eſt aliud, quàm fortitudinem ac potentiam Chriſto confitendo ac laudando tribuere, ut ex Chriſoſtomo ſermone de Trinit. Epiph. hæreſi 61. notavit Vaſq. in 3. p. d. 56. n. 9. Sic etiam B. Virgo Lucæ 1. v. 46. ad initium cantici ſui ait: magnificat anima mea Dominum, non propriè ſcilicet faciendo magnum, ſed æſtimando magnum.

LII. *Error quartus* eſt, Chriſtum in Paſſione ſua ſuſtinuiſſe aliquod genus doloris homini proprium, puta deſperationem doloris inferni, & damnatorum. Ita Calvinus L. 2. Inſtit. c. 6. §. 1. Ubi ait: *diros in anima cruciatus damnati & perditi hominis pertulit,* Et addit: *nihil actum erat, ſi corporeâ tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus, ſed operæ ſimul pretium erat, ut divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret:* Et l. 3. Inſtit. c. ult. docet, *nihil aliud eſſe pœnas damnatorum, quàm terrorem & anxietatem conſcientiæ, cogitantis, Deum ſibi eſſe iratum & infeſtum; & has pœnas Chriſtum ſuſtinuiſſe.* Et in c. 27. Matth. dicit, *Chriſto elapſam eſſe deſperationis vocem.* Et infra, *cum deſperatione*, inquit, *luctatus eſt, non tamen victus.* Similia habent Lutherus in Pſal. 22. Melanchthon in locis communibus capitulo de Filio. Brenzius in 2. Actorum. Moventur aliquot Sacræ Scripturæ locis pravè intellectis 1. Jſaiæ 53. v. 4. Ubi dicitur Chriſtus *à Deo permiſſus.* 2. Matth. 27. Ubi Chriſtus v.46. exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti!* 3. Actor. 2. Ubi v. 25. de eo dicitur: *quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* 4. Pſal. 17. v. 6. *Dolores Inferni circumdederunt me.*

LIII. Error hic, & omnia ex hæreticis allata planè impia ſunt, monſtroſa, & blaſphema, quibus vel ſolis Calvinus deſperationis & terribilis in mortis articulo indurationis pœnam juſto Dei judicio promeritus eſt, de quâ Hieron. Bolſenus Medicus Lugdunenſis in vita Calvini c. 22. dæmonibus, inquit, invocatis jurans, execrans, & blaſphemans miſerè expiravit, cujus illi teſtimonium perhibuêre, qui decumbenti ad extremum uſque halitum miniſtrârunt, imò hoc etiam, quod diem ac horam fuerit execratus, quam unquam ſtudijs ac ſcriptionibus impendiſſet. Non mitiùs Dei judicium nec feliciorem exitum habuiſſe putandi ſunt Lutherus, & alij. Refelluntur autem illorum frivola fundamenta. Tum ex dictis de ſumma innocentia & ſanctitate ac perpetuâ Animæ beatitudine, quâ Chriſtus fruitus eſt. Tum ex valore infinito paſſionis ac mortis aliorúmque meritorum Chriſti ad redimendum totum genus humanum, Tum ex toto contextu Sac. Scripturæ, ubi redemptio noſtra nunquam attribuitur hujuſmodi impij ac damnati hominis doloribus à Chriſto exantlatis, ſed ſolummodò ſanctiſſimæ ejus morti, & ſanguini, ut ſingulariter patet ex Apocalypſ. 5. v. 9. Ubi Sancti clamant: *dignus es Domine accipere librum & ſolvere ſignacula ejus, quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.*

LIV. Reſpondetur in ſpecie ad. 1. Jſajæ 53. Chriſtum dici percuſſum à Deo, non quod illum oderit, ſed quod illum pro nobis ſuâ permiſſione tradiderit occidendum, juxta illud ad Rom. 8. v. 32. *qui proprio Filio non pepercit, ſed tradidit pro nobis omnibus.* Ad 2. Derelictum fuiſſe à Patre Chriſtum, quia Deus Humanitatem ejus, cum facilè eripere poſſet, ſummis pœnis & doloribus permiſit affciendam, ut ſacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat, & conveniens erat; eam vocem à nobis auditam fuiſſe, ut intelligeremus, Chriſtum verè graviſſimos pro nobis dolores pertuliſſe. Ad 3. Solutis inferni doloribus idem eſſe, ac irritis inferni doloribus, non quibus teneretur Chriſtus, ſed ne teneretur; *quomodo*, inquit, Auguſt. Epiſt. ad Ephodium *ſolvi poſſunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Ad 4. per dolores inferni, ſive ad perſonam Davidis, ſivè Chriſti eâ verba referantur, non poſſe intelligi niſi dolores mortiferos, & ex ſe ad infernum, hoc eſt, locum infernum mortuis deputatum, ſcilicet ſepulchrum trahentes, in quem modum etiam prior locus explicari poteſt.

LV. Ex

Digitized by Google

LV. Ex Catholicâ igitur veritate tenendum, Chriſtum in Cruce nec paſſione ſuâ universâ deſperâſſe, nec ad infernum deſcendiſſe ad luendam deſperationis culpam. Nam verba illa *ut quid me dereliquiſti, &c.* non continent deſperationem, ſed tantùm admirationem divinæ permiſſionis, quod innocentiſſimo Filio tanta tormenta inferri permiſerit, quam admirationem tollens ſtatim ſubjungit: *longè à ſalute mea verba delictorum meorum* q. d. non eſt mirum, Pater mi, quod me derelinquas in his doloribus, quia delicta totius mundi in me ſuſcepi, ut poſtea Petrus Epiſt. 1. c. 2. v. 24. dixit, *peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſupra lignum*; unde mox eximius actus ſpei eod. Pſal. ſequitur v. 20. *Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam reſpice &c.* ſeque exauditum gloriatur v. 55. *non avertit faciem ſuam à me, & cum clamarem, exaudivit me &c.* Cur autem deſcenderit in infernum, limbum ſcilicet, patebit ex Controvers. ſequenti. Quod ſi ad luendâ deſperationis pœnam Chriſtus deſcendiſſet in infernum locum damnatorum, non tantùm triduo, ſed æternùm ibi manere debuiſſet, cum deſperatio ſit peccatum mortale æternâ morte dignum; neque per ignorantiam, vel indeliberationem excuſari potuiſſet â mortali, cum omnes ſuos actus in poteſtate habuerit. Quare Chriſtus his hæreticis meritò objicere poteſt, quod olim Phariſæis Joan. 8. v. 46. *quis ex vobis arguet me de peccato?* Ajunt, Chriſtum peccaſſe, ut nos redimeret. Inſignis planè redemptio; quid ineptius excogitari poſſet? Profectò vel hinc apparet, ex quo Spiritu nati ſint Lutheraniſmus & Calviniſmus; planè non ex vero, pio, ac Sancto Spiritu.

CONTROVERSIA XII.

UTRUM ANIMA CHRISTI revera deſcenderit ad Inferos?

NOs Catholici quatuor loca inferna communiter ſtatuimus 1. Carcerem damnatorum. 2. Purgatorium. 3. Limbum Patrum. 4. Locum puerorum cum peccato originali decedentium. Hæretici moderni unicum infernum agnoſcunt, aſſeruntque, deſcenſum iſtum localem Chriſti ad inferos otioſum eſſe figmentum.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Chriſtus ſecundùm Animam, & quidem ſecundùm Subſtantiam hujus reverâ deſcendit ad Infernum, intelligendo hoc nomine certum aliquem locum ſubterraneum. Ita omnes Catholici ex definitione Concilij Lateran. capitul. firmiter. de ſumma Trinitate, de Fide Catholicâ. Item ex Symbolo S. Athanaſ. & Apoſtolorum, quantumvis olim hic Articulus non apud omnes Eccleſias in eodem Symbolo Apoſtolorum haberetur, ut notavit Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 6. Probatur 1. ex S. Script. Math. 12. v. 40. *Sicut Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus fuit: ſic erit Filius DEI in corde* (medio) *terræ tribus diebus & tribus noctibus.* ad Epheſ. 4. v. 9. *quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit, primùm in inferiores partes terræ.* Et præcipuè Pſal. 15. v. 8. & Actor. 2. v. 27. *quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem &c.* Probatur 2. ex Patribus, quos fusè adducit Bellarminus Lib. 4. cap. 14. Sufficiant nobis unus & alter S. Ignatius M. in Epiſt. ad Trallianos: verè, inquit, *non hominum opinione crucifixus & mortuus eſt, videntibus cæleſtibus, terrenis, & ijs, qui ſub terra detinebantur.* Item *deſcendit ad infernum ſolus, regreſſus autem eſt cum multitudine.* Epiphan. in hæreſi 69. contra Ariomanitas ſic ſcribit: *Volebat Deitas omnia perficere, quæ ad paſſionis myſterium pertinent, & cum anima deſcendere ad inferna ad operandum ſalutem eorum, qui illic prædormierunt, Sanctorum, inquam, Patriarcharum.* Probatur 3. varijs Congruentijs apud S. Thom. 3. P. 52. art. 1. placet præ alijs iſta conformis Scripturæ & PP. Sicuti Chriſtus poteſtatem ſuam oſtendit in terra vivendo & moriendo, ita conveniebat, ut oſtenderet in inferno, ipſum viſitando & illuminando, ut ſic in nomine JESU omne genu flectatur non ſolùm Cæleſtium & Terreſtrium, ſed etiam Infernorum ad Philip. 2. v. 10. Deſcendit autem Anima Chriſti ad Inferos, ait S. Doctor loco cit. ad 3. non eo genere motûs, quo corpora, ſed quô Angeli moventur.

II. *Doctrina ſecunda.* Chriſtus deſcendit ad Limbum, qui aliàs vocatur ſinus Abrahæ, ut animas Juſtorum ibi ante Chriſti aſcenſum detentas ex hoc loco educeret. Ita omnes Catholici, & definitur in Concilio Tolet. 4. can. 1. his verbis: *deſcendit ad inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & devicto mortis imperio reſurrexit.* Prima pars Probatur 1. ex Sac. Scriptura. Eccleſ. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Pſal. 106. v. 6. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Zachariæ 9. v. 11. *In Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua.* Rom. 10. v. 7. *quis deſcendet in abyſſum?* Ephes. 4. v. 9. *deſcendit in inferiores partes terræ.* 1. Petri 3. v. 19. *His, qui in carcere erant Spiritibus veniens prædicavit.* Ibid. cap. 4. v. 6. *Evangelizavit mortuis.* & ex cæteris locis priore doctrinâ allegatis. Hæc autem teſtimonia Sac. Scripturæ potiſſimùm de limbo & Patribus in hoc recluſis, ac deſcenſu in eum Sapientiæ Incarnatæ ſeu Chriſti animæ loquuntur, ut eadem intelligunt SS. Patres & Doctores, idque jure merito; quippe in hoc limbo Chriſtus antiquos Patres dormientes, & in eo Sperantes illuminavit: in hoc contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, ut nullos amplius retinere valeant captivos: ex hoc vinctos in Sanguine teſtamenti ſui velut ex lacu, in quo non eſt aqua, emiſit: in hunc denique limbum Chriſti anima veniens Spiritibus prædicavit atque evangelizavit; quæ omnia revera nec ſepulchro, nec purgatorio, nec inferno damnatorum ergaſtulo conveniunt.

III. Probatur 2. ex Patribus. Tertullianus Lib. de Anim. c. 55. *Nec ante*, inquit, *aſcendit in ſublimiora cælorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut ibi Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret; habes & regionem inferorum ſubterraneam credere.*

Digitized by Google

dere. In Symbolo D. Athanaſij, quod tota Eccleſia: item Lutherani & Reformati receperunt, legimus: *deſcendit ad inferos*; quæ verba ipſe Athanaſius ſic explicat: *Credite, animam interiorem hominem eſſe; quoniam id à prima plaſmatione oſtenditur, & à ſecunda diſſolutione commonſtratur; cum non ſolùm à nobis, ſed & in Chriſti morte id pateat, corpore non ultra ſepulchrum delato, animâ ad inferos penetrante, locis ingenti intervallo diſcriminatis, ſepulchro quidem id, quod corporeum erat, quia ibi corpus erat, recipiente, inferno verò id, quod incorporeum fuit.* S. Ambroſius Lib. de Dominicæ Jncarn. Sacramento cap. 5. *non*, inquit, *abyſſo, ſed Patri dixit, in manus tuas commendo Spiritum meum. Ipſa anima, etſi fuit in abyſſo, jam non eſt, quia Scriptum eſt, quoniam non relinques animam meam in inferno.* D. Baſilius in Pſalm. 48. ſuper iſta verba: veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. ſic ſcribit: *Palam vaticinatur, Chriſti ad infernum deſcenſionem, qui unà cum alijs prophetæ ipſius animam ſit liberaturus, ut ibi nequaquam permaneat.* S. Hieron. in cap. 4. ad Epheſ. hæc habet: *Inferiora terræ, infernus accipitur, ad quem Dominus noſter Salvatórque deſcendit, ut Sanctas animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cælos victor abduceret.* In eundem modum loquuntur alij Patres, adeò clarè & apertè, ut Hundius apud DD. à Wallenburch Tom. 2. fol. 63. opinionem D. Athanaſij vocet peculiarem, de alijs Patribus alij hæretici non mitiùs ac ſaniùs ſentiunt.

IV. Non obſtat, quod per ſinum Abrahæ, qui ab omnibus locus felicitatis putatur, videatur non poſſe infernum ſignificari. Nam, ut bene declarat S. Thom. in 3. P. q. 52. art. 2. ad 1. Sinus Abrahæ poteſt dupliciter conſiderari, ut quies, quæ ibi erat à pœnâ ſenſibili. 2. ut privatio gloriæ ſperandæ; quoad priùs ei non competit nomen Inferni: at bene quoad poſterius. Quare juxtà primam acceptionem nunc quidem ipſamet requies beatorum dicitur ſinus Abrahæ, non tamen dicitur Infernus, cum nihil jam triſte in ſinu Abrahæ inveniatur.

V. Altera pars. Animas ſcilicet Juſtorum Veteris Teſtamenti ante Chriſti paſſionem non fuiſſe in Cælo, ſed in Limbo detentas expectaſſe Meſſiæ adventum, eſt communis omnium Catholicorum, & oppoſitum, inquit Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 11. eſt inauditum in Eccleſia. Habetur in Epiſt. S. Pauli ad Hebræos 6. v. 19. *Propoſitam ſpem, quam ſicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam & incedentem uſque ad interiora Velaminis, ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, &c.* Si autem Chriſtus præcurſor in Cælum introivit. Ergo nulli ante ipſum. Item in eadem Epiſt. cap. 9. v. 8. *Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum &c.* Si autem Patriarchæ in Cælum ingreſſi eſſent, utique via in cælum jam manifeſtata fuiſſet. Rurſus c. 10. v. 19. *Habentes fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam.* ubi Chryſoſt. Hom. 18. *Ideo* inquit, *novam dicit, ſiquidem nunc aperta ſunt portæ cæli, quod neque tempore Abrahæ contigit.* Demum cap. 11. v. 13. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis promiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes*; & v. 39. *hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Senſus eſt ex communi DD. quamvis omnes PP. ac Sancti Vet. Teſtamenti fidem ſervaverint, & ſtrenuè laboraverint; non tamen hæreditatem cæleſtem illis promiſſam ante Sanctos Novi Teſtamenti acceperunt in limbo expectantes, donec & illis ac nobis cœlum hactenus clauſum à Chriſto aperiretur.

VI. Præclarè in rem præſentem ſcribunt Chryſoſtomus Hom. 4. in Marc. *In Lege Abraham apud inferos: in Evangelio latro in Paradiſo; non detrahimus Abrahæ &c. Sed Chriſtum præferimus Abrahæ, Evangelium legi.* Hieron. in Comment. ad cap. 9. Eccleſiaſt. circa illa verba: omnia, quæ invenit manus tua, ut facias in virtute tua, fac; ſic ſcribit: *nota, ut Samuelem quoque verè in inferno credas fuiſſe, & ante adventum Chriſti, quamvis Sanctos, omnes inferni lege detentos &c.* Plura Sac. Scripturæ & PP. teſtimonia videri poſſunt apud Bellarm. c. 11. cit. Vetvveis, & alios. Solùm adjicio illud Petri 1. 3. v. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca, in qua paucæ, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Quamvis enim locus iſte obſcurus ſit, communis tamen & verior interpretatio eſt PP. ac DD. Petrum loqui, ut diximus, de animabus Patrum in limbo, eorum ſcilicet, qui, cum Noë arcam fabricaret, ejus prædicationi & comminationi de diluvio credere noluerunt, donec pænam diluvij re ipsâ experti pænitentiâ de peccatis præteritis habitâ in eodem diluvio ſubmerſi perierunt, atque ita, licet aquis præſuffocarentur, ſalvati tamen ſunt, & ad limbum cum reliquis juſtis relegati per Chriſtum jam à morte eò deſcendentem cum omnibus alijs juſtis inde educti fuerunt.

VII. Cæterùm quamvis Chriſtus ad deſcenſum ſuum animabus in limbo ſtatim contulerit eſſentialem beatitudinem, adeóque perfectam viſionem ac fruitionem juxta illud Luc. 23. v. 43. hodie mecum eris in Paradiſo, tamen iidem Sancti ante Chriſtum eòdem non intrârunt; ille enim Cælum ingrediens aditum ad illud patefecit juxta id Pſalm. 67. v. 19. & ad Epheſ. 4. v. 8. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*; neque enim decuit, ut membra priùs aſcenderent in Cælum, quàm ipſorum caput, quod eſt Chriſtus, ut jam diximus.

VIII. *Doctrina tertia.* Anima Chriſti manſit in limbo Patrum toto illo triduo uſque ad Chriſti Reſurrectionem. Ita communis Catholicorum. Probatur ex Sac. Scriptura ad Rom. cap. 10. v. 6. *Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in Cælum; hoc eſt, deducere Chriſtum: aut quis deſcendet in abyſſum, hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare*; ubi per abyſſum intelligitur profundiſſimus terræ locus, intra tamen iſtam contentus, adeóque infernus ſeu limbus tanquam terminus à Quo ipſius Reſurrectionis. Idem indicatur Act. 2. v. 27. Quæ verba explicans D. Auguſtinus Epiſt. 99. ad Euodium ſic ſcribit: *Et Dominum quidem carne mortificatum veniſſe ad infernum, ſatis conſtat. Neque enim contradici poteſt vel Prophetiæ, quâ dixit: quoniam non relinques animam meam in inferno; quod ne aliter quiſquam ſapere auderet in Actibus Apoſtolorum idem Petrus exponit, vel ejuſdem Petri verbis, quibus eum aſſerit ſolviſſe Inferni dolores, in quibus impoſſibile erat, eum teneri. Quis ergo niſi infidelis negaverit, apud inferos fuiſſe Chriſtum.*

IX. Tribus autem diebus Chriſtum in limbo fuiſſe commoratum, ipſemet indicat hiſce citatis

tis

Digitized by Google

tis verbis Matth. 12. v. 40. *Sicut Jonas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus fuit, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*; nempe civilibus, qui ex die naturali & nocte conſtantur: item non integris, ſed ſolùm primi diei ultimâ parte, & tertij primâ cum toto ſecundo intermedio. Conſentiunt SS. PP. Tertullian. Auguſtin, Petrus Chryſolog. & alij, è quibus Irenæus Lib. 5. adverſus hæreſes c. 31. ſic ſcribit in cit. locum: *Nunc autem tribus diebus converſatus eſt* (Chriſtus) *ubi erant mortui, quemadmodum prophetia ait de eo, commemoratus eſt Dominus Sanctorum mortuorum ſuorum; eorum qui ante dormierunt in terram ſtipulationis, & deſcendit ad eos, extrahere eos & ſalvare eos.* Ratio eſt. Quia locus ille erat per ſe conſentaneus ſtatui animæ ſeparatæ ipſius Chriſti; ubi enim aliàs interim corpore in ſepulchro poſito convenientiùs fuiſſet? Non obſtat illud Lucæ 23. v. 43. *hodie mecum eris in Paradiſo.* Nam eo loco Paradiſus non ſumitur pro Paradiſo terreſtri, ſed generatim pro loco gloriæ & beatitudinis, ſive pro regno Chriſti; quod Latro ipſe expetiverat, juxta illud Apocal. 2. v. 7. *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

X. *Error primus eſt* Brentij in c. 2. Act. & in Catechiſmo ſuo 1551. edito, ubi ait, deſcendere in infernum, ſive ad inferos, nihil eſſe aliud, quàm penitus extingui, & interire ſaltem juxta quandam apparentiam & hominum opinionem, quibus nimirum is, qui moritur, apparet etiam quoad animam periiſſe. Quia igitur Chriſtus ita mortuus fuit, ut periiſſe penitus videretur, dicitur etiam ad inferos deſcendiſſe. Non ſunt alieni ab hoc figmento Gerhardus, Ameſius cæteríque Sectarij, dum univerſim negant, Chriſti animam re ipsâ ad inferos deſcendiſſe, ut mox patebit.

XI. Error hic manifeſtè contradicit Sac. Scripturæ, Symbolis Apoſtolico & Athanaſiano, & reliquorum PP. teſtimonijs; ſiquidem ex illis omnibus clariſſimè liquet, deſcenſum illum Chriſti fuiſſe aliquid aliud, quàm ipſam Chriſti mortem, ut conſtabit conſideranti. Nam ſi ipſimet Sectarij deſcenſum Chriſti ad Inferos ſecundùm ipſam animæ ſubſtantiam exprimere voluiſſent, quibus verbis clariùs feciſſent, quàm his è Sacra Script. citatis: *non relinques animam meam in inferno.* Pſalm. 15. & Act. 2. *deſcendit ad inferiores partes terræ.* ad Epheſ. 4. *his, qui erant in carcere Spiritibus veniens prædicavit.* 1. Petri 3. S. Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanum Q. 1. ait. *neque ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecundùm animam, in ſepulchro autem ſecundùm carnem.* Similia alij habent PP. Quid autem his verbis velut radijs ſolis limpidiſſimis clariùs dici poteſt, quibus certè diſſipantur tenebroſa Sectariorum effugia. De reliquo Brentius, & qui ipſi adſtipulantur, non obſcurè produnt exiguam ſe habere fidem de animæ immortalitate; quod bene advertit Valentia Tom. 4. fol. 583.

XII. *Error ſecundus eſt*, per Inferos intelligi ſepulchrum, ut nihil aliud ſit, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, quàm ſepultum fuiſſe. Ita Buzerus in cap. 27. Math. & Beza in cap. 2. Actor. ubi in verbis illis citatis, *non relinques animam meam in inferno &c.* vult intelligi debere *pro animâ cadaver: & pro inferno, ſepulchrum.* Non afferunt rationem, ſuâ ſolùm nixi phantaſiâ. Succurrit tamen Ameſius Tom. 1. fol. 18. eadem verba Pſal. 15. & Actor. 2. hoc Syllogiſmo oppugnans: Locus ac ſtatus in quo Chriſtus non fuit relictus, unus idemque fuit cum illo, in quo David dicitur relictus. Sed ille ſtatus, in quô David fuit relictus, non alius fuit, quàm mors: neque alius locus, quàm ſepulchrum. Ergo &c.

XIII. Error iſte manifeſtè repugnat ipſi Scripturæ, in qua inferni ſeu inferorum nomine loca ſubterreanea & ima ſignificantur, quæ ſcilicet plurimùm diſtant à ſuperficie terræ deorſum, ſicut plurimùm etiam diſtat ſurſùm verſus; Nam nomen græcum ᾅδης Matth. 11. v. 24, ubi urbs Capharnaum deſcenſura dicitur ad infernum, non poteſt accipi pro ſepulchro, quia ridicula eſſet antitheſis inter cælum & ſepulchrum, neque Lucæ 16. v. 22. ubi dives dicitur in inferno eſſe in tormentis. Geneſ. 37. v. 35. cum ait Jacob *deſcendam lugens ad* filium meum in infernum, minimè poteſt intelligi ſepulchrum, quia Jacob credebat Joſeph à beſtijs devoratum, animam vero ipſius in inferno, Limbo ſcilicet, loco juſtorum. Pari ratione repugnat Sententiæ communi SS. Patrum qui, ut vidimus, magno conſenſu aſſeruerunt, infernum, in quem Scriptura Chriſtum dicit deſcendiſſe, fuiſſe locum ſubterraneum, in quo erant animæ SS. PP. Unde S. Hieron. Scripturarum peritiſſimus in cap. 4. ad Epheſ. ſupra citatus non modò id aſſerit, ſed etiam ex Script. confirmat: *inferiora,* inquiens, *terræ infernus accipitur &c.* Tertul. lib. de anima cap. 31. in rem præſentem ſic præclarè ſcribit: *nobis inferi non nuda cavoſitas, nec ſubdivalis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terræ & in alto vaſtitas & in ipſis viſceribus ejus abſtruſa profunditas; ſiquidem Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum,* id eſt, receſſu intimo, & ex ipſa terra aperto, & inferioribus ad huc abyſſis ſuperſtructo. Quid iterum hæreticas tenebras majori luce diſſipare poteſt? Demum repugnat communi loquendi modo. Dicunt omnes fideles ex Scriptura de Chriſto, quod deſcenderit ad inferos; nemo autem dicitur deſcendere in ſepulchrum, ſed poni in ſepulchro.

XIV. Ajunt Bucerus, Beza & alij Novatores, Hebræum Scheol, Græcum ᾅδην, & Latinum infernum ordinariè accipi pro ſepulchro. Sed hoc apertè falſum eſſe, patet ex Gen. 37. v. 35. *Deſcendam lugens ad filium meum in infernum.* Pſal. 138. v. 8. *Si deſcendero in infernum, ades.* Iſaiæ 14. v. 11. *Ad infernum detraheris in profundum laci, &c.*

XV. Ad Syllogiſmum Ameſij dico, nec Majorē nec Minorē reperiri in Scriptura; & hanc Minorem luculenter eſſe falſam, ut ex ipſis verbis Apoſtoli patet; ait enim v. 38. *Davidem non aſcendiſſe ad cœlos, ejúſque ſepulchrum adhuc ſupereſſe.* Loquitur igitur tam quoad Chriſtum, quàm quoad Davidem de utroque, anima ſcilicet & corpore; & de Chriſto ſenſus eſt: non permittas diu animam meam verſari in inferno, ad quem mox à morte victrix deſcendet, nec ut unigenitus tuus videat corruptionem in ſepulchro.

Digitized by Google

XVI. Inſtat Hundius apud DD. à Wallenburch loc. cit. fol. 58. aiens, non relinqui, nihil eſſe aliud, quàm liberari à miſeria, quam Chriſtus non habuit in limbo, ſed in morte & ſepulchro. Negatur de miſeria propriè dicta in ſepulchro, quod abſque blaſphemia dici non poteſt; ſiquidem Chriſtus per mortem implevit paſſionis ſuæ tempus. Si de miſeria impropriè dicta ſit ſermo, de appetitu ſcil. reunitionis, talis animæ potius, quàm corpori competit, ubjubi illa exiſtat.

XVII. *Error tertius eſt,* Chriſtum non deſcendiſſe eo fine ad inferos, ut Patrum animas ex limbo liberaret. Ita Gerhard. lib. 2. p. 2. fol. 310. & Ameſ. Tom. 1. fol. 114. quos cæteri Lutherani & Calviniſtæ omnes ſequuntur. Probant 1. quia Sancti Novi Teſtamenti ſtatim veniunt ad Cœlum, ut fatentur Pontificij. Ergo & Beati in Veteri Teſtamento mox cœlum fuerunt ingreſſi. 2. Chriſti Paſſio ſemper eſt efficax ad acquirendam ſalutem. Ergo ſicut ejus beneficio nunc Sancti ſtatim aſcendunt ad cœlum, ita etiam aſcenderunt ante aduentum Chriſti. 3. Bellarminus lib. 1. de Purgator c. 3. locum illum Zachariæ c. 9. v. 11. *tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti Vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*, exiſtimat, meliùs adduci pro purgatorio, quàm limbo. Ergo non probatur deſcenſus Chriſti in limbum ad P.P. inde educendos. 4. Nulla eſt ratio, cur Chriſtus in inferno prædicaverit ſolùm ijs, qui increduli fuerunt tempore Noë. Ergo fruſtra aſſeritur deſcenſus Chriſti in limbum ad prædicandum ibi Animabus ſanctis.

XVIII. Errori huic apertiſſimè adverſantur teſtimonia SS. Patrum adeo perſpicua, ut non niſi ab obſtinato hæretico in alium ſenſum detorqueri poſſint. Nunquid plerique ajunt: *deſcendit ad infernum ſolus, regreſſus autem eſt cum multitudine: abijt, ubi erant animæ mortuorum: prædicavit ijs, qui erant apud inferos: pro omnibus ſanctis ad infernum deſcendit, inde Protoplaſten revocavit: deſcendit ad inferos, ut inde Juſtos liberaret: deſcendit ad infernum anima Deificata, ut ijs, qui ſub terra & umbra mortis ſedebant, lux refulgeret?* &c. Quis autem ſanæ mentis homo hæc & ejuſmodi dicat nihil eſſe aliud, quàm indicare communem mortis ſtatum: deſcenſum Chriſti pænalem, ac humilitatis partem: liberationem à reatu & judicio damnationis imminentis, ut fingit Ameſius. Prædicta SS. Patrum teſtimonia, declarant illa verba S. Pauli ad Epheſ. 4. v. 9. & concordant eiſd. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* nempe unde *captivam duxit captivitatem*, ut prius v. 8. dixerat ex Pſal. 67. v. 19. hoc eſt, ex inferiore terræ parte veluti ex carcere captivos PP. & Juſtos tanquam prædam de manu Satanæ rapuit, & ſecum in veram libertatem ac cælum deduxit.

XIX. Obſtrepit Ameſius fol. 111. ex Beza per inferiores partes non niſi terram intelligi, quæ eſt inferior mundi pars reſpectu cœli. Sed hoc contrarium eſt menti & verbis Apoſtoli affirmantis, deſcendiſſe Chriſtum in inferiores partes non mundi, ſed terræ, quod nullo ſano ſenſu intelligi poteſt, niſi de centro terræ, infra quod non eſt aliud quid, ut loquuntur PP. perinde ac ſi dicerem: deſcendi ad inferiores partes carceris, non ſolùm indicarem ingreſſum me fuiſſe domum vel turrim, ubi eſt carcer, ſed etiam deſcendiſſe in ima ſeu profundiſſima antra ejuſdem carceris. Probationes etiam prorſus frivolæ & nullius momenti ſunt.

XX. Reſpondetur ad 1. Negando conſequentiam, quia Sancti Novi teſtamenti reperiunt cœlum jam reſeratum, quod Juſtis Antiqui Teſtamenti adhuc fuit clauſum. Ad 2. Chriſti Paſſionem fuiſſe in actu primô ſemper efficacem, concedimus, ſi cætera ſunt paria: ſecus negatur. Diſparitas autem quoad beatitudinem actu conſequendam eſt in eo, quod Sancti Novi Teſtamenti jam habeant Cœlum apertum, quod non habuerunt Sancti V. T. Quid igitur mirum, ſi diverſa ſit applicatio in actu ſecundo ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis Chriſti. Ad 3. nihil inde ſequi, niſi verba Zachariæ bene adduci pro limbo Patrum, quantumvis fortè melius pro purgatorio adducantur; quid autem prohibet, rem vel dictum unicum convenire duobus uni bene, alteri melius? Ad 4. S. Petrum loco cit. voluiſſe Fideles excitare ad magnam ſpem concipiendam, affirmando fore, ut omnes Juſti, quantumvis carne mortificati aliquando per Chriſti gratiam gaudium cæleſtis beatitudinis conſequantur; ad hoc autem quàm maximè conducebat exemplum illorum, qui tempore Noë in aquis diluvij perierunt, & tamen factâ pænitentiâ ſalvi facti fuerunt. Si enim poſt longiſſimum impænitentiæ tempus tandem viſâ prædicatione Noë & inſtante inter aquas vitæ periculo pænitentes ſalutem conſecuti ſunt, quis eandem deſperet, ſi modò converti ſeriò ad Dominum velit.

XXI. *Error quartus.* deſcenſum Chriſti ad inferos eſſe metaphoricum, & in eo conſiſtere, quod Chriſtus tempore Paſſionis ſuæ dolores infernales in animâ ſua pertulerit. Ita Gerhardus lib. 2. p. 1. à fol. 312. cum ſuis Lutheranis, & Ameſius Tom. 1. à fol. 82. cum ſuis Calvinianis, ubi ajunt, *deſcenſum animæ Chriſti localem ad inferos eſſe otioſum figmentum.* Sed quomodo figmentum otioſum eſſe poteſt? quod apertiſſimis verbis aſtruit Sac. Scriptura? quod unanimi conſenſu tradunt S. S. Patres? quod communis tenet omnibus retrò ſæculis Fidelium ſenſus? an non rectiùs dicuntur infideles eſſe, qui iſtud protervè negant? Non utar pluribus; S. Auguſtini verba, etſi pauciſſima, ſufficiant, ſic ſcribit Epiſt. 57. *neque ipſo die in cœlo futurus erat homo Chriſtus Jeſus, ſed in inferno ſecundùm animam, in ſepulchro ſecundùm corpus.* Et Epiſt. 99. *quis ergo niſi infidelis negaverit, fuiſſe apud inferos Chriſtum? ſecundùm animam eum fuiſſe apud inferos, apertè Scriptura declarat.* Priora ex his verbis ſupra jam adduxi, ex poſterioribus ſic concluditur. Quicunque negant realem Chriſti deſcenſum ſecundùm animam ad inferos quem apertè S. Scriptura declarat, ſunt infideles. Ameſius, Gerhardus, Hundius alijque ſectarij realem Chriſti deſcenſum ſecundùm animam ad inferos, quem apertè Scriptura declarat, negant tanquam otioſum figmentum. Ergo ſunt infideles.

XXII. Cætera, quæ de doloribus inferni à Chriſto in anima tempore paſſionis exantlatis Adverſarij pro errore ſuo ſtabiliendo adferunt, ſupra jam rejecimus, nec ullum in S. Scriptura ejuſmodi pœnæ extat veſtigium, ubi tamen paſſiones Chriſti ſigillatim recenſentur, Equidem novi tam Calvinianos ſui Calvini, quàm Lutheranos ſui Lutheri erubeſcere blaſphemiam, & impium commentum: atque Ameſium fol. 82. & Menonem Hanneken in Irenio ſuo fol. 995. dicere, hanc eſſe meram

Digitized by Google

neram calumniam Papiſtarum, ſed benevolus Lector inſpiciat locos à nobis adductos: & veriſſimum reperiet id, quod diximus. Videantur D.D. Wallenburch Tom. 1. fol. 429. Ubi oſtendunt, quomodo Calviniſtæ ex ſuo Magiſtro Calvino explicent in ſuis Catechiſmis articulū fidei: *& ſepultus eſt.* Atq; univerſim plura de deſcenſu Chriſti ad inferos apud eoſdem Tom. 2. à fol. 52.

CONTROVERSIA XIII.

DE CHRISTO MEDIATORE.

MEdiator dicitur is, qui inter duos aliquos diſſidentes aut certè non conjunctos medium ſe interponit, ut eos ad concordiam redigat, vel novo fœdere conjungat. Contingere autem hoc poteſt dupliciter, ſcilicet per ſubſtantialem aliquam mediationem, aut per operationem. Priori modo dici quidem poteſt Chriſtus Mediator ſecundùm Perſonalitatem, quæ connectit duas naturas, ſed non diſſidentes; quia Humanitas Chriſti nunquam fuit contraria Deitati; idcirco de hac unione ſeu mediatione inpræſentiarum non quæritur, & Patres nonnunquam de illa loquantur. Poſterior ſeu mediatio in Operatione quatuor modis fieri poteſt. 1. diſcernendò & judicando cauſam, ut arbitri, & judices faciunt. 2. referendo hinc inde pacta & conditiones, ut internuncij. 3. orando & ſupplicando. 4. Solvendo & ſatisfaciendo. De iſtis omnibus quatuor modis intelligi poteſt hæc Controverſia; ſecundùm quam Naturam Chriſto conveniat Mediatoris officium.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

DOctrina prima. Chriſtus verùs, univerſalis, ac perfectus fuit Mediator inter Deum & hominem: idque certo modo ita fuit ſolius Chriſti proprium, ut nulli puræ creaturæ convenire potuerit. Ita omnes Catholici de fide tenent ex illo Pauli Apoſt. 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus: unus & Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus, qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ubi Apoſtolus per unum Deum totam Trinitatem intelligit, & tres præcipuè conditiones perfecti Mediatoris ſoli Chriſto convenientes deſignat. Prima quod ipſe Chriſtus ſimul ſit Deus & homo, adeóque etiam Naturâ medius inter Deum & hominem, dum mediante Hypoſtaſi Verbi utraque in eo Natura fuit conjuncta. Secunda. quod ſit Mediator omnium, qui Redemptione indigent: ipſe verò nullius mediatoris indigus. Tertia. quod ſit Mediator per modum perfectæ redemptionis & ſolutionis pretij æquivalentis pro omnibus redimendis, idque non virtute alienâ, ſed propriâ, nempe ratione ipſius divini ſuppoſiti ex ſua Natura habentis, quidquid ad hanc rem neceſſariò requiritur.

II. Hoc tamen minimè obſtat, quin alij etiam dici poſſint Mediatores noſtri apud Deum quaſi diſpoſitivè, & miniſterialiter, ut loquuntur Scholaſtici cum S. Thom. 3. P. Q. 26. art. 1. adeóque ſubordinati & inferiores Chriſto, nobis ad ipſum etiam Chriſtum ejuſque meritorum actualem participationem viam ſternentes, aut quovis modo cooperantes, ut patet Deutro. 3. v. 5. ubi Moyſes ait: *Ego ſequeſter & medius fuit inter Dominum & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* & Jeremiæ 18. v. 20. ajentis: *Recordare quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis*; quod ad litteram ac immediatè ad ipſam perſonam Iremiæ ſpectat. & ad Gal. 3. v. 19. ubi Apoſtolus ſcribit: *Lex ordinata dicitur per Angelos in manu Mediatoris, ſcilicet Moyſis.* Et 2. ad Gorinth. 5. v. 20. idem Paulus & ſuo & aliorum Apoſtolorum nomine dicit: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.*

III. Quare & Prophetæ & Sacerdotes veteris Teſtam. dicti ſunt Mediatores inter Deum & homines diſpoſitivè & miniſterialiter, in quantum non ſolùm prænunciabant & perfigurabant verum & perfectum Dei & hominum Mediatorem, ſed etiam quatenus ſuo miniſterio divinam voluntatem hominibus denunciabant, & populum ſuo modo reconciliabant. Unde & noſtri Sacerdotes novi Teſt. dici poſſunt Mediatores Dei & hominum, in quantùm ſunt Miniſtri veri Mediatoris ipſius vice ſalutaria hominibus Sacramenta exhibentis, atque hoc ipſo multò efficacius ad hominum ſalutem & unionem cum DEO cooperantes.

IV. *Doctrina Secunda.* Chriſtus ſecundùm ſolam Naturam humanam fuit Mediator ac Sacerdos, loquendo de Natura, à qua Mediatoris & Sacerdotis opera exercentur: Radix verò, ex quâ opera illa moraliter ſuam vim & valorem perfectè ſatisfaciendi, & munere Mediatoris fungendi traxerunt, fuit Verbum Divinum, ſeu divina Natura; unde principium completum, quod exercebat opera Mediatoris, nec fuit ſolus Deus, nec ſolus homo, ſed utrumque ſimul, nempe Chriſtus Homo & Deus. Ita communis Catholicorum apud Bellarm. lib. 5. de Chriſto c. 1. Ubi allegat Magiſtrum. Senten. 3. diſt. 19. D. Bonav. ibid. art. 2. q. ultima D. Thom. 3. P. q. 26. art. 2. quos Magiſtros Veteres Theologi ſequuntur. Ratio 1. partis eſt. Quia orare, pati, promoveri, Deòque ſacrificare &c. non ſunt actus Naturæ divinæ, ſed inferioris, & ab hac diſtinctæ. Confirmatur. Mediator, quà talis, debet diſtingui ab illis, inter quos exercet officium Mediatoris. Atqui ſecundùm Naturam humanam diſtinguitur à Deo, & peccatore. Ergo ſolius Naturæ humanæ operationes ſunt operationes Mediatoris quà talis. Hinc rectè Doctores communiter aſſerunt, Naturam humanam, non divinam fuiſſe principium Quo exercebantur opera Mediatoris.

V. Pro ſecunda parte ſupponimus, tria principia per ſe nota & ab omnibus recepta. 1. eſt. Offenſa eò major cenſetur, quò offenſus majori honore & reverentia dignus erat: & vilior offendens. 2. Valor & dignitas ſatisfactionis ſumitur ex dignitate Perſonæ operantis & ſatisfacientis. 3. Inæqualitas inter offendentem & offenſum, quæ per peccatum evenit, tam diu manet, donec ſatisfaciens

faciens tantum honorem exhibeat offenſo, quantam injuriam lædendo intulit; citiùs enim per ſe loquendo non tollitur. Ex his ab omnibus receptis principijs jam facilè apparet ratio ſecundæ partis. Nam pro peccato ſatisfieri perfectè non poteſt, niſi per opera exhibita à perſona tantæ dignitatis, quantæ eſt perſona offenſa. Atqui in propoſito perſona offenſa eſt infinitæ dignitatis. Ergo ut huic pro peccato perfectè ſatisfiat per opera aliqua, debent iſta exhiberi à perſona infinitæ dignitatis. Sed humana Natura & omnis creatura etiam perfectiſſima eſt finitæ ſolùm dignitatis. Ergo Natura divina & Verbum accedere debent, ut opera ab humanitate exhibita infinitum quemdam valorem habeant, tantùmque honorem conferant, quantam injuriam actio priùs intulit.

VI. Ratio tertiæ partis ex modo dictis conſtat, quia abſque natura humana opera non poſſunt eſſe ſatisfactoria, & meritoria: abſque divinâ verò hypoſtaſi & Naturâ non poſſunt eſſe eadem æqualia offenſæ. Ergo nec Deus ſolùm, nec homo ſolùm, ſed utrumque ſimul Chriſtus Deus & homo eſt Principium completum quòd exercebat opera Mediatoris.

VII. Ex his infertur 1. Chriſtum, ut Deum, ſimpliciter & abſolutè loquendo, Mediatorem dici non poſſe, ſed ut Hominem. Ita communiter Theologi. Probant. Tum ex illo D. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. c. 43. Ubi ait: *in quantùm homo, in tantùm Mediator; in quantum autem Verbum, non medius, ſed æqualis Deo.* Et Tract. 82. in Joan. *Mediator Dei & hominum, non in quantùm Deus, ſed in quantū homo, eſt Jeſus Chriſtus.* Tum quia ea, quæ Chriſto conveniunt per humanam naturā, non poſſunt dici de Deo & Chriſto in quantùm Deo; talis autem eſt functio ſeu officium Mediatoris. Tum quia particula, *ut, in quantùm &c.* reduplicativè ſumpta denotat partem ſeu Naturam ſubiecti, ratione cujus eidem prædicatum convenit, quæ non eſt Natura divina, ſed humana.

VIII. 2. Chriſtum non poſſe, ſimpliciter loquendo, dici Mediatorem ſecundùm divinam Naturam, ut rectè Bellarm. lib. 5. cit: c. 3. cum ſcholaſticis. Ratio ex dictis ſumitur; quia Chriſtus ſecundùm Naturam divinam nec medius fuit inter Deum & hominem, nec exercuit functiones Mediatoris: At verò ſecundùm Humanam Naturam eximiè ſanctificatam utrumque eidem convenit. Confirmatur, aliàs dici poſſet Chriſtus Mediator, in quantùm Deus, quod recèns negavimus.

IX. Neque Divinitatem neque Humanitatem in abſtracto dici abſolutè poſſe Mediatorem, ut habet communis. Tum quia appellatio Mediatoris propriè ad ſuppoſitum ſeu perſonam pertinet. Tum quia neque Divinitas neque Humanitas abſolutè meretur & ſatisfacit; ſiquidem agere, abſolutè loquendo, eſt ſuppoſitorum. Tum quia Divinitas opera Mediatoris propriè non exercet: Humanitas verò ad munus perfecti Mediatoris per ſe non ſufficit.

X. Chriſtum, abſolutè loquendo, rectè etiam dici Mediatorem, ut Deum-hominem, ſive ut Hominem-Deum, adeoque ut Chriſtum, quô nomine formaliter ſignificatur una perſona in utraque natura ſubſiſtens. Ita innuunt S.S. Patres, dum ad munus Mediatoris neceſſarium eſſe docent unionem duarum naturarum in una perſona. Ratio eſt, quia in propoſito particula *ut* non ſolùm eſt nota ſpecificationis, ſed etiam perſeitatis ſignificans prædicatum per ſe Chriſto convenire. Videri poſſunt Suarez Vaſq. & alij Scholaſtici.

XI. Porro Chriſtum Mediatorem meruiſſe, omnes Catholici tenent, idque de fide; tum quia Sac. Scriptura paſſim aut promittit Chriſto præmium, aut redditum teſtatur, tum quia Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 7. aſſerit, *cauſam noſtræ juſtificationis eſſe Chriſtum.* Cæterùm quibus actionibus & quid tam ſibi, quàm alijs Chriſtus meruerit, nunc breviter dicendum.

XII. *Doctrina Tertia.* Chriſtus Mediator Dei & hominum meruit omnibus hominibus remiſſionem peccatorum, atque omnia alia ad ſalutem conducentia: ſibi verò gloriam corporis. Ita ex communi Theologorum Gregorius de Valentia in Opere controverſiſtico fol. 812. Ratio 1. partis ſumitur ex eo, quod *Deus benedixerit nos omni benedictione ſpirituali in Cæleſtibus, in Chriſto,* id eſt, per Chriſtum cauſam meritoriam ad Epheſ. 1. v. 3. Item quod Chriſtus pro omnibus fuerit mortuus, ut conſtat ex S. Script. 1. Joan. 2. v. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Hunc locum Trid. Seſſ. 6. c. 2. & 3. accipit ſub diſtributione generica. Ad Rom. 8. v. 32. *qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* 1. ad Timoth. 2. v. 1. & 5. *Obſecro igitur primùm omnium orationes fieri pro omnibus hominibus &c. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Ratiocinatio Apoſtoli hæc eſt: ideo pro omnibus orandum, quia unus omnium Deus & unus omnium Mediator, nec plurium Deus, quàm Mediator &c.

XIII. Idem conſtat ex Concilijs & Patribus Trident. Seſſ. 6. c. 3. ſic habet: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: ſed ij duntaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.* Clemens Alexandr. Lib. 7. Stromatum p. 2. ait, *Servator eſt non horum quidem aut illorum, ſed omnium.* Ambr. Lib. 1. de Jacob & beata vita c. 6. in illa verba ad Rom. 8. & pro nobis omnibus tradidit illum, *mirè* inquit, *addidit pro omnibus, ut oſtenderet, quod ita omnes diligit ut dilectiſſimum pro ſingulis traderet.* Aug. Lib. 6. contra Julianum c. 9. ſic ſcribit: *Apoſtolus unum dixit fuiſſe, in quo omnes peccaverunt: in illo uno mortui ſunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnes mortui ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt.* Leo Papa Serm. 1. de Nat. Domini dicit: *Dominus noſter peccati mortiſq; deſtructor, ſicuti nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Similia habent alij PP. Sacræ Scripturæ & Patribus accedunt Scholaſtici cum S. Thoma, qui in 1. ad Tim. 2. v. 4. Lect. 1. ſic docet: Homo Chriſtus eſt Mediator Dei & hominum; non quorundam, ſed inter Deum & inter omnes homines, & hoc non fuiſſet, niſi vellet omnes ſalvare. Videatur nominatim P. Martinus de Eſparza de Jncarn. q. 41. Ubi egregiè hac de re diſcurrit.

XIV. Ratio ſecundæ partis eſt, quia licet gloria aliqua corpori deberetur ratione unionis hypoſtaticæ; hæc tamen gloria ſpecialis, quæ corpori Chriſti acceſſit, per redemptionem, cujus glorioſiſſimæ victoriæ ſigna in illo refulgent, præſupponit merita in paſſibilitate corporis fundata. Idem dicendum de impaſſibilitate Animæ, glorioſæ

Reſur-

Digitized by Google

Reſurrectione, & Admirabili Aſcenſione, de titulo Capitis, & Regis univerſorum; non quidem quoad actum primum, ſed quoad actum ſecundum, & quoad perfectum ſtatum, uſum & perfectionem, qualem Chriſtus poſt Reſurrectionem primùm aquiſivit, juxta id Matth. ult. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terrâ*; quô pactô conciliari poſſunt oppoſitæ opiniones Doctorum. Inde diſcrimen apparet inter iſta recenſita, & viſionem beatificam, Gratiam ſanctificantem, cæteróſque habitus infuſos, quæ ſunt data Christo ex debito connaturalis proprietatis reſpectu Unionis Hypoſtaticæ, ut omnes fatentur, & quidem in primo ſuæ Conceptionis inſtanti. Quod hæc ipſa non eo data fuiſſent, quo debebantur, tempore, ſed ob aliquas cauſas dilata in aliud tempus, tunc illa potuiſſe etiam dari per modum præmij, concedit Suarez de Incarn. Diſp. 50. Sect. 2.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. *Error primus.* Stanchkarorum (à Franciſco Stanchkaro) qui dixerunt, humanam Naturam ita fuiſſe adæquatum principium Mediationis, ut opera Chriſti nullam dignitatem acceperint à Divinitate: neque hanc aliter concurriſſe, quàm tribuendo vires humanas ſuſtinendi dolores paſſionum. Ratio iſtorum potiſſima fuit, quod in Epiſtola Agathonis, quæ lecta eſt in Synodo 6. Actione 1. negetur opus Perſonale, & aſſeratur opus Naturale in Chriſto, hoc eſt, tribuantur opera Chriſti Naturis, non Perſonæ.

XVI. Error iſte non eſt alienus à Neſtorianiſmo. Nam voce fatetur unam Perſonam in Chriſto, re autem ipſâ ponit duas, & planè evacuat myſterium Redemptionis. Nam ſi ſola Natura humana agit opera illa ſatisfactoria, ſequitur Naturam humanam per ſe ſubſtitiſſe, ac proinde ſuppoſitum fuiſſe à ſuppoſito divino diſtinctum; agere quippe ſuppoſitorum eſt. Duo igitur ſuppoſita erant in Chriſto, quæ eſt ipſa hæreſis Neſtorij. Repugnat etiam Sac. Scripturæ & Patribus. Illa enim paſſionem Chriſti, quæ eſt præcipuum opus Mediatoris, tribuit Deo & Domino Act. 20. ubi dicitur Deus v. 28. *In ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiviſ*-*ſe*: Iſti verò oſtendunt, Chriſtum non futurum fuiſſe Mediatorem, niſi etiam extitiſſet Perſona divina, quâ officium Mediatoris exerceret. Baſil. in illud Pſal. 48. v. 8. Frater non redimit, redimit homo: *Si homo*, inquit, *redimere nos non poteſt, qui nos redimit, non eſt homo. Ne igitur propterea, quod in ſimilitudine carnis peccati ad nos acceſſit, hominem ſolum putes Dominum noſtrum &c.* Taceo non futuram fuiſſe ſic Incarnationem Verbi, ſi humana perſona ſatisfecit. Ad quid enim divina Perſona veniſſet, ſi humana ſuffeciſſet?

XVII. Reſpon. ad rationem in oppoſitū, nō velle Agathonem negare, opera Chriſti eſſe opera Perſonæ, & unius atque ejuſdem Perſonæ: Sed ſolùm, non eſſe in Chriſto unum tantùm opus juxta unam Perſonam operantis, ſed eſſe duo opera juxta duas Naturas, per quas Perſona una operatur; opera enim multiplicantur ad multiplicationem principij formalis, ſicuti etiam in Trinitate tres ſunt, qui operantur, & tamen unum eſt eorum opus, quia unum eſt principium formale, videlicet Natura divina.

XVIII. *Error ſecundus.* Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum, & ſecundùm utramque Naturam opera & munus Mediatoris peregiſſe. Ita Calvinus in epiſtolis duabus ad Polonos. Bullingerus, Petrus Martyr, Melanchton locis commu. c. de Filio. Kemnitius Lib. de duabus Naturis. Gerhardus Lib. 2. Parte 1. à fol. 345. Ameſius à fol. 118. & alij Sectarij. Probant. 1. ex illis verbis Chriſti Joan. 10. v. 17. & 18. *Ego pono animam meam à me ipſo*; quæ verba volunt eſſe intelligenda de Deo, quaſi dixiſſet: Ego quà Deus pono animam, quia ſolius Dei erat, eam ponere, & pro libitu reſumere. Item ex illo 2. ad Corint. 5. v. 19. *Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians*; ubi ajunt, partes Dei aliquas fuiſſe in reconciliatione procuranda. Probant. 2. ex Patribus aſſerentibus, Chriſtum fuiſſe Mediatorem per operationes Theandricas, ſeu Deiviriles. Atqui hæ ſunt operationes utriuſque Naturæ, divinæ ſcilicet & Humanæ. Ergo &c. Probant. 3. Ratione. renovare corda, dare Spiritum Sanctum &c. ſunt opera Mediatoris. Atqui hæc ſunt opera Dei; Ergo &c.

XIX. Errorem hunc abunde reijciunt. Inprimis allata Verba D. Pauli ex 1. ad Timoth. 2. *Unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus JESUS.* Ad quid enim adderetur Tò homo, niſi ad exprimendam Naturam, ſecundùm quam Chriſtus eſt Mediator? Expreſſit, inquit Ameſius fol. 120. Naturam, ſecundùm quam eſt Mediator, ſed non ſecundùm quam ſolam. Sed cur, quæſo, non exprimeret utramque, ſi utraque eſſet? Inſtat. Simili ratione concludere quis poſſet, Chriſtum tantùm ſecundùm humanam Naturam habere poteſtatem remittendi peccata, quia Matth. 9. v. 6. dicitur, *Filium hominis habere poteſtatem dimittendi peccata.* Sed diſparitas eſt luculenta. Nam ſatis conſtat, divinæ Naturæ principaliter convenire poteſtatem remittendi peccata, quod nec Judæi quidem in dubium revocabant; hîc autem exprimi debuit, quis ſit noſter Mediator.

XX. Deinde validè eundem errorem expugnant rationes ſupra allatæ; quippe Offerens inferior debet eſſe illo, cui offert Sacrificium, quod Chriſto non niſi ſecundùm humanam Naturam convenire poteſt.

XXI. Demum gravis errorem illum ſequela repellit. Nam ſi ſit operatio una utriuſque Naturæ tanquam Cauſæ propriæ & principalis, ſequitur turpis confuſio hæreſis Eutychianæ & Monotheliticæ; quia duo illa principia formalia divinæ & humanæ Naturæ ſecundùm ſuas diſtinctas virtutes deberent concurrere ad unum idémque indiviſibile ſacrificium, quod impoſſibile eſt quoad Naturam divinam, niſi hæc ejúſque operatio confundatur cum Natura humana, qui eſt ipſe error Eutychianiſmi.

XXII. Cæterùm dignificatio, quæ à Verbo moraliter in opera Humanitatis promanat, nullo modo eſt phyſica operatio, aut influxus, & efficientia realis Divinitatis in opus aliquod dignificatum, ſed fit hoc ipſo, quod Verbum per unionem Naturæ humanæ conjungatur, vi cujus veriſſimè actiones humanæ naturæ per communicationem idiomatum à DEO fieri dicuntur.

M XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Reſpondetur ad 1. Adverſarios vel non legiſſe, vel diſſimulâſſe ea, quæ loco cit. Joan. 10. ſtatim adduntur: *propterea diligit me Pater; quia pono animam meam.* Atqui Verbum non diligitur à Patre, propterea quod, quà Deus, poſuerit animam ſuam. Itaque quantumvis Verbum dicatur poſuiſſe animam per denominationem ſuppoſiti, hoc tamen factum eſt per actum voluntatis procedentem ab Humanitate, & liberè acceptantem mortem, ſicuti etiam eadem Humanitas ex poteſtate ſibi facta à Verbo reaſſumpſit eam per Unionem cum corpore.

XXIV. Dicit Ameſius fol. 123. ſi poteſtas hæc fuerit humanæ Naturæ data, tum Natura humana habet poteſtatem divinam. Concedo habuiſſe divinitus conceſſam inſtrumentariam virtutem, ſicuti ad quævis alia miracula: nego tamen, idcirco habuiſſe ipſam Omnipotentiam divinam in Natura Humana ſubjectivè & intrinſecè, uti in ſequenti controverſia dicemus. Urget. Chriſtus mortuus non fuit homo, quomodo igitur Chriſtus, ut homo, animam reſumendi poteſtatem habuit. Aio ex communi Scholaſticorum, fuiſſe eam poteſtatem in ipſa anima, ſive dein ſermo ſit de morali, ſive de phyſicâ poteſtate.

XXV. Reconciliatio, cujus mentio fit ex 2. ad Corinth. 5. non ſemper eſt Mediatoris; Deus enim non reconciliavit mundum, ut Redemptor ſeu Mediator, ſed per Mediatorem, quem procuravit & miſit. Reconciliatio à Chriſto facta eſt quidem Mediatoris, ut Hominis Verbo juncti: non verò ut Dei.

XXVI. Inſtat Ameſ. fol. 124. Apoſtolus diſertè teſtatur Actor. 20. v. 28. Eccleſiam redemptam fuiſſe ſanguine Chriſti. Ergo Chriſtus Deus-Homo non tantùm procuravit Mediatorem, ſed & Mediatoris munere functus eſt. Reſpon. diſting. conſequens. Ergo Deus-homo Mediatoris munere functus eſt, ſecundùm Naturam Divinam, nego conſequentiam: ſecundùm Naturam Humanam, concedo conſequentiam. Secundùm iſtam enim Naturam humanam elicuit actiones ſatisfactorias, quibus infinitum valorem contulit Hypoſtaſis Verbi.

XXVII. Ad 2. Patres per operationes theandricas ſive Deiviriles intellexiſſe operationes Naturæ humanæ Deificatæ: & Deificatas à Deitate participata per Unionem Hypoſtaticam; propter quam communicationem dicuntur & nominantur operationes Verbi, & Dei per communicationem Idiomatum.

XXVIII. Movet hîc aliquos Concilium Lateran. Sub Martino 1. definiens, *Theandricam operationem in Chriſto non eſſe unam tantùm, ſed duas operationes, alteram divinam, & alteram humanam.* Sed ſenſus Concilij colligitur ex ſcopo ejuſdem, qui fuit damnare errorem Monothelitarum aſſerentium, operationem theandricam eſſe tantùm divinam, nempe decretum divinæ voluntatis. Vult ergo Concilium præter & ultra illud decretum requiri etiam operationem Naturæ & Voluntatis humanæ, quâ Chriſtus Miracula fuit operatus, ad quæ quidem requirebatur decretum Dei, ſed voluntas humana ultimò determinavit divinam, cujus erat inſtrumentum animatum & rationale.

XXIX. Ad 3. Diſtinguendo. Sunt opera Dei tanqam Cauſæ phyſicæ principalis, conceditur: tanquam Cauſæ meritoriæ, negatur. Nam meritoriè hæc facere, eſt proprium Mediatoris. Atqui iſte modus dandi Spiritum Sanctum non eſt Dei formaliter, ſed hominis: Dare autem Spiritum Sanctum & renovare corda efficienter, & ut Auctorem doni, non eſt Mediatoris, ſed ejus, apud quem Mediator intercedit, id eſt, Dei. Patet ex eo, quia cum donum Spiritûs Sancti & omnis illuminatio detur à tota S. Trinitate, ſi ejuſmodi donatio eſſet Mediatoris, tota Trinitas eſſet Mediator. Pari ratione docere principaliter eſt Dei, id eſt Trinitatis: docere per modum inſtrumenti, eſt hominis. Quare Chriſtus, ut Deus, fuit verus & Principalis Doctor ac Magiſter: Idem, ut homo, Mediator Dei & hominum fuit Doctor, ut inſtrumentum Divinitatis; attamen conjunctum & ſingulare, non ſeparatum & commune, qualia inſtrumenta fuerunt Prophetæ, & Apoſtoli.

XXX. Hic in iram ſurgens exclamat Ameſius fol. 125. negare hanc efficientiam eſſe Chriſti Mediatoris, nihil aliud eſſe, quàm negare *omnium poteſtatem in Cælo, & in terra datam eſſe Chriſto* Math. 28. v. 3. *dare eum vitam æternam ſuis.* Joan. 10. v. 28. *baptizare nos in ſpiritu & igne.* Matth. 3. v. 11. *mittere Spiritum à Patre.* Joan. 15. v. 26. *conſervare ſuos in hoc mundo.* Matth. 28. v. 20. *& ſuſcitare eos in noviſſimo die* Joan. 6. v. 58. in ſumma, nihil aliud eſſe, quàm Chriſtum negare efficaciter eſſe Jeſum ſive Salvatorem. Sed planè vana eſt hæc ſine viribus ira, nec niſi imperitos terret; ſiquidem plus his omnibus non evincitur, quàm Chriſtum Mediatorem hæc omnia nobis meruiſſe: Deum autem, ut Auctorem donorum & omnis boni imò totam Sanctam Trinitatem efficere; adeóque illum cauſam meritoriam eſſe: hunc verò cauſam phyſicam principalem. Nam ſi per impoſſibile Verbum Divinum poſt peracta omnia myſteria noſtræ Redemptionis Humanitatem ſolutâ unione, dimiſiſſet, nonne adhuc prædicta omnia nobis ex merito Chriſti Mediatoris deberentur, & à DEO concederentur? abſque ulla tunc Chriſti, ut hominis, efficientia phyſica. Ergo Mediatoris per ſe ſufficit influxus moralis ratione meritorum.

XXXI. *Error tertius.* Chriſtum non fuiſſe mortuum pro omnibus hominibus. Ita Calvinus in 1. Epiſt. Joan. cap. 2. v. 2. Item in cap. 16. Joan. Et alij hæretici, cui conſonat Cornelius Janſenius Hollandus è Doctore Theologo Epiſcopus Iprenſis (non ille alius Cornelius Janſenius Flander Gandavenſium Epiſcopus, & celeberrimus Concordiæ Evangelicæ Scriptor) Tom 1. Lib. 8. cap. 26. columnâ 546. ubi hæc habet: *Chriſtus non pro totius mundi Redemptione Crucifixus & mortuus eſt, ſed tantùm pro iis, qui ſalvantur.* Fundant ſe in pravo intellectu Sacræ Scripturæ & Patrum, atque in eo maximè, quod arbitrentur, deeſſe omnibus hominibus gratiam ſufficientem; ut mortis ac redemptionis Chriſti participes fiant.

XXXII. Errorem hunc tanquam veræ Catholicæ Fidei ac doctrinæ contrarium damnavit Innocentius X. Pontifex Anno 1653. die 9. Junij Conſtitutione, quæ incipit: *Cum ex occaſione impreſſionis Libri, cui titulus: Auguſtinus Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis &c.* quam deinde Conſtitutionem confirmavit ac declaravit Alexander VII. Anno 1656. Septimo Kalend. Novembris. Super ſedeo itaque præter dicta §. XIII. & ſeqq. pluribus illum refutare, utpote manifeſtè adverſantem S. Scripturæ, SS. Patribus, & communi Catholicorum ſenſui. Pulcherrimè Hieron. Epiſto-

la ad

Digitized by Google

là ad Oceanum de Bigamia in rem præſentem ic ſcribit: *Mentitur Ioannes Baptiſta & digito Chriſtum & voce demonſtrans : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccaa mundi ; ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* Atqui juxta Calvinum & Janſeiium perpacui ſunt, & grex puſillus ; quorum Chriſtus peccata tulit ; cùm non ſit mortuus, iſi pro ſolis ſalvandis. Gratiam ſufficientem ulli hominum deeſſe, Deúmque omnibus ſais providere, dicemus ſuo loco.

XXXIII. *Error quartus* eſt, Chriſtum nihil ſibi neruiſſe. Ita Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 1. ol. 126. & Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. 'arte 1. à fol. 370. Probant. Tum quia Chriſtus b inſtanti Conceptionis ſuæ fuit Comprehenſor. 'um quia Chriſtus omnia nobis meruit: nec eſt, ur ſibi gloriam corporis & non animæ meruerit. Tum quia meliùs eſt aliquid habere ſine meito, quàm ex merito ; propius enim illud acceit ad perfectionis modum, qui reperitur in)EO.

XXXIV. Errorem hunc reijcit Sac. Scriptura 1 varijs locis Chriſto rationem meriti tribuens eſpectu rei ſibi aquiſitæ. De gloria Corporis conat ex Luca 24. v. 26. ubi ait Chriſtus de ſe ipſo, *mne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam am* ; utique corporis ; quia ante paſſionem ad loriam animæ jam intraverat ? Et in Epiſt. ad lebr. c. 2. v. 9. *Videmus JEſum propter Paſſionem ortu gloriâ & honore coronatum.* De exaltatione lominis ex Epiſt. ad Philip. 2. v. 9. *Propter quod Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen, quod eſt per omne nomen, ut in nomine JESU omne genu fleatur.* Idem patet ex Joan. 17. v. 6. atque alijs ocis. Cæterùm omne Chriſti meritùm fuit ex ondigno : atque omnia imò & ſingula opera liera ex ſe meritoria de condigno fuerunt præiij infiniti. Unde Clemens Papa VI. in Extrau. Inigenitus: docet diſertè *Chriſtum ſuis meritis auiſiviſſe infinitum theſaurum hominibus, qui nunquam xhauriri aut minui poſſit propter infinitatem meritorum Chriſti ; cujus unica gutta propter unionem cum Verbo poerit pro redemptione generis humani ſufficere, ut ſupra m diximus.*

XXXV. Reſpond. ad 1. Chriſtum ex communi Catholicorum doctrina, fuiſſe Comprehenſom & Viatorem. Nam viator dicitur ille, qui ndit in beatitudinem : comprehenſor autem, ui jam beatitudinem obtinet ; omnis autem eatitudo perfecta conſiſtit in animâ & corpore; 1 anima quidem ſecundùm viſionem & fruitioem Dei : in corpore verò, ſecundùm quod coras reſurget ſpirituale, & in virtute & in gloa & incorruptione, ut loquitur Apoſt. 1. ad orinth. 15. v. 53. Cùm igitur Chriſtus etiam an Paſſionem & Reſurrectionem clarè videret eum, adeóque gauderet beatitudine eſſentiali propriâ animæ, ideo rectè dicitur comprehenor ; quia verò & anima ejus erat paſſibilis (ſeu noleſtis paſſionibus & affectionibus obnoxia) & orpus paſſibile ac mortale, adeóque deſtitutus ſe perfectâ & conſummatâ beatitudine, ideo ro illo quidem tempore ſimul erat Viator, in uantùm tendebat in beatitudinem ſecundùm l, quod ei de beatitudine deerat.

XXXVI. Ad 2. Chriſtum meruiſſe nobis rincipaliter, & primariò ; hic enim fuit finis illius carne paſſibili intentus; diſparitas autem nimis nanifeſta intercedit inter gloriam Animæ, quæ ab inſtanti Conceptionis tanquam Filio Dei debebatur, & cujus carentia penitus nihil conduxiſſet ad Redemptionem noſtram : & inter gloriam Corporis, quæ miraculoſè & diſpenſatoriè fuit dilata, ut poſſet in corpore nobis ſimili pro nobis ſatiſpati.

XXXVII. Ad 3. loquendo de eo, qui eſt capax augmenti perfectionum accidentalium, melius eſſe, habere aliquid ex merito, quàm ſine eo, ut bene docet S. Thom. 3. P. q. 19. art. 3; quippe pertinet ad laudem creaturæ rationalis per libera obſequia promereri perfectiones naturæ indebitas, quàm otioſè & merè precariò accipere. Ait Ameſ. fol. 126. ſi aliqua dignitas ad Chriſtum acceſſit merendo, tum ad animam præcipuè acceſſit. Dico acceſſiſſe hoc, ut haberet anima domicilium ſibi congruum, glorioſum ſcilicet Corpus, reſpectu cujus fuit anima beata Chriſti in ſtatu merendi ; Alia eſt ratio de animabus Beatorum in Cœlo, quæ non dicuntur viatrices, cùm neque ſint paſſibiles, ſicuti fuit anima Chriſti ; neque corpora eorum agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, ſicuti Chriſtus ſecundùm corporis paſſiones in beatitudinem tendebat, quantùm ad beatitudinem corporis. Videri poteſt Eſparza q. 40. de Incarn.

XXXVIII. Joan. Gerhardus in fine controv. de Chriſto Mediatore proponit quæſtionem: an Filius Dei fuiſſet Incarnatus, ſi homo non fuiſſet lapſus ? ſed planè ridiculum ſe demonſtrat, cum quæſtio hæc merè ſit Scholaſtica, de qua egi in Diſp. mea Theologica de verbo Incarnato, ex qua nihil volui huc transferre, licèt diſcurſui Gerhardi non pauca opponi poſſent. Videatur Gregorius de Valentia in Opere Controverſiſt. à fol. 803. ubi plura de officio Chriſti Redemptoris & Mediatoris.

CONTROVERSIA XIV.

DE COMMUNICATIONE Idiomatum.

QUemadmodũ Unio Hypoſtatica facit, ut duæ naturæ divina & humana per unam & eandem hypoſtaſin verbi ſubſiſtant, ita conſequenter efficit, ut inter illas ſit vera Communicatio idiomatum, id eſt, prædicatorum ſive attributorum, adeo ut, quæ competunt Verbo ratione Naturæ divinæ vel Perſonalitatis, dicantur de Homine: ac viciſſim, quæ competunt Chriſto ratione Naturæ humanæ, dicantur de Deo ac verbo divino. Indubitatum igitur apud omnes Doctores; imò de fide certum eſt, dari communicationem idiomatum, per quam verè ac propriè dicatur: *Deus eſt Homo* : & *Homo eſt Deus*, ut conſtat ex Concilio Epheſino, ubi adverſus Neſtorianos definitum eſt: Beatiſſ. Virginem Mariam eſſe Deiparam, hoc eſt, Matrem Dei ; quia nimirum ille homo, cujus eſt Mater, eſt verus Deus. Atque in hujus propoſitionis veritate omnis ejuſmodi prædicatorum communicatio fundatur.

:o: IHS. :o:

Digitized by Google

PARS PRIOR

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. PLeriſque D.D. varios loquendi modos in in ſpecie examinant, an ſint probi, nec ne? quia verò exempla in infinitum multiplicari poſſunt, & omnium reſolutio generalibus quibuſdam fundamentis nititur, ideo conſultiùs viſum, ex S. Thoma 3. part. q. 16. & alijs T. T. generales quaſdam Doctrinas afferre, ex quibus veluti quibuſdam regulis de ſingulis quibuſque loquendi modis ſtatui poſſit.

II. *Doctrina prima.* Quæcunque inſunt Suppoſito, poſſunt & de eo, & de ſe invicem prædicari, non quidem in abſtracto, ſed in concreto. Ratio eſt, quia tunc adeſt vera identitas inter rectum ſubjecti, & rectum prædicati. Hinc infertur 1. Prædicata oppoſita ſimul poſſe de Chriſto affirmari. v. g. Simul eſſe mortalem, & immortalem: neutrum verò negari; quia negatio eſt malignantis naturæ negans omnem modum & rationem eſſendi. 2. Deum verè proprieque dici Hominem; ita enim paſſim S. Scriptura, Concilia, Patres & Theologi eum abſolutè & ſine metaphora appellant, ac convincit allata ratio. Non obſtat, quod non ſit eſſentialiter homo; etenim non eſt etiam merè accidentaliter homo, ſed ſubſtantialiter propter Unionem ſubſtantialem.

III. *Doctrinà ſecunda.* Proprietates Humanitatis neque in abſtracto. neq; in concreto prædicantur de Deitate: & viciſsim nec proprietates Deitatis de Humanitate. Ràtio eſt, quia nullius naturæ proprietates poſſunt verè dici de eo etiam in concreto, cui natura illa non convenit. Atqui Deitas non convenit Humanitati: Nec Humanitas Deitati. Ergo non poſſum dicere, Deitas eſt finita &c. nec viciſſim humanitas eſt immenſa, infinita &c. Sed cum rectè dicatur, Deitas eſt Filius Dei, cur non etiam Deitas eſt homo? Ideo, quod illa ſenſum faciat merè identicum: Iſta formalem; ſiquidem hæc explicat exercitium terminandi Naturam humanam, quod tribuit Deitati, quam ſolùm exprimit.

IV. *Doctrina tertia.* Prædicata concreta, quæ tantùm conveniunt naturæ humanæ in abſtracto ſumptæ, terminatæ &c. non poſſunt de divina Natura aut ſuppoſito prædicari. Ratio eſſe videtur, qnod terminare, & terminari, aſſumere & aſſumi differant tanquam activum ac paſſivum, ac formaliter exprimant, quomodo ſe habeant extrema aſſumptionis; ſi autem de Deo aut ſuppoſito divino prædicaremus aſſumi, & terminari paſſivè, ſenſus eſſet falſus, nempe ipſam Naturam divinam formaliter aſſumptam eſſe, aut certè hypoſtaſin. Similiter ſi diceremus, Naturam humanam terminare, aſſumere activè, incarnatam eſſe &c. ſenſus æquè falſus redderetur, ut per ſe patet.

V. *Doctrina quarta.* Prædicata, quæ involuunt imperfectionem creati ſuppoſiti, excludendo divinum, non poſſunt de perſona Chriſti & Verbi prædicari. Nam malè dixeris: Chriſtus eſt purus homo, eſt peccabilis, eſt alius à Deo, eſt Filius adoptivus. Ratio clara eſt, quia ſicut à Chriſto & Verbo excluditur creatum ſuppoſitum, ſic etiam excluduntur ea prædicata, quæ tale ſuppoſitum requirunt. Similiter prædicata, quæ de Deo in concreto, ſed ratione aliarum perſonarum dicuntur, ut eſſe Ingenitum, eſſe Genitorem, miſiſſe Filium &c. Sicuti non dicuntur de Verbo, ita nec de Homine; quia communicatio idiomatum fundatur in unitate Perſonæ; Vnde illa ſolùm prædicata communicantur, quæ poſſunt affirmari de ſuppoſito Verbi, & non omnia, quæ poſſunt affirmari de Deo in concreto.

VI. *Doctrina quinta.* Quædam propoſitiones abſolutè veræ, additâ reduplicatione fiunt falſæ: & è contrario aliquæ falſæ additâ reduplicatione fiunt veræ. Ita nominatim Arriaga de Incarn. Diſput. 46. ſect. 4. contra nonnullos alios Scholaſticos. Declaratur prior pars, v. g. falsò dices, Chriſtus quà Deus eſt homo, eſt paſſus, eſt finitus. Chriſtus quà homo eſt Deus; eſt omnipotens, æternus &c: Ratio eſt, quia per reduplicationem prædicatum innuitur convenire ſubjecto vi Naturæ reduplicatæ ſeu importatæ ex parte ſubjecti. Declaratur pars poſterior, v. g. abſque limitatione falsò dices: Chriſtus fuit ab æterno, quia hæc propoſitio in rigore accepta indicare videtur, Humanitatem ab æterno extitiſſe, & ab æterno fuiſſe unitam verbo; ſi addas limitem: Chriſtus ſecundùm Deitatem fuit ab æterno, verum dices. Hanc propoſitionem de Chriſto: iſte homo (abſquè reduplicatione ſecundùm Humanitatem) incepit eſſe, bene etiam reijciunt cum S. Thom. q. 16. cit. plerique DD. quia ſignificat, hoc ſuppoſitum antea nullum ſimpliciter eſſe habuiſſe, cum tamen habuerit divinum.

VII. *Doctrina ſexta.* Quæ ſunt alterutri Naturæ eſſentialia, non debent de Chriſto denominativè prædicari; ne putentur more accidentium denominativè, non autem ſubſtantivè & in quid prædicari poſſe. Hinc S. Thom. art. 3. negat, Chriſtum dici hominem Dominicum, quam etiam propoſitionem plerique T. T. reijciendam cenſent. Alia eſt ratio hujus nominis (divinus) quod licet terminativè ſimile ſit denominativis, tamen ex uſu accipitur eſſentialiter; unde Divina Eſſentia, Verbum divinnm &c.

VIII. *Doctrina ſeptima.* Unumquodque dicitur factum, eſſe illud, quod de novo eſſe incipit, v. g. aqua dicitur facta calida, Petrus factus Sacerdos &c. Cum ergo Deus inceperit eſſe homo, rectè dicitur, Deus factus eſt homo, juxta illud Joan. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*, ita communiter Doctores: è contra non rectè dicitur, homo factus eſt Deus; quia quod aliquid fieri dicitur, ordinariè præſupponitur priùs non fuiſſe tale; cum ergo homo concretè ſumptus ſupponat pro ſuppoſito, quod hic non incepit eſſe Deus, ſed ſemper fuit, malè dicitur factus eſt Deus.

IX. *Doctrina octava.* Quædam propoſitiones in rigore & proprietate ſunt veræ, tamen propter graſſantes hæreſes, ſpeciem falſi ſensûs, abſq; limitatione non ſunt uſurpandæ. Ita D. Thom. art. 8. & 9. qui idcirco non vult admittere has propoſitiones: Chriſtus eſt creatus, ſive eſt creatura; Chriſtus eſt incorporeus, impaſſibilis, niſi priori addatur ſecundùm humanitatem, poſteriori ſecundùm divinitatem? quamvis eaſdem remoto ſcandalo & erroris periculo non reijciat, quem communiter alij T. T. ſequuntur, moti auctoritate Patrum, qui illas propoſitiones abſolutè uſurpârunt, ut videre eſt apud Vaſq. in 3. P. d. 65. cap.

D. 65. cap.2. Ratio eſſe poteſt, quia cum dicimus, Chriſtus eſt creatura, ſumimus creaturam concretè, q.d. Chriſtum eſſe creatum. Atqui hæc propoſitio in rigore & proprietate ſermonis eſt vera abſque limitatione. Ergo & illa. Probatur Min. prædicata affirmativa propria Naturæ tribuuntur eidem Naturæ in concreto ſeu ſuppoſito, niſi obſtet aliqua ſpecialis ratio; unde quia Humanitas fuit crucifixa, mortua &c. dicitur abſolutè & ſine limitatione, Chriſtum eſſe crucifixum, mortuum &c. licet utique Perſonalitas verbi ſecundùm ſe non fuerit crucifixa mortua &c. Ergo ſimiliter cùm Humanitas ſit creata, rectè in concreto ſive ſuppoſito dicimus, Chriſtum eſſe creatum ſive creaturam.

X. *Doctrina nona* & ultima. Quidam loquendi modi à SS. Patribus uſurpati piè ſunt explicandi, ſubintellectis limitationibus, ſed non imitandi. Nam frequenter uſurpant P. P. abſtracta pro concretis, ut dum dicunt, divinitatem eſſe incarnatam, vitam eſſe mortuam, Deitatem paſſam &c. Præterea quidam loquendi modi apud Græcos uſitati apud Latinos malè ſonant, ut Deus Sarcophorus, carnifer, Androphorus, homifer, Emanthropimenus inhumanatus. Vermenſchte.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. E*rror primus.* Chriſto ſecundùm Humanam Naturam vi Unionis Perſonalis & Exaltationis ad dextram Dei verè ac realiter communicata ſunt dona verè divina & infinita: Itemque Majeſtas & Gloria verè divina & infinita. Ita Joannes Gethardus Lib. 2. p. 1. art. fol. 265. & in ſuis diſputat. Iſagogicis à fol. 373. atque omnes illi, Lutherani, qui ſubſcripſerunt Libro Concordiæ, ubi in ultimâ Repetitione & declaratione art. 8. de perſona Chriſti dicitur, *Humanitatem Chriſti impoſitam fuiſſe in Eſſentiam Omnipotentiæ Dei, & omnes Eſſentiales Proprietates Dei.*

XII. Probat 1. ex S. Scriptura ad Coloſſ. 2. v. 9. *in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* Unde inferunt. Si omnis plenitudo Divinitatis eſt in corpore Chriſti, tum omnes ejus Perfectiones erunt. Sed verum eſt antecedens juxta S. Script. citatam. Ergo &c. Ad Coloſ. 3. v. 1. dicitur Chriſtus *ſedere ad dextram Patris*, quod & in ſymbolo Apoſtolico confitemur. Unde ſic concludunt. Juxta quam Naturam Chriſtus ad dextram Dei collocatus fuit, juxta eandem accepit dona verè divina & immenſa, ac particeps factus eſt divinæ Majeſtatis, Gloriæ, ac Potentiæ, cum Scriptura dexteram Dei per divinam potentiam, ac ſeſſionem ad dexteram Dei per divinum dominium deſcribat. Atqui Chriſtus ſecundùm humanam Naturam ad dextram Dei collocatur. Ergo &c. Joan. 3. v. 34. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Eodem ſpectat illud ad Hebræos 1. v. 10. *Unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus.* Unde ſic argumentantur: Si Chriſtus plenitudine Spiritûs Sancti unctus fuit, ac Spiritum Sanctum non ad menſuram accepit, ſequitur dona verè divina & infinita illi eſſe data, quia dari ſine menſura neceſſariò infert, donum illud, quod datur, verè eſſe infinitum. Sed verum eſt prius ex citatis & alijs locis Scripturæ: Ergo & conſequens.

XIII. Probant 2. ex Patribus, qui non horrent carnem Chriſti dicere Deificatam, & Unionem hypoſtaticam cum unione corporis & animæ, cum ferro ignito &c. comparare. Cyprianus de Aſcenſione ſic ſcribit: *attamen inviſibilem Deum viſibilem Filium recepiſſe ad dexteram ſuam, manifeſtum eſt, & humilitatem carnis noſtræ throno judiciario honoratam.*

XIV. Probatur 3. hâc fundamentali ratione. Natura humana per Unionem hypoſtàticam verè dicitur à Subſiſtentia divina ſubſiſtens, à ſanctitate ſancta. Ergo ab Omnipotentia Omnipotens, ab Omniſcientia Omniſcia &c. Hoc argumentum ſæpius repetit Gerhardus ratus iſtâ inſtantiâ effugere ſe poſſe omnia tela Cardin. Bellarmini & Catholicorum Doctorum contra ipſum, ſed fruſtra, ut videbimus.

XV. Errorem hunc luculenter reijcit doctrina noſtra, ſeu Regula ſecunda de communicatione idiomatum priori parte allata. Ex illo etiam rectè ſequi cenſet Card. Bellarminus Lib. 3. de Chriſto c. 1. Lutheranos, vel eſſe Eutychianos, Neſtorianos, vel monſtrum ex utraque hæreſi compoſitum parere. Si enim dixerint, Humanitati communicatas eſſe Perfectiones divinas eſſentialiter, erunt Eutychiani: Si accidentaliter Neſtoriani, quia ſcilicet diſtinctæ erunt Perſonæ Dei & hominis, & una erit in alia per inhabitationem, & per accidens.

XVI. Ait Gerhardus ad hoc, dari tertium juxta ipſum Bellarminum c. 8. §. vera, nempe perſonaliter; quod enim ipſe de unione aſſerit, idem nos dicimus de communicatione, quæ ex unione oritur, & hujus naturam ſequitur. Verùm Gerhardus neſcire mihi videtur, quid dicat. Nam hoc communicari Perſonaliter. Vel primò eſt communicari perſonæ; hoc quidem veriſſimum eſt, quod perſonalitati Verbi communicentur Attributa & Perfectiones identicè, adeoque eſſentialiter, nihil verò in præſenti ad rem facit. Vel ſecundò eſt communicari Humanitati Dona & Attributa divina verè, realiter, ita ut Natura humana jam verè, realiter, & intrinſecè ſit Æterna Immenſa & Omnipotens non minùs, quàm Natura divina; hoc verò nec eſſentialiter, nec accidentaliter fieri poteſt, ſed merè chymericum eſt. Vel denique tertiò eſt, illa Attributa divina vi Unionis perſonalis intrinſecè communicari humanitati; hoc quidem verum eſt juxta primam doctrinam ac Regulam noſtram, quatenus verè in concreto de ſe invicem prædicari poſſunt; attamen falſum & abſurdum, quod in abſtracto realiter & intrinſecè ſive eſſentialiter, ſive perſonaliter, ſive accidentaliter poſſint communicari. Profectò non magis Divinitas Humanitati, quàm hæc illi communicari poteſt, ita ut dici queat: Divinitas eſt Humanitas, & vice verſâ; quis autem etiam ex Adverſarijs admittet hanc, quam dixi, ſimileſque propoſitiones v. g. Verbum eſt Humanitas: Humanitas eſt Filia conſubſtantialis Patri? neminem reor equidem. At ſi verbum immediatè per Phyſicam Unionem communicatum Humanitati non facit hanc Filiam Dei Conſubſtantialem, quomodo Attributa, quæ non niſi mediante Verbo communicantur, Humanitatem reddent Omniſciam, Omnipotentem? &c.

Digitized by Google

XVII. Unde idem error ulterius reijcitur. Primò ex S. Scriptura, cui apertiſſimè repugnat, Chriſtum ſecundùm Humanam Naturam eſſe Deum, Perſonam divinam, eſſe Omnipotentem, Immenſum, Omniſcientem, eſſe prorſus Impaſſibilem, Immortalem, eſſe Rectorem, Gubernatorem mundi &c. Quæ tamen omnia luculenter inferuntur, ſi Chriſto ſecundum Humanam Naturam Dona & Attributa diuina verè & realiter ſunt communicata.

XVIII. Reijcitur ſecundò ex definitione Eccleſiæ in diverſis Concilijs apud Bellarm. L.3.c.10. Nominatim in Concilio Baſileenſi ſeſſ.2. 2. damnatas inter alias legimus has propoſitiones Auguſtini de Roma: *Humana Natura aſſumpta à verbo ex unione perſonali eſt veraciter Deus Naturalis.* Et *duæ Naturæ in Chriſto Humana & Divina æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter ſunt diligibiles propter communem Perſonam.* Item: *Humana Naturæ in Chriſto eſt Perſona Verbi*; quæ eſt ipſa Lutheranorum hæreſis.

XIX. Reijcitur tertiò ex Patribus, qui copioſè afferuntur à Bellarm: c. 14. optimum contra præſentem hæreſim teſtimoniũ videtur S. Hieronymi. in expoſitione Fidei ad Damaſum, & habetur etiam Serm.191. S. Auguſtini. de tempore: *illorum*, inquit, *execramur etiam blaſphemiam, qui novo ſenſu aſſerere conantur, à tempore ſuſceptæ carnis, omnia, quæ erant divinitatis, in hominem commigraſſe: & rurſus, quæ erant humanitatis, in Deum eſſe transfuſa; ut, quod nulla unquam hæreſis dicere auſa eſt, videatur hâc confuſione utraque exinanita, ſubſtantia Deitatis ſcilicet & Humanitatis, & à proprio ſtatu in alium eſſe commutata.*

XX. Reijcitur quartò ex ratione. Tum quia, quandocunque unum de altero per verbum *eſt* verè prædicatur, innuitur identitas ejus, quod prædicatur, cum eo, de quo prædicatur, vel ſecundùm eſſentiam & formam, vel ſecundùm ſuppoſitum aut ſubjectum, vel id, quod vicem ſuppoſiti aut ſubjecti ſubit, vel ſecundùm materialem entitatem utriuſque, ut Logici docent. Atqui in propoſito, cum dicitur: Humana Natura Chriſti eſt Deus, omnipotens, Omniſciens &c. Nulla ejuſmodi intervenit identitas inter ſubjectum, quod eſt Humanitas Chriſti, & prædicatum, quod eſt Deus Omnipotens, &c. Ergo impoſſibile eſt ejuſmodi propoſitiones eſſe veras. Non obſtat, Naturam divinam & humanam eſſe unum ſuppoſito; hæc enim unitas minimè ſufficit ad mutuam de ſe invicem prædicationem duarum naturarum in abſtracto, quantumvis eidem ſuppoſito inſint. Tum quia nominatim, de Majeſtate Dei loquendo, ad eam ſpectat, ut ipſemet Deus per Eſſentiam habeat, imò ut eſſentialiter ſit omnis perfectio; ut oſtendunt T.T. in 1. P. S. Thomæ. Sed hoc de Humanitate Chriſti, ipſiſmet Adverſarijs fatentibus, dici non poteſt. Ergo &c. Tum quia, ut argumentatur Bellarm. Lib. 3. c. 10. ex communicatione Idiomatum verâ & reali, qualem Lutherani volunt, manifeſtè ſequitur, duo eſſe in mundo Omnipotentia Immenſa, Infinita, Deitatem ſcil. & Humanitatem. Hoc autem eſt contra omnes ſcripturas, & ſymbolum Athanaſij.

XXI. Reſpondet Gerhardus fol. 275. in hæc verba: eodem modo contra communicationem ſubſiſtentiæ Verbi à Bellarmino conceſſam aliquis poſſet argutari; ex communicatione Hypoſtaſeos ſequitur, duas eſſe hypoſtaſes in Chriſto, ſcilicet Deitatis, & Humanitatis. Hoc reſponſum repetit ad aliud argumentum Bellarmini loco cit: atque, idem eſſe dicendũ de Subſiſtentia Verbi communicata Humanitati. Sed aperta eſt diſparitas inter Subſiſtentiam Relativam & Attributa abſoluta. Nam impoſſibile eſt, Deum uniri intrinſecè creaturæ, quin perficiat formaliter creaturam. Atqui non perficit dando illi hanc vel illam denominationem peculiarem v. g. ubicati, cognoſcentis &c. Ergo hunc tantùm effectum formalem dat, qui eſt eſſe unitum intrinſecè Deo infinitè perfecto. Probatur Min. ſi daret DEUS unam denominationem ex Attributis abſolutis, daret etiam alias omnes, cùm non ſit major ratio unius, quàm alterius, adeóque faceret Deum per Eſſentiam, hoc eſt, Ens habens omnes perfectiones. Cum ergo fieri iſtud nequeat, dabit ſolùm, ut dixi, eſſe unitum Deo. Et quia Humanitas capax eſt Subſiſtentiæ Relativæ, imo aliquam exigat, atque ad hoc, ut re ipsâ ſubſiſtat, non plus quàm unionem cum illa requirit, hoc ipsò, quod ſit unita Perſonalitati Verbi, in ea ſubſiſtet, & accepto ſui complemento, in Verbo ſubſiſtet.

XXII. Præterea ſi Attributa Dei abſoluta ut Immenſitas, Omnipotentia, Omniſcientia communicarentur realiter, & intrinſecè Humanitati, tunc hæc fieret Immenſa, Omnipotens, Æterna (aut potius in abſtracto Immenſitas, Omniſcientia &c.) & ſic revera eſſent duo immenſa, ut Bellarmini argumentum probat. At hypoſtaſis Verbi ita communicatur Humanitati, ut hæc ipſamet non fiat Hypoſtaſis Verbi, ſed tantùm, ut per illam ſubſiſtat, ultimumq; complementum ab illa accipiat; unde manifeſtum eſt, non duplicari hâc communicatione hypoſtaſin.

XXIII. Conqueritur valdè contra ſequelas noſtras Meno Hanneken, aitque in Irenico ſuo fol. 669. tam Apologiæ & ipſius Libri Concordiæ, quàm omnium verorum Lutheranorum hanc ſummatim eſſe mentem, ac ſententiam: *Humana Natura non eſt ſubjectum Divinæ Majeſtatis, ita ut hæc in illa ſe reperiat, & Natura Humana in ſe Majeſtatem divinam poſſideat, ſed ut per unionem perſonalem ad poſſeſſionem, uſum, & exercitium divinæ Majeſtatis & Attributorum perveniat, & exaltata ſit.* Unde deinde pluribus oſtendere conatur, nullam fieri commixtionem & confuſionem Perfectionum Humanarum & Divinarum &c. Sed non habent Lutherani, cur contra nos conquerantur. Sic enim ex allatis ipſorum verbis argumentor: Illa Natura eſt ex ſe verè Divina, Immenſa, Omnipotens, &c. quæ in ſe habet Divinitatem, Immenſitatem, Omnipotentiam &c. & hæc ita in ſe, & per ſe exerit, ut idcirco Natura Humana verè & propriè loquendo, Omnipotens, Omniſcia &c. dici poſſit. Atqui hoc verificatur & conceditur Naturæ Humanæ. Ergo &c. Maj: eſt certa, & inde patet, quod homo v. g. ex ſe ſit rationalis; quia vim rationandi ſive rationalitatem ita in ſe habet, & per ſe exerit, ut inde verè & propriè loquendo dici poſſit rationalis. Min. totidem fere verbis deſumpta eſt ex Menone f.670. ad initium. Ergo &c.

XXIV. Ulterius vel Æternitas aliaque Attributa Divinitatis communicantur Humanitati realiter & intrinſecè, ut hæc verè ex ſe ſit æterna, Immenſa &c. Sicut Divinitas: vel communicantur tantùm per gratiam, & humanitati conjunguntur illæſa: vel denique communicantur ſolùm ad denominationem Æterni, Immenſi &c. à Verbo æterno, cui Humanitas immediatè: Divinitati verò mediatè unita eſt. Si primum; evidenter ſtatuntur

tur duo Æterna, duo Immenſa &c. Humanitas ſcil. & Divinitas, & prior ſimul etiam temporalis, quod ſine dubio chymericum eſt: aut ex hiſce duobus in unum confuſis tertium monſtrum prodibit. Si ſecundùm; cùm proprietates humanæ non tribuantur divinitáti ſequitur non eſſe mutuam communicationem idiomatum, ſed tantùm communitatem, quod eſt contra omnes Veteres, & præcipuè contra Damaſc. Lib. 3. c. 4. Taceo Lutheranos diſcedere à ſuo Luthero, qui apertè docuit, Divinitati concedenda eſſe, quæ de Paſſione Domini dicuntur. ſi denique tertium; tunc manus datur Catholicæ ſententiæ; quippe veriſſimum eſt, Attributa intrinſecè communicata Humanitati in concreto de ſe invicem prædicari poſſe. Argumenta in oppoſitum leviſſima ſunt. Itaque

XXV. Reſpondetur ad 1. probationem Adverſariorum ex Scripturis ad Coloſſ. 2. de tota plenitudine Divinitàtis in Chriſto corporaliter inhabitante. Concedimus omnes Perfectiones divinas habitare in Corpore Chriſti. Sed negamus, inde ſequi, quod humanitas Chriſti ſit ubique; quia quædam Perfectiones divinæ tantùm materialiter ſunt in Corpore Chriſti, & non formaliter, hoc eſt, non tribuunt ei effectum formalem, ſicuti Æternitas Dei etiam realiter eſt in Corpore Chriſti, & tamen corpus Chriſti non fuit æternum, cùm in certo tempore primùm inceperit. Similiter Deus habitat in omnibus Sanctis ad Rom. 8. v. 9. non ideo homines ſancti ſunt Dei.

XXVI. Ad eoſdem Coloſſ. 3. Apoſtolus dicens, Chriſtum ſedere ad dextram Patris, potiùs contrarium probat. Si enim Chriſtus ſedet ad dextram. Ergo non eſt ad ſiniſtram. Ergo non ex omni parte illum æquat. Reſpon. igitur, Seſſionem ad dexteram non ſignificare ſitum localem, cùm Deus ſit incorporeus, & nullam habeat dextram, neque ſedeat, ſed ſignificare moralem dignitatem metaphorâ ab hominibus mutuatâ; etenim ſi aliquem honorare volunt, dexterum illi v. g. in menſa locum aſſignant, ita Deus Pater Filium ſuum in cœlos evectum ad dextram ſuam collocavit, hoc eſt, ut ait Athanaſius, æqualem ſibi Majeſtate fecit, ſeu pari ſecum honore & majeſtate frui voluit, ſi de Divinitate loquamur. At ſi de ejus Humanitate intelligere velimus, ſicuti nonnulli Interpretes accipiunt, tunc ſeſſio ad dextram Patris non ſignificat æqualem dignitatẽ, ſed proximum poſt Deum, ſicut Mater filiorũ Zebedæi Matth. 20. v. 20. petens filium ſuum ad dextram Chriſti collocari, non voluit; ut illi æqualis fieret, ſed inferior, licet proximus dignitate. Videri poteſt Suarez. tertia P. D. 51. ſect. 3. Quare Major ſyllogiſmi ex citatis locis ſcripturæ eſt apertè falſa; nec eam confirmat ratio connexionis, quam Gerhard. adjungit; Nam etſi dextra Dei ſit Infinita, Immenſa &c. non propterea dominium creatum humanæque Chriſti naturæ collatum etiam in ſe eſt infinitum immenſum &c. Et ſicuti per abſolutam etiam Dei Omnipotentiam quævis creatura incapax eſt Omnipotentiæ divinæ, ut mox dicemus, ita etiam aliorum Attributorum. De reliquo etiam ineptè fingitur ad gubernationem Chriſti, ut hominis, neceſſaria omni-præſentia localis; quaſi non exiſtens in omni cœli terræque loco non poſſit cognoſcere & decernere de omnibus, quæ fiunt benè vel malè in cœlo, in terra & infra terram.

XXVII. Joan. 3. & ad Hebr. 1. Senſum illorum verborum non eſſe, quaſi Deus Humanitati Chriſti ita communicârit Attributa Divinitatis infinita, ut Humanitas verè eſſet æterna omnipotens &c. Sed Deum ſanctificare Naturam Chriſti humanam per infinitam & increatam Verbi Sanctitatem, non quidem tantâ, quantam ipſi Perſonalitati verbi communicat, nempe per identitatem, ſed tantâ, quantæ eſt capax per Unionem ſcilicet Hypoſtaticam, quæ ſinè dubio eſt minor communicatio, quàm identitas: quoad dona verò creata, ut lumen gloriæ, gratiam ſanctificantem &c. communicata ſunt iſta Animæ Chriſti in tanta intenſione, ut moraliter infinita cenſeri debeant. Imò ſi infinitum categorematicum creatum eſſet poſſibile, indubiè hæc dona creata infinitæ intenſionis in anima Chriſti admittenda eſſent. Sed ex his omnibus nihil infertur de reali communicatione divinarum Proprietatum in Naturà humana, utpote, quæ ſimpliciter chymerica eſt.

XXVIII. In eundem modum intelligendum illud Matth. 11. v. 28. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & Matth. 28. v. 18. *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ.* Nam magis ſecundùm Litteram hæc explicantur de potentia quadam creata ipſius Humanitatis Chriſti, eademque ſumma in omnes creaturas, non tamen independente, ſed divinæ potentiæ ſubordinata; quamvis etiã intelligi poſſint de ipſamet omnipotentia divina, quam accepit Filius à Patre, tum ſecundùm Naturam divinam per æternam generationem, tum etiam ſecundùm Naturam Humanam non ita quidem, ut iſta formaliter ſit potens per illam, ſed ut per eandem ſubſiſtat in hypoſtaſi Verbi, ut ſupra dictum. Quare iterum negatur Maj. Syllog. ex hujuſmodi Locis Sac. Scripturæ facta.

XXIX. Reſpondetur ad ſecundam probationem ex Patribus. Supra in doctrina ſeu regula IX. dictum fuiſſe, quoſdam loquendi modos à P.P. uſurpatos piè eſſe explicandos, Quando igitur dicunt, Carnem Chriſti Deificam, minimè volunt, hypoſtaſin Verbi identicè communicari Humanitati, ſicuti ipſi Verbo, ſed per Unionem Hypoſtaticam, ita ut Caro & Humanitas ipſa in ſe non realiter & intrinſecè recipiat Divinitatem, Omnipotentiam, cæteraq; Attributa. Similitudines Unionis hypoſtaticæ cum unione corporis & animæ, cum ferro ignito &c. etſi Unionem Perſonalem utcunque declarent, nequaquam tamen omnimoda paritas inde infertur, ut ineptè Kemnitius, Gerhardus, Hanneken ſibi imaginantur; imò eædem ſimilitudines manifeſtè ſunt contra ipſos Adverſarios: quantumvis enim ignis intimè ferrum penetret, nunquam tamen erit verum dicere: ferrum urit, aut ignis eſt ferrum: item anima non communicat corpori ſuas proprietates, nec viciſſim; ſicut enim corpus non intelligit, ita anima non eſurit.

XXX. S. Cyprianus minimè nobis adverſatur, ſi enim etiam loquatur de divina Majeſtate, & judiciaria Poteſtate Dei, quæ Perſonæ, Chriſti ſecundùm divinam Naturam competit, atque ipſi quoque Humanæ ejuſdem Naturæ communicata eſt, non tamen hoc factum, ut hæc Natura humana Omnipotens, Omnipræſens ſit &c. Sed ut & illa ſit in ſuo ſuppoſito divino, & ut per hæc divina ſubſiſtat Videri poteſt Bellarm. Lib. 3. de Chriſto, ubi cap. 14. oſtendit, omnes Patres eſſe pro do-

ctrina

ctrina noſtra Catholica: & cap. 10. nullum eidem adverſari.

XXXI. Reſpondetur 3. ad Rationem, quam vocant Adverſarij fundamentalem. Negando conſequentiam. Disparitatem Scholaſtici varijs modis oſtendunt, qui ſinguli abunde ſatisfacere queunt. Præ alijs placet, quem affert P. Marinus Eſparza Tom. 2. Theol. lib. 9. q. 27. Omnipotentiam, Immenſitatem, & hujuſmodi prædicata Dei, imò & Intellectionem ac Voluntatem ex conceptu ſuo eſſe ultimam determinationem ad omnem ſimul effectum ſuum, qui in genere cauſæ formalis communicari poteſt. v. g. Intellectionem determinare potentiam cognoſcitivam, ut intelligat objectum tantâ extenſione & claritate, quanta ineſt ipſi intellectui. Omnipotentiam conferre poteſtatem ad omnes abſolutè poſſibiles effectus indiſcriminatim producendos, vel omnino ad nullos. Immenſitatem facere formaliter, ut aliquid ſit ubique &c. unde ſic diſcurrere licet. Quidquid non poteſt capere omnem ſimul effectum formalem Intellectionis, Omnipotentiæ, Immenſitatis &c. illi ipſa hæc prædicata Dei in genere cauſæ formalis communicari non poſſunt. Sed Humanitas non poteſt capere omnem ſimul effectum Intellectionis, Omnipotentiæ, Immenſitattis &c. Ergo &c. Maj. conſtat ex eo, quod intellectio divina, ut diximus, ſit actualis determinatio ad omne objectum omni claritate cognoſcendum: Omnipotentia divina ſit actualis determinatio ad omnia indiviſim producibilia: Immenſitas ſit actualis determinatio ad omne ſpatium præſentiâ replendum &c. Ergo non poſſunt magis aut minùs determinare ad omne cognoſcibile, ad omne producibile, ad omne ſpatium &c. Sed neque poſſunt determinare unum ad majus, alium ad minus cognoſcibile, producibile, ſpatium &c. ſic enim jam non eſſent ultimæ determinationes, ſed ulterioribus formis determinantibus opus foret. Min. habetur ex eſſentiali limitatione Humanitatis, ex qua in rem præſentem inferimus. Ergo non poteſt eadem Humanitas capere omnem ſimul effectum formalem. Non Intellectionis; aliàs cognoſceret Deum tantâ extenſione & intenſione, quantâ Deus cognoſceret ſeipſum, quæ ſequela eſt abſurda & damnata in Concilio Baſilienſi Seſſ. 22. Non Omnipotentiæ, quia nequit reddi potens ad producendum omnia poſſibilia, certè reddi nequit potis ad productionem ſui, cum ipſa ſit unum ex poſſibilibus Non Immenſitatis, quia Humanitas neque eſt, neque eſſe poteſt ubique, omniáque ſpatia ſuâ præſentiâ implere. Atque ſic de alijs prædicatis Dei diſcurrendum.

XXXII. Non autem eadem eſt ratio de Subſiſtentia & Sanctitate, ut tamen malè ſupponitur ab Adverſarijs in ſuâ probatione. Nam ad effectum formalem Subſiſtentiæ aliud non requiritur, quàm ſubjectum capax illius, quod evadit ſubſiſtens, hoc ipsò quod per unionem prædictæ Subſiſtentiæ inexiſtat, & ſic ultimum ſui complementum accipiat. Cum igitur Humanitas ſit ſubſtantia, & ſubſiſtat per ſubſiſtentiam diſtinctam, ideo poteſt hæc à natura ſeparari, & ſi ſuppleatur per alienam, ſubſiſtet per hanc in alieno ſuppoſito; quippe ſubſiſtere in alio, non eſt plus, ſed potiùs minùs, quàm ſubſiſtere in ſe. Ergo ſi Tò ſiſtere in ſe habetur per formam diſtinctam & ſeparabilem, facilè conijci poteſt, quâ ratione per unionem alienæ ſubſiſtentiæ, & in propoſito divinæ conferatur effectus formalis ſiſtentis in alio ac nulla in hac apparet difficultas.

XXXIII. Pari ratione Sanctitatis effectus formalis eſt fieri amabile, ideoque hujus capax eſt omnis natura intellectualis, cui illa inexiſtere poteſt vel per identitatem, vel per unionem; priori modo ſanctitas illa reddit naturam infinitè Sanctam: poſteriori ſolùm finitè. Videatur cit. Auctor. Plura nos de hoc ipſo Errore in refutatione ſequentis erroris dicemus, cum inter ſe ſint connexi. Itaque

XXXIV. *Error ſecundus.* Natura Chriſti Humana verè, ſubſtantialiter, ac perinde eſt ubique & omni præſens, atque ipſa Divinitas, cui eſt unita. Primus hujus erroris Auctor, teſte Bellarmino, eſt Jacobus Faber Stapulenſis, qui monſtroſam hanc ubiquitatem Pariſijs enixus eſt. Sed mox in cunis ſuffocatum fuiſſe infernalem hunc partum 15. Februarij Anno Chriſti 1626. in Collegio Sorbonæ, refert ex authentico inſtrumento illius Facultatis Theologicæ 29. Janu. Anno 1632. ad Ill. & Rev. Epiſcopum Auguſtanum dato Laurentius Forerus in Libello, qui inſcribitur: *Teſtificatio Orbis Chriſtiani contra Ubiquitatem* anno 1658. evulgato Dilingæ à fol. 221. Hunc ſecutus eſt inprimis Lutherus, qui, etſi ubique jactet, ſe credere in Chriſto unam Perſonam & duas Naturas, tamen doctrina ejus aliud habet. Nam in Sermone de Sacramento Cænæ Domini Tom. 2. operum ejus fol. 112. *credimus*, inquit, *quod* JESUS *Chriſtus ſit juxta Humanitatem ſuper omnes creaturas collocatus, & omnia impleat.* Et paulò poſt: *& habeat omnia in ſua manu, & ſit ubivis præſens.* Similia habet alibi. Huic conſenſerunt antiqui Lutherani, nominatim Gerhardus Lib. 2. part. 1. à fol. 286. Meno Hanneken in Irenico ſuo à fol. 653. & Eraſmus Gruber Superintendens Ratisbonenſis.

XXXV. Eſt tamen diſcrimen inter eos. Nam aliqui concedunt, Chriſtum ſecundum Naturam ſuam humanam æque eſſe ſubſtantialiter præſentem in lignis, lapidibus, folijs & omnibus alijs rebus, atque in pane, & vino Cænæ. Ita Lutherani Wittenbergici, Lipſiaci, Wirtenbergici, Darmſtadienſes, & Haſſi, quos ſequuntur Gerhardus & Hanneken: Alij negant, ex quibus Hilſeman in verme conſcientiæ Caliſtinæ. fol. 48. ſcribit: quamvis Chriſtus ſecundùm Naturam ſuam humanam omnia repleat, quia tamen Sac. Scriptura non meminit creaturarum irrationalium, lapidum, lignorum &c. & Chriſtum in eis cum ſubſtantia corporis ſui præſentem non affirmat, ideo & nos ſimilibus locutionibus abſtinemus. Eraſmus Gruber apud Jodocum Kett de monſtroſa Ubiquitate fol. 8. eandem Ubiquitatem Humanitatis Chriſti in omnibus lapidibus, lignis &c. abijcit & craſſam ac ruſticam Stein vnd Holtzfleiſch vocat. Rurſus Wirtenbergici tenent, Chriſti Corpus ab ipſo puncto Conceptionis & deinceps ſemper in utroque ſtatu humilitatis & exaltationis extitiſſe ubique, ſeu omni præſens: Saxones verò & Haſſi, quos ſequuntur Gerhardus, Meno & alij volunt, Chriſti Humanam Naturam ſolùm poſt ſtatum exaltationis ſic fuiſſe omnipræſentem: in ſtatu autem exinanitionis, licet Chriſtus in Humanitate ſua jam habuerit omnipræſentiam, hanc tamen inhibuiſſe, ne ſe exereret, atque illâ uſum non fuiſſe. Sunt etiam, qui diſtinguunt inter modum eſſendi ubique

Digitized by Google

ubique v.g. ſubjectivè, inhæſivè, extenſivè, phyſicè, localiter, naturaliter, inextenſivè, incircumſcriptivè, illocaliter, ſubſtantialiter, divinè &c.

XXXVI. Iſti omnes probant ſuam ubiquitatem ſeu Omni-præſentiam Corporis Chriſti. *Primò* ex Scriptura: Matth. 18. v. 20. ait Chriſtus: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et cap. 28. v. 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumationem ſaculi.* Unde ſic argumentantur. Ubicunque ſunt aliqui Fideles, ibi eſt Chriſtus juxta allatam Scripturam. Sed ubique ſunt aliqui Fideles per orbem ſparſi. Ergo ubique eſt Chriſtus. Ad Epheſ. 4. v. 10. dicit Paulus de Chriſto: *aſcendit ſuper omnes cœlos & implevit omnia.* Unde ſic diſcurrunt: Si Chriſtus implet omnia, tunc eſt ubique. Sed implet omnia juxta cit. Script. Ergo eſt ubique. Ad Coloſſ. 3. v. 2. Chriſtus dicitur ab Apoſtolo *ſedere ad dexteram Patris*; unde ſic ratiocinantur: ubicunque eſt dextra Patris, ibi eſt Chriſtus aſſidens. Atqui dextra Patris eſt ubique, cum Pater ſit infinitus, & utique totus etiam quoad dextram. Ergo etiam Chriſtus eſt ubique illi aſſidens. Hoc Script. teſtimonium valde urget Gerhard. fol. 294. ratus inde oſtendi, Ubiquitatem Confeſſioni Auguſtanæ fuiſſe inſertam, quod negant non ſolùm Catholici, ſed etiam aliqui Lutherani.

XXXVII. Probant *Secundò.* Ratione multiplici. *Prima.* Quando duo ſunt unita, ubicunque eſt unum, ibi etiam eſt alterum. Sed Chriſti Humanitas & Divinitas ſunt unitæ. Ergo ubicunque eſt Divinitas, ibi etiam eſt Humanitas. Sed Divinitas eſt ubique, juxta illud Jerem. 23. v. 24. *Nunquid non Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Ergo & Humanitas Chriſti eſt ubique. *Secunda.* Humanitati aſſumptæ per unionem hypoſtaticam Deus communicavit omnia ſua idiomata & proprietates, ut paſſim docent Patres & Theologi; imò ex Concilio Epheſ. certum eſt, dari communicationem idiomatum, per quam verè & propriè dicatur *Deus eſt homo, & Homo eſt Deus.* Atqui Ubiquitas eſt quoddam Idioma & proprietas Dei. Ergo etiam hanc Deus Humanitati communicavit. *Tertia.* Si Chriſtus ubique eſt homo, tunc ubique eſt ejus Humanitas, quia homo non poteſt eſſe ſine humanitate. Sed Chriſtus ubique eſt homo, cum ſit propoſitio eſſentialis, quæ ubique verificatur. Ergo ubique eſt ejus Humanitas. *Quarta.* Si Chriſti Humanitas non eſt omnipræſens & ubique, ſequitur Chriſtum non habere omnia, quæ ad officium Summi Sacerdotis, Regis, Judicis, & Capitis Eccleſiæ tam militantis, quam triumphantis requiruntur; omnis enim poteſtas, quam Chriſtus ſibi quà homini datam eſſe in cœlo & in terra aſſeruit, eſt illi ad hoc officium neceſſaria. Ergo etiam Omnipræſentia, quâ, poſſit omnibus rebus adeſſe, & illas dirigere, diſponere, & gubernare eſt illi neceſſaria. *Quinta* denique. Bellarm. Lib. 3. de Euchariſt. à cap. 1. uſque ad 9. aſſerit realem præſentiam corporis Chriſti in S. Euchariſtia ſimul & ſemel in plùribus locis poſitam. Ex qua hypotheſi ſic arguit Gerhard. fol. 298. Si in locis omnibus, ubi Euchariſtia celebratur, Corpus Chriſti verè & realiter præſens eſt, nec tamen vel extenditur, vel multiplicatur, vel ſubſtantia ejus deſtruitur &c. utique etiam vi unionis perſonalis & Seſſionis ad dextram Dei in omnibus locis citra expanſionem, multiplicationem &c. præſens eſſe poteſt. Sed verum prius eſt. Ergo &c.

XXXVIII. Demum & *Tertiò* probant ſuum errorem ex abſurdo, quaſi ex noſtra ſententia conſequens eſſet, Chriſtum non eſſe hominem in actu primo: item alias etiam res eſſe unitas hypoſtaticè cum Verbo: ac Chriſtum pro puro Homine nos habere.

XXXIX. Errorem hunc omnipræſentiæ Corporis Chriſti, ſeu ubiquitatis (à qua iſti ſectarij *Ubiquiſtæ* dicuntur) reijciunt non omnes modò Catholici, itemque Calviniſtæ, ſed etiam ex Lutheranis Halmſtadienſes, Inferiores Saxones, Dani Sileſitæ, Norinbergenſes, & quotquot Libro Concordiæ nomen dare recusârunt, quibus id dogma portentoſum & cyclopicum non tam hæreſis, quàm fatuitas videtur, ut vel maximè hîc verum ſit illud: *nulla fœditas ſine amore, nulla fatuitas ſine patrono.* Certè Doctor Calixtus, licet Lutheranus, apertè tamen pronuntiat: *qui dicit, Chriſtum eſſe ſecundùm naturam humanam vi perſonalis unionis omnipræſentem, omnipotentem &c. Ille eſt Eutychianus*: Videtur monſtroſum hoc figmentum ubiquitatis ex mera malitia excogitatum, ut præſentia Chriſti realis defenderetur, & tamen Catholicorum Tranſubſtantiatio eluderetur.

XL. In primis igitur illaudabile hoc dogma repugnat apertiſſimis Scripturis Matth. cap. 28. v. 5. & 6. *ſcio, quod Jeſum Crucifixum quæritis, non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit: venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.* Ibidem v. 7. *præcedet vos in Galilæam.* Et v. 9. *JESUS occurrit illis.* v. 18. *Accedens Ieſus locutus eſt eis.* Marc. 16. v. 6. & 7. *Ieſum quæritis Nazaranum Crucifixum, ſurrexit non eſt hic, & præcedet vos in Galilæam.* Item ibidem v. 19. *Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedit ad dextram Dei*, Luc. cap. 24. v. 6. *non eſt hic, ſed ſurrexit.* Et ibidem v. 30. *Et intravit cum illis. Rurſus* ibidem v. 51. *dum benediceret eis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cœlum.* Joan. c. 11. v. 15. *gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, ſed eamus ad eum.* Et c. 14. v. 2. & 3. *vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis.* Rurſus cap. 20. v. 26. *venit Ieſus Ianuis clauſis, & ſtetit in medio.* Act. 1. v. 9. *videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, cumq; intuerentur in Cœlum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, & dixerunt: viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in Cœlum; hic Ieſus, qui aſſumptus eſt in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Unde ſic argumentator: quicunque it, abit, venit, intrat, accedit, recedit, aſcendit, deſcendit, fertur in altum, non eſt hic &c. ille non eſt ubique & omnipræſens. Sed Chriſtus ſecundùm Humanitatem venit, abit, &c. Ergo non eſt ubique & ompræſens. Major eſt certa ex communi omnium hominum ſenſu, qui per vocabula prædicta intelligunt motum localem ab uno ad aliud ſpatium, ita ut prius in illo fuerit: & nondum in iſto, & poſtea in hoc ſit, & in illo non amplius, Min. patet ex allatis Teſtim. Scripturæ, quæ tota ſemper Chriſtiana Antiquitas non niſi de motu locali proprio eſt interpreta. Sed de hoc ipſo motu locali mox iterum.

XLI. Repugnat ſecundò hæc ubiquitatis chymera Sanctis Patribus. Hieron. in cap. 10. Oſeæ: *Liberavit omnes Dominus & redemit in Paſſione Crucis, & effuſione ſanguinis ſui, quando anima ejus deſcendit in infer-*

Digitized by Google

in infernum, & caro ejus non vidit corruptionem, S. Ambroſius L. de Incarn. Dominicæ Sacram: *& corpus quidem ejus jacebat in tumulo, remiſſionem in inferno poſitis ſolutâ mortis lege donabat*, S. Auguſt. in Epiſt. 57. ad Dardanum: *Chriſtus ſic venturus eſt, illa angelicâ voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt, in eadem carnis forma, atq; ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit, ſecundùm hanc formam non eſt putandus utiq; diffuſus; cavendum eſt enim, ne ita divinitatem aſtruamus hominis, ne veritatem corporis auferamus*, S. Gregor. Hom. 8. in Ezech. *Is qui divinitate eſt ubiq;, carne ad cæleſtia aſcendit.* & Hom. 9. in Evang. *quis eſt homo, qui peregrè proficiſcitur, niſi Redemptor noſter, qui in ea carne, quam aſſumpſerat, abijt in cœlum.* Hi quatuor maximi Eccleſiæ Latinæ doctores nobis ſufficiant. Cæteros Patres ac Doctores per ſingula ſæcula adducit P. Laurentius Forer Lib. cit à. fol. 69. usque ad 239. oſtenditque, omnes conſentire ſcriptores & apertè tenere, Chriſtum ſecundùm Humanitatem nec eſſe, nec fuiſſe Omnipræſentem ſeu ubique.

XLII. Reſpondent ad hoc Hæretici, Chriſtum non ubique fuiſſe, aut eſſe viſibilem, licet ubiq; ſit fueritque ſaltem inviſibilis. Sed contra eſt. Negatio ex regula Logicæ eſt malignantis naturæ, & negat omnia poſt ſe poſita. Ergo negatio præſentiæ excludit omnem præſentiam etiam inviſibilem; alioquin poſſemus abſolutè negare, Chriſtum eſſe in Euchariſtia, quia non eſt ibi viſibilis. Unde mera eſt deceptio plebis, dum deflectunt Prædicantes, & detorquent quæſtionem ad modum exiſtendi, obganniendo: non eſſe ubique *extenſivè*, aut *inhæſivè*. Nam ubi res negatur; ſtulta eſt diſputatio de modo rei: & negatâ præſentiâ generatim, tollitur etiam modus præſentiæ ſpeciatim: Quare urgendo argumentum priùs in Script, & PP. aſſertum.

XLIII. Repugnat tertiò hoc ubiquitatis portentum motui locali, imò omnem omnino motum localem tollit; ſiquidem non poteſt aliquid moveri in aliquem locum, in quo prius eſt; & conſequenter ubiquitas evertit multa myſteria Fidei, quæ ſine motu locali verificari non poſſunt. v. g. *quod Chriſtus natus ſit ex Maria Virgine per egreſſum ex utero ejus: item quod fuerit mortuus per ſeparationem animæ à Corpore: quod deſcenderit ad Inferos: quod inde reverſus ſurrexerit: quod aſcenderit ad Cœlum, quod rurſus venturus ſit judicare vivos & mortuos &c.*

XLIV. Occurrunt hæretici dicendo, hujuſmodi motus non fuiſſe reales, ſed tantùm apparentes, quod Chriſtus in aliquo loco repente viſibilis apparuerit, ubi ante erat inviſibilis, quaſi per motum eò delatus ſunt. In ſymbolo Apoſtolorum dicitur, *Filius Dei deſcendiſſe de Cœlo in uterum Virginis*, quó tamen non fuit localiter motus, ſed tantùm ſenſibili motu apparuerit, & ſuam præſentiam oſtenderit. Si inſtes, hanc rationem inſtantis motûs non ſatisfacere Morti ac Reſurrectioni Chriſti, cum mors requirat non tantùm apparentem, ſed realem animæ ſeparationem, & realem iterum conjunctionem. Dicent, ad mortem ſufficere diſſolutionem unionis cum corpore, quamvis anima maneat realiter præſens corpori, ſicuti conſtat ex hiſtorijs quorundam reſuſcitatorum, qui faſſi ſunt tempore mortis animas ſuas ſemper inter cadauer latuiſſe. Quare aliter urgendum eſt hoc Argumentum, ſcil. ex eo, quod hæc explicatio verba Scripturæ ad improprietatem motûs apparentis detorqueat ſine ulla cauſa, & ſic evertat omnem certitudinem Scripturæ. Alia eſt ratio de deſcenſu Dei in uterum Virginis; hic enim cogit neceſſitas ad improprium motum intelligendum, cum Deus propriè ſit immobilis.

XLV. Repugnat quartò hæc ubiquitatis novitas ipſi rationi. Nam omnipræſentia Humanitatis Chriſti vel eſt eadem, quæ eſt omnipræſentia Divinitatis Chriſti, vel non eſt eadem? Neutrum dici poteſt. Ergo Humanitas Chriſti non habet omnipræſentiam. Non primum. Aliàs planiſſimè ſequeretur, Humanitatem Chriſti eſſe omnipotentē, omniſciam &c. & uno verbo ipſum Deum; cum non poſſit eſſe ratio, ob quam habere poſſit Immenſitatem, & non omnes alias perfectiones divinas, imò ipſam divinitatem, ex qua evadat Deus. Nam qui habet ipſiſſimas Dei perfectiones & proprietates, nempe Omnipotentiam, Omnipræſentiam Omniſcientiam, imò & ipſam Deitatem, ipſe eſt Deus; ſicuti habens perfectiones & ipſiſſimas proprietates humanæ naturæ eſt homo. Sed humanitas habet Omnipotentiam & Eſſentiales Dei proprietates, ut concedunt Lutherani cum Libro Concordiæ in Repetitione & declaratione art. 8. de Perſona Chriſti. Ergo, &c.

XLVI. Non etiam ſecundum. Nam ſi Omnipræſentia humanitatis eſt diſtincta ab omnipræſentia Dei, ſequitur *primò* ſublatam eſſe communicationem idiomatum, prout eam Lutherus, & Liber concordiæ explanant; aſſerunt enim iſti, *Humanitatem Chriſti propter unionem perſonalem accepiſſe Proprietates Dei, & Omnipræſentiam in ſtatu præſertim Exaltationis ſe effudiſſe. Secundò.* Omnipræſentiam Humanitatis Chriſti eſſe aliam ab Omnipræſentia Dei, adeoque Humanitatem Chriſti non eſſe poſitam in eſſentiales proprietates Dei. *Tertiò* eſſe duas omnipræſentias; unam Humanitatis, alteram Deitatis, adeoque duas Naturas Omnipræſentes. *Quartò.* Humanitatis Omnipræſentiam eſſe creatam & finitam; quippe Deus omnia à ſe diſtincta *diſpoſuit in menſura numero & pondere.* Sapient. 11. v. 22. hoc eſt, finita & limitata. *Quintò.* Omnipræſentiam Humanitatis hoc ipſo non amplius eſſe omnipræſentiam, cum nullum creatum finitum & limitatum implere & adæquare poſſit ſpatium infinitum, & illimitatum. *Sextò* Chriſtum non eſſe in ſtatu exaltationis, cum non habeat communicatam ſibi Omnipræſentiam Majeſtatis divinæ. *Septimò* Librum Concordiæ falſum dicere, dum aſtruit, *Humanitatem Chriſti habere Omnipræſentiam ipſius Dei*: atque ejuſdem falſitatis arguendos eſſe omnes, qui illi ſubſcripſerunt. Vanum autem eſt, quod dicunt hæretici, Humanitatem Chriſti eſſe quidem Omnipræſentem, ſed non ut Deitatem, ſed eſſe diſcrimen in modo. Nam cum Humanitas *in Eſſentialem DEI Omnipræſentiam ſit poſita*, adeóque exiſtendi ubique unus idemque ſit modus, quomodo poteſt eſſe diſcrimen in modo?

XLVII. Repugnat denique quintò recens hic Ubiquitatis partus Confeſſ. Auguſtanæ, atque hanc eſſentialiter immutat. quod ſic demonſtro. Quicunque tenet, Chriſtum ſecundùm Humanitatem ſuam eſſe ubique præſentem ſubſtantialiter, hoc eſt, in omnibus lignis, lapidibus folijs &c. Facit ſubſtantialem mutationem in Confeſſione Auguſtana. Atqui hoc faciunt Ubiquiſtæ. Ergo faciunt ſubſtantialem mutationem. Majorem atteſtantur Auguſtus Elector Saxoniæ, qui, ut re-

Digitized by Google

ut referunt Hoſpinianus, & Huterus, Anno 1664. Ubiquitatem Corporis Chriſti velut *rem incognitam novam peregrinam & periculoſam* in ſuis provincijs, templis, & Scholis recipere fuit tergiverſatus. Item alij Imperij Principes, Civitates, & Theologi, quos allegat Jodocus Kedd. in Tract. cui Titulus: *Monſtrum Ubiquitatis* fol. 15. Minorem demonſtrat Laurentius Forer in Bello Ubiquiſtico, & alijs ſuis hac de re vulgatis Libris; Manifeſtum quoque eſt, ubiquitatem eſſe fundamentalem cauſam diſcordiarum. Legantur Scripta Doctorum Calixti & Hülſemanni, præſertim in verme Conſcientiæ Calixtinæ cap. 2. Hoc ipſum etiam produnt argumenta Ubiquiſtarum de Conjunctione duarum Naturarum: & textus Sac. Scripturæ, quos (licet malè) allegant ad Ubiquitatem ſuam aſſerendam, & ſtabiliendam.

XLVIII. Confirmatur ultima repugnantia. Docet Confeſſio Auguſtana in Sacramento Euchariſtiæ Articulo 10. Chriſtum in tot millibus locorum, ubi cæna celebratur, & diſpenſatur Corpus & Sanguis Ejuſdem, eſſe verè præſentem ſub ſpeciebus panis & vini; adeóque diſcrimen eſſe inter Sacramentum & cibos prophanos &c. At ſi Chriſtus perinde eſt in omnibus rebus, atque in Sacramento, tum nullum erit diſcrimen inter Sacramentum, & cibos prophanos, qui proinde pari ratione & mundâ conſcientiâ erunt ſumendi ſub gravi culpâ & pænâ, quod eſt abſurdum. Ergo &c. Reſpondent adhuc eſſe diſcrimen inter Sacramentum & omnes cibos prophanos quoad effectum; quia Chriſtus non ita confert gratiam per cibos prophanos, ſicut per Euchariſtiam. Sed quæro, quæ ſit illa gratia Sacramenti? Si velint conſequenter loqui juxta ſuam doctrinam de juſtificatione, non aliud poterunt dicere, quàm quod ſumptione Euchariſtiæ excitetur fides juſtificans. At hoc ipſum fieri poteſt in prophana comeſtione, ſi cogitetur & credatur ibi Chriſtus adeſſe, ſicuti in qualibet creatura poteſt apprehendi Dei latentis præſentia.

XLIX. Cæterùm quando Hülſeman, Gruber, Gerhardus, Hanneken & alij Ubiquitatis Defenſores ajunt, Chriſtum ſecundùm Naturam ſuam humanam eſſe quidem præſentem ſubſtantialiter, attamen *nec extenſivè, nec intenſivè, nec Sacramentaliter &c.* nec denique in omnibus lignis, lapidibus &c. ſicuti Deus eſt ubique & in omnibus, prorſus non video, quid velint; omninò etiam mihi perſuadeo, ipſoſmet non ſcire, quid dicant. Nam Divinitas eſt unita Humanitati extenſivè exiſtenti in primo puncto Conceptionis: & ab illo tempore nunquam eſt diſjuncta, aut aliqua in unione facta immutatio. Quomodo ergo Humanitas ſeu humana Chriſti Natura non exiſtit prorſus ubique in omnibus folijs, herbis &c. Sicuti in omnibus & ubique eſt Deus? Dicere autem in ſtatu exinanitionis, Chriſtum inhibuiſſe à puncto Conceptionis uſque ad ſtatum gloriæ Omnipræſentiam, ne in Humanitate prorumperet, ſe ſeque proderet, perinde eſt, ac ſi quis diceret, ſe habere bis quatuor, nolle autem dicere aut ſciri, ſe habere octo. Quomodo non exiſtit Humanitas Chriſti extenſivè, ſicuti exiſtebat in utero materno, quando primitus facta eſt unio: & inhæſivè, non per modum accidentis inhærendo, ſed per ſuam ſubſtantiam omnéſque corporis partes intimè omnibus ineſſendo? Quomodo Chriſtus non exiſtit in Euchariſtia ante ſumptionem, imò in omnibus alijs panibus & vinis?

L. Rurſus ſi Chriſtus eſt ſubſtantialiter ubique, & replet omnia. Quomodo non evadit infinitus? Item ſi exiſtit extenſivè Deitati unitus. Quomodo eſt ubique? revera Caput Chriſti in utero materno non erat, ubi fuit pes; quia ibi nulla fuit penetratio? Si etiam inhæſivè ineſt omnibus ſecundùm omnes ſui partes. Quomodò eſt, manétque unitus Divinitati eo modo, quo fuit in utero materno; quia planè ibi habebat extenſionem, ut recèns dixi.

LI. Si denique Chriſtus ſecundùm Humanitatem ante ſumptionem eſt ubique etiam in Euchariſtia, & in omni pane & vino. Quomodo poteſt ſumi? quippe jam eſt in ore, gutture, & ſtomacho; fortè etiam in hoc eſt adhuc panis & vinum crudum, & in his quoque Chriſtus? Ecce quomodo Sectarij, dum Catholicæ Fidei lumen deſerunt, in cogitationibus ſuis evaneſcant, & craſſiſſimarum ignorantiarum tenebris ubique involvantur, atque impingant, quocúmque ſe vertant? Videri poteſt P. Jodoci Kedd Monſtrum Ubiquitatis, & ejuſdem Liber, cui Titulus: Studenten Lehr und Ehr. Studioſorum Doctrina & Honor.

LII. Argumenta ab hæreticis pro Ubiquitate allata nihil evincunt. Quod ad Scripturas attinet. 1. Locus Mathæi de jugi præſentia Chriſti cum Fidelibus, non probat, Chriſtum eſſe ubique, ſed tantùm in illis locis, ubi ſunt Fideles. Deinde præſentia Chriſti cum fidelibus non eſt localis, ſed moralis; ſignificat enim, Chriſtum ſemper illorum curam habiturum, eóſque ſuâ præſentiâ directurum, ut exponit Tirinus, atque etiam inde patet, quia Chriſtus promiſit illis verbis, ſe ſpeciali modo cum amicis futurum. At ſi localiter ubique eſſet, non magis eſſet cum ſuis amicis, quàm inimicis; ſicut Deus Geneſ. 26. v. 24. dixit: ad Abraham: *noli timere, quia ego tecum ſum.*

LIII. Alter locus Apoſt. ad Epheſ. 4. de Aſcenſione Chriſti in Cœlum, ut impleret omnia. In primis retorquetur; Nam ſi Chriſtus aſcendit in Cœlum, tunc prius non fuit in Cœlo, ad quod implendum aſcendit in Cœlum, ſicut in cruce ſitiens petivit hauſtum, ut impleretur deſiderium prophetiæ Davidis Pſal. 68. v. 22. *in ſiti mea potaverunt me aceto,* ut advertit S. Joan. c. 19. v. 28. Deinde, licet concederemus, Apoſtolum de omnibus locis implendis fuiſſe locutum, tamen intelligenda non eſſent omnia loca ſimul, ſicuti requirit Ubiquitas, ſed ſucceſſivè, ut docent Theophylactus, Oecumenius, Bernard. & alij apud Tirinum. Nam Primo fuit in terris. Inde deſcendit ad inferos. Ex inferis rurſus reverſus eſt in terram. Tandem per aërem aſcendit ad cœlos, & ſic inviſit omnia loca, ſumendo vocem omnia non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, ut loquuntur Logici, id eſt, omnis generis loca pervaſit, licet non ſingulas generum partes, ſicut aliquis dicitur peragraſſe omnes regiones, licet non omnes vicos, pagos, oppida &c. luſtrârit, ſed præcipuas urbes; unde non concluditur Ubiquitas Chriſti in omnibus particularibus locis totius mundi. Demum Patres Chryſoſt. & Hierony. volunt, dici Chriſtum ſuo aſcenſu impleviſſe omnia, hoc eſt, omnes prophetias & figuras, quæ de hoc ſenſu extabant in Script. Addunt S. Ambroſ. & D. Thom. Chriſtum imple-

Digitized by Google

impleviſſe omnia, id eſt, totam Eccleſiam, imò mundum univerſum ſuâ magnificentiâ, ſcilicet omnis generis donis, ſignis, gratijs &c. item ſplendore Nominis ſui, &c.

LIV. Tertius locus Apoſtoli ad Coloſſ. dicentis, Chriſtum ſedere ad Dextram Patris abunde ſupra §. XV. eſt explanatus; ſolùm addo, licet daremus iſtam Seſſionem pro ſitu locali accipiendam eſſe, tamen inde non probaretur, Chriſtum eſſe ubique, quantumvis dextra Dei ubique exiſtat. Nam ad hanc Seſſionem ſufficit, ut in aliquo loco dextræ Dei adjunctus ſit, ſicuti Chriſti Corpus in hoſtia noſtri Templi inſidet ciborio, non item in templo Sancti Petri. Quare negatur Major Syllogiſmi, & longè alieniſſimum eſt à veritate, Ubiquitatem Confeſſioni Auguſtanæ in hoc Art. de Seſſione Chriſti ad dextram Patris fuiſſe inſertam; etenim nec in triginta ſequentibus annis poſt Confeſſionem Carolo V. Imperatori oblatam ulla fuit mentio facta Ubiquitatis inter Theologos tam antiquæ Romanæ Religionis, quàm novæ Lutheranæ Sectæ, donec Brentius ſepultam oblivione iſtam Lutheri hæreſin rurſus excitârit.

LV. Quod ad Rationes attinet. *Primæ* ex unione Humanitatis Chriſti cum Divinitate deſumptæ negamus Majorem, quæ ſic habet: quandocunque duo ſunt unita, tunc ubi eſt unum illorum, etiam alterum eſſe oportet, &c. Cujus falſitas manifeſtè apparet in Natura humana; etenim caput eſt unitum animæ, & tamen non eſt ubique caput, ubi eſt anima. Sol quoque unitus eſt cœlo, gemma annulo, non tamen idcirco ſol eſt, ubicunque cœlum eſt, non gemma, ubicunque eſt annulus. Quare ut duo inter ſe dicantur non diſtare, nequaquam requiritur, ut unum ſit, ubicunque eſt alterum, ſed tantùm, ut alicubi ſit; etenim ſi nuſquam ſimul eſſent, tunc inter ſe diſtarent. Loquendo igitur de Immenſitate, iſta non communicat ſuum effectum formalem Humanitati hoc ipſo, quod ei ſit unita. Nam quando una entitas eſſentialiter definitivè unitur alteri, non eò ipſo vi talis unionis debet ſtatim alterum extremum exiſtere in toto ſpatio totaliter, ſed ſatis eſt, exiſtere in aliqua parte illius ſpatij, ut recèns diximus de homine, cujus pes eſt unitus animæ, & tamen non exiſtit pes, ubicunque anima. Ergo eodem modo, non hoc ipſo Humanitas, quod uniatur Immenſitati Dei, debet exiſtere, ubicunque exiſtit Imenſitas. Ergo ad hoc jam opus eſſet, ut determinaretur per aliquid ſuperadditũ, ut cöexiſteret Imenſitati non potius in hoc, quàm illo ſpatio. Adeóque ab hoc ultimo ſuperaddito, utpote ultima determinatione acciperet Humanitas effectum formalem ubicati. Quare etiamſi poſſibilis eſſet ubicatio creata eſſentialiter immenſa, & per hanc determinaretur Humanitas ad cöexiſtendum Immenſitati ubique, non propterea haberet hunc effectum formalem ab ipſa Immenſitate formaliter, ſed ab illa entitate creata ultimò determinante. Ergo Immenſitas non poteſt per ſe formaliter communicare ſuum effectum formalem Humanitati, nec adæquatè nec inadæquatè.

LVI. Dicent Ubiquiſtæ, ſi argumentum hoc nihil valet, tum Trid. ſeſſ. 13. c. 3. malè probavit, totum Chriſtum eſſe in qualibet ſpecie propter unionem cum Divinitate; etenim pari modo reſponderi poteſt, unionem non importare cöexiſtentiam in loco. Reſp. diſparem eſſe rationem. Nam interdum ex duobus unitis unum pendet ab altero, & tunc illud dependens, ubicunque eſt, ibi & alterum, à quo dependet, eſſe oportet, ſed non viciſſim. Sicuti homo non poteſt eſſe ſine aëre per reſpirationem attrahendo: aër verò bene poteſt eſſe ſine homine; proinde ubicunque eſt homo, ibi debet eſſe aër; non autem viciſſim, ubicunque eſt aër, ibi debet eſſe homo. Similiter Humanitas Chriſti & divinitas ita ſunt unitæ, ut humanitas pendeat à Deo, tanquam ab hypoſtaſi terminante: non è contra. Quare ubicunq; eſt Humanitas Chriſti, ſicuti eſt in Euchariſtia, ibi oportet eſſe Divinitatem: non è contrario, ubi eſt Deus, oportet eſſe Humanitatem. Trid. igitur Concilium benè uſum eſt illo fundamento unionis: hæretici autem malè.

LVII. *Altera Ratio* ex Communicatione Attributorum & Idiomatum deſumpta. Inprimis retorqueri poteſt. Nam ſi Divinitas per unionem Hypoſtaticam Chriſto ſuas proprietates communicavit, tum viciſſim Humanitas ſuas proprietates communicavit Divinitati Chriſti, & conſequenter, ſicut Humanitas Chriſti eſt creata, finita, viſibilis, etiam Divinitas erit talis, quod nec ipſi Adverſarij conceſſerint. Deinde ſi omnia, quæ cum Divinitate identificantur, Chriſto ſunt communicata, tunc Chriſtus non ſolùm fuit Filius Dei, ſed etiam Pater, & Spiritus S. quia tota Trinitas cum Divinitate identificantur. Demum etſi per communicationem Idiomatum, quæ dicuntur de Deo, dici poſſint de homine, viceq; verſâ in concreto: non tamen, quæ conveniunt Naturæ Divinæ, dici poſſunt de Humanâ in abſtracto, aut è contra; cum enim ſint realiter diſtinctæ Naturæ, habeantq; proprietates realiter diſtinctas, non niſi falsò dici poteſt, unam eſſe alteram, aut quod prædicatur de unâ, alteri competere. Quamvis igitur per unitatem ſuppoſiti ſubſiſtentis in Natura Divina & Humana rectè dicamus: & Deus eſt Homo: & Homo eſt Deus; item Deus eſt Paſſibilis: & Homo impaſſibilis; Chriſtus eſt ubique, ſcil. quoad divinitatem, non tamen dici poteſt, Divinitas eſt Humanitas, eſt Paſſibilis, aut Humanitas eſt Divinitas, impaſſibilis, Chriſtus quoad humanitatem eſt ubique, &c.

LVIII. Dicent Ubiquiſtæ. Deus eſt Omnipotens & omnipræſens. Homo in Chriſto factus eſt Deus. Ergo homo in Deo factus eſt Omnipræſens. Reſpon. ſi Homo in Minore ſumatur pro perſona, falſam eſſe Minorem; quia perſona in Chriſto eſt Divina. Atqui hæc non eſt facta Deus per Incarnationem, ſed jam antea ab æterno erat Deus. Si verò ſumatur pro humana Natura, veram eſſe propoſitionem in hoc ſenſu: Humana Natura aſſumpta eſt à Verbo, & huic perſonaliter unita; quâ ratione veriſſimè factum eſt, ut Homo eſſet Deus; quia Perſona illa eſt Deus, in qua humana Natura ſubſiſtit, ſed inde nihil habent emolumenti Ubiquiſtæ.

LIX. *Tertiæ Rationis* diſtinguitur Major. Si Chriſtus ſumitur pro ſuppoſito ſolùm divino, negatur ſequela Majoris: ſi accipitur pro toto compoſito, conceditur ſequela Majoris. Sed in iſta acceptione pro toto ſcilicet compoſito, negatur Min. & Conſequentia. Itaque Chriſtus diverſimodè ſumitur. Aliquando pro ſolo ſuppoſito ſeu perſona Divina, ut in Epiſt. ad Hebr. c. 13. v. 8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie ipſe & in ſæcula.* Et Joan. 8. v. 58. Ubi Chriſtus de ſe ait: *antequam Abraham fieret, Ego ſum.* Aliquando verò accipitur pro toto compoſito,

ſito, ſeu conflato ex perſona Divina & Humana Natura, ut in ſymbolo Athanaſij: *Sicut omnia rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & Homo Unus eſt Chriſtus.* Si ergo propoſitio hæc: Chriſtus eſt ubiq; Homo, ita ſumatur, ut Chriſtus perſona Divina, & particula ubiq; ſe habeat ex parte ſubjecti, vera eſt propoſitio, & hunc ſenſum facit: Chriſtus, quà Deus, ubique exiſtens eſt Homo; attamen ſic non habet ubiq; Humanitatem exiſtentem: Si vero in eadem propoſitione Chriſtus accipiatur pro compoſito utriuſquè Naturæ, falſa eſt propoſitio, & de ſubjecto non ſupponente; quia hunc facit ſenſum: Chriſtus Deus & Homo ubiq; habet Humanitatem; ſiquidem Chriſtus Deus & Homo ſive Deus cum Humana Naturà nec eſt ubique, nec fuit ubique, & conſequenter non habet ubique Humanitatem.

LX. Inferent. Ergo Chriſtus non eſt ubique Chriſtus, hoc eſt, Deus & Homo. Concedo illatum, quia nihil prorſus in eo latet abſurdi, cum neque Verbum ſeu Dei Filius ſit ubiq; Deus & Homo, ſicuti non fuit ſemper Deus & Homo: neq; Deus & homo, ſive Deus cum Natura Humana ſit ubiq; Deus & Homo, quia non exiſtit ubique Deus cum humana Natura. Videatur D. Thom. in 3. diſtinct. 22. art. 2. In prædictum modum loquuntur Magiſter Diſtinct. cit. & cæteri Theologi, dum dicunt, *Chriſtus eſt totus ubiq;, ſed non totum*; dicere volunt, Chriſtus totus eſt ubiquè, quia perſona divina tota eſt ubiquè: At non totum Chriſti eſt ubique, quia altera naturarum, humana ſcilicet, non eſt ubiquè; quem ſenſum clariſſimè exprimit D. Bonavent. in cit. locum Magiſtri q. 2. relatus apud Bellar. L. 3. c. 19.

LXI. *Quarta Ratio.* Probationis oſtendit, nimis abjectè ſentire Ubiquiſtas de Humanitate Chriſti, dum iſtum, quà homo eſt, & ſecundùm Humanitatem negant, regere poſſe Eccleſiam ſine monſtroſo hoc ubiquitatis figmento; quaſi verò nihil ſciat Chriſtus, niſi quæ corpore præſens videt, audit, manibus contrectat? quaſi verò Judex, Rex, ſummus Sacerdos eſſe nequeat, niſi per increatam Dei judiciariam poteſtatem, nullúſq; vivendi, vivificandi, & ſalvandi poteſtate pollere poſſit, niſi per infinitam illam vim, quam Deus ad vivificandum & ſalvandum habet? Poteſt Chriſtus intelligentiâ ſua creatâ, Spiritu, & cogitationibus adeſſe in toto mundo omnibus rebus, quas gubernat, regit, & judicat ex Dei dono, & creato lumine, ſicuti olim Cor Eliſæi 4. Reg. 5. v. 26. præſens erat, quando reverſus eſt Naamon de curru ſuo in occurſum Giezi, &c.

LXII. *Quinta deniq; ratio* per ſe corruit glutine carens. Poſſe divinitùs unum idémque corpus ſive per actionem reproductivam, ſive adductivam poni in pluribus locis, ſuo loco de Euchariſtiæ Sacramento oſtendemus. An autem in immenſum repplicari poſſit Corpus Chriſti, ſive aliud quodcunque ſalvâ fidei & charitate in ſcholis diſceptatur. Mihi ſemper probabilior viſa eſt ſententia negativa, quam in Philoſophia & Theologia tenui; & licet affirmaretur, nihil tamen ſubſidij ubiquitati adveniret, cum hæc fingatur à ſuis patronis eſſe Attributum Divinum: illa autem repplicatio immenſa non item.

LXIII. Tertia Probatio ex abſurdo eſt vaniſſima, & ex futili fundamento hauſta, quaſi verò modus ille, quo Verbum Humanam Naturam ſuſtentat, conſiſtat tantùm in operatione, aut effectione, quâ Natura humana in ſuo eſſe conſervetur, & non potiùs Verbum ſe ipſum per modum complementi comunicando intrinſecè ac formaliter Naturam ſuſtentet, quâ utiq; ratione quaſvis alias res non complet, ac ſuſtentat. Ad calumniam, quaſi nos Romano-Catholici Chriſtum pro puro Homine haberemus, & Neſtoriani ac Machometani eſſemus, &c. non eſt, cur reſpondeamus, cum ſuâ ſponte utpote ex vano hauſta concidat. *Et quid prodeſt, impudentiſsimi Ubiquiſtæ, Neſtorianæ hæreſeos nomine eorum lacerare opinionem, quorum piſſimã non poſſunt convellere fidem; quũ, quantùm Neſtorius à veritate diſceſſit, Deitatem verbi ab aſſumpti Hominis ſubſtantia ſeparando, tantùm à recto tramide etiam iſti deſciſcant?*

LXIV. Ad finem hujus controverſiæ de communicatione Idiomatum Corolarij loco atteximus manifeſtiſſimas iſtas ſequelas ex hactenus dictis depromptas. I. Rectè dici à Georgio Calixto Profeſſore Helmſtettenſi, ubiquitatem Lutheranorum eſſe *Illaudabile Dogma*, utpotè non ſolùm S. Scripturæ, Doctrinæ S. Eccleſiæ, SS. Patrum per quinquè prima ſecula, ſed etiam Auguſtanæ confeſſioni repugnans, & potiſſimos Apoſtolici ſymboli articulos evertens. II. Eandem ubiquitatem à Danis, inferioribus Saxonibus, & nonnullis alijs Lutheranis non immeritò cenſeri *Eutychianiſmum*, quomodo enim Humanitas Chriſti in Eſſentiam Omnipotentiæ Dei, & (verbis loquor Ubiquiſtarum) *in Eſſentiales Proprietates Dei* poni poteſt abſque confuſione divinæ & humanæ Naturæ. III. Ubiquiſtas manifeſtam contradictionem admittere, dum Chriſtum ſecundùm Humanam Naturm jam ponunt Creaturam, quia reverà creata & facta eſt: jam non Creaturam, quia Deus eſt Creator eſt Omnipotens, Immenſus, &c. IV. Errorem Lutheranorum ex craſſa ignorantia communicationis Idiomatum oriri, ut omnes Doctores Catholici notant, nominatim Becanus in Manuali Lib. 2. c. 1. n. 13. atquè idcirco nos de illa Idiomatum communicatione catholicam veramq; doctrinam præmiſimus, ex qua facilè omnis hallucinatio ſectariorum deprehendi, & reijci poſſit. V. Demum hoc ubiquitatis monſtrum adeo eſſe turpe, atque abominabile, ut quilibet Lutheranus meritò illud erubeſcere, horrere, ſectam talis horrendi partûs matrem deſerere, & ad veram Romano-Catholicam Religionem reverti debeat, &c.

LXV. Quid enim Ariani horroris, quid Neſtoriani impietatis, quid Eutychiani confuſionis, quid Monothelitæ corruptionis, quid abſurditatis unquam alij excogitârunt hæretici, quod hoc in ſe ubiquitatis monſtrum mundo non oſtentat? Utpote quod non ſolùm Catholicorum, ſed ipſorum Sectariorum; imò nonnullorum Lutheranorum judicio omnes Chriſtianæ fidei articulos oppugnat, labefactat, peſtumdat. Et tale, inquam, illaudabile, imò apud orbem univerſum abominabile dogma, vos Lutherani, meritiſſimo jure deteſtimini, idq; ex intimo corde execrati ad Romano-Catholicam fidem revertamini & cæleſtem Eccleſiæ doctrinam, ipſamq; veritatem cum Chalcedonenſi Concilio profiteamini in hæc ipſius verba: *Credimus JESUM Chriſtum Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuſibiliter, inconverſibiliter, indiviſibiliter, inſeparabiliter agnoſcendum, nullâ Naturarum differentiâ ſublatâ per unionem, ſed ſalvâ magis utriusq; Naturæ Proprietate.* Adduximus iſta verba jam ſupra, ſed digna ſunt,

Digitized by Google

quæ hîc Lutheranis in memoriam redigantur. Plura apud P. Gregorium de Valentia in Opere controverſiſtico à fol. 233. P. Forerum, & alios contra Ubiquiſtas videri poſſunt.

ECCLESIA.

CHRISTI *Regnum eſt Eccleſia, quæ pluribus modis ſuperat univerſa Mundi Regna; Auctoritate, quia à Chriſto fuit condita, & in Sponſam dilectiſſimam aſſumpta:* Vidi Civitatem Sanctam, Jeruſalem novam deſcendentem de Cœlo paratam ſicut Sponſam ornatam viro ſuo. *Apocal. 21. v. 2. Potentiâ & Robore:* Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Matth. 16. v. 18. Flore & Ubertatis felicitate:* Florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans *Iſai. 35. v. 1. & 2. Florebit ſcilicet Legibus & Præceptis optimis: Ceremonijs & Sacramentis ſaluberrimis: Sapientiâ & Scientia præſtantiſſimis: Gloria & Honore maximis: Virtute & Sanctitate pulcherrimis: Sanctis ac Beatis innumerabilibus &c. Cùm igitur de Chriſto hactenus egerimus, nunc ad ejus Regnum Eccleſiam progredimur, & tela, quæ hæretici in eam ejaculantur, ſequentibus Controverſijs repellemus, & infringemus.*

CONTROVERSIA XV.

QUID SIT ECCLESIA, ET quænam illius ſint Membra?

DE Eccleſia univerſim loquendo tria in quæſtionem veniunt. Quidnam ſit Eccleſia? Qualis ſit? & Quomodo vera DEI Eccleſia à falſis Sectis dignoſcatur? Nunc de Primo agere incipimus.

PARS PRIOR

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. Eccleſia eſt nomen Græcum, Latinè idem, quod Evocatio ſeu Convocatio hominum, ac proinde ſignificat Cœtum, ſeu Congregationem Evocatorum. Triplex autem potiſſimùm eſt uſus in Sac. Scriptura ejus vocis. 1. ſed rariùs pro loco, in quo evocati congregantur. Judith. 6. v. 21. *Convocatus eſt totus populus, per totam noctem intra Eccleſiam orârunt.* 2. Pro quocunque Cœtu tam Fidelium quàm Infidelium Pſal. 25. v. 5. *Odivi Eccleſiam malignantium;* aliquando verò pro Cœtu Sanctorum tantùm. Pſal. 149. v. 1. *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.* 3. Pro Cœtu Fidelium ſolùm; vel univerſali per univerſum orbem, quo modo Chriſtus ad Epheſ. 5. v. 23. dicitur *Caput Eccleſiæ:* vel particulari unius Provinciæ, ſic Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 1. Scribit: *Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi.* Et ad Coloſſ. 4. v. 15. *Eccleſia, quæ eſt in domo Nymphæ.* Et quoniam hæc multitudo Fidelium partim adhuc in terris degit, ac continuò contra Mundum, Diabolum, & Carnem militat: partim jam in Cœlo obtentis victorijs triumphat: partim in Purgatorio igne detinetur, ideo communiter apud Catholicos Eccleſia diſtinguitur in Militantem, Triumphantem, & Purgantem. Nos hîc de Militante Eccleſia agere incipimus, hoc eſt, de Cœtu Fidelium unà cum ſuo Capite, quantumvis ſubinde ſoli etiam Rectores appellentur Eccleſiæ, ut patet ex illo Math. 18. v. 17. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

II. *Doctrina Prima.* Eccleſia univerſalis eſt collectio Fidelium. Ita definiêrunt illam ſummi Pontifices Innoc. III. Capit. 1. de ſumma Trinit. & Nicolaus I. Diſt. 1. de Conſecratione c. 7. Et quoniam Eccleſia comparatur *Corpori Chriſti.* ad Coloſſ. 1. v. 24. Sicuti omnis Reſpublica dicitur Corpus morale, idcirco ſinguli Fideles vocantur Membra Chriſti. Sed hinc jam ſurgit quæſtio, quid hoc loco ſignificent Fideles, an omnes & ſolos Baptizatos, etiamſi à Fide deficiant, Pontifici non obediant, in excommunicatione Eccleſiaſtica & cenſuris &c. exiſtant?

III. *Doctrina ſecunda.* Probabiliùs videtur, Catechumenos, hoc eſt, animo credentes nondum tamen Baptiſmo ablutos, eſſe in Eccleſia. Ita Caſtro Lib. 2. de Hæretic. punitione. cap. 8. Suarez. Vaſquez & alij Probatur 1. Auctoritate ſummorum Pontificum Innocentij & Gelaſij, qui loco cit. Eccleſiam abſolutè definiunt *Congregationem Fidelium.* Sed quicunque verè credit, eſt fidelis, quantumvis nondum baptizatus. Idem Innoc. cap. 3. de Presbytero non baptizato ſic diſcurrit. *Non ſolùm per Sacramentum Fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti aliquis procul dubio efficitur membrum Chriſti, & conſequenter Eccleſiæ.* Summis Pontificibus adſtipulatur S. Auguſt. Tract. 4. in Joann. ubi docet, Catechumenos eſſe in Eccleſia. Probatur 2. Ratione: Tum quia ſi nemo eſt membrum Eccleſiæ, niſi Sacramentaliter ſit baptizatus, tunc multi fortiſſimi Martyres (quorum triumphis gloriatur Eccleſia) non fuiſſent membra Eccleſiæ; quippe ante Baptiſmum occiſi. Tum quia quicunque eſt in tali ſtatu, in quo poteſt ſalvari, ille eſt in Eccleſia. Atqui multi ſunt in tali ſtatu, in quo poſſunt ſalvari, ſcilicet omnis, qui eſt in ſtatu gratiæ; quod ante baptiſmum accidere poteſt v. g. ſi in caſu neceſſitatis & periculi mortis deſit baptiſmi copia. Ergo multi non baptizati ſunt in Eccleſia. Majorem quidem negat Auctor Libri de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 74. Sed contra omnes alios. Certè D. Ambroſius in obitu Valentiniani Imperatoris apertè affirmat, Catechumenos ſalvari poſſe, de quorum numero erat Valentinianus; jam enim vocaverat D. Ambroſium ad Baptiſmum ſibi impertiendum, ſed ante ejus adventum fuit occiſus.

IV. Oppoſitum noſtræ doctrinæ tenent Card. Bellarm. Lib. 3. de Eccleſia c. 3. Valentia Tom. 3. D. 1. q. 1. punct. 7. §. 14. Tanner Tom. 3. D. 1. q. 3. n. 54. & alij. Nituntur maximè auctoritate conciliorum tum Florentini in decreto unionis, tum Trid. ſeſſione 14. c. 5. ubi dicunt, *Baptiſmum eſſe januam ad Eccleſiam.* Adducit Bellarm. aliquos etiam Patres. Sed reſpon. duplicem eſſe modum exiſtendi in Eccleſia; unum imperfectum, & quaſi in

Digitized by Google

ſi in veſtibulo: alterum perfectum, quaſi in ipſis penetralibus Eccleſiæ, cum plena facultate fruendi Sacramentis, & alijs commodis Eccleſiæ; hoc poſteriori modo Catechumeni non ſunt in Eccleſia, & idcirco olim ante conſecrationem Miſſæ à Diacono excedere Templo juſſi fuerunt: ſed priori modo ſunt in Eccleſia. Neq; hoc negant Concilia & Patres de priori ſolùm modo exiſtendi in Eccleſia locuti.

V. Urgent. Qui non ingreſſus eſt per januam, nondum eſt in Eccleſia; ſed Catechumeni non ſunt ingreſſi per januam, Baptiſmum ſcilicet. Ergo,&c. Reſpon. Diſtinguendo Majorem; qui non eſt ingreſſus per ullam januam in Eccleſiam, concedo: qui eſt ingreſſus per aliquam januam, ſaltem extimam, non eſt in Eccleſia, nego. Nam ſicut in materialibus templis plures ſunt januæ; una extima per plateam: altera interior in domum, ita in Eccleſia ſpirituali plures ſunt januæ ſpirituales; una extima ſcil. Fidei: alia intima, ſcilicet Baptiſmi. Catechumeni ingreſſi ſunt in Eccleſiam non quidem per iſtam intimam: at bene per illam extimam, quod ſufficit ad ſalutem in caſu neceſſitatis.

VI. Inſtat P. Tanner. Sicut Civis, inquit, abſolutè non eſt, qui in Album civium nondum eſt relatus, utcunq; interim juribus ac privilegiis civium fruatur, ita etiam Catechumenus non eſt in Eccleſia, licet aliquem acceſſum ad eam habeat. Reſp. negando paritatem; quia primariam civis rationem non participat, qui albo civium non eſt inſcriptus, ſicuti tamen Catechumenus habet jam fidem, à qua Eccleſia fidelium quàm maximè conſtituitur.

VII. Confirmatur jam meliori inſtantiâ doctrina noſtra per Arcam Noë, quæ fuit figura Eccleſiæ: Nam ſicuti extra iſtam arcam nemo potuit tueri vitam corporalem, ut ait Hieronymus relatus in Jure Canon. can. 26. causâ 24. q. 1. ita nemo poteſt ſalvari in vita ſpirituali animæ extra Eccleſiam, ut docet Concil. Lateranenſe ſub Innoc. III. Cum ergo Catechumeni abſolutè ſalvari poſſint, intra Eccleſiam ſint, neceſſe eſt. Bellarm. concedit Catechumenos eſſe in Eccleſia voto ſeu deſiderio, non autem re ipsâ & actu. Sed nunquid Arca re ipsâ erat neceſſaria ad ſalutem corporis? Cum igitur in hoc propriè figuraret Eccleſiam, omnis, qui in anima ſalvatur, re ipsâ & actu in illa exiſtit, eſto non omniperfectiori modo.

VIII. *Doctrina Tertia.* Solus Baptiſmus abſquè vera interna fide non ſufficit ad conſtituendum membrum Eccleſiæ. Ita Suarez. in 3. P. Tom. 4. D. 52. Sect. 2. Tanner. q. cit à n. 52. & plerique alij Catholici D.D. Probatur. Tum quia vinculum, quo membra inter ſe colligantur, debet eſſe internum, & ſpirituale, ut ait S. Thom. in Epiſtolam ad Rom. c. 12. Sed abſque interna fide non eſt aliquid ſpirituale internum. Ergo non eſt vinculum, quo membra inter ſe colligantur. Tum quia ſi hæretici abſque verâ fide interna, & per hujus ſimulationem hypocritæ eſſent vera Eccleſiæ membra, tunc Eccleſia non eſſet una. Conſequens eſt contra fidem, quam profitetur ſymbolum Nicenum. Ergo & antecedens. Probatur Maj. quia Unitas Eccleſiæ deſumitur ab unitate Fidei, ut inferius conſtabit. Atqui hæc Fides non eſſet una, ſed varia inter Baptizatos; una ſcilicet Catholicorum, alia Lutheranorum, alia Calviniſtarum, &c. Tum quia ſi ſolus Baptiſmus ejuſq; character faceret membrum Eccleſiæ, multi damnati in inferno eſſent membra Eccleſiæ, cum character Baptiſmatis in illis maneat, ut dicemus in Controv. de Baptiſmo. Abſurdum autem eſt, damnatos aliquos adhuc eſſe membra Eccleſiæ, cum nec in Triumphante, nec Purgante, nec Militante Eccleſiæ locum habeant.

IX. Confirmatur exemplo materialium ædificiorum, in quibus nihil eſſe dicitur, quod non nititur illorum fundamentis. Unde ſic ratiocinari poſſumus. Qui non inſiſtit fundamento Eccleſiæ, non eſt in Eccleſia. Sed qui veram internam fidem vel omnino non habent, ut hæretici Baptizati, vel hanc ſolùm ſimulant, & non ſyncerè credunt, ut hypocritæ, non inſiſtunt fundamento Eccleſiæ. Ergo non ſunt in Eccleſia. Major conſtat ex allata inſtantia. Min. probatur; quia fundamentum Eccleſiæ eſt doctrina Apoſtolorum juxta illud D. Pauli ad Epheſ. 2. v. 20. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum ſpei & in ſpiritu.* Sed hæreſis & falſa fidei ſimulatio abſquè verâ interna Fidei virtute non ædificantur in Spiritu ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Ergo,&c.

X. Huic Doctrinæ noſtræ opponit ſe Coſmas Magallianus Luſitanus in Comment. Epiſt. 2. ad Timoth. c. 2. n. 20. Et in Epiſt. ad Titum c. 3. v. 5. ratus, ſolùm characterem baptiſmalem abſque fide ſufficere ad conſtituendum membrum Eccleſiæ, ac proinde etiam apertos hæreticos legitimè tamen baptizatos eſſe in vera Eccleſia conſtituendos, cui favet Cornelius à Lapide in Epiſtolam. 1. ad Corinth. cap. 1. v. 12. Nititur his argumentis. I. Quicunq; ſubjecti ſunt juriſdictioni Eccleſiaſticæ illi ſunt in Eccleſia. Sed omnes baptizati & infideles ſubjecti ſunt juriſdictioni Eccleſiaſticæ. Ergo ſunt in Eccleſia. 2. Zizania ſunt in agro Eccleſiæ. Matth. 13. & vaſa fictilia ſunt in domo Eccleſiæ. 2. ad Timoth. 2. v. 20. Sed infideles baptizati ſunt Zizania, & vaſa fictilia. Ergo Infideles baptizati ſunt in Eccleſia. 3. Qui ſunt fratres, ſunt filij ejuſdem Matris Eccleſiæ. Sed Infideles baptizati ſunt fratres noſtri, ut eos appellat S. Auguſt. L. contra donatum poſt collationem c. 35. Ergo ſunt filij ejuſdem Matris Eccleſiæ

XI. Sed hæc opinio eſt contra communem Patrum Tertull. Cypriani, Ambroſij, Auguſtini, &c. quorum teſtimonia & loca affert Valentia Tom. 3. D. 1. Q. 1. §. 14. Et rurſus in Opere controv. fol. 27. Reſpon. igitur ad 1. negando Majorem, quia Eccleſia non ſolùm habet juriſdictionem in eos, qui actu ſunt in Eccleſia, ſed etiam, qui deberent eſſe in Eccleſia vi primæ promiſſionis, quæ ſaltem virtualiter fit in baptiſmo; etenim qui baptizatur, hoc ipſo fatetur, ſe Chriſto velle parere, & conſequenter ejus vices agenti Eccleſiæ; perinde ut belli dux habet poteſtatem non ſolùm in eos, qui actu ſunt in caſtris, ſed etiam in eos, qui deberent adeſſe, quia nomen ſuum militiæ dederunt. Ad 2. negando Min. ſi enim per zizania & vaſa teſtacea cum Auguſt. velimus intelligere hæreticos, tum cum eodem S. Patre per agrum vel domum non deberemus intelligere Eccleſiam; ſed

mundum

Digitized by Google

mundum. Verùm quia Chriſtus non totum mundum, ſed regnum Cœlorum tali Domui vel Agro comparavit, probabiliùs per hoc intelligitur Eccleſia; & ſi illud tenere velimus, tunc per Zizania & vaſa teſtacea non hæretici, ſed ſolùm mali Catholici intelligi debent. Ad 3. Negando Maj. quia omnes homines ſunt fratres inter ſe reſpectu unius Patris & Creatoris, & tamen Paulus negat, ſibi judicium competere in eos, qui foris ſunt, ſcilicet Gentiles, qui nec ſunt in Eccleſia, nec vi baptiſmi & ſuæ promiſſionis eſſe deberent.

XII. Eidem noſtræ doctrinæ fortiùs ſe opponit Card. Bellarm. Lib. 3. de Eccleſia cap. 2. & 10. Ubi vehementer contendit, hæreticos occultos, qui nec fidem internam, nec ullam Chriſtianam virtutem habent, & tamen exteriùs fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorum veris Fidelibus permiſcentur, veras eſſe partes, adeóque etiam membra Eccleſiæ, licet arida & mortua. Movetur 1. Auctoritate Patrum, qui copiosè adducti occultos hæreticos in Eccleſia Dei eſſe affirmant. 2. Si fides interna requireretur ad conſtituendum membrum Eccleſiæ, tum Eccleſia eſſet inviſibilis, conſequens dici non poteſt. Ergo nec Antecedens. Maj. patet, quia fides latet in animo, nec oculis cerni poteſt. Min. infra conſtabit. 3. Quicunque egrediuntur ex Eccleſia, prius fuerunt in Eccleſia. Sed hæretici patefaciendo ſuam hæreſin prius occultatam egrediuntur ex Eccleſia. Ergo priùs fuerunt in Eccleſia. Major per ſe patet. Min. probatur ex Epiſt. 1. Joan. c. 2. v. 19. ubi ſic ait: *ex nobis prodierunt* (ſcilicet hæretici, quos vocat Antichriſtos) *ſed non erant ex nobis; Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti ſint, quia non ſunt omnes ex nobis.* 4. Si occulti hæretici non eſſent membra Eccleſiæ, tunc ſi aliquis Epiſcopus, eſſet clam hæreticus, non haberet ullā juriſdictionē Epiſcopalē. Conſequens dici nō poteſt. Ergo nec antecedens. Probatur Majoris ſequela. Habens juriſtictionem Epiſcopalem eſt caput Eccleſiæ. Sed qui non eſt membrum Eccleſiæ, non poteſt eſſe illius Caput. Ergo qui non eſt membrum Eccleſiæ, non habet jurisdictionem Epiſcopalem. Probatur jam Min. ex abſurdo; etenim cum ſciri non poſſit, utrum Epiſcopus verè interius credat, ſemper dubia foret ejus Jurisdictio, & conſequenter omnes actus Epiſcopales eſſent ſuſpenſi & dubij, cum magna perturbatione Eccleſiæ. 5. Si ad conſtituendum membrum Eccleſiæ requireretur fides interna, tunc Chriſtus non eſſet Caput Eccleſiæ. Conſequens eſt contra Fidem, ut omnes docent Theologi ex eo, quod hæc cum clarâ Dei viſione non conſiſtat, quam habebat Chriſtus à primo Conceptionis tuæ inſtanti. Min. probatur ex illo Apoſtoli ad Epheſ. 4. v. 15. ubi Chriſtum vocat *Caput totius corporis Eccleſiæ.* 6. Denique omnes Apoſtoli fuerunt in Eccleſia, quia inter præcipua Eccleſiæ membra fuerunt 1. ad Corinth. 12. v. 28. Sed quidam ex illis fuit infidelis, Judas ſcilicet, qui non credidit in Chriſtum Joan. 6. v. 65. *Sunt quidam è vobis, qui non credunt; ſciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis eum traditurus eſſet.*

XIII. Hæc quidem faciunt opinionem Card. Bellarmini probabilem, ſed modus loquendi melior, magiſque receptus eſt, occultos hæreticos, abſolutè loquendo, non eſſe in Eccleſia tanquam hujus membra, ut bene Tanner n. 52. cit. ubi pro nobis etiam allegat alios Auctores. Nam fides eſt fundamentum ædificij ſpiritualis Eccleſiæ, 1. ad Corinth. 3. v. 11. & in Catechiſmo Rom. vera Chriſti Eccleſia vocatur *Fidelium Cœtus.* Atque ibidem ex D. Auguſt. in Pſalm. 149. *populus fidelis per univerſum orbem diſperſus.*

XIV. Itaque Reſpon. ad 1. Patres ſolùm velle, occultos hæreticos eſſe in Eccleſia apparenter, non realiter, ſicut eburneus dens eſt in gingiva. Unde pulchrè D. Auguſt. eoſdem dicit, *eſſe tantùm dealbatos Chriſtiano nomine.* Lib. 1. Contra Epiſt. Parmeniani cap. 7.

Ad 2. cum Tannero q. cit. 85. Fidem eſſe quidem per ſe inviſibilem, attamen per ſigna externa fieri viſibilem, ut ſaltem in genere ſciatur, in hoc cœtu hominum eſſe quoſdam verè Fideles, quantumvis in particulari non certò conſtet, an hic vel ille verè credat; illa autem ſcientia generalis ſit certa ex Notis infra tradendis, miraculis, vitæ Sanctitate &c.

Ad 3. diſtinguendo Majorem. Quicunque egrediuntur ex Eccleſia, fuerunt in ea ſaltem corporaliter, & apparentur, Concedo: verè & ſimpliciter Nego. Non quod hæretici nunquam fuerint de Eccleſia, ut volunt Beza & alij Sectarij, ſed quod ab initio quidem rectè crediderint, ſed poſtmodum apoſtatârint, atque ex Eccleſia Chriſti emerſerint hæretici, tanquam vomitus è ſtomacho. Negans autem Joannes Apoſtatas eſſe ex ſuis, de ſolis prædeſtinatis loquitur.

Ad 4. negando Majorem. Nam ſicuti excommunicati, ita iſti retinent jurisdictionem Eccleſiaſticam, quamdiu manent occulti juxta declarationem Concilij Conſtantienſis, ut videre eſt apud Sanchez. Lib. 3. de Matrimonio D. 21. Ad probationem dicimus cum Tanner. n. 59. licet in Naturalibus impoſſibile ſit, ut aliquid ſit caput, & non membrum, tamen in moralibus & metaphoricis id abſurdum non eſſe; quia ſimilitudo capitis non in omnibus partibus procedit, ſed tantùm in præſtantia, & dignitate. Unde & Leo dicitur Caput beſtiarum, etiamſi non dicatur earum membrum.

Ad 5. S. Thomam apertè docere 3. P. q. 8. a. 5. Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ, non Membrum; quippe influxum omnibus membris præſtat, non verò ab ullo more membrorum recipit; imò ſi Chriſtus fuiſſet Membrum, ex mente Bellarmini characterem baptiſmi & externam fidei profeſſionem habuiſſet, quod tamen ipſemet non dicet.

Ad 6. deniq; negando Maj. Nam Judas tempore infidelitatis non fuit in Eccleſia; quando autem Paulus adeo extollit Apoſtolos, ut præcipua Eccleſiæ membra, loquitur ſolùm de ijs, qui conſtanter uſq; ad finem perſeverârunt, id quod non præſtitit Judas, deſerendo Chriſtum, quando in ultima cœna ad illum tradendum diſceſſit nunquam rediturus.

XV. *Doctrina quarta.* Schiſmatici purè accepti ſunt in Eccleſia. Ita Caſtro Lib. 2. de Hæret. punitione c. 24. Dixi purè ſchiſmatici; qui ſcil. præciſè non volunt obedire Romano Pontifici; ſiquidem ipſis non ſufficienter conſtat, hunc vel illum eſſe legitimè electum Papam; quantumvis aliás credant, dari ſummum Pontificatum, ſicuti olim ſæpe fiebat, Electoribus inter ſe diſcrepantibus, & alijs alium Papam eligentibus; ſic tempore Conſilij Conſtantienſis ante annos circiter ducentos tres ſimul fuerunt electi Pontifices: Joann. XXIII. Benedictus XIII. & Gregorius XII. unde magna pertur-

Digitized by Google

perturbatio Eccleſiæ nata eſt, alijs alij adhærentibus. Quapropter Concilium publicæ pacis causâ omnes tres depoſuit, & eorum loco Martinum V. elegit. Quod ſi ſchiſmatici ideo recuſent Romano Pontifici obedire, quod non credant, in Eccleſia dari ſummum Pontificem, tunc ſunt hæretici, & juxta dicta hoc ipſo jam ab Eccleſia excluſi:

XVI. De prioribus igitur ſolùm procedit doctrina noſtra; cujus ratio eſt. Quia ſchiſmatici puri ex communi ſententia hæretici non ſunt. Nam ad hæreſin formalem duo requiruntur. Primum: Ut objectum fide divinâ credibile ſufficienter applicetur, ita ut cognoſcatur obligatio credendi. Alterum, ut poſſit in foro externo probari diſſenſus & ſufficiens applicatio; utrumq; horum apud ſchiſmaticos plerumq; deeſt; quia licet objectum ſit fide divinâ credibile, ſpeculativè loquendo, utpote re ipsâ ſubſtans divinæ revelationi, practicè tamen non eſt cuilibet intellectui proximè credibile. Interim non negaverim, ſchiſmaticos pertinaces de hæreſi ſuſpectos eſſe poſſe. Hinc confirmatur noſtra doctrina. Sicut ſe habet civis inobediens ergà ſuum Magiſtratum, ſic ſe habet fidelis ſchiſmaticus ergaPontificem.Sed civis non ideo amittit jus civitatis. Ergo nec talis ſchiſmaticus amittit jus Eccleſiæ.

XVII. Huic doctrinæ iterum adverſatur Card. Bellarminus Lib.3. cit.c.5. hiſce argumentis.1.Luc. 5. v. 7. *ſcindebatur autem rete.* Ubi per ſciſſionem retis & egreſſionem piſcium ex reti intelliguntur ſchiſmata Eccleſiæ, & egreſſio hæreticorum & ſchiſmaticorum de Eccleſia, ut exponit Auguſt. Tract. 122. in Joann. Præterea S. Scriptura vocat Eccleſiam *unum Ovile* Joan.10. v. 16. *unum corpus*, ad Rom. 12. v. 5. *unam Sponſam, unam Amicam, unam Columbam,* Cant. 6. v. 8. Schiſma autem ſcindit, quod erat unum, in partes. 2. Patres ponunt ſchiſmaticos extra Eccleſiam, ſicuti etiam Catechiſmus Romanus in expoſitione Symboli. 3. Quia omne Membrum Eccleſiæ debet eſſe unitumCapiti. Sed tales ſchiſmatici adhærentes tali falſo Pontifici, ſeu Antipapæ non ſunt uniti capiti. Ergo non ſunt Membra Chriſti.

XVIII. Reſpond. ad 1. S. Scripturam loqui de ſchiſmaticis hæreſi infectis, qui verè factâ ſciſſurâ egreſſi ſunt ex Eccleſia, ſeq; ab ea ſeparârunt, id quod non faciunt Schiſmatici purè obedientiam negantes tali Pontifici, cujus legitimam electionem non ſufficienter cognitam habent, ut ut aliàs in Eccleſia ſumum Pontificem agnoſcant. Ad 2.Patres quoque loqui de ſchiſmaticis jam in hæreſin collapſis,quod ex eo colligitur, dum dicunt, illos eſſe *extra veritatē,* quomodo ab hac aberrant hæretici. Catechiſmi Romani non eſſe authoritatem infallibilem, nec plus illum valere quàm privatam quorundam DD. opinionem; cum non ex Pontificia auctoritate,ſed privata quorundam TT. operâ confectus ſit, ut ait Vaſq. 3.P. Tom. 3. D.198. n. 102. & ſæpius refutatur à TT. Ad 3. tales ſchiſmaticos manere unitos capiti per unitatem fidei, licet non per debitam ſubjectionem; unde abſolutè non ſe ſeparant, ſicut hæretici, ſed ſufficienter ita uniti manent, ut inter Fideles rectè numerentur: nec bene transfugis & ejectis è Republ. ut vult Tanner. n.53. cit. ſed inobedientibus ſolùm & immorigeris civibus comparantur.

XIX. *Doctrina quinta.* Excommunicati Fideles, non obſtante eorum excommunicatione, propter Fidem manent in Eccleſia. Probatur Tum Auctoritate S. Auguſt. L. contra Donatiſtas poſt Collation. c.20. ubi dicit: *neq; enim à populo Dei ſeparamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pænitendo locum redigimus.* Tum quia excommunicatio eſt quædam Medicina Spiritualis, quæ utique non niſi in utilitatem domeſticorum Fidei adhibetur. Quid autem Eccleſiæ cum ijs, qui foris ſunt, ut ab infirmitatibus ſuis ſanentur, 1. ad Corinth.5. v.12. Tum quia eodem argumento, quo ſupra pro doctrina ſecunda, ſic arguimus. Quicunque eſt in tali ſtatu, in quo poteſt per fidem ſuam ſalvari, ille eſt in Eccleſia, extra quam non eſt ſalus. Sed Fidelis excommunicatus eſt in tali ſtatu,in quo poteſt ſalvari, v.g. ſi moritur contritus, & non habet copiam Sacerdotis, qui illum abſolvat ab excommunicatione. Ergo non obſtante excommunicatione manet in Eccleſia.

XX. Rurſus Bellarm. à nobis diſſentit L.3. cit. c. 6. allegans pro ſe Catechiſm. Rom. Thomam Waldenſem. Turrecrematam, & alios. Movetur 1. ex ſcript. Matth. 18. v. 17. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ubi Chriſtus de excommunicatione loquitur juxta communem interpretationem. 2. Auctoritate Patrum. Euſebius L. 5. Hiſtoriæ c. 24. narrans, quemadmodum Victor Papa excommunicaverat omnes Aſianos: *litteras*, inquit, *mittit, quibus omnes ſimul abſq; diſcretione, ab Eccleſiaſtico fœdere ſegregaret.* Et infra: *Irenæus*, ait, *Victorem arguit, quod non rectè fecerit abſcindendo à corporis unitate tot ac tantas Eccleſias Dei.* 3. Ex ratione. Quia membum à cæteris reſectum non eſt amplius membrum corporis. Sed excommunicati ſunt à cæteris membris reſecti. Ergo non ſunt amplius membra Eccleſiæ. Major patet ex Phyſicis membris animalium; & quando adhuc vocantur illorum membra, ampliativè intelligitur, quod eſt, vel fuit &c. Min. conſtat ex effectibus excommunicationis, quâ interdicitur omnis communicatio & conjunctio cum Fidelibus.

XXI. Sed hæc, licet probabilem reddant oppoſitam ſententiam, non tamen evertunt noſtram doctrinam, cui planè favet Concilium Conſtantienſe, quod occultis excommunicatis etiam familiaritatem, & commercium cum alijs Fidelibus ſponte ſe offerentibus indulto permiſit, ut docent Theologi Morales & Canoniſtæ, qui etiam aliquos Caſus excipiunt, ubi licitum ſit excommunicatis ultro ſe ingerere commercio Fidelium, adeoque non penitus interdicta eſt omnibus communicatio cum fidelibus. Unde

XXII. Reſpond. ad 1. Matth. 18. Dominum non velle, ut excommunicatus prorſus ſit ſicuti Ethnicus; alioqui etiam ſalvari extra Eccleſiam non poſſet, ſed ſolùm quoad externam communicationem cum Fidelibus; quod ipſum etiam dicimus ad 2. & 3. probationem ex P. P. & Ratione. Talis igitur adhuc ex communi unitus manet Eccleſiæ Membris per conſenſum fidei, etſi eorum commercio ſit privatus, perinde fere, ut civis incarceratus & aliorum concivium familiaritate privatus nihilominus manet in Civitate, intra quam eſt carcer.

XXIII. *Doctrina ſexta.* In Eccleſia Chriſti tanquam membra hujus ſunt non ſolùm juſti & prædeſtinati, ſed etiam Peccatores & Reprobi Ita ſentiunt omnes Catholici ex Concilio Conſtantienſi. Seſſ.15. c. Firmiter. de ſum. Trinit. & Fide Cath. & Trid. ſeſſ. 6. can. 28. ubi damnantur, *qui dixerint, eum, qui fidem ſine charitate habet: non eſſe*

Digitized by Google

Chriſtianum. Probatur 1. ex ſcript. in qua Eccleſia comparatur Areæ triticum ſimul & paleas continenti Matth. 3. ſagenæ omne genus piſcium congreganti Matth. 13. Convivio Nuptiali, in quo etjam repertus fuit carens veſte nuptiali Matth. 22. Item decem virginibus partim prudentibus, partim fatuis Matth. 25. Magnæ Domui, in qua omnis generis vaſa 2. ad Timoth. 2. Arcæ Nöe, in qua munda pariter & immunda animalia, & extra quam nulli ſalus 1. Petri 3. & apud Auguſt. L. 3. de Baptiſ. c. ult. Probatur 2. Ratione. Tum quia Eccleſia eſt quædam Congregatio viſibilis. Ergo cum prædeſtinatio & interna ſanctitas ſint planè occultæ, non ſoli prædeſtinati & juſti in Eccleſia eſſe, eamquè velut membra conſtituere poſſunt. Tum quia Baptizati Fideles, quantumvis peccatores, hoc ipſo quod fidem contineant, nec à Capite, nec à Corpore Eccleſiæ ſeparati ſunt, ſicuti etiam nonnullæ partes animalis, ut ſanguis cæterique humores ſunt veræ partes corporis humani, etiamſi non vivant, multoque magis oſſa, etiamſi vitâ ſenſitivâ non vivant, ſed ſolùm vegetativâ.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIV. E*rror primus eſt.* Eccleſiam eſſe Congregationem prædeſtinatorum, vel hominum perfectorum: vel eorum, qui nunquam ſunt lapſi circa confeſſionem Fidei. Ita quoad primum Wicleff. & Huſſ. apud Waldenſem Tom. 1. L. 2. c. 8. & 9. quoad alterum Pelagiani apud D. Aug. in hæreſi 88. quoad ultimum Novatiani, ut teſtatur Cyprianus L. 4. Epiſt. 2. & Donatiſtæ apud Auguſt. L. de hæreſibus, c. 69. Fundamentum horum omnium eſt inepta perſuaſio, quaſi fidem veram habeant vel ſoli prædiſtinati, vel ſoli juſti, vel quaſi homo eò juſtitiæ pervenire in hac vita poſſit, ut abſque omni peccato vivat.

XXV. Hunc errorem in Doctrina 6. jam rejectum ſic ulterius refutamus. Eccleſia Militans eſt verè & propriè Chriſti Domini Regnum, ut conſtat ex Actorum 1. v. 3. & alijs locis novi teſtamenti. Atqui Regnum ſæculare habet ſubditos Nobiles, plebeos, Ruſticos, Divites, Pauperes, Bonos, Malos &c. Ergo & in Spirituali Regno Chriſti ſunt ſpiritualiter Nobiles & ignobiles, Divites & pauperes &c. hoc eſt. tam peccatores quàm ſancti &c.

Non obſtat, quod Apoſt. ad Epheſ. 4. v. 16. ſolam Charitatem pro anima hujus corporis aſſignet. Nam vitæ ſpiritualis & ſupernaturalis triplex gradus datur. 1. eſt Charitatis & Gratiæ, quo meliores quique diriguntur. 2. eſt timor gehennæ, quo plures à vitijs avocantur. 3. eſt Fidei & Confidentiæ, quo non pauci in Deum credunt, ac confidunt; nec tamen à vita mala & perverſis moribus abſterrentur, licet iſte quoquè vitæ gradus non niſi à Spiritu S. provenire poſſit, utut infimus ſit. Apoſtolus igitur ad Epheſ. 4. primos ſolùm ſivè qui charitate aguntur, dicit eſſe Corpus. (id eſt Eccleſiam) Chriſti; intellige nobiliſſimam & perfectiſſimam partem per modum finis intentam, ut bene in eum locum Apoſtoli Cornelius à Lapide; ideo quippe vocantur omnes ad Eccleſiam & Fidem, ut in ea ex carnalibus & animalibus ſpirituales evadant.

XXVI. *Error Secundus.* Eccleſia eſt totus Vocatorum cœtus, ſub diverſa tamen conſideratione; nempe Vocationis & externæ ſocietatis, quæ in fidei profeſſione & ſacramentorum uſu conſiſtit: & internæ ſocietatis, quæ in regeneratione & renovatione Spiritûs conſiſtit. Vel ſub reſpectu quoad modum exiſtendi externum: & quoad modum exiſtendi internum. Ita Lutherani apud Gerhardum L. 2. P. 1. à fol. 804. Ubi priorem modum diverſæ conſiderationis affert. Et Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. à fol. 46. ubi poſteriorem conſiderationis reſpectum uſurpat. Utriq; incidunt in errores Wicleffi, Pelagianorum, & Novatianorum recèns rejectos; Lutherani quidem, quia docent, 1. nulla eſſe peccata venialia ex ſua natura, 2. Eccleſiam inviſibilem eſſe Cœtum eorum, qui verè credunt & obediunt Deo, 3. omnia opera horum eſſe mortalia, licet præſente fide pro talibus non imputentur, & ſic omnes ſint juſtiſſimi. Calviniſtæ veró, quia volunt internam Eccleſiam conſtare ſolis prædeſtinatis, & fidem ſemel hàbitam amitti nunquam poſſe. Porro tam hi, quàm illi volunt, in Eccleſia externa exiſtere bonos & malos etiam hæreticos (ſaltem ut partes ſecundùm Gerhardum) in interna ſolos credentes juſtos, & quidem prædeſtinatos ſecundùm Ameſium; Unde Calvinus L. 4. Inſtit. c. 1. §. 3. ait, *veram Eccleſiam à ſolo Deo cognoſci poſſe, ejuſq; fundamentum eſſe divinam electionem.*

XXVII. De hac interna ac inviſibili Eccleſia univerſim Sectarij loqui arbitrantur S. Scripturam, quando Eccleſiam appellat pulchram, ſanctam, immaculatam. Cant. 4. v. 7. *tota pulcha es amica mea, & macula non eſt in te.* ad Epheſ. 5. v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Apoc. 21. v. 2. *vidi Civitatem ſanctam Ieruſalem novam deſcendentem de cœlo.* Iſai. 35. v. 8. *quia ſancta vocabitur, non pertranſibit per eam pollutus.* Quæ encomia planè non conveniunt Eccleſiæ ex malis & bonis permixtæ.

Idem conantur per conſequentias ex alijs Sac. Scripturæ locis deducere Matth. 16. v. 18. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;* unde ſic ratiocinantur. Qui ædificatus eſt ſuper arenam, non eſt in Eccleſia. Sed impij ſuper arenam ædificati ſunt, Ergo non ſunt in Eccleſia. Mai. conſtat ex cit. verbis Chriſti aſſerentis, ſe totam Eccleſiam ædificaturum ſuper petram. Min. probatur ex Matth. 7 v. 26. *qui audit verba hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam,* Ad Hebr. 3. v. 6. ait Apoſtolus: *Chriſtus verò tanquam Filius in domo ſuâ: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſq; ad finem firmam retineamus;* unde ſic diſcurrunt. Qui non perſeverant uſq; ad finem, non ſunt partes domûs, quæ eſt Eccleſia, ſed qui non ſunt prædeſtinati uſq; ad finem, non perſeverant. Ergo non ſunt partes Eccleſiæ. Mai. patet ex cit. Apoſtoli verbis, ubi neminem admittit in domum Dei, niſi ſub conditione finalis perſeverantiæ, Min. probatur ex Matth. 24. v. 13. *qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.* Sed nemo ſalvus erit, niſi prædeſtinatus. Ergo nemo perſeverat uſquè in finem, niſi prædeſtinatus.

Idem

Idem Apoſt. ad Rom. 8. v. 30. *quos vocavit, hos & juſtificavit, quos verò juſtificavit, illos & glorificavit.* Unde ſic inferunt. Quicunq; ſunt in Eccleſia, ſunt à Deo vocati, ſed nullus reprobus aut impius eſt à Deo vocatus. Ergo nullus talis eſt in Eccleſia. Maj. patet ex ipſo nomine Eccleſiæ, quæ ſignificat vocatos à Deo. Min. liquet ex cit. verbis Apoſt. cùm ait, omnes vocatos à Deo juſtificari, & glorificari, quod ſolis prædeſtinatis convenit. Joan. 8. v. 24. *vos ex patre Diabolo eſtis*, & Joan. 3. v. 8. *qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.* Ibidem v. 9. & 10. *omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, & non poteſt peccare. In hoc manifeſti ſunt Filij Dei, & filij Diaboli, omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo.* Unde ſic concludunt. Membra Diaboli non ſunt membra Chriſti. Sed omnes peccatores ſunt membra Diaboli. Ergo nulli peccatores ſunt membra Chriſti, & conſequenter nec Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti. Min. conſtat ex locis cit. Apoſtoli. Major conſtat ex illo Pauli, 2. ad Corinth. 6. v. 15. *quæ conventio Chriſti ad Belial?*

XXVIII. Confirmant 1. ex ipſo nomine Militantis Eccleſiæ. Qui non pugnant contra hoſtes Dei, non ſunt in Eccleſia Militante. Sed peccatores non pugnant contra hoſtes Dei, ſed potiùs contra ipſum Deum. Ergo non ſunt in Eccleſia Militante. Confirmant 2. ex quibuſdam dictis Patrum, qui omnes peccatores ab Eccleſia excludere videntur. Ex quibus Hierony. in Comment. ad Epheſ. 5. in illud v. 24. Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto: *Eccleſia,* inquit *Chriſti glorioſa eſt, non habet maculam, neq; rugam, neq; aliud hujuſmodi.* Qui ergo peccator eſt, aut aliquâ ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici. Confirmant. 3. Ex ratione. Id quod Eccleſiæ membris intrinſecè largitur vitam ſpiritualem, quâ in Chriſto vivunt, & Chriſtus in ipſis, per illud etiam formaliter ea membra conſtituuntur in eſſe membrorum. Atqui fides illa ſpecialis, quâ Chriſti meritum apprehenditur (quamq; individuo nexu comitatur ſanctitas interna) largitur Eccleſiæ membris intrinſecè vitam ſpiritualem, quâ in Chriſto vivunt, & Chriſtus in ipſis. Ergo per eandem Eccleſiæ membra conſtituuntur formaliter in eſſe membrorum. Confirmant 4. ex ipſis Pontificijs, quos, inquit Muſæus th. 25. ut hic noſtræ ſententiæ calculum adijcerent ſuum, veritatis vis coegit. Confirmant denique 5. ex rejectione ſimilitudinum pro aſſertione noſtra ſupra allatarum, quas pleraſque ferè explicandas ajunt de toto mundo: illam verò de convivio nuptiali apud Matth. de Eccleſia Triumphante.

XXIX. Hunc errorem à Wicleffo, ut jam dixi, olim ſparſum, & à Concilio Conſtantienſi damnatum copiosè Card. Bellarm. Lib. 3. cap. 7. 8. & 9. refutat. Nos præter allata doctrinâ 6. eundem reijcimus etiam ex Paulo 1. Corinth. 5. ubi Apoſt. v. 1. ait. *omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat &c.* & tamen ille erat adhuc in Eccleſia; cum v. 2. Apoſtolus addat: *ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit.* Nobile etiam teſtimoniũ contra iſtum errorem affert D. Cypria. Epiſt. 3. ad Maximum, ubi ſcribit: *Impediri non debet aut fides aut charitas veſtra, ut quoniam zizaniũ in Eccleſia eſſe cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus*; ubi apertè loquitur de non-prædeſtinatis (quibus tanquam Zizanijs electi tanquam triticũ opponuntur) hoc eſt, de imperfectis & peccatoribus. Accedit, quod Lutherani & Calviniſtæ (univerſim, non particulatim loquendo) vi doctrinæ ac fidei ſuæ excuſſo omni Eccleſiæ Catholicæ vinculo ac fræno carni & ſangui vehementer ſint immerſi, terrena ſapiant, & in omni vitæ licentia vivant. Quis ergo ſapiens ſibi perſuadeat, illorum cœtum ſeu Eccleſiam conſtare ſolis Sanctis aut Electis, qui charitate & Spiritu DEI agantur? Certè nihil penitus apud illos apparet, ex quo aliquis talem Sanctitatis & electionis Eccleſiam poſſit prudenter conijcere, atque adeo velit illam audire, ab illa doceri, illi obedire &c.

XXX. Ex prædicto errore rectè advertunt Bellarm. loc. cit. cap. 2. & alij inferri, duas eſſe Eccleſias; unam veram, quæ eſt Sanctorum Fidelium congregatio: alteram externam, quæ nomine tantùm eſt Eccleſia, & in qua mali ac boni reperiuntur; unde ajunt Novatores, *malos eſſe in Eccleſia: non de Eccleſia.* Ameſius fol. 46. ægerrimè hoc ferens exclamat: calumnia eſt manifeſta, quod impingatur Lutheranis & Calviniſtis duarum Eccleſiarum militantium fictio. Verùm rem ita ſe habere, manifeſtè oſtenditur. Nam Eccleſia propriè dicta: & Eccleſia (ut Adverſarij loquuntur) Synecdochicè dicta vel conſtituunt unam Eccleſiam propriè dictam; & hæc eſt mens Catholicorum admittentium unam Eccleſiam propriè dictam conſtantem juſtis & peccatoribus: vel conſtituunt unam Eccleſiam impropriè dictam, & hoc dici non poteſt; quia ſic non daretur Una Sancta Catholica propriè dicta Eccleſia in Sacra Scriptura & Symbolo expreſſa. Si ergo duas Eccleſias conſtituant. Inſto. Aut conſtituunt duas, quorum utraque ſit propriè dicta: vel una propriè, altera impropriè ſit dicta? quid quid ex his admittitur, duæ admittuntur Eccleſiæ; ſiquidem nullam formam aut quaſi formam, quæ Eccleſiam conſtituat, aſſignare poſſunt ſingulis membris comunem, uti nos Catholici facimus. Et ubi calumnia contra Lutheranos & Calviniſtas? Profectò omnibus retro annis iſte fuit communis omnium ſenſus, eos omnes, qui veram fidem in Chriſtum habent, vera eſſe membra Eccleſiæ Chriſtianæ, ac Fideles haberi. Aut producant Sectarij vel unicum, qui ab annis 1500. cum ipſis ſenſerit, & Eccleſiam ſub tali conſideratione & reſpectu diviſerit.

XXXI. Similiter Joannes Muſæus in tract. de Eccleſ. th. 14. calumniæ poſtulat P. Franc. Suarezium, quod Scripſerit, Lutheranos idem ferè ſentire, quod Cathari, Pelagiani, & Donatiſtæ, qui juxta D. Auguſtinum docuerunt, ſolos juſtos eſſe de Eccleſia. Nam, inquit Jenenſis Prædicans, *In membris Eccleſiam conſtituentibus non exigimus immunitatem ab omnibus motibus concupiſcentiæ indeliberatis, ſed tantùm ne peccatis contra conſcientiam patratis ſint contaminati.* Verùm etiam Cathari, Pelagiani, & Donatiſtæ non cenſuerunt peccata eſſe illos indeliberatos concupiſcentiæ motus, ſed ſolùm eà, quæ advertenter & liberè contra legem DEI æternam admittuntur. Ergo quoad rem ipſam & articulum de membris Eccleſiæ prorſus idem ſentiunt hodie Lutherani, quod olim Cathari, Pelagiani, & Donatiſtæ; ſiquidem non minùs illi, quàm iſti è numero membrorum Eccleſiæ arcent non-Sanctos; quantumvis in cæteris diverſimodè errent. Ubi ergo calumnia, cujus à Muſæo aliiſque Sectariis jure poſtulatur Suarezius? Si

etiam Lutherani adeo longè abſint à Catharis & Pelagianis, cur Muſæus non ſaltem umbram diſparitatis oſtendit? ſcilicet non eſt aliud diſcrimen, niſi quod Cathari in ſua Sanctorum Eccleſia non toleraſſent exculatum Monialis ſtupratorem, qualem tamen illi in pretio habent, ac venerantur.

XXXII. Reſpondetur nunc ad Argumenta Adverſariorum, quæ ſupra §. XXVI. & ſeqq. doctrinæ noſtræ oppoſuerunt. Ad 1. ex quibuſdam Sac. Scripturæ locis depromptum, quibus pulchritudo Eccleſiæ, id eſt, Sponſæ prædicatur. Duos primos locos, id eſt, Canticorum, & Epiſt. ad Epheſ. abſolutè de Eccleſia Triumphante intelligit D. Auguſt. Lib. 2. Retractat. cap. 18. De Militante etiam verum eſt, ſi Doctrinam, Leges, & Sacramenta, item nobiliora ejus membra Spectemus; ſic Pariſios, Venetias, Antuerpiam, Hiſpalim, Londinum, Amſterlodamum divites urbes vocamus, non quod omnes, ſed quod plurimi in eis divites ſint. In eundem modum Eccleſia Apocal. 21. vocatur *Sancta*. à quibuſdam Sanctis ſemper in ea degentibus: dicitur ibidem Eccleſia Militans *de Cœlo deſcendere*, quia cœleſti gratiâ convocante exorta eſt. Iſaias loquitur de ſemita fidei, pænitentiæ, charitatis, & univerſim mandatorum Dei. quæ arcta quidem eſt, & carni moleſta, ſed recta, & Spiritui jucunda; Sancta autem dicitur, quia ducit ad veram Sanctitatem, ad Sanctum Sanctorum, ad Cœlum, ad Deum. Videatur Tirinus in cit. Sac. Script. locos.

XXXIII. Ad 2. ex Fundamento Eccleſiæ deſumptum. Diſtinguitur Major: qui ædificatus eſt ſuper arenam ratione fidei non habendo ſolidum hujus fundamentum, non eſt membrum Eccleſiæ ſuper petram extructæ, conceditur Major: ratione morum, negatur Major. Atqui peccatores Fideles ratione fidei non ſunt ædificati ſuper arenam, ſed ſuper petram, ac proinde vera ſunt membra Eccleſiæ, quantumvis non Sancta & charitate prædita.

XXXIV. Ad 3. ex finali perſeverantia acceptum. Negando Mai. quia juxta communem interpretationem hujus loci perſeverantia in bono non exigitur ad ingreſſum & commorationem in domo Eccleſiæ; ſed ad gloriationem Cœleſtis Beatitudinis ex ea obtinendam. Cæterùm dum D. Paulus finalem perſeverantiam requirere videtur ad Domum Dei, non loquitur de Domo univerſalis, ſed particularis Eccleſiæ ex Judæis collectæ, quæ planè everſa eſt, & Dei domus eſſe deſijt; univerſalis autem Eccleſia everti non poteſt. Itaque Apoſtolus more ſuo aliquid ſubticuit volens dicere: Nos Judæi ad fidem Chriſti converſi jam ſumus domus Dei, deinceps manebimus, ſi in fide Chriſti, quam amplexi ſumus, perſeveremus. Requirit ergo S. Paulus perſeverantiam non ad primam conſtructionem, ſed ad ſtabilitatem Eccleſiæ, quæ nullis ventis tentationum nec perſecutionum procellis deijciatur, ut exponit Chriſtus Matth. 7. Videri poteſt Tirinus, ubi breviter & bene hunc locum Apoſtoli explanat, & nomine Domûs ſeu Eccleſiæ nos Chriſtianos intelligi affirmat.

XXXV. Ad 4. ex vocatione divina petitum. Diſtinguitur Maj. vocatione efficaci vel inefficaci conceditur: efficaci tantùm, negatur. D. Paulus, dum ait, vocatos juſtificari, & glorificari &c. tantùm locutus fuit de prædeſtinatis, ut patet ex verbis antecedentibus, adeóque de vocatione efficaci ad gloriam.

XXXVI. Ad 5. de membris Diaboli. Diſtinguendo iterum Maj. & concedendo hanc, ſi membra eodem reſpectu ſumantur: negando, ſi diverſo reſpectu accipiantur. Nam idem homo veræ fidei eſt membrum Chriſti: & ratione improbitatis eſt membrum diaboli, quod in moralibus non eſt abſurdum, cum ipſummet peccatum ratione entitatis phyſicæ ſit opus Dei, & ratione malitiæ ſit opus diaboli.

XXXVII. Reſpondetur jam ad 1. Confirmationem, negando Minorem. Nam Fideles improbi ſaltem per fidem pugnant contra diabolum; etſi non in alijs virtutibus; ideoque non immerito Militanti Eccleſiæ inſcribuntur.

XXXVIII. Ad 2. Ex Patribus, qui ſceleratos ab Eccleſia proſcribunt, illos loqui de perfecto modo exiſtendi in Eccleſia per unionem charitatis, quam peccatores non habent; quantumvis imperfecto modo per unionem fidei intus exiſtant. Unde rectè Bellarm. Lib. 3. cap. 9. ad teſtimonium ex D. Hieron. adductum ait, non poſſe malos de ea parte Eccleſiæ appellari, quæ ſolos perfectos continet.

XXXIX. Ad 3. Ex ratione depromptum. Inprimis Majorem veram eſſe ſolùm de vita Spirituali perfecta charitatis ſcilicet & gratiæ; Membriſque Eccleſiæ perfectè vivis; iſta enim præter gratiam & charitatem habent etiam fidem, quâ juxta doctrinam noſtram primam §. 1. propriè conſtituuntur membra Eccleſiæ: falſam autem de Membris gradum vitæ imperfectiorem participantibus. Sicut enim non omnia membra & partes corporis humani pollent omni gradu vitæ, ſed quædam vegetante tantùm, ita & in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, non omnia membra charitate aguntur, ſed aliqua timore gehennæ à vitijs avocantur, aliqua ne ſic quidem à mala vita abſterrentur, quantumvis in vera fide membrum Eccleſiæ conſtituente perſiſtant, ut diximus in fine §. XXV. Deinde Minorem conſtare duplici graviſſimo errore, patebit in Controv. de Juſtificatione, ubi fusè & ſolidè oſtendemus, authoritati & rationi apertè repugnare, fidem eſſe fiduciam quandam: & hâc apprehendi juſtitiam Chriſti, quâ juſtificemur; quo vaniſſimo figmento tum alij Sectarij, tum nominatim Muſæus in ſuis diſcurſibus unicè utitur, atque illud identidem ineptè obtrudit.

XL. Demum ex toto hoc diſcurſu ſequitur planè, Eccleſiam Sectariorum eſſe meriſſimam Chymeram. Nam ſi membra veræ Eccleſiæ ſolùm ſint homines Sancti; cum Sanctum eſſe nihil ſit aliud, quàm Spiritum Chriſti habere, & hoc, Deum ex toto corde diligere, ejuſque legem implere: iſtud autem juxta doctrinam Lutheranorum & Calviniſtarum impoſſibile ſit, Eccleſiam quoque talibus membris conſtantem impoſſibilem, adeóque chymeram eſſe oportet.

XLI. Ad 4. Oſtendant Novatores vel unicum ex omnibus Catholicis, qui neget, in Eccleſia vera & propriè dicta eſſe peccatores & reprobos. Equidem novi, Gerhardum Lib. 2. Part. 1. à fol. 808. aliquos Scholaſticos, imò & Cathechiſmum Romanum adducere; ſed inſcitè aut calumnioſè. Nam omnes, qui peccatores ab Eccleſia arcent, vel volunt ſolùm, peccatores non eſſe membra viva: Vel ſubinde id, quod parti convenit, attri-

Digitized by Google

attribuunt tóti perSynedochen: vel vocant Eccleſiam Sanctam ob ejus leges, Sacramenta &c: vel loquuntur nonnunquam de particulari aliqua anima in charitate perfecta: vel denique ea, quæ dicunt, referunt ad Eccleſiam Chriſti ſecundùm ſtatum alterius vitæ, ut notat D. Auguſtinus lib. cont. Donatiſt. poſt Collat. c.7. qui cùm interdum ſolis Sanctis nomen veræEccleſiæ tribuere videtur in libris de Baptiſmo, nihil tamen aliud vult; quàm gratias Eccleſiæ conceſſas tantùm in utilitatem Sanctorum prædeſtinatorum finaliter cedere, quod eſt veriſſimum; alibi verò communem doctrinam Catholicorum de bonis & malis in Eccleſia Chriſti exiſtentibus ſæpe ſæpius inculcat præcipuè contra Donatiſtas. Cæterùm quod inter Pontificios diſceptetur, an hæretici, Schiſmatici, Catechumeni, Excommunicati &c. ſint membra veræEccleſiæ, id ſalvâ ſit charitate, cum omnes aliquatenus ad Eccleſiam ſpectent, ut ex ijs, quæ ſupra diximus, conſtat, ubi etiam mentem noſtram expoſuimus.

XLII. Ad 5. Confirmationem ex dilutione ſimilitudinum ſumptam. Reſpond. Prædictas ſimilitudines malè in alium ſenſum ab hæreticis detorqueri. Contra primam de area afferunt D. Auguſt. qui Epiſtolâ 48. eam explicans *pro toto mundo* ait, *Eccleſiam in frumentis dominicis conſervatam eſſe.* Verùm S. Pater loquitur ibi non de quovis tempore Eccleſiæ, ſed ſolùm perſecutionis Arianæ, quo tempore paleis, hoc eſt, infirmioribus Chriſtianis hæreſeos vento abreptis ſolum frumentum, hoc eſt, ſolidi Chriſtiani in fide perſtiterunt, & in Eccleſia reſervati fuerunt. Interim non negat, prius fuiſſe, aut poſtea futuras in Eccleſia paleas.

XLIII. Contra ſecundam de Sagena iterum afferunt S. Auguſtinum ibidem pro toto mundo eam explicantem his verbis: *Eccleſia intra ſagenam dominicam cum aliis piſcibus nata*; ubi diſtinguit Eccleſiam à malis piſcibus, eámque tantùm ex bonis piſcibus conſtituit. Verùm, ut notat Maldonatus in hunc locum Matthæi. S.Pater non alio frequentius, nec alio fortius argumento refellit Donatiſtas, ſolùm Bonos in Eccleſia ponentes, quàm quod Eccleſia ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti comparetur. Quapropter in verbis allatis S. Auguſtinus non diſtinguit Eccleſiam ut totum à toto, ſed ut partem à parte, quas ambas Eccleſia intra ſe continet; qui enim diceret: iſte homo habet brachium longius, non negaret, iſtud licet brevius brachium nihilominus eſſe partem illius hominis. Cæterùm S. Doctor ſuam mentem clariſſimè prodit Lib. Quæſt. Evangel. ſupra Matth. q. 11. ubi hæc habet: *in illâ planè ſagena, quâ concluduntur & mali & boni piſces, non abſurdè mali Catholici intelliguntur; aliud enim eſt mare, quod magis iſtum mundum ſignificat: aliud ſagena, quæ unius fidei vel unius Eccleſiæ homines oſtendere videtur.*

XLIV. Contra tertiam de regali Epulo afferunt D. Hilarium de Eccleſia triumphante id interpretantem in cit. cap. Matth. Verùm *in regnum Cælorum nihil introibit coinquinatum* Apoc. 21. v.27. Sicut tamen in hoc epulo accubuit homo ſordidè veſtitus. Ut igitur ſimilitudo ſit appoſita, Tirinus diſtinguit illam in duas partes; prima continet apparatum & accubitum ad menſam, quæ ſpectat ad Eccleſiam Militantem, ex qua nos argumentati ſumus; altera, quæ ciborum appoſitionem & fruitionem continet, ad Eccleſiam triumphantem pertinet, de qua locutus eſt Hilarius.

XLV. Contra quartam de decem Virginibus afferunt etiam D. Hilarium eam pro toto mundo explicantem. Verùm multò probabilior eſt aliorum Patrum ſententia, qui tum hanc ſimilitudinem, tum alias: de dómo, in qua ſunt omnis generis vaſa. 2. ad Timoth. 2: de arca Noë 1. Petri, 3: de grege non ſolùm oves ſed etiam hœdos complectionem Matth.25: de Regno ſubditos nobiles, & ignobiles habente &c. interpretantur de Eccleſia & Fidelibus ſolùm; Nam omnes virgines accenſis lampadibus, id eſt, fide fuerunt inſtructæ: in arca omnes fidem habuerunt, in gregis ſeparatione & hædorum abjectione nulla fit mentio fidei, ſed ſolus bonorum operum neglectus objicitur. Per domum, in qua ſunt vaſa aurea & argentea, Sanct. Aug. Lib. 4. de Baptiſmo c.12. expreſsè intelligit Eccleſiam, in qua illuſtres & conſtantes in fide vocantur vaſa aurea: fragiles verò & infirmi vaſa fictilia. Videri poteſt Tirinus.

XLVI. Sed cur Deus voluit Eccleſiam ſuam commiſceri ex bonis & malis; ſi enim ſolos ſanctos & prædeſtinatos vocaſſet, utique Eccleſia fuiſſet multò pulchrior, & ejusNomine dignior? Reſp. Divinam Sapientiam hujus diſpoſitionis multas cauſas habuiſſe ad ejus gloriam & honorem pertinentes; etenim hæc mixtura bonorum & malorum utrisq; prodeſt. Cauſas illas conantur ex S. Scriptura eruere, Patres & Concionatores, Cur autem Deus hos voluerit bonos: illos fieri malos permiſerit ac toleraverit, nihil aliud occurrit dicere, quàm illud Pauli ad Rom.11. v.33. *O altitudo Sapientiæ & Scientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

CONTROVERSIA XVI.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Vidimus, quid Eccleſia denotet, & quæ comprehendat Membra. Porro videndum, qualis ſit, & quibus dotibus prædita. Nam cum plures ſint Eccleſiæ: in ſola autem vera ſalvari homines poſſint, iſta certas habere debet qualitates, quibus ab alijs falſis Sectis differat, & ex ijs dignoſcatur. Tales autem dotes peculiares & præſtantiora epitheta quatuor tribuuntur Eccleſiæ Veræ à Concilio Nicæno in Symbolo: *Credo Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* Hiſce aliunde ex S. Scriptura & Patribus quinque alia Elogia accedunt; nimirum quod vera Eccleſia ſit *Viſibilis, Infallibilis, Perpetua, Miraculis, & Martyrum conſtantiâ Clara.* Unde conficiuntur novem Qualitates ſequentibus Controverſijs explicandæ, & defendendæ, è quibus Primæ Titulum jam poſſuimus, *Unitatis* ſcilicet, de qua unitate & Schiſmate fuſiſſimè DD. de Walenburg Tom. 1. à fol. 1038. per 7. libros. Nos juxta propoſitum noſtrum omnia intra gratæ brevitatis limites complectemur.

Digitized by Google

PARS PRIOR

DOCTRINA CATHOLICORUM.

I. Aliud eſt, Eccleſiam eſſe Unicam, aliud eſſe Unam; cum hæc prædicata diverſas habeant Significationes; etenim quilibet homo eſt unus, non tamen unicus, cum præter ipſum etiam alij dentur. Erit ergo Eccleſia unica, ſi præter illam nulla ſit vera ſalvifica Eccleſia: una autem erit, ſi per conſenſum fidei non ſit ſciſſa in plures ſectas diverſa credentes.

II. *Doctrina Prima.* Vera Chriſti Eccleſia eſt Unica. Ita omnes Catholici, & habetur in profeſſione Fidei, quam omnes juxta Concil. Trid. emittere debent, qui convertuntur ad fidem, vel ad certa Eccleſiæ officia aſſumuntur: *Hanc veram Catholicam fidem &c. extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, &c. profiteor.* item in Symbolo D. Athanaſij: *quicunq; vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem &c.* Probatur auctoritate. S. Scriptura comparationem facit cum Arca Noë, præſertim 1. Petri 3. v. 20. ubi dicitur de Arca Noë, *quod pauci*, id eſt, *octo animæ ſalvæ factæ fuerint*, omnibus extra arcam pereuntibus, ſic etiam, qui extra Eccleſiam Chriſti ſunt. Unde pulchrè D. Cyprian. Lib. de unitate Eccleſiæ ait: *quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ conjungitur, à promiſſis Chriſti ſeparatur, nec perveniet ad præmia: qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt; habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem: ſi potuit evadere quiſpiam, qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Eccleſiam fuerit, evadet. Monet Dominus & dicit, qui non eſt mecum, adverſus me eſt, & qui non mecum colligit, ſpargit, qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſum Chriſtum facit.*

Eadem Scriptura paſſim Eccleſiam Chriſti vocat *unam Sponſam, unam Matrem, unam Domum, unum Corpus*, cujus Caput eſt Chriſtus, & omnis Eccleſia ipſius membra. Quod confirmans D. Auguſt. Lib. 1. cap. 1. de unitate Eccleſiæ ſic ſcribit: *Eccleſia Chriſti Corpus eſt; ſicut Apoſtolus dicit, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia; unde utique manifeſtum eſt, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe.* Ibidem cap. 19. *ad ipſam*, inquit, *ſalutem & vitam æternam non pervenit, niſi qui habet Caput Chriſtum, habere autem Caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Conſonat Chryſoſt. Hom. 11. in Epiſt. ad Epheſ. dicens, *nihil Deum æquè irritat, atque diviſam eſſe Eccleſiam; etiamſi bona fecerimus innumerabilia; non minores, quàm qui ejus corpus diſcindunt, pœnas dabimus &c.* Et Joan. 15. v. 6. dicit Chriſtus: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent &c.* Quid eſt foris, niſi extra Eccleſiam? unde Apoc. 22. v. 15. dicitur: *Canes foris &c.* Sic etiam Apoſtolus ad Philippenſ. 3. v. 2. Judaizantes vocat canes, ajens, *videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* Quia lacerant corpus Eccleſiæ, nec poſſunt ulli in Chriſto manere, qui non manent in ipſius Corpore, quod eſt Eccleſia.

III. Confirmatur Exemplo Centurionis, qui, ut habetur Actor. 10. multa bona agebat, ut ibidem dicitur, & tamen mittebatur ab Angelo ad Petrum, ut ex hoc intelligeret, quid ipſum facere oporteret. Et c. 11. v. 13. refert Petrus, quod Angelus monuerit ſic dicens: *narravit autem nobis, quod Angelum vidiſſet dicentem ſibi, mitte in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu & univerſa Domus tua.* Super quæ verba D. Auguſt. L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 6. ſic ſcribit: *quidquid boni habebat Cornelius Actor. 10. prodeſſe ipſi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis incorporaretur Eccleſiæ.* Præclarè in hanc rem D. Fulgentius L. ad Petrum Diaconum de Fide ante annos 1100. ſic ſcripſit. *firmiſſimè tene, ac nullatenus dubites, quemlibet hæreticum aut ſchiſmaticum in Nomine Patris & Filij & Spiritûs S. Baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunq; eleëmoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari.* Quæ verba notatu digniſſima jam ſupra ad initium hujus operis attulimus. Et alia plura in eundem ſenſum habentur apud D. D. à Walenburch. de Unit. Eccl. lib. 1.

Iuxta has & plures alias tam egregias S. Scripturæ Auctoritates, & S. S. Patrum teſtimonia meritò in Concilio Lateranenſi, ut habetur Cap. firmiter, de Sanct. Trinit. & fide Cathol. definitum eſt, *quod una ſit univerſalis Eccleſia extra quam nemo ſalvetur,* Ratio eſſe poteſt, quia ſi plures eſſent veræ Eccleſiæ, tunc etiam plures eſſe deberent veræ Fides; ſed non dantur plures Fides. Ergo non dantur plures Eccleſiæ veræ Maj. probatur; quia eſſentialis ratio Eccleſiæ conſiſtit in Fide. Ergo non poſſunt plures dari Eccleſiæ, niſi plures dentur Fides. Min. conſtat ex Apoſt. ad Eph. 4. v. 5. *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.*

IV. *Doctrina Secunda.* Eccleſia Catholica eſt una & concors in Fide. Ita omnes Catholici. Poteſt autem hæc Unitas tripliciter conſiderari. 1. prout inter Modernam & Veterem doctrinam invenitur. 2. ut inter Membra eorumq; Caput. 3. ut ſingulorum Membrorum inter ſe. Primam Unitatem & conſenſum doctrinæ modernæ cum veteri primitiva reperiri in Eccleſia Romana, conſtat ex univerſis noſtris Controverſijs, in quibus oſtendimus, ſingula Romanæ Eccleſiæ dogmata penitus convenire cum dogmatibus Patrum ac Fidelium. Nec ullus unquam, quantumvis tumidus Prædicans, in minimo contrarium docere potuit. Interim minimè negandum, aliqua olim dogmata explicitè ſaltem non fuiſſe credita, quæ hodie ſic creduntur: Item aliqua extitiſſe inter Patres dubia, quæ hodie indubitata habentur; quia ſcil. multa ſucceſſu temporis ab Eccleſia per aſſiſtentiam Spiritûs S. primùm ex S. Script. fuerunt eruta, declarata, definita, ac determinata; imò nonnulla per eandem Spiritûs S. Aſſiſtentiam de novo revelata juxta alibi dicta. Ideo quippe Chriſtus dedit Spiritum Sanctum Joannis 13. v. 16. Ut doceret omnem veritatem, prout quovis tempore fuerit neceſſarium.

V. Secundam & Tertiam Unitatem, quæ in conſenſu Membrorum inter ſe: & cum Capite conſiſtit, in eadem Romana Eccleſia & nunc vigere, & ſemper viguiſſe, non minùs liquet. Nam temporibus primævis, & modernis neque ulla Eccleſia particularis pro verè orthodoxa fuit habita, niſi quæ cum Romana Eccleſia communicaret: neque ullus unquam homo privatus fuit habitus Catholicus, niſi qui in doctrina cum Romano-Catholica Eccleſia conſentiret, ut exemplis innume-

innumeris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ac Patrum teſtimonijs eſt manifeſtum; ac proinde non potuit non eſſe in Eccleſia Romana perpetua doctrinæ conſenſio tam Membrorum inter ſe, quàm horum cum Capite; Etenim quæ ſunt eadem uni tertio, inter ſe quoque eadem ſunt cenſenda. Qua de re pulcherrimè Irenæus adversùs hæreſes L. 1. c. 3. *hanc fidem,* inquit, *Eccleſia & quidem in univerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit ijs, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter hac prædicat, hac docet, & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen Virtus Traditionis una & eadem eſt. Et neq; hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neq; hæ, quæ in Hiberis ſunt: neque hæ, quæ in Celtis ſunt: neque hæ, quæ in Oriente: neq; hæ, quæ in Ægypto: neq; hæ, quæ in Lybia: neq; hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem veritatis pervenire.* In quibus verbis S. Pater cauſam hujus conſenſionis inter Nos Orthodoxos inſinuat, nempe quod ſequamur eandem regulam credendi, traditionem & definitionem Eccleſiæ, quod eſt fundamentum concordiæ, juxta D. Paulum ad Philip. 3. v. 16. *idem ſapiamus & in eadem permaneamus regula.*

VI. Quod ſi in privatis quorundam libris ac Scriptis contraria appareant, illa ſolummodò ſunt Scholaſtica, quæ ſub fidem neceſſariam non cadunt; aut ſi dogmata ſunt fidei, tunc vel ab illis ante legitimam declarationem Eccleſiæ, vel à particularibus tantùm perſonis Scripta ſunt, ſed ab Eccleſia damnata; in quibus ſi pertinaciter perſiſtant, eo ipſo tanquam membra putrida ab Eccleſia reſciſſi ſunt, ideoq; Eccleſiæ conſenſioni nihil derogant.

VII. Ad prædictam autem unitatem fidei in membris inter ſe non eſt opus, ut omnes Fideles explicitè omnia credant, ſed ſufficit, ſi in quibuſdam explicitè conveniant, in reliquis implicitè credendo generatim omnia, quæ docet Eccleſia, licèt in ſpeciè non omnia ſciant; multa quippe myſteria fidei ſunt in Concilijs hinc inde definita, & à Theologis cognita, quæ ſimplices ignorant. Attamen ſingulos Fideles promptos eſſe oportet ad credendum quidvis, quod Eccleſia ſufficienter proponit tanquam verum ac de fide, ita ut contrarium elicere actum minimè audeant; quippe prohibitum eſt judicare, Eccleſiam in rebus fidei errare poſſe, cum illa, teſte Paulo ad Timoth. 3. v. 15. *ſit columna ac firmamentum veritatis.*

VIII. *Doctrina tertia.* Nulla hæreticorum Eccleſia eſt Una. Nam ſectarij alij alia ſibi dogmata cudunt. Stellas Cœli citiùs numeres, quàm eorum in fidei articulis diſcordantes inter ſe ſententias, quibus adeo inter ſe diſſident, ut alter alterum graviter incuſet, & hæreſeos damnet, novamque excitet ſectam. Hinc vix natus eſt Lutheraniſmus, & ex ipſo prodierunt Antinomi, Oſiandriſtæ, Stanckariſtæ, Majoriſtæ, Flacciani Adiaphoriſtæ, Ubiquiſtæ, &c. Calviniſmus inter diſcordias natus, & educatus, & progreſſus eſt, adeo ut nomen quidem Calviniſticum non mutent, ſingulæ tamen ſectæ novum ſibi cognomen acquirant. P. Laurentius Foter in Quæſt. Vexat. P. 2. L. 2. Sect. 3. cap. 8. ex uno Calviniſta Honorio Reggio, ſive Georgio Hornio ducentas & octoginta novas horrendas ſectas & hæreſes extraxit, quæ hoc tempore in Anglia, & Hollandia graſſantur, è quibus aliqui vocantur Presbyterani, Eraſtiani ſivè Independentes: alij Colemanniani ſivè Congregationales, nonnulli Orthodoxi, Pſeudoindependentes ſivè Fanatici. Quidam Anabaptiſtæ Quærentes, & mille alij è ſolius Lutheri & Calvini cœno enati. Mirum autem non eſt, hæreticos in tot ſectas dividi; quippe accidit iſtud; quia ab uno vero Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia Catholica, & à Spiritu S. qui eſt Auctor unitatis, ſe ipſos ſequeſtrando avulſi ſunt. Unde pulchrè D. Auguſt. L. 1. contra Epiſt. Parmen. Donat. cap. 4. ſic ſcribit: *jam multa fruſta de illo fruſto per totam Africam facta ſunt; ſic ſic neceſſe eſt, ut minutatim ſecti conſciſſiq; diſpereant, qui tumorem animoſitatis ſuæ vinculo Catholicæ paci prætulerunt, &c.* Hoc de Hæreticorum ſectis adeo verum eſt, ut ipſe Lutherus volens nolens id fuerit confeſſus in Pſal. 5. ſic ſcribens: *neq; enim ulli unquam hæretici victi ſunt vi aut aſtu, ſed mutuâ diſſenſione: nec aliter cum eis pugnat Chriſtus, quàm mixtò inter eos Spiritû vertiginis & diſſenſionis, ſicut inter Babylonicæ turris operarios, & in novo Teſtamento inter Arianos, Donatiſtas, Pelagianos, &c. ita ut Hilarius S. vir glorietur L. de Trinit. Bellum Hæreticorum eſſe pacem Eccleſiæ, &c.* Hæc Luther; quod revera & in ipſius & Calvini ſequacibus etiamnum hodie impletur. Et licet in varijs conventibus ſectarij tollere has diſcordias laboraverint, fruſtraneo tamen ſemper conatu, quia non habent certam Regulam Fidei, ſed aliter alij interpretantur.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

IX. Error *Primus.* Non opus eſſe, ut vera Eccleſia ſit una. Ita innuit Calvinus in præfatione Inſtit. ubi ſcribit *non eſſe mirum, ſi ex religione ſuâ mox oriantur diviſiones & ſectæ contrariæ, cùm id etiam acciderit Eccleſiæ* Apoſtolorum. Sequuntur Magiſtrum ſuum Calviniſtæ apud Ameſ. à n. 55. Tom. 2. Item Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 1. à fol. 885. ubi fol. 899. expreſsè ait, unitatem Fidei ac doctrinæ in Eccleſia non eſſe in hac vita perfectam, & ſufficere fundamentalem unitatem, quæ in conſenſione articulorum principalium conſiſtit Probant, 1. Eccleſia ſtatim ab initio in multas ſectas fuit diviſa Simonianorum, Ebjonitarum, Cherinthianorum, & alias 2. Non ſolùm hæretici, ſed etiam Fideles Apoſtolis ſe oppoſuerunt quoad obſervantiam Legis Moſaicæ, ut videre eſt Act. 11. v. 2. 3. Ipſi Apoſtoli Petrus, Paulus, Barnabas interdum inter ſe diſcordàrunt ad Gal. 2. v. 11. Actor. 15. v. 39. 4. Id ipſum futurum prædixit Chriſtus Matth. 10. v. 34. *Non veni mittere pacem, ſed gladium.* 5. Unio per ſe conſiderata non eſt Eccleſiæ proprietas, tribuitur enim Antichriſto Apoc. 17. v. 13. *hi ſunt unius ſententiæ, & vires ac auctoritatem ſuam beſtiæ tradent.* 6. Unitas eſt propriè Spiritualis, myſtica, & non ſenſibilis. 7. Unio in verâ fide non eſt notior ipsâ fide.

X. Iſte error non ſolùm Sac. Scripturæ & Patribus adverſatur, ſed etiam Rationi & Experientiæ Ra-

Digitized by Google

tiæ. Rationi quidem; quia perfecta ſunt Opera DEI. Ergo vel maximè Eccleſia, hoc eſt, publica hujus profeſſio intaminata eſt; qualis non eſt, quæcunque vel unicâ hæreſis aut erroris contra fidem labe ſordeſcat. Experientiæ verò; quia videmus omnes illas Eccleſias, quæ à Romano-Catholica ſe diviſerunt, tanquam ramos præciſos continuò aruiſſe juxta illud Oſeæ 10. v. 2. diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Profectò Eccleſiæ Aſiaticæ & Afrianæ, quæ quondam ita floruerunt, ut numeroſiſſima Concilia celebrarent, & ſemper haberent plurimos viros doctrinâ vel Sanctitate, vel utroque Dei munere clariſſimos, ab eo tempore, quo ab Eccleſia Schiſma fecerunt, nulla Concilia celebrârunt, nullos habuerunt homines famâ Sanctitatis aut doctrinæ toti orbi notos, & nunc in ſumma ignoratione verſantur. Unde non malè Lutherus in Libr. de votis monaſticis: *mendacia, inquit, certiùs dignoſcere non potes; niſi quando ſibimetipſis contraria ſunt. A Deo etiam ita ordinatum eſt, ut impij ſemper ſe ipſos confundant, & quoad mendacia non conſonent, ſed ſemper contra ſemetipſos teſtentur.* Similia habet in Comment. ad Gal. c. 5. ubi doctrinam veræ Eccleſiæ comparat puncto mathematico, cui nec addi, nec demi aliquid poteſt. Cæterùm Lutheri contradictiones colligit Cochlæus in Septicipite Luthero, ubi ad finem adjecit 36. varias ſententias ejuſdem de Communione ſub utraque ſpecie. Chriſtus olim Petro Epiſcopo Alexandrino ſciſsâ veſte ſe obtulit videndum, rogatúſque ab Epiſcopo, quis hanc ejus tunicam ita fœdè laceraſſet, reſponſum eſt à Chriſto: *Arius fecit.* in Breviar. Roman. 26. Nov. Si nunc graſſantibus Lutheri & Calvini Sectis Chriſtus iterum, uti poſſet, in ſimili veſtis forma apparere, & rogatus reſpondere dignaretur, quis hanc illi tunicam ita immaniter diſcidiſſent, reſponſum utique audiremus à Chriſto: *Lutherus & Calvinus fecerunt.* Argumenta allata nullius ſunt momenti, ut ex illorum ſolutione apparebit. Itaque

XI. Reſpondetur. Ad 1. Hæreticos non fuiſſe in Eccleſia; quàmprimùm enim Ebrion, Cerinthus, & alij in hæreſin inciderunt, ex Eccleſia excidentes membra hujus eſſe deſierunt; unde illorum diſſidia non turbarunt pacem & unitatem Eccleſiæ. Non obſtat, ante Conſtantini Magni tempora ipſam etiam Eccleſiam in diverſas hæreſes dici diviſam. Nam Eccleſia ſubindè largè, & impropriè accipitur, ſicuti etiam nomen Chriſtianiſmi pro omnibus ijs, qui quoquo modo Chriſtum profitentur; & quia etiam hæretici aliquo modo ad Eccleſiam pertinent, ut ſupra diximus, etiamſi abſolutè & ſimpliciter extra illam exiſtant, idcirco à Gentibus dici ſolet, in Eccleſia, ſeu inter Chriſtianos eſſe ſectas.

XII. Ad 2. Diſſenſionem primorum Fidelium circa obſervationem Legis Moſaciæ non repugnaſſe Fidei; ſiquidem abrogatio legis Moſaciæ nondum erat definita ab Eccleſia; definitioni autem poſtmodum ſubſecutæ omnes Fideles ſuum judicium ſubmiſerunt. Corinthij quoque & Galatæ pernitiosè erraverunt, ſed non pertinaciter, ideoq; habiti ſunt adhuc vera Eccleſiæ membra, licet infirma; quod ſi pervicaciter in errore perſtitiſſent, ſine dubio Apoſtolus eos non inter filios numeraſſet, ſed anathemate illos percuſſiſſet.

XIII. Ad 3. Apoſtolorum diſcrepantiam non fuiſſe de fide, ſed de quibuſdam factis particularibus, ſcilicet utrum Petrus rectè fecerit ſimulando Judaiſmum? & utrum Marcus in ſocium Miſſionis Evangelicæ fuerit aſſumendus. In priori caſu Petrum non peccaſſe, contendit Hieronymus, & poſt hunc Theophylactus ac Cardin. Baronius, quidquid ſecus putent Auguſt. & alij, qui tamen omnes fatentur, peccatum Petri fuiſſe leve ſeu veniale, non erroris in fide, ſed in facto. In poſteriori caſu Deo ſic providente factum id fuiſſe, ait Chryſoſt. ut hâc viâ Barnabas à Paulo divelleretur, atque ita pluribus Evangelium denuntiaretur.

XIV. Ad 4. Chriſtum non prædixiſſe pugnam Fidelium inter ſe aut cum Capite ſuo, ſed Fidelium cum Infidelibus, ut patet ex contextu, & benè explicat Maldonatus in cit. Locum. Ait Gerhardus fol. 901. juxta Bellarm. licere reſiſtere Pontifici invadenti animos, vel Rempublicam perturbanti. Ergo etiam ſeparare ſe ab illo. Negamus conſequentiam. Nam reſiſtentia fit contra privatam perſonam. At pontificia poteſtas, ut ſic, eſt Sacroſancta, ac ſeparere ſe velle ab ea, ut ſic, eſt nefarium.

XV. Ad 5. Unionem qualemcunq; cum capite & membris per ſe ſolitariè ſumptam non eſſe notam infallibilem veræ Eccleſiæ: ſed eandem Unionem in unitate fidei eſſe certiſſimam notam ſaltem negativè, hoc eſt, evidens eſſe, veram Eccleſiam non eſſe, ubi ea Fidei unitas non eſt. Quod additur ex Apoc. 21. nihil prorſus facit contra unitatem noſtram, quæ in Religionis negotio conſiſtit; quia conſenſus illorum Regum cum beſtia, & conjunctio virium cum eadem non magis arguit unitatem in Religione, quàm conſpiratio diverſiſſimorum hodie hæreticorum contra Pontificem Romanum, in quem omnes, veluti vulpes. *Samſonis*, malevolentiæ nexu colligati unanimiter impetum faciunt, quoties poſſunt.

XVI. Ad 6. Diſtinguendo: Unio Eccleſiæ adæquatè ſpectata eſt Spiritualis, myſtica & non ſenſibilis, negatur: inadæquatè & ex parte ſumpta, conceditur. Nam ad propriam Eccleſiæ unionem internam & Spiritualem externa quoque ac ſenſibilis profeſſio ſpectat.

XVII. Ad 7. denique. Tranſeat, cum ex eo nihil inferatur contra nos. Nam ex dictis jam conſtat, nos non aſſerere unionem in hac fide, ſed unitatem in negotio Religionis Fidei (abſtrahendo à veritate) eſſe ſignum veritatis credendæ.

XVIII. *Error Secundus.* Noſtram Eccleſiam Romano-Catholicam non eſſe unanimem in fide Ita Calvinus. Lib. 4. Inſtit. c. 13. §. 14. inde colligens, non eſſe apud nos veram Eccleſiam; quia apud nos, inquit, ſunt tot ſchiſmaticorum conventicula, & diviſiones, quot ſunt Monaſteria, & Scholæ; quorum illa diverſa habent altaria, alia ſcilicet in Eccleſijs parochialibus, alia in proprijs: iſtæ diverſas tenent opiniones. Sacerdotes etiam ſub utraque ſpecie debent communicare, Laici ſub una. Item Sacerdotibus prohibitum eſt Sacramentum Matrimonij, & viciſſim Conjugatis Sacramentum Ordinis. Addit Gerhardus negari non poſſe, inter Aſſeclas Romanæ Eccleſiæ, & inter recentiores Pontificios agitari varias Controverſias de articulis Fidei. Affert in hunc finem Librum Henrici de Haſſia circa Annum 1410. ſcriptum, cui titulus: Contra inſulſas & noxias Monachorum rixas. Adducit alius Novator ex Adamo Tannero in præfatione ad Theol. Scholaſt. hæc ipſius verba: *dici poteſt intra triginta*

hos pro-

Digitized by Google

hos proximos annos quoad ea, quæ ſalvâ fide inter Scholaſticos D. D. diſputari ſolent, magnâ ex parte novam quodammodo Theologiam eſſe prognatam. Plura congerit Crocius apud D. D. à Walenburch Tom. 1. L. 5. de unit Eccleſiæ fol. 104. quibus oſtendere vult, Eccleſiam Papiſticam non eſt illam unam, extra quam pereundum ſit.

XIX. Nos Romano-Catholicos tenere doctrinam Unam, & concordem in Fide, conſtat luculenter. Nam admittimus omnes Libros S. Scripturæ, quos admittit Eccleſia, & quidem in eo ſenſu, quo ipſa admittit. Admittimus omnes Traditiones ſeu Verbum Dei non ſcriptum, quas admittit Eccleſia. Admittimus ſeptem Sacramenta, ſicut admittit Eccleſia. Admittimus omnia Concilia generalia, quæ tanquam legitima admittit & approbat Eccleſia. Admittimus omnes & ſingulos articulos Fidei, quæ admittit Eccleſia: & reprobamus omnia tanquam hæreſes & errores contra fidem, quæ ſic reprobat Eccleſia. Et quidquid jam ſentiamus, atque acerrimè circa res nondum ab Eccleſia definitas diſputemus, ſi tamen aliquam ex illis Eccleſia determinaverit tanquam fide divinâ credendam, paratiſſimi ſumus, ſenſum noſtrum ponere, & illam rem pro articulo Fidei propoſitam humillimè amplecti, tenere, aſſerere, ac tueri. Quomodo ergo non omnes in articulis fidei idem dicimus, vel ſapimus. Quare meritò de nobis ſic ſcripſit Cyprian. Lib. de unitate Eccleſiæ c. 5. in hæc verba: *Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos ſpargit: Unum tamen Lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in omnem terram copiâ ubertatis ſuæ extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit, unum tamen Caput, & Origo una, & una Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica: unam Domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit, &c. Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtea nata ſint, dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis Caput atq; Originem reliquerunt.* Hucusq; Cyprian. quibus ad Unitatem Eccleſiæ Catholicæ in rebus fidei nihil clariùs dici, nihil meliùs addi poteſt. Nunc

XX. Reſpondetur ad argumenta in oppoſitum. Schiſmaticum non fieri ullum propter diverſum Altare materialiter, ſed formaliter; alioquin omnes Parochi forent ſchiſmatici, quia habent diverſa altaria in eadem Diœceſi. Monachos antiquos non habuiſſe proprium altare, ſed accepiſſe Sacramenta in Eccleſijs parochialibus, falſum eſt, ut oſtendit ex Patribus Bellarm. L. 4. de vobis Eccleſiæ cap. 10. §. ad 2. argumentum dico. Scholæ Thomiſtarum & Scotiſtarum, & univerſim Doctores Pontificij non diſſentiunt in ijs rebus, quæ ad Fidem pertinent, ſed in alijs, de quibus Eccleſia nihil adhuc definivit, cujus ſententiæ omnes Catholici ſe ſubijciunt, uti S. Auguſt. dicit de diſſenſionibus Doctorum ſui temporis Lib. 1. Contra Julian. Diſcrepantia communionis apud nos Catholicos non oritur ex diverſitate fidei (quippe credimus omnes tam in una, quàm utraq; ſpecie contineri totum Chriſtum) ſed tantùm ex lege Eccleſiaſtica, quæ ad cavendam effuſionem & irreverentiam Sanguinis Chriſti vetuit plebi calicem porrigi. Similiter Eccleſia Sacerdotibus prohibuit Matrimonium, & Convigatis Ordinem, propter indecentiam, non propter diverſitatem fidei circa eſſentiam Sacramentorum. Adeoq; ſalvâ unitate fidei poteſt eſſe diverſitas in uſu Sacramentorum. Taceo argumentum retorqueri poſſe; quoniam & ipſi hæretici in uſu Sacramentorum diſcrepant, quia abſtemij ſub una ſpecie communicant: alij ſub utraque. Infantibus penitus negatur Euchariſtia. Crocius nihil eorum, quæ contra unitatem Eccleſiæ Catholicæ in fide congerit & obijcit, ſolidè probat, ut ordine oſtendunt D.D. à Walenburch, loc. cit. & ex dictis facillimè reijciuntur.

XXI. Hinc. Clariſſimè apparet. Imagnàm eſſe calumniam Ameſij Tom. 2. fol. 68. libros quoſdam Becani & Bellarmini propter doctrinam de Gratia & Libro Arbit. Pariſijs fuiſſe damnatos, & combuſtos. 2. Inſignem etiam eſſe injuriam Menonis Hanneken in Irenico ſuo fol. 722. Prædeſtinationem Bellarmini & aliorum Ieſuitarum cum doctrina Ianſeniſtarum ab Innocentio X. & Alexandro VII. ſummis Pontificibus fuiſſe damnatam. 3. Craſſam eſſe mendacium Gerhardi loco cit.] Recentiores Pontificios Theologos varias Controverſias inter ſe tractare de articulis Fidei. 4. Libellum Henrici de Haſſia nihil facere ad rem, cum lites illæ inter Monachos minimè res fidei concernant. 5. Novatorem illum ineptè cavillari Tannerum, cum iſte expreſsè addat, ſalvâ fide, quaſi dicat, circa Fidei articulos nihil moveri aut innovari: cætera verò] indies magis declarari, firmari, & mirâ eruditione in Scholis exornari. De Græcis & Schiſmaticis ſupra diximus, quinam ex ijs in Eccleſia ſint, & unitatem cum hac ſervent. Tempore autem ſchiſmatum, & Antipaparum diſſenſione ſufficit, ſi quis ita habeat affectum unionis cum ſede Apoſtolica, ut quando fuerit certus Papa, velit ipſo etiam effectu ſe illi conjungere.

XXII. *Tertius error* eſt, Lutheranam & Calvinicam Eccleſiam conſentire in fide. Ad hoc perſuadendum dicunt cum Gerhardo ſupra adducto, diſcordiam illam inter ſuos non eſſe in fundamentalibus articulis fidei, ſed tantùm in levioribus rebus; ad unitatem autem Eccleſiæ ſufficere unitatem in fundamentis; quod ſi aliqui in fundamentis diffident, ajunt, eos eſſe paratos mutare ſententiam, ſi qui contrarium in ſcripturis oſtenderint. Quemadmodum igitur, inquit Meno Hanneken in ſuo Irenico fol. 723. Romani ſuorum Theologorum diſcordias absq; detrimento unitatis excuſant, ita nos Evangelici aſſerimus, Theologos noſtros non in re ipſa Fidei, ſed in modo ſolùm loquendi ſibi adverſari, veritati S. Scripturæ ſemper conſentire paratos.

XXIII. Error hic manifeſtè oſtendit, Sectarios ſuis novitatibus diffidentes delabi in adiaphoriam, ſeu Indifferendiſmum, quaſi quilibet ſalvari poſſet, ſi modò potiſſimos ſeu fundamentales articulos de Sanctiſſima Trinitate ac Chriſto Domino cæterosq; in Symbolo Apoſtolico teneat, quantumvis alia fidei dogmata ſufficienter propoſita, aut etiam unum ex iſtis non credat, ſed diſcrepet. Contra quam adiaphoriam fusè egimus in præludio, quæ eſt. 1. Controverſia hujus operis. Cæterùm hæretici fruſtra ſuam diſcordiam alieno tegere pallio laborant.

XXIV. Nam *Primò.* Quis neſcit, eos in articulis Fidei præcipuis inter ſe diſſentire; & Lutheranos quidem aliter in Suevia, aliter in Saxonia, aliter in Dania docere: Calviniſtas verò aliter

Digitized by Google

in Germania, aliter in Anglia, aliter in Gallia, &c. ſentire; & tam in horum, quàm illorum Eccleſijs alios ab alijs gravium errorum in fide incuſari, ac velut apertos hæreticos damnari. Unde inter alias cauſas, cur multi Lutheraniſmum & Calviniſmum deſerant, non ultima eſt prædicta diſſenſio, & aſſidua rerum fidei immutatio, ut ſæpe Catholici D. D. demonſtrârunt, ac nominatim Caſpar Ulenbergius in Germanico Libro de gravibus motivis, cur quilibet in Catholica fide perſiſtat.

XXV. *Secundò.* Ipſimet Sectarij neſciunt, quinam in Theologia ſint fundamentales Articuli; atq; in hoc ipſo diſcrepant, quibus apertiſſimè contradicit ipſorum Magiſter Lutherus, qui non diſtinguit inter articulos fundamentales, & alios quoſvis Tom. 5. ſuper 17. cap. Matth. ubi ſic ſcribit: *granum ſinapis eſt rotundæ figuræ, ita eſſe debet Fides noſtra rotunda, id eſt, complectens omnes omninò Articulos; quantumvis aliquis ſit ac videatur modicus; nam qui in uno Articulo non bene credit, ſive, ut ait Jacobus, in uno peccat, peccat contra omnes.* Simile quid habet Tom. 2. Germanico Wittenb. *qui*, inquit, *Deum in uno mendacij arguit, & blaſphemat, totum Deum blaſphemat, & peragit omnes blaſphemias, Deus eſt unicus Deus, qui non patitur ſe dividi, nec in uno laudari, in altero vituperati poteſt.*

XXVI. *Tertiò.* In fundamentalibus etiam diſcrepant Sectarij. An non fundamentales ſunt articuli: quilibet ſalvari poteſt, ſi duodecim Symboli Apoſtolici capita credat, etiamſi cæteris Eccleſiæ dogmatibus fidem neget? Item Humanitas Chriſti eſt ubique, perinde ac Deitas in omni ligno, lapide, gramine &c. imò in fune, quo Judas ſe ſuſpendit. Prius horum negat D. Hülſeman: affirmat D. Calixtus. Poſterius negat Doc. Calixtus: affirmat D. Hilſeman. Uterq; horum eſt Lutheranus, & multas in ſuam quiſque trahit partem. Plures ſimiles diſcrepantias tam Lutheranorum, quàm Calviniſtarum in fundamentalibus Articulis notant Romani Scriptores. Videri etiam poteſt Jodocus Kedd. in Epiſtolâ ad ſtudioſos, & hujus dedicatoria. Et Foreri Indiculus diſſidiorum apud Calviniſtas Parte 2. Vexatæ Quæſt. Lib. 2. Sect. 2. cap. 7. Lubet ſolùm adjungere unicum teſtimonium ex Adverſarijs, ex quo liquidò conſtat, quanta apud Reformatos (quales non minùs Lutherani quàm Calviniſtæ videri volunt) in rebus fidei ſit diſcrepantia & doctrinæ innovatio; eſt illud Tutitij, qui ad Bezam de Theologis reformatis ita ſcribit: *Palantes circum feruntur omni doctrinæ vento agitati, & in altum ſublati modò ad hanc, modò ad illam partem deferuntur. Horum, quæ ſit hodie de Religione ſententia, ſcire fortaſſe poſſis, ſed quæ cras de eadem futura ſit opinio, neq; tu certò affirmare queas. In quo tandem Religionis Capite congruunt Eccleſiæ inter ſe, quæ Romano Pontifici bellum indixerunt? A capite ad calcem ſi percurras omnia, nihil propemodum reperies, ab uno affirmari, quod alter non ſtatim impium eſſe clamitet.* Ita Tutitius infelix ille Quinqueeccleſienſis olim Epiſcopus.

XXVII. *Quartò.* Non eſt par ratio Catholicorum & hæreticorum quoad præparationem animi erga Judicis ſententiam; ſiquidem Catholicorum Iudex nimirum S. Eccleſia ita perſpicuè rem definit, ut nulla reſtet dubitandi cauſa; ſed lis ſtatim deſinat; At verò Scriptura, ad cujus judicium hæretici appellant, eſt obſcura, & variè interpretabilis, ut lis nunquam finiatur, alio aliter interpretante, & circa ſenſum ejus novas Controverſias movente, ut nimis docet experientia, & pulchrè in hanc rem Hieronymus in cap. 16. Ezech. ſic ſcribit: *ſemper errantium fluctuant pedes, nec ſunt ſolida veſtigia quæ contra veritatem ſunt, ſed huc illucq; diſcurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ.* Videantur D. D. à Walenburch Tom. 1. Controverſiarum Fidei ſupra cit. de unitate Eccleſiæ Tr. 9. Lib. 2. cap. 7. Item eodem Tom. Tract. 3. ubi à fol. 491. tam fusè, quàm doctè agunt de Articulis neceſſarijs, fundamentalibus ſeu eſſentialibus eorundemq; oppoſitis erroribus. Et ſimul apertiſſimè oſtendunt, Sectarios de articulis fundamentalibus nihil certi habere, interq; ſe diſſentire. Nobis ea, quæ diximus, ad propoſitum noſtrum abunde ſufficiunt.

CONTROVERSIA XVII.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

SAnctitatis Eccleſiæ veræ Symbolum eſt Coccineus ille funiculus, de quo Joſue. 2. v. 21. & cap. 6. v. 25. Quemadmodum enim per iſtum olim Domus Rahab, tanquam fidelis à Judæis fuit agnita, ita nunc Religio vera per ſanctitatem à Sectis falſis diſcernitur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Sancta. Ita enim vocatur in Symbolo Apoſtolico, & Nicæno, ſumptâ denominatione non à multitudine, ſed à præſtantia Membrorum Eccleſiæ, ſicuti multa vocantur aurea v. g. gladij, calices &c. etiamſi plus alterius metalli, quàm auri contineant. Eſt autem duplex Sanctitas Doctrinæ ſcilicet & Morum. Prior non debet ſolùm negativè docere nihil iniquum, & indecens; ſed etiam poſitivè oſtendere, in quonam ſita ſit vera ſanctitas, & quâ ratione ad ipſam perveniatur, ut, quiſquis hanc doctrinam ſecutus fuerit, certò ſanctus evadat; quod indicatur Deut. 4. v. 6. ubi dicitur: *hæc eſt vera ſapientia, & intellectus coram populis, ut audientes univerſa præcepta hæc dicant: en populus ſapiens & intelligens, Gens magna &c.* Ubi patet, quod præcepta Dei populo ſeu Eccleſiæ ſuæ data ſint talia, ut ſi gentiles illa audiant ex illis cognoſcant, illum populum Dei eſſe. Poſterior eſt, quæ re ipsâ mores informat, ut ſemper aliqui ſaltem verè ſancti & perfecti in Eccleſia reperiantur; qui non ſolùm credant, ſed etiam mores ita componant, ut nihil in eis jure reprehendi poſſit, uti de Parentibus Joannis Baptiſtæ Zacharia, & Eliſabeth ſcribit Luc. cap. 1. v. 6. *Erant ambo juſti ante Deum incedentes in mandatis & juſtificationibus Domini.*

II. Ne igitur illa ſanctitas doctrinæ merè ſit ſpeculativa, ſed etiam practica, accedere debet

iſta

iſta morum ſanctitas in quinq; Capitibus conſiſtens. 1. in abſtinentia à peccatis non ſolùm mortalibus, ſed etiam venialibus ſaltem craſſis & plenè deliberatis. 2. In dominio paſſionum, ut non facilè præveniant rationem, nec voluntati prædominentur. 3. In obſervatione non ſolùm præceptorum, ſed etiam Conſiliorum Chriſti, quæ ſine peccato prætermitti poſſunt. 4. In ornatu omnigenarum virtutum. 5. In multitudine & conſtantia bonorum operum, ſine quibus fidem appellat mortuam S. Jacob cap.2. v.29. hiſce hominem præditum ornamentis appellamus ſanctum, & tales debent eſſe in Eccleſia, quæ ab illis ſancta dicatur.

III. Atque hanc ipſam ſanctitatem Chriſtus propoſuit pro nota veræ fidei tum Matth. 5. v. 16. hiſce verbis exhortans: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*; Ubi voluit Chriſtus, ut bona opera ſuorum fidelium ſint videntibus in ſignum, ut credant, & credendo glorificent Patrem, quod tales ſint in vera Eccleſia, tum Matt. 7. v.15. comparans ſuos fideles *arbori fructiferæ dicendo: attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos*; fructus autem bonos & malos ſpeciatim enumerat Paulus ad Gal. 5. v. 22. & ad Coloſſ. 1. v. 2. Et quoniam Chriſtus per Prophetas intellexit primos novæ fidei ſeminatores, eorum vita maximè obſervanda eſt, quia incredibile eſt, Deum ad reformationem aliorum uti operâ hominum peccatorum, quod nullus prudens Magiſtratus faceret; quippe clamarent, ſubitò homines: *Medice cura te ipſum* Luc. 4. v. 23.

IV. *Doctrina ſecunda.* Eccleſia Romano-Catholica eſt verè Sancta quoad Doctrinam & Mores. Ita omnes Catholici. Ratio prioris partis eſt, quia Eccleſia Catholica non ſolùm nihil impium, aut iniquum docet, ſed omnes ad perfectionem hortatur, ejuſque naturam, & viam oſtendit in Concionibus, Libris, ut conſtat ex ipſis catechiſmis, ubi præcepta & conſilia Dei & omnis generis bona opera proponuntur; unde Pſal. 18. v. 8. de doctrina Eccleſiæ dicitur: *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Secunda pars probatur ex omnibus Faſtis, & Martyrologijs, ipſiſque Calendarijs vulgatis, quibus, quotquot Sancti Chriſtianum nomen profeſſi, ac poſt Chriſtum defuncti habentur inſerti, omnes Catholici fuerunt, utpote magna ex parte Romani ſummique Pontifices, Epiſcopi, Sacerdotes, Eremitæ, Monachi, Moniales, Virgines &c. quibus vel ex ipſo nomine nihil cum Sectariorum fide potuit eſſe commune.

V. Atque tales nominatim ultimis hiſce temporibus fuêre Pius V. Papa, Carolus Borromæus Cardinalis, Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis, Thomas de Villanova Epiſcopus Valentinus, Andreas Corſinus Epiſcopus Feſulanus, Ignatius Lojola Fundator Soc. JESU, Franciſcus Xaverius è Societate Jeſu Indiarum Apoſtolus, Philippus Nereus Auctor Congregationis Oratorij, Petrus Nolaſco Inſtitutor Religionis B. V. de Mercede Redemptionis captivorum. Petrus de Alcantara, Maria Magdalena de Pazzis, & alij plures, qui ſingulari Sanctitate ultimis, ut dixi, hiſce temporibus præluxerunt.

VI. Quod ſi primos Fidei Catholicæ Prædicatores recolamus, reperiemus meros Sanctos v. g. in Noſtra Germania Primi Doctores Fidei Catholicæ fuerunt triginta omnes Sanctiſſimi Viri. I. S. Lucius S. Pauli Apoſtoli Diſcipulus prædicavit Ratisbonæ in Bavaria Anno 61. II. S. Titus ejuſdem Pauli Diſcipulus prædicavit in Dalmatia An. 70. III. S. Marcus ejuſdem Pauli Diſcipulus Pattavij circa idem fere tempus. IV. S. Creſcens ejuſdem Pauli Diſcipulus Moguntiæ An. 90. V. Clemens. S. Petri diſcipulus Metis Anno 94. VI. S. Maternus ejuſdem Petri Diſcipulus Treviris An. 95. cui adſtiterunt. VII. & VIII. SS. Eucherius & Valerius. IX. S. Pantalius Baſileæ An. 248. X. & XI. SS. Quirinus & Maximilianus Viennæ in Auſtria An. 261. XII. S. Narciſſus Auguſtæ An. 307. XIII. S. Gellius Spiræ An. 349. XIV. S. Victor Wormatiæ An. 399. XV. S. Rupertus in Bavaria An. 535. XVI. & XVII. SS. Amandus & Arbogaſtus Argentinæ An. 641. XVIII. & XIX. S. Kilianus & Burghardus Herbypoli Anno 681. XX. S. Wilibrordus in Friſia An. 701. XXI. S. Corbinianus Friſingæ An. 710. XXII. S. Wilibaldus Euſtadij An. 746. XXIII. S. Bonifacius in Turingia eodem Anno. XXIV. S. Hildegrinus Halberſtadij An. 781. XXV. Witchardus Bremæ. An. 792. XXVI. S. Harimarus Paterbornæ. An. 799. XXVII. Ludgerus Monaſterij An. 805. XXVIII. S. Anaſtaſius Hamburgi An. 833. XXIX. S. Maximus Conſtantiæ An. 935. XXX. S. Adelbertus Pragæ Anno 975.

VII. Hos omnes & Singulos (plures per Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, videri poſſunt apud DD. à Wallenburch. Tom. 1. à fol. 746.) fuiſſe Catholicos, nec aliam Fidem docuiſſe, quàm nunc Romano-Catholici docent, apertè habetur. Tum ex eorum vitis & antiquis Hiſtorijs fide digniſſimis; & multi eorum fuerunt Monachi. Tum ex eorum Scriptis fideliter ad nos tranſmiſſis. Tum ex eorum ædificijs adhuc extantibus; ſiquidem aliquot Epiſcopatus fundârunt, multa Monaſteria extruxerunt, & multa templa erexerunt Altaribus & Imaginibus referta, uti & Reliquias Sacras pretiosè ornatas conſervarunt. Quæ cum ab hæreticis alieniſſima ſint, jure meritiſſimo aſſerimus, eoſdem fuiſſe Viros & Sanctos & Catholicos.

VIII. Confirmatur Aſſertio noſtra ex ipſa Adverſariorum Confeſſione, qui vel inviti hoc Eccleſiæ noſtræ teſtimonium ſæpius perhibuerunt. Nam 1. Lutherus in Epiſt. de Anabaptiſt. Tom. 2. Germ. Wittenberg. fol. 230. aſſerit. *Sub Papatu eſſe multos magnóſque Sanctos.* Idem. Commentar. Epiſt. ad Gal. c. 5. ait. *Admiratur mundus Sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernardi, Franciſci & ſimilium; quia audit, eos magnifica in ſpeciem & inſolita quædam opera feciſſe*; certè fuerunt etiam Sancti Hilarius, Cyrillus, Athanaſius, Ambroſius, Auguſtinus & alij; quos tamen conſtat, Miſſam celebraſſe, adeóque Catholicos fuiſſe, uti nec ipſe Luther negaverit. Calvinus Lib. 1. Inſtit. cap. 11. §. 13. fatetur, *Eccleſiam Romano-Catholicam per quinque ſecula veram, clarámque doctrinam tenuiſſe*; ab hac autem puritate fidei eam vel minimo defeciſſe nec oſtēdit ipſe, nec alius oſtendere poteſt. Et lib. 4. c. 16. §. 16. non vult inficias ire, *Antiquos magni ſemper feciſſe eandem Romano-Catholicam Eccleſiam, & honorificè de illa fuiſſe locutos.* Philippus Melanchton in Apolog. Confeſſ.

Auguſt. Tit. de votis monaſticis *Bernardum, Franciſcum, aliósque Monachos vocat Sanctos.* Et ibidem Art. 5. reſponſis ad argumenta: *Antonius*, inquit, *Franciſcus, Dominicus, Bernardus & alij Sancti Patres elegerunt certum vitæ genus.* Ex quibus vides, illuſtrem jam olim fuiſſe atque etiamnum eſſe multorum in Eccleſia Catholica Sanctitatem, ut eam nec ipſi quidem Adverſarij facilè negare poſſint, utcúnque interim in Eccleſia Catholica multi etiam in omni vitæ genere ſint improbi, quod Eccleſiæ Sanctitati nihil officit, quandoquidem id ipſum Chriſtus prædixit, ſcilicet in vera Eccleſia Zizania tritico, boniſque piſcibus malos uſque ad conſummationem ſæculi fore permixtos. At verò nullos habere bonos ſanctóſque, non poteſt niſi falſæ Eccleſiæ convenire.

IX. *Doctrina tertia.* Nulla Eccleſia hæreticorum ſive Lutherana, ſive Calviniſtica, ſeu quocunque alio nomine appellata, eſt Sancta, nec quoad doctrinam, nec quoad mores. Probatur prima pars. Nam licet apertè non tradant ſcelera, nec expreſsè ea ſuadeant, ea tamen docent, ex quibus non niſi corrupti mores oriri poſſunt. Nempe 1. hominem ſolâ fide juſtificari & ſalvari. 2. opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem, 3. divinorum præceptorum obſervantiam eſſe impoſſibilem. 4. Jejunia Eccleſiaſtica non eſſe obſervanda. 5. Peccata commiſſa nec in Confeſſione eſſe homini aperienda neceſſariò: nec ullâ ſatisfactione bonorum operum expianda. 6. Nec Virginitatem Matrimonio: nec Paupertatem voluntariam divitiarum poſſeſſioni anteponendam: Continentiam verò à mulieribus, aut impudicis actibus (niſi Deus miracula faciat) nec poſſibilem quidem homini ætatis & roboris integro &c. 7. Hominem nullum habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, vel è contra, ut præter Calviniſtas docent & Lutherani in articulis Schmalkalticis Lib. Concordiæ inſertis P. 3. Art. de peccatis &c. Quis autem ex tali doctrina virtutes ac opera bona æſtimet, ſine quibus firmiſſimè credit, ſe ſalvandum? utpote quæ novit, non eſſe neceſſaria ad ſalutem, quorum exercitia audit non eſſe in ſua poteſtate. Quis peccata horreſcat ac fugiat, quæ nocitura non ſunt, nec in Confeſſione exponenda, nec ullis pœnis expianda, vel luenda, modò in Chriſtum credat? Quis Conſilia Chriſti ſequatur, quæ ſibi perſuadet, nullius eſſe momenti, imò potius cultus ſuperſtitioſos? Unde Luth. Lib. de Capt. Babylon. Titul. de Baptiſmo Tom. 1. Lat. Wittenberg. pag. 78. *Ita*, inquit, *vides, quàm dives ſit homo Chriſtianus, ſive baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere vitam ſuam æternam, quantiſcúnque peccatis, niſi nolit credere, nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas.*

X. Secunda pars quoad Mores apertè infertur ex priori. Nam nec unicus à tempore Apoſtolorum nominari poteſt, qui omnia Lutheri vel Calvini Dogmata Profeſſus ab Orbe Chriſti anno univerſo habitus fuerit Sanctus, quales tamen innumeros nominat Romana Eccleſia. Imò ubi primùm innotuerunt iſtæ novitates, ita repentè mores hominum immutati fuerunt, & in pejus ruerunt, ut Lutherus obſtupeſcens dixerit, *homines peiores eſſe in Lutheraniſmo, quàm in Papatu.* Aurifaber enim in Convivalibus Lutheri ſermonibus ſcribit, Lutherum ſæpe cum ſuſpiriis dixiſſe, *poſt revelatum Evangelium* (per iſtos ſcilicet Novatores) *virtus eſt occiſa, juſtitia oppreſſa, temperantia ligata, veritas à Canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulſa, hæreſis relicta.* Idem in Dom. 1. Advent. Serm. 2. ſic ait: *Poſſideri homines ſub ſuo Evangelio à ſeptem dæmonibus, qui prius ſub Papatu ab uno poſſidebantur.* Cæterùm ipſe Lutherus fuit turpiſſimus Apoſtata, Sacrilegus falſarius Scripturæ, Pſeudopropheta & Apoſtolus à Deo non miſſus, Impius contemptor Patrum, Luxurioſus Heluo, & deteſtabilis hæreſiarcha. Calvinus verò homo fuit faſtuoſus, ambitioſus, ſeditioſus, & ſupra modum flagitioſus. Et quantumvis virtutis larvam vitijs obtenderet, innotuit tamen ſcelus. Nam ſcribunt multi, teſte Floremundo Remundi. P. 2. Hiſt. Pag. 248. eum Novioduni in Gallia propter ſodomiam comburendum: ex gratia virgis cæſum, & liliato ſtigmate in tergo inuſtum fuiſſe; certè deteſtabilem ejus vitam horrenda mors excepit. Etenim, ut refert Hieron. Bolſeck Medicus Lugdunenſis in ejus vita, dæmonibus invocatis jurans, execrans & blaſphemans expiravit; imò horam ac diem deteſtatus eſt, quem unquam ſtudijs ac ſcriptionibus impendit. Videri poteſt Floremund. P. 2. Hiſt. cit. de ortu & progreſſu hæreſ. hujus ſæculi. ubi cap. 10. inter Lutherum & Calvinum comparationem inſtituit, ſed parùm refert, quis illorum ſit nequior; utrumque impium, omni ſcelere inquinatum, & deteſtandum diaboli inſtrumentum fuiſſe conſtat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XI. *Error primus eſt.* Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 912. & Calviniſtarum apud Ameſium Tom. 2. fol. 69. Eccleſiam non indigere Sanctitate, nec ex Moribus judicandam; adeoque Sanctitatem Vitæ non eſſe genuinam & infallibilem Eccleſiæ Notam, ut expreſsè ait Gerhard. fol. 919. Probant. Tum quia doctrina vera ſemper eſt Sancta. Tum quia Sanctitas vel eſt interna, vel externa; illa non patet conſpectui: hæc non eſt infallibilis. Tum quia boni fructus arboris, de quibus Matth. 7. cit. non ſignificant bona opera Fidelium, ſed bona dogmata fidei, ut interpretantur Lyrinenſis & Theodoret. atque Auctor Imperfecti operis. Error iſte manifeſtè repugnat Sacræ Scripturæ, quam adeo inclamant hæretici. Pſal. 92. v. 5. ait David: *Domum tuam* (Eccleſiam Militantem intelligit) *decet Sanctitudo Domine.* Ad Epheſ. 5. v. 27. dicitur Eccleſia *glorioſa non habens maculam, aut rugam, Sancta & immaculata*; ubi non poteſt Apoſtolus intelligi de Sanctitate doctrinæ, pro qua Chriſtus non eſt mortuus, ut tamen dicitur ad initium Epiſt. *mortuus pro Eccleſia*, qualis nos in hac vita ſumus. Unde D. Petrus epiſt. 1. cap. 2. v. 9. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, Gens Sancta.* Rationi quóque repugnat; quia hæc Articulum 9. Symboli Apoſtoli, in quo Eccleſia dicitur Sancta, ita planè explicat, ut Sanctæ in illa perſonæ intelligantur; quomodo enim dicere poſſum abſque effuſo aliorum riſu, domum vel civitatem iſtam eſſe ſanam, in qua omnes ſunt infirmi, miſeri, & varijs morbis vexati? ſic ergo Eccleſia, dum dicitur Sancta, non

Digitized by Google

ſta, non poteſt ſecundùm rectam raationem niſi de Sanctis in ea perſonis intelligi. Probationes allatæ debiles ſunt.

XII. Reſpondetur ad 1. Doctrinam veram non reperiri apud Sectarios, cum iſti ſine errore nunquam ſint. Adhæc non loquimur de Sanctitate doctrinæ merè ſpeculativa, ſed practica, & re ipſâ mores informante, quam non poſſunt oſtendere hæretici. Negatur etiam Conſequentia, quam Ameſius facit, ſcilicet doctrinæ veritatem eſſe eandem cum ſyncera Evangelij prædicatione; ſiquidem poſſet eſſe doctrina puritati Evangelij contraria, quæ tamen non contineret errorem rectæ rationi apertè contrarium, quales errores ſunt illi; quos Bellarm. Lib. 4. de Eccleſia cap. 9. enumerat.

XIII. Ad 2. Gerhardi. Eam nullius eſſe momenti; an non vera Ratiocinatio eſt interna & inviſibilis, adeóque operatio Spiritualis; quomodo ergo poterit eſſe ſignum hominis? ſi dicat, actum internum innoteſcere per externum, ſcire etiam debuerat, ex Sanctitate interna innoteſcere externam; quippe non eſt Sanctitas tam occulta, quin moribus externis ſe prodat, ſicuti etiam vitia non poſſunt celari, juxta illud Poëtæ: *Heu quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu.* Nec mores externi fallere diu poſſunt, quia, inquit Seneca, *nihil ſimulatum diuturnum*; ficta omnia citò in naturam recidunt, perinde ut colores in aëre apparentes non ſunt ſtabiles, & ſi natura celaret, Deus ipſe proderet ſcelera occulta, uti minatus eſt Davidi 2. Reg. 12. v. 12. *Tu feciſti in abſcondito, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraelis, & in conſpectu ſolis.*

XIV. Ad 3. Cum Maldonato in cit. locum, omnes veteres Auctores per fructus intelligere non doctrinam, ſed opera, quæ doctrinam ita ſequuntur, ut ex mala doctrina opera mala, ex bona verò opera bona naſcantur. Nam agitur hic de fide, ideſt, de ipſa falſorum prophetarum doctrina; abſurdum autem dictu eſt, doctrinam ex doctrina probari, fidem ex fide dignoſci debere. Vincentius Lyrinentius non eſt tantæ auctoritatis, ut cæteris omnibus anteponi debeat. Theodoretus & Auctor operis imperfecti in Mathæum non curantur, cum aliàs in fide errârint, ut oſtendit Bellarm. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

XV. *Secundus error* eſt eorundem hæreticorum. Nec Eccleſiæ Catholicæ tantam eſſe Sanctitatem ſivè in doctrina, ſive in moribus, quantam jactamus. Nam quantùm ad Doctrinam attinet. In Papatu, ait Gerhard. fol. 913. à Theologis publicè diſputatur, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum. In jure Canonico reperiuntur etiam quædam valde turpia & flagitioſa documenta. Capit. 2. cauſa 12. q. 1. ex Epiſt. Clementis Rom. referuntur hæc verba: *amicorum debent eſſe omnia communia etiam uxores.* Gloſ. in cap. 25. diſt. 34. ait: *non eſſe meretricem, niſi admiſerit plures &c.* Capit 4. diſt. 34. ex Concilio Toletano acceptum ait: *qui non habet uxorem, illius loco habeat concubinam.* Ad Mores Catholicorum quod ſpectat. Ajunt in primis in Eccleſia Romano-Catholica multos etiam malos reperiri; & præſertim vitam Eccleſiaſticorum quorundam admodum ſubinde ſcandaloſam eſſe. Deinde lupanaria apud eoſdem publica paſſim patere libidini impunè exercendæ. Demum primos in Germania fidei præcones fuiſſe quidem Sanctos, ſed in multis erraſſe, purgatos tamen per charitatis flammam, quæ hujuſmodi paleas combuſſit.

XVI. In Eccleſia Romano-Catholica & in hoc labenti, & omnibus retro ſæculis fuerunt reperti, atque etiamnum reperiuntur multi & magni Sancti; nempe viri Apoſtolici, qui Gentes fidem Catholicam docuerunt, & ad eam converterunt, fortiſſimi Martyres, integerrimi vitâ & moribus Confeſſores, piiſſimi Conjuges, devotiſſimæ ac caſtiſſimæ Virgines & Viduæ. Eccleſia igitur & vitâ & moribus Sancta ſit oportet; Sancta, inquam, arbor tales ferens fructus: Sancta radix flores virtutes odore adeo præſtantes germinans. Et quamvis multi in eadem inveniantur non-Sancti, per hoc tamen illorum Sanctitati nihil derogatur. Sicuti nec pulcherrimis & pleniſſimis ſpicis aliquid demunt Zizania inter eas ſurgentia, ut ipſemet indicat Chriſtus. Matth. 13. v. 15. Intercedit etiam hoc maximum diſcrimen inter veram Eccleſiam, & Sectas falſas, quod, licet in illa pauci ſint Sancti (ſicuti univerſim electi pauci ſunt) qui tantum honorem Eccleſiæ conſervant: in iſtis tamen omnino nullus unquam fuerit, aut ſit Sanctus; quemadmodum à primordijs Eccleſiæ nec Secta Ariana, nec Neſtoriana, nec ulla alia ad hoc uſque tempus nominare ullum poteſt, nec potuit Sanctum. Quare de Eccleſiâ Romano-Catholica rectiſſimè dicitur illud Petri 1. 2. v. 9. cit. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta.*

XVII. In eadem Romano-Catholica Eccleſia primis quingentis annis fuiſſe veram Sanctitatem doctrinæ abſque ullo errore in neceſſarijs fidei articulis, fatentur ipſimet Proteſtantes. Ergo cum ex ipſorummet confeſſione vera Chriſti Eccleſia in articulis fidei neceſſarijs errare non poſſit, eadem Romano-Catholica Eccleſia etiamnum habet veram doctrinæ Sanctitatem. Dicunt Sectarij 1. Romanam Eccleſiam; quæ primis 500. annis poſt Chriſtum viguit, non eſſe Papiſticam, nec univerſalem, qualis nunquam fuit. 2. Romanam etiam Eccleſiam ſequioribus annis erraſſe in neceſſarijs per additionem. Reſp. hoc poſterius eſſe purum figmentum, ut ſuo loco oſtendimus: illud prius verò eſſe meram ignorantiam argumenti noſtri, quod explicamus. Per Romanam Eccleſiam intelligimus eam, quæ communicat Romano Pontifici. Illa Eccleſia primis 500. añis Romano Pontifici communicans non fuit particularis; ſiquidem eo tempore nulla fuit Eccleſia particularis, quæ Romani Pontificis repudiaret communionem, niſi Schiſmatica vel hæretica. Ergo Eccleſia tunc non fuit particularis, ſed univerſalis, veráque Chriſti JESU Eccleſia, uti Adverſarij agnoſcunt. Quæ hæretici ſupra §. XV. objecerunt vel minimè Sanctitatem Eccleſiæ Catholicæ obſcurare valent.

XVIII. Reſpondetur itáque 1. Multùm inquirere hæreticos in doctrinam Catholicorum, ſi hujus Sanctitati turpitudinis notam inurnere poſſint, ſed nihil unquam tale reperiunt; etiamſi enim quidam privati Doctores laxiùs ſubinde ſentiant, aut loquantur in ſuis Libris, quid hoc detrimenti afferat communi fidei Catholicæ doctrinæ, de qua ſolâ hìc loci agitur? Taceo hanc etiam in morali doctrina laxitatem ab Eccleſia non approbari; ſed ſeriò prohiberi, ut videre eſt in damnatis nuper propoſitionibus bene multis ab Alexandro VII. Papa, Quoad fornicationem

Digitized by Google

omnes Catholici tenent, eam eſſe peccatum mortale non ſolùm jure poſitivo divino, ſed etiam jure naturali, quæ Deo adeo diſplicet, ut fornicarij è Cœlo excluſi æternæ pœnæ fiant rei ad Corinth. 6. v. 9. Unde Sancto Clementi injuria fit graviſſima, cum illud aſſumentum de communione uxorum ſuppoſititium ſit, nec in manuſcripto reperiatur. Quare Gratianus habuerit vitioſum exemplar, ex quo illum Canonem deſumpſit, ſicut in alijs multis erravit, uti oſtendit Bellarm. de Script. Eccleſiaſticis. Verbo. Gratianus. Gloſſator decreti (quem Joannem Teutonicum appellant) nullius eſt auctoritatis, & falsò citavit capitula, ſcilicet 9. diſt. 45. ex D. Gregorio deſumptum: & Cap. 4. Alexandri III. de Clericis excommunicatis in quibus nihil horum reperitur. Concilium Toletanum nomine Concubinæ juxta veterem illius temporis morem intellexit legitimam conjugem, ſed privatim ſine juris ſolennitate ductam, quo modo etiam in Scriptura uxores dicuntur concubinæ.

XIX. Reſpondetur, 2. Sectarios non minùs lynceos eſſe erga mores, quàm erga doctrinam Catholicam: ſibi ſemper luſcos & lippos, quibus idcirco jure occini poteſt illud ex Matth. 7. v. 5. *hypocrita, ejcite primum trabem de oculo veſtro, & tunc videbitis ejcere feſtucam de oculis aliorum.* Quomodò Lutherus falſus fuerit, ex Evangelio ſuo homines multô deteriores evaſiſſe, ſuprà vidimus. Calvinus idem de ſuis fatetur in Lib. de ſcandalis pag. 118. & 127. Sic ſcribens: *cum tot hominum millia abnegato Papatu cupidè, ut videbantur, nomen dediſſent Evangelio, quàm pauci, obſecro, à ſuis vitiis reſipuerunt, imò quid præſe major pars tulit, niſi ut excuſſo ſuperſtitionum jugo ſolutiùs in omnem laſciviam difflueret?* Quod in Eccleſia Catholica multi mali inveniantur, jam dixi, nihil hoc ejuſdem Veritati & Sanctitati obeſſe, quia Chriſtus ipſe prædixit, triticum cum Zizaneis, adeóq; bonos cum malis fore permixtos Matth. 13, v. 15. cit. qui etiam contra ſcandala Eccleſiaſticorum ſatis ipſe cautum eſſe voluit Matth. 23. v. 2. ajens: *ſuper cathedam Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Bene etiam de hac re Eraſmus in Epiſt. ad Fratres inferioris Germaniæ ſic inter alia ſcribit: *congerantur in unum Sacerdotum luxus, libido, ambitio, avaritia, & ſi quid præterea criminum eſt, totam hanc vitiorum lernam una ſuperat hæreſis.*

XX. Cæterùm nimij ſunt hæretici in traducendis Eccleſiaſticis ob eorum mores. Ex ducentis quadraginta quatuor Pontificibus 46. glorioſum pro Chriſto Martyrium ſubierunt, plures magnâ vitæ ſanctitate Eccleſiæ præluxerunt, ut omnes viderent laudarentq; eorum opera bona: non nullos, ut Sergium, Joannem XI. Joannem XII. nolumus excuſare; affirmamus tamen, hoſce per malam illorum vitam tam parùm cathedræ Petri nocuiſſe, quàm impios Alcimum, Annam, Caipham, & hujuſmodi Cathedræ Moyſis. Ex reliquis Sacerdotibus ſi ante 100. annos non fuerint ex centum tres vel quatuor: (nimiâ utiq; Adverſariorum exaggeratione) qui non concubinis conviverent, dicere hodie veriſſimè auſim, inter 100. presbyteros non tres aut quatuor, imò nullum eſſe, qui vel notam concubinam, vel alterius uxorem ſecum habeat, In Monaſterijs autem tam Virorum quàm Fœminarum talis viget Caſtitas & morum Integritas, ut nec ipſi illorum hoſtes reperiant, quod meritò nunc repræhendant.

XXI. De Lupanaribus bene notandum; aliud eſſe rem aliquam malam à Magiſtratu ad cavenda mala majora permiſſione merè tolerativâ contra propriam voluntatem fieri ac permitti: aliud rem eandem permiſſione approbativâ ex beneplacito fieri, atq; admitti. Equidem in nonnullis locis Catholicis lupanaria permittuntur, minimè verò approbantur; permittuntur, inquam, ad cavenda majora mala, ut ſapientiſſimè fieri poſſe advertit S. Auguſt. Lib. 2. de ordine cap. 4. ubi hæc verba notatu digniſſima habet: *Tolle meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus adulteriorum ſcilicet inceſtuum, &c.* Si ergo Adverſarij tantam in hac tolerantiâ abſurditatem agnoſcant, priùs cum S. Auguſtino rem tranſigant, poſtea ad nos redeant, & incuſent, quod lapidem in loco jacere ſinamus, quem ob nimiam gravitatem movere inde nequeamus; neque enim omnia peccata à Magiſtratu puniri poſſunt, ob nimiam peccantium multitudinem, ne tota res-publica exſcindatur.

XXII. Primos in Germania Fidei Præcones erraſſe, impudens eſt contumelia hæreticorum, qui nec conſequenter ſuis principijs cavillantur. Tum quia ajunt, primis quinque ſæculis omnia permanſiſſe ſancta, & incorrupta, ex quibus aliqui ex recenſitis vixerunt, quomodo ergo non ſancti fuerunt? vel ſi in fide erraverunt, quomodo Sancti fuerunt? Quod ſi ſolū in fundamentalibus non erraverint, neque nos in ijdem erramus, exactiſſimè illorum doctrinæ inſiſtentes. Taceo quod ſupra jam inſinuavi, neſcire Adverſarios, quinam Articuli ſint fundamentales. Cæterùm de antiquis illis Germaniæ Præconibus rectiùs id D. Auguſtini Lib. 2. in Julianum dixeris: *Illi ſunt Epiſcopi & Paſtores docti, graves, ſancti veritatis acerrimi propugnatores, qui Catholicam fidem cum lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cujus lac & cibum parvis magniſq; miniſtraverunt.*

XXIII. *Tertius Error* eſt prædictorum hæreticorum, etiam inter illos fuiſſe multos ſanctos. Nimirum 1. Infantes illos, qui poſt Baptiſmum ante rationis uſum diſceſſerunt. 2. Martyres, qui pro fide Chriſtiana vitam poſuerunt. 3. Non paucos moraliter bonos. Negant etiam, ſe improbare bona opera; imò ajunt, ſe bona opera non ſolùm laudare, ſed etiam tanquam moralia fidei ſigna requirere, ſiquidem ij, qui malè vivunt, non rectè credunt.

XXIV. Error iſte notior vulgò eſt, quàm multis refutetur. Lubet breviſſimè meminiſſe hiſtoriæ, quæ in Franconia ante aliquot annos contigit, & propoſito noſtro apprimè convenit. Voluit Nobilis quidam Dominus in Templo erigere Altare; & quia alium ſculptorem quàm Catholicum habere non poterat, huic illud commiſit. Cum igitur confectum Domino exhiberetur, ſtatim iſte utpote Lutheranus diſplicentiam magnam oſtendit ex tot Epiſcopis ac Sanctis Romano-Catholicis in eo expreſſis. Et quia Sculptor inde timebat mercedi ſuæ vel negandæ, ut ſaltem imminuendæ in iram ſurgens, quomodo, inquit, Domine, iſti Sancti per tot ſæcula apud omnes Chriſtianos fuerint in honore, & jam iſto priventur? nominate mihi alios Lutheranos Sanctos, quos in illorum locum, approbante Orbe Chriſtiano, ſubſtituam? quia hactenus in templis veſtris nullos vidi, quos in Altari hoc exprimere potuiſ-

potuiſſem. Dominus hanc Sculptoris loquendi libertatem obſtupeſcens tacet, nihilque amplius contra Sanctos Catholicos obijcit. Ecce vulgò notum eſt, in novis Sectis non eſſe invenire novas Sanctos. De reliquo ea eſt virtutis ac ſanctitatis præſtantia, ut etiam illi, qui eam habent, nec curant, videri tamen velint eâdem exornati, unde non obſcurè jam concedunt Sectarij, ſanctitatem Eccleſiæ veræ deeſſe non poſſe, atq; hanc ex illâ eſſe dignoſcendam.

XXV. Argumenta allata nihil evincunt. Non 1. Quia Infantes illi, cùm non ex doctrina ſeu actuali fide, ſed ſolùm ex Baptiſmo ſanctificati fuerint, nequaquam ad Lutheranam, aut Calviniſticam, ſed ad Eccleſiam Catholicam pertinent; ad quam etiam ipſe ſpectat Baptiſmus, & à qua Eccleſia Sectarij illum habent, ut in ſimili etiam notavit Cyprian. Epiſt. 73. contra Novatianum.

XXVI. Ad 2. Quia Martyres illi pauci, & obſcuri (ſæpe etiam aliorum ſcelerum rei) ejus fuerunt teſtes, cujus fidei teſtimonium perhibuerunt, nempe non Chriſti, ſed Diaboli, cùm hujus mendacijs ſeducti veritati Chriſti ſaltem non in omnibus crediderunt. Præclarè D. Auguſt. in Pſal. 34. Conc. 2. de ſimilibus ſcribit: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Verùm de hoc argumento plura infra. Hic non tacuerim, videri Sectarios innuere velle Joannem Hus & Hieronymum de Praga Conſtantiæ combuſtos ſuos fuiſſe Martyres; ſed riſu apud omnes Doctos excipiuntur. Nam notum eſt, iſtos obſtinatos hæreticos penitus adhæſiſſe Joanni Wicleff Anglo; ex cujus ſcriptis Jodocus Coccius Tom. 1. Theſ. Lib. 8. c. 4. numerat 65. puncta Lutheranæ Sectæ oppoſita.

XXVII. Non 3. Quia homines illi moraliter boni, ſi qui tales apud ſectarios reperiuntur, non evaſerunt hujuſmodi ex vi & ductu Evangelij, quod profitebantur, quæ enim ſanctitas ac morum integritas velut fructus boni enaſci poſſint ex ſemine hujuſmodi doctrinarum: fides ſola ſufficit, ad juſtificationem & ſalutem? Item ſumma res & ſapientia Chriſtianorum eſt, neſcire Legem, ignorare Opera bona & totam juſtitiam activam? Lutherus in argumento Epiſt. ad Gal. Comment. 2. Tom. 8. Wittenberg. ſcribit: *quantò ſceleratior es, tantò citiùs Deus ſuam gratiam infundit.* Idem repetit in Serm. de piſcatura Petri &c. Ubi etiam ait: *non operibus, ſed nudâ fide indigemus; ſi adornes te, ut tatus bonis operibus, nihil efficiet.*

XXVIII. Interim non negaverim, ſubinde bonitatem indolis & naturæ vincere forſan improbitatem prædicti Evangelij, ut in nonnullis moralis quædam bonitas appareat. Quod ſi tamen hi ipſi cum honeſtate morum pertinaciam falſæ fidei habuerunt adjunctam, indubitatum eſt, eos ſalvari non potuiſſe, ſi ita ex hac vitâ diſceſſerint; ſiquidem *impoſſibile eſt, ſine fide placere Deo.* ad Hebr. 11. v. 6. Audiamus D. Auguſtinum Lib. 4. Cont. Donatiſtas cap. 10. *Conſtituamus*, inquit, *aliquem caſtum, continentem, non avarum, non idolis ſervientem, hoſpitalem, indigentibus miniſtrantem, non cujuſquam inimicum, non contentioſum, patientem, quietum, nullum æmulantantem, nulli invidentem, ſobrium, frugalem; ſed hæreticum. Nulli utiq; dubium eſt, propter hoc ſolùm, quod hæreticus ſit, regnum Dei non poſſeſſurum.* Taceo hæreticos nec unum quidem adultum nominare poſſe, quem utrinq; fateamur in fide, quæ Romano-Catholicæ adverſatur, fuiſſe ſalvatum; cum tamen è contrario Adverſarij multos fidei noſtræ cultores pro ſanctis agnoſcant, inter quos Luth. Lib. de Cap. Babil. de Euchariſt. etiam *Thomam Aquinatem appellat Sanctum*, uti veriſſimè meretur.

XXIX. Ex his jam Conſtat, quid Sectarij cum ſuo Luthero de bonis operibus, & peccatis ſentiant, quomodo ſuadeant illa, ab his abſterreant. Solùm adverto, quàm fraudulenter Prædicantes populo illudant, dum illis viam ſalutis palam tam facilem oſtendunt per ſolius fidei juſtificationem, & interim clam aſſerunt, ſine bonis operibus non ſtare fidem veram. Quid hoc miſeros juvat? Nam quocunq; titulo neceſſaria ſint opera bona, ſive per modum cauſæ, ſive per modum effectûs Juſtitiæ, nihil magis illis prodes, ſiquidem utroq; modo ſinè operibus damnabuntur.

CONTROVERSIA XVIII.

DE UNIVERSITATE ECCLESIÆ.

UNiverſale idem eſt, ac Catholicum, quod tribus modis eſſe poteſt; Vel ratione Loci per univerſum Orbem: vel ratione Temporis per continuam durationem: vel ratione Hominum non in alijs, quàm Eccleſia ſalvandorum. Hæc Tria licet aliqui confundant. Nos tamen potiſſimùm de Univerſitate, 1. modo ſumptâ hic agimus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe Univerſalis, hoc eſt, per totum Orbem diffuſa non ex hominis teſtimonio, ſed ex promiſſione Dei. Ita tria ſymbola Apoſtolicum Nicænum, & Athanaſium, quæ vocem *Catholica* tribuunt Eccleſiæ; unde indubitatum eſt, eandem vocem ab Apoſtolis provenire, ſemperque ab Apoſtolis fuiſſe uſitatam. Probatur ex prædictionibus Veterum Prophetarum, qui veram Dei notitiam in omnes Gentes diſſeminandam prædixerunt ad diſcrimen ſcilicet Judaicæ Synagogæ inter anguſtos Paleſtinæ limites concluſæ, Gen. 22. v. 28. Angelus Abrahæ dixit: *benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ*, hoc eſt, in Chriſto, ut exponit Apoſtolus ad Gal. 3. v. 16. *Abrahæ prædictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, non dicit & ſeminibus, quaſi multis, ſed quaſi in uno; in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus*; cui pater Cœleſtis pollicitus eſt Pſal. 2. v. 8. *poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam &c.* Pſal. 21. v. 28. *Convertentur ad dominum omnes fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius univerſæ familiæ Gentium, quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Malachiæ 1. v. 11. *ab ortu ſolis uſq; ad occaſum magnum eſt Nomen meum in Gentibus, & in omni locò ſacrificatur & offertur Nomini meo oblatio mundâ, quia magnum eſt Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Idè prædixit Chriſtus Mat. 14. v. 14. *& præ-*

Digitized by Google

& prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo Orbe in teſtimonium omnibus Gentibus. Mei ſcilicet erga omnes affectûs & curæ ſalutis omnium.

II. Ex his & alijs ſcripturæ locis colligunt S.S. Patres apud Bellarm. Lib. 4. de Notis Eccleſiæ, Valentiam, Suarez, & alios, Evangelium non obiter tantùm & clam, ut tempore Apoſtolorum contigit, toto orbe promulgandum, ſed publicè ac ſolenniter, permittentibus imò amplexantibus illud omnibus Regibus & Regnis terræ factâ ſubditis poteſtate idem liberrimè amplexandi: præconibus verò Evangelii licentiâ evulgandi, Sacramenta omnia adminiſtrandi, templa fundandi &c. Bene autem advertunt Tirinus & alij ſcripturæ Interpretes, hanc Eccleſiæ univerſitatem intelligendam non mathematicè per ſingulos locos, ſed moraliter per omnes Nationes, Regna, Provincias & Urbes. Item non ſimul, ſed ſucceſſivè ac viciſſim; quamvis Franciſcus de Paula propheta ſſe dicatur, ut refert Cornel. à Lapide in fine Apocal. tandem totum mundum fore Catholicum à 12. Sanctis Regibus gubernandum, donec veniat Antichriſtus juxta prædicationem Chriſti Matth. 24. v. 15. & tunc veniet (brevi ſcil. totius mundi) conſummatio & finis.

III. *Doctrina Secunda.* Eccleſia noſtra Romana verè per univerſum orbem eſt diffuſa, adeoq; verè Catholica. In hoc totus Orbis Chriſtianus conſpirat, ut eſſet diſtinctiuum ab omni Secta ſymbolum. Adeoq; ſumus in antiqua poſſeſſione hujus Nominis. Pulcherrimè Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in Biblioth. Patrum To. 1. col. 304. *Chriſtianus*, inquit, *mihi nomen eſt: Catholicus verò mihi cognomen, illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probo, inde ſignifico &c.* Item: *ab hæretico nomine noſter populus hâc appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur.* Rurſus idem prædictus Pater, qui 30. annis ante exortam Arianorum hæreſim ſcripſit: *Verbum Catholicum, ait, à præcipuis Patribus fuiſſe uſurpatum per tanta ſæcula; omnia ſcilicet prima à tempore Apoſtolorum.* Idem docet experientia; nulla enim Mundi pars oſtendi poteſt ſive ad Orientem, ſive ad Occidentem, ſive ad Septentrionem, ſive Meridiem, ubi non reperiantur aliqui Catholici etiam in medio Turcarum & hæreticorum v. g. in Anglia, Holandia, Dania, Suetia &c. atq; abunde jactura, quam Eccleſia per apoſtaſiam Turcarum, & hæreticorũ tulit, compenſata fuit per converſionem Indorum, ubi fides indies creſcit ac dilatatur: Præſertim in China, quod eſt ampliſſimùm Regnum mundi continens 15. Provincias, quarum quælibet major eſt quovis regno Europæ. Præclarè hac de re ſcribit Auguſtin de vera Relig. cap. 7. *Catholica nominatur non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis; velint enim nolint, ipſi quoq; hæretici, & ſchiſmatum Alumni, quando non cum cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam* (Eccleſiam) *nihil aliud, quàm catholicam dicunt, non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quod ab univerſo orbe nuncupantur.* Hinc idem contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. Sapientiſſimè concludit: *tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & nominatur non ſolùm à ſuis, ſed etiam omnibus inimicis.*

IV. Dicent Adverſarij. Eccleſiam noſtram paſſim etiam vocari Papiſticam, item Romanam. Reſp. nomen Papiſtarum non niſi à ſectarijs nobis imponi, more veterum hæreticorum, qui inviden tes Catholicis antiquam & per tot ſecula præſcriptam appellationem varijs alijs agnominibus traducebant: v. g. Valentiniani vocitabant illos ſimplices: Montaniſtæ Pſychicos, ſeu Animales: Donatiſtæ Macaranos: Origeniſtæ Philoſiotas & Animales, Vigilantius Cineriarios: Azephali Synoitas: Græci Azimitas: Ariani Homuſianos &c. Quod ſi nomen Papiſtæ conſenſum & unionem cum Papa denotet, id non falſæ Religionis nota eſt, ſed uſu Chriſti Eccleſiæ ſemper orthodoxi ſymbolũ fuit; ſicuti etiam nomen Romani olim non niſi Catholicæ, adeoq; orthodoxæ Eccleſiæ attribui conſuevit. Sunt igitur iſta Catholico Nomini non inimica. Rectè hac de re ſcripſit D. Auguſt. Lib. de utilitate credendi cap. 7. *una eſt Catholica Eccleſia, cui hæreſes alia diverſa nomina imponunt, cum ipſa ſingula propriis vocabulis* (v. g. hoc tempore Lutheranorum, Calviniſtarum, Zvvinglianorum &c.) *quæ negare non audeant, appellentur.*

V. Urgent ex ſolo nomine non eſſe firmum argumentum juxta illud Apoc. 3. v. 1. *nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Diſting. Antec. ſecundùm ſe præciſà ſumptum, concedo: cum re conjunctum & ſingulari Dei providentiâ veræ Chriſti Eccleſiæ attributum ac conſervatum, nego. Hoc autem poſterius ex ipſo eventu cognoverunt Patres jam quarto & quinto ſæculo, ut videri poteſt in Papatu Catholico Jacobi Keller Art. 2. v. 4.

VI. *Doctrina Tertia,* Nulla ſecta hæreticorum totum orbem permeavit, ſed anguſto Septentrionis limite concluſa manet, atque indies magis reſtringitur per diviſiones in plures ſectas; unde quælibet imminuitur. Pro hujus doctrinæ probatione faciunt chartæ luſoriæ, quæ in Romano Imperio circumferuntur 52. Folijs conſtantes, in quibus univerſus terrarum orbis repræſentatur, & ſingulis chartis certæ Provinciæ aſſignantur. In his folijs duo ſolùm ſunt, in quibus Communitates Lutheranorum habitantes reperiuntur. Ecredibile videatur, veram Dei Eccleſiam & populum ſelectum in talibus anguſtijs contineri, dèque ijs intelligi prophetias ſupra allatas de ampliſſima ad fidem veram converſione Gentium Populorum, ac finium terræ?

VII. Quas etiam Gentes ad fidem verâm Chriſti converterunt hæretici? Nullas. Solùm Chriſtianos in Europa perverterunt, tritico veræ fidei Zizania ſua ſuperſeminando, ut indicat Chriſtus Matth. 13. v. 25. Quod ipſum fecerunt in Indijs nonnulli, qui Evangelij prædicandi causâ illuc venerunt; ubi tamen cum mulieribus ita ſcandaloſè vixerunt, ut tanquam intolerabiles in Patriam ſuam regredi debuerint. Videatur de hoc argumento Epiſtola P. Martini Martinij, quam Chinas repetiturus dedit Romæ ad P. Laurentium Forer. Refert illam Pater Vitus Erberman in libro ſuo, cujus titulus: Trophæa Romana S. Catholicæ Eccleſiæ &c. fol. 34. Nec apparet, quomodo hæretici ullum Ethnicum convertere poſſint, cum nulla habeant media huic rei difficili apta. Nam unicum Fidei perſuadendæ motiuum agnoſcunt Sac. Scripturam, quam nec curant, nec recipiunt Gentiles. Unde ergo illos inducent, ut credant Deum Cœli terræq; Creatorem unum in Natura, Trinum in Perſonis, Dominum omnium, cujus imperio omnes homines obedire debent, aliàs æternis ſupplicijs mulctandi? Profectò in converſione Ethnicorum initium ſumendum eſt à naturalibus & Philoſophicis rationibus, quibus partim oſtendatur manifeſta falſitas idololatriæ, partim

partim Chriſtianorum doctrina & prudentia cum morum integritate conjuncta demonſtretur, ut ſic prædicationibus fides concilietur etiam ad ſupernaturalia credenda, cum meritò cogitare debeant, viros tam doctos & probos nec ex malitia, nec ex ignorantia fallere, adeoq; meritò illis fidem habendam, quando myſteria à Deo revelata prædicant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. *Primus error* eſt Lutheranorum apud Gerhardum Lib.2.P.1. fol.863. & Calviniſtarum apud Ameſ. fol.62. Eccleſiam veram Chriſti non eſſe Catholicam in eo ſenſu, quo ſupra §. 1. expoſuimus. Moventur. Quia Eccleſia Chriſti nec fuit ab initio ſic diffuſa, ſed ſolùm intra Judææ fines concluſa: nec erit, utpote in fine mundi ad tantam paucitatem redigenda, ut vix ullum fidelium ſit reperire; ſicut innuit Chriſtus Luc. 18. v. 8. *filius hominis veniens putas fidem reperiet in terra.* quia ſcilicet omnes Antichriſto adhærebunt, ut indicatur in Apoc. c.13. v.16.

IX. Contra hunc errorem ſtat doctrina noſtra firma, quod ſola Romana Eccleſia habeat nomen Catholicum per continuatam ſuam amplitudinem cum re conjunctam; cujus rei teſtes ſunt ſingulorum ſæculorum P.P. ac D.D. qui hanc unicam Romanam tanquam verè Catholicam Eccleſiam ſemper agnoverunt, & amplexi ſunt: extra illam autem omnes alias Sectas, ut falſas & apoſtaticas deteſtati fuerunt. Unde Vincentius Lirinenſis adverſus hæreſes: *in Catholica*, inquit, *Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ab omnibus creditum eſt, hoc enim verè proprieq; Catholicum eſt, quod ipſa vis rationq; Nominis declarat*; ſeu, ut idem planius explicat, quod habet *Univerſitatem, Antiquitatem & Conſenſionem.* Nam Græcum nomen ſonat ὅλον totus; unde καθολικόν, ut præter cæteros Patres notat D. Auguſtinus Lib.3. cont. Gaudentium Donatiſt. cap.1. ajens: *hinc enim Græco vocabulo Catholica nominatur, quod enim Græce ὅλον dicitur, latinè totum interpretatur atque Univerſale. Per totum ergo ſive ſecundùm totum eſt καθ' ὅλον*; id eſt, Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur; quemadmodum ſtatim cum ipſis Apoſtolis toto orbe diffundi cepit juxta illud D. Pauli ad Rom. 1. v. 10. *Fides veſtra annunciatur in Univerſo Mundo.* Videant etiam Adverſarij S. Optatum Milevitanum Lib.2. Bibl. S.S. Patrum Tom. 4. p.273. H. ubi ipſorum errorem, qui idem eſt cum Donatiſtis, egregiè refutat.

X. Reſpond. ad argumentum: paucitatem primitivæ Eccleſiæ non obeſſe ejus Univerſalitati, cum vix unum alterumvè annum duraverit, donec Apoſtoli in orbem univerſum diviſi proficiſcerentur: Idem dici poteſt de paucitate in fine mundi (dato, non conceſſo, quod Eccleſia deſineret eſſe univerſalis) quia etiam perſecutio Antichriſti non niſi tres annos, & medium duratura eſt, ut ex Daniel cap. 7. oſtendemus in Controv. de Antichriſto. Addo, nobis hic ſermonem eſſe de Eccleſia adulta: nec hanc in fine mundi ad tantam paucitatem redigendam, ut non amplius in potiſſimis partibus ac plagis Mundi ad Orientem, Septentrionem, & Meridiem, adeoq; verè Univerſalis reperiatur. Unde rectè Tirinus in cit. loc. Apoc. ait, adoraſſe beſtiam, & Antichriſto adhæſiſſe eos ſolùm omnes, qui non erant veri & probi Chriſtiani, reſpectu quorum, quia boni pij ac ferventes in fide pauci erunt, bene potuit Chriſtus conqueri allatis ſupra verbis. Taceo prædicta Chriſti verba non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè prolata eſſe, ut bene notat D. Aug. de unit. Eccl. c. 13.

XI. Quod ſi Sectarij velint, ut expreſsè ſcribunt Hunnius & Heilbrunner apud Tanner Tom. 3. fol.183. relati, Eccleſiam Catholicam vitio hominum & malâ voluntate defeciſſe ſub Papatu, & ad eam paucitatem, quæ apud ipſos Neotericos eſt, fuiſſe redactam &c. ſi, inquam, hoc velint, produnt, ſe ejuſdem eſſe farinæ, cujus olim fuerunt Donatiſtæ, hoc ipſum D. Auguſtino objicientes, ut videre eſt apud S. Doctorem Lib. de unit. Eccl. Cum quo.

XII. Dicimus 1. Si omnes etiam Antichriſti perſecutiones & defectiones à fide in S. Scriptura prædictæ expendantur, nuſquam colligi, Eccleſiam Chriſti veram ita defecturam ſub Antichriſti tyrannide, ut idcirco per totum orbem non ſit diviſa, ſed potius contrarium, ut videre eſt in parabolis Zizaniorum Matth. 13. v. 30. *ſinite utraq;* (triticum eſt Zizania) *creſcere uſq; ad meſſem.*

XIII. Dicimus 2. Eccleſiam juxta S. Scripturæ vaticinia deficere necdum potuiſſe, ut ex Matth. 24. ſupra cit. colligitur, quia finis mundi nondum adeſt, nec adeſſe prius poteſt, quàm Evangelium per univerſum orbem prædicatum ſit, ut bene oſtendit D. Auguſt. cujus verba vide apud Tannerum loc. cit.

XIV. Dicimus 3. Prædicantes in hac ſua opinione ſupponere, & abſque fronte calumniari, Papam eſſe Antichriſtum, & hinc oſtendere velle, Eccleſiam veram ita deficere debuiſſe juxta Prædictionem Chriſti Matth. 24. cit. cum tamen hoc ipſum adeo execrabile figmentum vel ex ipſo Matth. loco clariſſimè refutetur; quippe conſtat inde v. 22. abbreviandos eſſe dies regni Antichriſti propter Electos; qualis autem eſſet hæc abbreviatio, ſi, ut volunt Sectarij, Antichriſtus in Pontificibus Romanis regnaſſet jam per mille & amplius annos, ut ita ſcilicet regnum Antichriſti fuerit diuturnius, quàm Chriſti? brevior periodus veræ Chriſti Eccleſiæ, quàm Sinagogæ Antichriſti? major amplitudo ac potentia Diaboli, quàm virtus Chriſti?

XV. Lutherus advertens Eccleſiam ſuam & recentem & anguſtam eſſe, facileque inde reddi ſuſpectam, eraſit è Symbolo Apoſtolico vocem *Catholicam*, & impiè ac ſacrilegè ſubſtituit *Chriſtianam* Eccleſiam in Cathechiſmo Germanico. Nec dici poteſt, Lutherum in hoc uti voluiſſe verbo germanico. Nam Chriſtianum tam parùm eſt verbum germanum, quàm Catholicum, & non minùs iſtud quàm illud à Germanis intelligitur, quid ſignificet. Et ſi adeo ſuis Germanis ſervire voluit, cur non poſuit in lingua eorum **Algemeine** (latinè univerſalem) Eccleſiam? ſcilicet vidit, hoc ſibi vocabulum eſſe inimicum. Lutheri ſucceſſores cum verbum Catholicum eliminare non poſſent, ita illud interpretati ſunt, ut vel omnino non univerſalitatem locorum denotaret, ſed totalitatem Scripturæ; quod vera Chriſti Eccleſiæ totalis Scripturam reciperet: vel eam univerſali-

Digitized by Google

tatem locorum non ſignificaret niſi cum triplici hac limitatione. 1. quod vera fides non ſimul per totum orbem dilatanda ſit, ſed ſucceſſivè ex uno in alium locum transferenda. 2. quod vera fides non ſemper debeat eſſe in omnibus locis, ſed ſufficiat, ſi uno tempore ubique fuerit, ſicut fuit tempore Apoſtolorum, & in primis ſeculis, reſpectu quorum ſemper retinet nomen Catholicæ. 3. quod neceſſe non ſit, ut vera fides omnibus Gentibus poſitivè communicetur, ſed ſufficiat, ſi nulla Gens excludatur, ſed quilibet, cujuſcunq; Nationis ſit, ſi velit, ad veram fidem admittatur.

XVI. Verùm hæc frivola & inania ſunt effugia. Nam quod ſpectat ad interpretationem; iſta prorſus non reſpondet Prophetijs apertè multitudinem locorum & Gentium aſſerentibus, & de hac ſemper à P.P. intellectis. Taceo non omnes Libros Canonicos à Sectarijs recipi, ut ex ſupra dictis de Scriptura patet. Quod ad limitationes attinet, nulla illarum ſatisfacit. Non prima; quia dilatatio Fidei in aliam Provinciam & Urbem fit quidem ſucceſſivè, ut ſupra notavimus: Catholica verò, hoc eſt, per omnes quatuor mundi partes diffuſa fuit eadem Fides jam tempore Apoſtolorum, ut teſtatur Paulus ad Rom. 1. cit. & ad Coloſſ. 1. Non ſecunda; quia juxta Chriſti prædictionem Matth. 24. factâ prædicatione Evangelij per univerſum mundum mox finis hujus erit, id quod tempore Apoſtolorum non accidit. Non tertia; quia juxta prædicta vaticinia omnes Gentes re ipsâ ingredientur in Eccleſiam Chriſti, non ſolùm ingredi poterunt, eò quod omnibus janua pateat; aliàs omnes in Urbe aut Provincia Romana exiſtentes dici poſſent jam eſſe in Vaticano, ſive templo S. Petri, quia omnes poſſunt intrare, & omnibus patet janua.

XVII. *Secundus error* eſt, fuiſſe tempus, cùm neq; Romanorum Eccleſia prædicto modo eſſet Catholica, ſed prævaleret Arianiſmus, teſte D. Hieron. Dialogo contra Luciferianos, ubi ait: *ingemuit totus Orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Urget apprimè iſtud factum ex Calviniſtis Petrus Molinæus in novo Papatu fol. 60. ubi addit, inter Latinos Patres & Epiſcopos etiam Papam Liberium & Felicem Arianis ſubſcripſiſſe.

XVIII. Ad erroris hujus refutationem & rei intelligentiam præmittenda eſt hiſtoria de origine Arianiſmi, quæ ita ſe habet. Cùm Arius Presbyter Alexandrinus fidem petens in Capite Chriſti diuinitatem negâſſet, eum puram creaturam aſſeverans, & nonnullis jam errorem ſuum perſuaſiſſet; adnitente Conſtantino M. Imperatore à Concilio Niceno Anno 325. eſt damnatus. Sed hæreſiarcha ille eluſo Principe per pænitentiæ ſpeciem aliquot poſt annis toxicum ſuum in Oriente latiùs ſparſit, cui oppoſuit ſe ſe Eccleſia in Occidente, & anno 359. ſub Imperatore Conſtantio Ariano Arimini in Italia Concilium celebravit, & Nicænum Fidei Symbolum Ario contrarium corroboravit, quo intellecto Ariani ad occidentales Epiſcopos in ſuam ſententiam trahendos callidâ fraude ſimulârunt, ſe ab illis in re non diſſentire, ſed ſolo nomine; fateri enim Filium omnino ſimilem eſſe Patri, & non ſicut creaturas, ſed Conſubſtantialem: & *ὁμοούσιον* non poſſe ferre propter novitatem vocabuli in Scriptura nunquam reperiendi. Si igitur hoc novum & peregrinum Nomen abolerent, ſe in re ipſa facilè conciliatum iri. Quo audito Catholici Epiſcopi pro Chriſtiana ſimplicitate nihil fraudis ſuſpicati exiſtimârunt unius vocabuli gratiâ non perturbandam Eccleſiæ unitatem, ſed Græcis in hac parte cedendum. Subſcripſerunt igitur decreto Græcorum, quod Chriſtus non ſit Patri Conſubſtantialis, & *ὁμοιούσιος* vocandus. Quo facto Græci paſſim triumphârunt, etiam Occidentales Epiſcopos ſecum ſentire, exhibito decreto ab ipſis ſubſcripto, addendo Filium, etiamſi Patri non ſit ſimilis, ſicut Creaturæ reliquæ, ſed ſublimiore quâdam ratione illum exprimat, re ipsâ tamen eidem Patri eſſe ſimilem duntaxat, & non Conſubſtantialem. Ex hac ſynceriſſima narratione clariſſimè apparet, quomodo intelligendum, ſi dicitur *Arianiſmo totum mundum fuiſſe occupatum.*

XIX. Nam 1. Factum eſt illud ſolùm ab Epiſcopis in Concilio collectis, & quidem merè externis verbis, non animo & conſenſu interno, ſine quo verba externa nullam habent vim; unde etiam Vincentius Lirinenſis à Molinæo adductus ait, Epiſcopos Latinos fuiſſe partim deceptos, partim coactos. Non poteſt igitur dici, eoſdem formaliter hæreticos extitiſſe, ſed tantùm materialiter hæreſi Arianæ ſubſcripſiſſe; quod etiam indicat Ambr. Lib. 3. de Fide cap. ult.

XX. 2. Pronunciatum illud D. Hieron. *ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt*, non propriè & rigidè, ſed impropriè, & hyperbolicè intelligendum, quaſi dixiſſet magnum numerum fuiſſe eorum, qui Sectæ Arianæ tunc adhæſerunt; ad eum fere modum, quo Joan. 12. v. 19. Phariſæi dixerunt: *ecce totus mundus abit poſt eum.* Evidens autem eſt, tales ſermones non propriè ſumi. Quamvis igitur Arianiſmus in Oriente magnam partem hujus infecerit, in Occidente tamen malum eò non venit, teſte Baſilio Epiſt. 72. ubi ad Catholicos ſcribens & ad conſtantiam in fide adhortans: *State*, inquit, *in fide, ipſum Orbem inſpicite & videte, quàm modica ſit Portio, quæ hoc morbo* (Arianiſmi) *laborat: reliqua verò Eccleſia, quæ ab orbis finibus usq; ad fines Evangelium recipit, ſanam & rectam hanc doctrinam recipit.*

XXI. 3. Falſum eſſe, quod Molinæus de ſummis Pontificibus è divite ſuo mendaciorum loculo adjecit; Nam Liberius in Catholica fide ſemper conſtans ſubſcripſit Condemnationem Athanaſij ſolùm ob quædam ſcelera, quorum fuit ab Adverſarijs accuſatus, quem excuſat ipſe Athanaſius ſcribens ad Solitarios, quod ex timore mortis coactus fuerit. Felix verò prius quidem, quàm legitimus eſſet Papa, familiariùs æquo egit cum Arianis, poſtquam verò Sedi Apoſtolicæ ritè fuit impoſitus, & huic Arianæ & omni alij hæreſi fortiter contradixit, & pro fide Catholica etiam fuit mortuus. Videatur Bellarm. de Rom. Pont. Lib. 4. cap. 9. & Forerus de Antiquitate Papatûs Lib. 1. cap. 17. num. 7. ubi etiam refert, D. Hieronymum Epiſcopos illos Occidentis à formali hæreſi excuſantem his verbis: *currebant Epiſcopi, qui Ariminenſibus dolis irretiti ſine conſenſu hæretici ferebantur, conteſtantes Corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos: Putavimus, ajebant, ſenſum congruere cum verbis, nec in Eccleſia Dei, ubi ſimplicitas, ubi pura confeſſio eſt, aliud in corde clauſum eſſe, aliud in labijs proferri exiſtimavimus, decepit nos bona de malis exiſtimatio.*

XXII. *Tertius error* eſt eorundem Lutheranorum & Calviniſtarum ſuam etiam Eccleſiam jure vocari Catholicam. Tum quia Imperatores Romani,

Digitized by Google

mani, ut ait Heilbrunner in ſuo non Catholico Papat. fol. 460. edicto publicârunt, ut illi, qui Articulum de S. S. Trinitate confiterentur, titulo Catholicorum uterentur. Tum quia Eccleſia ſua Apoſtolorum doctrinâ; & fundamento nititur Sacris Litteris univerſim conſentaneo. Tum quia Bellarm. in Præfat. Tom. 1. ſic ſcribit: quis ignoret, peſtem Lutheranam in Saxonia paulò ante exortam mox Germaniam pænè totam occupaſſe: deinde Aquilonem, Orientémq; profectam Daniam, Nortvvegiam, Suetiam, Scotiam, Panoniam abſumpſiſſe, tum ad Occidentem & Meridiem pari velocitate delatam.

XXIII. Equidem volunt docéntq; nobiſcum Sectarij, veram Chriſti Eccleſiam eſſe Catholicam, & ſuam jactant talem. Sed cum quinque primis ſæculis Eccleſia Catholica in fide cum Romano Pontifice communicârit: & tunc temporis usque ad inchoatam reformationem nulla fuerit Catholica præter eam, quæ cum Romano Pontifice in fide conſentiebat, quomodo Eccleſia Lutherana & Calviniſtica adeo à ſummo Pontifice in fide aliena poteſt eſſe Catholica? Ulteriùs contra hunc errorem eſt, quod Lutheri & Calvini Sectæ in aliquibus tantùm partibus Septentrionalibus multiplicatæ videantur, & in illis ipſis permixti ſint Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ &c. Idem plures inter ipſoſmet Sectas eſſe, quæ ſe mutuò damnent. Riſu igitur planè dignum eſt, velle Lutheranos & Calviniſtas Eccleſiam ſuam eſſe Catholicam, ac per totum orbem diffuſam, & non poſſe nominare locum, in quo extra exiguam Europæ partem reperiantur. Argumenta allata nullius prorſus ſunt momenti.

XXIV. Reſpond. ad 1. Imperatores Romanos voluiſſe pro Catholicis haberi debere, qui myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis confitebantur, quia tunc ſolus iſte fidei Articulus controvertebatur; Nunc autem alij articuli inter orthodoxos, & hæreticos in Controverſiam trahuntur. Illi ergo ſoli appellandi ſunt Catholici, quibus hoc nomen à toto orbe amicis æq; ac inimicis tribuitur, & apud quos huic Nomini res ipſa correſpondet, nempe Romano Pontifici Petri in ſede Apoſtolica Succeſſori & Chriſti in terris Vicario adhærentes. Videri poteſt Jacobus Keller in Catholico Papatu Tom. 1. à fol. 327.

XXV. Ad 2. Sac. Scripturam ſecundùm genuinum hujus ſenſum, atq; interpretationem non admitti ab hæreticis, ex dictis abunde conſtare; ut taceam iterum, Prophetas à nobis juxta communem SS. Patrum ſenſum adductos non agere de univerſitate Scripturæ, ſed locorum potiſſimorum Mundi. Dicere autem in omni mundi parte omniq; tempore latere Lutheranos, aut Calviniſtas ſoli Deo cognitos, aut illorum Sectam ſucceſſu temporis per totum orbem diffuſum iri, eſt inane delirium. Ex quo enim fundamento dicere poſſunt, latere ubiq; ſuos, ſed ſibi incognitos? Veriùs putari poſſunt iſtæ Sectæ penitus brevi perituræ, tum quia quotidie diminuuntur, tum quia Lutheraniſmus in Calviniſmum, hic in Atheiſmum haud obſcurè ac modicè degenerat.

XXVI. Ad 3. Verba Card. Bellarmini malè intelliguntur. Nam diviſio Orientis & Occidentis &c. bifariam ſumi ſolet. 1. reſpectu totius Mundi ſuperioris & inferioris; quo modo in inferiore orbe eſt Germania ad Septentrionem, Palæſtina ad Orientem, Africa ad Meridiem. Hiſpania ad Occidentem; & hoc ſenſu Eccleſia debet eſſe Catholica per 4. plagas diſperſa. 2. Reſpectu cujuslibet partis mundi, ſicut quælibet Provincia & Urbs habet partem orientalem, occidentalem &c. v. g. Romæ porta, quæ reſpicit Orientem, dici poteſt orientalis: quæ Occidentem occidentalis: quæ Meridiem meridionalis: quæ deniq; Septentrionem, dici poteſt ſeptentrionalis, atq; hoc ſenſu Bellarm. dixit, Lutheraniſmum per quatuor mundi plagas dilatatum, ſcilicet reſpectu Germaniæ & vicinarum Regionum, quæ univerſalitas non ſufficit, ut inde Eccleſia denominetur Catholica.

XXVII. *Error quartus.* Eccleſiam Romanam non poſſe dici Catholicam. Ita ex communi aliorum hæreticorum ſenſu Petrus Molinæus in Papatu novo fol. 112. Ratio eſt. Tum quia videtur implicantia in adjecto, Eccleſiam in toto Orbe diffuſam mœnibus includi Romanis; unde Heilbrunner fol. 459. Papatûs ſui in margine ait: Catholiſch-Römiſch iſt ein Hültzenes Schier-Eiſen/ hoc eſt, Catholico-Romanum eſſe ligno-ferrum ſive chymæram. Tum quia Romana Eccleſia eſt Mater aliarum Eccleſiarum. Tum quia ſub finem mundi Apoſtatabit Apoc. 17. & 18. Eccleſiâ Catholicâ adhuc perſeverante.

XXIX. Error iſte manifeſtè repugnat Sanctis Patribus pro eodem Eccleſiam Catholicam, & Romanam accipientibus. S. Ambroſius orat in obitum Fratris hæc habet: *percontatusq; ex eo eſt utrumnam cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conveniret?* Hieron. adverſus Ruffinum ſic ſcribit: *fidem ſuam, quam vocant? eamnè, quâ Romana pollet Eccleſia? an illam, quæ in Originis voluminibus continetur? Si Romanam reſponderit. Ergo Catholici ſumus.* Similia alij P.P. habent, quibus addi poteſt Theodoſius Iunior Imperator Epiſtolâ ad Achatium cap. 10. Religionem veram appellans *Religionem Romanam.* Hanc Patrum doctrinam priori parte jam dedimus; pro cujus nunc intelligentia advertendum. Nomen Eccleſiæ Romanæ dupliciter accipi ſolere. 1. Pro particulari cœtu Fidelium in urbe Romana degentium. 2. pro Univerſali Eccleſiâ per totum orbem diffuſa. Priori modo accepit Pius IV. in Profeſſione Fidei poſt Concil. Trident. compoſita & præſcripta, cui etiam hunc Articulum inſervit: *Sanctam Romanam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco*: Poſteriori modo ſumpſerunt P.P. ut videre eſt in Catholico Papatu Jacobi Keller P. 1. fol. 338. Tum quia Roma eſt ſedes Viſibilis Capitis Eccleſiæ Catholicæ, Tum quia Magiſtra eſt Fidei; unde Imperatores ſuos ſubditos ad Romanum Pontificem amandârunt. Lege 1. Cod. de S. S. Trinit. Tum quia Princeps eſt omnium Eccleſiarum, ad cujus Principatum omnes Eccleſiæ profiteri ſe debent, ut tradit Jrenæus adverſus hæreſes Lib. 3. cap. 3. Tum quia iidem Patres ex antiqua traditione ſibi perſuaſerunt, Romam ex ſingulari Dei providentia fidem amittere non poſſe. Hinc apparet, quàm inſulſus & puerilis ſit hæreticorū riſus; an neſciunt ſæpe per ſynecdochen totum ab una parte nominari, v. g. Archiepiſcopatus ab urbe Salisburgo; An non antiquitus Romanum imperium fuit univerſale, & per totum terrarum orbem diffuſum,

Digitized by Google

& tamen ab urbe Roma pendebat? cur non etiam tota Chriſtianitas etiamnum hodie à Romana Eccleſia pendere poſſit?

XXX. Ad 1. Igitur in oppoſitum negamus; Catholico-Romanum eſſe chymeram, idémque quod ligno-ferrum. Quid ergo ſibi volunt hæc verba Pauli ad Rom. 1. v. 8. *Fides veſtra annunciatur in univerſo orbe?* Nunquid Fides Romana, de qua loquitur Apoſtolus, fuit Romana? cur Catholicum & Romanum non poſſint conjungi, aut unum pro altero poni? Ridet ergo Heilbrunner inſanè, non Nos, ſed Apoſtolum, & SS. Patres ſcurili planè audaciâ. Ad 2. dicimus, Eccleſiam omnino eſſe Matrem, & ſic à filiabus diſtinctam; atque hoc modo nomen Eccleſiæ Romanæ Pium 4. accepiſſe pro particulari Eccleſia Urbis Romanæ, quæ non includit alias Eccleſias, ſed omnes reſpicit tanquam ſubditas, & ideo dicitur Catholica, ſicut quilibet fidelis dicitur Catholicus, quia omnium aliarum Eccleſiarum Fidelibus conſentit. Sed non obſtat hoc, quominus alio ſenſu dicatur univerſalis juxta ſenſum prædictum, quo Patres illud nomen acceperunt. Ad 3. nihilominus Eccleſiam Catholicam poſſe dici Romanam per ampliationem, perinde ut crepuſculum veſpertinum adhuc dicitur dies, licet ſol jam occiderit. Taceo non omnes forſan Romanos à Fide defecturos, de quo videri poſſunt Commentarij. Et nos infra in Controverſia XXVI. An omnes Pontifices debeant eſſe Romani. Videantur DD. à Walenburch. Tom. 1. Lib. 5. de Unit. Eccleſiæ, ubi diffuſionem Eccleſiæ Romano-Catholicæ à cap. 6. pluribus contra Joannem Crocium Profeſſorem Caſſellenſem Calviniſtam (cujus argumenta ex ijs, quæ diximus, haud difficulter apparent ſoluta) defendunt, & eruditè oſtendunt, præter Eccleſiam Romano-Catholicam à primis quinque ſæculis uſque ad tempus Lutheri & Calvini impiorum ſuſceptæ ac prætenſæ reformationis Authorum, nullam veram Eccleſiam Chriſti JESU aſſignari poſſe, ſed omnes alias Sectas, earúmque Magiſtros turpiter & multipliciter erraſſe, ac deviaſſe.

CONTROVERSIA XIX.

DE ANTIQUITATE ECCLESIÆ, ſive an hæc ſit Apoſtolica?

NOmen Eccleſiæ ſi largiùs accipiatur, nemini dubium eſſe poteſt, quin antiquiſſimum ſit; etenim ſic omnes Fidelium cœtus complectendo cepit ab initio mundi in familia Adami, & hucuſque per annos ferè ſexies mille duravit. Verùm reſtrictiùs hîc de Eccleſia agimus, ſolos Chriſtianos comprehendente; unde idem eſt de Antiquitate Eccleſiæ hîc inquirere, ac de tempore & doctrina Apoſtolorum, num iſtis concordet.

IHS

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Vera Chriſti JESU Eccleſia debet eſſe Apoſtolica, hoc eſt, ab Apoſtolis inchoaſſe, & hucuſque per mille ſexcentos & plures annos duraſſe. Ita vocatur in Symbolo Nicæno, & ſumitur ex illo D. Pauli ad Eph. 2. v. 10. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU.* Ad quam appellationem tria requiruntur. 1. ut eandem teneat doctrinam, quàm olim Apoſtoli tradiderunt. 2. ut eam continuè, & ſine interruptione conſervaverit. 3. ut etiam Regimen Eccleſiaſticum ab Apoſtolis inchoatum continuâ ſucceſſione propagârit; ſiquidem Eccleſia non ſolùm eſt Schola fidei ad docendum, ſed etiam Regnum Chriſti ad gubernandum; quam quidem ſucceſſionem tanti ſemper fecêre Patres, ut etiam ob ſolius hujus defectum quoſvis hæreticos de falſitate convictos exiſtimarint, ut videre eſt apud Originem Lib. 1. Periarchon, Irenæum lib. 3. cap. 2. Tertul. Lib. de præſcriptione contra hæreſes cap. 19. 20. & 32. Auguſt. contra Epiſt. fundamenti & alios.

II. *Doctrina ſecunda.* Eccleſia Romano-Catholica eſt etiam Apoſtolica & Antiquiſſima, hoc eſt, conſtanter durat ab ipſius Chriſti & Apoſtolorum temporibus. Ita omnes Catholici. Probatur. Quia 1. Eccleſia Catholica eandem tenet doctrinam, quam olim tradiderunt Apoſtoli. 2. Eandem continuò hactenus conſervavit, ita ut nullo unquam tempore fieret aliqua Fidei mutatio: nec eadem unquam ab aliqua antiquiore Eccleſia Chriſti ſe ſeparavit. Et ſi de hæreticis ſeu heterodoxis, qui quovis tempore extiterunt, loquamur, non Nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt, ut contra ſui temporis hæreticos ſcribit etiam Cyprian. de unit. Eccleſiæ cap. 9. Et contra noſtrates Sectarios luculenter demonſtrant DD. à Walenburch Tom. 1. de Unit. Eccleſiæ toto Libro quinto. Idem nos in præſenti Opere præſtamus, per ſingulas Controverſias apertè ac ſolidè oſtendendo, univerſam Romanæ Eccleſiæ doctrinam talem eſſe, ut nullus juſtus rerum Arbiter, & qui DEUM timet, æternámque animæ ſuæ ſalutem cupit, eam improbare, atque ab eadem ſeparare ſeváleat. Videatur Jacobus Gualtier, qui in ſua Chronographia eruditiſſimè oſtendit conſenſum veterum Doctorum, atque ipſorum Apoſtolorum cum doctrina noſtratis Eccleſiæ; nec hæretici unicum nominare poſſint Articulum, in quo noſtra moderna Eccleſia ab antiqua & prima deſciverit. 3. Regimen Apoſtolicum in S. Petro inchoatum per continuam ſummorum Pontificum ſucceſſionem conſervatum fuit, ut videre eſt paſſim in tabulis Chronograph. tum Card. Bellarmini, tum aliorum.

III. Confirmatur doctrina noſtra auctoritate Patrum, quorum verba copioſè adducit Jacobus Keller in Papatu Catholico à fol. 342. ſufficiat nobis D. Auguſt. qui lib. contra Epiſt. Fundamenti cap. 4. enarrando ſua motiva, quibus in Eccleſia detineatur, ita ſcribit: *Ut omittam ſapientiam, quam in Eccleſia Catholica eſſe non creditis, multa ſunt alia,*

Digitized by Google

alia, quæ in ejus gremio juſtiſſimè me detineant; tenet conſenſus populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem ſuam Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio. Ubi S. Pater clarè aſſerit perpetuitatem Romanæ Eccleſiæ tam quoad ſucceſſionem Epiſcoporum in ſede Petri, & regimine Eccleſiaſtico, quàm quoad doctrinam Apoſtolicam, & conſtantem in ea conſenſionem populorum ac gentium. Nititur autem hæc Perpetuitas promiſſione Chriſti Matth. 17. v. 18. quod nimirum adverſus Eccleſiam illam, quæ ſupra Petrum eſt ædificata, portæ Inferi non ſint prævalituræ. Unde pulcherrimè Athanaſius in Oratione, quod unus ſit Chriſtus, ſic ſcribit: *Tu es Petrus, inquit Chriſtus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; fidelis ſermo & non vacillans promiſſio, Eccleſia invicta res eſt. Etiamſi Infernus ipſe commoveatur, & ſi qui in inferno ſunt, mundi principes & tenebrarum tumultum faciant.* Et quia Eccleſia Romana in diuturna admodum eſt poſſeſſione Apoſtolicæ doctrinæ & ſucceſſionis, per mille ſcilicet ſexcentos & amplius annos in iſta durans, idcirco nec tenetur quidem ad aliam probationem, ſed in ſuæ poſſeſſionis jure perſeverat, donec ejus Adverſarij contrarium conſpicuo aliquo argumento probent, quod in æternum non facient.

IV. *Doctrina tertia.* Nulla Secta hæreticorum eſt Apoſtolica, & eam, quam diximus, habet Antiquitatem. Ratio ſumitur ex defectu triplicis conditionis ad hanc denominationem requiſitæ. Nam 1. doctrina Sectariorum non eſt Apoſtolica v. g. quod Chriſtus ſecundùm Humanitatem ſit ubique: quod homo ſolâ fide juſtificetur: quod Sacrificium Miſſæ ſit abominatio & idololatria: quod Sancti non ſint invocandi, nec illorum Imagines honorandæ: quod non detur Purgatorium: quod Romanus Pontifex ſit Antichriſtus &c. Sed tam hi quàm omnes alij fidei Articuli, in quibus hæretici ab Eccleſia Romana diſcedunt, directè Apoſtolorum doctrinæ adverſantur, ut conſtat ex illorum epiſtolis, & ſuis locis demonſtratur.

V. 2. Nulla illorum Secta continuò duravit à tempore Apoſtolorum uſque ad præſens tempus. Cum enim Lutherus primùm circa Annum Chriſti 1517. fidem innovaverit, ac in Religionis doctrina toti Eccleſiæ tunc exiſtenti ſe ſe oppoſuerit, uti apud omnes manifeſtum habetur, ſequitur planè ante Lutherum neminem fuiſſe, cum quo Lutherus in fidei doctrina conſpiraret. Eadem eſt ratio aliorum Novatorum. Unde cum ſæpe ſæpius à Catholicis poſtulatum fuiſſet, ut intra proximos mille annos aliquam Eccleſiam ſive cœtum, vel unicum hominem nominarent, qui in fidei doctrina omnibuſque & ſingulis articulis idem ſenſiſſet, quod ipſimet Sectarij hodie ſentiunt; id præſtare haſtenus nunquam potuerunt, imò nec præſtare ſeriò tentaverunt. Videri poteſt egregium Opus poſthumum P. Laurentij Forer; cujus Titulus: Wunder über Wunder / hoc eſt: Mirum ſuper Mirum. Ovum ante Gallinam: Filius ante Patrem: Lutheraniſmus ante Lutherum. Et DD. à Walenburch Tom. 2. Tract. 3. cujus titulus: Ubi Eccleſia Chriſti fuerit ante Lutherum à fol. 83. Nobis ſufficiat ipſorum Adverſariorum Confeſſio. Lutherus in Præfatione ſuorum operum hæc expreſſa verba habet: *Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiſſimus & indoctiſſimus; caſu enim non voluntate nec ſtudio in has turbas incidi, Deum ipſum teſtor.* Caſu ait: id eſt, inconſideratè, quia enim obtinere non potuit, ut prædicando promulgaret indulgentias, vituperare haſce cepit, & cum aures vituperijs pronas adverteret, plus auſus tandem omnia evertit. Melanchthon in præfat. 1. Tom. Lutheri ait: *Poſt denſas admodum tenebras Evangelij lucem Eccleſiæ miniſterio Lutheri redditam eſſe, & Deo gratias agendas, quod hanc Evangelij lucem rurſus patefecit.* Calvinus in reſponſione ad Sandoletum: *Palam eſt, inquit, conſpicuùmque eruditis ſimul ac indoctis, proſtratum fuiſſe Chriſti Regnum, cùm erectus eſt Pontificij Romani Principatus; ſublatâ fidei juſtificantis cognitione, & Chriſti gloria extincta eſt, & abolita Religio, & Eccleſia deſtructa, & ſpes ſalutis penitus everſa.* Et Lib. 3. cap. 11. §. 15. ſcribit: *Ac ne Auguſtini quidem ſententia recipienda eſt, qui gratiam ad juſtificationem refert, quâ ad vitæ novitatem generamur.* Quis ex his niſi prorſus cæcus non clarè perſpicit, per iſtam Novatorum conceſſionem, Sectas illorum Lutheranam & Calvinianam non à tempore Apoſtolorum, ſed poſt mille quingentos annos primùm à Luthero & Calvino orbi invectas eſſe?

VI. 3. Nullam habent ſucceſſionem Præſulum continuâ ſerie fidelem populum ritu Eccleſiaſtico gubernantium; cui enim Præſidi ſucceſſit Lutherus aut Calvinus? Indubitatum igitur eſſe debet, apud Lutheranos & Calviniſtas nullam eſſe Apoſtolicam Succeſſionem; & conſequenter nullam Antiquitatem Eccleſiarum, ſed novas eſſe, ſumpto initio à Luthero & Calvino, qui cum non fuerint conſecrati Epiſcopi, nullam poteſtatem habuerunt ordinandi, & de Chriſtianitate diſponendi. Unde Nos Romano Catholici cum Tertulliano de præſcriptionibus cap. 32. dicere Lutheranis & Calviniſtis jure meritiſſimò poſſumus: *Edant origines ſuarum Eccleſiarum, evolvant ordinem ſuorum Epiſcoporum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis aut viris Apoſtolicis (qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit) habuerit Auctorem & Anteceſſorem, ſicut Romana Eccleſia Clementem à Petro ordinatum refert.* Hæc, inquam, ut nos Catholici dicere poſſumus: ita Novatores ad eadem muteſcunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VII. *Error primus* eſt Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. à fol. 873. Antiquitatem ac Succeſſionem non eſſe genuinam & infallibilem Eccleſiæ veræ Notam. Probant: Tum quia Eccleſia Cainina habuit ſine dubio antiquitatem & ſucceſſionem per 1600. & plures annos, quæ tamen idcirco melior non fuit. Tum quia Pontifices Hieroſolymitani oſtendere potuerunt continuam omnibus retro annis ſucceſſionem uſque ad Aaronem ſummum à Deo creatum Pontificem, qui tamen inde non fuerunt probati in Religione. Tum quia Antiquitas & continua Succeſſio apparet etiam in Imperatoribus Romanis; in Imperatoribus Conſtantinopolitanis ab

Digitized by Google

ultimo Conſtantino Palæologo uſque ad Conſtantinum Magnum; imò in Imperatoribus Turcicis uſque ad Othomannum, qui tamen omnes non fuerunt boni Chriſtiani.

VIII. Errorem hunc ſatis in priori parte rejecimus. Univerſim loquendo. Quicunque generis ſui antiquam Nobilitatem demonſtrare cupit, is genealogiam ſtirpis ſuæ texit, & per Avorum, Abavorum, Tritavorum, ac Majorum aliorum lineam nunquam interruptam Aſcendentium ſuam originem evoluit, quouſque ad ejuſdem ſtipitem perveniat. Quod teſtimonium ad rem demonſtrandam tam eſt certum, ut hoc probationis genere nullum inter homines ſyncerius aut verius æſtimari ſoleat. Cum ergo Chriſtus Eccleſiam ſuam ab Apoſtolis ceperit, & nominatim ſuper Petrum ejúſque in ſede Succeſſores eam ædificaverit, promittens eidem ſuam omnibus diebus præſentiã Math. 28. v. 20. Spiritũ veritatis Ioan. 16. v. 18. invictas vires contra inferni portas Matth. 16. v. 18. &c. Si Eccleſia quæcunq; glorietur, ſe eſſe hanc nobiliſſimam Chriſti Eccleſiam, incumbit ipſi ex comuni hominum ſenſu liquidò demonſtrare, penes ſe eſſe doctrinam Apoſtolicam, continuationem ejuſdem à tempore Apoſtolorum, gubernationem atq; in ſede Petri non interruptam ſucceſſionem per modernum & alios atq; alios omnes ſummos Pontifices uſque ad ipſum primum in terris Chriſti Vicarium D. Petrum Apoſtolorum Principem. Atqui hoc nulla alia Secta demonſtrare poteſt, ſed ſola id valet Romana Catholica Eccleſia. Ergo ſola iſta eſt vera Chriſti Eccleſia. Unde S. Epiphanius relatâ ſucceſſione Romanorum Epiſcoporum ſic concludit: *Nemini ſane mirum videatur, cur ſingula tanta cum diligentia percurrerim; per hæc enim perpetuò certa accurataq; veritas oſtenditur.* Atq; hæc demonſtratio, quam re ipsâ præſtat Eccleſia Catholica, non eſt ex ſola Antiquitate, aut nuda Succeſſione in Cathedra Petri, ſed ex ea, quam diximus, ſpeciali Chriſti promiſſione, vi cujus Eccleſia illa in errorem induci, hæreſi inquinari, atque ita à portis Inferni ſuperari non potuit. Ex quibus jam apparet vana & futilia eſſe Adverſariorum fundamenta.

IX. Reſpondetur ad 1. Cainianæ Eccleſiæ Antiquitas, & Turcica ſucceſſio non eſt contra nos; quia non quamlibet ſucceſſionem & antiquitatem intelligimus, ſed quam Chriſtus affirmavit, & Patres nobis commendârunt.

X. Ad 2. Judaica etiam Eccleſia fruſtra adducitur, ſi nuda continuatio intendatur, quantumvis illa vera perſeverârit Eccleſia uſque ad mortem Chriſti, & Iudæi ac Pontifices fidem ac pontificatum ſuum rectè probârint ex continua ſucceſſione ab Abrahamo & Aarone ſummo Pontifice à Deo ordinato; unde etiam ſui templi Religionem contra Samaritanos coram Rege defenderunt, & conſervarunt, ut ſcribit Joſeph Lib. 13. Antiq. cap. 6. Imò Chriſtus ipſe teſtimonium illis dedit Matt. 23. v. 2. *Super Cathedram Moyſis &c.* quod autem aliqui privati Judæi doctrinam Moyſis non obſervârint, hoc Judaicæ ſucceſſioni & fidei antiqui Teſtamenti nihil demit ac præjudicat.

XI. Ad 3. Romanorum quoq; Imperatorum antiquitas & ſucceſſio alia longè fuit, quám Eccleſiæ noſtræ Romanæ, quæ ſub illis ſæpe crudeliſſimis & potentiſſimis hoſtibus mirabiliter fuit conſervata, ut videre eſt apud Baroniũ, Bzovium Franc. à Corialano &c. Cum interea ipſum Imperium frequenter ſe mutaverit, & à Romanis ad Græcos, ab iſtis ad Francos, & demum ad Germanos devenerit. Pari ratione nullum eſt Regnum, quod tam diu perſtiterit cum populo ſuo, quàm Eccleſia & Papa cum ſuis Fidelibus ac Catholicis. *Non fecit taliter omni Nationi* Pſal. 147. v. 8.

XII. Secundus Error eſt Lutheranorum, & Calviniſtarum apud Ameſium] Tom. 2. fol. 63. Eccleſiam noſtram Romanam non eſſe Apoſtolicam. Probant. Tum quia in multis Apoſtolicæ doctrinæ adverſatur. v. g. in Tranſubſtantiatione, Miſſa, Mutilatione Cœnæ Domini, Purgatorio, Invocatione Sanctorum &c. Tum quia non ſemper in eadem doctrina perſtitit, ſed novas identidem Articulos addidit per Concilia vel Pontifices definitos, & alia multa nova invexit, de quibus Veteres nihil ſciebant. Tum quia ſucceſſio Pontificum eſt valdè incerta; imò primum Petri ſucceſſorem neſciunt Papiſtæ, an ſcilicet iſte Linus, an Clemens fuerit: ſubinde etiam ſedes vacavit, aut plures extiterunt Papæ, ut neſciretur, quis illorum eſſet legitimus. Tum quia ex S. Scriptura conſtat, ſucceſſionem in Eccleſia fuiſſe per apoſtaſiam & regnum Antichriſti interruptam.

XIII. Errorem hunc priori parte doctrinâ tertia ſatis rejecimus. Et quia hæretici Eccleſiam ſuam hâc coronâ nobilitatis Apoſtolicæ, hoc eſt, veræ Antiquitatis ac legitimæ continuatæque ſucceſſionis in ſede Petri deſtitutam vident, eandem Romanæ etiam Eccleſiæ fraudulenter detrahere nituntur, ſed fruſtra; Etenim tam fixè à Chriſti promiſſione & Patrum aſſertione fuit ei impoſita, ut potius iſti perituri, quàm præſtantiſſimum hoc decus à Capite Eccleſiæ noſtræ ſublaturi ſint. *Dominus diſſipat Conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat Conſilia Principum. Conſilium autem Domini in æternum manet* Pſal. 32. v. 10. Quidni etiam infringat conatus hæreticorum? Argumenta horum nihil convincunt.

XIV. Reſpondetur ad 1. graviſſimam eſſe calumniam Ameſij, Gerhardi, Molinæi, Muſæi & aliorum Novatorum, quod doctrina modernæ Eccleſiæ Romanæ adverſetur doctrinæ ab Apoſtolis traditæ. Oſtendant hæretici, Eccleſiam noſtram vel in unico puncto Fidei ab Apoſtolico veſtigio recedere; quæ enim aſſerunt de Tranſubſtantiatione, Miſſæ Sacrificio, Invocatione Sanctorum & triginta alijs punctis, quæ apud DD. à Walenburch Tom. 1. de Unit. Eccleſ. Lib. 5. c. 12. à Crocio Calviniſta adducuntur, ſuis omnia locis apertè demonſtrantur concordare cum doctrina Apoſtolorum & Antiquorum Patrum, ut contra hæc nihil Adverſarij niſi cavillari poſſint. Nôrunt etiam Proteſtantes Theologi, Orientalem Eccleſiam cum Romana in prædictis fidei Articulis convenire; cum enim ipſi ad Conſtantinopolitanum Patriarcham ſcriberent, & cum eo tanquam ſupremo Eccleſiæ Græcæ Capite unionem facere vellent, ob contraria ſua dogmata & errores, turpiſſimam repulſam tulerunt, ut videre eſt in reſponſorijs Litteris ipſius Patriarchæ, quas præter alios refert Timotheus Laubenberger in Tract. cui Titul. Quare non vis fieri Catholicus?

XV. Ad 2. Concedimus, ſucceſſu temporis aliquo modo nova quædam dogmata ab Eccleſia definita eſſe, ſed prioribus non contraria. Dixi *aliquo modo nova.* Nam in Eccleſia eſt poteſtas definiendi aliqua, quorum explicita revelatio non habetur in Scriptura v. g. hunc vel illum eſſe Sanctum,

Digitized by Google

ctum, inter Beatos in Cœlo: vel ſi ſunt explicitè revelata, verbis tamen obſcuris & æquivocis, quorum interpretatio pertinet ad Eccleſiam, quæ poteſt definire, quis ſit legitimus ſenſus illorum v.g. quod per hæc verba (*accipite Spiritum Sanctum &c.* Joan. 20. v. 23.) fuerit inſtituta poteſtas abſolvendi Sacramentaliter: vel deniq; quia talis revelatio non eſt nobis ſufficienter applicata, eò quod conſiſtat in verbo non ſcripto, ſed tradito, ut quod parvuli ſint Baptizandi; hæc, inquam, & ſimilia recèns definita prioribus fidei Articulis non ſunt contraria, cum ex horum declaratione illa eruantur.

XVI. Ad 3. Si certum ſit, Clementem D. Petro in Cathedra ſucceſſiſſe, parùm referre, an alius poſt Petrum præiverit vel non, nec idcirco de ſucceſſione Romanorum Pontificum dubitandum eſſe. Atqui ex antiquiſſimorum Patrum teſtimonijs certum eſt, Clementem D. Petro ſucceſſiſſe. Quid clariùs verbis iſtis D. Hieronymi in cap. 5. Iſajæ: *de quo & Clemens vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam.* Solùm in hoc non convenit inter Auctores, quod aliqui putent, Linum & Cletum fuiſſe Vicarios tam Petri, quàm Clementis, qui ſæpe Româ abfuerunt: alij verò ſentiant, illos Linum ſcil. & Cletum poſt Petrum fuiſſe ordinarios Epiſcopos Romæ, & quidem ante Clementem, eò quod Clemens, cui S. Petrus ante Martyrium Sedem ſuam commiſerat, ex humilitate tanti officij indignum ſe ratus noluerit illo fungi, dum Linus & Cletus, qui jam antea, vivente adhuc Petro, Eccleſiam tanquam Vicarij adminiſtrabant, ſuperſtites erant. Hæc autem lis de circumſtantia ſucceſſionis nihil ſubſtantiæ rei demit tam in Clemente, quàm alijs ſummis Pontificibus, niſi etiam Adverſarij Nativitatem Chriſti in dubium trahere aut negare velint; quia non ſcitur certò, quo anno Auguſti Rom. Imperatoris illa contigerit. Si aliquando Sedes D. Petri vacavit, non fuit diuturna vacatio, ſed unius vel alterius anni; exigua autem mora reſpectu tot Sæculorum non tollit moralem continuitatem; quis enim non dicit, continuò per diem pluiſſe, etiamſi paululùm ceſſaverit per unum aut alterum quadrantem, vel etiam horam? Pluralitas Pontificum ſimul regnare volentium etiam non interrumpit continuationem ſucceſſionis in Sede D. Petri, quia vel ſtatim fuit agnitum, quis eorum fuerit legitimè electus, & cæteri tanquam Schiſmatici damnati, vel ſi dignoſci non poſſet, omnibus depoſitis novus quidam fuit electus, ut interpoſita incertitudo exigui temporis fuerit inſtar vacationis.

XVII. Ad 4. Apertum eſſe Heilbrunneri & aliorum Prædicantium mendacium. Nam ſi tota Scriptura à capite uſque ad calcem perlegatur, nuſquam in ea aſſertum invenitur, totam Chriſti Eccleſiam, ſeu omnes ſimul Eccleſiæ Doctores aliquo tempore circa fidem errare, aut ullis circa fidem erroribus infici poſſe. Sed hoc ſolùm in diverſis locis S. Scripturæ invenitur, tum falſos Prophetas & Doctores exorituros, qui ſeducant multos, quod etiamnùm hodie in Calvino & Luthero, alijsq; eorum aſſeclis videmus, tum ſub tempus Antichriſti (cujus prodromos Sectarum Coriphæos agnoſcimus) inſignem quandam à fide apoſtaſiam eventuram eſſe, non tamen omniū etiam Electorum, ut conſtat ex ipſis Chriſti verbis Matth. 24. v. 24.

XVIII. Dicant etiam Sectarij, quo tempore, quo modo, quo indubitato teſtimonio Apoſtatârit Eccleſia Romana? An non omni tempore Romani Pontifices Concilia Oecumenica approbârunt? Hæreticos damnârunt? in reliquos Epiſcopos juriſdictionem monſtrârunt? Non fuit unquam hæreſis aut Novitas tam levis, quam non ſtatim Doctores & Patres oppugnârunt, Concilia condemnârunt, hiſtorici annotârunt. Quomodo ergo fieri potuit, ut Romana Eccleſia Apoſtataret, & nemo hujus Apoſtaſiæ Auctorem, tempus, modum nominare poſſet? Unde ipſiſſimum etiam mendacium eſt eorundem Prædicantium, quod Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtetur, ſucceſſionem puræ ac veræ Eccleſiæ in omnibus præcipuis locis, ubi Evangelium fuit prædicatum, interruptam fuiſſe. Quis enim eſt ille Hiſtoricus hoc ſcribens? quod illius nomen? Ubi eſt illa Hiſtoria? Nec ullus unquam Auctor hoc ſcripſit: Nec vos legiſtis: Sed purum & inane veſtrum eſt figmentum &c. Videatur Jacobus Keller. loc. cit. fol. 374.

XIX. Error Tertius eſt eorundem hæreticorum, Eccleſiam Lutheranam & Calviniſticam rectè dici Apoſtolicam. Probant. Tum quia doctrinam Chriſti & Apoſtolorum habent, eidemq; firmiter adhærent. Tum quia Fides illorum continuè in mundo viguit etiam in medio Papiſtarum. 1. In infantibus, quibus Fides vera & nullis adhuc Papiſticis erroribus inquinata infunditur. 2. In adultis rudioribus, qui Articulum de SS. Trinitate, Orationem Dominicam & Symbolum Apoſtolicum tenebant; contra quæ ſecundùm Litteram Papiſtæ nihil moverunt. 3. In quibuſdam occultis, qui etſi non vocarentur Lutherani, aut Calviniani, tamen in fundamento ac capitalibus Articulis Evangelicæ doctrinæ adhæſerunt. 4. In moribundis, quibus etiam Catholici Sacerdotes inculcare ſolent, ut non in ſuis operibus, ſed in Chriſti meritis confidant; unde ajunt, D. Bernardum & Carolum V. Imperatorem in gravibus & ultimis ſuis morbis Articulum de gratuita Juſtificatione per fidem ſuiſſe amplexos. Videri de hoc poteſt Joan. Gerhard. Lib. 2. p. 3. Art. 23. cap. 3. ubi Novator iſte plura ſimilia tradit. Tum quia ſucceſſio legitima in Apoſtolico prædicandi munere Luthero & Calvino non defuit, qui tum à Deo extraordinariè, tum ab homine ad id conſtituti fuerunt.

XX. Errorem hunc rejicit defectus tum Succeſſionis, tum Vocationis, tum Doctrinæ Apoſtolicæ. Nam quis ſucceſſor Apoſtolorum Lutherum aut Calvinum in Epiſcopum ordinavit? Quis etiam Patrum per mille quingentos & plures annos doctrinam Lutheri aut Calvini tenuit? An non Reformatores iſti fatentur, ſe diſceſſiſſe ab Eccleſia Romano-Catholica, ut vidimus §. 5. In parte autem diviſa nequit eſſe perpetua ſucceſſio; cum enim conſtet de initio diviſionis, conſtat quoque de initio ſucceſſionis, non à Chriſto inſtitutæ, ſed ab homine inchoatæ, adeoquè nec perpetuæ. Libet igitur ex vobis Prædicantibus quærere. Si hodie thraſo aliquis ſurgeret, diceretquè, omnes Chriſtianos Doctores errare in myſterio SS. Trinitatis, neſciređ; Scripturam Sacram; iſtam alio longè & hucuſque abſcondito modo intelligendam eſſe; an non diceretis huic, ut illud probaret; & aſſerenti, Apoſtolos eodem prorſus modo, ac ipſum, intellexiſſe, ſemperquè fuiſſe occultos quoſdam Chriſtianos, non autem ſe ſe prodidiſſe; an non ſubitò

Digitized by Google

ſubitò exploderetis eundem, aut etiam baculo abigeretis? Ita ſtatim ab initio cum Luthero & Calvino agi debuiſſet pro merito doctrinæ ipſorum novæ, quam poſt tot ſæcula attulerunt, ut ex refutatione hujus erroris patebit.

XXI. Reſpondetur ad 1. Hunc eſſe thraſoniſmum omnibus hæreticis conſuetum; omnes quippe jactant, ſuam doctrinam eſſe ipſiſſimam doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum; qui tamen ex eo aperti mendacij convincuntur, quod poſt Apoſtolorum tempora nec unicum oſtendere poſſint Chriſtianum Doctorem, qui cum ipſis idem quoad omnia in fide ſenſerit, nec monſtrare ullam Eccleſiam, in qua talis doctrina continuò duraverit, imò nec ullum fidelem hominem, qui illam doctrinam disertè fuerit profeſſus.

XXII. Ad 2. Quomodo Fides Sectariorum ſemper in orbe inter ipſos etiam Catholicos viguit, cum disertis verbis Lutherus illam à ſe recèns mundo fuiſſe illatam affirmet? Sic ſcribit in Epiſt. ad Miniſtros verbi Dei apud Argentinam: *Chriſtum à nobis primò vulgatum, audemus gloriari*; ſed nec apparet, in quibus viguerit continuè Lutheranorum & Calviniſtarum fides.

XXIII. Non 1. In infantibus; eſt planè ridiculum in re tanti momenti pro teſtibus adducere infantes, qui neſciunt, quid credant, utpote rationis nondum compotes. Egregiè hoc argumentum contra Petrum Haberkorns, Andream Kesler, Melchiorem Nicolay reijcit P. Laurentius Forer in citato opere ſuo poſthumo, quod Lutheraniſmus fuerit ante Lutherum &c.

XXIV. Non 2. In Adultis rudioribus. Hi enim hoc ipſo, quod rudes ſint, non plus credatur, quàm doctis & ipſorum præpoſitis. Papiſtæ nihil quidem contra myſterium SS. Trinitatis, Orationem Dominicam, & Symbolum Apoſtolicum moverunt, aliter tamen ſemper intellexerunt, ac explicarunt, quàm modò faciunt Sectæ iſtæ.

XXV. Non 3. In occultis quibuſdam Evangelicis. Nam ſi iſti nulli fuerunt cogniti, & ita timidi, ut veritatem palam dicere non auderent, unde aliquid de ipſis nôrunt Prædicantes? Nemo ante Lutheri tempora fuit, qui non adoraret conſecratam Hoſtiam, honoraret B. Virginem, & hanc aliósque Sanctos invocaret; hæc autem eſt Idololatria apud Sectarios; quomodo ergo in fundamento & capitalibus Articulis Lutheranis & Calviniſtis conſenſerunt? Nemo quoque ante Lutheri & Calvini tempora fuit, qui non operibus bonis & in gratia Dei factis meritum adſcriberet, atque inde præmium à Deo ſperaret: Item qui non crederet, opera pænitentiæ itidem in gratia Dei exercita placare Deum, & pro temporali pæna ſatisfacere; hiſce autem ajunt Novatores, Chriſtum omninò repelli, deſeri, negari; quomodo ergo in fundamento & capitalibus articulis Lutheranis & Calvinianis conſenſerunt? &c. At Spiritus Sanctus forſan illos ſuâ inſpiratione Evangelicam ſolùm doctrinam docuit? Cur non etiam fecit, ut Apoſtoli & Evangeliſtæ cognitam hanc veritatem alijs annunciarent.

XXVI. Non 4. In moribundis. Nam, dum iſtis merita Chriſti proponuntur, non excluduntur bona opera, quaſi nihil ad ſalutem valeant; illorum tamen non expedit fieri mentionem. Tum propter periculum vanæ gloriæ. Tum propter incertitudinem, num rite facta placuerint Deo, aut per ſubſequens peccatum non fuerint extincta. Unde Job. cap. 9. v. 28. ait: *verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.*

XXVII. Atque in hunc modum intelligendi ſunt S. Bernardus, & Carolus V. Imperator, quorum uterque bonorum operum ac meritorum causâ in locos ſacros ſeceſsêre; ille in adoleſcentia: iſte in vegeta adhuc ætate poſt Romani ſceptri Imperij & tot Regnorum coronas poſitas. Quod enim in ultimis & gravibus morbis Chriſti Paſſionibus ac Meritis ſe ſolarentur, minimè fecerunt illud, quaſi ſolâ fide ſalutem æternam obtineri poſſe arbitrarentur, uti ſtolidè ſibi imaginantur Prædicantes Lutherani ac Calviniani, ſed quod timerent occulta DEI & ab oculis hominum abſcondita judicia: quod ſummâ animi demiſſione acti operibus ſuis bonis diffiderent, non planè certi, an Divinæ Majeſtatis oculis placerent, ſiquidem *neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit* Eccleſ. 9. v. 1: quod denique probè ſcirent, hæc ipſa opera bona non tam ſua, quàm Chriſti JESU eſſe, utpote hujus maximè miſericordi motu, auxilio, ac ductu facta, ſine quo divino adjumento ipſi libero ſuo arbitrio & naturæ viribus eadem facere non potuiſſent. Ex hiſce cauſis non ſolùm D. Bernardus & Carolus V. Imperator, ſed omnes nos Romano-Catholicæ veræque Eccleſiæ Filij, quantumvis pro viribus & conceſſis cælitus auxilijs bonis operibus ſtudeamus, & iſta ad ſalutem æternam neceſſaria eſſe, fide teneamus. Chriſte JESU tamen pedibus humillimè advolimur: ſpem noſtram omnem in eo ponimus: ejus SS. paſſionibus & meritis tum in vita tum in morte nos commendamus: ejus denique Bonitate & Miſericordiâ nos in ultimo præſertim agone conſolamur. Et quid ex his ad ſolam, inanem, putam, putidam, ac mortuam fidem, quâ ſalvari homines nequeunt: ſeduci per illam ac perdi æternùm à Prædicantibus poſſunt.

XXVIII. Ad 3. Lutherum & Calvinum nec immediatè à Deo vocatos ad reformationem Eccleſiæ; ſiquidem hanc ſuam vocationem, non probârunt, neque poſſunt miraculis probare; ſicut tamen fecerunt Moyſes & alij. Unde Tertullianus Lib. de Præſcript. c. 30. aiens: *Probent novos ſe Apoſtolos eſſe editis ſcilicet miraculis*: nec mediatè per Civilem vel Eccleſiaſticum Magiſtratum; quia Princeps & Magiſtratus civilis nihil juris habent in officia Eccleſiaſtica, quæ pertinent ad Regnum Chriſti: Epiſcopi verò ordinando Sacerdotes non tribuunt eis facultatem prædicandi, ſed aliâ ſpeciali conceſſione opus eſt. Et quando etiam ſive Doctoribus ſive Sacerdotibus facultas prædicandi Evangelij conceditur, intelligitur ea poteſtas non alio modo faciendi, quàm juxta interpretationem & ſenſum, quem de S. Scriptura tenet Sancta Mater Eccleſia. Sed de hoc plura infra.

:o: IHS. :o:

CON-

CONTROVERSIA XX.

DE VISIBILITATE ECCLESIÆ.

Viſibilitas alia eſt ſenſibilis, alia intelligibilis; illam habent corpora colorata & mobilia, quæ in oculos incurrunt, ut ſtellæ & elementa: iſtam habent objecta inſenſibilia intellectui propria, ut veritas, honeſtas &c. utraq; Eccleſiæ eſt neceſſaria, ut ab alijs Sectis internoſci, & diverſa fides cognoſci ab intellectu poſſit. Duplex autem judicium intellectûs de eadem Eccleſia formari poteſt; unum quod diverſam ab alijs habeat fidem: alterum quod habeat fidem veram. Tractat de hac Viſibilitate Card. Bellarm. Lib. 3. de Eccleſia cap. 11. ante Notas ejuſdem Eccleſiæ, quaſi per illam maximè diverſitas Fidei: ex his autem veritas ejuſdem innoteſceret.

Status ergo quæſtionis eſt. Utrum Eccleſia Chriſti vera aliquando & per aliquot etiam ſæcula ita poſſit eſſe occulta, ut ſint tantùm pauci homines, qui veram fidem profiteantur: atque hi ipſi exiſtant alijs incogniti? Negant hoc Catholici affirmantes, ſemper fuiſſe, eſſe, & fore in quatuor mundi Partibus hominum cœtus, qui Fidem veram taliter profiteantur, & Sacramentorum inter ſe communionem habeant, ac ſub legitimo Paſtore vivant, ut noti ſint non ſolùm ſibi quiſque privatim, vel etiam pauci inter ſe, ſed etiam pluribus extra Eccleſiam exiſtentibus, quantumvis publicus Verbi Dei & Sacramentorum uſus non permittatur. hoc poſito.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Eccleſia Chriſti vera eſt, ſemperq; fuit, & erit viſibilis. Ita Catholici Doctores. Probatur 1. Ex Sac. Scriptura, quæ Eccleſiam veram comparat rebus illiuſtriſſimis, & maximè conſpicuis, ſcilicet ſtellis & montibus. Iſajæ 2. v. 2. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eam omnes Gentes; & ibunt populi multi, & dicent: venite & aſcendamus ad montem Domini.* Hæc eadem propè verba habentur Micheæ 4. v. 1. Concinit David Pſal. 47. v. 1. & 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, in Monte Sancto ejus, fundatur exultatione univerſæ terræ Mons Sion, latera Aquilonis Civitas Regis magni,* per Montem autem intelligi Eccleſiam Chriſti viſibilem ac veram, apertè conſtat ex ipſo contextu. Pſal. 88. v. 30. Comparatur Throno ſempiterno, & v. 38. ipſi Soli, qui ſemper eſt viſibilis, ac Lunæ ſemper plenæ, quo etiam juxta Patrum explicationem ſpectat illud Pſal. 18. v. 6. *in Sole poſuit Tabernaculum ſuum,* in quæ verba ſic ſcribit Auguſtin. in Concione 2. in Pſalm. cit. *in manifeſtatione* (poſuit) *Eccleſiam ſuam non in occulto, non quæ lateat, non velut operta.* Et paulò poſt: *in Sole poſuit Tabernaculum ſuum; quid tu hæreticè fugis ad tenebras.* Accedit clariſſimum Chriſti Teſtimonium Matth. 5. v. 14. *vos eſtis lux mundi, non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.*

II. Non obſtat 1. Etiam ſtellas & montes, atq; ipſas civitates montanas ſubinde nebulis & nubibus occultari. Nam nihilominus ex ſe ſunt viſibilia, tametſi per extrinſecum obſtaculum illorum viſio interdum impediatur. Adverſarij autem volunt, Eccleſiam per ſe eſſe inviſibilem, nulliſq; externis indicijs manifeſtatam, ut audiemus; imò Eccleſiæ Viſibilitas nec per externa obſtacula impediri poteſt; quæ enim forent obſtacula, niſi perſecutiones Gentilium & Hæreticorum, per quas tamen non ſolùm non obſcuratur Eccleſia, ſed etiam magis illuſtratur; tunc quippe generoſi Martyres & voce & ſanguinis profeſſione Fidem teſtantur: tunc plurimi libri contra hæreticos eduntur, publicæ Diſputationes inſtituuntur, Concilia celebrantur &c.

III. Non obſtat 2. Nonnullos ex Patribus velle, Chriſtum Matth. 5. non totam Eccleſiam, ſed ſolùm ejus Præſules comparare civitati montanæ, non ratione Fidei, ſed morum, qui omnium oculis obſervantur, & latere non poſſunt. Nam hoc ipſo, quod præpoſiti ſint conſpicui, etiam ſubditorum grex ſit conſpicuus, cum ſint correlativa Prælatus & Subditus, & unum ſine altero cognoſci nequeat. Unde Chriſtus non de parte ſolùm, ſed de tota Eccleſia loquitur.

IV. Probatur 2. ex Patribus, quos fusè adducunt alij. Nobis ſufficiant unus & alter. Origines Homil. 30. in Matth. ſic ſcribit: *Eccleſia Domini plena eſt fulgore ab Oriente uſq; ad Occidentem.* D. Chriſoſt. Hom. 4. in cap. 6. Iſajæ: *facilius eſt,* inquit, *Solem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari,* D. Auguſt. Epiſt. 170. Ad ſeverinum hæc habet: *facile eſt tibi attendere & videre Civitatem ſuper montem conſtitutam, de qua Dominus dicit in Evangelio, quod abſcondi non poſſit; ipſa eſt enim Eccleſia Catholica, unde* καθολικὴ *græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffundatur.* Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ dicit: *Eccleſia Domini luce perfuſa radios ſuos per orbem terrarum ſpargit,* Cyrillus Lib. 2. in Iſajam cap. 17. hæc habet: *ſignificat* (Iſajas cit. cap. 2. v. 2.) *Eccleſiam magnam & ſubjectum intelligentiæ montem; nihil enim in ea humile: non protrita aut proiecta dogmata, ſed quidvis eſt magnum & excelſum, vera ſcilicet Dei cognitio, & illuſtris Salvatoris noſtri myſteriorum patefactio, Sion autem montem nominat ſæpenumero divinitus inſpirata Scriptura Eccleſiam Chriſti, velut à prima nomen habens; ſpiritualiter verior ſion, id eſt, Excelſa & Specula.* Similia habent alij PP. Ex quibus clariſſimè patet, teſtimonia S. Scripturæ in eundem nobiſcum ſenſum à Patribus intelligi & exprimi: nec verba illa ex Matth. 5. ſolum præceptum, ut ſcilicet fides intrepidè ac publicè prædicetur: ſed etiam prædictionem continere; quia non dixit Chriſtus, civitatem montanam abſcondi non debere, ſed nec poſſe; quod autem fieri non poteſt, nunquam futurum eſt; unde Chryſoſtomus loco cit. ait: *Eccleſiam radices in Cœlo potius habere, quàm in terra.* Quis autem radices virentis ac conſpicuæ Eccleſiæ in Cœlo fixas inficiet aut evellet? Videri poſſunt DD. à Walenburh Tom. 2. à fol. 72. ubi prædicta aliáq; Patrum & Scripturæ teſtimonia contra varias Sectariorum objectiunculas defendunt. Sed pluribus hic opus non eſt.

Digitized by Google

V. Probatur 3. Ratione. Tum quia, ut ſupra de Unitate Eccleſiæ diximus, nemo ſalvari poteſt extra veram Chriſti Eccleſiam, perinde ac temporalem vitam ſervare nemo potuit; qui extra Arcam Noë extitit. Ergo ingredi veram Chriſti Eccleſiam debet, quiſquis æternùm ſalvus eſſe flagitat. Ergò oportet eandem Eccleſiam omnibus eſſe conſpicuam, ut videant, quò ire debeant. Tum quia Eccleſia eſt Congregatio rectè credentium; credere autem non poſſunt, niſi audiant: audire nequeunt ſine prædicante, ut diſcurrit D. Paulus ad Rom. 10. v. 15. Ergo ſemper neceſſaria eſt externa prædicatio, tanquam viſibile ſignum Eccleſiæ. Hoc argumento confirmatur prius, cum adulti, de quibus agitur, ordinariè non poſſint veram fidem diſcere, niſi ab Eccleſia priùs agnoſcenda: nec ſufficit prælectio ſolius Evangelij nimis obſcuri, niſi ab aliquo declaretur; fugere verò ad internam & extraordinariam Dei revelationem, eſt inane figmentum. Tum quia fideles in omnibus dubijs confugere debent ad judicium Eccleſiæ, juxta verba Chriſti Matth. 18. v. 17. *quod ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus &c.* Poteritne autem aliquis Eccleſiæ, quæ inviſibilis eſt, indicare? minimè ſanè. Ergo hæc Eccleſia viſibiles habere debet Prælatos, ad quos confugiant ſubditi in ſuis dubijs, & alijs negotijs, quales Prælatos in vera Chriſti Eccleſia ſemper eſſe; ac fore *in opus miniſterij & ædificationem Chriſti*, teſtatur Apoſt. ad Epheſ. 4. & ſequentibus. Tum quia non ſufficit corde credere, ſed oportet aliquem exteriùs etiam ſuam fidem manifeſtare, & viſibilem reddere; *corde quippe creditur adjuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem* ad Rom. 10. v. 10. Et hæc externa profeſſio non ſolùm fit tempore perſecutionum, ſed vel maximè tempore pacis tum in obſervatione cultûs divini, quæ admodum frequens & varia eſt, tum in perceptione Sacramentorum, quæ etiam non rarò urget. Quomodo ergo Eccleſia non evadit inde viſibilis?

VI. Probatur 4. Ab Experientia. Nam ſi veterùm hiſtoriarum monumenta revolventur, apparebit clariſſimè, ſemper in Eccleſia Catholica viguiſſe publicam prædicationem & profeſſionem Fidei, publicum exercitium cultûs divini, publicam Sacramentorum perceptionem, publicum regimen Epiſcoporum ſub Papa omnium ſupremo Paſtore. Et quantumvis iſte publicus Sacramentorum & Verbi Dei uſus non permitteretur, ut accidit trecentis annis in primitiva Eccleſia, quando per totum orbem erant Chriſtiani profitentes fidem, & inter ſe Sacramentorum Communionem habentes, nec palam & impunè, ſed hinc inde abſconditè conveniebant; nihilominus ita notum & manifeſtum erat Catholicorum commercium, ut etiam Infideles ſcire, & qui vellent, à Chriſtianis veræ fidei informationem habere poſſent; prout etiam ſæpiſſimè non ſolùm aliqui, ſed plures Martyres fidem ſuam publicè ſcriptis confeſſi ſunt, ut præclariſſima tam antiquæ Eccleſiæ in communi, quàm multorum particulatim memoria uſque hodie perſeveret; atque hanc Eccleſiæ viſibilitatem uſque ad Mundi finem perſeveraturam eſſe, prædixit Deus abſolutè (non ſolùm conditionatè facientibus veram pœnitentiam) hiſce verbis Iſajæ 59. v. 21. *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent à te, & de ore ſeminis tui in ſempiternum.* Et cap. 62. v. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes toto die ac nocte, in perpetuum non tacebunt;* quam prophetiam ad perpetuam conſtantemque Eccleſiæ conſpicuitatem explicat, confirmatque Apoſtolus ad Epheſ. 4. cit. ubi more hebraico τὸ dedit in præterito uſurpavit pro futuro; etenim verſabatur in explicatione Pſal. 67. *aſcendens in altum dedit dona hominibus*, ubi David planè præteritum per futuro accepit, quia propheticè de Chriſto venturo locutus eſt.

VII. *Doctrina Secunda.* Nulla Secta hæreticorum in prædictum modum fuit ſemper viſibilis. Ita omnes Catholici. Nam nullius unquam Religionis homines ſic publicè fidem fuerunt confeſſi, Sacramentorum inter ſe communionem habuerunt, & ſub uno capite tanquam ſummo Paſtore uniti vixerunt, ut ab alijs extra illum Cœtum cognoſci poſſent, etiamſi publicus verbi Dei & Sacramentorum uſus eſſet prohibitus. Aut oſtendant moderni Sectarij Lutherani Calviniani &c. in Eccleſia per mille quingentos & plures annos ſemper fuiſſe eam, quam ipſi modò tenent, Evangelicorum dogmatum profeſſionem, Sacramentorum Communionem, plurium ſub uno Paſtore unionem. Si iterùm ad ſimplices & infantes recurrant, pueriliter ineptiunt, quaſi verò Eccleſia ſine Paſtoribus & Doctoribus contra D. Paul. ad Epheſ. 4. cit. conſiſtere poſſit. Taceo quod ſupra jam diximus, Infantes & ſimplices nulli errori formaliter adhærentes, ſi rite Baptizati ſint, ſemper ad noſtram Romano-Catholicam, hoc eſt, veram Chriſti Eccleſiam pertinere. Quod ſi hoc tempore viſibilitatem Eccleſiæ ſuæ oſtenderent, nihili tamen hæc eſſet facienda; quia cæteris notis veræ Eccleſiæ deſtituuntur quibus illa niti debet.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. Error Primus. *Eccleſia* Chriſti fieri poteſt, & verò ſæpe facta eſt inviſibilis. Ita in terminis Gerhard. Lutheranus Lib. 2. p. 1. fol. 827. poſtquam prius dixerat, Eccleſiam viſibilem & inviſibilem non eſſe oppoſitas contrariè, ſed ſubordinatas; & illam dici reſpectu externorum mediorum, Inſtrumentorum, & Religionis exercitiorum: hanc verò reſpectu fidei, & internorum donorum. In eundem modum loquitur Ameſius Calviniſta Tomo 2. fol. 50. Uterque conformiter ſuo hærſiarchæ. Nam Calvinus in Præfat. Inſtit. ſic ait: *permittamus hoc Domino, ut, quando ipſe ſolus novit, qui ſui ſunt, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorum notitiam ab hominum aſpectu auferat:* Lutherus verò Lib. de abroganda Miſſa privata hæc habet: *quis nobis Eccleſiam monſtrabit, cum ſit occulta in Spiritu, & tantùm credatur: ſicuti dicitur; credo Sanctam Eccleſiam &c.* Hos duces ſequuntur cæteri Lutherani & Calviniani apud DD. à Walenburch. Tom. 1. fol. 64.

IX. Probant hoc 1. ex Veteri Teſtamento, ubi Eccleſia ſeu Synagoga Iudæorum ſubinde latuit omni publico cultu, ſeu profeſſione, aut fidei prædicatione deſtituta. Ergo idem evenire poteſt Eccleſiæ novi Teſtamenti, ſiquidem una eademque

Digitized by Google

demquè utriuſque Teſtamenti eſt Eccleſia. Pro Antecedente adducunt varia loca Script. Exod.32. Moyſe diutius in monte Synai morante, totus Populus Iſraëliticus ad Idololatriam defecit & vitulum adoravit. 3. Regum.19.v.10. atq; adeo occultata fuit Eccleſia, ut Elias neminem præter ſe agnoverit fidelem, ideoquè dixerit: *relictus ſum ego ſolus.* Iſajæ cap.1.v.3. conqueritur Deus: *Iſraël me non cognovit, & populus meus non intellexit v.6. à planta pedis usq; ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Iremiæ, 2.v.26. *confuſi ſunt Domus Iſraël ipſi & Reges eorum, Principes & Sacerdotes, & Prophetæ eorum dicentes ligno, Pater meus es tu.* 2. Mach. 6. vers. 6. *neq; Sabbatha cuſtodiebantur, neq; dies ſolemnes Patrij ſervabantur, neque Iudæum ſe eſſe quiſquam confitebatur;* Id quod prædictum fuit. 2. Paralip.15.v.3. *tranſibunt dies multi in Iſraël abſque Deo vero, & absque Sacerdote, Doctore, & abſque lege.* Tempore Chriſti tota Synagoga expiravit.

X. Probant 2. ex Novo Teſtam. & quibuſdam dictis Chriſti. Matth. 13. v. 44. comparat Chriſtus Eccleſiam Theſauro abſcondito, & conſequenter inviſibili: Lucæ 17. v. 21. ait: *Regnum Dei non venit cum obſervatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic; ecce enim Regnum Dei inter vos eſt.* Ergo latet in animo, & oculis non patet. Apoc. cap. 9. v. 2. dicitur *Sol obſcurandus fumo putei*, id eſt, erroribus ex inferno emergentibus. Et cap. 12. v. 6. Eccleſia comparatur mulieri in deſerto ſe occultanti: *& fugit mulier in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.*

XI. Probant 3. ex Patribus, qui frequenter Eccleſiam comparant Lunæ. At Luna aliquando deficit. D. Hilarius Lib. contra Auxentium in fine hæc habet: *malè vos parietum error cepit, malè Eccleſiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini, malè ſub his pacis nomen ingeritis montes, mihi & lacus & carceres & voragines ſunt tutiores;* Ergo Eccleſia tunc occulta fuerit, neceſſe eſt.

XII. Probant 4. Ratione. Tum quia in Symbolo Apoſtolico dicitur *credo Sanctam Eccleſiam.* Ergo non eſt viſibilis Eccleſia; ſiquidem id, quod videtur, non creditur. Tum quia militia Chriſtianorum eſt Spiritualis, à qua Eccleſia dicitur Militans. Ergo hæc eſt inviſibilis.

XIII. Errorem hunc jam olim induxerunt Donatiſtæ, qui aſſeruerunt, veram Chriſti Eccleſiam per totum orbem perijſſe, & in ſola Africa remanſiſſe, ita occultam, ut agnoſci non potuerit pluribus annis uſque ad tempus Donati. Ita refert D. Auguſt. Lib. de hæreſibus hæreſ. 69. Et Libro de unitate Eccleſiæ cap.16. ubi refert argumenta Donatiſtarum & ſoluit. Hos ſecuti ſunt Novatores Lutherus in Pſ.22. ſic Scribens: *In pulverem mortis deducta eſt Eccleſia, ut nuſquam ejus ſpecies aut veſtigium appareat.* Et in Lib. de Captivit. Babylon. fol. 72. ita dicens: *non te moveat, quòd totus terrarum orbis contrarium & ſenſerit, & uſum habeat.* Item Calvin. Lib. 4. Inſtit. cap. 12. §. 1. ubi hæc habet: *ſimul ac in arcem Religionis mendacium irrupit, ſumma neceſſariæ doctrinæ inverſa eſt, ſacramentorum uſus corruit, certus Eccleſiæ interitus conſequitur, perinde atque de vita hominum actum eſt jugulo transfixo, vel præcordijs lethaliter ſauciatis, &c.* Idem ergo jure de iſtis Sectarijs dico, quod D. Auguſt. de Donatiſtis: *Eccleſia non operta eſt, quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus: non poteſt Civitas abſcondi ſuper montem conſtituta.* Sed Lutheranis Calvinianis cæteriſquè hæreticis modernis velut operta, clauſa & abſcondita eſt. Pergit S. Pater: *malunt clauſis oculis in montem offendere, quàm in eum aſcendere, qui, cum eſſet lapis præciſus de monte ſine manibus, crevit, & factus eſt Mons ingens, & implevit univerſam terram.*

XIV. Idem error manifeſtiſſimè adverſatur Confeſſioni Auguſtanæ Art. VII. Ubi hæc habet: *Docetur etiam, quod ſemper Sancta Chriſtiana Eccleſia debeat eſſe & manere; quæ eſt congregatio omnium Fidelium* (Sanctorum, in exemplari Carolo V. Imperatori tradito) *apud quos Evangelium purè prædicatur, & Sacramenta juxta Evangelium miniſtrantur.* Ex quo ſic concludo. Ergo Eccleſia Chriſti, cum prædicetur in ea Evangelium purè, & juxta iſtud Sacramenta adminiſtrentur, ſemper fuit & manſit; & conſequenter nunquam potuit fieri, aut facta fuit inviſibilis. Rurſus ex iiſdem verbis Confeſſionis Auguſtanæ ſic argumentor. Si Eccleſia Fidelium ſemper manet, & habet puram Evangelij prædicationem rectámque Sacramentorum adminiſtrationem. Ergo per 1000. annos ante Lutherum & Calvinum habuit eadem Eccleſia duas illas Notas, vel non? Si non habuit. Ergo falſum eſt, eam fuiſſe veram Eccleſiam: Si habuit. Ergo oſtendatur aliud, quàm Pontificium Verbi & Sacramentorum Miniſterium; quod, cum fieri nequeat, Miniſterium illud Pontificium purum ac legitimum fuerit, neceſſe eſt. Hoc argumentum ſæpius Prædicantibus objectum, ſalvâ Confeſſione Auguſtanâ, nunquam ſolutum eſt, nec ſolvi unquam poterit; unde Muſæus aliique ſcite ſcientio illud tranſire noverunt.

XV. Reſpond. ad 1. probationem ab Exemplo Synagogæ ductam. Inprimis negando conſequentiam. Nam licet Moſaica & Chriſtiana Eccleſia eſſentialiter conveniant, tamen Chriſtiana pluribus gaudet privilegijs. 1. Quia habet promiſſionem de ſua ſtabilitate & firmitate, quam Synagoga non habuit; ubi enim huic fuit dictum: *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* 2. Quia eſt Libera: Synagoga autem fuit ancilla; & illa deſignatur per Sacram uxorem Abrahæ: hæc per Agarem, quæ fuit ancilla repudiata & dimiſſa: non item Sara ad Gal. 4. v.4. Ergo ſimiliter Synagoga debuit repudiari: non item Eccleſia noſtra 3. Quia eſt Catholica & Univerſalis, extra quam nulli ſalus; ſi igitur hæc tota perierit, nullus prorſus ad cœlum veniret: At Synagoga non ita erat univerſalis, cum extra illam ſalus eſſet apud Ninivitas, & alios. Tametſi ergo Synagoga non permanſiſſet, adhuc tamen homines ſalvari potuiſſent. Deinde negatur Antecedens.

XVI. Ad 1. Inſtantiam vituli adorati, negamus totam Synagogam defeciſſe, ſed partem ejus; non enim defecit Moyſes, nec Levitæ, & Sacerdotes, plerique ſaltem, ut patet ex cap.32. v.26. *Si quis eſt Domini, jungatur mihi, congregatique ſunt ad eum omnes filij Levi;* erant autem filij Levi viginti duo millia.

XVII. Ad 2. de tempore Eliæ dicimus, Prophetam loqui ſolùm de regno Iſraël, & decem Tribubus ſub impio Rege Achab; interim Tribus Juda & Benjamin cum toto Pontificatu adhuc verum Dei cultum & religionem ſervabant, cum Zeloſus Rex Aſa regnaret, quem ſecutus fuit Pius Rex Joſaphat, imò nec in regno Iſraël ſolus Elias Deo fidelis permanſit, ſed *reliqui mihi*, ait,

Digitized by Google

Deus c. 19. cit. v. 18. *In Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Iſti fuerunt pars Eccleſiæ Iſraeliticæ, & habuerunt legitimum ſuum Sacerdotium, & publicum exercitium in Jeruſalem in regno Judæ.

XVIII. Ad 3. de temporibus Iſaiæ & Jeremiæ docent communiter Interpretes Sac. Scripturæ, ibi ſignum univerſale *omnes* non ſumendum rigidè pro omnibus ſimpliciter, ſed hyperbolicè pro plurimis conſueto more ſcripturæ. Nam Iſaiæ *σύγχρονοι* fuerunt Prophetæ Oſeas, Joël, Abdias, Joas. Cum Jeremia vixerunt Reccabitæ, de quibus Jeremiæ 25. Item Joſias Rex adeò laudatus. 4. Reg. 23. v. 25. Helzias Pontifex; & Holda Propheтiſſa. Ribera in Proleg. in duodecim Prophetas ad hoc tempus etiam refert Prophetas Baruch, Sophoniam, & Ezechielem. Et quamvis aliqui Reges in regno Judæ fuerint Idololatræ; alij verò non quidem Idololatræ; ſed tamen mali & ſcelerati, ſemper tamen in Templo Salomonis manſit Uſus Sacrificiorum ſecundùm legem Moyſaicam uſque ad captivitatem Babilonicam, ut ex Lib. 2. Machab. cap. 2. v. 19. colligi poteſt.

XIX. Ad 4. etiam Machab. dicimus, negationem publicæ profeſſionis fidei non intelligendam de tota Judæâ, ſed tantùm de urbe Jeroſolimitana; ſicuti etiam illa comminatio Paralyp. non de tota Synagogâ, ſed tantùm de decem Tribubus Samariæ loquitur. Similem locum Danielis 9. v. 27. *deficiet hoſtia & Sacrificium &c.* communiter intelligunt Interpretes non de defectione Eccleſiæ Chriſtianæ; ſed de defectione Synagogæ Judæorum circa omne Sacrificium Legale Moyſaicum. Videri poſſunt Cornel. à Lapide, Tirinus, & alij.

XX. Ad 5. De Synagogâ tempore Chriſti expirante. Verum eſt, quod Synagoga tempore Chriſti defecerit, non quoad Fidē veram, quam anteà profitebatur, ſed quia tunc repudiata fuit cum ſuis ceremonijs, & Sacrificijs, & in eius locum ſucceſſit Eccleſia Chriſti. At ex repudiata Synagoga non ſequitur, repudiandam etiam eſſe Eccleſiam Chriſti, ut ſupra jam diximus. In triduo mortis Chriſti latentibus Apoſtolis non delituit tota Eccleſia, ſed nonnulli ſuam fidem publicè profeſſi ſunt, ut Nicodemus, Joſephus ab Arimathia, Chriſtum ſepelientes; & mulieres Sepulchrum viſitantes.

XXI. Cæterùm Lex Evangelica ante Pentecoſtem non cœpit obligare, ut ex communi Theologorum tradit Suarez. Lib. 10. de Legibus cap. 4. n. 13. quia Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam videtur primùm Eccleſiam formaſſe, dando illi Caput Viſibile, & inſtruendo de reliquis, quæ ad Eccleſiaſticam Hierachiam ſpectant. Credibile autem non eſt, Chriſtum voluiſſe priùs obligare ad ſuas leges, quàm conſtituerit Rempublicam, quæ erat eas acceptura, illiſque obliganda. Quare Synagoga ſecundùm eſſentialia nunquam perijt, ſed poſt mortem Chriſti apud Chriſtianos, & quidem multò diſtinctiùs & explicatiùs permanſit. Ut infra iterum dicemus.

XXII. Reſpondetur ad 2. probationem ex Novo Teſtamento, & ex quibuſdam dictis Chriſti deſumptam. Matth. 13. Eccleſiam comparari Theſauro abſcondito, non quoad eſſe, quaſi neſciretur, ubi eſſet; aliàs nunquam fuiſſet viſibilis, ſed quoad valorem rerum Spiritualium, quas parvi quidem homines æſtimant, at meritò omnium rerum temporalium jacturâ ſunt comparandæ. Luc 17. loqui Chriſtum de duplici adventu ſuo, nempe per gratiam & gloriam; de priori dicit, non venire ſe cum obſervatione: at bene de poſteriore; ſubdit enim verſu 24. *Sicut fulgur de ſub cœlo &c.* Quamvis igitur fides, gratia, & cætera bona ſpiritualia & cæleſtia, per quæ Chriſtus inter nos regnaturus venerat, inviſibilia ſint, ac in anima lateant; non tamen latent corpus & functiones, quæ exteriùs per corpus exercentur; puta Profeſſio externa fidei ſub Chriſto, ejuſque in terris Vicario; ac Sacramentorum communicatio, quibus Eccleſia facilè toti orbi innoteſcit. Apocal. 9. fumum illum Acharonticæ perfidiæ obſcuraturum quidem multos, ſed non omnes fideles: nec cap. 12. Mulieris nomine indicari omnes fideles, ſed quoſdam præſules, qui metu perſecutionis in latebras refugient. Nam priore verſu eadem mulier dicitur peperiſſe maſculum, id eſt, fortem generoſum heroicum, nempe ſelectam multitudinem Fidelium, & cœtum Sanctorum, qui ducibus Enoch. & Eliâ invicto animo reſiſtent draconi mille potiùs mortes obituri, quàm ejus impietati obſecundaturi.

XXIII. Reſpon. 3. Ad probationem ex Patribus petitam. Verum eſt, quod Eccleſia Lunæ ſit ſimilis, nequaquam verò in eo, quod ſicuti Luna ſæpe deficit, ſic etiam Eccleſia frequenter deficiat. *Videtur quidem Eccleſia*, inquit S. Ambr. lib. 4. Exameron. *ſicut Luna deficere, ſed non deficit; obumbrari poteſt, deficere non poteſt.* In quo ergo eſt ſimilis 1. quod, ſicuti Luna ex minuta apparet evadere plena, ita Eccleſia ex parvo initio in magnam plenitudinem ac perfectionem creverit. 2. quod, ſicut Luna lumen ſuum à ſole habet, ita Eccleſia lumen ſuum fidei, Sanctitatis, ac doctrinæ à ſole Chriſto accipiat. 3. quod, ſicut Luna mutationi ſubeſt, ita Eccleſia pacis & perſecutionis tempora experiatur, ut aſſerit Ambros. loco. cit.

XXIV. D. Hilarius loquitur ibi de particulari Eccleſiæ Mediolanenſis ſtatu, quem Auxentius Arianus Epiſcopus favore Imperatoris invaſerat. Licet itaque ibi talis eſſet difficultas ab Hilario indicata, tamen in alijs orbis partibus Catholica fides vigebat, nec à ſtatu particularis Eccleſiæ argumentari poſſumus ad Eccleſiam univerſalem; imò ſi Hilarius etiam de univerſali Eccleſia fuiſſet locutus, non tamen urgeret conſequentia; quantumvis enim Fideles tunc paſſi fuiſſent perſecutiones, ut publicè convenire ipſis in templis non liceret, poterant tamen in locis alijs conveniare, & eſſe noti, ſicuti primis trecentis annis poſt natum Chriſtum ſub Imperatoribus ethnicis; quo tamen tempore Eccleſia notoria erat. Videatur D. Auguſt. Epiſt. 84. ad Vincentium, ubi ad hanc ipſam objectionem ad Hilarium reſpondet.

XXV. Reſpon. 4. Ad probationem è ratione deſumptam. Ad 1. ex natura fidei Eccleſiam ſecundùm id, quod creditur, non videri; inde tamen non ſequi, eandem non eſſe viſibilem etiam eſſentialiter. Nam ſicuti homo eſt eſſentialiter viſibilis, quia ſcilicet eſt animal rationale, quod eſſentialiter corporeum ac viſibile eſt, etiamſi per accidens fieri poſſit inviſibilis, & inſenſibilis miraculosâ Dei virtute, ita Eccleſia eſſentialiter eſt viſibilis, quia & conſtat eſſentialiter Membris

bris viſibilibus, & exigit unionem in externa profeſſione fidei, Sacramentorum uſu, ac gubernatione per Caput viſibile, quæ omnia eſſentialiter involvunt viſibilitatem.

XXVI. Ait Ameſius loco cit. ſic nos prorſus cum ipſis ſentire, ſcil. Eccleſiam quoad formam ſuam eſſentialiter eſſe viſibilem. Negamus aſſumptum, quod Puritanus ille fraudulenter affingit Cardin. Bellarmino, ſolùm aſſerenti, quid credamus, quid videamus. Pro cujus intelligentiâ adverto; aliam eſſe formam Abſolutam, quam habere debent ſingula Membra Eccleſiæ, ſi hujus partes cenſeantur: aliam eſſe eſſentialiter Reſpectivam, quam quælibet ordinata Congregatio habet,& eſt illa,quam recèns diximus,unio,nempe in ejuſdem Fidei profeſſione, Sacramentorum uſu, ac Gubernatione per Caput viſibile; Atque hæc Unio fundatur in ſingulis ſubjectis eandem Fidem, Sacramenta, ac Rectorem profitentibus. Quamvis igitur fide credatur, hunc cætum eſſe veram Eccleſiam Chriſti, hæc Sacramenta eſſe à Chriſto inſtituta, gratiam ac Sanctitatem illius ab eodem Chriſto profluere; tamen eundem Cœtum & Unionem hominum habere, eam fidei Profeſſionem, Sacramentorum Uſum, Gubernationem ſub uno viſibili Capite, in oculos planè omni ex parte incurrit, ut nec Adverſarij negare id auſint, in eo hallucinati, quod formam eſſentialem Eccleſiæ putent eſſe illam ipſam, quæ ad Membrum & partem ejuſdem requiritur. Nos non ponimus formam Abſolutam & eſſentialem, quæ ad Membrum Eccleſiæ requiritur, & inviſibilis eſt; ſed prædictam Unionem Reſpectivam, quæ omnium oculis eſt expoſita, & ita explanamus, quænam in Eccleſia videantur, & quæ de eadem credantur. Perinde igitur ac Apoſtoli aliud in Chriſto viderunt, aliud de eodem crediderunt, ita nos in Eccleſia aliud videmus, aliud de eadem credimus.

XXVII. Ad 2. rationem de militia Chriſtianorum. Etſi hæc militia Spiritualis ſit, exerceri tamen etiam corpore; habet inſuper hoſtes viſibiles mundum, carnem, arma quoque viſibilia, ut Sacramenta, bona opera externa; Agonothetam etiam ſecundùm humanitatem viſibilem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sicut ergo homo, quâ homo, non eſt inviſibilis, cum, ut ſic, dicat animal rationale, quod utiquè corporeum & viſibile eſt: inviſibile autem ſit malignantis naturæ negans totum de ſubjecto, ita militia Chriſtianorum, etſi aliqua ex parte Spiritualis & inviſibilis ſit, non tamen abſolutè dicenda eſt Spiritualis, cum aliqua corporea & viſibilia involat.

XXVIII. *Error ſecundus.* Eorundem hæreticorum. Eccleſiam quoque ſuam eſſe Viſibilem reſpectu ſocietatis externæ, externorum Religionis exercitiorum &c. Item eoſdem habere ſuas proprias & eſſentiales Notas; nempe ſynceram Verbi Dei Prædicationem, veram Fidei Doctrinam, ac legitimam Sacramentorum Miniſtrationem & Uſum. Ita Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 849. cujus Succeſſor in cathedra Jenenſi Joannes Muſæus in opuſculo ad Poſtulata P. Kedd probare inde conatur, apud Lutheranos eſſe veram Eccleſiam hoc Sylogiſmo: In quocunque cœtu hominum docetur Verbum Dei, quantum ad piam vitam, & ſalutem conſequendam creditu eſt neceſſarium: & miniſtrantur Sacramenta legitimè quoad ſubſtantiam juxta Chriſti inſtitutionem, ibi eſt in veritate aliqua Chriſti Eccleſia. Hoc fit in Lutherano cœtu. Ergo in veritate eſt ibi aliqua Chriſti Eccleſia.

XXIX. Error iſte non eſt unus, ſed geminus duplici reſponſo diſtinctè reijciendus, quod in ſequentibus accuratè faciemus, prout rei momentum exigit. Itaque

Reſpon. 1. quoad primam partem, Eccleſiam hæreticorum eſſe quoque Viſibilem &c. directè huic adverſari, quod ſupra §. XIII. ex Luthero & Calvino diximus, nimirum in puverem mortis deductam eſſe Eccleſiam, ut nuſquam ejus ſpecies aut veſtigium appareat: item totum terrarum orben Sectariorum doctrinæ habuiſſe & ſenſum & uſum contrarium: Rurſus certum Eccleſiæ interitum conſecutum eſſe &c. Conſentiunt in idipſum univerſim Lutherani & Calviniſtæ, qui paſſim Evangelium ſuum vocant *Renatum, Renovatum, Revocatum, Revireſcens, Reformatum, Doctrinam reformatam, Reſuſcitatam, Poſtliminio reductam, Reſtauratam, Evangelium Wittenbergiæ capiens initium. Ibi capiens lucis exordium &c.* Ex quo contra præſentem errorem ſequentia puncta ſtatuo.

XXX. *Primùm.* Fidem atque Eccleſiam Lutheranam (idem ſentiendum de Calviniana &c.) eſſe prorſus novam, atque ab incude adhuc calidam, & ante Lutherum in mundo non extitiſſe. Quid enim eſt (repeto verba Lutheri) *Evangelium Wittenbergæ cepiſſe initium? de juſtitia fidei ſummum diu fuiſſe ſilentium*, ut loquitur Confeſſio Auguſtana Art. 20. *Totam terrarum orbem ante Lutherum in rebus fidei alium habuiſſe Senſum & Uſum?* Item (refero verba Calvini) *Summam neceſſariæ doctrinæ inverſam eſſe?* Quid, inquâ, hoc eſt aliud, quàm modernum Evangelium & Fidem, adeóque Eccleſiam Sectariorum ante ipſos non fuiſſe? Et mera eſt ſtultitia dicere, Lutheraniſmum & Calviniſmum extitiſſe ante Lutherum & Calvinum; perinde ac ſiquis diceret, filium ante patrem, ovum ante gallinam, virum ante caput ſuum, adeóque ſine capite fuiſſe; quemadmodum etiam S. Optatus Melevitanus loc. cit. contra Parmenian. de Victore Africano ſcribit, *illum eſſe filium ſine patre, & ſequenſ ſine antecedente.*

XXXI. *Secundum.* Eccleſiam Sectariorum modernorum non ſemper fuiſſe viſibilem. Sequitur clarè ex recèns dictis. Si enim uſque ad tempus Lutheri terrarum orbis recenti Sectariorum doctrinæ in rebus fidei habuit contrarium ſenſum & uſum, Eccleſia Lutherana & Calviniana non fuerit viſibilis, neceſſe eſt, cum omnino non extiterit; ſiquidem nullus penitus cœtus hominum, nulla Secta, nulla domus, nullus angulus oſtendi unquam potuit, atque etiamnum poteſt, qui eandem cum Luthero, aut Calvino & cæteris Novatoribus modernis doctrinam ac fidem haberet, & qui in pluribus, iiſque graviſſimis fidei dogmatibus à prædictis hujus temporis Sectis non diſſideret, uti prolixè, & ex inſtituto oſtendit Adamus Tanner Part. 1. Anatomiæ Auguſt. Confeſſ. Demonſt. 2. §. 5.

XXXII. *Tertium.* Eccleſiam eorundem Novatorum etiamnum hodie eſſe inviſibilem. Probatur 1. Quia fatentur Adverſarij, & ſupra jam diximus, ad Eccleſiam proppriè dictam ex ipſorum doctrina non ſpectare, niſi Sanctos, & rectè credentes. Atqui oculis hominum non eſt obviam, quinam ſint Sancti, & rectè credentes. Ergo etiam

Eccleſia verè & propriè ſumpta pro congregatione Sanctorum non eſt viſibilis. Nec dici poteſt, Eccleſiam fieri Viſibilem per medium externæ ſocietatis & exercitiorum. Nam id, quod creditur, non fit viſibile, neç cognoſcitur per ullum externum ſignum. Sed Eccleſia ſive congregatio Sanctorum tantùm creditur apud Sectarios. Ergo per nullum externum ſignum eſt Viſibilis, nec cognoſcitur. P. 2. Quia vera Chriſti Eccleſia ita debet eſſe Viſibilis, ut ex uniformi fidei publicæ profeſſione, Sacrificiorum & Sacramentorum uſu, Regimine univerſali in omnibus ſuis partibus innoteſcat. Nam quemadmodum Eccleſia eſt ex hominibus, ita etiam eſt pro hominibus inſtituta; homines autem, ut in unam ſocietatem cöeant, debent ipſam Societatem habere notam & manifeſtam. Atqui Eccleſiæ modernæ Sectariorum iſtud non habent; ſiquidem homines ſancti & verè credentes omnino ignorantur: profeſſio fidei eſt diverſa in diverſis provincijs, ut patet ex ijs, quæ de Unitate Eccleſiæ diximus: numerus Sacramentorum eſt itidem inæqualis; alij enim duo, alii tria acceptant, ut ſuo loco de Sacramentis dicemus: Regimen deniq; univerſale ſub uno viſibili capite nullum habent, ſed à ſuo quisq; placito regitur, Prædicantes flocci pendens. Ergo &c.

XXXIII. Dicunt Adverſarij contra præcedentia puncta. In cœtibus quorumvis corruptorum heterodoxorum, in quibus retinentur Baptiſmus cum Biblijs Sacris, ſemper eſſe aliquos electos, & rectè credentes Fideles, & Sanctos Lutheranos, Calviniſtas &c. Probant. Tum exemplo 7000. Virorum ante Baal genua non incurvantium 3. Reg. cap. 19. v. 18. qui in falsa Samariæ Eccleſia diſperſi ita clam latuerunt, ut etiam ab Elia non cognoſcerentur. Tum quia Verbum Dei nunquam redit Vacuum Iſajæ 55. v. 11. Tum quia extra Eccleſiam inveniuntur cœtus alij, in quibus datur ſalus. Tum quia juxta parabolam Seminantis Matth. 13. Chriſti Authoritati nihil derogatur, ſi dicatur, eum in hoc mundo filios regni ſeminaſſe: diabolum autem filios nequam ſuperſeminaſſe; quos ille nolit eradicari, ne fortè ſimul boni tollantur, ſed velit ſinere utroſq; creſcere uſq; ad meſſem, hoc eſt, finem ſæculi. Ergo eidem quoque nihil authoritatis demitur, ſi dicatur, Chriſtum ædificaſſe quidem Eccleſiam puram, eique dediſſe doctrinam Verbi absque omni falſitate veram: Diabolum autem admiſcuiſſe publicæ ejus prædicationi per falſos Doctores Zizaniorum ſemina, & falſam doctrinam, ita ut tamen triticum media inter Zizania, hoc eſt, doctrina Chriſti media inter ſeducentes & ſeductos in rectè credentibus conſervetur, & ſemper maneat Eccleſia utcunq; preſſa, quæ eam puro corde amplectatur, & ad poſteros traſmittat intemeratam.

XXXIV. In hac Novatorum objectione & vaniſſima perſuaſione nihil penitus oſtenditur, quàm ſacrilegus abuſus, & perverſio Sacræ Scripturæ, quam illi ad ineptas ſuas novitates detorquent. Nunquid Verbum Dei prædicaverunt Apoſtoli duodecim, quibus tamen Chriſtus mandaverat Matth. 10. v. 14. Luc. 9. v. 5. ut exeuntes de civitate illa, quæ eos non reciperet, excuterent pulverem pedum ſuorum in teſtimonium ſupra illos. Cur etiam tales latibularij Sancti & Fideles Lutherani non ſurgunt in Adverſarios, eosq; ut heterodoxos abijciunt, & corruptam eorundem doctrinam abominantur? Profectò cùm externam cum illis communionem habent, conventus celebrant, orant &c. aut paris cum ijſdem fidei, aut meri hypocritæ cenſendi ſunt, non auſi Lutheranam fidem etiam inter ſui ſimiles profiteri. Et quamvis gratis largiremur, illos non fuiſſe obligatos profiteri ſuam internam ac ſpecialem fidem Lutheranorum apud Pontificios Miniſtros, quos ſciebant ſibi adverſaturos, nihilominus ſaltem obligabat ſemper & pro ſemper Præceptum Confeſſionis Fidei ad non negandam fidem, quam credebant veram, per communionem externam cum Miniſtris Antichriſti, quales nos Romano-Catholicos eſſe calumniantur.

XXXV. Ad 1. probationem dicimus, exemplum hoc non facere ad rem; quippe non negamus, poſſe Catholicos in eodem cœtu latere, & tamen hæreſin nullo modo profiteri. Doctrina igitur noſtra tantùm procedit de omnibus & ſolis, qui hæreſin quovis modo profitentur in communione acatholica. Illi ſeptem mille viri tempore Eliæ non fuerunt in Dan & Bethel ad adorandos vitulos aureos, ſed in Ieruſalem, ubi veræ fidei Sacrificia fiebant. Etſi enim ante captivitatem Babylonicam ſubinde etiã tribus Juda ad idololatriam declinãrit, ſemper tamen Ieroſolymis in templo Salomouis veri Dei cultus remanſit, ut ſupra jam diximus. Quare prædicti 7000. Viri corpore ſolùm jungebantur Baal cultoribus; at verò ab idololatria animo alieniſſimi fuerunt.

XXXVI. Ad 2. Verborum Iſajæ c. 55. juxta S. Hieronym. Cyril. ad alios ſenſus eſt iſte: *Quomodo deſcendit imber & nix de cælo* ad fœcundandam terram, *& illuc ultra non revertitur,* ſupple vacua, ut patet ex vers. ſeq. (alioqui enim rurſus reſoluta in vaporem repetunt cœlum ſeu locum nubium) *ſic verbum meum,* hoc eſt, promiſſum hoc meum de novo fœdere vobiſcum, de Meſſia, de Redemptione & Gratia per ipſum toti orbi impertienda, erit efficaciſſimum, & firmiſſimum, ac pleniſſimum. Et quomodo hoc facit ad propoſitum? Sed demus, Prophetam loqui de quovis verbo S. Scripturæ. Ait ſacer textus: *Ita erit verbum meum, quod egredietur de ore Deo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunq; volui, & proſperabitur in ijs, ad quæ miſi illud.* Quomodo autem verbum Dei in vobis Lutheranis, Calviniſtis, & ſimilibus Sectarijs proſperabitur, cum vel ad vos miſſum non ſit: Vel ſi legitimè miſſum advertiſtis, præfractè tamen repudiaſtis? Verbum Dei non eſt ſolus exterior cortex litteræ, qui teſte Spiritu Sancto 2. Cor. 3. v. 6. occidit, ſed eſt potiùs verus ſenſus & Spiritus, qui vivificat. Taceo, ſic etiam Anabaptiſtas, Quackeros, & quoslibet alios hæreticos dicere poſſe, *nunquam Verbum Dei redire vacuum;* cur enim potius in cœtibus Proteſtantium & Reformatorum proſperetur, quàm Anabaptiſtarum, Quackerorum &c?

XXVII. Ad 3. conſtare ex Sacris litteris, *ſine fide impoſſibile eſſe, placere Deo.* Heb. 11. v. 6. *& qui non crediderit, condemnatum iri.* Mar. 16. v. 16. &c. Ergo extra unam, veram, propriè dictam, viſibilem Eccleſiam Catholicam nulla datur ſalus, cum extra hanc non detur vera Fides. Si igitur Turca aut Gentilis ſingulari DEI Bonitate & mirabili divinæ Providentiæ modo ad agnitionem veræ Fidei ac Salutem perveniat, jam non Salvatur extra Eccleſiam; ſiquidem per fidem, quam acquiſivit, veræ Eccleſiæ Catholicæ membrum fuit conſtitutus. Et talis caſus accidere poteſt in eo, qui

Digitized by Google

qui inter Turcas aut Gentiles nullo peccato gravi inquinatus ductum luminis naturalis puriſſimè ſequitur; atque huic vitam conformem ducit juxta celebrem illam doctrinam D. Thomæ de Verit. Q. 14. art. 11. ubi ſic ſcribit: *Certiſſimè tenendum eſt, ſi aliquis nutritus in ſylvis ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni & fuga mali; quod ei DEUS vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquam fidei prædicationem ad eum dirigeret.* Quod pronunciatum communiter cæteri Theologi tenent. Pari ratione ſi hæreticus rite baptizatus ſimpliciter procedat, ac fraudis hæreticæ ignarus nullâ graviore culpâ ſe obſtringat inter medios hæreticos moriens ſalvabitur; at non extra Eccleſiam Catholicam. Nam licet loco & corpore inter hæreticos exiſtat, animo tamen ac fide, quam in Baptiſmo accepit, in Eccleſia Catholica eſt; & materialis ſolùm, non formalis hæreticus cenſetur. Ita SS. Hilarius & Auguſtinus teſtantur, ſub medio Arianiſmo multos verè credentes & Sanctos Dei gratiâ fuiſſe conſervatos. Nam ſimplices illi, & homines parvi intellectûs Arianis mixti ac fraudis hæreticæ inſcij fuerunt perſuaſi, ſe ſub fuco fraudulentarum phraſium concipere verum Dei Filium; quod etiam in Concilio Ariminenſi tot Epiſcopis Latinis à Græcana hæreſi deceptis contigit, ut ſupra diximus; quid igitur mirum, quod ſic nequiſſimis permixti permanſerint Sancti. Optimè in rem præſentem D. Auguſtinus Epiſt. 162. ſic ſcribit: *Si qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam nullâ pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem totâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Quia ſcil. non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ, ut ait. S. Tho. 22. q. 11. art. 2. ad 3.

XXVIII. Ad 4. deniq; probationem concedimus Antecedens, quod nihil prorſus abſurditatis habet. Negamus autem conſequentiam, quæ longè abſurdiſſima eſt, & Chriſti honori, fidelitati, atque authoritati ſummè injurioſa. *Ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam ſupra Petram, adeoq; firmam, ut portæ inferi ei non prævaleant.* Matth. 16. v. 18. Poſuit eam *columnam & firmamentum veritatis* 1. ad Tim. 3. v. 15. Promiſit, ſe prædictam ſuam Eccleſiam uſq; ad finem ſæculi conſervaturum, & quidem per media ordinaria, *Paſtores* ſcil. *& Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus Miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem Fidei. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*; Epheſ. 4. v. 12. &c. Et quomodo cum his fieri, & Chriſtus permittere poteſt, ut per mille & plures annos ſubtractis veris Paſtoribus & Doctoribus in eadem Eccleſia ſubintret Antichriſtus cum Miniſtris ſuis ab eo in officiâ authoritatis & poteſtatis poſitis; ad quorum inſtructionem ſe deberent conferre, quotquot ſalutem conſequi vellent! Sancti verò (chymerici illi latibularij) haud ab alijs, quam ab Antichriſti Miniſtris inſtructi ſpeciali Spiritûs Sancti dono diſcernant verum à falſo, chriſtianiſmum ab Antichriſtianiſmo &c? An non iſtud verba ac promiſſa Chriſti labefactaret: Veracitatem ejus & Fidelitatem infirmaret: honori atque Authoritati ejuſdem derogaret: omniaq; Sacra ac divina peſſum daret? Profectò apparet Muſæum, alioſq; hæreticos, dum frequenter occinunt, dogmata Papiſtarum v. g. de cultu Sanctorum derogare honori Chriſti, meros eſſe hypocritas; ſi enim honor Chriſti adeo ipſis eſt cordi, quomodo ex ore & calamo illorum tam horrendæ in Chriſtum injuriæ prodeunt? Nunc

XXXIX. Reſp. 2. quoad alteram partem, ſcil. eccleſiam hæreticorum ſuas habere proprias & eſſentiales notas &c. hoc fruſtra aſſeri. Nam *primò.* Id quod eſt in hac vita occultum reſpectu Mortalium omnium, illud non poteſt habere extrinſecam aliquam notam, quâ deveniatur in certam ejus aut ſaltem probabilem cognitionem. Atqui forma, quâ conſtituuntur rectè credentes, & Sancti Lutherani ac Calviniſtæ, eſt prorſus omnibus mortalibus occulta. Ergò non poteſt habere ullas notas, ex quibus vel probabiliter cognoſcatur. Major patet, quod enim nullam habet cauſam & nullum effectum per cauſas cognoſcibilem, & hec in ſeipſo cognoſcitur, utique manet omnibus mortalibus occultum. Minor verò inde aperte conſtat, quod forma conſtituens Eccleſiam Lutheranorum & Calviniſtarum, hoc eſt, rectè credentes & Sanctos, nempe Fides & Juſtitia Chriſti extrinſecè imputata nec in ſe, nec in Cauſa, nec in effectu nobis innoteſcant. Quas ergo notas univerſim illa Eccleſia habere poteſt, ex quibus vel clarè appareat, vel ſaltem probabiliter cognoſcatur.

XL. *Secundò.* Illæ Notæ non poſſunt eſſe veræ & ad manifeſtandá veram Eccleſiam idoneæ, quæ niſi prius de hac vera Eccleſia conſtet, omnes hæretici ſibi arrogare, & ſuis Sectis præfigere poſſunt ac ſolent. Sed tales ſunt pura Verbi divini prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio. Ergo prædictæ duæ notæ non ſunt, nec eſſe poſſunt veræ, & ad manifeſtandam Chriſti Eccleſiam idoneæ. Major videtur evidens, quia accidens commune etiam contrario non poteſt eſſe nota ſeu proprietas aut eſſentia alterius contrarij. Atqui Eccleſia Lutherana & Calviniana & reliquarum Sectarum ſingulæ ſunt prorſus contrariæ. Ergo quod eſt commune omnibus (uti eſt pura Verbi divini prædicatio, ac legitima Sacramentorum adminiſtratio) non poteſt eſſe uni ex illis proprium, ejuſque Eccleſiæ nota diſcretiva. Probatur igitur jam Minor primi Syllogiſmi. Tum quia experientia docet, omnes hujus temporis Sectarios Lutheranos & Calviniſtas, Zvvinglianos, Anabaptiſtas, Trinitarios, &c. has veræ Chriſti Eccleſiæ notas penes ſe eſſe jactare. Imò jam olim D. Auguſtinus lib. 3. de Bapt. contra Donatiſt. ſic ſcripſit: *Omnes ſeductores non aliter populum fefellerunt, niſi prætextu Sacramentorum & Scripturarum, quæ tenent ad ſpeciem, non ad Salutem.* Tum quia omnes Sectarij Sac. Scripturam in ſuam trahere partem, & ex illa ſuam doctrinam & Sacramentorum adminiſtrationem tueri volunt, & frequenter etiam irrefragibiliter poſſent, niſi judicium Eccleſiæ aliunde etiam notæ interponeretur. Videatur Tanner loc. cit. n. 96.

XLI. In Syllogiſmo illo ſupra §. XXVIII. allato ad probandum, Luheranam Eccleſiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, nulla eſt veritas & ſynceritas, ſed velamen nequitiæ, pallium hæreſeos, muſcipula rudium, illecebra toxicata mellis dulcedine oblita. Nam Major Propoſitio ne quidem probabilis aut quomodocunque tolerabilis eſt; ſiquidem nec ex lumine Naturæ nec ex connexione cum alia naturaliter evidente, nec ex Verbo DEI revelato nota eſt; tum

Digitized by Google

tum quod in materia verſetur ſupernaturali. tum quod ex ſacro codice oſtendi non poſſit, veram Eccleſiam Chriſti debere ſolùm docere ea, quæ cuique ad ſalutem ſunt creditu neceſſaria; hæc quippe pauciſſima ſunt, & ſtare cum illis poſſunt pleræque omnes hæreſes, quas unquam orcus euomuit. Minor Propoſitio ejuſdem Syllogiſmi nec pilo eſt melior; ſed illâ reconduntur pleráque hæreſum monſtra ex privato Spiritu prognata, ut paſſim ex præſentibus noſtris Controverſijs conſtat.

XLII. Ex hactenus dictis facilè perſpicitur diſcrimen varium inter noſtram & hæreticorum doctrinam de Viſibilitate Eccleſiæ. Nam 1. Nos aſſerimus, formam Eccleſiæ eſſe Unionem quandam Reſpectivam ad multitudinem hominum in eadem externa Fidei profeſſione, Sacramentorum uſu, Regimine Eccleſiaſtico: Hæretici dicunt, formam Eccleſiæ eſſe Abſolutam, nempe veram Fidem & Iuſtitiam Chriſti rectè credentibus imputatam. 2. Nos aſſerimus Eccleſiam eſſe adæquatè Viſibilem, quia omnia viſibilia ſunt, quæ unio illa reſpicit & complectitur, nempe homines, externa fidei profeſſio, Sacramentorum uſus, Eccleſiaſtica gubernatio: Hæretici dicunt; Eccleſiam eſſe aliquâ ſolùm ex parte viſibilem, nimirum per externam ſocietatem & Religionis exercitium. 3. Nos aſſerimus, Eccleſiam ſemper eſſe, fuiſſe, ac fore viſibilem: Hæretici dicere hoc nequaquam poſſunt: Tum quod nulla ipſorum fides, ſocietas, & Religionis exercitium ante Lutherum omnibus retro annis fuerit. Tum quod etiamnum forma occulta, quâ illorum Eccleſia conſtituitur, per nullum externum ſignum poteſt fieri viſibilis; ſiquidem prædicta forma creditur, & qua talis videri non poteſt.

XLIII. Interim fatemur nos Catholici, in Eccleſia noſtra eſſe aliud, quod videtur: aliud quod creditur. Quippe videmus illam multitudinem hominum in eadem externa fidei profeſſione, Sacramentorum uſu, regimine per unum Caput: Credimus autem hanc multitudinem ſeu cœtum hominum eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Fatemur etiam, eum qui Eccleſiam noſtram ingredi cupit, debere omnes ejus partes per totum orbem diffuſas habere perſpectas, non quòd diſtincta & ſenſibilis cognitio omnium particularium Eccleſiarum requiratur, ſed quod in iſtis talis debeat eſſe profeſſio fidei publica, talis Sacramentorum uſus, talis gubernatio Eccleſiaſtica &c. Ut inde cognoſci facilè poſſit, eandem quoque eſſe in alijs partibus orbis talem, qualis eſt ibi, ubi vult illam ingredi. Sic ergo tota Catholica Eccleſia eſt adæquatè conſpicua in ſe, ut poſſit unicuiq; in particularibus cœtibus, ſi velit eos perluſtrare, ad ſenſum fieri viſibilis.

XLIV. Dicunt Viſibilitas iſta externa per ſigna prædicta eſt fallibilis. Ergo per illam cognoſcere aliquis nequit, ubinam ſit vera Eccleſia, ut illam ingredi poſſit. Reſp. Ad Viſibilitatem Eccleſiæ ſufficere, ut ſaltem in genere ſciatur, in hoc cœtu hominum eſſe quoſdam verè Fideles; quamvis in particulari non conſtet certò, an ille vel iſte verè credat; hæc autem ſcientia generalis certa evadit ex ſanctitate, miraculis, & alijs notis. Stat igitur doctrina noſtra de adæquata Eccleſiæ Viſibilitate inconcuſſa: & hæretici contra eam inſurgentes ex eo ſpeciatim errant, tum quod ſupponant falſa ſua principia, tum quod perinde de rebus ſupernaturalibus ac naturalibus Philoſophandum putent.

CONTROVERSIA XXI.

DE INFALLIBILITATE ET Perpetuitate Eccleſiæ.

NOn eſt quæſtio de aliqua parte Eccleſiæ, ſed de totâ Eccleſia. Nam aliquam Eccleſiæ partem, hoc eſt, aliquos Chriſtianos errare poſſe, & verò re ipsâ erraſſe, extra omnem controverſiam eſt. Erravit Arius negans Chriſti Divinitatem. Erravit Macedonius Spiritûs Sancti Divinitatem negans. Erravit Neſtorius aſſerens, duas in Chriſto perſonas. Erraverunt Eutyches & Dioſcorus, aſſerentes unam in Chriſto Naturam. Erraverunt Pelagiani negantes peccatum originale, & neceſſitatem gratiæ. Erraverunt Donatiſtæ in ſola Africa veram Chriſti Eccleſiam eſſe rati. Erraverunt Agnoiſtæ, Monothelitæ, Albigenſes & alij plures, qui omnes, cum corrigi ab Eccleſia noluerint, ſed pertinaciter in errore ſuo perſtiterint, ab eadem damnati, & tanquam membra putrida abſciſſi fuerunt. Loquendo igitur de tota multitudine & grege Chriſtianorum ex Paſtore & ovibus conflato.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

DOctrina Prima. Tota Eccleſia Catholica nunquam in fide erravit, neque deinceps errare poteſt. Ita omnes Catholici omnibus retro ſæculis, uti eruditiſſimè oſtendit P. Jacobus Gaterius in Tabulis ſuis chronographicis. Probatur, 1. ex S. Script. Iſajæ 54. v. 4. dicit Deus ad Eccleſiam ſuam: *noli timere, quia non confundêris, neq; erubeſces.* Matth. 16. v. 16. & cap. 28. v. 20. ait Chriſtus: *Ecce ergo vobiſcum ſum usq; ad conſummationem ſæculi*, Ioa. 16. v. 13. *Spiritus veritatis, qui docebit vos omnia* Matth. 16. v. 18. *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Unde ſic argumentamur. Si tota Eccleſia decipi poſſet, & induci in errorem, Eccleſia confunderetur & erubeſceret: Chriſtus non eſſet cum illa usq; ad conſummationem ſæculi: Spiritus S. non doceret illam omnem veritatem: Portæ inferi prævalerent adverſus eam &c. Conſequens repugnat promiſſionibus Dei & Chriſti. Ergo &c.

II. Dicunt hæretici 1. has promiſſiones eſſe quidem factas Eccleſiæ, ſed cum conditione vitæ probæ, quâ non ſubſecutâ per ſceleratos Pontifices, Spiritum veritatis ab Eccleſia recedere; unde ajunt, Scripturam Iſajæ 59. v. 20. Ieremiæ 31. v. 31. ad Hebræos 8. v. 6. expreſsè mentionem facere fœderis, & conditionem clarè exprimere. Ioan. 8. v. 31. *ſi in ſermone meo manſeritis, verè mei diſcipuli eritis.* 2. Promiſſionem Matth. 16. Portæ inferi &c. intelligendam eſſe de Eccleſia Inviſibili, quæ nunquam

quam errat; imò viſibilem etiam non vinci à dæmone, licet in errorem inducatur, modò in eo non perſiſtat.

III. Verùm hæc frivola ſunt. Nam promiſſio DEI & Chriſti facta eſt abſolutè abſque ulla conditione; aliàs nihil in Eccleſia certi haberemus, & ſemper cogitare poſſemus, nulli Concilio etiam Niceno, Epheſino, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi (quæ tamen ipſi etiam Adverſarij legima cenſent) fidendum eſſe; ſiquidem neſcimus, an Patres, qui illis interfuerunt & decreta fecerunt, coram Deo extiterint Iuſti, probi, integri vitæ ſcelerisq; puri. Quæro etiam ex Sectarijs, quid prius ſit, Chriſtum ab Eccleſia deſeri, vel Eccleſiam à Chriſto deſeri? Si ſecundum; Chriſtus mendacij reus erit; etenim deſerit Eccleſiam adhuc fidelem; Primum dici non poteſt; quippe impoſſibile eſt, Eccleſiam fieri infidelem, & errare, quamdiu illam gubernat Chriſtus, qui eſt ejus Caput infallibile ad Epheſ. 1. v. 22. & 23; item quamdiu habet aſſiſtentiam Spiritûs Sancti ipſi in æternum promiſſam. Ioan. 14. v. 10. cum infallibilitas Eccleſiæ ſit effectus neceſſarius Chriſti eam gubernantis, & Spiritûs S. perpetuò eidem aſſiſtentis.

IV. Ad 1. igitur objectiunculam dicimus: Promiſſionem eſſe factam absquè ullâ conditione probæ vitæ &c. Unde ad Scripturam Iſajæ, Ieremiæ, ad Hebræos dicimus, vocem fœderis non ſemper ſumi in ſtricta ſignificatione, ſicuti fit Lege Contract. 16. Cod. de fide inſtrument. Lege Labeo ff. de verb. ſign: ſed frequenter in latiore pro pacto, ad cujus ſubſtantiam ſufficit promiſſio, & hujus acceptatio. Et licet aliqui Pontifices malè vixerint, gratia tamen gratis data, Eccleſiam ſemper rectè docendi apud ipſos manſit; quando enim dicitur in Scriptura, Spiritum Sanctum cum ſua illuminatione, & Sapientiam non manere in peccatoribus, intelligendum id ſolùm de gratia gratum faciente; non de gratia gratis data. Ioan. 8. Chriſtus loquitur ſolùm ad Iudæos quoſdam, non ad univerſam Eccleſiam, ut ex textu patet.

V. Ad 2. Diſtinctio in Eccleſiam Viſibilem, & Inviſibilem jam ſupra rejecta fuit, & abunde probatum, veram Eccleſiam debere eſſe Viſibilem, omnibusq; notam; Non obſtant damnatorum in inferno querelæ Sap. 5. v. 6. Quia non queruntur, quod cognoſcere veram Eccleſiam non potuerint, ſed quod intrare in eam noluerint. Quod de Eccleſia Viſibili adjunctum eſt, eam ſcilicet non vinci à Dæmone, etiamſi ab iſto in errorem inducatur; modò in hoc non perſiſtat. Id apertè falſum eſt; ſi enim hoſtis aliquam civitatem occupet; veriſſimè prævalet, etiamſi eandem poſtea iterum amittat.

VI. Equidem poteſt doctrina noſtra allatis S. Scripturæ teſtimonijs bene probata & ſtabilita videri contra hoſtium inſultus, placet tamen adhuc unum adducere, quod teſtimonium inprimis efficax & celebre tradit Apoſtolus Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. ſic ad eum ſcribens: *ut ſcias, quomodo te oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi Columna & Firmamentum veritatis.* Alludit ad duas templi Salomonici columnas *Iachin & Boos* 3. Reg. 7. v. 21. ut volunt Abulenſis, Vatablus & Ribera; unde ſic argumentari poſſumus. Si Eccleſia in fide erraret, non eſſet Columna & Firmamentum veritatis. Conſequens repugnat S. Paulo, Ergo & Antecedens. Min. patet ex textu Apoſtoli, Majoris ſequela inde conſtat, quod metaphoræ columnæ & firmamenti ſignificent firmam & immobilem conſtantiam non quamcunquè, ſed in veritate; ut bene advertit Cornel. à Lapide ajens, Columnam & Firmamentum idem eſſe ac columnam bene firmatam, ac firmatam veritatem; eſt enim Hendiadis, qualis eſt cum dicitur, aurum frenoſque momordit, alioquin meliùs comparata fuiſſet arundini vento agitatæ ſicuti Chriſtus Matth. 11. v. 7. huic inſtabiles animos comparavit. Contra hoc tam luculentum S. Scripturæ Teſtimonium varias eaſquè abſurdas gloſſas afferunt Adverſarij, quas breviter exponam, & refellam.

VII. Dicunt 1. Apoſtolum loqui ſolùm de Eccleſia particulari Epheſina, ſed hoc falſum eſt: Unde enim iſta Eccleſia particularis præ alijs habet talem prærogativam, contra tot alia teſtimonia, quibus toti Eccleſiæ infallibilitas adſcribitur? Loquitur ergo Paulus de univerſa Eccleſia, in quâ etiam verſabatur Timotheus, hoc ipſo quod in aliqua ejus parte verſabatur; qui enim ambulat in hypocauſto, etiam in domo ambulat. Hinc ſimul Timotheo inſinuatur, infallibilem veritatem fidei propoſitionum ex unanimi Eccleſiæ univerſalis confeſſione petendam eſſe, quæ etiam per Miniſtros Eccleſiæ traditur, cum Apoſtoli, quibus infallibitas eſt conceſſa, non ſemper eſſent futuri ſuperſtites.

VI. Dicunt 2. Eccleſiam non vocari Veritatis Columnam activè, quaſi fulciat & ſuſtentet veritatem; ſed paſſivè, quod ipſa fundetur & ſuſtentetur à veritate. Sed quis columnam vocet columnam pavimenti, quia innititur pavimento? Rectius ergo Theophylactus, Chryſoſtomus, Beda & alij apud Cornel. à Lapide allati aſſerunt, Eccleſiam dici firmamentum tam activum, quam paſſivum; quia in fide & veritate paſſivè firmatur à Deo per infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. à Chriſto promiſſam: & quia per eam omnes Fideles activè confirmat, ſicuti prædictæ columnæ Iachin & Boos firmarunt & ſtabilierunt templum Salomoium. Sed hinc:

VII. Dicunt 3. Columnas non eſſe perpetuas ſed vetuſtate vel tempeſtate vel tormentis everti; Ergo ex hoc non rectè colligitur perpetuitas infallibilitatis. Sed hoc non urget, cum etiam Eccleſiæ Militantis columna aliquando defitura ſit, ſcil. ad finem mundi; *cum enim venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*: 1. ad Corinth. 13. v. 10. Quod autem ante finem mundi vera fides non ſit defitura, mox patebit. Inſtant. Veritatem etiam interire propter peccata. Ajo, homines propter peccata poſſe veritatem amittere: Deum autem, qui prima eſt veritas, non poſſe promiſſis ſuis non ſtare; affirmat iſte de univerſali Eccleſia, quæ eſt Domus Dei, eam eſſe columnam & firmamentum veritatis, quod ſemper verum eſt, quia hoc dixit veritas.

VIII. Dicunt 4. Veritatem Dei eſſe Verbum Dei Scriptum, & illud ſolùm ab Eccleſia aſſervari. Sed Eccleſia Chriſti erat vera, priuſquam Apoſtolus illam Epiſtolam ſcriberet; imò antequam ullus liber ſcriptus Novi Teſtam. extaret. Neq; aſſervatio ſcripturarum eſt Columnæ & Firmamenti, ſed Bibliothecarum & Arcarum, ut planè Calvinus riſu dignus ſit ob tam ſtolidam interpretationem, quam affert Lib. 4. Inſt. cap. 8. §. 13. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 121. Et rurſus fol. 688. Vbi prædicta verba D. Pauli ad Timoth.

Digitized by Google

pluribus contra Scheiblerum, Matthiſium, Crocium & alios ſectarios defendunt, nobiſquè conſentiunt.

IX. Probatur jam 2. allata doctrina noſtra ex Patribus, quos fusè præter alios adducit Bernardinus Vetvveis in ſpeculo Eccleſiæ fol. 70. Sufficiat nobis S. Cyprian. Epiſt. ad Cornel. *Eccleſia*, inquit, *qua Chriſtum credit, & qua ſemel id, quod cognovit, tenet, nunquam ab eo omnino diſcedit.* Et D. Auguſt. in Pſalm. 103. explicans verba illa v. 5. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, ſic de Eccleſia ſcripſit: *ipſa eſt prædeſtinata Columna & Firmamentum veritatis. 1. ad Timoth. 3. nutabit Eccleſia, ſi nutaverit Firmamentum, non nutante Chriſto, non inclinabitur.* Similiter loquitur Lib. de Unitate cap. 24. & alibi, ubi ſine limitatione vel diſtinctione ſupponit Eccleſiam eſſe Columnam veritatis, quæ nec nutare, nec inclinari poſſit, quod tamen fieret, ſi pluribus erroribus obnoxia foret; in quem finem ſcribit etjam Cyril. Alexad. Lib. 5. in Iſajam, cap. 54. *ædificat*, ait, *Eccleſiam, & eam ſartam tectamq; conſervat, ne nutet Chriſto protegente & concedente, ut in concuſſa & immota ſit; adverſus hanc enim, inquit, portæ inferi non prævalebunt.* Quomodo autem non nutaret & concuteretur, ſi in pluribus erraret?

X. Probatur 3. ratione ex verbis Chriſti deducta. Si Eccleſiam Chriſti audire tenemur, infallibilis illa eſſe debet; quippe iniquitas foret, ſi fallibilem audire deberemus. Sed verum eſt Antecedens Matth. 18. v. 17. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ergo & conſequens. Dicunt Adverſarij, hoc intelligendum de moribus. Verùm ſi Eccleſia in doctrina morum intelligenda ſit, cur non potius in doctrina Fidei. Rurſus ſi Chriſtus viſibili Eccleſiæ eandem fidem adhiberi voluit, quam ſibimetipſi, perinde iſtam ac illum infallibilem eſſe oportet; quomodo enim Eccleſiæ fallibili & fallaci obedire nos juſſiſſet? aut quomodo Eccleſiæ inviſibili obedire potuiſſemus? Sed verum eſt antecedens Matt. 23. v. 3. quæcunq; dixerint vobis, facite & ſervate. Ergo & Conſequens.

XI. Ex hactenus dictis tria apertè inferuntur doctrinæ puncta. *Primum.* Cum Eccleſia Chriſti, ut hactenrs oſtenſum, non poſſit deficere aut errare in Fide propter peculiarem Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, quam Chriſtus illi promiſit, magnam omnino eſſe debere ejus Auctoritatem in negotio Fidei ac Religionis, quam Auctoritatem ſæpe commendat D. Auguſt. ut Lib. contra Epiſtol. Manichæi cap. 5. cùm ait; *Ego verò non crederem Evangelio, niſi me Catholica Eccleſia moveret Auctoritas.* Et Lib. de utilitate credendi ad Honoratum c. 17. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumq; videamus, dubitabimus Nos ejus condere gremio, quæ ab Apoſtolica ſede, per ſucceſſiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus culmen Auctoritatis obtinuit, cui nolle primas dare, vel ſumma profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

XII. *Secundum.* Definitiones & decreta univerſalis Eccleſiæ ad fidem pertinentia non minùs infallibilia eſſe, quàm Biblia; quia ab eadem infallibili Spiritu proveniunt, ac conſequenter non minùs credenda, quàm quæ in Biblijs leguntur; modò prius conſtet, illam eſſe veram Eccleſiam, ſicuti prius conſtare debet, eſſe legitima Biblia, perinde ut præconibus à magiſtratu miſſis non minùs creditur, quàm programmatis, cùm præſertim ipſa Bibliorum auctoritas à teſtimonio Eccleſiæ dependeat, ut diximus in Controv. de Sac. Scripturâ.

XIII. *Tertium*, neminem poſſe errare in Fide & Religione, qui ſentit, quod tota Eccleſia, vel, quod idem eſt, unuſquiſque tutò & ſecurè poteſt id amplecti aut reſpuere, quod tota Eccleſia amplectitur, aut reſpuit. Atque hæc eſt Regula, quam in Eccleſiæ Auctoritate fundatam perpetuò urgent Catholici, & ex qua D. Auguſt. plura & magni momenti puncta reſolvit. v. g. *orandum eſſe pro mortuis*, Lib. 1. de cura pro mortuis cap. 1: *parvulos eſſe baptizandos*, Epiſt. 28. ad Hieronym: *hæreticos non eſſe rebaptizandos* Lib. 1. contra Creſconium Grammat. cap. 3: *Librum Matthæi Evangeliſtæ, eſſe Canonicum*, non Librum Manichæi, qui illi contrarius eſt, Lib. 28. contra Fauſtum. cap. 2. &c.

XIV. *Doctrina Secunda.* Vera Chriſti Eccleſia à primordio hucusq; fuit non interruptâ ſerie continuata: & deinceps usq; ad finem mundi perſeveratura eſt. 1. Pars doctrinæ hujus de tempore præterito probata eſt ſupra in Controu. XVIII. de Antiquitate Eccleſiæ. 2. Pars de tempore futuro etiam jam patet ex illa ſententia Chriſti Mat. 16. v. 18. ſæpe jam adducta: *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus illam*, hoc eſt, Eccleſia erit inexpugnabilis, nec ulla dæmonis aſtutiâ aut violentiâ poterit everti. Nam per Metaphoram portarum hebræi ſignificant ſapientiam & potentiam; quoniam in urbibus Iudæorum juxta portas & fortiſſimi Milites excubabant, & ſapientiſſimi Judices palam judicium celebrabant, ut indicat Salomon Proverb. 31. v. 23. *nobilis in Portis vir ejus, cùm ſederit cum Senatoribus terræ.* Pulchrè D. Chryſoſtomus in demonſtrat. quod Chriſtus ſit DEUS Tom. 5. pag. 747. in cit. verba, *ſuper hanc Petrum &c.* Sic ſcribit: *examina, ut libet, quid hoc ſibi verbum velit, & videbis perſpicuam ejus veritatem. Nam non ſolùm hoc mirum eſt, quod ædificavit eam per totum mundum, ſed quia invictam fecit, & invictam ſervat, licet tot bella inſurgant; hoc enim eſt, quod portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Pericula, ait, quæ mortem generant, pericula, quæ in infernum deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? Vidiſtis verba in operibus lucentia, & virtutum abſq; armis omnia facilè conficientem.*

XV. Porro hanc Perpetuitatem & inexpugnabilem conſtantiam in fide non eſſe naturalem, nec humanis viribus nixam, tunc maximè patuit, cum Eccleſia omni humano ſubſidio deſtituta omnium Principû armis impugnaretur, ſicuti accidit circa an. Chriſti 500. quando omnes Dinaſtæ mundi fuerunt Ethnici vel hæretici. Nam tunc Anaſtaſius Imperator fuit Hereticus Eutychianus, Reges Italiæ, Hiſpaniæ Africæ Ariani: Reges Francorum, Anglorum, Germanorum Pagani, ut notavit Bellarm, in ſua Chronologia. Et tamen Eccleſia immota perſtitit in ſua fide, quod naturalibus viribus fieri non potuiſſet, cum alia potentiſſima regna conciderint, ut quatuor Monarchiæ Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, ſolo Regno Chriſti permanente, quemadmodum Deus præfiguravit per ſtatuam Nabuchodonoſori oſtenſam, & à Daniele expoſitam. Daniel. 2. v. 44. *ſuſcitabit Dominus Deus Cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur,* ſcil. Regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia, quò alludens Gabriel Archangelus Luc. 1. v. 32. de Chriſto prædixit: *regnabit in Domo Iacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.*

PARS

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVI.

Error *primus* eſt: Eccleſiam Viſibilem poſſe errare, & reipsâ ſæpius erraſſe. Ita Lutherani apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 834. & Calviniſtæ apud Ameſ. Tom. 2. fol. 51. Probant. Tum variis aliis teſtimoniis utriuſque teſtamenti paſſim jam propoſitis, tum quia Matth. 24. v. 4. Chriſtus ait: *videte, ne quis vos ſeducat.* & v. 11. *Pſeudoprophetæ multos ſeducent.* 2. ad Theſſal. 2. v. 10. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Tum quia dæmon prævalet in moribus & multos fideles in graviſſima peccata inducit. Cur ergo in errores Fidei inducere nequeat, cum Voluntate non ſit firmior humanus Intellectus? Tum quia Eccleſia Papiſtarum docet aliqua, quæ nec Chriſtus, nec Apoſtoli docuerunt, qui omnem veritatem à Spiritu Sancto didicerunt: nec aliud iſtos docuit, quàm quod Chriſtus ante prædicavit, & ab iſto audivit Spiritus ille, ut patet ex Joannis 16. Tum quia Catholici vitioſum committunt circulum, quando Infallibilitatem & Auctoritatem Eccleſiæ probant ex Divina Scriptura: Et rurſus Infallibilitatem & AuctoritatemScripturæ ex Eccleſia.

XVII. Nihil crebriùs & vehementius Sectarij crepant, quàm Eccleſiam deficere poſſe, & verò re ipsâ defeciſſe; atque ad hoc perſuadendum varia rationum momenta in pharetra ſua accumulant, quæ veluti Lethalia tela in nos emittunt. Sed rectè de his dixeris illud Regij Pſaltis Pſalm. 63. v. 8. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Ex hoc enim hæreticorum errore apertè infertur 1. Totam illorum Eccleſiam errare poſſe. 2. Neminem apud illos ſecurum eſſe de fide. 3. omnem eorum conatum, quo contendunt Romanam Eccleſiam erraſſe, & Adulteram fuiſſe factam, eò ſpectare, ut fateantur, eos eſſe ſpurios & adulterinos, utpote natos ex matre adultera; Siquidem Lutherus, Calvinus & ſimiles Pſeudo-Magiſtri ex Eccleſia Romana prodierunt. Ecce quàm ignominioſæ plagæ parvulorum. Alius eſt ſenſus verorum Filiorum de Matre ſua Eccleſia, ſcilicet hanc alienam eſſe ab adulterio, imò ab omni committendi erroris ſuſpicione remotiſſimam. Talis fuit D. Hieronymus in cap. 3. ad Epheſ. ſcribens: *Ipſi itaque Deo ſit gloria, primùm in Eccleſia, quæ eſt pura non habens maculam, neque rugam.* Tales fuerunt alij SS. Patres, Eccleſiam mundam, pulchram, & ipsâ terrâ Cœloque immobiliorem aſſerentes. Tales & nos Romano-Catholici omnes ſumus, Sanctam Matrem noſtram Eccleſiam ſemper invictam confitentes; etiamſi Inferi commoveantur & omnes Satanæ miniſtri in ipſam inſurgant.

XVIII. Reſpond. ad 1. Non poſſe probari ab Adverſariis, Eccleſiam totam vel erraſſe hactenus, vel deinceps erraturam. Quæ occinunt, hinc inde in variis Controverſiarum locis refutantur, & vel unicâ hâc ſententiâ D. Cypriani Lib. de unitate Eccleſiæ refelluntur: *adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & Pudica &c.* Ad 2. Quæ Matth. 24. & ad Theſſal. 2. dicuntur, ad Singulos Fideles: non ad univerſam Eccleſiam ſpectant. Ad 3. Diſparitatem eſſe, quod Chriſtus promiſerit intellectui humano infallibilitatem Fidei: non item Voluntati immutabilitatem virtutis. Adhæc nunquam tota Eccleſia in peccata labitur, ſed ſemper in ſe habet aliquos Sanctos, ut ſupra diximus Controv. XVI. de Sactitate. Ad 4. Hoc argumentum in multis peccare. Nam 1. malè ſupponit, omnem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam eſſe relatam in Scriptum, quod ſupra rejecimus. 2. nimis preſsè accipit illa verba Chriſti Joan. 16. v. 13. *Vos docebit omnem veritatem*, quæ à Patribus ſolùm intelliguntur de omni veritate juxta rationem temporis, ſeu utili ad bonum Eccleſiæ regimen. 3. Falsò imponit Chriſto, quaſi dixerit, Spiritum Sanctum non aliud docturum ſuggeſturúmque Apoſtolis, quàm quod Chriſtus prius docuerat; cujus oppoſitum ipſe clarè aſſerit Joan. 16. cit. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, nempe illam, quam ob incapacitatem veſtram conticeo. Quando autem additur: *quæcunque audiet*: non intelligendum id de ſenſibili auditione, ſed metaphorica, nempe de Spiritûs Sancti à Filio proceſſione à Patribus ex hoc Textu aſſerta, per quam proceſſionem Spiritus Sanctus omnem Scientiam unà cum divina Eſſentia à Filio accepit. Dicere igitur vult Chriſtus, Spiritum Sanctum nihil locuturum contrarium doctrinæ, & voluntati ſuæ. Ad 5. Non-nihil ſupra jam dictum fuiſſe in Controv. 2. de Sac. Scriptura §. XVII. ad cujus nunc exactiorem intelligentiam.

XVIII. Supponendum ex Philoſophia, duplicem eſſe Circulum. Materialem & Formalem. Materialis eſt, cum eadem res, ſed aliter atque aliter conſiderata ex ſe ipſa colligitur; ſicut in Deo probamus Juſtitiam & Miſericordiam ex Sanctitate. Sanctus eſt. Ergo juſtus eſt. Quæ tamen perfectiones in Deo non diſtinguuntur, adeóque idem per idem probatur. Similiter probamus, hominem eſſe ſubſtantiam, quia eſt animal; cum tamen ſubſtantiæ & animalitatis gradus realiter non differant. Et hujuſmodi circulus non eſt vitioſus, ſed ingenioſus, rem eandem in varias formalitates diſtinguens. Formalis eſt, cum eadem res ſub eadem formalitate ad ſuimet ipſius probationem aſſumitur, quod ſanè nugatorium ac vitioſum eſt; ac ſi probarem, bis tria eſſe ſex, quia ſex ſunt bis tria. Unde Ariſt. 1. Poſterior. c. 3. meritò in veteribus quibuſdam reprehendit hunc poſteriorem circulum; quia idem reſpectu ejuſdem foret notius, & ignotius, prius & poſterius &c: non verò priorem, ſed iſtum ipſemet adhibet, quando 8. Phyſ. Tex. 53. æternitatem Motoris ex æternitate motûs, & viciſſim probat.

XIX. Porro duplex eſt Auctoritas Eccleſiæ; Una Humana inde orta, quod hæc prudentibus, doctis, probiſque hominibus conſtet, quos omnes ſimul erraſſe, non eſt veroſimile: altera Divina ex gubernatione & illuſtratione Spiritûs Sancti proveniens. Non poteſt autem Scriptura Eccleſiæ, vel Eccleſia Scripturæ conferre Auctoritatem, ſed præhabitam tantùm manifeſtare; Sicuti quando novus Papa in Conclavi electus ab aliquo Cardinali ex ſuperiore & exteriore loco Vaticani publicatur; iſte Cardinalis non facit illum Pontificem, ſed jam factum ſolummodo manifeſtat, ac promulgat.

XX. Loquendo igitur univerſim de Infallibilitate

Digitized by Google

litate tam Sacræ Scripturæ, quàm Eccleſiæ tres actus interveniunt. Primus per humanam Eccleſiæ Auctoritatem detegit; & manifeſtat Auctoritatem divinam Scripturæ, quod ſit Verbum DEI. Secundus ex cognita Scripturæ Auctoritate viciſſim hæc patefacit divinám Auctoritatem Eccleſiæ. Tertius ex divina auctoritate Eccleſia ſic patefacta rurſum confirmat divinam Auctoritatem Scripturæ. Et ſic ab humanâ Auctoritate Eccleſiæ reditur ad divinam ejus Auctoritatem; quæ ſunt diverſæ formalitates, adeóque non fit circulus formalis, ſed Eccleſia, quæ, ut viris doctis, prudentibus, & probis conſtat, & ſaltem humanâ fide digna eſt, teſtatur hanc Scripturam eſſe Verbum Dei: Et ſic Sac. Scriptura pro verbo Dei agnita viciſſim teſtatur, Eccleſiam à Spiritu Sancto infallibiliter regi, adeóque duplicem habere Auctoritatem Humanam & Divinam; utramque ſibi faventem. Ità præter alios Tanner Tom. 3. fol. 250. ubi ex profeſſo de infallibilitate Sac. Scripturæ agit, & rem breviter hoc templo declarat. Si Deus, inquit, duobus Prophetis revelaret quæpiam, & inter iſta, utrúmque ipſorum eſſe verum Prophetam, additâ ſufficiente vi, quâ alter alteri ejuſmodi vaticinia ſufficienter redderet credibilia, tum viciſſim unus alteri teſtimonium meritò perhiberet.

XXI. Ab hac doctrina noſtra minimè alieni ſunt, ſed eandem tenent illi Auctores, qui abſolutè docent, ad interrogationem, unde habcamus Eccleſiam eſſe infallibilem, à priori reſponderi; quia prædita eſt ſanctitate, unitate doctrinæ, diffuſione per univerſum orbem, Succeſſione continuâ Pontificum in ſede Apoſtolicâ, innumeris viris Sanctitate, doctrinâ, virtute conſpicuis; atque indubitatis miraculis, ut cum Richardo de S. Victore Lib. 1. de Trinit. cap. 2. non immeritò quiſque noſtrum verba illa uſurpare poſſit: *Domine ſi error eſt* (credendo hanc Romano-Catholicam Eccleſiam pro tua unicâ verâ & infallibili Eccleſia) *à te decepti ſumus; ijs enim teſtimonijs Eccleſia hæc confirmata eſt, quæ niſi à te fieri non potuerunt.* Et cum hæ proprietates Eccleſiæ Catholicæ adeo perſpicuæ ſint, mereantúrque, ut ob Traditionem ſeu Revelationem non Scriptam res credatur, ulteriori probatione ex Sac. Scriptura ſeu Verbo Dei ſcripto opus non eſſe. Quando nihilominus eadem adducitur pro probanda infallibilitate Eccleſiæ, fieri illud quaſi à poſteriori, & quaſi per reflexionem. Nam dum per infallibilis Eccleſiæ declarationem oſtenditur, hanc Scripturam eſſe verbum Dei Scriptum: & iſta ſæpius Eccleſiæ meminit, eique clariſſima teſtimonia perhibet, eadem Scripturæ teſtimonia uſurpari ad majorem confirmationem; & declarationem aliunde jam cognitæ, & creditæ infallibilitatis Eccleſiæ; præſertim dum quoad hoc in ordine ad hominem & ex conceſſis diſputatur contra hæreticos, qui Sac. Scripturæ Teſtimonia reijcere nequeunt, cum illam ſolam pro unico Dei verbo agnoſcant. Ità fere Authores illi. Atque hæc via expeditiſſima eſt ad evitandum eum, quem diximus, vitioſum circum, qui Doctores non parùm hactenus vexavit. Videri poteſt Vitus Erberman in Trophæis Rom. Eccles. fol. 96.

XXII. Cæterùm Sectarij qui nobis hunc circulum objiciunt, illi ipſi ſunt, qui cum impijs Pſal. 11. v. 9. *in circuitu ambulant*, & in ſua credendi ratione ineluctabilem circulum committunt. Nam interrogati, unde credant, Scripturam eſſe divinam, & verè DEI verbum? Reſpondent ex interna teſtificatione Spiritûs Sancti. Si rurſus roges, unde conſtet, internam illam teſtificationem eſſe à Spiritu Sancto? Reſpondent ex S. Scriptura Joan. 10. v. 16. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Si demum ſciſciteris, unde noverint, hanc eſſe Scripturam Sacram? Iterum recurrunt ad internam teſtificationem, & ex hac noſſe ſe reſpondent. Et ſic tota ipſorum fides fictâ & privatâ aſſiſtentiâ Spiritûs, & humanâ Sac. Scripturæ expoſitione ad ſalutem minimè ſufficiente nituntur. Qui ſanè eſt error maximus, & pœna DEI ſumma, dum miſeri relinquendo Eccleſiam Catholicam Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ præditam ſibimet ipſis relinquuntur; & proprios ſuos ac fallaces ſenſus pro infallibilibus Sancti Spiritûs effatis habent & ſequuntur.

XXIII. *Error ſecundus* eſt eorundem hæreticorum, Eccleſiam Viſibilem nec ſemper duraſſe, nec ſemper duraturam. Nam, inquiunt, Synagogæ Judæorum non minores factæ ſunt promiſſiones, quàm Eccleſiæ Chriſti de Perpetuitate illius. Levit. 16. v. 29. *Erit vobis hoc legitimum ſempiternum.* 3. Reg. 9. v. 3. *Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi junctis diebus* Pſal. 131. v. 3. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi: hac habitatio mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam;* Baruch. 4. v. 1. *Hic liber mandatorum DEI, & lex quæ eſt in æternum.* Nihilomitus Templum Salomonis dirutum. Lex Moyſis abolita, & Tota Synagoga tum ante ſæpius obſcurrata, & ferè in nihil redacta. Tum demum tempore Paſſionis Chriſti penitus ſublata fuit, quando ſummi Pontifices Scribæ & Phariſæi, qui Titulum Eccleſiæ ſibi arrogabant, Chriſtum in Concilio damnârunt, & totus Populus illorum ſententiam approbavit; quid ni igitur Eccleſia Chriſti non obſtantibus ijs, quæ adducta ſunt, promiſſionibus, perire etiam ſic poſſit?

XXIV. Contra errorem hunc manet, quod diximus ex Sententia Chriſti Matth. 16. v. 18. *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*; quantò minùs adverſus Eccleſiam prævalebunt hæretici, etiamſi omnes conatus vires & aſtutias ſuas exerant. Pro ſolutione argumenti, quo Adverſarij utuntur, Sciendum, nomen æternitatis in Sacris litteris variè ſumi. 1. pro infinita duratione Matth. 25. v. 45. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* 2. pro duratione uſque ad finem mundi Pſal. 48. v. 12. *Sepulchra eorum domus illorum uſque in æternum*, ideſt, uſque ad extremum judicium, ubi omnes reſurgent. 3. pro longjuſcula duratione unius ſæculi Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum & ultrà*; id eſt, hoc & ſequentibus ſæculis; cum infinita duratio nihil patiatur ultra. Quomodo autem nomen æternitatis in hoc vel illo loco Scripturæ ſit accipiendum, partim ex ſubjecta materiâ, partim ex circumſtantijs adjunctis eſt dividicandum. Hoc notato.

XXV. Reſpondetur 1. Ex priore Controverſia jam patere, quod Synagoga nunquam, etiam tempore Chriſti, defecerit quoad fidem, aliàs tunc nulla Eccleſia vera extitiſſet, quod eſt abſurdum; quia Eccleſia Chriſti per hujus paſſionem & mortem primùm fuit obtenta, & perfectè erecta. Unde Act. 20. v. 28. admonentur Epiſcopi *regere Eccle-*

ſiam

Digitized by Google

ſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo. Non igitur priùs fuit Eccleſia Chriſti, quàm ejus Sanguis fuſus. Ad Hebræos 9. v. 15. Paulus ait: Chriſtum eſſe Mediatorem Novi Teſtamenti per Sanguinem ſuum; *ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt, intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin non valet, dum vivit, qui teſtatus eſt.* Sic etiam Scribit D. Auguſt. Tract. 10. in Joan. *Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia. Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Chriſto lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta quibus formatur Eccleſia.* Quaprópter ante mortem Chriſti novum Teſtamentum neminem obligavit, quia antiquum nondum fuit ſublatum; & ad iſtud etiam juſti & electi in Iſraël Zacharias, Joannes Baptiſtâ, Joſeph, Maria, Simeon, Anna Prophetiſſa &c. ante mortem Chriſti ſpectaverunt. Ejuſdem Teſtamenti tanquam veræ tunc Eccleſiæ ſupremum Caput & Doctores fuerunt ſummi Pontifices, Scribæ, & Phariſæi, qui etſi privatas ſuas Sectas & errores haberent, docuerunt tamen in communi Legem Moyſis, quam omnes Judæi profitebantur. Et hoc intendit Chriſtus paulò ante mortem, dum ait: *Omnia ergo, quacunque dixerint vobis, ſervate & facite.* Matth. 23. v. 3.

XXVI. Reſpond. 2. Æternitatem Synagogæ promiſſam ſtrictiùs accipiendam pro aliquot ſæculis, ſcilicet uſque in adventum Meſſiæ; tunc enim illam Synagogam deſituram & in ſtatum perfectiorem tranſmutandam, habetur ex Jerem. c. 31. v. 31. ubi hæc leguntur: *Ecce dies venient dicit dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Juda fœdus non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum,* hoc eſt, non tranſiturum, ſed ſtabiliter permanſurum, non ſeveritatis, ſed benignitatis &c. ut exponunt S. Hieron. D. Thomas. Joannes Maldonatus & alij apud Tirinum.

XXVII. Reſpondetur. 3. Si æternitatem velimus latiùs ſumere pro duratione uſque ad finem mundi, tunc promiſſionem Templo factam conditionatè eſſe intelligendam; ſi ſervarent Legem Dei, ut declarat Scriptura in Levit. cap. 26. & alibi ſæpiùs repetens iſta verba: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis & feceritis ea &c.* At verò Chriſto & ejus Eccleſiæ promiſſa eſt perpetuitas ſine ulla conditione, ita ut quantiſcunque peccatis intervenientibus non deleatur propter merita Chriſti; id quod ſumitur ex Jerem. 31. cit. v. 37. ubi hæc habentur: *Hæc dicit Dominus, ſi menſurari potuerint cæli ſurſum, & inveſtigari fundamenta terræ deorſum, & abjiciam univerſum ſemen Iſraël propter omnia, quæ fecerunt;* Et mox: *ædificabitur Civitas Domino, & non deſtruitur ultrà in æternum.* In hoc loco ex antecedentibus certum eſt, agi de Eccleſia Chriſti. Senſus igitur eſt verborum Dei: ſi homines magnitudinem & altitudinem Cœlorum menſurare, & profundum terræ penetrare poſſunt, & ego Deus univerſum ſemen Iſraël abjicere potero; ſed ſicuti illa nunquam fient, ita ego nunquam ſemen Iſraël abjiciam. Sed propter Chriſtum primò Apoſtolos, & diſcipulos: deinde innumera ex Iſraël millia Eccleſiæ Chriſtianæ adjungam: Demum in fine mundi reliquos eidem aggregare decrevi. Videatur Tirinus in cit. loc. Scripturæ. Et Bellarminus Lib. 4. c. 6. de Eccleſ. Duratione, ubi à tempore Apoſtolorum uſque ad tempus Lutheri refert ducentas Hæreticorum diverſiſſimas Sectas; quarum paucæ ex Arianis, Neſtorianis & Eutychianis ſolùm reliquiæ ſuperſunt: cæteræ omnes penitus evanuêre; tametſi multæ ex illis multos Epiſcopos, multas Eccleſias, multos Imperatores & Reges habuerint Patronos, & innumerabiles etiam libros ſcripſerint, qui cum ipſis hæreticis interiêre. Idem fatum modernis Sectis Lutheranæ, Calvinianæ &c. imminet. Quare ex conſilio D. Hieronymi adverſ. Luciferanos: *In ea Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata uſque ad dum banc perdurat;* quæ eſt Romano-Catholica, Infallibilis, & Perpetua.

CONTROVERSIA XXII.

DE MIRACULIS ECCLESIÆ.

D. Thomas Aquinas 3. P. Q. 45. art. 1. Miraculum vocat Sigillum quoddam divinæ Auctoritatis. Sed elegantiùs adhuc ſcribit D. Auguſt. Tract. 24. in Joan. in hæc verba: *Interrogemus ipſa miracula, quid nobis loquantur de Chriſto; habent enim miracula, ſi intelligantur, linguam ſuam.* Quid eadem miracula de Eccleſia Chriſti nobis enuncient, inpræſentiarum audiemus; poſtquam pauca quædam de Miraculorum acceptione præmiſerimus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. NOmen Miraculi trifariam ſumitur. 1. Latiſſimè pro omni effectu raro mirabili, à quacunque cauſa profecto, ſic D. Auguſt. Lib. de utilitate credendi cap. 16. *miraculum, inquit, voco, quidquid arduum & inſolitum ſupra ſpem & facultatem mirantis apparet.* Sic quædam ex miraculis dicuntur Artis & Naturæ.

II. 2. Accipitur Miraculum ſtrictiùs pro extraordinario opere Dei, licet naturæ vires non excedente, ſive ſolus id efficiat, ſive adhibitâ operâ creaturam præſertim Angelorum, dummodo conſuetum ordinem divinæ providentiæ excedat, & ſpeciali Dei potentiâ, vel imperio factum ſit, ſicuti loquela Aſinæ Balaam Num. 22. v. 28. miraculis annumeratur, licet Angelus (Michael Hebræorum tutelaris; ut putant aliqui apud Trinum) Dei juſſu Aſinæ linguam moverit, & per eam voces articulatas efformaverit; ſicuti dæmon movit os ſerpentis, ut loqueretur Evæ, Geneſ. 3. v. 1. aërem vicinum, quoad opus erat, collidendo, & ſic ſupplendo, quod organis Beſtiæ deerat, ut Abulenſ. & alij.

III. 3. Sumitur Miraculum ſtrictiſſimè pro opere ſupernaturali quod omnium creaturarum vires ſuperat, & à ſolo Deo fieri poteſt ſive quoad ſubſtantiam, ſive quoad modum. Excedit autem, inquit D. Thom. 1. p. q. 105. art. 8. aliquid facultatem tripliciter; uno modo quantum ad ſubſtantiam facti, ſicuti quod duo corpora ſint ſimul, vel quod Sol retrocedat, vel quod corpus humanum gloriſi-

Digitized by Google

glorificetur, quod natura nullo modo facere poteſt; & iſta tenent ſummum gradum in miraculis, 2. Excedit aliquid facultatem Naturæ non quantùm ad id, quod fit, ſed quantùm ad id, in quo fit, ſicuti reſuſcitatio mortuorum, & illuminatio cœci ac ſimilia; poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo: & poteſt præſtare viſum, ſed non in cœco. Et hæc tenent ſecundum locum in miraculis, 3. Excedit aliquid facultatem Naturæ, quantùm ad modum & ordinem faciendi, ſicut cum aliquis per virtutem divinam à Febri curatur abſque conſueto proceſſu Naturæ in talibus, ut cum ſtatim aër divinâ virtute in pluvias denſatur, abſquè naturalibus cauſis, ſicuti factum eſt ad preces Samuelis, & Eliæ. Et hæc tenent ultimum locum in miraculis.

IV. Controvertitur autem, in qua ſignificatione nomen Miraculi in præſenti ſumatur? Sunt qui contendant in tertia ſignificatione accipiendum, & in uno ex tribus modis à S. Thoma aſſignatis. Sed contra hos eſt. Tum quia in Veteri Teſtam. Elias 3. Reg. 28. v. 38. in teſtimonium veræ fidei ignem è Cœlo evocavit, quod etiam diabolus potuit, & re ipsâ fecit Iob. 1. v. 16. & ſæpe per ſagas præſtitit. Tum quia in Novo Teſtamento Chriſtus in veriſſimum & efficaciſſimum Divinitatis ſuæ teſtimonium à Patre accepit vocem de nube proclamantem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. v. 17. ac 2. Petri 1. v. 17. Et tamen ejuſmodi verba etiam diabolus pronuntiare potuit. Ut taceam alia, & pleraque prodigia Moyſis in Ægypto, vel deſerto patrata, dæmonis potentiam non exceſſiſſe. Quapropter non videtur neceſſum eſſe ad probationem veræ fidei, proferre ſemper miracula ſtrictiſſimè ſumpta juxta tertiam ſignificationem, quæ non potuerint, niſi à Deo fieri, ſaltem eo modo, ut eadem deſcripſit S. Thomas, ſed ſufficere illa minùs ſtrictè in 2. acceptione; modò conſtet, re ipsâ à Deo proceſſiſſe in teſtimonium alicujus veritatis vel particularis totius Fidei, id quod conjici poteſt vel ex circumſtantijs, vel evidenti revelatione (quam vocant evidentiâ in Atteſtante) vel ſimplicitate, quando nulla dubitandi ratio aut ſuſpicio diabolicæ fraudis occurrit, ſed bonâ fide creditur eſſe opus divinum. His præmiſſis.

V. *Doctrina Prima.* Miracula ſunt certa Nota veræ Fidei, & conſequenter Eccleſiæ, quæ illam tenet. Ita omnes Catholici, ut teſtantur DD. à Walenburch. Tom. 2. fol. 184. Probatur 1. ex S. Script. Veteris Teſtam. Exodi. 4. cum Moyſes in Ægyptum miſſus replicaret, populum ſibi non crediturum, dedit ei poteſtatem faciendi miracula ad fidem comparandam. Et cap. 8. ex illis miraculis reipsâ perpetratis malefici veri Dei omnipotentiam ac mandatum agnoſcentes dixerunt v. 19. *Digitus Dei eſt hic*: id eſt, potentia & virtus hic ſe prodit longè major omni noſtrâ, & dæmonum magiſtrorum noſtrorum virtute, nempe virtus ſolius Omnipotentis Dei, quâ nos præpedimur, & quaſi ligamur. Iſajas 35. v. 4. & 5. agens de Salvatore vero, ſcil. Meſſia & Chriſto, ut intelligunt illum D. Athanaſius, Hilarius, Juſtinus, Proſper & alij PP. apud Trinum pro certò ſigno illius dignoſcendi poſuit miracula: *tunc*, inquit, *aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Atque huc ajunt iijdem Patres reſpexiſſe Chriſtum, quando interroganti Joanni: *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* pro indubitato ſigno, quo ſe Meſſiam eſſe noverit, reſpondere juſſit: *cœci vident, claudi ambulant*, Matth. 11. v. 5. Porrò cum Chriſtus Matth. 10. Apoſtolos ſuos ad prædicandum Evangelium mitteret, dicendo v. 7. *euntes prædicate dicentes: appropinquavit regnum Cœlorum*, ad optatum effectum obtinendum dedit illis hoc unicum perpetrandorum miraculorum ſignum, inquiens verſu ſequenti: *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate &c.* Iſti autem, ſcribit Marcus cap. 16. v. 20. *prædicaverunt ubiquè, Domino coöperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Demùm etiam in Scriptura paſſim Chriſtus homines per miracula ad ſe fidemq; ſuam traxit. Sic mulier Samaritana credidit, quia ipſi arcana cordis ſui propheticè aperuit. Joan. 6. v. 18. & 19. Sic cœcus, quia illum illuminavit cum ſalvia & luto Joan. 9. v. 38. ſic multi ex Judæis, quia præſentes erant, cum Jeſus Lazarum ſuſcitaret à mortuis Joan. 11. v. 45. Sic diſcipuli univerſi, quia in Cana Galilææ Chriſtus ex aqua vinum fecit Joan. 2. v. 11. ſic multi alij in Jeruſalem crediderunt in Chriſtum, quia viderunt ſigna ejus, quæ faciebat ibid. v. 24.

VI. Ex his tria breviter advertenda. 1. Non obſtante hoc, quod Chriſtus doctrinam ſuam pluribus & ingentibus miraculis comprobârit, adhuc tamen neceſſarium eidem viſum fuiſſe, ut Apoſtolis quoque ſimilis patrandorum miraculorum poteſtas conferretur. 2. Non ea ſolùm miracula à Chriſto fuiſſe commemorata citatis locis Matth. & Marci, quæ nos ſupra in tertia acceptione: ſed nonnulla etiam, quæ in ſecunda acceptione poſuimus v. g. ſerpentes innoxiè tollere, à mortifero hauſtu non lædi &c. quæ certè à Dæmone abſolutè fieri poſſunt, ne ſimilia aliquando à Catholicis facta ſtatim hæretici contemnerent, & aut diabolo, aut naturæ viribus aſcriberent. 3. Prædictam poteſtatem non ſolùm ad Apoſtolos, ſed ad eorum etiam Succeſſores pertinere, cum verba illa: *euntes prædicate Evangelium,* non minùs hos, quàm illos concernant, ſiquidem hactenus & ad finem uſque mundi nec defuerunt unquam, nec deerunt Gentes, quibus Chriſti Fides prædicetur, & miraculis confirmetur.

VII. Probatur 2. Ex Auctoritate Patrum, qui miracula maximi faciunt, veluti indubitata veræ fidei teſtimonia S. Chriſoſtomus in c. 5. Joan. Homol. 39. ſic ſcribit: *Ut Chriſtus Judæos omni veniâ indignos oſtendat, addidit: ego habeo teſtimonium majus Joanne. quale? opera enim, inquit, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam, ea ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater me miſit; hic Paralytici, & filij Reguli ſanati & aliorum plurium meminit. Nam diceret fortaſſe quiſpiam magnifica Joannis verba de JESU ad gratiam dicta (quamvis nec hujuſmodi de Joanne viro optimo & tanta apud Judæos admirationis ſuſpitio fieri poſſet) verùm ut opera etiam inſanis perſuaderent, ideo eorum adduxit teſtimonium.* S. Hieron. Epiſt. 13. ad Marcellam *Martyrum*, inquit, *utique ſepulchra veneramur, & Sanctam favillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus: & Monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtiment negligendum? ſi nobis non credimus, credamus ſaltem diabulo & Angelis eius, qui quotieſcunque ante illud de obſeſſis corporibus expelluntur, quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes contremiſcunt, rugiunt &c.* D. Auguſt. de utilitate credendi ad Honoratum contra Manich. cap. 17. ſup. cit. *Cum igitur*, ait, *tantum au-*

xilium

xilium Dei, tantum profectum fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſia condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum majeſtate damnantis (hæreſes) *culmen Auctoritatis obtinuit.* Rurſus contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. ſcribit: *multa ſunt alia, quæ in ejus* (Eccleſiæ) *gremio juſtiſſimè tenent &c. Tenet Auctoritas Miraculis inchoata &c.* plures Patres in hanc eandem ſententiam fusè adducit Jacobus Keller in Papatu Catholico Tom. 1. à fol. 484. qui videri poteſt.

VIII. Probatur 3. Ratione. Si clariſſimè & indubitatè conſtare poſſit, quod Controverſa Fidei dogmata, & Religionis articuli alicujus Eccleſiæ per vera Miracula fuerint approbati & confirmati, tunc meritò id cuilibet Sapienti viro argumentum eſſe debet, judicandi & affirmandi, hanc Eccleſiam, cujus articuli talem miraculoſam habent atteſtationem, eſſe veriſſimam Chriſti Eccleſiam. Sed clariſſimum & indubitatum eſt, quod Eccleſiæ noſtræ Romano-Catholicæ dogmata & Fidei articuli per vera ac luculenta miracula fuerint ſic approbati, ac confirmati. Ergo hæc noſtra Romano-Catholica Eccleſia eſt veriſſima, & ſalutifera Chriſti Eccleſia ſecundùm judicium cujuslibet viri ſapientis & æternæ ſalutis cupidi. Conſequentia eſt bona. Minor patet tum ex dictis. Tum magis ex tota hac Controverſia conſtabit. Probatur igitur Major. Si verum miraculum contingat in rebus fidei articulos & Religionis dogmata concernentibus non poteſt id provenire aliunde, quàm à Deo veritatem rei per illud miraculum atteſtari volente; quippe falſitatem rei atteſtari non poteſt Deus, qui eſt ipſa Veritas; quapropter fieri nullo modo poteſt, ut dogma Fidei, vel Religionis articulus ſit falſus, quem Deus per verum miraculum atteſtatur, probat, ac confirmat: aut ut falſa ſit Eccleſia, quæ talia dogmata & Fidei articulos docet, & profitetur. Hinc ſupra diximus ex D. Thoma, miraculum eſſe quoddam ſigillum divinæ Auctoritatis. Et Hildebrandus Legatus Pontificius poſtea Papa Gregorius VII. in Concilio Gallicano miraculum vocavit *Divinitatis Oraculum.*

IX. Si denique veterum Hiſtoriarum monumenta revolvamus, reperiemus plurimas Gentes initio ad amplectendam Chriſti Fidem miraculis permotas eſſe. Magdenburgenſes Centuriatores in quavis centuria Captis 13. aſſignant ex Scriptoribus illorum temporum Miracula: & in quolibet ſæculo reperiunt non pauca, quæ in confirmationem fidei Catholicæ facta ſunt, ac nominatim de Confeſſione, Reliquijs, Imaginibus, Venerabili Sacramento Euchariſtiæ, Papatu, Clericatu, Invocatione Sanctorum &c. Card. Bellarm. Lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 14. oſtendit quoque ordine in ſingulis ſæculis plura miracula perpetrata fuiſſe ad Fidem Catholicam inducendam & ſtabiliendam.

X. In Germania noſtra S. Swibertus Epiſcopus è gentili Superſtitione ad fidem Catholicam convertit Holandos, Brunſuicenſes, Friſones, Weſtphalos, Colonienſes, alioſque Rheni Acolas, idque innumeris perpetratis miraculis, inter quæ fuit reſuſcitatio trium mortuorum, ut videre eſt apud Surium 1. Martij, & Spondanum Hiſtoriæ Eccleſ. Anno Chriſti 695. S. Bonifacius Epiſcopus & Martyr, cum Rex Ruſſorum polliceretur, ſe in ſententiam ac fidem Catholicam iturum, ſi ipſe rogos geminos, qui juncti flammas ſociabant, illæſus perambularet, acceptâ conditione ac pacto utrumq; rogum à flammis illæſus pertranſijt, & ſic Regem & innumeram multitudinem ad Fidem Chriſtianam tranſmiſit, ut refert Surius 18. junij ex Petro Damiani in vita Romualdi. Si recentiora loco tamen remotiora inſpiciamus, Franciſcus Xaverius è Societate Jesu Indiarum Apoſtolus innumeros Gentiles ad Chriſti fidem convertit, atque illorum decies centena millia ſuâ manu baptizavit, & quo medio? non alio magis, quàm ingenti ſplendore plurium & maximorum miraculorum; etenim paralyticos, ſurdos, cœcos, claudos, infirmos curavit, precibus mare exarmavit, exercitus ſuperavit, & aliquot mortuos in vitam reſuſcitavit, ut fuſiùs in ejus vita legitur. Dicere autem, ac cenſere cum nominatis centuriatoribus Magdeburgicis, omnia hujuſmodi Miracula fuiſſe vel ficta, vel operâ diaboli facta, & tot Gentes ac Populos extitiſſe ſtultos, quod ita ſeduci ſe permiſerint, profectò non eſt verbum ac judicium hominis ſapientis, ſed inſani, diabolici, ac jurati hoſtis Religionis Catholicæ. Meritò igitur S. Auguſt. loc. cit. dixit: *ſe in Eccleſia Catholica teneri Majeſtate Miraculorum.* Et Richard. de S. Victore, cujus ſupra etiam meminimus, jure fuit dicere auſus: *Domine ſi error eſt, quod credimus, à Te decepti ſumus; etenim in Nobis iſta ijs ſignis & prodigiis confirmata ſunt, quæ non niſi à Te fieri potuerunt.*

XI. Porro cum diabolicæ præſtigiæ miraculis perſimiles frequenter hominibus illudant. Quæſtio movetur, quomodo vera miracula à falſis dignoſci queant? Sectarij volunt, ſepoſito examine ex Sacra Scriptura non poſſe cognoſci, hæc eſſe vera miracula in confirmationem veræ Fidei ac Religionis à Deo facta. Ita nominatim Tobias Wagner in cenſura Motivorum Catholicorum D. Chriſtophori Beſoldi, ubi à fol. 306. ſæpe id repetit, ſed prorſus inſcitè ad inane effugium, 1. Quia ij, quos per miracula ad Chriſtum & Catholicam fidem converſos diximus, tam Judæi quàm Gentiles non priùs inſtituerunt examen ex Scriptura; etenim iſti nullam habuerunt: illi verò in doctrina Chriſti nondum erant informati, ſed poſt fidem acceptam informari petierunt; quæro jam, an iſti propter miracula recèns converſi inde agnoverint Chriſtum veramq; Religionem, an non? Hoc poſterius dici nequit: ſi ergo illud prius, apertè falſum eſt, ſepoſito examine ex Scriptura veram Religionem agnoſci non poſſe. 2. Quia adverſatur doctrinæ Chriſti Judæos ad miracula ſua ablegantis, ut ex his veritatem doctrinæ ſuæ agnoſcant, non verò ex ſcripturâ priùs illa miracula examinent. 3. Quia miracula ſunt effectus & ſigna veræ Eccleſiæ, veræ Fidei, veræ Scripturæ. Ergo neceſſe non eſt, hanc prius agnoſci; cum enim lumen Naturæ dictet, ſolum Deum ſupra naturam aliquid operari poſſe, & decipere nequire, prudenter à poſteriori conjicimus, Religionem, Fidem, ac Doctrinam miraculis confirmatam eſſe veram ac divinam, etiamſi ei, qui miraculis movetur, nondum plane ſit cognita; Jnterim non negandum, viciſſim miracula à priori per veram Eccleſiam & Religionem tanquam effectus per cauſam poſtea agnoſci & confirmari. Rejecto igitur hoc figmento.

Digitized by Google

XII. *Doctrina Secunda.* Vera Miracula dignoſci à falſis poſſunt per accuratam conſiderationem cauſarum, quæ cum ſyncera intentione, confidentia; & oratione ad Deum inſtituitur. Ita præter alios Catholicos Card. Bellarm. Lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 5. 1. Igitur attendendus Finis tam operantis, quàm operis; ſi enim iſte ad ſuperbiam, avaritiam, luxuriam collimet, meritò ſuſpectus eſt. Unde ſapienter Auguſt. Lib. 83. Quæſt. q. 79. *cum talia* inquit *faciunt magi, qualia nonnunquam ſancti faciunt, talia quidem viſibiliter apparent, ſed diverſo fine & diverſo jure faciunt; illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam; adde ſpem lucri vel aliam rei terrenæ vanitatem: iſti quærentes gloriam Dei.* 2. Attendenda Materia; ſi enim hæc eſt vana, inutilis, curioſa &c. non eſt credibile, Deum in ea extraordinariè fuiſſe occupatum, ſed potius dæmonem. Item ſi miraculum verſetur circa rem ſuadendam, quæ ſit manifeſtè falſa, impia, lumini Naturæ, Traditioni Eccleſiæ, vel Sac. Script. (prout à Patribus intellecta eſt) vel luculentis alijs miraculis repugnans, meritò dæmonis opus cenſetur. Hinc D. Ignatius Martyr Epiſt. ad Heronem ſcribit: *Omnis, qui dixerit præter illa, quæ tradita ſunt, tametſi fide dignus ſit; tametſi jejunet, tametſi virginitatem ſervet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lupus tibi appareat in grege ovium.* 3. Attendenda cauſa Efficiens; nam ſi ineptis & ſuperfluis ceremonijs efficiatur miraculum, facile eſt fraudem advertere; cum Deus talibus nugis non utatur. Quod ſi palam nihil tam ineptum advertatur, omnia tamen clàm fiunt, vel coram paucis ſuſpectis teſtibus, hoc ipſo ſuperſtitionis ſuſpicio gignitur, niſi perfecta vitæ innocentia ſuſpicari vetet. Quando etiam Efficiens palàm ob ſcelera capitalia infamis eſt, ejus mirabilia, quæ facit, meritò ſuſpecta ſint; etſi enim Deus quandoq; etiam per malos operetur miracula Matth. 7. v. 22. ordinariè tamen utitur bonis. 4. Demum attendenda Forma; quia interdum res, quæ miraculum apparet, eſt vera, ſed non eſt ſupra vires Naturæ, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum, nec ex circumſtantijs aut aliunde conſtat, re ipsâ proceſſiſſe à Deo in teſtimonium alicujus veritatis.

XIII. Re ſic per genera cauſarum ritè examinatâ, & viris doctis ac probis in conſilium adhibitis, ſi homo ſyncero animo erga ſalutem ſuam, veramq; Religionem pro cognoſcenda veritate auxilium cœleſte devotè invocet; Deus pro ſuâ Bonitate ac paternâ providentia non permittet, ut falſo miraculo decipiatur, uti bene ait Cornel. à Lapide Exod. cap. 7. v. 22. Certè error, ſi quis cum omni hac cautela interveniat, non ipſius animæ nocebit, utpote invincibilis. Interim ſapienter fecit Trid. Seſſ. 25. ſtatuendo, ne nova miracula admittantur, niſi ab Epiſcopo examinata & probata; quantumvis hoc decretum non videatur plenè receptum, vel limitandum ſit ad publicas conciones & libros, cum paſſim in templis nova miracula confeſtim picturis aut Scripturis expreſſa proponantur.

XIV. Pergit memoratus Tobias Wagner quærere, quis ſcire poſſit, Deum ad confirmationem veritatis fuiſſe miracula operatum, niſi prius Deum ac veritatē ex verbo Dei ſcripto noverit. Perinde inepta eſt hæc quæſtio, ac ſi ſciſcitaretur, quis ſcire poſſit, Imperatorem ſigillum litteris appendiſſe ad illarum confirmationem, niſi priùs ex Imperatoris verbis intellexerit, litteras illas eſſe veras. Utique indubitatum Imperatoris ſigillum eſt certum ſignum Imperatoriæ voluntatis. Sic Miracula ſunt ſigillum à Deo noſtræ doctrinæ appreſſum, quod à poſteriore ducit ad agnitionem veritatis, non verò hanc præſupponit cognitam.

XV. Rectiùs quæritur, poſtquam de miraculis ſatis conſtat, quid determinatè ſignificet, ſeu quid Deus per illud teſtimonium velit? Et quidem ſi expreſsè in certæ alicujus veritatis teſtimonium fuerit petitum miraculum v. g. ad probandam innocentiam, tum per ſe patet ſignificatio; ſicuti S. Chunegundis apud S. Henricum Imperatorem caſtitatem ſuam infamatam probavit ardentes prunas innoxiè calcando. Si verò nulla ſit certæ rei teſtificatio petita, tunc Mens Dei inveſtiganda his tribus maximè indicijs. 1. Media, quibus vel impetrata, vel patrata miracula ſint, meritò à Deo cenſentur probari v. g. Invocatio Sanctorum, Reliquiæ, Agni Dei, Aqua Luſtratio &c. 2. Si nullus alius finis miraculi appareat, quàm alicujus certæ virtutis manifeſtatio, illa meritò à Deo intenta præſumitur; Si enim Deus & Natura nihil faciunt fruſtra, etiam in miraculis ſuum Deus habebit finem. Sic Longinus (quem ajunt Centurionem ejus cohortis fuiſſe, quæ Servatori & è cruce pendenti, & tumulo condito cuſtodiæ causâ addita fuit) ex miraculoſo Chriſti morientis clamore rectè concluſit, illum eſſe Filium Dei, intelligebat enim hunc clamorem non eſſe naturalem, ſed miraculoſum: nec apparebat, cur Deus id feiſſet, niſi ad teſtandam morientis innocentiam, cui pro crimine imponebatur, quod Filium Dei ſe jactaſſet. 3. Si peculiaris fiducia in Sanctitate operantis ponatur, tum ipſo miraculo videtur comprobari tam Sanctitas ejus, quam fides & doctrina ejuſdem, ſic Sarephtana Mulier poſt ſuſcitatum miraculosè filium dixit Eliæ. 3. Reg. 17. v. 24. *Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Quod ſi interdum per impios aut infideles Deus operetur miracula, hæc non fiunt ex fiducia Sanctitatis operantium, cui Deus minimè patrocinaretur.

XVI. *Doctrina tertia.* Eccleſia Romano-Catholica ſemper floruit, atque etiamnùm floret veris Miraculis veritatem ejuſdem ac Sanctitatem demonſtrantibus. Conſtat ex jam dictis, & univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria. Et quidem eandem Eccleſiam miraculis etiam circa ea ipſa dogmata, quæ cum Adverſarijs hodie Controverſa ſunt, patratis admodum illuſtrem eſſe; puta 1. pro cultu Sacrarum Reliquiarum. 2. pro cultu Sacrarum Imaginum. 3. pro uſu Signi Sanctæ Crucis. 4. pro cultu Sacrificij Miſſæ & Sactiſſimæ Euchariſtiæ. 5. pro cultu & invocatione Sanctorum &c. ex SS. Patribus alijſque digniſſimis fide hiſtoricis copiosè oſtendit Iacobus Keller in Papatu Catholio. Tom. 1. à fol. 487. Videri etiam poteſt Tanner. Parte 2. Anatomiæ Confeſſ. Auguſt. demonſtrat. 9. §. 3. uſque ad 9. Noſtris temporibus, ut alios Sanctos taceam, S. Franciſcus Xaverius ad Fidem Catholicam inter Indos & Japonas propagandam & confirmandam de mortuis ad vitam revocavit quinque ſupra viginti. Oſtendant hæretici vel unicum infirmum, quem in Sectæ ſuæ confirmationem ſanârunt. Unde

XVII. *Doctrina quarta.* Nulla Eccleſia Sectariorum miraculorū Splendorem atq; atteſtationem habet

habet pro Secta & doctrina ſua, ſed omnes præcipuo hoc ornamento, & veritatis argumento deſtitutæ ſqualent, ideóque Eccleſiæ veræ non ſunt, uti apertiſſimè demonſtrat iſte diſcurſus. Nulla Eccleſia, quæ in ſe divinorum miraculorum eſt penitus expers, & aliena ab Eccleſia illa, quæ divinis miraculis etiam circa controverſa cum Sectarijs dogmata editis inſigniter coruſcat, eſt vera Chriſti Eccleſiæ. Atqui omnes & ſingulæ ſectariorum Eccleſiæ miraculorum divinorum in Se penitus ſunt expertes, atquè alienæ ab Eccleſia illa (ſcil. Romano-Catholica) quæ hujuſmodi miraculis coruſcat. Ergo non ſunt vera Chriſti Eccleſia.

XVIII. Major patet tum ex dictis, tum ex illo Chriſti Joan. 14. v. 12. *amen dico vobis, qui credit in me; opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*; quod in eundem ſenſum accipiendum eſt, quo Lutherus Tom. 2. Genenſi Germanico fol. 140. ad Senatum Miilhuſanum ita ſcribit: *Inclytus Senatus vocet Thomam Munzer ad ſe, & ſi fieri poteſt, ad totam Communitatem, & quærat ex eo, quis ipſum ad prædicandum miſerit, aut vocaverit? ſi dicat à Deo, & Spiritu hujus ſe fuiſſe miſſum, ſicut olim Apoſtoli, probet hoc ſignis & miraculis. Nam quando Deus ordinarium modum immutare vult, ſemper ſimul miracula operatur.* Item Melanchthon in cap. 3. Matth. *Sic poſtea ſæpe, quando mundus fere fuit oblitus doctrinam & promiſſionem Evangelij, tunc vocavit novos Doctores; uti poſt Noë & Sem vocavit Abraham, deinde Joſeph, poſtea Moyſen, Samuel, Eliam, & alios. Sic quando jam magnæ tenebræ erant, Deus vocavit Joannem & ſemper addit Deus miracula; ut certò ſciamus, eſſe à Deo miſſos. Idem Joannes magno miraculo naſcitur ex matre ſterili & anu &c.* Unde conſtat juxta S. Scripturam ex mente etiam Adverſariorum, veram Chriſti Eccleſiam eſſe non poſſe, quæ miraculis non ſplendet, ſi præcipuè & recèns ſit, & contraria alteri Eccleſiæ antiquæ ac miraculis perilluſtri, qualis eſt Romano-Catholica.

XX. Minor, nulla ſcil. apud Sectarios eſſe miracula, per ſe clara eſt, & teſtantur hiſtoriæ. Speciatim quàm infeliciter Lutherus attentârit eijcere dœmonem Wittenbergæ Anno 1545. ex puella quadam è ditione Miſſniæ adductâ, ſcribit oculatus teſtis Fridericus Staphilus abſolutæ Reſponſionis P. 1. & ex illo refert Keller Tom. 1. cit. fol. 493. De Calvini impudentiori, ſed & infeliciori auſu ſimile quid teſtatur Hieron. Bolſenus in vita Calv. c. 13. Nimirum *hæretici*, ut jam olim ſcripſit Irenæus Lib. 2. c. 26. *neque cæcis poſſunt dare viſum, nec ſurdis auditum, neq; dæmones fugare præter eos, qui ab ipſis immittuntur; ſi tamen & hoc faciunt, nec debiles aut claudos aut paralyticos curare, vel aliâ quâdam parte corporis vexatos; tantùm abſunt, ut mortuum excitent.* Similia his habet Tertul. de Præſcript. c. 30. Ut proinde non immeritò Eraſmus in Diatribe de Libero arbitrio hoc ipſum Luthero exprobrârit hiſce verbis: *Apoſtolis, quoniam excutiebant viperas, ſanabant ægrotos, excitabant mortuos impoſitâ manu dabant dona linguarum, ita demum creditum eſt, & vix creditum eſt illis paradoxa docentibus. Nunc cum juxta communiorem opinionem afferant paradoxa, nullius illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum curare poſſit.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXI. E*rror Primus* tam Lutheranorum apud Gerhard. Lib. 2. P. 1. fol. 931. quàm Calviniſtarum apud Ameſium Tom. 2. fol. 69. Miracula non eſſe genuinam, & infallibilis Eccleſiæ Notam. Probant 1. Ex S. Script. atteſtante, Antichriſtum unà cum ſuis Pſeudòprophetis multa ac ſtupenda prodigia facturum. Ad quem maximè reſpiciens Chriſtus Matth. 24. v. 24. *Surgent* inquit, *Pſeudò-Chriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Et D. Paulus 2. Ad Theſſ. 2. v. 8. ſic ſcribens: *revelabitur ille iniquus, quem dominus JEſus interficiet Spiritu oris ſui, cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, prodigijſq; mendacibus.* Magis eundem exprimit Joan. Apoc. cap. 13. ubi affirmat v. 3. *Antichriſtum ſimulaturum; ſe mortuum & reſurrecturum* v. 13. *illum evocaturum ignem de Cœlò* v. 15. *eundem facturum ſtatuam loquentem.*

XXII. Probatur 2. ex Patribus S. Juſtinus ad quæſtionem Catholicam ait: *Virtutum:* (id eſt miraculorum) *repræſentatio ſi probatio & judicium eſſet veræ Religionis, minimè gentium Dominus eos reprobaſſet; qui dixerunt: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus &c.* Lactantius Lib. 5. Inſtit. cap. 3. *diſce, ſi quid tibi cordis eſt, non idcirco à nobis Deum creditum Chriſtum, quia mirabilia fecit, ſed quia vidimus in eo facta omnia, quæ nobis annunciata ſunt vaticinio Prophetarum.* Chryſoſt. Hom. 23. in Jonam: *nonne & nunc quoq; ſignorum petitio tentativa eſt? ſunt ſanè & hâc noſtrâ ætate, qui quærunt, quare & nunc ſigna non fiant? ſi fidelis es, ſi diligis Chriſtum, ut diligendus eſt, non indiges ſignis; ſigna enim incredulis dantur.* Similia habet Gregor. Hom. 29. in Evangelica ajens, *Miracula in exordio Eccleſiæ fuiſſe neceſſaria, ſicuti arbuſtis recèns plantatis aqua tam diu ſolùm affundi ſolet, dum in terram coaleſcant.* Tertul. Lib. 3. contra Marcionem dicentem, Chriſtum miraculis ſe probaſſe, ita differit: *Nego ſolam hanc illi ſpeciem competiſſe, quam & ipſe poſtmodum exanctoravit; ſiquidem edicens, multos venturos & ſigna facturos, nec ideo tamen admittendos, temerariam ſignorum & virtutum fidem oſtendit, ut etiam apud Pſeudochriſtos facillimam.* Et Lib. de Præſcript. c. 44. *adijciam multa de auctoritate cujuſq; doctoris hæretici, illum mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, quaſi nec hoc ſcriptum ſit, venturos multos, qui virtutes maximas ederent.* S. Auguſt. de unitate Eccleſiæ cap. 16. ſic ſcribit contra Donatiſtas: *demonſtrent, ſi poſſint non in concilijs ſuorum Epiſcoporum, non in libris quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigijs fallacibus; quia etiam contra iſta verba Domini præparati & cauti redditi ſumus, ſed in præſcripto Legis.* Et mox: *non dicat* (Donatiſta) *ideo verum eſt; quia iſta & illa mirabilia facit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius: aut quia homines ad memoriam mortuorum noſtrorum orant, & exaudiuntur &c. aut enim non ſunt vera, quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum aliqua mira facta ſunt; magis cavere debemus.* Hic ovant Sectarij quæritantes, an ovum tam ſimile ſit ovo, ſicuti Papiſtæ Mirabiliarij Donatiſtis tempore S. Auguſtini? & ſic crimen hæretici retorſiſſe ſe opinantur.

 XXIII. Pro-

XXIII. Probant 3. Rationibus. Primam deſumunt ab experientia. Nam conſtat, inquiunt, Ethnicos, & Hæreticos ſæpe miracula feciſſe, ut concedunt S. Juſtinus Quæſt. 2. orthodoxa. S. Irenæus Lib. 2. c. 5. & Auguſt. Lib. octoginta trium Quæſt. q. 79. Chryſoſtomus, Hieron. Eutymius, Theophylactus. apud Maldonat in Matth. 7. v. 22. quibus & ipſe ſubſcribit, & Salmeron. Tom. 6. Tract. 2. atque alij. Sic Baalam Num. 24. v. 24. multa vera prædixit. Decem Sybillæ multa verè prophetârunt, & tamen fuerunt Ethnicæ, vel Sagæ, ut teſtantur Ambroſius, & Auguſt. apud Theophilum Reinaudum in Theol. Naturali fol. 551. Veſpaſianus Imperator Ethnicus cœcum illuminavit, & claudum erexit, teſte Suetonio. Hæretici Montaniſtæ futura prædicebant apud Baronium Tom. 2. fol. 190. Macedoniani Arborem ex uno loco in alium tranſtulerunt, & mutum loqui fecerunt apud eundem Baron. Tom. 3. fol. 663. Albigenſes ſupra mare ambulârunt apud Bzovium Anno Chriſti 1210. num. 10. Ergo miracula non ſunt Notæ veræ fidei, cum etiam Infidelibus conveniant.

XXIV. Secundam depromunt à varijs miraculorum eventibus. Nam, inquiunt, in Papatu nimis cumulantur Miracula: nimis ſunt recentia ac nova: nimis ſunt ludicra: falſis nituntur opinionibus quaſi facta fuiſſent in confirmationem Miſſæ, Invocationis Sanctorum &c. multiplices fraudes continent: conſtant dubijs fundamentis, & incertis relationibus: referuntur patrata in longinquis locis, ut veritas indagari nequeat: naturales effectus cenſentur miraculoſi. Ita poſt alios Prædicantes Tobias Wagner in Cenſuris Catholicorum motivorum Chriſtophori Beſold. à fol. 339.

XXV. Tertiam rationem accipiunt ex debilitate Miraculorum ad perſuadendam fidem. Inprimis dicunt: ubi falſa eſt doctrina, ibi non ſunt vera miracula, quæ ſuadere illam valeant. Apud Papiſtas falſa eſt Doctrina. Ergo non ſunt apud eos vera miracula, quæ ſuadere illam valeant. Deinde qui non credit Scripturæ, nec miraculis credet, teſte Chriſto Luc 16. v. 31. *Si Moyſen & Prophetas non audiant, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Ergo fruſtranea ſunt miracula præter Scripturam. Demum ſi miracula certam fidem poſſunt gignere, præcipuè dæmonibus illam genuiſſent, quibus perſpectiſſima ſunt miracula, cum certò ſciant, quousq; virtutes creaturarum ſe extendant, & quid earum vires ſuperet. Et tamen non crediderunt, Chriſtum eſſe Deum poſt tot ejus miracula, ſed tantùm conjecturaliter ſuſpicati ſunt, ut docet D. Thom. 3. P. q. 44. art. 1. ad 2. cum Beda, & alijs.

XXVI. Errorem hunc validè reijciunt S. Scripturæ, & Patrum teſtimonia, ac rationum momenta in priori parte allata. Nunc quærere lubet ex adverſarijs, utrum miracula, quæ fiunt in Romano-Catholica Eccleſia, fiant à diabolo, vel à Deo? Si dicant prius; mirum ſanè, & incredibile jure videri poteſt, cur Deus in ſola Romano-Catholica Eccleſia, & non in ulla alia ſecta dæmonem miracula operari permittat. Si dicunt poſterius; cur idem Deus non potius in Eccleſia Lutherana aut Calviniana in confimationem attentatæ Reformationis fieri miracula ſinit, ſicuti ſemper in hujuſmodi mutatione accidit? *quando novum aliquid fit,* ait Chryſoſt. hom. 4. in Matth. *aut inopinatum, aut politia cujuſdam introductio, ſigna Deus facere conſuevit; præſtans quædam pignora potentiæ ſuæ ijs, qui legem ſuam ſunt accepturi.*

XXVII. Cum igitur Deo Optimo Maximo ſic placuerit, ut Fidei dogmata, à quibus æterna hominum ſalus dependet, comuniter non unicuiq; immediatè revelarentur, ſed unus ab altero de illis inſtrueretur ad Rom. 10. v. 17: non autem cuilibet fidendum ſit, Eccleſiaſt. 19. v. 4. ut ne in re tanti momenti erretur, morali quâdam evidentiâ conſtare prius debet, hunc vel illum verè eſſe Verbi divini Prædicatorem, nec ſanâ ratione reijci poſſe. Verùm fieri iſtud nequit, ſi Prædicator reale teſtimonium non habeat, hoc eſt, ita re ipsâ Divinitatem doctrinæ ſuæ atteſtatam non faciat, ut ad prædictam ſecuritatem & prudentem reſolutionem requiri plus nequeat. Et quidem ſi Præco ille ſit primus prædictæ doctrinæ, ipſemet tale teſtimonium exhibeat oportet; ſi verò non ſit primus, alius ſaltem ejuſdem doctrinæ aſſertor illud præſtiterit, neceſſe eſt; quod teſtimonium conſtat rebus & ſignis ita doctrinam ejuſquè prædicationem comitantibus, ut aliquid divini in ſe oſtendant, idquè in doctrina etiam prodant; ad quem modum, ut diximus, Moyſes & Chriſtus doctrinas ſuas miraculis conſpicuas fecerunt, atq; Eccleſia Romano-Catholica etiamnum hodie facit. Hoc cum minimè valeant hæretici noſtrates, miracula omnia veluti meras diabolicas præſtigias proclamant, damnant, & execrantur; nec mirum, cum id olim jam fecerint Eunomius hæreſiarcha apud Spondanum in Hiſt. Eccleſiaſtica Anno Chriſti 360. & Vigilantius Anno Chriſti 406. atque Gentiles inde Chriſtianos vocaverint Veneficos, ut videre eſt apud eundem Spondanum & Baron. Anno Chriſti 202.

XXVIII. Reſpondetur ad 1. Probationem ex S. Scriptura, dolendum eſſe à Chriſtianis promiſſa à Chriſto Miracula comparari diabolicis Antichriſti operibus! promiſitne Chriſtus Fidelibus ſuis miracula mendacia, quod Antichriſti præſtigijs ſimillima affirmentur? Nam talia mendacia ſigna vocat Apoſtol. 2. ad Theſſal. 2. v. 10. prodigia Antichriſti, ſcil. ſimulatam illam reſurrectionem, miſſionem ignis de cœlo, ſtatuæ locutionem &c. Equidem veriſſimum eſt, ſignis falſorum prophetarum non eſſe credendum, attamen ubi non eſt defectus ſynceri cordis, confidentiæ & orationis ad Deum, tandem falſitas deprehenditur, ac manifeſtatur; nec diabolus ita in Angelum lucis transfigurare ſe poteſt; quin pes hirci deprehendatur, ſi accuratè advertatur; id quod exigit Dei Bonitas & Fidelitas; de qua ſecuros nos vult Apoſtolis 1. ad Corinth. 10. v. 13. ajens: *fidelis autem eſt Deus, qui non patietur vos tentarè ſupra id, quod poteſtis;* foret autem tentatio ſuprà id, quod poteſt homo, ſi fraudem diaboli deprehendere non poſſet. Hinc Chriſtus Matth. 24. etſi prædicat, miraculis Antichriſti etiam Electos vehementer ſollicitandos, addit tamen fore, ut Antichriſtus non valeat illos decipere, & in errorem inducere; quia ſcil. per divinum auxilium illa Antichriſti ut ut magna quoad apparentiam prodigia à veris miraculis (qualia tunc etiam Elias & Enoch patrabunt) internoſcere ac diſtinguere poterunt.

XXIX. Reſpondetur ad 2. Probationem ex Patribus. Librum allegatum quinq; Quæſtionum Gentibus à Chriſtianis propoſitarum non eſſe D. Juſtini, ut notat Card. Bellarm. de Script. Eccleſ.

V. Juſtinus;

Digitized by Google

V. Juſtinus; quia in eo frequens fit mentio Manichæorum, quos poſt mortem Juſtini exortos eſſe conſtat. Vide Chronolog. ejuſdem Bellarm. Addo non ſequi: miracula ſunt certa veræ fidei argumenta. Ergo nemo eorum patrator damnatur; ſiquidem malis moribus damnationem promereri poteſt. Unde Argumentatio iſta vilior eſt, quàm quæ tanto Viro aſcribi poſſit.

XXX. Lactantius rectè ait, non ideo præcisè Chriſtum pro Deo habendum, quod miracula fecerit; cum multi, qui non fuerunt Dij, miracula patrârint; ſed quod talia miracula fecerit, qualia Prophetæ prædixerunt, Filium Dei facturum eſſe.

XXXI. S. Chryſoſtomus plus non dicit, quàm fidelem & verum Chriſti amatorem non deſiderare aut quærere debere ſigna; quod ipſum & nos diximus. Cæterùm S. Pater nec unico verbo innuit, miracula in Eccleſia Catholica vel ceſſaſſe, vel tollenda, vel non divina cenſenda eſſe; imò contrarium in Orat. contra Gentiles, & de S. Babyla Martyre expreſsè ſcribit, his verbis: *atq; quod vetera ea* (miracula) *quæ nos auditu percepimus, non minore fide digna ſint, quàm quæ præſentia ſunt, & quæ ipſi videmus, id certè omnes fatentur, niſi qui fortè ſtupidi, ac delirantes fuerint. Verùm ut victoriam etiam velut ex ſuperioribus facultatibus reportemus, volo & memoriæ veſtræ novum & inopinatum facinus proferre.* Et mox varia nova miracula recenſet, præſertim quæ ad S. Babylæ Martyris reliquias acciderunt.

XXXII. S. Gregorius in Lib. Dialog. varia miracula recenſet; unde Adverſarijs patrocinari non poteſt. Per ſimilitudinem igitur arbuſcularum nihil aliud vult, quàm ſicuti iſtis adhuc teneris frequenter aqua affunditur; non verò iiſdem jam radicatis: ita crebra fieri miracula debuiſſe in exordio Eccleſiæ, non poſt longiorem hujus progreſſum; interim non negat, aliqua adhuc miraaula patrari, & neceſſaria eſſe ad confirmationem & conſervationem Fidei; quantumvis nonnulla v.g. donum linguarum ceſſarint; ſicuti etiam arbuſta jam radicata cœli pluvijs adhuc indigent, ne areſcant.

XXXIII. Tertullianus ſigna & virtutes latè ſumpſit pro omnibus mirabilibus à quocunque factis; in quem modum etiam explicari poteſt S. Auguſtinus loco citato; ſed quia Adverſarij D. Auguſtinum vehementiùs urgent, non ignorantes Tertulliani auctoritatem non eſſe tantam, cum à verâ fide ad hæreſim Montani defecerit:

XXXV. Idcircò adverto, S. Auguſtinum, cum probè ſciret, Donatiſtas non ſolùm admittere S. Scripturam, ut Verbum Dei; ſed etiam putare, ex illa ſuos probari errores, omnia alia argumenta atque ipſa etiam Miracula ſepoſuiſſe, & ex ſolâ Sac. Scriptura contra ipſos diſputare voluiſſe. Atque hæc fundamentalis eſt ratio, cùr cap. 18. & 19. nolit, ut Donatiſtæ ad ullum miraculum ſe referant, eique inhæreant; quam ob cauſam ipſemet etiam miracula in Eccleſia Catholica facta ſeponit ajens: *Quia nec nos propterea dicimus, credi nobis oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſimus &c. quia per totum orbem in locis Sanctis, quæ frequentat noſtra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel ſanitatum fiunt &c.* quæ verba inſuper Adverſarijs noſtris adverſantur, cum S. Pater teſtetur, tunc temporis per totum orbem magna miracula in Sanctis locis facta fuiſſe, quantumvis nunc non illis, ſed Soli Sac. Scripturæ inſiſtat. Adhæc S. Auguſtinus diſputat ad hominem, nempe cum illis, qui verè fideles, & ferventes in Fide ac Religione ſe jactabant; tales autem non credunt propter miracula, ſed propter verbum Dei juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 14. v. 22. *Linguæ in ſignum ſunt Infidelibus, non Fidelibus*, ut nos ſupra declaravimus. Quapropter S. Pater paulò poſt ita ſcribit: *Quæcunq; talia ſunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica Eccleſia fiunt: non ideo ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ipſa fiunt.* Quamvis enim Eccleſiam veram à poſteriori monſtremus per miracula, quo modò Deus infideles ad fidem vocare, aut dubios in ea confirmare ſolet, viciſſim tamen ab Eccleſia vera miracula quaſi à priori approbantur & confirmantur, ut itidem ſupra iam diximus. Dicunt Adverſarij, S. Auguſtinum contra Epiſt. fundam. cap. 4. Miracula aliáque ſigna ſeponere velle, ſi veritas tam clarè demonſtretur, ut in dubium venire non poſſit. Bene facit S. Pater. Nam ſigna dantur, ut ad veritatem perveniatur, quam deſignant, ideóque vocantur motiva credendi objectum fidei evidenter credibile facientia; pluris autem fit veritas, quàm ſigna, cum hæc ad illam ordinentur. Si igitur veritas tam clarè demonſtretur, ut in dubium venire non poſſit, quid opus eſt ſignis? At ſcire ex Adverſarijs velim, demonſtrarine poſſit veritas myſteriorum Fidei, ut in dubium venire non poſſit; Neutiquam. Siquidem Myſteria fidei nobis proponuntur quaſi per ſpeculum in ænigmate 1. Cor. 13. v. 12. Videantur DD. à Wallenburch Tom. 1. fol. 185. Nihil igitur penitus, vel ex S. Auguſtino vel aliis PP. afferre Sectarij poſſunt, quod Miraculis adverſetur, inhærétque illis fixum hæreticorum crimen, quod ne quicquam retorquere in nos fuerunt conati.

XXXVI. Reſpondetur ad 3. probationem ex Rationibus. Ad 1. ab experientia ſumptam, non omnia eſſe vera miracula, quæ Ethnici Scriptores tradiderunt, multáque ab eis fuiſſe conficta, oſtendit Baronius & ex hoc Spondan. Anno Chriſti 71. num. 6. Quod ſi verè talia ſint facta ab Infidelibus, qualia narrantur, ea plerumque non fuerunt vera miracula, ſed dæmonum præſtigiæ; ſiquidem nullum ſuperavit vires dæmonum, quin per motum localem, vel applicationem aliarum cauſarum effici potuerint. Quemadmodum igitur prodigia Antichriſti, ita Albigenſium aliorúmque hæreticorum, & Veſpaſiani Imperatoris mirabilia non exceſſerunt vires dæmonum. Unde & Tertull. apud Bellarm. cap. 14. cit. *Credibile*, ait, *morbum illum totum fuiſſe à diabolo, qui inſidens in oculo unius, & alterius tibia impediebat uſum eorum membrorum; idq; eo fine, ut videretur ſanare, cùm deſineret nocere.* Scilicet ad præſentiam Veſpaſiani. Atque hæc fraus tam apud Gentiles quàm Hæreticos deprehendi facilè potuit ex impijs & evidenter falſis eorum dogmatibus.

XXXVII. Albigenſes inter cætera aſſeruerunt, duos Deos exiſtere, & alterum bonum, malum alterum; illum bonum inviſibilia tantùm & ea, quæ mutari & corrumpi nequeunt; condidiſſe; iſtum malum feciſſe Cœlum, Terram, & alia viſibilia; quo errore (ut alios taceam, qui videri poſſunt apud Card. Baron. Anno Chriſti 176.) cum nihil ſit abſurdius, quiſnam ſanæ rationis capax ſibi perſuadebit, illum verò miraculo ſtabiliri, & operatione ſupernaturali confirmari à Deo poſſe. Nam Deus pro paterna ſua Providen-

Digitized by Google

tia non permittit dæmonibus aliam præſtigiarum operationem, niſi ex oppoſito mittat alios fideles ac bonos, qui veris & majoribus miraculis veram fidem, doctrinam, ac Religionem tueantur; ſicuti hactenus in Eccleſia Catholica ſemper Sanctiſſimi viri extiterunt, qui ingentibus prodigijs in confirmationem Catholicæ Fidei Infidelibus ac Hæreticis ſe oppoſuerunt, quod ipſum ad finem mundi facient Elias & Enoch ex paradiſo evocati, & multò majora miracula patrabunt quàm Antichriſtus, ut teſtatur S. Joannes in Apoc. cap. 11. v. 3. Unde etiam abſolutè falſum, quod Adverſarij noſtri paſſim dicunt, apud Gentiles quoad apparentiam tam magna fieri miracula, quàm apud Catholicos. Nam in præſtigijs diabolicis externa apparentia nunquam tam grandis eſt, quin intentus in Deum oculus fraudem non advertat. Taceo ſecundùm externam etiam Speciem hujuſmodi prodigia cum veris noſtris miraculis comparari non poſſe, ut expreſsè docet S. Auguſt. Lib. 10. de civit. Dei cap. 16. ubi inter alia dicit: *Hac ergo atque alia hujuſmodi nequaquam illis, quæ in populo Dei legimus, virtute ac magnitudine comparanda ſunt*; perinde ut in Ægypto præſtigiæ Magorum comparari nequiverunt prodigijs Moyſis, ut tandem Magi victos ſe faterentur Exod. 18. v. 19.

XXXVIII. Si quando per Infideles facta ſint miracula vera, ut vaticinia Balaam, & Sybillarum, ea non fuerunt directa in teſtimonium alicujus falſitatis, ſed veritatis; etenim Balaam & Sybillæ pulcherrima de Chriſto prophetârunt, non de ſuis Idolis. Similiter quando Julianus Apoſtata, ut refert Baronius Anno Chriſti 351. Dæmonū apparentiâ territus ſigno Crucis in fronte expreſſo omnes confeſtim fugavit. Item quando Turca vel Hæreticus aliquis per idem Signum Crucis vel Agnum Dei aut alia Catholicis conſueta media miracula fecit, id potius cedit in confirmationem noſtræ Religionis, quàm Gentiliſmi Paganiſmi aut Hæreſeos.

XXXIX. Ad 2. Rationem ex varijs Miraculorum defectibus depromptam, nullum reverâ oſtendi, probarique defectum in miraculis noſtris. Non 1. Quod nimis cumulentur miracula. Nam ſi Adverſarij omnes Bibliothecas perluſtrent, perpaucos libros invenient, qui de miraculis ſcribunt. Impudens ergo calumnia eſt, præ multitudine horum non æſtimanda eſſe Miracula Chriſti, de quibus Ioan. 21. v. 30. dicitur: *Multa alia (ſigna) fecit JESUS, quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe.* Adhæc etſi à tempore Chriſti plura ſigna in univerſa Dei Eccleſia per orbem diffuſa contigiſſent, apud nullam tamen Nationem in ſpecie tot facta fuerunt, quàm à Chriſto in Judæa, & vicinis locis. Et ſi illud etiam eveniſſet, quid honori Chriſti vel veritati Sac. Scripturæ derogaret? Interim conſtat, gratiam linguarum, & alia miraculoſa dona non niſi rariſſimè concedi, quæ in prima Eccleſia frequenter fuerunt communicata; ne ſi ſolita eſſent, mira non eſſent, ut notat S. Auguſt. de utilit. cred. cap. 16.

XL. Non 2. Quod Miracula noſtra ſint recentia ac nova. Nam hoc vel intelligunt Adverſarij de tempore, quo contigerunt miracula, vel de doctrina, quam confirmarunt. Primum nec ſpeciem habet veritatis; quia etiam miracula Chriſti, Apoſtolorum ac Martyrum fuerunt nova, quando contigerunt. Alterum eſt quoque merum hæreticorum figmentum; quippe ſæpe jam eſt demonſtratum, non aliam eſſe doctrinam Apoſtolicam, quàm ipſius Romano-Catholicæ Eccleſiæ, uti Apoſtolorum Interpretes, & Eccleſiæ Chriſti Notarij, nempe antiqui Patres unanimiter teſtantur. Et hanc doctrinam innumeri Martyres, Papæ, Epiſcopi & Religioſi tenuerunt, vitamque ſuam juxta illam Sanctè inſtituerunt, ac tum olim, tum etiamnum ingentia miracula confirmaverunt. Si ajunt Adverſarij, illam doctrinam eſſe novam, quæ lapidem Lydium, nempe Scripturam, non patitur, turpem committunt petitionem principij, & hæreticam ſuam obſtinationem in falſitate oſtendunt. Taceo, quod ſæpe jam diximus, lapidem lydium, id eſt, S. Scripturam pati omnia dogmata Fidei in Romano-Catholica Eccleſia, hoc ipſo quod nullum ex his ſit illi contrarium.

XLI. Non 3. Quod Miracula noſtra nimis ſint vilia. Nam majorem partem miraculorum eſſe ludicram, nemo ſapiens luridis Prædicantibus credet. Et ſanè, ſi Dialogi S. Gregorij M. cenſeri debent ludiri, paulatim etiam Adverſarijs ludicra videbuntur, quæ Scriptura Sacra narrat de aſino conquerente contra verbera Balaami. Num. 23. de Lagenis & hydrijs confractis Gedeonis Judicum 8. de Samſonis vulpibus, maxilla Aſini, ſeptem crinibus ibidem cap. 14. 15. 16. & ſimilibus. Ex quibus potius diſcant hæretici, Deum in vilibus etiam ac exigius rebus ſuam magnam Providentiam ac Potentiam oſtendere. Quod aliqua ex miraculis apud ſeverum examen veritate deſtituantur, non negaverim; ſed iſtorum nec tam multa ſunt, uti Adverſarij volunt, nec illis nos indigemus; ſiquidem abunde habemus talia, in quibus digitus Dei evidenter apparet; & quæ à nullo ſanæ rationis homine ſuſpecta haberi poſſunt. Cujuſmodi ſunt, quæ Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, aliique Patres, & fide digniſſimi Hiſtorici annotârunt: item quæ non ſolùm in Martyrologio Eccleſiæ univerſalis, ſed etiam in particularium Actis poſt accuratum examen à Trid. Concilio Seſſ. 25. præſcriptum continentur.

XLII. Non 4. quod falſis nitantur Opinionibus, quaſi facta fuiſſent in confirmationem Papatûs, Miſſæ, Invocationis Sanctorum &c. Nam duobus modis intelli poteſt, omnia miracula, quorum antiqui Patres recèns nominati meminernnt, fieri ad confirmationem Papatûs, hoc eſt, Invocationis Sanctorum, Cultûs Imaginum, Sacrificij Miſſæ, &c. 1. Directè, Expreſſe, & in ſpecie. Et ſic nemo Catholicus unquam aſſeruit, Miracula antiquitus facta ad confirmationem SS. Trinitatis, Incarnationis &c. ſpectaſſe ad Dogmata Pontificatûs de Sacrificio Miſſæ. Invocatione Sanctorum &c. 2. Indirectè & per Conſequens. Et ſic concedimus, per prædicta Miracula pro Trinitate, Incarnatioue, Baptiſmo &c. confirmatam fuiſſe fidem Papatûs, de Sacrificio Miſſæ &c. quia illi, per quos patrata ſunt miracula circa Trinitatem &c. crediderunt etiam omnia alia Eccleſiæ Romano-Catholicæ dogmata de Sacrificio Miſſæ &c. Cum igitur vera fides omne id complectatur, quod à Deo eſt revelatum; Antiqui autem Patres crediderunt noſtræ etiam Romano-Catholicæ Eccleſiæ dogmata divinâ revelatione

latione niti, ſequitur planè, ſi Deus directè articulos fidei de Sacroſancta Trinitate, Incarnatione, Baptiſmo &c. per miracula confirmârit, eundem indirectè & per Conſequens omnes alios fidei noſtræ articulos ſimul approbaſſe.

XLIII. Non 5. Quod multiplices fraudes contingant. Nam hoc veris Miraculis & Romanæ Eccleſiæ Auctoritati tam parùm derogat; quàm falſæ monetæ, & harum falſificatores demunt aliquid valoris & æſtimationis veris ex puro auro & argento Nummis, ac Magiſtratui, qui juſtas monetas cudi præcipit; & falſificatores illarum graviſſimè punit. Hoc ipſum facit Eccleſia; vera miracula approbat: falſa verò eorùmque Auctores reijcit, ac damnat.

XLIV. Non 6. Quod conſtent dubijs fundamentis, & incertis relationibus. Nam tantum numerum Miraculorum indubitatis teſtimonijs & teſtibus approbatorum afferre poſſumus, ut incerta adducere minimè cogamur. Sed, inquiunt Adverſarij, graviſſimi etiam viri falli poſſunt. At verò fidelis Dei Providentia non permittet, ut, qui ſyncero corde in eum confidunt, devotéque ipſum invocant præſertim ſuperiores & Doctores Eccleſiæ vel univerſim vel graviter ad ſeductionem Fidelium decipiantur. Aut enim fraus tandem innoteſcet, ſi gravis ſit: aut ſubſtantiæ rei nihil derogabit, ſi levis ſit. Et licet teſtimonia Auctorum non ſint verbum Dei, ita tamen circumſtantiæ rerum & perſonarum ſe prodent, ut moralem certitudinem pariant, & nullum rationabili dubio locum relinquant.

XLV. Non 7. Quod dicantur in locis remotiſſimis patrata, ubi indagari nequeant. Nam viris ſynceris cordi eſt, ut tam longinquè, quàm proximè in rebus præſertim ad Religionem & Animarum ſalutem ſpectantibus veritati unicè ſtudeant; quod imprimis facit Romana Eccleſia in inquirendis miraculis, quæ Sanctus Franciſcus Xaverius in India, & Japonia per divinam opem patravit; nec niſi poſt aliquot annos accuratè omnibus expenſis ad Sancti hujus viri Canonizationem proceſſit.

XLVI. Non denique 8. Quod naturales effectus cenſeantur miraculoſi. Nam ſi error ſit, veros quoſdam effectus à Catholicis haberi miraculoſos, qui, ut ut aliàs inopinati & naturales, ex peculiari tamen divina providentia evenerunt, multa Chriſti & Apoſtolorum miracula enervantur, & in dubium trahuntur; quando enim infirmos curarunt, cæcos illuminarunt, ſurdis auditum repararunt, facilè cogitari dicique poterat, effectus hos eſſe quidem inopinatos & mirabiles: at naturales eventus. Tenendum igitur, quod ſupra diximus, ad miraculum non neceſſariò requiri, ut vel quoad ſubſtantiam, vel ratione ſubjecti naturam tranſcendat, ſed ſufficere, ſi ratione modi & ordinis divinam virtutem manifeſtet &c. Sic liberatio ſocrûs Petri à febre Luc. 4. v. 38. Piſcatio Petri Luc. 5. v. 6. quæ naturaliter evenire potuiſſent, miraculoſæ tamen ſunt quoad modum vel ordinem divinæ providentiæ, & conformiter Sac. Scripturæ ut tales haberi debent.

XLVII. Ad 3. Rationem ex debilitate miraculorum ad fidem perſuadendam acceptam. In primis ſyllogiſmus allatus eſt prorſus impertinens. Adverſarijs probandum erat, vera miracula non eſſe ſigna veræ Eccleſiæ; hoc miſſo, pugnant contra ſigna falſæ doctrinæ. Signa ad probandam falſam doctrinam non pervenire à Deo ultro fatemur; At veram doctrinam Eccleſiæ non habere à Deo vera & miraculoſa teſtimonia, hoc probent Adverſarij. Nam contrarium Nos cum Majoribus noſtris totáque Antiquitate affirmamus. Adhæc longè falſiſſimum eſt, Eccleſiam Romano-Catholicam habere falſam doctrinam, quod Prædicantes tam doloſè, quàm ſtolidè ſupponunt, nunquam probaturi in æternum.

XLVIII. Deinde dictum Chriſti Luc. 17. *Si Moyſen & Prophetas non audierint &c.* non univerſim accipiendum eſt de omnibus articulis fidei, ſed tantùm de illis, qui clarè continentur in Scripturis, & apud eos, qui recipiunt Scripturam, quales fuerunt fratres Epulonis, utique omnes Judæi; etenim hujuſmodi vitiorum damnatio clarè in Sac. Scriptura continebatur, & faciliùs erat explodere hujuſmodi apparitionem, atque eam vel phantaſiæ, vel dæmoni adſcribere, quàm reijcere Scripturam pro verbo Dei agnitam. Nonne Lazarus alter Joan. 11. v. 44. Nonne Chriſtus ipſe à mortuis fuit redivivus? an illis crediderunt Judæi? unde meritò omni mortuorum apparitioni Sac. Scriptura præfertur tanquam certior teſtis Tormentorum Inferni, cujus Auctoritas, utpote divina, atque ut talis cognita, elevari, aut refelli non poteſt.

XLIX. Denique dæmones ex oraculis Prophetarum, & ex tot ſignis, quæ partim in Nativitate, partim in Baptiſmo Chriſti, & poſt hunc viderunt, probè noverunt Jeſum eſſe Meſſiam, ſed an naturalis Filius: an ſolùm adoptivus per excellentiam, adeoq; de Divinitate hærebant; quamvis enim ſæpius appellatus fuerit Filius Dei, neſcierunt tamen, an Nomen Dei propriè ſumeretur, an impropriè, ut alibi de Iudicibus dictum. Pſal. 82. v. 6. *ego dixi, dij eſtis, & Filij excelſi omnes*; ſicuti allegavit Chriſtus Joan. 10. v. 34.

L. Error Secundus, Lutheranos quoq; & Calvinianos habere miracula, & quidem multò majora pro fide ſua, magnum ſcil. & admirabile opus Reformationis, quod Prædicantes paſſim propter miraculorum in eo & multitudinem & magnitudinem ſupra Cœlum extollunt. Nam, inquiunt, tot millia Papiſtarum tam citò in partes Lutheri & Calvini tractos fuiſſe, depoſitis antiquiſſimis perſuaſionibus id multò mavis miraculum eſt, quàm omnes morborum curationes, vel etiam mortuorum ſuſcitationes, etiam judicio Joannis Caſſiani Collat. 15. cap. 8. affirmantis, *reverà majus miraculum eſſe de propria carne fomitem eradicare Luxuria, quàm expellere immundos Spiritus de corporibus alienis; & magnificentius ſignum eſſe virtute patientia truculentos motus iracundia cohibere, quàm aëris principibus imperare.* S. Hieron. ſuper illud Matth. 21. v. 15. videntes Principes & Phariſæi mirabilia, quæ fecit, ſic ſcribit: *mihi inter omnia ſigna, quæ fecit Dominus, hoc videtur eſſe mirabilius, quod unus homo & illo tempore contemptibilis potuerit ad unius flagelli verbera tantam reijcere multitudinem; igneum enim quiddam atq; ſidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis Majeſtas lucebat in facie ejus.* Origines ſuper Joan. hæc habet: *hoc majus eſt miraculum eo, quo aqua converſa eſt in vinum, eò quod ibi inanimata materia, hic vero tot mille hominum domantur ingenia.* Utrumq; horum PP. citat & ſequitur S. Thomas 3. P. q. 44. art. 3. in corp. Ergo tanta mutatio animorum per Lutherum & Calvinum facta præſtat omnibus miraculis Papiſtarum. Unde Luther adverſus

Digitized by Google

ſus Hircum Lipſiatenſem Tom. 7. Germ. Wittenberg. fol. 147. *Pro miraculo ſummò jactat, doctrinam ſuam tùm ſubitò in omnem terram propagatam fuiſſe, tantáſque tricas, ac diſſidia commoviſſe.*

LI. Error iſte non conſonat cum reliqua Sectariorum Doctrina. Nam alibi dicunt, Deum apud ſolos Papiſtas permittere, fieri à diabolo miracula, & per horum carentiam eximunt Lutherum & Calvinum ex numero Pſeudoprophetarum, ſic diſcurrentes. Pſeudoprophetæ fecerunt miracula. Lutherus & Calvinus nulla fecerunt miracula; Ergo non fuerunt Pſeudoprophetæ. Hic ajunt, miraculis ſe abundare; quomodo hæc duo cohærent? Adhæc ſi omnia Catholicorum miracula ſunt dæmonis præſtigiæ, cur non Deus, ut ſupra jam diximus, talia mendacia miracula, apud alias falſas Sectas fieri per diabolum permittit? nunquid opinione ipſorum Lutheranorum Doctrina Calviniſtica; Anabaptiſtica &c. æque eſt falſa, quàm Catholicorum? In diſcurſu, per quem Lutherum & Calvinum ex numero Pſeudoprophetarum eximere conantur, vel major ſumitur univerſaliter, vel partialiter. Si prius; eſt falſa: ſi poſterius, nulla eſt conſequentia, quia malus eſt Syllogiſmus.

LII. Pro refutatione ejuſdem erroris, & aſſignati miraculi à Luthero & Calvino occurrit, quod Ælianus Lib. 12. de variet. hiſtor. ſcribit de Socrate & Caſtilla impudica fæmina; cum enim iſta exprobraret illi dicendo; tu neminem ex meis amatoribus unquam poteris alienum à me reddere: at ego quoties lubet, tuos auditores à te traho ad me; Sapienter reſpondiſſe Socratem, mirum hoc non eſſe; *Tu enim ad declivem voluptatis tramitem omnes trahis, & rapis: ego ad arduum virtutis callem cogo & impello.* An non ſimile quid liceat nobis dicere de doctrina Sectariorum, & Eccleſiæ Catholicæ; quod iſta ad ſumma virtutum impellat: illi ad ima vitiorum ruere permittant. Reſpond. igitur, nullum prorſus eſſe miraculum, multos Papiſtas in partes Lutheri aut Calvini fuiſſe tractos. Nam Eccleſiæ Catholicæ dogmata nonnihil aſpera, & inimica ſunt carni: At verò dogmata Lutheri & Calvini blandiſſima fuerunt theoremata; quid enim hominibus, qui tunc temporis admodũ vitioſi, & carni dediti erant; quid, inquã, potuit ſuavius, gratius, & optabilius propinari, quàm doctrina & perſuaſio, nõ eſſe jejunandũ; non eſſe faciendam apud Sacerdotem peccatorum omnium exhomologeſin, non eſſe bonis operibus inſudandum; non eſſe ſervandam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam voto promiſſam, non eſſe prohibendum matrimonium Sacerdotibus; non ſeverum tribunal, non purgatorium; non infernum eſſe timendum, ſed ſolam fidem in Chriſtum ſufficere, & hanc ampliſſimas aperire cœli portas &c, Ergo mirum non fuerit, ſi tam amæna & carni faventia dogmata obvijs ulnis plurimi hominum ſceleratorum amplecterentur, & pleno ore exoſcularentur.

LIII. Ad rem etiam propoſitam facit, quod idem Socrates cuidam vehementer admiranti, calceum ſuum noctu à muribus fuiſſe arroſum, pulchrè in hunc modum reſpondit: *Speciei quidem aliqua eſſet prodigij, ſi ex adverſo calceus mures arroſiſſet, verùm cum hi ſoli damnum attulerint, nullus juſta admirationis eſt locus.* Ita prorſus de hoc miraculo Lutheri & Calvini fas eſt nobis ratiocinari; tum ingens prodigium futurum fuiſſet, ſi Lutherus & Calvinus obſtructas hominum aures & occluſas inveniſſet, nec tam avidè à multis aliàs voluptatibus inhiantibus dulcis & mellita illorum doctrina admiſſa fuiſſet. At nunc quando doctrina hæc fucata genas, & amicta doloſis illecebris in plurium animos ſe ſe protinus inſinuavit, quid hic per Deum immortalem poteſt eſſe miraculi? Nam, ut ait rectè poëta: *Prona venit cupidis in ſua vota fides*, hoc eſt, quod quiſque cupit, & verum eſſe deſiderat, ei non magno labore, ut id verum eſſe credat, perſuaderi poteſt.

LIV. Ex his clariſſimè apparet. 1. Ridiculum eſſe miraculum, quod Lutherus & Calvinus multos Catholicos illecebroſis & mendacibus ſuis doctrinis ſeduxerint. 2. Falſum eſſe, eorundem doctrinam in omnem terrarum partem fuiſſe propagatam, cùm paucæ provinciæ ſolius ferè Germaniæ ab ea fuerint inquinatæ. 3. Impium & blaſphemum eſſe, quod ijdem hæreſiarchæ diabolicã ſuam animarum ſeductionem cum vi & potentia Chriſti in animos hominum comparent, & adductis Patrum ſententijs illam confirment. Lutherum cum diabolo de fidei dogmate diſputaſſe, atq; argumentorum vi ſuperatum Eccleſiam Romano-Catholicam oppugnaſſe: eundem etiam Auguſtæ à Maximiliano Imperatore viſum fuiſſe in humeris cacodæmonem portare, paſſim ex libris conſtat. Quid huic ſceleri; diſcipulo & familiari ſocio diaboli ſimile cum Chriſto & Sanctis Patribus? Quàm remotæ igitur ſunt infernales diaboli machinationes à cœleſtibus DEI operibus, ita aliena eſt à miraculoſa hominum converſione ſceleſtiſſima eorundem hominum deceptio, & ab Eccleſia Catholica fraudulenta averſio per Lutherum, & Calvinum hæreſiarchas facta. Videatur libellus P. Foreri, cujus titulus: Lutherus Thaumaturgus.

CONTROVERSIA XXIII.

DE MARTYRUM CONSTANTIA.

NIhil homo pretioſius habet, quàm vitam ſuam; *pellem pro pelle & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua*, Job. 2. v. 4. Quare digniſſimum creditu eſt, Religionem illam eſſe veram, pro quã innumeri homines ſummã fortitudine & conſtantiã vitam ſuam inter crudeliſſima tormenta profundunt; quippe nec fieri, nec permitti à DEO poteſt, ut tantos ſuſtinerent cruciatus pro falsã religione illi, qui Dei timore ducti vitam perdere, quàm Deum offendere maluerunt, ut proinde allatis veræ Eccleſiæ Notis, jure merito invictam SS. Martyrum conſtantiam adjungamus.

:o: IHS. :o:

PARS

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. NOmen Martyris laxiùs uſurpatū omnibus illis tribuitur, qui pro Deo aliquid aſperius tolerârunt, ut carceres & exilium citra mortis periculum; propriè tamen ex uſu Eccleſiæ Martyr Græcè, latinè Teſtis appellatur, qui veritatem Fidei non tantùm verbo, ſed etiam ipſius vitæ contemptu proteſtatur. Unde Martyrium deſcribitur apud Dicaſtillo Trac.2. de Bapt. Diſp.3. Num.3: *Cruciatus lethalis ſuſceptus pro Chriſti Fide aut verâ Virtute.* Iuxta quam definitionem ad rationem Martyrij tria requiruntur. 1. Mors violenta. 2. Mortis cauſa honeſta. 3. voluntaria perpeſſio, quæ ſingula paulò pluribus explicanda.

II. Obſervandum circa 1. ad Martyrium non requiri mortem directâ intentione illatam; dummodo perſecutor velit malum inferre, unde mors, quantumvis præter ejus intentionem, ſequatur: item opus non eſſe, ut mors reipsâ ſequatur, modò tantùm nocumenti inferatur, ut omnibus circumſtantijs penſitatis vitam elideret, niſi divino miraculo impediretur. Ratione prioris Sylverius, Marcellus, aliiq; in exilium miſſi: Ratione poſterioris B. Virgo Maria annumerari Martyribus debent. Circa 2. ad martyrium etiam ſufficere, ſi quis propter quodcunque virtutis opus ad Deum aliquo modo relatum mortem patiatur. Hinc S. Colmannus, S. Sigiſmundus, & S. Emeranus in Martyrologio Romano pro Martyribus referuntur; eorum quippe interfectores à diabolo fuerunt inſtigati ex odio fidei & Chriſtianæ virtutis, quæ mirè in eis eluxerunt. Circa 3. in parvulis non requiri conſenſum in mortem, ac proinde abſque hoc conſenſu Martyrium vim habet ex opere operato juſtificandi parvulos à peccato originali, eorumque animas ſalvandi, ut communiter docent Catholici DD. cum S. Thoma 2.2. q.124. art.1.

III. De Adultis gravis eſt Quæſtio, utrum ſcil. Martyrium ſeu mors pro Chriſto, quamvis non tolerata ex affectu charitatis erga Deum, aut cū contritione perfecta, ſed cum attritione ſola, juſtificare illos ex opere operato poſſit? Sententia cōmunior & verior eſt affirmativa. Nam ſi dilectio Dei ſuper omnia aut contritio perfecta eſſent neceſſariæ, nunquam Martyrium conferre poſſet gratiam primam juſtificationis; quia hæc jam haberetur per ipſam diſpoſitionem. Atqui hoc penitus enervat promiſſiones illàs Chriſt (Matth. 10. v.22. & Lucæ 12. v.8. *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Marc.8. v.38. *qui perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.*) omniquè planè efficaciâ reddit prorſus vacuas, ut pluribus & bene oſtendit Eſparza q.41. de Sac. in com. art.5. Ergo &c. Hæc gratia martyrij confertur in tempore certo ac determinato, quod immediatè ſequitur illud inſtans, in quo verum eſt dicere: nunc cauſa mortis moraliter inevitabilis nondum perfecta eſt, immediatè autem poſt perficietur; Et licet Phyſicè fieri poſſit, ut aliquis gratiam illam martyrij poſtea iterum amittat, practicè tamen ex Dei Bonitate & providentia nunquam id continget. His obiter præmiſſis.

IV. *Doctrina prima.* Martyrum conſtantia eſt certum argumentum veræ Eccleſiæ Chriſti. Ita communiter Catholici DD. Nam licet teſtimonium fidei ab homine datum per ſe non ſufficiat ad iſtum effectum, ſiquidem & fallere & falli poteſt, ſi tamen illud à Deo ratum habeatur, & quaſi ſubſcribatur, maximum pondus habet, cum Deus eſſentialiter verus ſit, & nec decipere nec decipi poſſit. Atqui Deum teſtimonium hominum habere ratum, & quaſi ſubſcribere ex eo nobis ſatis manifeſtatur, quod ſingulari ac ſupernaturali auxilio ad teſtimonium hominum, actum ſcilicet martyrii concurrat, ſiquidem iſte ſuperat vires naturæ; etenim licet univerſim loquendo mortis tolerantia vires humanas non excedat, cum multi in bello heroicè moriantur, attamen tali modo ſive cum talibus circumſtantijs, quibus Martyres paſſi fuerunt, nullus militum mortem ſubijt. Sunt autem tres circumſtantiæ in Martyribus obſervatu dignæ. 1. Fragilitas perſonarum patientium v.g. ſenum, mulierum, puerorum &c. 2. Acerbitas tormentorum, quæ fuerunt diuturna, multiplicia, & exquiſitiſſima. 3. Generoſitas animorum martyrium liberrimè acceptantium, in cruciatibus præ gaudio exultantium, & pro tortoribus Deum orantium, ut illis ignoſceret, quæ planè omnia non ſunt naturalia, nec in militibus aut latronibus unquam obſervata; unde multi ſpectatores converſi ſunt, ut Patres pro axiomate haberent: *Sanguis Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum.*

V. Quod autem Martyrium ſit teſtimonium à Deo confirmatum & quaſi ſubſcriptum à ſimili ſic ſuadetur. 4. Reg. cap. 5. Naamon Syrus iter inſtituit in terram Jſraël ad Eliſæum Prophetam, cui Rex & facultatem conceſſit eundi, & litteras dedit ad Regem Jſraël quibus Naamum ſuum commendavit, & iter ejuſdem adjuvans proſperavit. Quis jam dubitet prædictum iter, licet à Naaman ſuſceptum fuerit; à Rege tamen pleniſſimè confirmatum & quaſi ſubſcriptum fuiſſe? Cum igitur Deus curſum Martyrum ſingulari providentiâ dirigat, & potenti auxilio adjuvet & promoveat, nulli dubium eſſe debet, quin teſtimonium Martyrum ab ipſo etiam ſit confirmatum & quaſi ſubſcriptum; ſiquidem talis Dei operatio eſt ſignum complacentiæ, ſicuti fuit in Rege Syriæ litteris ac mandato ad Regem Jſraël iter Naamon famuli ſui proſequente.

VI. *Doctrina Secunda.* Sola Eccleſia Romano-Catholica tales Martyres eóſque innumeros habet. Prima Pars doctrinæ, quod Eccleſia Romano-Catholica innumeros Martyres habeat, conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ex qua refert Granadus 2. 2. de Fide, fol. 36. ſingulis diebus anni in Martyrologio aſſignari poſſe triginta millia Martyrum. Card. de Lugo Tom. de fide fol. 186. ſcribit, numerum Martyrum collectim excurrere ad undecim Milliones, inter quos plurimi fuerunt Romanæ Eccleſiæ Papæ, Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, ac Religioſi. In ſola Civitate Magrana cum Aretha urbi Præfecto ac nonaginta quinq; annorum Sene in mortem ac Martyrium lætabundi ruerunt 390. concives ac ſocij. Sacerdotes ac Miniſtri omnes uno igne cremati inter preces ac laudes Deo pulcherrimè Sacrificârunt. Puella duodecim annorum in faciem Dunaani ſputo pugnavit, eademque cum Sorore ferro jugulum tenue dare non abhorruit. Utriuſque ſanguinem

mater

Digitized by Google

mater ore libavit, & mox ſuum miſcuit. Et Octæus quinquennis puerulus cum pro matre ſupplicaſſet, nihilque impetraſſet, ſuam etiam mortem oravit, & lacrymis peroravit, ac blanditijs ſævientem Tyrannum morſu provocavit, nihilominus ſervandus cuſtodiam fefellit, & ad matris ſinum per ignes ad Cœlum evolavit. Ecce in una Hiſtoria perſonarum patientium fragilitatem, tormentorum acerbitatem, animorum perferentium generoſitatem, quæ omnia unâ die ſpectanda dedit Chriſtiana virtus, & Romano-Catholica Fides.

VII. Nec verò in primitiva tantùm Eccleſia, tam inſignes Martyres ſeu Teſtes habuit Chriſtus, habet etiam nunc in Japonia, &, ut vocant, Novo Orbe primis illis Martyribus nihilo inferiores. Ibi namque cum Anno 1613. gravis in Chriſtianos exarſiſſet Regis ac Principum perſecutio, Chriſtiani permulti etiam è prima nobilitate bonis omnibus exuti, in exilium pulſi ſunt; quam multam non tantùm libenter pro Chriſto pertulerunt, ſed etiam nomina ſua Gubernatori detulerunt Chriſtianos ſe profeſſi, & intera ſodalitatem Martyrum inſtituerunt, cujus prima regula erat: *Si pro fide Chriſti bona adimantur, hoc ſpolium forti & libenti animo tolerato.* Secunda: *pari conſtantiâ & animo exilium & mortem pro Chriſtianiſmo excipito*; id quod re ipſâ plurimi præſtiterunt. Arimæ Regulus cædi Chriſtianorum tribunal erexerat, diem dixerat, mox ad viginti Chriſtianorum millia ultrò ſe ibi ſtiterunt, ut ſe Chriſtianos profiterentur & Martyria tum ſpectarent, tum obirent. Territus Tyrannus ceſſit, & paucorum nece furorem ſatiavit. Ex illis octo vivos cremari juſſit, inter quos erant Pater & Mater cum Filio & Filia; hæc Magdalena nomine 20. annorum Virgo exultans in medijs flammis carbones ardentes capiti impoſuit (quod apud Japonas magnæ reverentiæ eſt ſignum) ut ſe prunis iſtis quaſi purpureis roſis, aut candentibus carbunculis coronaret: Frater ejus Jacobus duodennis ſolutis igne vinculis prunas calcando, feſtinus ad Matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque Sanctiſſima Nomina JESU & Mariæ contentiori voce inclamans beatæ Matris gaudia cumulans ad ejus latus extinctus corruit. Ita Nicolaus Trigautius in Triumphis Japonenſibus Lib. 2. cap. 25. Videatur hiſtoria Martyrum qui in Japonia pro Romano-Catholica Religione horrendas & intolerabiles pœnas ſuſtinuerunt, vel occiſi ſunt, ſcripta per Reinerum Giſberti, & relata apud DD. à Walenburch Tomo 2. prope finem fol. 299. Pulcherrimè in rem præſentem S. Hieron. ad Hedibiam q. 12. *Triumphus*, inquit, *Dei eſt paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tantâ perſeverantiâ ſtare martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei diſſeminatur in Gentes, & ſubit tacita cogitatio, quod niſi verum eſſet Evangelium, nunquam ſanguine defenderetur. Neque enim delicata & divitijs ſtudens ac ſecura confeſſio eſt, ſed in carceribus, in perſecutionibus, in fame, in nuditate, & ſiti. Hic Triumphus eſt DEI Apoſtolorúmque victoria.* Sic ille.

VIII. Secundæ Partis ratio eſt, ſolam ſcilicet Eccleſiam Romano-Catholicam habere tales Martyres. Quia hæreticus homo v. g. Lutheranus aut Calviniſta non eſt Martyr, etiamſi propter myſterium S. S. Trinitatis à Turca vel Gentili interficiatur; quippe non moritur pro Fide, ſed pro ſua imprudenti opinione; ſiquidem hæreticus nullum amplius articulum fide honeſtâ, nec dùm divinâ credit, cum nullo prudenti motivo credibilitatis ducatur, ut turpis illius inconſtantia prodit; ſine fide autem honeſta & divina neminem poſſe Deo placere, conſtat ex Script. ad Hebr. 11. v. 6.

IX. Quapropter quantumvis Donatiſtæ ſummâ ambitione mortem oppetiverint, & ubi defuit occiſor, ſibimet quandoq; necem intulerint. Similiter in Concilio Conſtantienſi Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis ob pertinaciam hæreſeos flammis exuſti, quantumvis in medio incendio cantaſſe ferantur laudes & hymnos, nihilô propterea meliores fuerunt, aut martyres evaſerunt; *quia*, ut ait de hæreticis S. Cyprianus in Lib. de unit. Eccl. *ardeant licet flammis, & ignibus traditi vel objecti beſtijs animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus.* Rationem reddit S. Auguſtinus Lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, dum ait: *Nam multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes multa talia patiuntur, ſed ideo excludentur ab illa mercede, quia non dictum eſt tantùm: beati qui perſecutionem patiuntur, ſed additum eſt, propter juſtitiam. Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, quia juſtus ex fide vivit.* Idem Epiſt. 204. Donatum hæreticum ſic alloquitur: *foris ab Eccleſia conſtitutus & ſeparatus à compage & vinculo charitatis æterno ſupplicio punieris, etiamſi pro Chriſti nomine vivus incendereris.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

X. Error Primus eſt. Martyrium non eſſe certum veræ Fidei ac Eccleſiæ argumentum; ſiquidem etiam Gentiles, Judæi ac hæretici prò falſa ſua fide moriuntur. Manichæi à Juſtiniano Imperatore convocati, ut vel errorem ſuum retractarent, vel flammis exurerentur, omnes combuſti ſunt, nullô converſo, ut refert Baronius Anno 685. & ex eo Spondanus. Similiter, ut recèns diximus, Donatiſtæ non ſolùm oblatum martyrium acceptârunt, ſed etiam ultrò quæſierunt; imò nonnulli ſibi ipſis violentas manus intulerunt, ſperantes fore, ut à ſuis colantur, ut martyres, ſicut ex Baron. ſcribit Spondanus Anno 414. num. 3. & alibi. Idem traditur de Albigenſibus alijsq; hæreticis.

XI. Contra hunc errorem ſtat D. Iuſtinus Martyr, qui Apol. 1. ad Senat. Rom. teſtatur, ſe maximè fuiſſe motum ad fidem & Eccleſiam Catholicam à Conſtantia Martyrum. Eodem argumento utitur etiam Lactantius Lib. 5. divinarum Inſtitutionum cap. 13. & 14. & alij antiqui Scriptores paſſim, idquè meritò. Quia nullò modo verò ſimile eſt, eam fidem ac Eccleſiam eſſe falſam, quàm innumerabiles omnis ordinis, ſexûs, & ætatis homines pietate in Deum, vitéq; ſanctimoniâ conſpicui ſic amplexi fuerunt, ut illi Fidei res omnes, vitamq; ſuam inter acerbiſſimos cruciatus poſtponere non dubitaverint. Talis autem eſt Fides & Eccleſia Catholica. Ergo nullô modo veroſimile eſt, eam eſſe falſam.

XII. Major claret ex eô, quod Deus pro Bonitate ſuâ inquirentes ſe non deſerat juxta illud

Ierem.

Digitized by Google

Ierem. 29. v. 13. *quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis.* Et Amos 5. v. 5. *quæretis me, & invenietis.* Atqui innumerabiles iſti Martyres per mortem & acerbiſſima tormenta Deum quæſierunt, veram ejuſdem Fidem & Eccleſiam teſtando. Ergo invenerunt. Minor verò, quod SS. Martyres fidem & Eccleſiam Romanam ſanguine amplexi, & pro ea mortui fuerint, inde conſtat, quod ipſimet Sectarij fateantur, celeberrimos & primarios Martyres cum doctrina modernæ Romanæ ac Catholicæ Eccleſiæ conſenſiſſe, & à pura & Apoſtolicâ (ita nova & falſa ſua dogmata vocitant) deſciviſſe. Sic ſcribunt Centuriatores Magdenburgici in præfatione Centuriæ ſecundæ ad ducem Saxoniæ: *deploratione dignum eſt, quod tam citò magnæ obſcurationes magnorum articulorum fidei ſenſim inciderint, ſummi enim Eccleſiæ Doctores* (nempe Ignatius Martyr, Polycarpus, Irenæus, Iuſtinus &c.) *ſuas quaſdam opiniones habuerunt, quibus ſequentibus temporibus Eccleſia quaſſata & turbata eſt. Nam doctrina de libero arbitrio, ſtatim hoc ſæculo cepit vitiari, nimiumq́; viribus humanis tributum fuit &c. Operibus juſtificatorum plus quàm debebant, adſcripſerunt, quod fortè,* inquiunt, *ex errore & neceſſitate bonorum operum ad ſalutem promanavit. Martyria Sanctorum ſentire cœperunt eſſe peccatorum expiationes &c.* Similia plura ex iiſdem affert Valentia. Tom. 3. fol. 70.

XIII. Reſpon. ad argumenta Adverſariorum. Negando, veteres hæreticos fuiſſe martyres, veramq́; habuiſſe conſtantiam ſupernaturalem; ſiquidem ex ipſis circumſtantijs apparuit potius pertinacia naturalis, vel diabolica. Nam inprimis non fuerunt homines delicati & imbecilles, ſed duri, craſſi, & feroces: item non pietate, eruditione, morumquè probitate conſpicui, ſed impietate, inſcitiâ, & vitæ improbitate notati, in quem modum huic objectioni occurrit D. Chryſo. Hom. 4. in 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 7. Deinde tormenta non fuerunt tam atrocia; ſed unicum ictum gladij ſuſtinuerunt, nominatim Albigenſes: nec tot divitias & honores aliaquè mundi retinacula habuerunt, aut ſperare potuerunt, ſi vitam producerent. Demum modus patiendi non æquavit noſtros Martyres; etenim valde impatientes, querulos, & maledicos ſe exhibuerunt, ut tradit Cyprian. Lib. contra Demetrianum inter alia dicens: *putatis nos adverſa vobiſcum æqualiter perpeti, cum eadem adverſa videatis à nobis & vobis non æqualiter ſuſtineri? apud vos impatientia clamoſa & querula eſt: apud Nos fortis, & religioſa patientia.* Donatiſtæ crudeliter ſæviebant in Catholicos, ut ſi quem ex iſtis deprehendiſſent, mox calce & aceto exocularent, ut refertur in cit. locis.

XIV. Si aliquando inter noſtros & infideles Martyres quoad externam ſpeciem nihil diſcriminis apparuit, tunc Deus internam diverſitatem animorum per miracula oſtendit v. g. Pionius Smirnenſis Eccleſiæ Presbyter Catholicus & Metrodorus hæreticus ſimul per crucem & ignem mortem ſuſtinuerunt, non apparente externo diſcrimine patientiæ: at verò poſt mortem corpus Pionij ab igne prorſus illæſum apparuit, non capillo quidem combuſto: Metrodori verò corpus in cineres eſt redactum, ut refert Baronius Anno Chriſti 254. Taceo hæreticos pſeudomartyres multitudini noſtrorum Martyrum neutiquam reſpondere. De ſola perſecutione ſub Diocleciano & maximiniano ſcribit Severus Lib. 2. hâc tempeſtare omnis fere Sacro Martyrum cruore orbis infectus eſt; quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoquè avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus ambitionibus appetuntur. Sic ille.

XV. *Error Secundus eſt.* Ipſis etiam Adverſarijs non deeſſe martyres, & quidem recentes. Nam, inquiunt, in Belgio multi Lutherani & Calviniſtæ propter ſuam fidem ab Hiſpanis interfecti ſunt, quorum nomina in ordinem redacta, & ſecundum diverſas tribus opificum diſtributa non ita pridem Joannes Oexius Baſileæ, typis vulgavit. Paucis etiam antè annis Holandi Martyrium aliquorum ſuorum prædicantium à gentilibus interfectorum cupro inciderunt, & in publicum ſparſerunt. Sic quoquè paſſim à Sectarijs Joannes Hus proclamatur martyr, diciturquè contra promiſſum ſalvum conductum exuſtus Conſtantiæ.

XVI. Ad hunc errorem confutandum, lubet adducere certamen Sacrificiorum inter Eliam Dei Prophetam, & Prophetas Baal, de quô 3. Reg. cap. 18. Ut oſtenderent, utra pars verum colerent Deum. Sumpſerunt itaque Pſeudoprophetæ bovem unum, & in fruſta conciſum rogo impoſuerunt, clamando ad Deum ſuum; quin & lanceis ſe vulnerando diuquè cruentando, ut eorum ſacrificium acceptare, & audire eos vellet; ſed nulla Dei reſponſio, nullum acceptabilis ſacrificij indicium apparuit. Concidit igitur Elias quoque bovem ſuum & rogo ſuo impoſuit, ad cujus orationem mox ignis de Cœlo deſcendens devoravit victimam cum rogo univerſo. Quid hoc ad propoſitum noſtrum? Videmus inde Deum habere victimam ſuam. Mactârunt Baalitæ bovem ſuum: mactavit & Elias ſuum; illum reſpuit Deus: iſtum acceptavit; ille bos Baalitarum martyres diaboli ſignificavit: iſte Eliæ Martyres Dei. Martyres diaboli dici poſſunt hæretici, qui cruciant quidem; affligunt, mactant bovem ſuum, id eſt, carnem ſuam; ſed in caſſum; quippe ex communi SS. Patrum ſententia, martyres non ſunt, qui ab Eccleſiâ Chriſti ſe ſeparârunt, & alteri Sectæ aſſociârunt: S. Cyprianus, Lib. de Unitate Eccleſiæ pag. 157. *quiſquis ait; ab Eccleſia ſegregatus adulteræ adjungitur, à promiſſis Chriſti ſeparatur: nec perveniet ad præmia; qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* Et Auguſt. Lib. de Unit. Eccl. cap. 1. ait: *Eccleſia Chriſti corpus eſt, ſicut Apoſtolus dicit, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia; unde utiq; maniſeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe.* Ibidem cap. 11. *ad ipſum* ait, *ſalutem & vitam æternam non pervenit, niſi qui habet Caput Chriſtum; habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Similia habet tum ipſe alibi, tum alii PP. relati apud Bernardinum Vetvveis in ſpeculo veræ Eccleſiæ, fol. 51. ex quibus ſic concludimus. Quicunquè non habet Deum Patrem, Caput Chriſtum, & non eſt in membris Chriſti, non eſt numerandus inter veros Martyres, & eos qui ſalutem conſequuntur. Hæreticus, etiamſi omnia tormenta ſuſtineat, & vitam profundat, non habet Deum Patrem, & Caput Chriſtum, nec in membis hujus eſt. Ergo non eſt numerandus inter veros Chriſti Martyres, & eos qui ſalutem conſequuntur.

XVII. Hæretici in Belgio non fuerunt necati propter Fidem, ſed propter crimen læſæ Majeſtatis, & rebellionis contra Regem Hiſpaniarum, ut

Digitized by Google

habetur ex Actis publicis illarum Provinciarum, ideo Martyrologium illud Baſileenſe eſt merum Mendacilogium. Videri poteſt Becanus in Manuali fol.714. Joannes Hus fuit venenatus & pertinax hæreticus; inter alios ejus errores Conſtantiæ proſcriptos, hi recenſetur: Hoſtia conſecrata eſt merè materialis panis: Chriſti verò Corpus non eſt in Euchariſtia concipiendum, niſi figurativâ locutione. Confeſſio ad aurem nihil eſt, quàm hominum inventum. Papa Romanus eſt verus Antichriſtus. Neque Rex, neque Princeps ullus, neque Epiſcopus, neq; Magiſtratus, neq; Sacerdos eſt, niſi nomine tenus, dum eſt in mortali peccato. Impium inventum & Evangelio contradicens eſt Communio in Solo Pane, excluſo Calice. Eccleſia non conſtat, niſi ex ſolis prædeſtinatis &c. Quare meritò eſt à Concilio Conſtantienſi damnatus, ſalvo conductu non obſtante; Nam is legitimè damnari poteſt, non obſtante ſalvo conductu, qui legitimè convictus de hæreſi, hanc abjurare non vult; quia ſalvus conductus, qui jure communi datur, non impedit juſtitiam, & juris executionem. Atqui Huſſius fuit legitimè convictus de hæreſi, hanc abjurare non voluit. Ergo potuit legitimè damnari, non obſtante ſalvo conductu.

XVIII. Cæterùm probare hæretici non poſſunt, quod Catholici in Concilio Conſtantienſi ſalvum conductum Huſſio datum violaverint. Nam Patres Huſſio ſalvum conductum dediſſe, non legimus: Sigiſmundus autem Imperator dedit quidem ſalvum conductum, at iſtum non violavit. Tum quia dedit in forma juris communis, id eſt, ſalvâ executione Juſtitiæ. Tum quia Huſſius poſt datum ſalvum conductum fugam arripuit, quæ ipſi ſub pœnæ capitis ab Imperatore prohibita erat. Tum quia ipſamet ſynodus Conſtantienſis Seſſ.19. optimè demonſtrat, à ſæculari ipſâque Imperatoria poteſtate per ſalvum conductum alicui datum Eccleſiaſticæ Facultati (quippe omnino diſtinctæ atque ſuperiori Juriſdictioni) nullum præjudicium generari poſſe, quominus de perſonarum erroribus inquirere & contra pertinaces ad punitionem procedere poſſit. Quare Joannes Hus non eſt combuſtus contra fidem datam. Nam ſalvus conductus ſolùm ab imperatore conceſſus fuit absq; jurium detrimento, & eâ Lege, ne ſub pœnâ vitæ aufugeret, contra quam legem, cum ipſe fugam capeſſiverit, ſimul conceſſum ſalvum conductum & vitam perdidit. Videri poteſt Becanus in manuali Lib.5. cap.15. Hactenus de novem, quas ab initio propoſuimus, Eccleſiæ Dotibus ac Notis.

XIX. Reſtat quæſtio. An omnes recenſitæ & explicatæ Notæ Eccleſiæ paris ſint conditionis? & an eodem modo ex omnibus argumentari poſſimus? Reſpond. Negativè. Nam aliquæ ex illis ſunt propriæ: aliæ communes. Illæ priores nulli niſi veræ Eccleſiæ conveniunt, ex quibus affirmativè licet argumentari: hæc Eccleſia habet hanc Notam. Ergo eſt vera Eccleſia. Hujuſmodi ſunt Miraculorum ſplendor, Martyrium, Sanctitas, &c. quæ abſque fide verâ conſiſtere non poſſunt. Itaque nullum eſt dubium, illam eſſe veram Eccleſiam, in qua vera Miracula, veri Martyres, homines verè Sancti reperiuntur. Poſteriores Notæ ſive communes conveniunt quidem veræ Eccleſiæ, ſed non ſoli; quia etiam falſis Eccleſijs convenire poſſunt, ut viſibilitas, Antiquitas, Unitas, &c. ex quibus tantùm negativè licet argumentari: Eccleſia non eſt Viſibilis, non eſt Una, non eſt Antiqua. Ergo non eſt vera Eccleſia. Hic tamen tres limitationes obſervandæ.

XX. *Prima.* Niſi ſumantur conjunctim cum omnibus Notis etiam proprijs; ſic enim concludere affirmativè poſſum: hæc Eccleſia habet antiquitatem cum ſanctitate, viſibilitate, &c. Ergo eſt vera Eccleſia. *Secunda.* Niſi aliæ accedant circumſtantiæ v.g. ſi nulla Eccleſia talem notam habeat, alioquin communem, niſi unica, tunc affirmativè concluditur, illam eſſe veram Eccleſiam; ſicuti ſi nullum animal in mundo extaret, præter hominem, rectè concluderem, illum eſſe hominem, qui eſt animal. *Tertia.* Ex peculiari modo, quo talis Nota communis Eccleſiæ convenit, & alijs convenire non poteſt, etiam affirmativè ſequitur, illam eſſe veram Eccleſiam. Quia per talem modum Notæ aliàs communes fiunt propriæ; v.g. Antiquitas & Perpetuitas non humanis viribus conſervatæ, ſed ſupernaturali Dei auxilio roboratæ ſunt firmiſſima argumenta veræ Eccleſiæ; quippe Romana Eccleſia omni humano auxilio deſtituta, imò totius mundi ac Principum Regúmque armis infeſtata fuit, & tamen in ſua fide perſtitit, Deo protegente; quod eſt bonum argumentum veræ Fidei. Nam falſæ fidei ſtabiliendæ utique ſupernaturalibus auxilijs Deus non aſſiſtit: E contra, quid quid Ethnici vel Hæretici effecerunt, id militum & armorum potentiâ perpetrârunt, ut patebit legenti Hiſtorias Turcarum, Arianorum, &c. Noſtri hæretici tam Lutherani quàm Calviniſtæ nunc & ab initio armis extorſerunt licentiam Fidei ſuæ retinendæ ac conſervandæ, etiam Barbaris in auxilium evocatis, quæ ſtabilitas nihil divinum ſapit, ſed potius diabolicum juxta Poëtam: *Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.* Audiamus de hoc parùm ipſum Lutherum. Is art. 34. publicè vulgavit; *præliari adverſus Turcas; eſſe repugnare Deo viſitanti peccata noſtra per illos.* Poſtquam autem Leo Papa X in Bulla ſua hunc art. damnavit, Lutherus pro ejuſdem defenſione Anno 1528. ſic ſcribit: *fateor adhuc liberè, prædictum Articulum à Leone Papâ damnatum eſſe meum, & à me poſitum. Et debet articulus meus à Leone Papa damnatus, & incondemnatus manere;* modum, quo id fieri poſſit, indicans: *Turca*, inquit, *manutenere illum debet, & cum manu & facto tueri; & ſi nolumus ex S. Script. diſcere, Turca evaginato acinace docere debet.* Tom.2. W.G. fol.536. & 338. Hactenus de Eccleſia in communi, quam ad initium Controverſiarum de Eccleſia diximus diſtingui in Militantem, Purgantem, & Triumphantem, de quo triplici membro deinceps ordine agendum, & quidem in primis de Summo Pontifice, tanquam de ſupremo Eccleſiæ Capite.

:o: IHS. :o:

Digitized by Google

SUMMUS PONTIFEX.

QUemadmodum Romana Eccleſiæ Pontifex ſummum in terris veluti Chriſti Vicarius obtinet dignitatis locum, poteſtateq; pollet ſupremâ, ita maximi momenti Controverſiæ circa eundem moventur, quas Card. Bellarminus tanti facit, ut in præfatione ad libros de ſummo Pontifice dicere non dubitet, in ejs de ſumma rei Chriſtianæ agi. Diſceptatio autem omnis inter Catholicos & Hæreticos fere eſt de Pontificatu S. Petri, de hujus Succeſſoribus, de Authoritate & poteſtate Papæ, de Antichriſto, quem hæretici dicere audent eſſe Romanum Pontificem. Singula horum ſequentibus controverſiis expendemus & decidemus.

CONTROVERSIA XXIV.

QUALE REGNUM CHRIſtus in Eccleſia ſua inſtituerit.

I. CErtum eſt apud omnes, in Eccleſia eſſe Regimen aliquod, & quidem Eccleſiaſticum, Spirituale, & diſtinctum à Politico, ut patet ex illo Pauli Actor. 20. v. 25: *Attendite vobis & univerſo gregi, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Dubium autem, quale illud ſit; In Philoſophia Morali modus gubernandi triplex aſſignatur; Nimirum *Monarchicus*, cùm unus Dynaſta ſupremus omnibus præeſt, ut Imperatores, Reges &c: *Ariſtocraticus*, cum aliquot Optimates delecti pari jure ſubditos gubernant, ut modò fit in Holandia: *Democraticus*, cum totus Populus communi jure ac ſuffragijs Rempublicam moderantur, ùt apparet in aliquibus Partibus Helvetiæ. Ex his tribus modis ſimplicis gubernationis inter ſe permiſtis quatuor alij mixti Regiminis prodeunt; videlicet Una temperata ex omnibus tribus: Altera ex Monarchia & Ariſtocratia: Tertia ex Monarchia & Dimocratia: Poſtrema ex Ariſtocratiâ & Dimocratia.

II. Ex his optimum genus Regiminis eſſe Monarchiam, docent cum S. Thom. 1. part. q. 103. art. 3. & alibi communiter alij Theologi. Suadent 1. Authoritate, ita enim ſenſerunt tum antiqui Sapientes Plato, Ariſtoteles, Herodotus, Philo, Demoſthenes, Iſocrates, Cicero, alij. Tum SS. Patres Athanaſius, Hieronymus, Cyprianus, Juſtianus & alij; imò non tantùm eſt ea Sapientum & Patrum mens & conſenſus, ſed univerſi Orbis uſus; ut colligitur ex illis verbis Iſraelitarum (qui tamen conſtitutam à Deo formam mutare cupientes peccaverunt) Regem poſtulantium 1. Reg. 8. v. 5. *conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut univerſæ habent Nationes.* Suadent 2. ratione veluti à priori, quam fusè deducit S. Thomas in opuſc. de Regim. Princip. Lib. 1. à cap. 1. uſquè ad 3. breviter ſic ſe habet. In Monarchia maximè facillimeque concordia & animorum unitas (ſine qua Reſpublica conſiſtere nequit: vix ulla ſub illa perijt) conſervari poteſt: ægrè autem in Ariſtocratia & Democratia; etenim ſub uno facilè ſervatur unitas: plura autem capita difficulter inter ſe conſentiunt, & nõ rarò: *quot capita, tot ſententiæ.* Suadent 3. exemplo ipſius Naturæ, cujus inſtinctu *belluæ unum Ducem* ſequuntur, ut ait S. Cyprianus in Tract. de idolorum vanitate, *Rex unus apibus, Dux unus in gregibus, & in armentis Rector unus*; ſcil. Natura ſequitur Authorem ſuum DEUM, qui unus eſt. Ergo unum etiam Ducem in Republ. eſſe oportet. Videri poſſunt Bellarminus Lib. 1. de Pontifice à cap. 1. Sanderus Lib. 3. Viſibilis Monarchiæ. Adam Contzen Lib. 1. Politic. &c. Hoc præmiſſo.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

III. DOctrina Prima. Chriſtus Dominus noſter in Eccleſia ſua Monarchicum inſtituit Regimen. Doctrinam hanc fusè & ſolidè oſtendit Card. Bellarminus Lib. 1. cit. maximè cap. 9. Probatur à nobis breviter 1. ex Sac. Scriptura, quæ Eccleſiam paſſim comparat *Regno*, nominatim Daniel. 2. v. 44. *Ovili* Joan. 10. v. 16. *Exercitui ordinato* Cant. 6. v. 9. *Domui* Timoth. 3. v. 15. *Navi ſeu Arcæ* 1. Pet. 3. v. 20. Regnum autem eſt Monarchicum & uni ſubjectum Regi, ſicut caſtra ordinata uni Imperatori, Domus uni Domino & œconomo, Navis uni Gubernatori, Ovile denique uni Paſtori; unde Chriſtus loc. cit. ait: *erit unum Ovile & unus Paſtor.* Non obeſt, duos ſubinde videri œconomos unius domûs, duos Imperatores unius exercitûs; quia in rebus moralibus regulæ non niſi à communiter contingentibus deſumi ſolent.

IV. Prob. 2. Chriſtus Sapientiſſimus & Eccleſiæ ſuæ amantiſſimus utiq; optimum regimen in ea inſtituit. Atqui optimum eſſe Monarchicum, recèns diximus. Infert Tobias Wagner Lutheranus in cenſuris motivorum D. Beſoldi, Regimen Papale ſic fore hæreditarium, cum juxta Politicos apud Lipſium Lib. 2. monit. polit. cap. 4. Monarchia hæreditaria præſtet electivæ propter varias hujus diſcordias, ambitiones, ac corruptelas. Negamus illatum; ſi Deus peculiari ſuâ Providentiâ electioni aſſiſtat, uti juxta promiſſionem & verba ſua Matth. 16. v. 19. & ibid. cap. 28. v. 29. adeſt ſemper Electioni novi Papæ, quæ idcirco nunquam penitus corruit, ſed inter omnes difficultates ſuum obtinuit ſucceſſum; unde Regimen Eccleſiæ diutius jam ſtetit, quàm ulla Monarchia Politica Electiva.

V. Urgent Ameſius Calviniſta Tom. 1. contra Bell. fol. 129. Nullum regimen optimũ aut utiliſſimum vocari poſſe, niſi habitâ ratione ſubjecti, cui ad finem ſuum dirigendo inſervit. Sed iſtud minimè eſt contra nos; Etenim aſſerimus, per ſe loquendo, quamvis hominum & Angelorum Rempublicam meliùs Monarchicè, quàm Ariſtocraticè aut Dimocraticè purè gubernari; quidquid ſit de hoc, quod temperamentum aliquod ob humanas imperfectiones Monarchia utiliter admittat. Ac talem formam Monarchicam Ariſtocratiâ & Democratia temperatam Chriſtus in Eccleſia ſua inſtituit; cum in ea præter Supremum Caput ſeu Papam ſint Epiſcopi (veri Principes & Paſtores,

Digitized by Google

non ſolùm vicarij Pontificis ſummi) & nemo ex omni Chriſtianorum multitudine ſit, qui ad Epiſcopatum vocari non poſſit, ſi tamen eo dignus munere judicetur; per hoc Democratia: per illud Ariſtocratia Monarchiæ admixta apparet, ut bene notat Bellarminus lib. 1. cit. cap. 3.

VI. Prob. 3. Synagoga Judaica fuit umbra ſeu typus Eccleſiæ Chriſti. Atqui hæc fuit Monarchica, ſemper ſcil. uni Pontifici ſubjecta, ut patet ex lib. Exodi; Levitici, & Deut. Ergo & Chriſtiana Eccleſia, ut reſpondeat ſuæ figuræ, Monarchica eſſe debet, uni ſummo Pontifici ſubjecta, uti bene argumentantur Catholici Doctores paſſim. Negant paritatem Pet. Molinæus in ſuo Neo-Papatu fol. 260. & alij Sectarij communiter; quia, inquiunt, Synagoga Judaica fuit valde exigua: Eccleſia autem Chriſtiana eſt ampliſſima, cui proinde gubernandæ ſolus DEUS par eſſe poſſit. Verum quod hominibus impoſſibile videtur, id fieri per gratiam DEI facilè poteſt; ut ait Chriſtus Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud DEUM autem omnia poſſibilia ſunt.* Hac ergo DEI gratiâ adjutus Summus Pontifex non modò poteſt univerſam Eccleſiam regere, ſed etiam facilè utiliterque id præſtare.

VII. *Doctrina ſecunda.* Primus Rex & Monarcha Eccleſiæ fuit, ſemperque manet Chriſtus Dominus. Ita teſtatur S. Paulus ad Epheſ. 5. v. 23. ajens: *Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.* Pro intelligentia hujus doctrinæ tria ſunt obſervanda. *Primum.* Nomen Capitis duobus modis ſumitur; propriè pro naturali capite humani corporis, cujus officium eſt, dirigere membra corporis: & metaphoricè pro morali capite ſeu Principe Communitatis; quo modo impræſentiarum accipitur. *Secundum.* Chriſtus in hac vita exiſtens fuit Caput Eccleſiæ Viſibile & Inviſibile; quia partim viſibili partim inviſibili modo Eccleſiam gubernavit, id quod ex ſimilitudine capitis naturalis clareſcit; quamvis Apoſtolus loc. cit. aliâ utatur. Nam ſicut Caput naturale duobus modis gubernat corpus humanum, 1. per influxum, quo derivantur ex illo tanquam principio Spiritus ſenſitivi in reliqua membra, ut inde hæc vitam conſervare, & functiones peragere poſſint. 2. per externam directionem in eo conſiſtentem, quod caput per intellectum, voluntatem, viſum, auditum & alios ſenſus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus ſuis, ne aberrent. Ita Chriſtus etiam in hac vita exiſtens duobus modis rexit Eccleſiam ſuam, ſcil. tum per internum influxum donorum gratiæ, juxta illud Joannes 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Tum per externa directionem, ordinando Miniſtros & Sacerdotes, ſanciendo Legem Evangelicam, docendo, hortando, increpando &c. *Tertium.* Chriſtus in cælo exiſtens adhuc manet Caput Eccleſiæ, & manebit uſque ad finem mundi; attamen ſolùm Inviſibile. Nam licet non ampliùs præſens ſit, uti requiritur ad Caput viſibile, nihilominus gubernat Eccleſiam ſuam modo inviſibili, nempe per influxum internum donorum gratiæ, & directionem Spiritûs Sancti juxta illud Matth. 25. vers 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi;* Unde aliud viſibile Caput dari oportet, pro quo ſit.

VIII. *Doctrina tertia.* Chriſtus aſcendens in cælum, etſi retinuerit ſupremum Eccleſiæ Regimen, attamen ſuo loco ſubſtituit aliquem Viſibilem Vicarium, ſicut in abſentia Regis ſolet aliquis in regno conſtitui, qui vicem illius ſuppleat in externa Politia, præſertim ſi Rex longo tempore abſuturus ſit. Ratio hujus doctrinæ facilè patet. Quia Regimen Eccleſiæ manere debet tale, quale Chriſtus inſtituit. Atqui Chriſtus ante Aſcenſionem ſuam inſtituit Regimen Viſibile ſub uno Capite juxta illud ad Coloſſens. 1. v. 18. *Ipſe eſt Caput omnis Eccleſiæ,* ſcilicet, etiam primæ, in qua illum Apoſtoli & alij Fideles oculis ſuis conſpexerunt, quorum oculos Chriſtus idcirco beatos prædicavit Matth. 13. v. 16. Ergo tale debet manere. Quemadmodum igitur ipſe fuit Viſibile Caput ante Aſcenſionem, ità poſt ipſam debet aliquod aliud viſibile Caput loco Chriſti eſſe; alioquin Regimen Eccleſiæ, adeóque ipſa Eccleſia fuiſſet mutata, quod eſt abſurdum.

IX. Confirmatur. Chriſtus utique nec voluit, nec debuit velle unquam, Regimen Eccleſiæ ſuæ eſſe contra naturalem, humanum, ac divinum regendi modum ac conſuetudinem. Sed non ſolùm Unitatem, ſed etiam Viſibilitatem Capitis attendunt, & in ſuo regendi modo obſervant Natura, DEUS, ac Homines. Ergo &c. Major patet ex ſuavi Dei providentiâ, & gratiæ cum natura conformitate. Minor oſtenditur inductione. Nam imprimis Natura docuit omnia animalia ſuum, quæ ante oculos habent, ſequi Ducem. Deinde Reipublicæ nobiliores totius Orbis viſibilem ſemper Principem aut Sacerdotem elegerunt, qui poſſet verbo aut ſcripto cauſas judicare, & à cujus judicio clarè percepto nemo ad alium judicem provocaret. Demum Deus populo ſuo ſemper viſibilem Principem, Judicem, & Sacerdotem dedit: nec ipſe, licet ſupremus Dominus, quia tamen Inviſibilis, regere illum ſolus abſque ſubordinato Viſibili Vicario voluit.

X. Non obſtat, Summum Pontificem in veteri Teſtamento fuiſſe figuram Chriſti. Nihilo enim minus potuit etiam eſſe figura minùs-principaliter Viſibilis & Supremi Capitis Eccleſiaſtici in Novo Teſtamento. Quia totum novum Teſtamentum habet Analogiam cum Veteri, adeóque etiam cum Sacerdotio, quod ſatis indicat Apoſtolus 1. ad Cor. 10. prius enim, quàm v. 11. ſcribat: *Hæc omnia in figurâ contingebant illis*, dicis vers 10. *neque murmuraveritis, ſicuti quidam eorum murmuraverunt; & perierunt ab exterminatore;* quæ autem alia murmuratio hic intelligitur; niſi illa, quam ſæpiùs præſertim Num. 14. cum ingenti ſuo damno contra Moyſen non ſolùm Politiæ, ſed etiam Eccleſiæ ſuæ Summum Caput & contra Fratrem ejus Aaron exercuerunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. *Error primus.* Chriſtus in Eccleſia ſua non inſtituit Monarchiam Spiritualem, qualem Papiſtæ adſtruunt. Ita Jacob. Heilbrunner Lutheranus in Papatu ſuo non-Catholico pag. 269. Nititur unicè verbis Chriſti Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Sub quibus ſubſumit: Atqui Regnum Papale eſt de hoc mundo, cum more mundanorum regnorum ipſi Pa-

pæ alij

Digitized by Google

pæ alij juramentum, & obedientiam promittant. Ergo &c. Calvinus etiàm errat. Lib. 4. Inſtit. cap. 7. ratus non expedire, ut unus Eccleſiæ toti præſit, ſicuti non expedit; ut unus orbi toti in temporalibus dominetur.

XII. Error iſte eſt planè peculiaris hujus Prædicantis; cæteri enim Novatores fatentur, Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum & Spirituale: aliud tamen Caput præter Chriſtum in eo permanere, omnibus modis negant, ut videbimus. Hoc ipſum expreſsè hîc tenet ipſemet Hailbrünner, affirmans Lutheranos non agnoſcere aliud in Eccleſia Caput, præter Chriſtum. Ergò iſte eſt Supremum Caput Eccleſiæ, & hanc gubernat. Ergo habet regnum in mundo, & quidem Monarchicum, atque hujus ſuper terram Vicarium. Quod autem iſte Principatum habeat, quid hoc ad Regimen Eccleſiaſticum? ſi nec latam manum terræ haberet Papa, ſicuti primi ſummi Pontifices nihil prorſus habuerunt, nihilominus in Monarchia Chriſti foret hujus Vicarius; quippe ſuccedit Papa S. Petro non in ſæculari Regimine, ſed in Eccleſiæ gubernatioue; in qua maximè diſplicet Prædicanti, Subditos ſeu Membra Eccleſiæ Papæ obedientiam jurare, & præſtare, atque idcirco Monarchiam ſæcularé appellat; quaſi verò talis ex votis & obedientia evaderet. Ergo ſi nemo voveret, & obedientiam promitteret, jam Monarchia Spiritualis foret?

XIII. In verbis ſuis ad Pilatum Chriſtus tam parùm Monarchiam Spiritualem excludit, quàm parùm per ea Sectam Lutheranam approbat, ſed indicare ſolùm Pilato vult, non habere ſe Regnum aut poteſtatem ſæcularem, quam ipſe Pilatus timeat, & periculum ſibi ac Cæſari inde inſtare exiſtimet; uti bene eadem Chriſti verba interpretatur Cyrillus Alexandrinus in Evangelium Joan. lib. 12. cap. 10. ſic ſcribens: *Liberavit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæſaris in Judæâ ſervare debebat; credidit enim forſan more hominum, rebellionem à Chriſto cogitatam fuiſſe ſecundùm Judæorum nugas.* Et mox: *Chriſtus autem Pilato reſpondens, Regem ſe eſſe, non negat; mentiri enim non poterat, ſed regnò Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit, quia Principatus ſuus mundanus non eſt.* Similia habent S. Auguſtin. Tract. 115. in Joan. & alij Patres.

XIV. Calvinus non advertit ad fundamentum doctrinæ noſtræ, quæ non tam in ratione, quàm Chriſti inſtitutione conſiſtit; quamtumvis etiam convenientia allata ſit perquam bona. Diſcrimen inter gubernationem temporalem mundi & Eccleſiæ Spiritualem eſt; tum quia iſta non habet tam multa negotia: tum quia longiſſimè diſſitos pœnâ Spirituali coërcere facilùs poteſt: tum quia omnia ad gubernationem Spiritualem pertinentia haud difficulter ab uno peraguntur Papa, Epiſcopis aliiſque inferioribus Miniſtris eum adjuvantibus. Videatur Valentia in Tom. Controverſiſt. fol. 57.

XV. *Error ſecundus.* Præter Chriſtum non eſt aliud Viſibile Caput in Eccleſia. Ita poſt Wicleffum, Huſs, Lutherum, Calvinum cæteri Sectarij, ut videre eſt apud Joan. Gerherdum Lib. 2. Part. 1. fol. 409. & Guilielmum Ameſium Tom. 1. cont. Bellarm. fol. 137. Nituntur varijs ratiunculis; quas optimè ſoluit Card. Bellarminus Lib. cit. de Pontifice cap. 9. & fermè in has tres recidunt. *Prima* ſumitur ex illo Matth. 20. v. 25. & 26. item Luc. 22. v. 26. *Reges Gentium dominantur eorum &c. Verùm non erit ſic inter vos: vos autem non ſic.* Ex quibus verbis, inquit Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 20. §. 7. Dominus carpit vanam Apoſtolorum ambitionem, docendo, eorum Miniſterium non eſſe regnis ſimile, in quibus inter cæteros unus eminet. *Secunda* depromitur ex vehementi oppoſitione Patrum contra iſtam Monarchicam poteſtatem. Cyprianus in Orat. ad Concil. Carthag. ſic ſcribit: *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannicò terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed exſpectemus univerſi judicium Domini.* Gregorius Magnus, cum Conſtantinopolitanus Patriarcha titulum ſibi tribueret univerſalis Epiſcopi, dicit *iſtum titulum eſſe inventionem ſuperbi atque pompatici cujuſdam ſermonis, etiam Petrum non appellatum fuiſſe Univerſalem Epiſcopum: eſſe vanitatis nomina, nova & prophana vocabula contra Canonum decreta novum nomen: eſſe nomen blaſphemiæ, ſingularitatis vocabulum, inanis gloriæ appetitionem &c.* Lib. 4. epiſt. 32. 34. 38. 38. Et lib. 6. epiſt. 24. 30. *Tertia* & negativa ratiuncula ex eo petitur, quod nec Apoſtolus, nec ejus diſcipulus Dionyſius Areopagita, qui formam Eccleſiæ ſcripſerit; ullam faciant mentionem Pontificis. Nam D. Paulus ad Epheſios 14. v. 11. ait, *Chriſtum dediſſe quoſdam quidem Apoſtolos & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Dionyſius verò in lib. de Hierarchia Eccleſiaſtica; ubi ex inſtituto gradus & officia Eccleſiaſtica deſcribit, nullius meminit Summi Pontificis.

XVI. Error iſte priore parte, doct. ſecundâ ſatis rejectus fuit, ſolùm clariùs oſtendo; eum peculiariter repugnare Suavitati & Utilitati gubernationis, quæ viſibile Caput requirunt. Suavitati quidem, quia humanæ Naturæ accommodatius eſt, per aliquem viſibilem Dominum gubernari; cum in hac vitâ humanus intellectus à ſenſibus dependeat; proinde Chriſtus pro ſuâ ſuavitate omnia ſenſibili modo nobiſcum agere ſolet. v. g. Fidem non per ſolas inſpirationes internas, ſed per vocalem prædicationem & ſcripta Biblia communicat: Media etiam Juſtificationis, nim. Sacramenta voluit eſſe ſenſibilia Aquam, Panem, Vinum &c. Pari ergò modo voluit gubernationem Eccleſiæ eſſe ſenſibilem per aliquem Rectorem Viſibilem verbo aut ſcripto gubernantem. Utilitati verò, imò Neceſſitati. Quia inſpirationes internæ ſunt admodum difficiles cognitu, utrum à bono vel malo Spiritu proveniant, cum *Satanas crebrò transfiguret ſe in Angelum Lucis.* 2. Cor. 11. v. 14. Si ergo Chriſtus inviſibiliter per occultas inſpirationes regere Eccleſiam vellet, multa inde mala ſequerentur, videlicet magna inquietudo animique perplexitas ex illa incertitudine oriunda: crebra diſcordia Fidelium, alio iſtud, alio aliud à Chriſto ſibi ſuggeſtum affirmante, nec eſſet, qui litem componeret: omnimodus Fidei veræ interitus juxta illud D. Hilarij ad Conſtantium: *Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & nobis tot doctrinas eſſe, quod mores &c. excidimus ab eâ fide, quæ una eſt; & dum plures fiunt, ad id eſſe ceperunt, ut nulla ſit.* Experiuntur planè iſtud graviſſimo malo ſuo Sectarij moderni, qui ex eo, quod nullum Caput ſupremum agnoſcant, omni vento doctrinæ circumferuntur, & excogitatis quotidie novis

Digitized by Google

vis erroribus Religionem cum hiſce mutant. Non obſtat, Hilarium non facere mentionem regiminis Monarchici; ex eo enim, quod dicat, *excidimus à fide*, quæ una eſt, ſatis patet, loqui ipſum de Fide Romana, quam cum Concilio Niceno profitetur.

XVII. Non taceam hic, ex Acatholicis etiam aliquos neceſſitatem Viſibilis Capitis agnoſcere. Nam Rex Angliæ ſe Anglicanæ Eccleſiæ Caput agnoſcit, & obſervari vult, ut fusè ſcribit Piccardus Harris in Concordia Anglic. de Primatu Eccleſiæ Regio. Proteſtantes Principes in Germania Jura Epiſcopalia Magiſtratui Provinciæ annexa exiſtimant; & quotidiana apud eos praxis indicat. Elector Saxoniæ controverſias inter Tübingenſes & Haſſios decidit, & hanc ſuam deciſionem typo commiſit. Pareus in præfat. comment. Oſeæ tueri nititur, Principem jure Regio Eccleſiam reformare poſſe. Quibus apertè adverſatur Sac. Scriptura, Principes vocans nutritios, Iſaiæ 49. vers. 29: minimè verò Capita Eccleſiarum. Contra eoſdem Eccleſiaſticam poteſtatem Principibus ſæcularibus attribuentes eſt, tum quia poteſtas Eccleſiæ neque ex Naturæ neque Hominum lege, ſed ex DEI ordinatione provenit. tum quia in Novo Teſtamento nec unus locus oſtendi poteſt, in quo Magiſtratui Sæculari poteſtas in Eccleſiam conceditur. tum quia nec Traditio nec mandatum vel Apoſtolorum vel Eccleſiæ Catholicæ exhibetur, vi cujus ſimile quid permittitur, uti atteſtantur Patres Chryſoſt. hom. 4. & 5. de verbis Iſaiæ, Gregor. Nazianz. ad cives Nazianzenos, & præter alios Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, qui Principem ſæcularem ſibi poteſtatem in Eccleſia attribuentem Anti-chriſto comparat. Nunc ad ratiunculas Adverſariorum.

XVIII. Reſpond. *Primò.* Chriſtum Dominum verbis illis apud Matth. & Lucam *Reges Gentium &c.* non removiſſe ab Eccleſia ſua Viſibile Caput, ſed potius conſtituiſſe, & monuiſſe, eam eſſe diverſam à civili Monarchia Gentium; quippe non ait, vos non præſidebitis; ſed *non ſicut Reges Gentium*, quo ipſo loquendi modo innuit, regimen ſe illis conceſſurum, aliter tamen adminiſtrandum, ac fieri à Gentibus ſolet. Apparet hoc clarè in verbis Chriſti immediatè ſequentibus: *Qui Major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor* (græcè *ἡγούμενος* id eſt, Dux & Princeps) *ſit, ſicut miniſtrator.* Quæ Verba fruſtranea & non vera ſunt, ſi nullus ex illis Major, aut Caput aliorum unquam fuerit; quomodo enim major fieri poteſt, ſicut minor, & præceſſor ſicut miniſtrator, ſi nullus fuerit major alijs, aut nullus præceſſor aliorum? Itaque ruit objectio hæc ex ipſis Chriſti Verbis. Nihilominus

XIX. Urget Ameſius Tom. 1. fol. 133. Illud Regimen removetur à miniſtris Eccleſiæ, quod tribuitur Regibus. Atqui Regibus nihil tribuitur niſi dominium & imperium. Ergo à Miniſtris Eccleſiæ illud removetur. Ergo non eſt aliud in Eccleſia Chriſti Caput viſibile præter Chriſtum, qui ſolus imperium & dominium habet. Reſpon. negando Min. Nam Regibus hic non tribuitur qualecunque imperium, ſed Deſpoticum & Herile proprij commodi cauſâ exerceri in ſubditos ſolitum; & hoc quidem Chriſtus interdixit: Nos autem nullatenus illud vel affirmamus vel approbamus in Eccleſiæ Miniſtris. Porro diſtinguendum inter hæc tria, Imperium ſcil. Dominium, & Miniſterium, quæ Ameſius cæterique Sectarij ſemper confundunt. Nam Regimen Eccleſiaſticum eſt ſimul imperium & miniſterium; non quidem purè humanum, ſed imperio divino ſubordinatum, abſque tamen dominio, quod ſolùm à miniſterio excluditur; Atque hanc etiam ſolam dominandi libidinem à ſuis Chriſtus arcet, quam tribuit Regibus Gentium, qui plerumque Tyranni ſunt. Denique Politicum etiam Regimen (quod non eſt deſpoticum aut tyrannicum) miniſterium eſt; nempe non in commodum proprium, ut Herile dominium, ſed ut patria poteſtas in bonum filiorum inſtitutum. Cur ergo Eccleſiæ Regimen, etiamſi miniſteriale ſit, ſimul Monarchicum & Imperiale eſſe non poſſit?

XX. Reſpond. *Secundò.* Negando Patres ullo modo opponere ſe huic Monarchicæ poteſtati. Et mirum ſanè, Adverſarios iſtud aſſerere audere. Nam, ut plures alios Romanos Scriptores taceam, qui pro Viſibili Capite, & Monarchica Poteſtate in Eccleſia Chriſti antiquos & graviſſimos Patres tam Latinos quàm Græcos in magna copia adducunt, nonne hocipſum luculentiſſimè præſtat Card. Bellarminus, (quem Sectarij devoraſſe videri volunt) Lib. 2. de Summo Pontif. à Capit. 12. ubi etiam apertiſſima teſtimonia ex Cypriano & Gregorio affert? Dicimus igitur cum hoc & alijs Romanis Auctoribus, Cyprianum loc. cit. loqui de Epiſcopis, qui in Concilio Carthaginenſi erant, & non includere in ea Sententia Romanum Pontificem, qui verè eſt Epiſcopus & Pater Patrum. Quando autem dicit, Epiſcopum non judicari niſi à DEO, exponit illum S. Auguſtinus lib. 3. de Bapt. cap. 3. in hunc modum: quod Epiſcopus in rebus dubijs & quæſtionibus nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſis in Concilio mentem ſuam liberè aperire poſſit, & à Præſide ad ſuam ſententiam cogi non debeat, donec quæſtio definita fuerit. Cæterùm quod Papa judicare Epiſcopos poſſit, ipſe Cyprianus agnovit, dum epiſt. 13. ad Papam Stephanum ſcribens hortatur iſtum, *ut Epiſcopum Arelatenſem deponi, & ejus loco alium conſtitui jubeat.*

XXI. Gregorium M. titulum Univerſalis Epiſcopi ſine præjudicio Poteſtatis Pontificiæ contra Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum oppugnaſſe, liquet ex Lib. 2. Epiſt. 4. ubi Sedem Apoſtolicam vocat Caput Fidei: *Illud autem admonemus,* inquit, *ut Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur, tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput Fidei nullâ pulſetur injuriâ*; Imò in Epiſt. 32. cit. ad Mauritium Auguſtum confirmat Monarchicam poteſtatem Petri: *Cunctis,* ait, *Evangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominicâ Sancto & omnium Apoſtolorum Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Et mox: *cura ei totius Eccleſiæ & Principatûs committitur; tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur.* Noluit autem Gregorius (& ante illum Pelagius) Univerſalis Epiſcopi titulum pati, tum ex humilitate, ut ſic ſuperbiam Conſtantinopolitani Patriarchæ faciliùs deprimeret, tum & præcipuè, quia titulus iſte anceps eſt, &, uti Gregorius ſæpius inſinuat, interpretationem patitur, quaſi Univerſalis Epiſcopus eſſet ſolus Epiſcopus, alij verò Epiſcopali dignitate non pollerent, quæ injurioſa eſt falſitas. Diligenter igitur hæc duo diſtinguenda, quæ Hæretici confundunt; Nimirum dici *Univerſalem Epiſcopum in Eccleſia: & vocari*

Digitized by Google

Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. Prior titulus reprehenditur in Joanne Conſtantinopolitano Patriarcha: Poſterior convenit Romano Pontifici. Et Patres priorem aſſerunt eſſe prophanum, blaſphemum, & Antichriſtianum: Poſteriorem non item. Diſcrimen inter utrumq; jam fuit indicatum; etenim qui dicit, ſe eſſe Univerſalem Epiſcopum, aut Sacerdotem, innuit, ſolum ſe eſſe Epiſcopum, & alijs omnibus abnuit nomen & honorem Epiſcopalem; & hoc feciſſe Joannem, teſtatur Gregorius ſæpe: qui verò dicit, ſe eſſe Epiſcopum vel Paſtorem Univerſalis Eccleſiæ, non indicat, ſe eſſe ſolum Epiſcopum aut Paſtorem, ſed habere ſe curam & gubernationem totius Eccleſiæ, licet alij Epiſcopi habeant ſpecialem curam & gubernationem Eccleſiarum particularium. Et hoc ſenſu Papa vocari ſolet Epiſcopus & Paſtor Univerſalis Eccleſiæ, ut fatetur Gregorius lib. 6. epiſt. 32. alijq; ante hunc Pontifices, ut Sixtus 1. epiſt. 2. Victor 1. epiſt. 1. Pontianus epiſt. 1. &c.

XXII. Reſpon. *tertiò*. Paulum nomine Apoſtolorum etiam Summum Pontificem incluſiſſe; ſiquidem poteſtas Eccleſiaſtica pro neceſſitate illius temporis ad fidem toto orbe diſſeminandam non ſolùm data eſt Petro, ſed alijs etiam Apoſtolis; ſiquidem omnes dicere poſſunt illud Pauli 2. Cor. 11. v. 28. *Inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum*. Sed Petro data eſt, ut Ordinario Paſtori, cui ſuccederetur, uti adductis Patrum teſtimonijs fusè oſtendit Bellarm. loc. cit. Dici etiam poſſet, Apoſtolum ideo ſummi Pontificis ſpecialem mentionem non feciſſe, quod tantùm voluerit recenſere communia Chriſti dona in plures ſparſa, ut indicat pluralis numerus, *quoſdam, alios &c.* Pontifex autem eſt unicus, in quem ſenſum intelligunt allata verba D. Pauli Chryſoſt. Theophylactus & alij apud cit. Auth. Quoad S. Dionyſium. Indicavit iſte alibi ſatis Pontificatum, nempe c. 5. de diu. nominib. ubi Petrum appellat *ſupremum Decus, & antiquiſſimum Theologorum Culmen*. Accedit, quod Hierarchiam Eccleſiaſticam comparaverit Hierarchiæ Cœleſti, ubi novem Angelorum chori ita diſpoſiti ſunt, ut ſemper inferior à ſuperiore regatur, & tandem omnes à Michaele Archangelo, quem S. Scriptura *Ducem Angelorum* vocat Apoc. 12. v. 7. Sicut è contrario Lucifer eſt Supremus Dux diabolorum.

XXIII. Urgent Adverſarij illud ad Rom. 12. v. 5. *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto: Singuli autem alter alterius Membra*. Sed fruſtra; ſiquidem Apoſtolus diſertè ibi loquitur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per internum influxum donorum gratiæ, quo modo utiq; verum eſt, omnes Fideles etiam Petrum & Pontificem eſſe membra, non Caput; omnes quippe accipiunt gratiam à Chriſto tanquam à Capite, nullus autem à Petro vel Pontifice. Si autem loquatur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per externam gubernationem, tunc non ſolùm ipſe, ſed etiam Petrus eſt Caput; ille quidem primarium & propriâ virtute: iſte verò ſecundarium & virtute ab illo participatâ. Inſtant. Sic erit Eccleſia biceps. Quid hoc abſurdi aut novi, ſi unum ex duobus capitibus alteri ſit ſubordinatum? Nunquid mulier præter virum, qui juxta Apoſtolum Epheſ. 5. v. 23. *caput eſt mulieris*, habet etiam naturale Caput in ſuo corpore?

CONTROVERSIA XXIV.

AN CHRISTUS DOMINUS S. Petrum ſuo loco Pontificem ordinaverit?

NOmine Summi Pontificis intelligitur ſummus Sacerdos, qui ſupremam totius Eccleſiæ regendæ Authoritatem à DEO habet, & cui tanquam Vicario Chriſti in terris omnes Fideles in rebus Spiritualibus obedire debent: & Ipſe nulli.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Petrus Apoſtolus fuit ſummus Pontifex à Chriſto conſtitutus. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. Scriptura. Inprimis Matth. 16. v. 18. Chriſtus dicit Simoni: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ubi omnes fere Interpretes ſentiunt, Petrum fundamentum eſſe, non quidem primarium & principale; id enim eſt ſolus Chriſtus, ſed ſecundarium, & ut Vicarium ipſius Chriſti. Afferamus unum & alterum. D. Athanaſius in epiſt. ad Felicem, quam ſcripſit nomine ſuo & Synodi Alexandrinæ: *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſupra fundamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi ſunt confirmatæ*. Ubi S. Pater eleganter Petrum facit fundamentum, quo nituntur Epiſcopi, ſuper quos ut columnas totum ædificium collocatur. S. Hieronymus ait, in cit. cap. 16. Matth. *ſicut ipſe* (Chriſtus) *Lumen Apoſtolis donavit, ut lumen Mundi Matth. 5. appellarentur, cateraq; ex domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum 1. Cor. 10, Petri largitus eſt nomen, ac ſecundùm Metaphoram Petræ rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te &c.* ubi iſte etiam Pater non tam Petrum, quàm ejus Sedem vocat Petram, ſuper quam fundatur Eccleſia inſuperabilis; quia Petrus eſt Petra, non ut particularis homo, ſed ut Pontifex.

II. Dicunt Molinæus, Ameſius & alij apud Gerhard. lib. 1. P. 2. fol. 290. & alibi. 1. Nomine Petræ aliquos Patres intellexiſſe ipſam confeſſionem Petri. Sed hoc non enervat teſtimonij vim pro intento noſtro, quia ea explicatio non excludit priorem, quæ eſt litteralis; imò ab ea non eſt diverſa; quippe Fides Petri eſt utique aliquid Petri; ſuper hanc autem Fidem Petri, non ſuper aliam ædivificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam, quæ deficere non poteſt ex oraculo ejuſdem Chriſti Domini Luc. 22. vers. 32. Dicunt. 2. eoſdem Patres nomine Petræ aliquando intellexiſſe Chriſtum. Verùm hoc quoque priorem expoſitionem non evertit, ut vel inde conſtat, quod Chriſtus ibi promiſerit Petro aliquid de futuro, ſicut innuit verbum: ædificabo. At ſupra ſeipſum jam de præſenti noverat Eccleſiam fundatam. Ergo ibi aliud à Chriſto fundamentum denotabatur, nempe Primatus Petri poſt Reſurrectio-

nem

Digitized by Google

nem concedendus. Dicunt. 3. Petrum geſſiſſe figuram Eccleſiæ. At hoc itidem non arcet Primatum Petri, ſed iſtum infert; quia Chriſtus ipſi tanquam Præpoſito & Capiti locutus fuit, ut pulchrè advertit S. Auguſtinus in qq. Vet. & Novi Teſtam. quæſt. 75. ubi circa verba illa Domini: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c.* ſic ſcribit: *quid ambigitur? pro Petro rogabat; & pro Joanne, Jacobo non orabat, ut cæteros taceam? manifeſtum eſt in Petro omnes contineri, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur; ſemper enim in Præpoſito populus aut corripitur aut laudatur.*

III. Inſtant, eam promiſſionem Petro nomine omnium Apoſtolorum, ideóque omnibus, imò toti Eccleſiæ fuiſſe pari modo factam. Sed contra hoc eſt, quod revelatio illa (*caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus &c.* de qua Chriſtus v. 17.) communiter intelligatur ſoli Petro facta, atque ideo ſoli illi præ alijs data promiſſio Prælaturæ; & ſanè ſacer textus haud obſcurè id oſtendit; etenim ſoli Simoni eâ occaſione Chriſtus mutavit nomen, eum appellando Petram, quæ eſt apta ad fundamentum. Unde ſic argumentamur. Fundamentum totius Eccleſiæ eſt Summus Pontifex, quia huic ceu baſi omnes innituntur, omnéſque Fideles ab eo pendent. Atqui Petrus fuit fundamentum totius Eccleſiæ. Ergo &c. Negant Adverſarij Maj. Nam, inquiunt, licet Petræ nomen accipiatur de Petro, inde tamen non probatur; illum fuiſſe Summum Pontificem; ſiquidem omnes Apoſtoli fuerunt Petræ & Fundamenta Eccleſiæ. Epheſ. 2. v. 20. *Superædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Et Apocal. 21. v.14. *murus Civitatis habens 12. fundamenta & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum*; & tamen non omnes Apoſtoli fuerunt Summi Pontifices; alioquin Eccleſia non fuiſſet Monarchia. Ergo ex nomine Petræ ſeu fundamenti Eccleſiæ non bene probatur Petri ſummus Pontificatus. Dicimus, quando cæteri Apoſtoli in Sacra Scriptura vocantur fundamenta Eccleſiæ, intelligi ſolùm fundamenta tertiaria ſupra Petrum, & ultimatè ſupra Chriſtum exſtructa. Neque nos argumentamur ex nomine fundamenti ſimpliciter accepto, ſed ex ſpeciali modo, quo Petrus à Chriſto præ alijs Apoſtolis præſentibus fundamentum eſt appellatus, quo ſignificabatur, illum peculiari modo præ cæteris Apoſtolis fore Eccleſiæ fundamentum, ut ex ſequent. magis conſtabit. Ridiculum autem eſt, quod nominatim Molinæus hic lib. 2. fol. 271. in oppoſitum movet, inquiens, Eccleſiam Chriſti fuiſſe ante Apoſtolum Petrum. Cum tamen Chriſtus dixerit Petro, quod ſuper iſtum ædificare primùm Eccleſiam ſuam velit. Poteſtne domus prius eſſe, quàm ædificetur?

IV. Porro Joannis 21. v. 18. Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam rurſus dicit Petro: *Paſce oves meas*; quem locum omnes fere Patres ad propoſitum noſtrum explicant, ajuntque, Chriſtum Primatum Eccleſiæ antè Petro promiſſum actu contuliſſe, tertiùm repetendo adducta verba, atque hiſce totius Eccleſiæ per metaphoram ovilis ſignificatæ curam ipſi impoſuiſſe, & conſequenter generalem poteſtatem ad id munus neceſſariam illi impertiviſſe. Videantur Patres apud Valentiam in opere Controverſiſtico relati fol. 53. Ex quibus unum duntaxat adduco S. Cyprianum, qui de Unit. Eccleſ. ſub initium ſic de Chriſto ad Petrum loquente ſcribit; *Eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: paſce oves meas; ſuper illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas commendat oves ſuas; & quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat & dicat: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos; Et accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c. tamen, ut Unitatem manifeſtaret, & unam Cathedram conſtitueret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ Authoritate diſpoſuit. Hoc erant utiq; cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis* (in Apoſtolatu) *ſed exordium ab unitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & una Cathedra monſtretur &c.* Unde ſic argumentamur. Univerſalis Paſtor ovium Chriſti eſt ſummus Pontifex; huic enim tanquam Vicario Chriſti Fideles omnes in rebus ſpiritualibus obedire debent, & ipſe nulli. Sed Petrus fuit univerſalis & ſupremus Paſtor ovium Chriſti, ut patet ex cit. loc. Scripturæ, & verbis S. Cypriani; paſcere namque aliquas oves, non omnes, nihil fuiſſet ſpeciale præ cæteris Apoſtolis, quod debuiſſet ei, ut præmium ſingulare, concedi. Ergo fuit ſummus Pontifex.

V. Negant rurſus Sectarij apud Ameſium Tom. 1. fol. 153. Molinæum Lib. 2. fol. 278. & Gerhardum Lib. 1. part. 2. fol. 299. & Lib. 2. p. 1. fol. 445. hinc evinci ſupremâ & Univerſalem, hoc eſt, Pontificiam Poteſtatem. Tum quia verbum paſcendi non ſignificat poteſtatem gubernandi, ſed officium prædicandi, docendi, inſtruendi juxta illud Jeremiæ 3. v. 15. *paſcent vos Scientiâ & doctrinâ*; Et Bernhardi Lib. 4. de Conſid. cap. 3. ajentis, *evangelizare eſt paſcere.* Tum quia nomine ovium indefinitè ſumpto non omnes Fideles deſignantur; ſiquidem non omnes fideles ſunt oves Chriſti, ſed multi hædi in extremo judicio ſeparandi Matth. 25. v. 33. imò ſolos Judæos Petro commiſſos indicat D. Paulus ad Gal. 2. v. 7. Tum quia ipſi Apoſtoli non fuerunt Petro ſubjecti, utpote Paſtores, non oves curâ indigentes. Reſpon. ad 1. Verbum paſcere non ſolùm in latina lingua, ſed etiam græca & hebraica tum apud prophanos Scriptores, tum in ipſa etiam S. Scriptura ſignificare & paſcere & regere, ſpeciatim in 2. Reg. 5. v. 2. & Ezech. 34. v. 23. Ubi de Chriſto dicitur: *& ſuſcitabo ſuper eos Paſtorem unum, qui paſcat eos, & ipſe erit eis in Paſtorem.* Et Iſa. 44. v. 28. Cyro Regi dicitur: *Paſtor meus es.* Et Homerus Regem Agamemnonem ſæpe vocat Paſtorem populorum. Unde Jremias & Bernardus non expoſuerunt totam vim verbi hujus, ſed tantùm partem, ſcilicet prædicationem & inſtructionem, cui adjuncta juriſdictio gubernativa facit plenum paſtorem. Ad 2. Nomine Ovium omnes intelligendos eſſe Fideles, tum ob rationem indicatam, tum quia, licet in rigore dialectico nomen indefinitè ſine aliquo ſigno poſitum tantùm pro uno ſumatur; tamen in rebus moraliter propter circumſtantias ſæpe Univerſaliter ſumitur. v. g. ſiquis in teſtamento alterum ſcribit hæredem ſuorum bonorum, omnia bona intelliguntur; alioquin non poſſet ſciri, quæ bona illi deberentur, ita Petrus non potuiſſet ſcire, quorum ovium ſibi eſſet cura habenda, ſi tantùm aliquæ fuiſſent intellectæ; unde infertur, nomine ovium hic non ſolùm prædeſtinatos intelligendos, ſed etiam omnes omninò Fideles, quos S. Scriptura oves vocat Pſal. 23. v. 1. ajens: *iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcua tua.* Ad 3. Ipſos quoq; Apoſtolos fuiſſe Petro ſubjectos; quippe diverſo reſpectu fuerunt Paſtores ſimul & oves;

prius

Digitized by Google

prius reſpectu Fidelium ab ipſis converſorum: poſterius autem reſpectu Chriſti, cujus vices gerebat Petrus. Et licet quoad ſuam correctionem ijdem non indiguerint Petri curâ, tamen ad bonum publicum totius Eccleſiæ in concordia & charitate conſervandæ neceſſaria fuit Petri directio. D. Paulus ad Galat. non dicit, ſolos Judæos Petro commiſſos quoad gubernationem, ſed quoad prædicationem, quia Petrus potiſſimum Judæis prædicavit, ſicut Paulus Gentibus. Videatur valentia in Opere Controverſiſt. fol. 54. Ubi rectè has Calvini & Sectariorum objectiunculas vocat leviſſimas contra pondus tanti tamque illuſtris teſtimonij, quo Primatum D. Petri Catholici confirmant.

VI. Demum in Scriptura Sac. D. Petrus multis prærogativis, tanquam ſignis altioris poteſtatis, cæteris Apoſtolis præfertur. Nam *Primò* ſolius inter Apoſtolos nomen Chriſtus mutavit, atque ita quidem, ut pro Simone eum vocandum ſtatueret Cepham ſive Petrum. Joan. 1. v. 42. Cur? niſi ut officio ac muneri ſuo futuro ſtatim ab initio conveniens nomen obtineret, & ex Simone, hoc eſt, obediente & communi diſcipulo Chriſti reipsâ quandoque ſuo tempore fieret Petra Eccleſiæ, ac Caput Apoſtolorum. Sunt quidem alijs etiam Apoſtolis alia nomina indita, ſed longè aliâ ratione, nihilque de fundamento Eccleſiæ & Vicariatu in illis inſinuatum. *Secundò.* Quotieſcuuque Evangeliſtæ nomina duodecim Apoſtolorum recenſent, ſemper Petrum primo loco ponunt, cum tamen nec ætate, nec vocatione, alios anteceſſerit, ſed Andreas frater ejus ſenior & priùs vocatus fuerit. Ergo hujus antepoſitionis non poteſt alia cauſa excogitari, quàm præſtantia officij & dignitatis: Nec refert, etiam Jacobum Gal. 2. v. 9. priùs nominatum fuiſſe. Nam unica talis præpoſitio non probat primatum poteſtatis, ſed frequens & ordinaria, quam Evangeliſtæ in Petro obſervârunt. *Tertiò.* Matth. 16. v. 17. in profeſſione fidei Petrus omnes præceſſit, & ideo ſingulariter à Chriſto fuit laudatus. Pro fide etiam Petri Chriſtus ſpeciatim oravit, ut ipſemet teſtatur Luc. 22. v. 23. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Propter hanc immobilem Fidem Chriſtus ſuper Petram, hoc eſt, perſonam Petri ædificavit Eccleſiam ſuam. In quem modum intelligendi Patres, quando aſſerunt, *Eccleſiam eſſe fundatam ſuper fidem & confeſſionem Petri*; dicere volunt, propter præſtantem Fidem Petro ſingulariter à DEO conceſſam ſuper ipſius Petri perſonam & officium vicariatûs Chriſti fuiſſe Eccleſiam ædificatam. *Quartò.* Ibidem v. 19. dicit Chriſtus Petro: *Et tibi dabo claves Regni cælorum &c.* per quas claves intelligi ſummum Pontificatum cum annexis, ſumitur ex Jſajæ 22. v. 22. ubi de Sobna dicitur: *dabo clavem Domûs David ſuper humerum ejus &c.* Id eſt, ſummam poteſtatem & præpoſituram Templi, ad quem locum Chriſtus alluſit, ut proinde locus ille ſit huic parallelus non quoad rationem contractam, ſed abſtractam Principatûs Eccleſiaſtici, qui utrobique promittitur; in veteri autem Teſtamento principatus ille non continebat remiſſionem peccatorum & miniſterium verbi, quæ in Novo Teſtamento Principatui Eccleſiaſtico annexa ſunt. Atque hinc ſatisfit argumento, quod Gerhardus Lib. 2. p. 1. fol. 444. contra hanc prærogativam objicit. *Quintò* Chriſtus Matth. 17. v. 26. exigentibus tributum juſſit dare ſtaterem in ore piſcis repertum pro ſe & pro Petro, nullâ de alijs Diſcipulis factâ mentione, quaſi Petrum inter illos præcipuum, ſibique dignitate propinquiorem, & in officio Pontificiali Vicarium deſignans, quod à cæteris Apoſtolis animadverſum ſcribit S. Hieronym. in cap. 16. Matth. *quia viderunt pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, eò quod in redditione tributi Domino fuerit comparatus.* *Sextò* demum Chriſtus redivivus priùs Petro, quàm alijs Apoſtolis, ſe videndum præbuit Luc. 24. v. 34. 1. Cor. 15. v. 5. Fruſtra autem dicunt Adverſarij, Petrum propter præcedentem lapſum & abnegationem fidei eguiſſe primâ reſurgentis Chriſti apparitione; qui jam erat converſus, & ſuum lapſum amarè defleuerat. Matth. 26. v. 75.

VII. Ex his alijsque Petri prærogativis ſi non ſingulis ſeorſim, ſaltem omnibus ſimul ſumptis pro ejuſdem Pontificatu haud infirmum ducitur argumentum; quippe hinc apparet ſingularis amor Chriſti erga Petrum, cujus alia cauſa aſſignari non poteſt, quàm officij eminentia, cum nec ſenior, nec prudentior fuerit alijs Apoſtolis, ut diximus. Ait Ameſius fol. 158. Cum non definiatur, quid per Prærogativam intelligatur, nihil ex illis prolixè enarratis convinci. Inane planè & lepidum effugium; quid opus eſt definitione, ubi res omnibus è vulgo notiſſima eſt? diximus prærogativam eſſe peculiarem benevolentiam & ſingularem Amorem Chriſti erga Petrum præ alijs exaltandum. Vocet ipſe Puritanus favorem, beneficium, prælationem, per nos licet; modò illam prærogativam inde ſemper concipiamus tanquam indicem ſummæ D. Petro ſuper alios eminentiæ vel promiſſæ, vel etiam jam conceſſæ. Videatur Tannerus Tom. 3. Theol. Scholaſt. Diſp. 1. §. 4. dub. 2. fol. 218.

VIII. Probatur doctrina noſtra 2. ex Authoritate Patrum tùm Latinorum tum Græcorum, qui Petrum Caput & Principem Eccleſiæ agnoverunt, & fusè adducuntur apud Bellarminum lib. 1. de ſum. Pontif. cap. 25. Gregorium de Valentia in opere Controverſiſt. fol. 58. Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis per ſingula ſæcula ab exordio Eccleſiæ. Bernardinum Vetvveis in ſpecul. veræ Eccleſ. à fol. 203. & alios. Ex Græcis. Origenes in cap. 6. ad Rom. *Petro*, inquit, *cum ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper Petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis exigitur.* S. Gregorius Nazienzenus de moderatione in diſputando ſervanda ait: *Vides quemadmodum ex Chriſti Diſcipulis magnis utiq; omnibus & excelſis atq; electione dignis, hic Petra vocetur, atq; Eccleſia fundamenta ſua fidei tradita habeat, ac reliqui Diſcipuli poſthaberi ſe tranquillo animo ferant.* D. Chryſoſtom. Hom. 55. in Matth. *Eccleſiæ Paſtor & Caput piſcator homo ignobilis terrarum orbe reluctante Adamantis naturam firmitate ſuperat.* Ex Latinis. Tertullianus de præſcript. hæret. cap. 22. ita ſcribit: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claves regni cælorum conſecutum?* D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 14. *inter duodecim,* ait, *unus eligitur, ut conſtituto Capite ſchiſmatis tollatur occaſio.* S. Ambroſ. in cap. ult. Lucæ *Petrum vocat Vicarium amoris Chriſti erga nos, & eum dicit omnibus prælatum.* S. Auguſtinus Serm. 124. de temp. *eundem appellat Caput & Verticem Eccleſiæ.* D. Leo Papa ſerm. 3. in Anniverſario Aſſumptionis ſuæ circa illa

Digitized by Google

ſus Hircum Lipſiatenſem Tom. 7. Germ. Witenberg. fol. 147. *Pro miraculo ſummò jactat, doctrinam ſuam tùm ſubitò in omnem terram propagatam fuiſſe, tantáſque tricas, ac diſſidia commoviſſe.*

LI. Error iſte non conſonat cum reliqua Sectariorum Doctrina. Nam alibi dicunt, Deum apud ſolos Papiſtas permittere, fieri à diabolo miracula, & per horum carentiam eximunt Lutherum & Calvinum ex numero Pſeudoprophetarum, ſic diſcurrentes. Pſeudoprophetæ fecerunt miracula. Lutherus & Calvinus nulla fecerunt miracula; Ergo non fuerunt Pſeudoprophetæ. Hic ajunt, miraculis ſe abundare; quomodo hæc duo cohærent? Adhæc ſi omnia Catholicorum miracula ſunt dæmonis præſtigiæ, cur hon Deus, ut ſupra jam diximus, talia mendacia miracula, apud alias falſas Sectas fieri per diabolum permittit? nunquid opinione ipſorum Lutheranorum Doctrina Calviniſtica, Anabaptiſtica &c. æque eſt falſa, quàm Catholicorum? In diſcurſu, per quem Lutherum & Calvinum ex numero Pſeudoprophetarum eximere conantur, vel major ſumitur univerſaliter, vel partialiter. Si prius; eſt falſa: ſi poſterius, nulla eſt conſequentia, quia malus eſt Syllogiſmus.

LII. Pro refutatione ejuſdem erroris, & aſſignati miraculi à Luthero & Calvino occurrit, quod Ælianus Lib. 12. de variet. hiſtor. ſcribit de Socrate & Caſtilla impudica fæmina; cum enim iſta exprobraret illi dicendo; tu neminem ex meis amatoribus unquam poteris alienum à me reddere: at ego quoties lubet, tuos auditores à te traho ad me; Sapienter reſpondiſſe Socratem, mirum hoc non eſſe; *Tu enim ad declivem voluptatis tramitem omnes trahis, & rapis: ego ad arduum virtutis callem cogo & impello.* An non ſimile quid liceat nobis dicere de doctrina Sectariorum, & Eccleſiæ Catholicæ; quod iſta ad ſumma virtutum impellat; illi ad ima vitiorum ruere permittant. Reſpond. igitur, nullum prorſus eſſe miraculum, multos Papiſtas in partes Lutheri aut Calvini fuiſſe tractos. Nam Eccleſiæ Catholicæ dogmata nonnihil aſpera, & inimica ſunt carni: At verò dogmata Lutheri & Calvini blandiſſima fuerunt theoremata; quid enim hominibus, qui tunc temporis admodũ vitioſi, & carni dediti erant; quid, inquã, potuit ſuavius, gratius, & optabilius propinari, quàm doctrina & perſuaſio, nõ eſſe jejunandũ; non eſſe faciendam apud Sacerdotem peccatorum omnium exhomologeſin, non eſſe bonis operibus inſudandum; non eſſe ſervandam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam voto promiſſam, non eſſe prohibendum matrimonium Sacerdotibus; non ſeverum tribunal, non purgatorium, non infernum eſſe timendum, ſed ſolam fidem in Chriſtum ſufficere, & hanc ampliſſimas aperire cœli portas &c, Ergo mirum non fuerit, ſi tam amæna & carni faventia dogmata obvijs ulnis plurimi hominum ſceleratorum amplecterentur, & pleno ore exoſcularentur.

LIII. Ad rem etiam propoſitam facit, quod idem Socrates cuidam vehementer admiranti, calceum ſuum noctu à muribus fuiſſe arroſum, pulchrè in hunc modum reſpondit: *Species quidem aliqua eſſet prodigij, ſi ex adverſo calceus mures arroſiſſet; verùm cum hi ſoli damnum attulerint, nullus juſtæ admirationis eſt locus.* Ita prorſus de hoc miraculo Lutheri & Calvini fas eſt nobis ratiocinari; tum ingens prodigium futurum fuiſſet, ſi Lutherus & Calvinus obſtructas hominum aures & occluſas inveniſſet, nec tam avidè à multis aliàs voluptatibus inhiantibus dulcis & mellita illorum doctrina admiſſa fuiſſet. At nunc quando doctrina hæc fucata genas, & amicta doloſis illecebris in plurium animos ſe ſe protinus inſinuavit, quid hic per Deum immortalem poteſt eſſe miraculi? Nam, ut ait rectè poëta: *Prona venit cupidis in ſua vota fides*, hoc eſt, quod quiſque cupit, & verum eſſe deſiderat, ei non magno labore, ut id verum eſſe credat, perſuaderi poteſt.

LIV. Ex his clariſſimè apparet. 1. Ridiculum eſſe miraculum, quod Lutherus & Calvinus multos Catholicos illecebroſis & mendacibus ſuis doctrinis ſeduxerint. 2. Falſum eſſe, eorundem doctrinam in omnem terrarum partem fuiſſe propagatam, cùm paucæ provinciæ ſolius ferè Germaniæ ab ea fuerint inquinatæ: 3. Impium & blaſphemum eſſe, quod ijdem hæreſiarchæ diabolicã ſuam animarum ſeductionem cum vi & potentia Chriſti in animos hominum comparent, & adductis Patrum ſententijs illam confirment. Lutherum cum diabolo de fidei dogmate diſputaſſe, atq; argumentorum vi ſuperatum Eccleſiam Romano-Catholicam oppugnaſſe: eundem etiam Auguſtæ à Maximiliano Imperatore viſum fuiſſe in humeris cacodæmonem portare, paſſim ex libris conſtat. Quid huic ſceleri; diſcipulo & familiari ſocio diaboli ſimile cum Chriſto & Sanctis Patribus? Quàm remotæ igitur ſunt infernales diaboli machinationes à cœleſtibus Dei operibus, ita aliena eſt à miraculoſa hominum converſione ſceleſtiſſima eorundem hominum deceptio, & ab Eccleſia Catholica fraudulenta averſio per Lutherum, & Calvinum hæreſiarchas facta. Videatur libellus P. Foreri, cujus titulus: Lutherus Thaumaturgus.

CONTROVERSIA XXIII.

DE MARTYRUM CONſtantia.

Nihil homo pretioſius habet, quàm vitam ſuam; *pellem pro pelle & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua*, Job. 2. v. 4. Quare digniſſimum creditu eſt, Religionem illam eſſe veram, pro quã innumeri homines ſummã fortitudine & conſtantiã vitam ſuam inter crudeliſſima tormenta profundunt; quippe nec fieri, nec permitti à Deo poteſt, ut tantos ſuſtinerent cruciatus pro falsã religione illi, qui Dei timore ducti vitam perdere, quàm Deum offendere maluerunt; ut proinde allatis veræ Eccleſiæ Notis, jure merito invictam SS. Martyrum conſtantiam adjungamus.

:o: IHS. :o:

PARS

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. NOmen Martyris laxiùs uſurpatū omnibus illis tribuitur, qui pro Deo aliquid aſperius tolerârunt, ut carceres & exilium citra mortis periculum; propriè tamen ex uſu Eccleſiæ Martyr Græcè, latinè Teſtis appellatur, qui veritatem Fidei non tantùm verbo, ſed etiam ipſius vitæ contemptu proteſtatur. Unde Martyrium deſcribitur apud Dicaſtillo Trac.2. de Bapt.Diſp.3. Num. 3: *Cruciatus lethalis ſuſceptus pro Chriſti Fide aut verâ Virtute.* Iuxta quam definitionem ad rationem Martyrij tria requiruntur. 1. Mors violenta. 2. Mortis cauſa honeſta. 3. voluntaria perpeſſio, quæ ſingula paulò pluribus explicanda.

II. Obſervandum circa 1. ad Martyrium non requiri mortem directâ intentione illatam; dummodo perſecutor velit malum inferre, unde mors, quantumvis præter ejus intentionem, ſequatur: item opus non eſſe, ut mors reipsâ ſequatur, modò tantùm nocumenti inferatur, ut omnibus circumſtantijs penſitatis vitam elideret, niſi divino miraculo impediretur. Ratione prioris Sylverius, Marcellus, alijq; in exilium miſi: Ratione poſterioris B. Virgo Maria annumerari Martyribus debent. Circa 2. ad martyrium etiam ſufficere, ſi quis propter quodcunque virtutis opus ad Deum aliquo modo relatum mortem patiatur. Hinc S. Colmannus, S. Sigiſmundus, & S. Emeranus in Martyrologio Romano pro Martyribus referuntur; eorum quippe interfectores à diabolo fuerunt inſtigati ex odio fidei & Chriſtianæ virtutis, quæ mirè in eis eluxerunt. Circa 3. in parvulis non requiri conſenſum in mortem, ac proinde abſque hoc conſenſu Martyrium vim habet ex opere operato juſtificandi parvulos à peccato originali, eorumque animas ſalvandi, ut communiter docent Catholici DD. cum S. Thoma 2.2.q.124. art.1.

III. De Adultis gravis eſt Quæſtio, utrum ſcil. Martyrium ſeu mors pro Chriſto, quamvis non tolerata ex affectu charitatis erga Deum, aut cū contritione perfecta, ſed cum attritione ſola, juſtificare illos ex opere operato poſſit? Sententia comunior & verior eſt affirmativa. Nam ſi dilectio Dei ſuper omnia aut contritio perfecta eſſent neceſſariæ, nunquam Martyrium conferre poſſet gratiam primam juſtificationis; quia hæc jam haberetur per ipſam diſpoſitionem. Atqui hoc penitus enervat promiſſiones illas Chriſt (Matth. 10. v.22. & Lucæ 12. v.8. *omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Marc.8. v.38. *qui perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.*) omniquè planè efficaciâ reddit prorſus vacuas, ut pluribus & bene oſtendit Eſparza q.41. de Sac. in com. art.5. Ergo &c. Hæc gratia martyrij confertur in tempore certo ac determinato, quod immediatè ſequitur illud inſtans, in quo verum eſt dicere: nunc cauſa mortis moraliter inevitabilis nondum perfecta eſt, immediatè autem poſt perficietur; Et licet Phyſicè fieri poſſit, ut aliquis gratiam illam martyrij poſtea iterum amittat, practicè tamen ex Dei Bonitate & providentia nunquam id continget. His obiter præmiſſis.

IV. *Doctrina prima.* Martyrum conſtantia eſt certum argumentum veræ Eccleſiæ Chriſti. Ita communiter Catholici DD. Nam licet teſtimonium fidei ab homine datum per ſe non ſufficiat ad iſtum effectum, ſiquidem & fallere & falli poteſt, ſi tamen illud à Deo ratum habeatur, & quaſi ſubſcribatur, maximum pondus habet, cum Deus eſſentialiter verus ſit, & nec decipere nec decipi poſſit. Atqui Deum teſtimonium hominum habere ratum, & quaſi ſubſcribere ex eo nobis ſatis manifeſtatur, quod ſingulari ac ſupernaturali auxilio ad teſtimonium hominum, actum ſcilicet martyrii concurrat, ſiquidem iſte ſuperat vires naturæ; etenim licet univerſim loquendo mortis tolerantia vires humanas non excedat, cum multi in bello heroicè moriantur, attamen tali modo ſive cum talibus circumſtantijs, quibus Martyres paſſi fuerunt, nullus militum mortem ſubijt. Sunt autem tres circumſtantiæ in Martyribus obſervatu dignæ. 1. Fragilitas perſonarum patientium v.g. ſenum, mulierum, puerorum &c. 2. Acerbitas tormentorum, quæ fuerunt diuturna, multiplicia, & exquiſitiſſima. 3. Generoſitas animorum martyrium liberrimè acceptantium, in cruciatibus præ gaudio exultantium, & pro tortoribus Deum orantium, ut illis ignoſceret, quæ planè omnia non ſunt naturalia, nec in militibus aut latronibus unquam obſervata; unde multi ſpectatores converſi ſunt, ut Patres pro axiomate haberent: *Sanguis Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum.*

V. Quòd autem Martyrium ſit teſtimonium à Deo confirmatum & quaſi ſubſcriptum à ſimili ſic ſuadetur. 4. Reg. cap. 5. Naamon Syrus iter inſtituit in terram Jſraël ad Eliſæum Prophetam, cui Rex & facultatem conceſſit eundi, & litteras dedit ad Regem Jſraël quibus Naamum ſuum commendavit, & iter ejuſdem adjuvans proſperavit. Quis jam dubitet prædictum iter, licet à Naaman ſuſceptum fuerit, à Rege tamen pleniſſimè confirmatum & quaſi ſubſcriptum fuiſſe? Cum igitur Deus curſum Martyrum ſingulari providentiâ dirigat, & potenti auxilio adjuvet & promoveat, nulli dubium eſſe debet, quin teſtimonium Martyrum ab ipſo etiam ſit confirmatum & quaſi ſubſcriptum; ſiquidem talis Dei operatio eſt ſignum complacentiæ, ſicuti fuit in Rege Syriæ litteris ac mandato ad Regem Jſraël iter Naamon famuli ſui proſequente.

VI. *Doctrina Secunda.* Sola Eccleſia Romano-Catholica tales Martyres eóſque innumeros habet. Prima Pars doctrinæ, quod Eccleſia Romano-Catholica innumeros Martyres habeat, conſtat ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ex qua refert Granadus 2. 2. de Fide, fol. 36. ſingulis diebus anni in Martyrologio aſſignari poſſe triginta millia Martyrum. Card. de Lugo Tom. de fide fol. 186. ſcribit, numerum Martyrum collectim excurrere ad undecim Milliones, inter quos plurimi fuerunt Romanæ Eccleſiæ Papæ, Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici, ac Religioſi. In ſola Civitate Magrana cum Aretha urbi Præfecto ac nonaginta quinq; annorum Sene in mortem ac Martyrium lætabundi ruerunt 390. concives ac ſocij. Sacerdotes ac Miniſtri omnes uno igne cremati inter preces ac laudes Deo pulcherrimè Sacrificârunt. Puella duodecim annorum in faciem Dunaani ſputo pugnavit, eademque cum Sorore ferro jugulum tenue dare non abhorruit. Utriuſque ſanguinem

mater

Digitized by Google

mater ore libavit, & mox ſuum miſcuit. Et Octæus quinquennis puerulus cum pro matre ſupplicaſſet, nihilque impetraſſet, ſuam etiam mortem oravit, & lacrymis peroravit, ac blanditijs ſævientem Tyrannum morſu provocavit, nihilominus ſervandus cuſtodiam feſellit, & ad matris ſinum per ignes ad Cœlum evolavit. Ecce in una Hiſtoria perſonarum patientium fragilitatem, tormentorum acerbitatem, animorum perferentium generoſitatem, quæ omnia unâ die ſpectanda dedit Chriſtiana virtus, & Romano-Catholica Fides

VII. Nec verò in primitiva tantùm Eccleſia, tam inſignes Martyres ſeu Teſtes habuit Chriſtus, habet etiam nunc in Japonia, &, ut vocant, Novo Orbe primis illis Martyribus nihilo inferiores. Ibi namque cum Anno 1613. gravis in Chriſtianos exarſiſſet Regis ac Principum perſecutio, Chriſtiani permulti etiam è prima nobilitate bonis omnibus exuti, in exilium pulſi ſunt; quam multam non tantùm libenter pro Chriſto pertulerunt, ſed etiam nomina ſua Gubernatori detulerunt Chriſtianos ſe profeſſi, & intera ſodalitatem Martyrum inſtituerunt, cujus prima regula erat: *Si pro fide Chriſti bona adimantur, hoc ſpolium forti & libenti animo tolerato.* Secunda: *pari conſtantiâ & animo exilium & mortem pro Chriſtianiſmo excipito*; id quod re ipsâ plurimi præſtiterunt. Arimæ Regulus cædi Chriſtianorum tribunal erexerat, diem dixerat, mox ad viginti Chriſtianorum millia ultrò ſe ibi ſtiterunt, ut ſe Chriſtianos profiterentur & Martyria tum ſpectarent, tum obirent. Territus Tyrannus ceſſit, & paucorum nece furorem ſatiavit. Ex illis octo vivos cremari juſſit, inter quos erant Pater & Mater cum Filio & Filia; hæc Magdalena nomine 20. annorum Virgo exultans in medijs flammis carbones ardentes capiti impoſuit (quod apud Japonas magnæ reverentiæ eſt ſignum) ut ſe prunis iſtis quaſi purpureis roſis, aut candentibus carbunculis coronaret: Frater ejus Jacobus duodennis ſolutis igne vinculis prunas calcando, feſtinus ad Matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque Sanctiſſima Nomina JESU & Mariæ contentiori voce inclamans beatæ Matris gaudia cumulans ad ejus latus extinctus corruit. Ita Nicolaus Trigautius in Triumphis Japonenſibus Lib. 2. cap. 25. Videatur hiſtoria Martyrum qui in Japonia pro Romano-Catholica Religione horrendas & intolerabiles pœnas ſuſtinuerunt, vel occiſi ſunt, ſcripta per Reinerum Gisberti, & relata apud DD. à Walenburch Tomo 2. prope finem fol. 299. Pulcherrimè in rem præſentem S. Hieron. ad Hedibiam q. 12. *Triumphus*, inquit, *Dei eſt paſſio Martyrum, & pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tantâ perſeverantiâ ſtare martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei diſſeminatur in Gentes, & ſubit tacita cogitatio, quod niſi verum eſſet Evangelium, nunquam ſanguine defenderetur. Neque enim delicata & divitijs ſtudens ac ſecura confeſſio eſt, ſed in carceribus, in perſecutionibus, in fame, in nuditate, & ſiti. Hic Triumphus eſt DEI Apoſtolorúmque victoria.* Sic ille.

VIII. Secundæ Partis ratio eſt, ſolàm ſcilicet Eccleſiam Romano-Catholicam habere tales Martyres. Quia hæreticus homo v. g. Lutheranus aut Calviniſta non eſt Martyr, etiamſi propter myſterium S. S. Trinitatis à Turca vel Gentili interficiatur; quippe non moritur pro Fide, ſed pro ſua imprudenti opinione; ſiquidem hæreticus nullum amplius articulum fide honeſtâ, nec dum divinâ credit, cum nullo prudenti motivo credibilitatis ducatur, ut turpis illius inconſtantia prodit; ſine fide autem honeſta & divina neminem poſſe Deo placere, conſta t ex Script ad Hebr. 11. v. 6.

IX. Quapropter quantumvis Donatiſtæ ſummâ ambitione mortem oppetiverint, & ubi defuit occiſor, ſibimet quandoq; necem intulerint. Similiter in Concilio Conſtantienſi Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis ob pertinaciam hæreſeos flammis exuſti, quantumvis in medio incendio cantaſſe ferantur laudes & hymnos, nihilô propterea meliores fuerunt, aut martyres evaſerunt, *quia*, ut ait de hæreticis S. Cyprianus in Lib. de unit. Eccl. *ardeant liceat flammis, & ignibus traditi vel objecti beſtijs animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſa virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus.* Rationem reddit S. Auguſtinus Lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, dum ait: *Nam multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes multa talia patiuntur, ſed ideo excludentur ab illa mercede, quia non dictum eſt tantùm: beati qui perſecutionem patiuntur, ſed additum eſt, propter juſtitiam. Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, quia juſtus ex fide vivit.* Idem Epiſt. 204. Donatum hæreticum ſic alloquitur: *foris ab Eccleſia conſtitutus & ſeparatus à compage & vinculo charitatis æterno ſupplicio punieris, etiamſi pro Chriſti nomine vivus incendereris.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

X. Error *Primus* eſt. Martyrium non eſſe certum veræ Fidei ac Eccleſiæ argumentum; ſiquidem etiam Gentiles, Judæi ac hæretici prò falſa ſua fide moriuntur. Manichæi à Juſtiniano Imperatore convocati, ut vel errorem ſuum retractarent, vel flammis exurerentur, omnes combuſti ſunt, nullô converſo, ut refert Baronius Anno 685. & ex eo Spondanus. Similiter, ut recèns diximus, Donatiſtæ non ſolùm oblatum martyrium acceptàrunt, ſed etiam ultrò quæſierunt; imò nonnulli ſibi ipſis violentas manus intulerunt, ſperantes fore, ut à ſuis colantur, ut martyres, ſicut ex Baron. ſcribit Spondanus Anno 414. num. 3. & alibi. Idem traditur de Albigenſibus alijsq; hæreticis.

XI. Contra hunc errorem ſtat D. Iuſtinus Martyr, qui Apol. 1. ad Senat. Rom. teſtatur, ſe maximè fuiſſe motum ad fidem & Eccleſiam Catholicam à Conſtantia Martyrum. Eodem argumento utitur etiam Lactantius Lib. 5. divinarum Inſtitutionum cap. 13. & 14. & alij antiqui Scriptores paſſim, idque meritò. Quia nullò modo vero ſimile eſt, eam fidem ac Eccleſiam eſſe falſam, quàm innumerabiles omnis ordinis, ſexûs, & ætatis homines pietate in Deum, vitéq; ſanctimoniâ conſpicui ſic amplexi fuerunt, ut illi Fidei res omnes, vitamq; ſuam inter acerbiſſimos cruciatus poſtponere non dubitaverint. Talis autem eſt Fides & Eccleſia Catholica. Ergo nullo modo veroſimile eſt, eam eſſe falſam.

XII. Major claret ex eô, quod Deus pro Bonitate ſuâ inquirentes ſe non deſerat juxta illud

Ierem.

Digitized by Google

Ierem. 29. v. 13. *quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis.* Et Amos 5. v. 5. *quæretis me, & invenietis.* Atqui innumerabiles iſti Martyres per mortem & acerbiſſima tormenta Deum quæſierunt, veram ejuſdem Fidem & Eccleſiam teſtando. Ergo invenerunt. Minor verò, quod SS. Martyres fidem & Eccleſiam Romanam ſanguine amplexi, & pro ea mortui fuerint, inde conſtat, quod ipſimet Sectarij fateantur, celeberrimos & primarios Martyres cum doctrina modernæ Romanæ ac Catholicæ Eccleſiæ conſenſiſſe, & à pura & Apoſtolicâ (ita nova & falſa ſua dogmata vocitant) deſciviſſe. Sic ſcribunt Centuriatores Magdenburgici in præfatione Centuriæ ſecundæ ad ducem Saxoniæ: *deploratione dignum eſt, quod tam citò magnæ obſcurationes magnorum articulorum fidei ſenſim inciderint, ſummi enim Eccleſiæ Doctores* (nempe Ignatius Martyr, Polycarpus, Irenæus, Iuſtinus &c.) *ſuas quaſdam opiniones habuerunt, quibus ſequentibus temporibus Eccleſia quaſſata & turbata eſt. Nam doctrina de libero arbitrio, ſtatim hoc ſæculo cepit vitiari, nimiumq́; viribus humanis tributum fuit &c. Operibus juſtificatorum plus quàm debebant, adſcripſerunt, quod forte,* inquiunt, *ex errore & neceſſitate bonorum operum ad ſalutem promanavit. Martyria Sanctorum ſentire ceperunt eſſe peccatorum expiationes &c.* Similia plura ex iiſdem affert Valentia. Tom. 3. fol. 70.

XIII. Reſpon. ad argumenta Adverſariorum. Negando, veteres hæreticos fuiſſe martyres, veramq; habuiſſe conſtantiam ſupernaturalem; ſiquidem ex ipſis circumſtantijs apparuit potius pertinacia naturalis, vel diabolica. Nam inprimis non fuerunt homines delicati & imbecilles, ſed duri, craſſi, & feroces: item non pietate, eruditione, morumquè probitate conſpicui, ſed impietate, inſcitiâ, & vitæ improbitate notati, in quem modum huic objectioni occurrit D. Chryſo. Hom. 4. in 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 7. Deinde tormenta non fuerunt tam atrocia; ſed unicum ictum gladij ſuſtinuerunt, nominatim Albigenſes: nec tot divitias & honores aliaquè mundi retinacula habuerunt, aut ſperare potuerunt, ſi vitam producerent. Demum modus patiendi non æquavit noſtros Martyres; etenim valde impatientes, querulos, & maledicos ſe exhibuerunt, ut tradit Cyprian. Lib. contra Demetrianum inter alia dicens: *putatis nos adverſa vobiſcum æqualiter perpeti, cum eadem adverſa videatis à nobis & vobis non æqualiter ſuſtineri? apud vos impatientia clamoſa & querula eſt: apud Nos fortis, & religioſa patientia.* Donatiſtæ crudeliter ſæviebant in Catholicos, ut ſi quem ex iſtis deprehendiſſent, mox calce & aceto exocularent, ut refertur in cit. locis.

XIV. Si aliquando inter noſtros & infideles Martyres quoad externam ſpeciem nihil diſcriminis apparuit, tunc Deus internam diverſitatem animorum per miracula oſtendit v. g. Pionius Smirnenſis Eccleſiæ Presbyter Catholicus & Metrodorus hæreticus ſimul per crucem & ignem mortem ſuſtinuerunt, non apparente externo diſcrimine patientiæ: at verò poſt mortem corpus Pionij ab igne prorſus illæſum apparuit, non capillo quidem combuſto: Metrodori verò corpus in cineres eſt redactum, ut refert Baronius Anno Chriſti 254. Taceo hæreticos pſeudomartyres multitudini noſtrorum Martyrum neutiquam reſpondere. De ſola perſecutione ſub Diocleciano & maximiniano ſcribit Severus Lib. 2. hâc tempeſtate omnis fere Sacro Martyrum cruore orbis infectus eſt; quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoquè avidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus ambitionibus appetuntur. Sic ille.

XV. *Error Secundus eſt.* Ipſis etiam Adverſarijs non deeſſe martyres, & quidem recentes. Nam, inquiunt, in Belgio multi Lutherani & Calviniſtæ propter ſuam fidem ab Hiſpanis interfecti ſunt, quorum nomina in ordinem redacta, & ſecundum diverſas tribus opificum diſtributa non ita pridem Joannes Oexius Baſileæ, typis vulgavit. Paucis etiam antè annis Holandi Martyrium aliquorum ſuorum prædicantium à gentilibus interfectorum cupro inciderunt, & in publicum ſparſerunt. Sic quoquè paſſim à Sectarijs Joannes Hus proclamatur martyr, diciturquè contra promiſſum ſalvum conductum exuſtus Conſtantiæ.

XVI. Ad hunc errorem confutandum, lubet adducere certamen Sacrificiorum inter Eliam Dei Prophetam, & Prophetas Baal, de quô 3. Reg. cap. 18. Ut oſtenderent, utra pars verum colerent Deum. Sumpſerunt itaque Pſeudoprophetæ bovem unum, & in fruſta conciſum rogo impoſuerunt, clamando ad Deum ſuum; quin & lanceis ſe vulnerando direquè cruentando, ut eorum ſacrificium acceptare, & audire eos vellet; ſed nulla Dei reſponſio, nullum acceptabilis ſacrificij indicium apparuit. Concidit igitur Elias quoque bovem ſuum & rogo ſuo impoſuit, ad cujus orationem mox ignis de Cœlo deſcendens devoravit victimam cum rogo univerſo. Quid hoc ad propoſitum noſtrum? Videmus inde Deum habere victimam ſuam: Mactârunt Baalitæ bovem ſuum: mactavit & Elias ſuum; illum reſpuit Deus: iſtum acceptavit; ille bos Baalitarum martyres diaboli ſignificavit: iſte Eliæ Martyres Dei. Martyres diaboli dici poſſunt hæretici, qui cruciant quidem, affligunt, mactant bovem ſuum, id eſt, carnem ſuam; ſed in caſſum; quippe ex communi SS. Patrum ſententia, martyres non ſunt, qui ab Eccleſiâ Chriſti ſe ſeparârunt, & alteri Sectæ aſſociârunt. S. Cyprianus, Lib. de Unitate Eccleſiæ pag. 157. *quiſquis* ait; *ab Eccleſia ſegregatus adulteræ adjungitur, à promiſſis Chriſti ſeparatur: nec perveniet ad præmia; qui relinquit Eccleſiam Chriſti, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* Et Auguſt. Lib. de Unit. Eccl. cap. 1. ait: *Eccleſia Chriſti corpus eſt, ſicut Apoſtolus dicit, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia; unde utiq; manifeſtum eſt, eum, qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe.* Ibidem cap. 11. *ad ipſum* ait, *ſalutem & vitam æternam non perveniet, niſi qui habet Caput Chriſtum; habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* Similia habet tum ipſe alibi, tum alii PP. relati apud Bernardinum Vetvveis in ſpeculo veræ Eccleſiæ, fol. 51. ex quibus ſic concludimus. Quicunquè non habet Deum Patrem, Caput Chriſtum, & non eſt in membris Chriſti, non eſt numerandus inter veros Martyres, & eos qui ſalutem conſequuntur. Hæreticus, etiamſi omnia tormenta ſuſtineat, & vitam profundat, non habet Deum Patrem, & Caput Chriſtum, nec in membis hujus eſt. Ergo non eſt numerandus inter veros Chriſti Martyres, & eos qui ſalutem conſequuntur.

XVII. Hæretici in Belgio non fuerunt necati propter Fidem, ſed propter crimen læſæ Majeſtatis, & rebellionis contra Regem Hiſpaniarum, ut

Digitized by Google

habetur ex Actis publicis illarum Provinciarum, ideo Martyrologium illud Baſileenſe eſt merum Mendacilogium. Videri poteſt Becanus in Manuali fol.714. Joannes Hus fuit venenatus & pertinax hæreticus; inter alios ejus errores Conſtantiæ proſcriptos, hi recenſetur: Hoſtia conſecrata eſt merè materialis panis: Chriſti verò Corpus non eſt in Euchariſtia concipiendum, niſi figurativâ locutione. Confeſſio ad aurem nihil eſt, quàm hominum inventum. Papa Romanus eſt verus Antichriſtus. Neque Rex, neque Princeps ullus, neque Epiſcopus, neq; Magiſtratus, neq; Sacerdos eſt, niſi nomine tenus, dum eſt in mortali peccato. Impium inventum & Evangelio contradicens eſt Communio in Solo Pane, excluſo Calice. Eccleſia non conſtat, niſi ex ſolis prædeſtinatis &c. Quare meritò eſt à Concilio Conſtantienſi damnatus, ſalvo conductu non obſtante; Nam is legitimè damnari poteſt, non obſtante ſalvo conductu, qui legitimè convictus de hæreſi, hanc abjurare non vult; quia ſalvus conductus, qui jure communi datur, non impedit juſtitiam, & juris executionem. Atqui Huſſius fuit legitimè convictus de hæreſi, hanc abjurare non voluit. Ergo potuit legitimè damnari, non obſtante ſalvo conductu.

XVIII. Cæterùm probare hæretici non poſſunt, quod Catholici in Concilio Conſtantienſi ſalvum conductum Huſſio datum violaverint. Nam Patres Huſſio ſalvum conductum dediſſe, non legimus: Sigiſmundus autem Imperator dedit quidem ſalvum conductum; at iſtum non violavit. Tum quia dedit in forma juris communis, id eſt, ſalvâ executione Juſtitiæ. Tum quia Huſſius poſt datum ſalvum conductum fugam arripuit, quæ ipſi ſub pœnæ capitis ab Imperatore prohibita erat. Tum quia ipſamet ſynodus Conſtantienſis Seſſ.19. optimè demonſtrat, à ſæculari ipsâque Imperatoria poteſtate per ſalvum conductum alicui datum Eccleſiaſticæ Facultati (quippe omnino diſtinctæ atque ſuperiori Juriſdictioni) nullum præjudicium generari poſſe, quominus de perſonarum erroribus inquirere & contra pertinaces ad punitionem procedere poſſit. Quare Joannes Hus non eſt combuſtus contra fidem datam. Nam ſalvus conductus ſolùm ab imperatore conceſſus fuit abſq; jurium detrimento, & eâ Lege, ne ſub pœnâ vitæ aufugeret, contra quam legem, cum ipſe fugam capeſſiverit, ſimul conceſſum ſalvum conductum & vitam perdidit. Videri poteſt Becanus in manuali Lib.5. cap.15. Hactenus de novem, quas ab initio propoſuimus, Eccleſiæ Dotibus ac Notis.

XIX. Reſtat quæſtiò. An omnes recenſitæ & explicatæ Notæ Eccleſiæ paris ſint conditionis? & an eodem modo ex omnibus argumentari poſſimus? Reſpond. Negativè. Nam aliquæ ex illis ſunt propriæ: aliæ communes. Illæ priores nulli niſi veræ Eccleſiæ conveniunt, ex quibus affirmativè licet argumentari: hæc Eccleſia habet hanc Notam. Ergo eſt vera Eccleſia. Hujuſmodi ſunt Miraculorum ſplendor, Martyrium, Sanctitas, &c. quæ abſque fide verâ conſiſtere non poſſunt. Itaque nullum eſt dubium, illam eſſe veram Eccleſiam, in qua vera Miracula, veri Martyres, homines verè Sancti reperiuntur. Poſteriores Notæ ſive communes conveniunt quidem veræ Eccleſiæ, ſed non ſoli; quia etiam falſis Eccleſijs convenire poſſunt, ut viſibilitas, Antiquitas, Unitas, &c. ex quibus tantùm negativè licet argumentari: Eccleſia non eſt Viſibilis, non eſt Una, non eſt Antiqua. Ergo non eſt vera Eccleſia. Hic tamen tres limitationes obſervandæ.

XX. *Prima.* Niſi ſumantur conjunctim cum omnibus Notis etiam proprijs; ſic enim concludere affirmativè poſſum: hæc Eccleſia habet antiquitatem cum ſanctitate, viſibilitate, &c. Ergo eſt vera Eccleſia. *Secunda.* Niſi aliæ accedant circumſtantiæ v.g. ſi nulla Eccleſia talem notam habeat, alioquin communem, niſi unica, tunc affirmativè concluditur, illam eſſe veram Eccleſiam; ſicuti ſi nullum animal in mundo extaret, præter hominem, rectè concluderem, illum eſſe hominem, qui eſt animal. *Tertia.* Ex peculiari modo, quo talis Nota communis Eccleſiæ convenit, & alijs convenire non poteſt, etiam affirmativè ſequitur, illam eſſe veram Eccleſiam. Quia per talem modum Notæ aliàs communes fiunt propriæ; v.g. Antiquitas & Perpetuitas non humanis viribus conſervatæ, ſed ſupernaturali Dei auxilio roboratæ ſunt firmiſſima argumenta veræ Eccleſiæ; quippe Romana Eccleſia omni humano auxilio deſtituta, imò totius mundi ac Principum Regúmque armis infeſtata fuit, & tamen in ſua fide perſtitit, Deo protegente; quod eſt bonum argumentum veræ Fidei: Nam falſæ fidei ſtabiliendæ utique ſupernaturalibus auxilijs Deus non aſſiſtit: E contra, quid quid Ethnici vel Hæretici effecerunt, id militum & armorum potentiâ perpetrârunt, ut patebit legenti Hiſtorias Turcarum, Arianorum, &c. Noſtri hæretici tam Lutherani quàm Calviniſtæ nunc & ab initio armis extorſerunt licentiam Fidei ſuæ retinendæ ac conſervandæ, etiam Barbaris in auxilium evocatis, quæ ſtabilitas nihil divinum ſapit, ſed potius diabolicum juxta Poëtam: *Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.* Audiamus de hoc parùm ipſum Lutherum. Is art. 34. publicè vulgavit, *præliari adverſus Turcas, eſſe repugnare Deo viſitanti peccata noſtra per illos.* Poſtquam autem Leo Papa X in Bulla ſua hunc art. damnavit, Lutherus pro ejuſdem defenſione Anno 1528. ſic ſcribit: *fateor adhuc liberè, prædictum Articulum à Leone Papâ damnatum eſſe meum, & à me poſitum. Et debet articulus meus à Leone Papa damnatus, & incondemnatus manere*; modum, quô id fieri poſſit, indicans: *Turca*, inquit, *manutenere illum debet, & cum manu & facto tueri*; *& ſi nolumus ex S. Script. diſcere, Turca evaginato acinace docere debet.* Tom.2. W. G. fol.536. & 338. Hactenus de Eccleſia in communi, quam ad initium Controverſiarum de Eccleſia diximus diſtingui in Militantem, Purgantem, & Triumphantem, de quo triplici membro deinceps ordine agendum, & quidem in primis de Summo Pontifice, tanquam de ſupremo Eccleſiæ Capite.

:o: IHS. :o:

SUM-

Digitized by Google

SUMMUS PONTIFEX.

QUemadmodum Romanæ Eccleſiæ Pontifex ſummum in terris veluti Chriſti Vicarius obtinet dignitatis locum, poteſtateq; pollet ſupremâ, ita maximi momenti Controverſiæ circa eundem moventur, quas Card. Bellarminus tanti facit, ut in præfatione ad libros de ſummo Pontifice dicere non dubitet, in ejs de ſumma rei Chriſtianæ agi. Diſceptatio autem omnis inter Catholicos & Hæreticos fere eſt de Pontificatu S. Petri, de hujus Succeſſoribus, de Authoritate & poteſtate Papæ, de Antichriſto, quem hæretici dicere audent eſſe Romanum Pontificem. Singula horum ſequentibus controverſiis expendemus & decidemus.

CONTROVERSIA XXIV.

QUALE REGNUM CHRIſtus in Eccleſia ſua inſtituerit.

I. **C**Ertum eſt apud omnes, in Eccleſia eſſe Regimen aliquod, & quidem Eccleſiaſticum, Spirituale, & diſtinctum à Politico, ut patet ex illo Pauli Actor. 20. v. 25: *Attendite vobis & univerſo gregi, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Dubium autem, quale illud ſit; In Philoſophia Morali modus gubernandi triplex aſſignatur; Nimirum *Monarchicus*, cum unus Dynaſta ſupremus omnibus præeſt, ut Imperatores, Reges &c: *Ariſtocraticus*, cum aliquot Optimates delecti pari jure ſubditos gubernant, ut modò fit in Holandia: *Dimocraticus*, cum totus Populus communi jure ac ſuffragijs Rempublicam moderantur, ut apparet in aliquibus Partibus Helvetiæ. Ex his tribus modis ſimplicis gubernationis inter ſe permiſtis quatuor alij mixti Regiminis prodeunt; videlicet Una temperata ex omnibus tribus: Altera ex Monarchia & Ariſtocratia: Tertia ex Monarchia & Dimocratia: Poſtrema ex Ariſtocratiâ & Dimocratia.

II, Ex his optimum genus Regiminis eſſe Monarchiam, docent cum S. Thom. 1. part. q. 103. art. 3. & alibi communiter alij Theologi. Suadent 1. Authoritate, ita enim ſenſerunt tum antiqui Sapientes Plato, Ariſtoteles, Herodotus, Philo, Demoſthenes, Iſocrates, Cicero, alij. Tum SS. Patres Athanaſius, Hieronymus, Cyprianus, Juſtianus & alij; imò non tantùm eſt ea Sapientum & Patrum mens & conſenſus, ſed univerſi Orbis uſus, ut colligitur ex illis verbis Iſraelitarum (qui tamen conſtitutam à Deo formam mutare cupientes peccaverunt) Regem poſtulantium 1. Reg. 8. v. 5. *conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut univerſæ habent Nationes.* Suadent 2. ratione veluti à priori, quam fusè deducit S. Thomas in opuſc. de Regim. Princip. Lib. 1. à cap. 1. uſquè ad 3. breviter ſic ſe habet. In Monarchia maximè facillimeque concordia & animorum unitas (ſine qua Reſpublica conſiſtere nequit: vix ulla ſub illa perijt) conſervari poteſt: ægrè autem in Ariſtocratia & Dimocratia; etenim ſub uno facilè ſervatur unitas: plura autem capita difficulter inter ſe conſentiunt, & nõ rarò: *quot capita, tot ſententiæ.* Suadent 3. exemplo ipſius Naturæ, cujus inſtinctu *belluæ unum Ducem* ſequuntur, ut ait S. Cyprianus in Tract. de idolorum vanitate, *Rex unus apibus, Dux unus in gregibus, & in armentis Rector unus*; ſcil. Natura ſequitur Authorem ſuum DEUM, qui unus eſt. Ergo unum etiam Ducem in Republ. eſſe oportet. Videri poſſunt Bellarminus Lib. 1. de Pontifice à cap. 1. Sanderus Lib. 3. Viſibilis Monarchiæ. Adam Contzen Lib. 1. Politic. &c. Hoc præmiſſo.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

III. **D**Octrina Prima. Chriſtus Dominus noſter in Eccleſia ſua Monarchicum inſtituit Regimen. Doctrinam hanc fusè & ſolidè oſtendit Card. Bellarminus Lib. 1. cit. maximè cap. 9. Probatur à nobis breviter 1. ex Sac. Scriptura, quæ Eccleſiam paſſim comparat *Regno*, nominatim Daniel. 2. v. 44. *Ovili* Joan. 10. v. 16. *Exercitui ordinato* Cant. 6. v. 9. *Domui* Timoth. 3. v. 15. *Navi ſeu Arca* 1. Pet. 3. v. 20. Regnum autem eſt Monarchicum & uni ſubjectum Regi, ſicut caſtra ordinata uni Imperatori, Domus uni Domino & œconomo, Navis uni Gubernatori, Ovile denique uni Paſtori; unde Chriſtus loc. cit. ait: *erit unum Ovile & unus Paſtor.* Non obeſt, duos ſubinde videri œconomos unius domûs, duos Imperatores unius exercitûs; quia in rebus moralibus regulæ non niſi à communiter contingentibus deſumi ſolent.

IV. Prob. 2. Chriſtus Sapientiſſimus & Eccleſiæ ſuæ amantiſſimus utiq; optimum regimen in ea inſtituit. Atqui optimum eſſe Monarchicum, recèns diximus. Infert Tobias Wagner Lutheranus in cenſuris motivorum D. Beſoldi, Regimen Papale ſic fore hæreditarium, cum juxta Politicos apud Lipſium Lib. 2. monit. polit. cap. 4. Monarchia hæreditaria præſtet electivæ propter varias hujus diſcordias, ambitiones, ac corruptelas. Negamus illatum; ſi Deus peculiari ſuâ Providentiâ electioni aſſiſtat, uti juxta promiſſionem & verba ſua Matth. 16. v. 19. & ibid. cap. 28. v. 20. adeſt ſemper Electioni novi Papæ, quæ idcirco nunquam penitus corruit, ſed inter omnes difficultates ſuum obtinuit ſucceſſum; unde Regimen Eccleſiæ diutius jam ſtetit, quàm ulla Monarchia Politica Electiva.

V. Urgent Ameſius Calviniſta Tom. 1. contra Bell. fol. 129. Nullum regimen optimũ aut utiliſſimum vocari poſſe, niſi habitâ ratione ſubjecti, cui ad finem ſuum dirigendo inſervit. Sed iſtud minimè eſt contra nos; Etenim aſſerimus, per ſe loquendo, quamvis hominum & Angelorum Rempublicam meliùs Monarchicè, quàm Ariſtocraticè aut Dimocraticè purè gubernari; quidquid ſit de hoc, quod temperamentum aliquod ob humanas imperfectiones Monarchia utiliter admittat. Ac talem formam Monarchicam Ariſtocratiâ & Democratia temperatam Chriſtus in Eccleſia ſua inſtituit, cum in ea præter Supremum Caput ſeu Papam ſint Epiſcopi (veri Principes & Paſtores,

non ſolùm vicarij Pontificis ſummi) & nemo ex omni Chriſtianorum multitudine ſit, qui ad Epiſcopatum vocari non poſſit, ſi tamen eo dignus munere judicetur; per hoc Democratia: per illud Ariſtocratia Monarchiæ admixta apparet, ut bene notat Bellarminus lib. 1. cit. cap. 3.

VI. Prob. 3. Synagoga Judaica fuit umbra ſeu typus Eccleſiæ Chriſti. Atqui hæc fuit Monarchica, ſemper ſcil. uni Pontifici ſubjecta, ut patet ex lib. Exodi, Levitici, & Deut. Ergo & Chriſtiana Eccleſia, ut reſpondeat ſuæ figuræ, Monarchica eſſe debet, uni ſummo Pontifici ſubjecta, uti bene argumentantur Catholici Doctores paſſim. Negant paritatem Pet. Molinæus in ſuo Neo-Papatu fol. 260. & alij Sectarij communiter; quia, inquiunt, Synagoga Judaica fuit valde exigua: Eccleſia autem Chriſtiana eſt ampliſſima, cui proinde gubernandæ ſolus DEUS par eſſe poſſit. Verum quod hominibus impoſſibile videtur, id fieri per gratiam DEI facilè poteſt, ut ait Chriſtus Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impoſsibile eſt, apud DEUM autem omnia poſſibilia ſunt.* Hàc ergo DEI gratiâ adjutus Summus Pontifex non modò poteſt univerſam Eccleſiam regere, ſed etiam facilè utiliterque id præſtare.

VII. *Doctrina ſecunda.* Primus Rex & Monarcha Eccleſiæ fuit, ſemperque manet Chriſtus Dominus. Ita teſtatur S. Paulus ad Epheſ. 5. v. 23. ajens: *Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ*: Pro intelligentia hujus doctrinæ tria ſunt obſervanda. *Primum.* Nomen Capitis duobus modis ſumitur; propriè pro naturali capite humani corporis, cujus officium eſt, dirigere membra corporis: & metaphoricè pro morali capite ſeu Principe Communitatis, quo modo impræſentiarum accipitur. *Secundum.* Chriſtus in hac vita exiſtens fuit Caput Eccleſiæ Viſibile & Inviſibile; quia partim viſibili partim inviſibili modo Eccleſiam gubernavit, id quod ex ſimilitudine capitis naturalis clareſcit; quamvis Apoſtolus loc. cit. aliâ utatur. Nam ſicut Caput naturale duobus modis gubernat corpus humanum, 1. per influxum, quo derivantur ex illo tanquam principio Spiritus ſenſitivi in reliqua membra, ut inde hæc vitam conſervare, & functiones peragere poſſint. 2. per externam directionem in eo conſiſtentem, quod caput per intellectum, voluntatem, viſum, auditum & alios ſenſus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus ſuis, ne aberrent. Ita Chriſtus etiam in hac vita exiſtens duobus modis rexit Eccleſiam ſuam, ſcil. tum per internum influxum donorum gratiæ, juxta illud Joannes 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Tum per externam directionem, ordinando Miniſtros & Sacerdotes, ſanciendo Legem Evangelicam, docendo, hortando, increpando &c. *Tertium.* Chriſtus in cælo exiſtens adhuc manet Caput Eccleſiæ, & manebit uſque ad finem mundi; attamen ſolùm Inviſibile: Nam licet non amplius præſens ſit, uti requiritur ad Caput viſibile, nihilominus gubernat Eccleſiam ſuam modo inviſibili, nempe per influxum internum donorum gratiæ, & directionem Spiritûs Sancti juxta illud Matth. 25. vers 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; Unde aliud viſibile Caput dari oportet, pro quo ſit.

VIII. *Doctrina tertia.* Chriſtus aſcendens in cœlum, etſi retinuerit ſupremum Eccleſiæ Regimen, attamen ſuo loco ſubſtituit aliquem Viſibilem Vicarium, ſicut in abſentia Regis ſolet aliquis in regno conſtitui, qui vicem illius ſuppleat in externa Politia, præſertim ſi Rex longo tempore abfuturus ſit. Ratio hujus doctrinæ facilè patet. Quia Regimen Eccleſiæ manere debet tale, quale Chriſtus inſtituit. Atqui Chriſtus ante Aſcenſionem ſuam inſtituit Regimen Viſibile ſub uno Capite juxta illud ad Coloſſens. 1. v. 18. *Ipſe eſt Caput omnis Eccleſiæ*, ſcillcet, etiam primæ, in qua illum Apoſtoli & alij Fideles oculis ſuis conſpexerunt, quorum oculos Chriſtus idcirco beatos prædicavit Matth. 13. v. 16. Ergo tale debet manere. Quemadmodum igitur ipſe fuit Viſibile Caput ante Aſcenſionem, ità poſt ipſam debet aliquod aliud viſibile Caput loco Chriſti eſſe; alioquin Regimen Eccleſiæ; adeóque ipſa Eccleſia fuiſſet mutata, quod eſt abſurdum.

IX. Confirmatur. Chriſtus utique nec voluit, nec debuit velle unquam, Regimen Eccleſiæ ſuæ eſſe contra naturalem, humanum, ac divinum regendi modum ac conſuetudinem. Sed non ſolùm Unitatem, ſed etiam Viſibilitatem Capitis attendunt, & in ſuo regendi modo obſervant Natura, DEUS, ac Homines. Ergo &c. Major patet ex ſuavi Dei providentiâ, & gratiæ cum natura conformitate. Minor oſtenditur inductione. Nam imprimis Natura docuit omnia animalia ſuum, quē ante oculos habent, ſequi Ducem. Deinde Reipublicæ nobiliores totius Orbis viſibilem ſemper Principem aut Sacerdotem elegerunt, qui poſſet verbo aut ſcripto cauſas judicare, & à cujus judicio clarè percepto nemo ad alium judicem provocaret. Demum DEUS populo ſuo ſemper viſibilem Principem, Judicem, & Sacerdotem dedit: nec ipſe, licet ſupremus Dominus; quia tamen Inviſibilis, regere illum ſolus abſque ſubordinato Viſibili Vicario voluit.

X. Non obſtat, Summum Pontificem in veteri Teſtamento fuiſſe figuram Chriſti. Nihilo enim minus potuit etiam eſſe figura minùs-principaliter Viſibilis & Supremi Capitis Eccleſiaſtici in Novo Teſtamento. Quia totum novum Teſtamentum habet Analogiam cum Veteri, adeóque etiam cum Sacerdotio, quod ſatis indicat Apoſtolus 1. ad Cor. 10. prius enim, quàm v. 11. ſcribat: *Hæc omnia in figurâ contingebant illis*, dicis vers 10. *neque murmuraveritis, ſicuti quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore*; quæ autem alia murmuratio hic intelligitur; niſi illa, quam ſæpius præſertim Num. 14. cum ingenti ſuo damno contra Moyſen non ſolùm Politiæ, ſed etiam Eccleſiæ ſuæ Summum Caput & contra Fratrem ejus Aaron exercuerunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. **E**Rror primus. Chriſtus in Eccleſia ſua non inſtituit Monarchiam Spiritualem, qualem Papiſtæ adſtruunt. Ita Jacob. Heilbrunner Lutheranus in Papatu ſuo non-Catholico pag. 269. Nititur unicè verbis Chriſti Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Sub quibus ſubſumit: Atqui Regnum Papale eſt de hoc mundo, cum more mundanorum regnorum ipſi Papæ alij

Digitized by Google

pæ alij juramentum, & obedientiam promittant. Ergo &c. Calvinus etiam errat. Lib. 4. Inſtit. cap. 7. ratus non expedire, ut unus Eccleſiæ toti præſit, ſicuti non expedit; ut unus orbi toti in temporalibus dominetur.

XII. Error iſte eſt planè peculiaris hujus Prædicantis; cæteri enim Novatores fatentur, Eccleſiæ regimen eſſe Monarchicum & Spirituale: aliud tamen Caput præter Chriſtum in eo permanere, omnibus modis negant, ut videbimus. Hoc ipſum expreſsè hîc tenet ipſemet Hailbrünner, affirmans Lutheranos non agnoſcere aliud in Eccleſia Caput, præter Chriſtum. Ergò iſte eſt Supremum Caput Eccleſiæ, & hanc gubernat. Ergo habet regnum in mundo, & quidem Monarchicum, atque hujus ſuper terram Vicarium. Quod autem iſte Principatum habeat, quid hoc ad Regimen Eccleſiaſticum? ſi nec latam manum terræ haberet Papa, ſicuti primi ſummi Pontifices nihil prorſus habuerunt, nihilominus in Monarchia Chriſti foret hujus Vicarius; quippe ſuccedit Papa S. Petro non in ſæculari Regimine, ſed in Eccleſiæ gubernatioue; in qua maximè diſplicet Prædicanti, Subditos ſeu Membra Eccleſiæ Papæ obedientiam jurare, & præſtare, atque idcirco Monarchiam ſæcularē appellat; quaſi verò talis ex votis & obedientia evaderet. Ergo ſi nemo voveret, & obedientiam promitteret, jam Monarchia Spiritualis foret?

XIII. In verbis ſuis ad Pilatum Chriſtus tam parùm Monarchiam Spiritualem excludit, quàm parùm per ea Sectam Lutheranam approbat, ſed indicare ſolùm Pilato vult, non habere ſe Regnum aut poteſtatem ſæcularem, quam ipſe Pilatus timeat, & periculum ſibi ac Cæſari inde inſtare exiſtimet; uti bene eadem Chriſti verba interpretatur Cyrillus Alexandrinus in Evangelium Joan. lib. 12. cap. 10. ſic ſcribens: *Liberavit à formidine Pilatum, qui dignitatem Cæſaris in Judæâ ſervare debebat; credidit enim forſan more hominum, rebellionem à Chriſto cogitatam fuiſſe ſecundum Judæorum nugas.* Et mox: *Chriſtus autem Pilato reſpondens, Regem ſe eſſe, non negat; mentiri enim non poterat, ſed regnô Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit, quia Principatus ſuus mundanus non eſt.* Similia habent S. Auguſtin. Tract. 115. in Joan. & alij Patres.

XIV. Calvinus non advertit ad fundamentum doctrinæ noſtræ, quæ non tam in ratione, quàm Chriſti inſtitutione conſiſtit; quamtumvis etiam convenientia allata ſit perquam bona. Diſcrimen inter gubernationem temporalem mundi & Eccleſiæ Spiritualem eſt; tum quia iſta non habet tam multa negotia: tum quia longiſſimè diſſitos pœnâ Spirituali coërcere facilùs poteſt: tum quia omnia ad gubernationem Spiritualem pertinentia haud difficulter ab uno peraguntur Papa, Epiſcopis aliiſque inferioribus Miniſtris eum adjuvantibus. Videatur Valentia in Tom. Controverſiſt. fol. 57.

XV. *Error ſecundus.* Præter Chriſtum non eſt aliud Viſibile Caput in Eccleſia. Ita poſt Wicleffum, Huſs, Lutherum, Calvinum cæteri Sectarij, ut videre eſt apud Joan. Gerherdum Lib. 2. Part. 1. fol. 409. & Guilielmum Ameſium Tom. 1. cont. Bellarm. fol. 137. Nituntur varijs ratiunculis; quas optimè ſoluit Card. Bellarminus Lib. cit. de Pontifice cap. 9. & ferme in has tres recidunt. *Prima* ſumitur ex illo Matth. 20. v. 25. & 26. item Luc. 22. v. 26. *Reges Gentium dominantur eorum &c. Verùm non erit ſic inter vos: vos autem non ſic.* Ex quibus verbis, inquit Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 20. §. 7. Dominus carpit vanam Apoſtolorum ambitionem, docendo, eorum Miniſterium non eſſe regnis ſimile, in quibus inter cæteros unus eminet. *Secunda* depromitur ex vehementi oppoſitione Patrum contra iſtam Monarchicam poteſtatem. Cyprianus in Orat. ad Concil. Carthag. ſic ſcribit: *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannicô terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed exſpectemus univerſi judicium Domini.* Gregorius Magnus, cum Conſtantinopolitanus Patriarcha titulum ſibi tribueret univerſalis Epiſcopi, dicit *iſtum titulum eſſe inventionem ſuperbi atque pompatici cujuſdam ſermonis, etiam Petrum non appellatum fuiſſe Univerſalem Epiſcopum: eſſe vanitatis nomina, nova & prophana vocabula contra Canonum decreta novum nomen: eſſe nomen blaſphemiæ, ſingularitatis vocabulum, inanis gloriæ appetitionem &c.* Lib. 4. epiſt. 32. 34. 38. 38. Et lib. 6. epiſt. 24. 30. *Tertiâ* & negativa ratiuncula ex eo petitur, quod nec Apoſtolus, nec ejus diſcipulus Dionyſius Areopagita, qui formam Eccleſiæ ſcripſerit, ullam faciant mentionem Pontificis. Nam D. Paulus ad Epheſios 14. v. 11. ait, *Chriſtum dediſſe quoſdam quidem Apoſtolos & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.* Dionyſius verò in lib. de Hierarchia Eccleſiaſtica; ubi ex inſtituto gradus & officia Eccleſiaſtica deſcribit, nullius meminit Summi Pontificis.

XVI. Error iſte priore parte, doct. ſecundâ ſatis rejectus fuit, ſolùm clariùs oſtendo, eum peculiariter repugnare Suavitati & Utilitati gubernationis, quæ viſibile Caput requirunt. Suavitati quidem, quia humanæ Naturæ accommodatius eſt, per aliquem viſibilem Dominum gubernari; cùm in hac vita humanus intellectus à ſenſibus dependeat; proinde Chriſtus pro ſua ſuavitate omnia ſenſibili modo nobiſcum agere ſolet. v. g. Fidem non per ſolas inſpirationes internas, ſed per vocalem prædicationem & ſcripta Biblia communicat: Media etiam Juſtificationis, nim. Sacramenta voluit eſſe ſenſibilia Aquam, Panem, Vinum &c. Pari ergò modo voluit gubernationem Eccleſiæ eſſe ſenſibilem per aliquem Rectorem Viſibilem verbo aut ſcripto gubernantem. Utilitati verò, imò Neceſſitati. Quia inſpirationes internæ ſunt admodum difficiles cognitu, utrum à bono vel malo Spiritu proveniant, cum *Satanas crebrò transfiguret ſe in Angelum Lucis.* 2. Cor. 11. v. 14. Si ergo Chriſtus inviſibiliter per occultas inſpirationes regere Eccleſiam vellet; multa inde mala ſequerentur, videlicet magna inquietudo animique perplexitas ex illa incertitudine oriunda: crebra diſcordia Fidelium, alio iſtud; alio aliud à Chriſto ſibi ſuggeſtum affirmante, nec eſſet, qui litem componeret: omnimodus Fidei veræ interitus juxta illud D. Hilarij ad Conſtantium: *Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & nobis tot doctrinas eſſe, quot mores &c. excidimus ab ea fide, quæ una eſt; & dum plures fiunt, ad id eſſe ceperunt, ut nulla ſit.* Experiuntur planè iſtud graviſſimo malo ſuo Sectarij moderni, qui ex eo, quod nullum Caput ſupremum agnoſcant, omni vento doctrinæ circumferuntur, & excogitatis quotidie no-

Digitized by Google

vis erroribus Religionem cum hiſce mutant. Non obſtat, Hilarium non facere mentionem regiminis Monarchici; ex eo enim, quod dicat, *excidimus à fide*, quæ una eſt, ſatis patet, loqui ipſum de Fide Romana, quam cum Concilio Niceno profitetur.

XVII. Non taceam hîc, ex Acatholicis etiam aliquos neceſſitatem Viſibilis Capitis agnoſcere. Nam Rex Angliæ ſe Anglicanæ Eccleſiæ Caput agnoſci, & obſervari vult, ut fusè ſcribit Piccardus Harris in Concordia Anglic. de Primatu Eccleſiæ Regio. Proteſtantes Principes in Germania Jura Epiſcopalia Magiſtratui Provinciæ annexa exiſtimant, & quotidiana apud eos praxis indicat. Elector Saxoniæ controverſias inter Tübingenſes & Haſſios decidit, & hanc ſuam deciſionem typo commiſit. Pareus in præfat. comment. Oſeæ tueri nititur, Principem jure Regio Eccleſiam reformare poſſe. Quibus apertè adverſatur Sac. Scriptura, Principes vocans nutritios, Iſaiæ 49. vers. 29: minimè verò Capita Eccleſiarum. Contra eoſdem Eccleſiaſticam poteſtatem Principibus ſæcularibus attribuentes eſt, tum quia poteſtas Eccleſiæ neque ex Naturæ neque Hominum lege, ſed ex DEI ordinatione provenit. tum quia in Novo Teſtamento nec unus locus oſtendi poteſt, in quo Magiſtratui Sæculari poteſtas in Eccleſiam conceditur. tum quia nec Traditio nec mandatum vel Apoſtolorum vel Eccleſiæ Catholicæ exhibetur, vi cujus ſimile quid permittitur, uti atteſtantur Patres Chryſoſt. hom. 4. & 5. de verbis Iſaiæ, Gregor. Nazianz. ad cives Nazianzenos, & præter alios Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, qui Principem ſæcularem ſibi poteſtatem in Eccleſia attribuentem Anti-chriſto comparat. Nunc ad ratiunculas Adverſariorum.

XVIII. Reſpond. *Primò*. Chriſtum Dominum verbis illis apud Matth. & Lucam *Reges Gentium &c.* non removiſſe ab Eccleſiâ ſuâ Viſibile Caput, ſed potius conſtituiſſe, & monuiſſe, eam eſſe diverſam à civili Monarchia Gentium; quippe non ait, vos non præſidebitis; ſed *non ſicut Reges Gentium*, quoipſo loquendi modo innuit, regimen ſe illis conceſſurum, aliter tamen adminiſtrandum, ac fieri à Gentibus ſolet. Apparet hoc clarè in verbis Chriſti immediatè ſequentibus: *Qui Major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor* (græcè ἡγούμενος id eſt, Dux & Princeps) *fit, ſicut miniſtrator*. Quæ Verba fruſtranea & non vera ſunt, ſi nullus ex illis Major, aut Caput aliorum unquam fuerit; quomodo enim majôr fieri poteſt, ſicut minor, & præceſſor ſicut miniſtrator, ſi nullus fuerit major alijs, aut nullus præceſſor aliorum? Itaque ruit objectio hæc ex ipſis Chriſti Verbis. Nihilominus

XIX. Urget Ameſius Tom. 1. fol. 133. Illud Regimen removetur à miniſtris Eccleſiæ, quod tribuitur Regibus. Atqui Regibus nihil tribuitur niſi dominium & imperium. Ergo à Miniſtris Eccleſiæ illud removetur. Ergo non eſt aliud in Ecclſia Chriſti Caput viſibile præter Chriſtum, qui ſolus imperium & dominium habet. Reſpon. negando Min. Nam Regibus hic non tribuitur qualecunque imperium; ſed Deſpoticum & Herile proprij commodi causâ exerceri in ſubditos ſolitum; & hoc quidem Chriſtus interdixit: Nos autem nullatenus illud vel affirmamus vel approbamus in Eccleſiæ Miniſtris. Porro diſtinguendum inter hæc tria, Imperium ſcil. Dominium, & Miniſterium, quæ Ameſius cæterique Sectarij ſemper confundunt. Nam Regimen Eccleſiaſticum eſt ſimul imperium & miniſterium; non quidem purè humanum, ſed imperio divino ſubordinatum, abſque tamen dominio, quod ſolùm à miniſterio excluditur; Atque hanc etiam ſolam dominandi libidinem à ſuis Chriſtus arcet, quam tribuit Regibus Gentium, qui plerumque Tyranni ſunt. Denique Politicum etiam Regimen (quod non eſt deſpoticum aut tyrannicum) miniſterium eſt; nempe non in commodum proprium, ut Herile dominium, ſed ut patria poteſtas in bonum filiorum inſtitutum. Cur ergo Eccleſiæ Regimen, etiamſi miniſteriale ſit, ſimul Monarchicum & Imperiale eſſe non poſſit?

XX. Reſpond. *Secundò*. Negando Patres ullo modo opponere ſe huic Monarchicæ poteſtati. Et mirum ſanè, Adverſarios iſtud aſſerere audere. Nam, ut plures alios Romanos Scriptores taceam, qui pro Viſibili Capite, & Monarchica Poteſtate in Eccleſia Chriſti antiquos & graviſſimos Patres tam Latinos quàm Græcos in magna copia adducunt, nonne hocipſum luculentiſſimè præſtat Card, Bellarminus, (quem Sectarij devoraſſe videri volunt) Lib. 2. de Summo Pontif. à Capit. 12. ubi etiam apertiſſima teſtimonia ex Cypriano & Gregorio affert? Dicimus igitur cum hoc & alijs Romanis Auctoribus, Cyprianum loc. cit. loqui de Epiſcopis, qui in Concilio Carthaginenſi erant, & non includere in ea Sententia Romanum Pontificem, qui verè eſt Epiſcopus & Pater Patrum. Quando autem dicit, Epiſcopum non judicari niſi à DEO, exponit illum S. Auguſtinus lib. 3. de Bapt. cap. 3. in hunc modum: quod Epiſcopus in rebus dubijs & quæſtionibus nondum eliquatiſſima perſpectione diſcuſſis in Concilio mentem ſuam liberè aperire poſſit, & à Præſide ad ſuam ſententiam cogi non debeat, donec quæſtio definita fuerit. Cæterùm quod Papa judicare Epiſcopos poſſit, ipſe Cyprianus agnovit, dum epiſt. 13. ad Papam Stephanum ſcribens hortatur illum, *ut Epiſcopum Arelatenſem deponi, & ejus loco alium conſtitui jubeat*.

XXI. Gregorium M. titulum Univerſalis Epiſcopi ſine præjudicio Poteſtatis Pontificiæ contra Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum oppugnaſſe, liquet ex Lib. 2. Epiſt. 4. ubi Sedem Apoſtolicam vocat Caput Fidei: *Illud autem admonemus*, inquit, *ut Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur, tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput Fidei nullâ pulſetur injuriâ*; Imò in Epiſt. 32. cit. ad Mauritium Auguſtum confirmat Monarchicam poteſtatem Petri: *Cunctis*, ait, *Evangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominicâ Sancto & omnium Apoſtolorum Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Et mox: *cura ei totius Eccleſiæ & Principatûs committitur; tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur.* Noluit autem Gregorius (& ante illum Pelagius) Univerſalis Epiſcopi titulum pati, tum ex humilitate, ut ſic ſuperbiam Conſtantinopolitani Patriarchæ faciliùs deprimeret, tum & præcipuè, quia titulus iſte anceps eſt, &, uti Gregorius ſæpius inſinuat, interpretationem patitur, quaſi Univerſalis Epiſcopus eſſet ſolus Epiſcopus, alij alij verò Epiſcopali dignitate non pollerent, quæ injurioſa eſt falſitas. Diligenter igitur hæc duo diſtinguenda, quæ Hæretici confundunt; Nimirum dici *Univerſalem Epiſcopum in Eccleſia: & vocari*

Digitized by Google

Epiſcopum Univerſalis Eccleſiæ. Prior titulus reprehenditur in Joanne Conſtantinopolitano Patriarcha: Poſterior convenit Romano Pontifici. Et Patres priorem aſſerunt eſſe prophanum, blaſphemum, & Antichriſtianum: Poſteriorem non item. Diſcrimen inter utrumq; jam fuit indicatum; etenim qui dicit, ſe eſſe Univerſalem Epiſcopum, aut Sacerdotem, innuit, ſolum ſe eſſe Epiſcopum, & alijs omnibus abnuit nomen & honorem Epiſcopalem; & hoc feciſſe Joannem, teſtatur Gregorius ſæpe: qui verò dicit, ſe eſſe Epiſcopum vel Paſtorem Univerſalis Eccleſiæ, non indicat, ſe eſſe ſolum Epiſcopum aut Paſtorem, ſed habere ſe curam & gubernationem totius Eccleſiæ, licet alij Epiſcopi habeant ſpecialem curam & gubernationem Eccleſiarum particularium. Et hoc ſenſu Papa vocari ſolet Epiſcopus & Paſtor Univerſalis Eccleſiæ, ut fatetur Gregorius lib. 6. epiſt. 32. alijq; ante hunc Pontifices, ut Sixtus 1. epiſt. 2. Victor 1. epiſt. 1. Pontianus epiſt. 1. &c.

XXII. Reſpon. *tertiò.* Paulum nomine Apoſtolorum etiam Summum Pontificem incluſiſſe; ſiquidem poteſtas Eccleſiaſtica prò neceſſitate illius temporis ad fidem toto orbe diſſeminandam non ſolùm data eſt Petro, ſed alijs etiam Apoſtolis; ſiquidem omnes dicere poſſunt illud Pauli 2. Cor. 11. v. 28. *Inſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Sed Petro data eſt, ut Ordinario Paſtori, cui ſuccederetur, uti adductis Patrum teſtimonijs fusè oſtendit Bellarm. loc. cit. Dici etiam poſſet, Apoſtolum ideo ſummi Pontificis ſpecialem mentionem non feciſſe, quod tantùm voluerit recenſere communia Chriſti dona in plures ſparſa, ut indicat pluralis numerus, *quoſdam, alios &c.* Pontifex autem eſt unicus, in quem ſenſum intelligunt allata verba D. Pauli Chryſoſt. Theophylactus & alij apud cit. Auth. Quoad S. Dionyſium. Indicavit iſte alibi ſatis Pontificatum, nempe c. 5. de diu. nominib. ubi Petrum appellat *ſupremum Decus, & antiquiſſimum Theologorum Culmen.* Accedit, quod Hierarchiam Eccleſiaſticam comparaverit Hierarchiæ Cœleſti, ubi novem Angelorum chori ita diſpoſiti ſunt, ut ſemper inferior à ſuperiore regatur, & tandem omnes à Michaele Archangelo, quem S. Scriptura *Ducem Angelorum* vocat Apoc. 12. v. 7. Sicut è contrario Lucifer eſt Supremus Dux diabolorum.

XXIII. Urgent Adverſarij illud ad Rom. 12. v. 5. *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto: Singuli autem alter alterius Membra.* Sed fruſtra; ſiquidem Apoſtolus diſertè ibi loquitur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per internum influxum donorum gratiæ, quo modo utiq; verum eſt, omnes Fideles etiam Petrum & Pontificem eſſe membra, non Caput; omnes quippe accipiunt gratiam à Chriſto tanquam à Capite, nullus autem à Petro vel Pontifice. Si autem loquatur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per externam gubernationem, tunc non ſolùm ipſe, ſed etiam Petrus eſt Caput; ille quidem primarium & propriâ virtute: iſte verò ſecundarium & virtute ab illo participatâ. Inſtant. Sic erit Eccleſia biceps. Quid hoc abſurdi aut novi, ſi unum ex duobus capitibus alteri ſit ſubordinatum? Nunquid mulier præter virum, qui juxta Apoſtolum Epheſ. 5. v. 23. *caput eſt mulieris,* habet etiam naturale Caput in ſuo corpore?

CONTROVERSIA XXIV.

AN CHRISTUS DOMINUS S. Petrum ſuo loco Pontificem ordinaverit?

NOmine Summi Pontificis intelligitur ſummus Sacerdos, qui ſupremam totius Eccleſiæ regendæ Authoritatem à DEO habet, & cui tanquam Vicario Chriſti in terris omnes Fideles in rebus Spiritualibus obedire debent: & Ipſe nulli.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Petrus Apoſtolus fuit ſummus Pontifex à Chriſto conſtitutus. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. Scriptura. Inprimis Matth. 16. v. 18. Chriſtus dicit Simoni: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ubi omnes fere Interpretes ſentiunt, Petrum fundamentum eſſe, non quidem primarium & principale; id enim eſt ſolus Chriſtus, ſed ſecundarium, & ut Vicarium ipſius Chriſti. Afferamus unum & alterum. D. Athanaſius in epiſt. ad Felicem, quam ſcripſit nomine ſuo & Synodi Alexandrinæ: *Tu es,* inquit, *Petrus, & ſupra fundamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi ſunt confirmatæ.* Ubi S. Pater eleganter Petrum facit fundamentum, quo nituntur Epiſcopi, ſuper quos ut columnas totum ædificium collocatur. S. Hieronymus ait, in cit. cap. 16. Matth. *ſicut ipſe* (Chriſtus) *Lumen Apoſtolis donavit, ut lumen Mundi Matth. 5. appellarentur; cæteraq; ex domino ſortiti ſunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum 1. Cor. 10. Petri largitus eſt nomen, ac ſecundùm Metaphoram Petræ rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te &c.* ubi iſte etiam Pater non tam Petrum, quàm ejus Sedem vocat Petram, ſuper quam fundatur Eccleſia inſuperabilis; quia Petrus eſt Petra, non ut particularis homo, ſed ut Pontifex.

II. Dicunt Molinæus, Ameſius & alij apud Gerhard. lib. 1. P. 2. fol. 290. & alibi. 1. Nomine Petræ aliquos Patres intellexiſſe ipſam confeſſionem Petri. Sed hoc non enervat teſtimonij vim pro intento noſtro, quia ea explicatio non excludit priorem, quæ eſt litteralis; imò ab ea non eſt diverſa; quippe Fides Petri eſt utique aliquid Petri; ſuper hanc autem Fidem Petri, non ſuper aliam ædivificavit Chriſtus Eccleſiam ſuam, quæ deficere non poteſt ex oraculo ejuſdem Chriſti Domini Luc. 22. vers. 32. Dicunt. 2. eoſdem Patres nomine Petræ aliquando intellexiſſe Chriſtum. Verùm hoc quoque priorem expoſitionem non evertit, ut vel inde conſtat, quod Chriſtus ibi promiſerit Petro aliquid de futuro, ſicut innuit verbum: ædificabo. At ſupra ſeipſum jam de præſenti noverat Eccleſiam fundatam. Ergo ibi aliud à Chriſto fundamentum denotabatur, nempe Primatus Petri poſt Reſurrectionem

Digitized by Google

prius reſpectu Fidelium ab ipſis converſorum: poſterius autem reſpectu Chriſti, cujus vices gerebat Petrus. Et licet quoad ſuam correctionem iidem non indiguerint Petri curâ, tamen ad bonum publicum totius Eccleſiæ in concordia & charitate conſervandæ neceſſaria fuit Petri directio. D. Paulus ad Galat. non dicit, ſolos Judæos Petro commiſſos quoad gubernationem, ſed quoad prædicationem, quia Petrus potiſſimum Judæis prædicavit, ſicut Paulus Gentibus. Videatur valentia in Opere Controverſiſt. fol. 54. Ubi rectè has Calvini & Sectariorum objectiunculas vocat leviſſimas contra pondus tanti tamque illuſtris teſtimonij, quo Primatum D. Petri Catholici confirmant.

VI. Demum in Scriptura Sac. D. Petrus multis prærogativis, tanquam ſignis altioris poteſtatis, cæteris Apoſtolis præfertur. Nam *Primò* ſolius inter Apoſtolos nomen Chriſtus mutavit, atque ita quidem, ut pro Simone eum vocandum ſtatueret Cepham ſive Petrum. Joan. 1. v. 42. Cur? niſi ut officio ac muneri ſuo futuro ſtatim ab initio conveniens nomen obtineret, & ex Simone, hoc eſt, obediente & communi diſcipulo Chriſti reipsâ quandoque ſuo tempore fieret Petra Eccleſiæ, ac Caput Apoſtolorum. Sunt quidem alijs etiam Apoſtolis alia nomina indita, ſed longè aliâ ratione, nihilque de fundamento Eccleſiæ & Vicariatu in illis inſinuatum. *Secundò.* Quotieſcuuque Evangeliſtæ nomina duodecim Apoſtolorum recenſent, ſemper Petrum primo loco ponunt, cum tamen nec ætate, nec vocatione, alios anteceſſerit, ſed Andreas frater ejus ſenior & priùs vocatus fuerit. Ergò hujus antepoſitionis non poteſt alia cauſa excogitari, quàm præſtantia officij & dignitatis: Nec refert, etiam Jacobum Gal. 2. v. 9. priùs nominatum fuiſſe. Nam unica talis præpoſitio non probat primatum poteſtatis, ſed frequens & ordinaria, quam Evangeliſtæ in Petro obſervârunt. *Tertiò.* Matth. 16. v. 17. in profeſſione fidei Petrus omnes præceſſit, & ideo ſingulariter à Chriſto fuit laudatus. Pro fide etiam Petri Chriſtus ſpeciatim oravit, ut ipſemet teſtatur Luc. 22. v. 23. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Propter hanc immobilem Fidem Chriſtus ſuper Petram, hoc eſt, perſonam Petri ædificavit Eccleſiam ſuam. In quem modum intelligendi Patres, quando aſſerunt, *Eccleſiam eſſe fundatam ſuper fidem & confeſſionem Petri*; dicere volunt, propter præſtantem Fidem Petro ſingulariter à DEO conceſſam ſuper ipſius Petri perſonam & officium vicariatûs Chriſti fuiſſe Eccleſiam ædificatam. *Quartò.* Ibidem v. 19. dicit Chriſtus Petro: *Et tibi dabo claves Regni cælorum &c.* per quas claves intelligi ſummum Pontificatum cum annexis, ſumitur ex Iſajæ 22. v. 22. ubi de Sobna dicitur: *dabo clavem Domûs David ſuper humerum ejus &c.* Id eſt, ſummam poteſtatem & præpoſituram Templi, ad quem locum Chriſtus alluſit, ut proinde locus ille ſit huic parallelus non quoad rationem contractam, ſed abſtractam Principatûs Eccleſiaſtici, qui utrobique promittitur; in veteri autem Teſtamento principatus ille non continebat remiſſionem peccatorum & miniſterium verbi, quæ in Novo Teſtamento Principatui Eccleſiaſtico annexa ſunt. Atque hinc ſatisfit argumento, quod Gerhardus Lib. 2. p. 1. fol. 444. contra hanc prærogativam objicit. *Quintò* Chriſtus Matth. 17. v. 26. exigentibus tributum juſſit dare ſtaterem in ore piſcis repertum pro ſe & pro Petro, nullâ de alijs Diſcipulis factâ mentione, quaſi Petrum inter illos præcipuum, ſibique dignitate propinquiorem, & in officio Pontificiali Vicarium deſignans, quod à cæteris Apoſtolis animadverſum ſcribit S. Hieronym. in cap. 16. Matth. *quia viderunt pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, eò quod in redditione tributi Domino fuerit comparatus.* *Sextò* demum Chriſtus redivivus priùs Petro, quàm alijs Apoſtolis, ſe videndum præbuit Luc. 24. v. 34. 1. Cor. 15. v. 5. Fruſtra autem dicunt Adverſarij, Petrum propter præcedentem lapſum & abnegationem fidei eguiſſe primâ reſurgentis Chriſti apparitione; qui jam erat converſus, & ſuum lapſum amarè defleuerat. Matth. 26. v. 75.

VII. Ex his alijsque Petri prærogativis ſi non ſingulis ſeorſim, ſaltem omnibus ſimul ſumptis pro ejuſdem Pontificatu haud infirmum ducitur argumentum; quippe hinc apparet ſingularis amor Chriſti erga Petrum, cujus alia cauſa aſſignari non poteſt, quàm officij eminentia, cum nec ſenior, nec prudentior fuerit alijs Apoſtolis, ut diximus. Ait Ameſius fol. 158. Cum non definiatur, quid per Prærogativam intelligatur, nihil ex illis prolixè enarratis convinci. Inane planè & lepidum effugium; quid opus eſt definitione, ubi res omnibus è vulgo notiſſima eſt? diximus prærogativam eſſe peculiarem benevolentiam & ſingularem Amorem Chriſti erga Petrum præ alijs exaltandum. Vocet ipſe Puritanus favorem, beneficium, prælationem, per nos licet; modò illam prærogativam inde ſemper concipiamus tanquam indicem ſummæ D. Petro ſuper alios eminentiæ vel promiſſæ, vel etiam jam conceſſæ. Videatur Tannerus Tom. 3. Theol. Scholaſt. Diſp. 1. §. 4. dub. 2. fol. 218.

VIII. Probatur doctrina noſtra 2. ex Authoritate Patrum tùm Latinorum tum Græcorum, qui Petrum Caput & Principem Eccleſiæ agnoverunt, & fusè adducuntur apud Bellarminum lib. 1. de ſum. Pontif. cap. 25. Gregorium de Valentia in opere Controverſiſt. fol. 58. Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis per ſingula ſæcula ab exordio Eccleſiæ. Bernardinum Vetvveis in ſpecul. veræ Eccleſ. à fol. 203. & alios. Ex Græcis. Origenes in cap. 6. ad Rom. *Petro,* inquit, *cùm ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper Petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis exigitur.* S. Gregorius Nazienzenus de moderatione in diſputando ſervanda ait: *Vides quemadmodum ex Chriſti Diſcipulis magnis utiq; omnibus & excelſis atq; electione dignis, hic Petra vocetur, atq; Eccleſiæ fundamenta ſuæ fidei tradita habeat, ac reliqui Diſcipuli poſthaberi ſe tranquillo animo ferant.* D. Chryſoſtom. Hom. 55. in Matth. *Eccleſiæ Paſtor & Caput piſcator homo ignobilis terrarum orbe reluctante Adamantis naturam firmitate ſuperat.* Ex Latinis. Tertullianus de præſcript. hæret. cap. 22. ita ſcribit: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claves regni cælorum conſecutum?* D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 14. *inter duodecim,* ait, *unus eligitur, ut conſtituto Capite ſchiſmatis tollatur occaſio.* S. Ambroſ. in cap. ult. Lucæ *Petrum vocat Vicarium amoris Chriſti erga nos, & eum dicit omnibus prælatum.* S. Auguſtinus Serm. 124. de temp. *eundem appellat Caput & Verticem Eccleſiæ.* D. Leo Papa ſerm. 3. in Anniverſario Aſſumptionis ſuæ circa illa

Digitized by Google

verba Tu es Petrus ſic loquitur: *Et ego dico tibi, hoc eſt, ſicut tibi meus Pater manifeſtavit divinitatem meam, ita & ego facio tibi notam excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim immobilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraq; unum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere; tamen tu quoq; Petra es quia meâ virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Et ne longior ſim adducendo ſingulos, in Concilio Chalcedonenſi 630. Patres idipſum ſenſerunt, ut habetur art. 3. his verbis: *Ter beatiſſimus & omni laude digniſſimus Beatus Petrus Apoſtolus, qui & Petra, & Crepido* (ſumma extremitas) *Catholicæ Eccleſiæ & rectæ Fidei fundamentum &c.*

IX. Probatur denique doctrina noſtra tertiò Ratione. Chriſtus relicto mundo in cælum abiens viſibilem aliquem Vicarium reliquit commodæ gubernationi Eccleſiæ neceſſarium, ut patet ex illis, quæ ſupra de Monarchico Regimine diximus, & ex abſurdiſſima ſequela, quam ibidem indicavimus, ſcil. non eandem nunc eſſe Eccleſiam, quæ Chriſto in terris vivente fuit; quia unitas politici Corporis maximè deſumitur à ratione & modo politiæ ac gubernationis ſive regiminis; quod prius ab uno Capite Chriſto fuiſſet Monarchicum: nunc verò à pluribus eſſet Ariſtocraticum. Atqui Chriſtus non reliquit alium, quàm Petrum; ſiquidem nec in Scriptura, nec in Patribus alterius Capitis pro Chriſto ſuffecti ullum ſit indicium &c. Rectè igitur ex his omnibus concludimus cum S. Leone epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Provinciæ: *Quiſquis Petro Principatum exiſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt diminuere dignitatem, ſed inflatus Spiritu ſuperbiæ ſuæ ſeipſum in infernum demergit.*

X. *Doctrina Secunda.* Petrus ſimpliciter, & abſolutè eſt Caput & Paſtor non ſolùm omnium Eccleſiarum particularium, ſed etiam totius Eccleſiæ univerſalis ſimul congregatæ à Chriſto immediatè conſtitutus, adeoq; eſt ſupra Concilium Generale. Sequitur hæc doctrina ex priore. Nam Caput eſt ſupra Corpus, Paſtor ſupra oves, ut per ſe patet. Atqui Petrus eſt ſupremum Caput & fundamentum, ſuper quod Chriſtus univerſam ſuam Eccleſiam ædificavit: Idem eſt Paſtor univerſalis ovium omnium in ovili, hoc eſt, Eccleſia Chriſti. Ergo &c. Minorem abunde hactenus probavimus, & magis confirmabimus eam infra, ubi Papam ſupra Concilium Generale extollemus & Concilium Conſtantienſe in contrarium afferri ſolitum explicabimus. Interim hoc ſolùm obiter dixerim, tempore illius Concilij Eccleſiam horrendo ſchiſmate laboraſſe, ac neminem fuiſſe, qui illud non extinctum cuperet; cum autem ad illud tollendum non aliud remedium ſuppetere videretur præter Concilium Generale, atque ab iſto cogendo illi, qui ex parte Pontificum ſtabant, vehementer abhorrerent, fieri facilè potuiſſe, ut pro Concilio Generali aliquid ſtatueretur. Quid autem abſolutè fuerit factum, ſuo loco dicemus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XI. Error primus. Petrus non fuit Caput Apoſtolorum & Eccleſiæ, aut cæteris Apoſtolis Superior. Ita Mart. Lutherus Lib. de Poteſtat. Papæ. Calvinus Lib. 4. Inſtitut. c. 6. & cæteri Sectarij, qui iſtud omnibus viribus evincere laborant, ut videre eſt apud Gerhardum lib. 2. part. 1. fol. 426. Molinæum lib. 2. c. 2. fol. 262. & Ameſſium Tom. 1. fol. 142. &c. Nituntur his argumentis. *Primum.* Chriſtus ſolus eſt, & manet Caput & Fundamentum Eccleſiæ; neque fundamentum aliud poni poteſt, *præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS* 1. Cor. 3. v. 11. Et per ſe abſurdum eſt, duo eſſe fundamenta & Capita unius domûs & Corporis. *Secundum.* S. Paulus 2. Cor. 12. v. 11. clarè oſtendit, ſe non agnoviſſe Petrum, ut Superiorem; ſic enim loquitur: *Nihil minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*: nec veritus eſt, illum reprehendere ad Gal. 2. v. 11. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Tertium.* Nihil Petro fuit promiſſum aut commiſſum, quod non etiam cæteris Apoſtolis fuerit communicatum; accepit ille claves, fuit Petra, commiſſas habuit oves: de iſtis dicitur Matth. 78. v. 18. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*, Epheſ. 2. v. 20. quod ſint *fundamenta Eccleſiæ, ſuper quæ ædificati ſumus.* 1. Pet. 5. v. 2. *paſcite, qui in vobis eſt, gregem. Quartum.* Chriſtiani primi non agnoverunt Primatum Petri; alioquin omnes voluiſſent eſſe diſcipuli Petri, cujus oppoſitum conſtat ex 1. Cor. 1. v. 12. ubi ambitiosè deſcribitur inter Corinthios contentio, à quonam baptizati aut converſi eſſent: *Unuſquiſque veſtrum dicit, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ &c. Quintum.* Actor. 8. v. 14. legimus, Petrum cum Joanne à cæteris Apoſtolis miſſum eſſe in Samariam prædicatum. Non fuit igitur iſtis ſuperior, ſed potius inferior, ſiquidem miſſio eſt ſuperioris poteſtatis. *Sextum.* Petrus præcipua Eccleſiæ negotia ſolus non perfecit abſque aliorum Apoſtolorum auxilio, ut patet in electione Matthiæ Act. 1. Septem Diaconorum ibid. cap. 6. & in deciſione Controverſiæ de Relig. itidem Act. 15. quod ſignum eſt, ſupremam poteſtatem penes illum non fuiſſe. *Septimum.* Petrus poſt promiſſionem illam à Chriſto factam Matth. 16. v. 18. graviſſimè eſt lapſus tum nolendo in Chriſto paſſionem, unde mox Satanas appellatur ver. 23. tum negando Chriſtum in ipſa paſſione Matth. 26. v. 70. Quomodo igitur cogitari poteſt, hunc eſſe Petram illam, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia.

XII. Hiſce argumentis ex Sac. Script. depromptis addunt Patres, qui omnes Apoſtolos aſſerunt æquales, nominatim Clemens Papa in Epiſt. ad San. Jacobum fratrem Domini & Epiſcopum Hieroſolymitanum. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: *Super Apoſtolos*, inquit, *ex æquo ſolidatur Eccleſiæ fortitudo.* Ambroſius Serm. 66. *incertum eſt*, ait, *quis ex iſtis duobus* (Petro & Paulo) *ſit præferendus; puto enim, eos eſſe pariter magni faciendos, cum in paſſione ſint pares.* Cyprianus Lib. de Unit. Eccleſ. ſic ſcribens: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit*

Petrus,

Digitized by Google

Petrus, pari conſortio prædíti & honoris & poteſtatis Et Greg. Pap. Lib. 6. Epiſt. 37. ait, Petrum tres Sedes habuiſſe, nempe *Romæ, Antiochiæ, & Alexandriæ*; quæ tamen ſint Una. Similiter ſcribit ad Epiſcopum Alexandriacum, *Ambos ſe uno modo ſuper Sedem S. Petri ſedere*, comparandóque Epiſcopos Alexandriæ & Antiochiæ Epiſcopo Romano dicit, *unius illos eſſe ſucceſſionis.*

XIII. Errori huic adverſatur tota vetus Eccleſia, ut patet tum ex dictis, tum ex hiſce verbis D. Auguſtini Lib. 2. cap. 1. de Bapt. cont. Donatiſt. *Quis neſcit, illum Apoſtolatûs Petri Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum eſſe?* quæ verba ſunt mirantis, reperiri poſſe aliquem, qui id in dubium quaſi neſciens vocet. Id verò modernæ Sectæ non ſolùm neſciunt, ſed abſolutè negant; quod meritò & mirum & indignum videtur S. Auguſtino. Eidem errori repugnat etiam actuale exercitium Pontificiæ Poteſtatis, quam D. Petrus exercuit. Nam Concilia Univerſalia indicere, & illis præſidere, ſunt actus Pontificiæ Poteſtatis, ut oſtenditur, dum de Concilijs agitur. Sed hos actus Petrus exercuit, nomine Apoſtolorum contradicente, ut patet ex Actis Apoſtolorum cap. 1. 4. & 15. Unde communiter Auctores triplicem in Petro advertunt præeminentiam. 1. quia nullus Apoſtolorum aliorum in ſuos Collegas quidquam juriſdictionis habuit, præter Petrum. 2. quia Apoſtoli alij tantùm disjunctivè habuerunt poteſtatem in totum mundum, hoc eſt, in hanc vel illam partem mundi, in qua verſabantur: Petrus autem ſimul in totum mundum, omnéſque hujus partes habuit poteſtatem, etiamſi nunquam ibi fuiſſet. 3. quia poteſtas aliorum Apoſtolorum fuit extraordinaria, & una cum illis exſpiravit, nec in Succeſſores tranſijt: Petri autem juriſdictio fuit ordinaria & perpetua, atque in Succeſſores transfuſa, ut mox dicemus; ſicuti in Veteri Teſtamento Sacerdotium Moyſis fuit tantùm temporale & perſonale unà cum ipſo extinctum: Aaronis verò poteſtas continuâ ſucceſſione in Poſteros fuit translata. Ex his alijſque priore parte allatis facilè reijcitur præſens hæreticorum error, eorúmque argumenta diſſolvuntur; pro majore tamen falſitatis manifeſtatione.

XIV. Reſpon. ad 1. Chriſtum ſolum eſſe præcipuum undiquaque ac primum Fundamentum, & ſupremum Caput, præter quod nullum aliud ejuſdem ordinis & dignitatis conſtitui à quoquam poteſt; poſt Chriſtum autem & ſub Chriſto aliud agnoſci fundamentum, & aliud Caput Viſibile Eccleſiæ, nihil prohibet; cum ipſemet Adverſarij ultro fateantur, cæteros quoque omnes Apoſtolos eſſe quædam Eccleſiæ fundamenta, ut apertè patet ad Epheſ. 2. v. 20. & Apocal. 21. v. 14. Neque inde magis monſtrum evadit Eccleſiæ Corpus, quod plura capita metaphoricè dicta ac inter ſe ſubordinata habeat, quàm quod unius ac ejuſdem regni ſæcularis duo quædam præcipua ſolent eſſe Capita, nimirum Rex & in hujus abſentia Prorex, ac ſub his alia inferiora longè plura, ut jam ſupra diximus.

XV. Ad 2. D. Paulum tantùm in munere Apoſtolico, in quo omnes erant æquales, ſe aliquatenus cæteris præpoſuiſſe, quia latiùs fidem propagavit, quàm ullus alius, & plures labores ſuſtinuit, ut ipſemet gloriatur 2. Cor. 11. v. 23. Unde eidem Gal. 2, v. 9. dextras dederunt Petrus Jacobus & Joannes, & hoc Symbolo in Apoſtolatu Collegam præſignem agnoverunt, atque ut talem receperunt. Correptio Petri à Paulo facta non eſt argumentum ſuperioritatis; quia naturali jure charitatis etiam par parem, imò inferior ſuperiorem peccantem poteſt ac debet corrigere, ut docetur in materia charitatis, maximè bono publico id exigente, cujus exemplum habemus 2. Reg. c. 19. ubi Joab Dux belli Davidē Regem ſuum ob cædem Abſolonis Filij ſui nimis contriſtantem acriter reprehendit. Quæ autem cauſa fuerit hujus reprehenſionis, videri poteſt apud Card. Cæſ. Baronium in Annalib. Eccleſiaſt. Anno Chriſti 51. Breviter ita ſe habet. Cum Petrus Apoſtolus Antiochiam veniret, chriſtianâ libertate cum Gentibus cepit manducare etiam prohibitos Judæis cibos, probè gnarus, legem Judaicam eſſe antiquatam. Supervenientibus autem Judæis à D. Jacobo ad Petrum miſſis anceps hæſit, pergerétne cum Gentibus manducare, ne his abſtinendo cogitationem ingereret de vigore legis Judaicæ: an abſtineret ſe; ne manducando carnem ſuillam Scandalizaret Judæos? In hac animi fluctuatione placuit abſtinendo ſimulare obſervationem legis Moſaicæ; quod advertens Paulus priùs jam Antiochiæ exiſtens graviter ſenſit, & publicè reſiſtendo Petrum hujus reprehendit, rei chriſtianæ intereſſe ratus, ne abolitio legis Moſaicæ amplius abſconderetur. Nunc quæſtio eſt, rectène fecerit Petrus ſimulando? Affirmant Patres Græci, quibus adſtipulantur Hieronymus, & Cardinal. Baronius. Negant Patres Latini, quibus conſentiunt D. Auguſtinus, & plerique Interpretes S. Scripturæ. Hoc autem apud omnes certum, Petri peccatum aut veniale ac leviſſimum, aut etiam ſolùm materiale fuiſſe, id eſt, erratum abſque culpa, cum ex optimo animo fuerit ortum. Cæterùm quanti Paulus fecerit Petrum, vel hinc liquet, quod ſtatim poſt ſuam converſionem ejus viſendi gratiâ Damaſco Jeroſolymam profectus ſit, ut ipſe teſtatur Gal. 1. v. 18. *Poſt annos tres veni Jeroſolymam, videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.*

XVI. Ad 3. Illa ipſa, quæ Adverſarij in cæteris Apoſtolis agnoſcunt, ſingularia eſſe Petri. Nam Apoſtoli ſunt quidem fundamenta, ſed, ut ſupra jam diximus, tertiaria ſupra Petrum, & Ultimatè ſupra Chriſtum extructa: at verò *Petrum eſſe, at poſt Chriſtum præcipuum totius Eccleſiæ fundamentum*, ſoli Petro attribuitur. Soli etiam Petro nominatim Matth. 16. v. 19. claves traditæ ſunt tanquam ſupremo Patriſfamilias & Eccleſiæ Gubernatori: cæteris autem uſus potius traditus eſt, quàm abſoluta poteſtas ac poſſeſſio earundem; nulla etiam illis poteſtas fuit conceſſa in ſe mutuò, multò minùs in Petrum, cum tamen iſte in reliquos Apoſtolos poteſtatem acceperit, utpote totius Eccleſiæ Paſtor & Princeps. Soli denique Petro omnes Chriſti oves univerſim, ac ſine ulla exceptione commiſſæ ſunt: ad cæteros verò Apoſtolos cum reſtrictione miſſæ fuerunt, & quidem ab ipſo Petro: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem*: hoc eſt, gregem vobis commiſſum. 1. Pet. 5. v. 2.

XVII. Ad 4. Si ex illa Corinthiorum contentione probaretur, illos Petri Primatum non agnoviſſe, tunc pari modo probaretur, eoſdem etiam Chriſtum pro ſupremo Capite non agnoviſſe, cum etiam de Chriſto contenderint, dicentes, *Ego*

 ſum

Digitized by Google

gnitatis & poteſtatis. Nam S. Petrus Eccleſiam Antiochenam poſt ſeptennem poſſeſſionem reſignavit Evodio: Alexandriacam per D. Marcum duntaxat Vicarium ſuum adminiſtravit: Romanam demum uſquè ad mortem ipſemet gubernavit, & martyrio ac ſanguine ſuo eandem Sedem ſtabilivit, atque Apoſtolicam & ſupremam ſuam Poteſtatem ibidem confirmavit. Hanc ſuam mentem & ſententiam D. Gregorius manifeſtè prodit epiſt. 37. cit. tum quia Romanam Sedem cæteris præponit, tũ quia de illa ſcribit: *Ipſe Petrus enim ſublimavit Sedẽ* (Romanã) *in qua quieſcere, & vitã præſentẽ finire dignatus eſt*; per ſublimationẽ autẽ nihil aliud, quàm præeminentia hujus Sedis ſuper alias indicatur; in quem ſenſum haud dubiè ipſe Gregorius M. lib. 4. epiſt. 32. ad Mauritium Auguſtum ſcripſit, *ipſi Petro curam totius Eccleſiæ & Principatum fuiſſe commiſſum*.

XXVII. *Error Secundus.* D. Paulus eſt omninò pár, ac in nullo inferior D. Petro etiam quoad univerſæ Eccleſiæ gubernationem. Ita recens duo Anonymi, qui, ut videre eſt in Bulla Innocentij X. Papæ 24. Januarij an. 1647. edita, libellis partim gallicè partim latinè conſcriptis & vulgatis D. Paulum ejuſdem cum S. Petro poteſtatis, authoritatis, ac juriſdictionis fingunt, & Eccleſiæ poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum duplex tunc temporis viſibile in terris caput affingunt. Nitunrur maximè. Tum authoritate Patrum Irenæi; qui lib. 3. adverſ. hæreſ. cap. 3. *antiquiſſimæ*, inquit, *& omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ*. Et Epiphanij hæreſi 27. ajentis: *Epiſcoporum in Roma ſucceſſio hanc conſequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, &c.* Tum ratione. Petrus & Paulus ſunt ſummi Apoſtoli, ac ſunt inter ſe pares; certè ignoratur, uter alteri præſtet. Ergo non poteſt dici, quod Petrus poteſtate major ſit; etenim poteſtatis ratione ſuperioritas ſolùm vel præcipuè æſtimatur. Confirmant hanc rationem ex illo ad Gal. 2. v. 7. *creditum eſt mihi Evangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis*; Ubi innuitur diviſio juriſdictionis inter Petrum & Paulum, ita ut illi cura Judæorum, huic Gentilium eſſet commiſſa; unde Actor. 10. dubitat Petrus, num Gentilibus prædicet, & ob factam iſtis prædicationem reprehenditur à Diſcipulis Act. 11. v. 3.

XXVIII. Error iſte nullo Sac. Scripturæ fulcitur teſtimonio; nullâ Patrum aſſertione defenditur; nullo rationum pondere ſtabilitur. Et eſt non ſolùm contra communem Catholicorum ſententiam, ſed contra ipſorum etiam hæreticorum ſenſum, qui nec Petrum volunt fuiſſe ſupremum Caput conſtitutum. Ubi enim Sac. Scriptura dicit Paulo: *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram &c. Paſce oves meas*, quorum illud Petro dicitur Matth. 16. iſtud Joan. ultimo. Cyrillus Alexand. lib. Theſauri dicit: *Petro omnes jure divino Caput inclinant, & Primates Mundi tanquam ipſi Domino JESU obediunt.* Ecce tò omnes haud dubiè includit & Paulum, cujus è contrario nulla fit mentio, ut dicatur totus mundus illi Caput inclinare. Conſentiunt omnes alij Patres, qui Primatum Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes Eccleſias agnoſcentes ſemper illum fundant in verbis Chriſti ad Petrum, & nunquam ne quidem ſemel in ulla Pauli juriſdictione conſtituunt. Et certè perinde olim non decuit, ac jam non decet, Eccleſiam in terris eſſe turpiter bicipitem, & duo ſuprema ac viſibilia gerere capita, quæ inter ſe ſubordinata non ſunt, uti bene pluribus oſtendit Rodericus Arriaga Tom. 5. Theologiæ ſuæ Diſp. 8. à num. 47. ubi prædictum errorem acriter & ſolidè oppugnat.

XXIX. Reſpon. 1. ad authoritatem Patrum. Quando SS. Patres Petro adjungunt Paulum, per hoc minimè ſignificare volunt, quaſi iſte par illi foret, & ambo paris poteſtatis & juriſdictionis atque authoritatis eſſent, ſed fit hoc 1. quia ambo fundarunt Romanam Eccleſiam. 2. quia ambo ex primis Cœleſtis curiæ Principibus DEO maximè grati; & potentes apud eum ſunt meritis & interceſſione ſuâ pro nobis & univerſa Eccleſia. 3. quia ſummè ſunt affecti & proni in bonum Eccleſiæ Romanæ, quam fundârunt, ſuâ doctrinâ illuſtrarunt, & ſanguine & morte ſuâ irrigarunt ac roborarunt. 4. quia Rom. Pontifices amborum Apoſtolorom ſunt Succeſſores in Eccleſiâ ab ipſis fundata, & doctrina illuminata. Hæc autem & ſimilia intelligi debent pro ſubjectâ materia, ſcil. quod Petrus fundaverit Eccleſiam Romanam tanquam Chriſti Vicarius, ſuper quem Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificavit, & poteſtatem conceſſit, hanc gubernandi Matth. 16. & oves ſuas paſcendi Joan. 21: *Hic eſt, qui audivit, paſce agnos meos, cui creditum eſt Ovile*, ait Epiphan. in Ancorato, ad quod utique ſpectat, ovile bene ordinare, paſtorem nominare, ſuam huic habitationem aſſignare. Sic Petrus Eccleſiam Romæ fundavit: Paulus autem idem præſtitit per prædicationem ſuam, uti ipſe innuit 1. Cor. 3. v. 10. ſcribens: *Secundùm gratiam DEI, quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Idem Eccleſiam Romanam ſanguine, ac martyrio ſuo fundavit, roboravit & ornavit; cum non tantùm per amborum Apoſtolorum doctrinam, ſed etiam glorioſam mortem, exemplum, & meritum innummeri Gentiles abſque dubio Chriſtianæ Fidei ſe adjunxerint. Nihilominus D. Petrus Romanam Eccleſiam peculiari modo fundavit, ut patet ex eo, quod Cathedra & Sedes Epiſcopalis Romana nunquam S. Paulo, ſed ſoli Petro attribuatur: & nunquam Paulus ſed Petrus ſolus peculiariter Romanus Pontifex ſemper nominetur, cum tamen Cathedra Romana, ſi ambo SS. Apoſtoli pari ratione Eccleſiam illam fundaſſent, meritò æquè Cathedra Pauli, ac Petri: & Paulus æquè ac Petrus Romanus Pontifex pecculiariter dici deberet.

XXX. Quando igitur iſti duo SS. Apoſtoli Petrus & Paulus vocantur ab Irenæo & Epiphanio atque alijs Patribus *Fundatores & Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ*, intelligendum id de Petro tanquam de proprio Epiſcopo, idque vi ſui Primatûs ſupra probati: de Paulo verò tanquam de Coadjutore Petri aut Vicario, ac dependente ab illo; perinde fere ut hodie etiam Epiſcopi ob ampliſſimas Diœceſes & negotiorum molem ſuos habent Coadjutores & Vicarios, qui, ſi in Pontificalibus ſint Vicarij, conſecrati Epiſcopi eſſe debent, etſi tales Vicarij præter Ordinarium Epiſcopum non ſoleant inter Epiſcopos unius Eccleſiæ numerari. Itaque D. Petrus ſolus fuit Romæ Ordinarius & proprius Epiſcopus, qui præter curam omnium aliarum diœceſium & univerſæ Chriſtianitatis Epiſcopatum Romanum, tanquam peculiarem ſuam Diœceſin ac Sortem gubernavit; ſicuti Archiepiſcopus, præter curam ſuper diœceſes ſuo-

Digitized by Google

rum Suffraganeórum, peculiariter ſuam Archi-
c iœceſin & proprium Epiſcopatum habet procu-
r. n .um.

XXXI. Reſpon. 2. ad rationem. Negando conſequentiam. Nam, etſi extra controverſiam ſit apud Catholicos, Petrum poteſtate, Paulum ſapientiâ & rerum pro Chriſto & Eccleſia geſtarum gloriâ excellere, adhuc tamen poteſt ignorari, uter illorum abſolutè in judicio DEI præſtet, majoríque ac ſublimiori gloriâ ſubſtantiali in Beatitudine fulgeat. In cultu autem Sanctorum Eccleſia non attendit præeminentiam ſuperioritatis præcisè, imò neque gratiæ & gloriæ præcellentiam, ſed utilitatis, quam attulerunt poſteris. Unde forſan factum, quod Imago Pauli plus omnibus pro Eccleſia laborantis in antiquis ſigillis, quibus diplomata Pontificum ſignantur, reperiatur à dextris: Imago verò Petri à Siniſtris. Etſi alij æquè probabiliter velint, id ideo factum, quod olim ex duobus incedentibus Senior & honoratior ad lævam eſſet: junior autem latus ei dextrum clauderet in ſignum obſequij, de quo videri poſſunt Arriaga loc. cit. n. 31. & Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 27.

XXXII. Reſpon. 3. ad confirmationem. Diviſio iſta non eſt jurisdictionis, ſed provinciarum ad commodiorem Evangelij prædicationom, & ut Petrus præcipuè in Judæorum, Paulus in Gentilium converſionem incumberet; manente interim penes utrumque jure tam his, quàm illis prædicandi. Ad id, quod ex Actor. 10. adijcitur, dicimus, Petrum non habuiſſe ignorantiam illam, ſed revelationem de linteo eidem factam fuiſſe, tum ut apertè ſciret, jam adeſſe tempus prædicandi Gentibus Evangelium, tum ut alijs faciliùs & efficaciùs reſponderet, ſi quando aliqui ex Judaiſmo converſi illum reprehenſuri idcirco eſſent, cujus reprehenſionis authorem fuiſſe Cherinthum, antequam in apertam hæreſin erumperet, notavit Epiphanius hæreſi 28.

XXXIII. *Error tertius.* Jacobum fuiſſe ſupra Petrum, & non huic, ſed illi Principatum eſſe commiſſum. Ita Hailbrunner lib. cit. pag. 269. & alij Prædicantes moderni in ſuis libris. Probant tum ex Actis Apoſtol. 15. ubi non Petrus, ſed Jacobus præſedit, & ſententiam deciſivam tulit. tum ex D. Chryſoſt. qui hom. 33. de S. Jacobo Apoſtolo ſcribit: *Huic enim Principatus erat commiſſus.* Error iſte planè peculiaris eſt, ipſiſque contrarius Sectarijs; ſi enim omnes Apoſtoli fuerunt pares, ut illi pro aris & focis contendunt, quomodo Jacobus fuit ſupra Petrum & cæteros? S. Petrum in Concilio Jeroſolymitano præſediſſe, colligitur ex eo, quod primus ſententiam tulerit, cui omnes acquieverunt, ut atteſtatur S Hieronymus in epiſt. ad Auguſtin. 11. ubi recitatis verbis Petri ex cap. 15. cit. à v. 7. ſubjungit: *Tacuit autem omnis multitudo, & in ſententiam ejus Jacobus Apoſtolus & omnes ſimul presbyteri tranſierunt*; quamvis aliqualis directio etiam Jacobo relicta fuerit, ut mox dicemus. Si igitur Petrus non fuit Caput, cur primus loquitur in illo loco, ubi alius nempe Jacobus fuit Epiſcopus? & ubi alij Seniores illo fuerunt præſentes? Signum hoc eſſe altioris poteſtatis, indicat Chryſoſtom. hom. 3. in Acta ſic ſcribens: *Quàm eſt fervidus, quàm agnoſcit creditum ſibi à Chriſto gregem! quàm in hoc choro Princeps eſt! Unde jam apparet vanitas argumentorum in oppoſitum.*

XXXIV. Reſpon. ad 1. probationem negando, Jacobum præſediſſe in Concilio Hieroſolymitano, licet habuerit ſuffragium deciſinum; etenim tale omnes Apoſtoli habuerunt, quemadmodum omnes etiam Epiſcopi in Concilijs habent & uſurpant abſquè ullo Papalis Primatûs præjudicio. Itaque neque Petrus, Paulus, Barnabas, neque Jacobus ſolus ſed ſimul omnes Apoſtoli & Diſcipuli ſua vota deciſiva dederunt, ſub quorum omnium nomine decretum eſt factum v. 23. *Apoſtoli & Seniores Fratres his, qui ſunt Antiochiæ* &c. nullâ Petri peculiari factâ mentione, quia prædictum decretum nomine totius Concilij fuit editum.

XXXV. Ad 2. itidem negando, Chryſoſtomum ſuperiorem poteſtatem Jacobo, quàm Petro attribuiſſe; quamvis enim ſcribat, Jacobo Principatum fuiſſe commiſſum, per hoc tamen nihil intelligit aliud, quàm à Petro aliquam directionem hujus Concilij fuiſſe oblatam Jacobo, qui etiam juxta ſententiam S. Chryſoſtomi Epiſcopus Hieroſolymis fuit à Petro creatus. *Quod ſiquis percontaretur*, inquit S. Pater homil. ult. in Joan. *quomodo Jacobus Sedem Jeroſolymis acceperit? reſpondeo hunc Petrum totius orbis Magiſtrum conſtituiſſe.* Quare nihil primatui Petri per Jacobum fuit demptum; ſed Petrus, poſtquam per primum votum, cui nemo ſe opponebat, ſatis ſupremam ſuam authoritatem oſtendit., deinde Jacobo veluti Epiſcopo Hieroſolymitano ultimam concluſionem, imò & deciſionem reliquit. Talem & quidem ab ipſo Petro non minùs, quàm Epiſcopatum Hieroſolymitanum Jacobo commiſſum Principatum intelligit Chryſoſtomus, ſicut mox in ſequentibus verbis indicat: *Nihil Joannes hic, nihil alij Apoſtoli loquuntur, ſed ſilent, & non indignantur, adeo pura à vana gloria erat illorum anima.* Ex quibus apparet, Petrum honoris & amoris ergà Jacobo tanquam Epiſcopo Hieroſolymitano aliqualem Concilij directionem reliquiſſe.

CONTROVERSIA XXV.

UTRUM D. PETRO ALIQUIS in Pontificatu ſucceſſerit, & ſuccedere continuè debuerit?

Conſtitutis ijs, quæ ad D. Petri Primatum aſſerendum ſpectant, ad ea procedimus, quæ ad Succeſſores in eodem Primatu pertinent. Et licet hoc ex dictis & communi fere omnium ſenſu perſpicuum ſit, ſuas tamen hæretici huic luci obtendunt tenebras, quas diſſipare oportet.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. D. Petro aliquis ſucceſſit, & continuè ſuccedere debuit. Definitur hæc doctrina in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. & tradita fuit à Patribus, quos fusè adducunt alij, nobis ſufficiant iſti, D. Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdot.

circa

circa princip. alludens ad illa verba Chriſti ad Petrum, paſce oves meas: *quânam*, inquit, *de cauſa ille ſanguinem effudit ſuum? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Succeſſoribus committebat.* S. Leo ſerm. 2. de Anniverſario Aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum ſic ait: *manet diſpoſitio veritatis, & D. Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeverans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit; perſeverat ſcil. Petrus, & vivit in ſucceſſoribus ſuis.* Et Philippus Presbyter in Concilio Epheſino Tom. 2. c. 16. ita loquitur: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, S. Petrum Apoſtolorum Principem & Caput, Eccleſiæ Catholicæ Fundamentum per Succeſſores ſuos hucusq́; ſemper vivere, ſemperq́; victurum eſſe. Hujus igitur Ordinis Succeſſor Papa Cœleſtinus nos ad hanc Synodum miſit.* Simili modo ſcribens S. Chryſologus in epiſt. quæ Concilio Chalcedonenſi præponitur, hortatur Eutychetem hæreſiarcham ad obedientiam Leoni Papæ in materia fidei potiſſimum præſtandam: *Hortamur*, inquit, *te ut ijs, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in prima ſede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Eadem doctrina ſuadetur hoc fundamentali diſcurſu. Si poteſtas Pontificia S. Petro collata debet eſſe perpetua, tunc S. Petrus debet habere continuos Succeſſores. Atqui verum eſt Antecedens. Ergo & conſequens. Sequela Majoris per ſe liquet; ſiquidem Petrus jam pridem mortuus non poteſt illo munere fungi. Ergo debet habere Succeſſores, ſicut in ſimili de Leviticis Sacerdotibus ait Paulus Hebr. 7. v. 23. *Plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere.* Probatur Min. Quamdiu manet neceſſitas, ob quam Chriſtus Eccleſiam ſuam diligit, ut ſponſam, necquidquam ei neceſſarium patitur deeſſe juxta illud Iſajæ 5. v. 4. *quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci.* Atqui illa neceſſitas ſemper durat, quia neceſſitas, obquam Chriſtus inſtituit Pontificatum, fuit conſervanda fidei unitas, quæ ſemper manet, imò indies augetur, cum ſemper plures & pejores hæretici exurgant. Ergo & poteſtas ſemper duret.

II. Confirmatur 1. Quamdiu durat Eccleſia, tamdiu durare debet ejus fundamentum. Sed Eccleſia perpetuò durat juxta illud Danielis 2. v. 44. *ſuſcitabit DEUS cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & ipſum ſtabit in æternum.* Ubi loquitur Propheta de regno Chriſti, quod eſt Eccleſia, ut patet ex antecedentibus. Ergo & fundamentum hujus ſcil. Petrus ſemper durare debet, non quidem in propria Perſona, quæ fuit mortalis, ſed in Succeſſoribus. Confirmatur 2. Ex figura Veteris Teſtamenti. Nam in Synagoga ſemper ac perpetuâ ſucceſſione unus aliquis erat ſummus Pontifex, qui ſummâ poteſtate in Spiritualibus præeſſet, eamq́; gubernaret. Ergo multô magis tribuendum Eccleſiæ.

III. Cæterùm Romani Pontifices Petro ſuccedentes non ſunt Succeſſiores Chriſti, ſed tantùm Vicarij, ſicut & Petrus fuit. Nam qui ſucceſſorem habet, officium deſerit, & in alterum transfert, Chriſtus autem non depoſuit curam Eccleſiæ, ſed ſemper illam gubernat partim per ſeipſum immediatè, partim per ſuos Vicarios. Unde D. Auguſtinus tract. 50. in Joannem prope finem: *ſecundùm præſentiam*, inquit, *Majeſtatis ſemper habemus Chriſtum: Secundùm præſentiam verò carnis rectè dictum eſt Diſcipulis: me autem non ſemper habebitis; habuit enim illum Eccleſia ſecundùm præſentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.* Petrus quoquè duplicem habuit poteſtatem ſibi à Chriſto conceſſam; unam Apoſtolicam cum cæteris Apoſtolis communem: alteram propriam, jurisdictionem ſcil. Pontificialem. In priori nemo illi ſucceſſit, quantumvis adhuc Pontifices dicantur Apoſtolici propter ſimilitudinem cum Apoſtolis in univerſitate jurisdictionis ſupra univerſum mundum. De poſteriori locuti ſumus; pro qua expreſſiùs declaranda ſit.

IV. *Doctrina Secunda.* D. Petro in Pontificatu & univerſali Eccleſiæ poteſtate ac jurisdictione ſemper etiam aliquis ſucceſſit, & quidem ex inſtituto Chriſti & jure divino; quidquid ſit de ratione ſucceſſionis, num ad iſtum potius, quàm illum ſpectet, de quo in controvers. ſequenti. Probatur 1. ex S. Script. non quidem per textũ expreſſum ſed evidentem illationem. Nam cum Chriſtus ipſe inſtituerit in Petro Pontificatum duraturum uſque ad finem mundi, ut fieri oportuiſſe recèns in priore doctrina oſtendimus, hoc ipſo voluit ſucceſſionem in eodem Pontificatu fieri, & poteſtatem Pontificiam concedere legitimo Succeſſori, quisquis ille fuerit. Ad hæc non tantùm credenda ſunt, quæ expreſsè habentur in Scriptura, ſed etiam, quæ luculenter inde deducuntur: aut ex Traditione in Eccleſia cuſtodiuntur, ſicuti evidenter ex verbis Chriſti, *Tu es Petrus*, id eſt, ſolidus in fide: *& ſuper hanc Petram &c.* Item illa: *confirma fratres tuos.* Et: *paſce oves meas* colligitur ſucceſſio in Pontificatu Petri, eademq́; ex Traditione in Eccleſia cuſtoditur. Unde

V. Probatur 2. ex Patribus. Nam omnes, quotquot nobis ſeriem & ſucceſſionem Romanorum Pontificum ſcripto reliquerunt, primo loco S. Petrum ponunt. Sunt autem iſti. Irenæus adverſus hæreſes cap. 3. Tertullianus adverſus Marcionem Lib. 3. cap. 9. Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium Papam. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. Ambroſius Serm. 11. qui eſt de mirabilibus. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Item epiſt. 57. ad Damaſum. Auguſtinus, qui cap. 4. tractatûs illius, quem ſcripſit contra Epiſtolam Fundamenti Manichæi inter vincula Sacra, quibus in gremio Eccleſiæ Catholicæ tenebatur, commemorat etiam continuam ſucceſſionem Sacerdotùm ſummorum: *Tenet me*, inquit, *in Eccleſiæ Catholicæ gremio ab ipſa Sede Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit usq́; ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum.* Et rurſus epiſt. 165. ad Generoſum ſic ſcribit: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantô certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, ſupra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus &c.* Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 631. ubi hanc D. Auguſtini Auctoritatem urgent contra Crocium. Plures alios Patres eorumque verba expreſſa adducunt Card. Bellarminus Lib. 2. de Rom. Pontif. à cap. 12. Jodocus Coccius in ſuo Theſauro Lib. 7. art. 5. & alij. Ego ex ipſorum teſtimonijs in rem præſentem ſic argumentor: Si verum eſt, quód allegati Patres de S. Petro atteſtantur, ſequitur luculenter, Petrum Eccleſiæ univerſæ ſummum Pontificem fuiſſe, in eodemq́; Pontificatu Succeſſores habuiſſe. Sed extra omnem controverſiam eſt, quod prædicti Patres affirmant. Ergo &c.

VI. Pro-

Digitized by Google

VI. Probatur 3. ratione. Si D. Petrus in Eccleſia Chriſti habuit primam Sedem ſeu Cathedram ſummam, tunc iſte fuit primus ac ſummus Pontifex, & in hoc Pontificatu illi ſucceſſerunt, quicunque in eadem Sede ſeu Cathedra ſucceſſerunt. Sed Petrus ex communi omnium Patrum atteſtatione in Eccleſia Chriſti habuit primam Sedem ſeu Cathedram ſummam. Ergo & ipſe fuit ſummus Pontifex Eccleſiæ, & in hoc Pontificatu ſucceſſerunt, quicunque in eadem illa Sede & Cathedra ſucceſſerunt. Major patet à paritate. Sic enim, quia Cæſar Octavianus Auguſtus in Romano Imperio Thronum Imperialem habuit, fuit & ipſe Imperator, & in hac ſuprema Imperatoria dignitate ſucceſſerunt, quicunque in illo Throno Imperiali ſucceſſerunt. Minor conſtat vel ex illis Tertulliani loc. cit. notiſſimis verſibus.

Hâc Cathedrâ Petrus, quâ ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum primum conſidere juſſit.
Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit Ovilis.

VII. Ecce Petro primo attribuitur Sedes & Cathedra Epiſcopalis, & in eadem alios ſucceſſiſſe dicitur, & ab omnibus Fidelibus creditur. Idipſum clariſſimè exprimit Optatus Milevitanus in cit. lib. 2. cont. Parmenianum hiſce verbis: *Si ignoras, diſce &c. In urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus. Inde & Cephas appellatus eſt, in quo Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur. Ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedrâ unicâ, quæ eſt prima de dotibus, Sedit Petrus. Cui ſucceſſit Linus &c. Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt Socius, cum quo totus Orbis commercio Formatarum in una communionis Societate concordat.* Similia habent alij Patres locis ſupra citatis. Ex quibus apertiſſimè habetur 1. D. Petrum habuiſſe Cathedram Epiſcopalem & fuiſſe Epiſcopum. 2. Hanc cathedram fuiſſe ſingularem, unicam (cui omnes aliæ erant ſubordinatæ) ac ſupremam. 3. In eadem Sede ac Cathedra Epiſcopali & univerſali cum ſumma poteſtate ſucceſſiſſe Linum, Cletum, Clementem & alios ex alijs uſq; ad Modernum Papam *Innocentium XI.* Atque hos omnes veros fuiſſe Epiſcopos Sumos, quibus cum totus Orbis in una communionis Societate concordat. Videatur Forer in Antiquo Papatu, ubi Lib. 5. cap. 16. à num. 27. allata Optati verba pluribus explicat & urget contra Molinæum.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. Error Primus. S. Petro nullus unquam legitimè ſucceſſit, licet multi pro talibus Succeſſoribus ſe geſſerint. Ita Sectarij tam confertim, quàm pertinaciter, ut videre eſt apud Gerhardum Lutheranum Lib. 2. part. 1. fol. 468. & Ameſium Calviniſtam Tom. 1. fol. 168. poſt Wiclephum, cujus error 27. erat: *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe in Spiritualibus unum Caput regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante converſetur & conſervetur*; qui error fuit damnatus in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. citata. Probant Novatores hunc ſuum errorem 1. In Sac. Scriptura nulla ſit mentio ſucceſſionis Petri. 2. Si Petro aliquis ſucceſſiſſet, utique unus ex Apoſtolis ſucceſſiſſet cæteris dignior. Sed nullus Apoſtolorum ſucceſſit Petro, ut etiam fatentur Catholici. Ergo &c. 3. Intra centum annos poſt Petrum nullus legitur aliquam juriſdictionem in totum orbem exercuiſſe. Ergo nullus in univerſali poteſtate ſucceſſit Petro. 4. Prophetæ etiam fuerunt propter Eccleſiam, & Eccleſia non minùs nunc eget varijs prophetijs, quàm olim; hæc tamen prophetia non fuit continuata. 5. Petrus habuit poteſtatem faciendi miracula, eijciendi dæmonia, linguis loquendi novis: item ut Epiſtolæ illius partes eſſent Scripturæ Canonicæ. Ergo iſta quoque Succeſſori convenient. 6. Epiſtolæ Decretales Summorum Pontificum in primis tribus ſæculis reijciuntur ab ipſis Cardinalibus Bellarmino & Baronio. Ergo illis trecentis primis annis, inquit Molinæus Lib. 3. cap. 3. fol. 313. Epiſcopus Romanus non fuit Eccleſiæ Univerſale Caput. 7. Circa mortem, corpus, & oſſa Petri Romæ aſſervata variant Scriptores &c.

IX. Errorem iſtum ſupra jam ſatis rejecimus. Nam certum eſt, Pontificem eſſe propter Eccleſiam: non Eccleſiam propter Pontificem. Atqui Eccleſia non minùs nunc eget uno Pontifice & ſupremo Rectore, quàm tempore Apoſtolorum, imò verò etiam magis. Ergo moriente Petro non debuit interire ſupremus Rectoratus (qui non in Petri commodum, ſed in Eccleſiæ utilitatem inſtitutus erat) ſed permanere, dum ipſa Eccleſia manet. Nec mirum, Sectarios adeo totos in eo eſſe, ut ſucceſſionem Romanorum Pontificum in Sede D. Petri tollant; quia haud obſcurè inde advertunt tam Sectarum ſuarum obſcuritatem, quàm Eccleſiæ Catholicæ claritatem. Unde Epiphan. poſt enumeratos Romanos Pontifices: *nec quis*, inquit, *miretur, quod tam exactè ſingula recenſeamus; per hæc enim claritas oſtenditur.* Irenæus quoque Lib. 3. c. 3. poſtquam exactè enumeravit Romanos Pontifices à Petro ad Eleutherium, addit, *per hanc ſucceſſionem confundi hæreticos.* Argumenta Adverſariorum ex dictis facilè refelluntur; ut tamen ſingulis clarè ſatisfiat.

X. Reſpon. ad 1. Succeſſionem in Monarchia Eccleſiaſtica Petri eſſe ex jure divino, & Chriſti inſtituto, eamquè evidenter colligi ex Sac. Scriptura ſupra jam diximus. Addo Eccleſiam eſſe unum Corpus, & ſuum quoddam Caput hîc in terris habere præter Chriſtum, ut patet ex 1. Cor. 12. Ubi, poſtquam dixit Apoſtolus, Eccleſiam eſſe unum Corpus, ſubjecit v. 21. *non poteſt Caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij*; quod certè non convenit Chriſto; ipſe enim poteſt omnibus nobis dicere, *non eſtis mihi neceſſarij.* Nullum autem Caput aliud aſſignari poteſt præter Petrum: nec moriente Petro Corpus Eccleſiæ manere debet ſine Capite. Aliquis ergo Petro ſuccedat, neceſſe eſt. Ad 2. Apoſtolos multis de cauſis non fuiſſe Petro ſubrogatos. 1. quia moriente Petro pauci ſupererant. 2. quia ſuperſtites valde ſenes & decrepiti fuerunt, ut tam laborioſo officio non poſſent diu fungi. 3. quia procul aberant Româ, ubi oportebat Epiſcopum reſidere. 4. ne Pontificatus confunderetur cum Apoſtolatu, & ille putaretur idem eſſe cum iſto; quæ ultima ratio inprimis rem ſuadere videtur. Ad 3. negando aſſumptum, quod prorſus falſum eſt; conſtat enim ex antiquis Patribus & Hiſtoricis, primos Petri ſucceſſores Li-

Digitized by Google

res Linum & Clementem multos Epiſcopos alijs Provincijs propoſuiſſe, qui eſt manifeſtus actus Pontificalis. Unde Baronius ad an. Chriſti 80. bene ſcribit, ex eo, quod Linus Petri primus ſucceſſor ordinârit tam Diaconos & Presbyteros, qui Romanæ Eccleſiæ uſui eſſent, quàm Epiſcopos, qui in diverſas orbis Provincias mitterentur, perſpicuum fieri, muneris fuiſſe Romanorum Pontificum, non ſolùm Urbis, ſed & Orbis totius Eccleſiæ conſulere. Ad 4. hoc eſſe merum effugium, & tam ineptum, ut ejus pudeat Ameſium; quis enim ſapiens donum Prophetiæ unquam habuit tanquam ordinarium Eccleſiæ miniſterium præter hunc Somniatorem? Ad 5. iſthæc non requiri ad poteſtatem illam Paſtoris univerſalis; ut ſic, in qua ſola Romanus Pontifex Petro ſuccedit: requirebantur autem eadem in primis illis Eccleſiæ plantatoribus, quæ idcirco illis non defuerunt. Unde & hoc Puritani argumentum riſu dignum eſt. Ad 6. eſſe planè impudens mendacium Molinæi, quod Baronius & Bellarminus primorum Paparum epiſtolas indefinitè rejecerint. Baronius an. Chr. 166. n. 1. duas epiſtolas Pij 1. vocat planè aureas. Bellarminus has ipſas pro Romani Pontificis Primatu adducit Lib. 2. de Pontif. cap. 14. Plura loca ex prædictis epiſt. apud utrumque Cardinalem oſtendit Forer loc. cit. p. 2. fol. 128. Ad 7. & ultimam probationem patebit ex Controverſia ſequenti §. VI. & VII. Aliquid etiam contra eandem mox dicemus.

XI. *Error Secundus.* Petrum non fuiſſe Romanum Epiſcopum, ideoq; nullum illi in Romano Epiſcopatu ſucceſſiſſe. Ita cum ſuis adhærentibus Tobias Wagner in cenſura motivorum Lect. Beſoldi à fol. 200. Probat præcipuè ex eo, quod Patres, quos Beſoldus allegat, id non aſſerant, ſed loquantur vel. 1. ſolùm de fundatione Romanæ Eccleſiæ; in qua Petrus ſocium habuit Paulum, ideoque nihil peculiare. Vel 2. de Sede & Cathedra; & hanc alij etiam Apoſtoli alibi habuerunt. Vel 3. de ſucceſſione Romanorum Epiſcoporum, Lini, Cleti, Clementis &c. in qua Petrus à Patribus non Epiſcopus, ſed Fundator ſolùm ponitur cum Paulo. Vel 4. de eminentia Romanæ Eccleſiæ; quæ ſufficienter habetur ex duobus Apoſtolis Petro & Paulo ejus Fundatoribus. Vel 5. de prædicatione Evangelij Chriſti; quam itidem Romæ fecit Paulus. Vel denique 6. de materiali Eccleſia, quæ jam tempore Alerici ſplendidè fuit ædificata Romæ. Confirmatur 1. Eſt contra vocationem Apoſtolorum fixam habere Sedem per 25. annos, cum in omnem terram à Chriſto mandati fuerint. 2. Petrus non alio modo fuit Romæ Epiſcopus, quàm Antiochiæ. Sed Antiochiæ non fuit Epiſcopus Monarchicus. Ergo nec Romæ. 3. Si quis Petro Romæ ſucceſſiſſet in regimine totius Eccleſiæ, eligi debuiſſet à tota Eccleſia; etenim particulares Eccleſiæ non poſſunt alijs Caput imponere, in quas nullam juriſdictionem habent; ſicuti populus Gallicus non poteſt eligere Regem Hiſpaniarum. Sed nullus eorum, qui numerantur inter Pontifices, fuit à tota Eccleſia electus, ſed tantùm à Clero Romano. Ergo nullus legitimè ſucceſſit Petro in Regimine univerſæ Eccleſiæ.

XII. Error iſte eſt cæci planè Tobiæ Wagneri qui tamen inter talpas hæreticos ſibi oculatus videtur, ideóque auſus fuit ſibi ſumere refutanda motiva Fidei Catholicæ, quibus motus ad Romanam Eccleſiam ſe convertit Chriſtophorus [...] clarus Jurium Doctor, & vir celeberrimus. Sed ad propoſitum. Petrum Romanum fuiſſe Epiſcopum, Antiqui Patres abunde teſtantur. Nam 1. nominant illum *Epiſcopum Romæ.* 2. attribuunt ipſi ibidem *Cathedram Epiſcopalem.* 3. Seriem Romanorum Epiſcoporum *ab ipſo* numerare incipiunt & in primo eum loco ponunt. 4. ſcribunt *Romæ ipſum mortuum fuiſſe & quidem Epiſcopum. Petrus Apoſtolus*, inquit Euſebius Cæſarienſis in Chronico An Chriſti 44. *Natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cum primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans viginti quinq; annis ejuſdem Urbis Epiſcopus perſeverat.* Et quamvis prima verba (natione Galilæus & Chriſtianorum primus Pontifex) non in omnibus exemplaribus reperiantur, atque idcirco etiam à Baronio An. Chriſti 44. omittantur, reliqua tamen apud omnes indubitata ſunt, & ad propoſitum noſtrum unicè faciunt; quia non jam de Primatu Petri, quem ſupra luculenter probavimus, ſed de ejuſdem Epiſcopatu agitur, qui in terminis aſſeritur. Et certè hæc Patrum teſtimonia æquè perſpicua ſunt, ac quando de Iulio Cæſare ſcribitur, quod fuerit Imperator Romanus, Cæſareum thronum Romæ habuerit, primus inter Romanos Imperatores extiterit, Romæ tanquam Imperator mortuus & occiſus fuerit. Unde apparet, Adverſarios veritatem luce clariorem obſcurare velle.

XIII. Reſpon. 1. ad probationem. Patres apertiùs & ſolidiùs ſtare pro doctrina noſtra, quàm ut tam facilè in alienum ſenſum detorqueri ſe patiantur, nihilque aliud ſunt omnes allatæ interpretationes, quàm inania effugia. Ad 1. dicimus, Paulum fuiſſe quidem Fundatorem Eccleſiæ Romanæ; at non æquè primum ac præcipuum, ſicuti fuit Petrus; cujus primatus antè jam probatus facit, ut proinde ſimiles locutiones Patrum, quibus utrumq; Petrum & Paulum Eccleſiæ Romanæ Fundatores & Epiſcopos aſſerunt, pro ſubjectâ ſemper materia ſint intelligendæ, cum Fundatio & Epiſcopatus Petri in Romana Eccleſia longè aliter ſe habeat, ac Pauli; ille enim prædictæ Eccleſiæ primus ac præcipuus fuit Fundator & Epiſcopus: iſte verò ſolùm Petri confundator & Coadjutor, eiq; ſubordinatus, ut ſupra jam diximus. Alioquin, niſi hujuſmodi diverſitas pro ſubjecta materia attendatur, cùm non ſolùm Chriſtus, ſed etiam Apoſtoli 1. Cor. 3. v. 10. fundamenta Eccleſiæ dicantur, admittendum erit, non aliter Chriſtum, quàm ipſos Apoſtolos eſſe fundamentū Eccleſiæ, quod utique abſurdum eſt. Ad 2. non negari hoc, ſed alibi jam probatum ſupponitur, Petro à Chriſto conceſſum fuiſſe Principatum, vi cujus omnes Eccleſiæ ab alijs quibuſcunque erectæ ipſi ſunt ſubordinatæ, atque ab ejuſdem ſuprema poteſtate dependent. Ad 3. quando Linus, Cletus, & ſequentes Rom. Pontifices dicuntur Succeſſores Petri, hunc ipſum in numero Epiſcoporum Romanorum includi, ſicuti Julius Cæſar intra ſeriem ſucceſſorum in Imperio continetur; Linus autem dicitur ſecundus, aut, quod idem eſt, primus à Petro, ſicut Auguſtus Imperator ſecundus, aut primus à Julio Cæſare fuit. Ad 4. SS. Patres apertis verbis attribuere D. Petro Epiſcopalem Sedem & Cathedram. Ergo Epiſcopus fuerit, oportet. Ex quo eminentia Eccleſiæ Romanæ ſupra omnes alias ſurrexit. Ad 5. non eſſe dubium, quin Petrus Romæ prædicaverit, ſed

Digitized by Google

ſimul etiam in eadem Urbe Roma Cathedram Epiſcopalem collocaverit, ut affirmant expreſsè Patres. Ad 6. denique, Petrum longè ante Romæ fuiſſe, quàm ullum ædificatum eſſet templum. & non quomodocunque & indeterminatè Epiſcopum ibidem vixiſſe, ſicuti Judæ Apoſtolatus vocatur Epiſcopatus Pſal.108. v. 8. ſed propriè & determinatè. Nam *in Roma*, inquit Epiphanius hæreſi 27. *fuerunt primi Petrus & Paulus Apoſtoli, iidem & Epiſcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, &c.*

XIV. Reſpond. 2. ad 1. confirmationem. Apoſtolos fuiſſe quidem à Chriſto in univerſum mundum amandatos, non tamen, ut ſinguli ubiq; prædicarent Evangelium, utq; omnes ſimul fidem per univerſum orbem propagarent; Unde inter ſe diviſionem Provinciarum fecère atq; in diverſa loca diſceſsêre: at verò non ita ex uno loco in alterũ properârunt, ut inde incredibile fieret, Petrum 25. annis Romæ perſtitiſſe ejus Urbis Epiſcopum; quantumvis non requiratur ad Epiſcopum loci proprium, ut in eodem ſemper loco reſideat, cum abſentiam ſuam per Vicarium ſupplere poſſit, ſicuti ex Romanis Pontificibus Clemens V. Joannes XX. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. in Gallia manſerunt, & tamen Romani Pontifices extiterunt, cum Eccleſiæ Romanæ verè præfuerint, & Romæ per Vicarios ſuos rexerint. Ad 2. certiſſimum eſſe, Petrum Antiochiæ quoq; Epiſcopum fuiſſe; ſed non perinde Eccleſiæ Antiochenæ, ac Romanæ Primatum ſuum annexuiſſe. Fuit igitur proprius Antiohiæ & Romæ Epiſcopus, ſed Epiſcopatum Antiochenum tanquam privatum reliquit Evodio, Romanum verò tanquam Vniverſalem poſſedit, Et ut talem omnibus Succeſſoribus conceſſit poſt vitam & martyrium ſuum. Ad 3. commodius infra reſpondebimus, ubi ex inſtituto de Electione Papæ agemus.

CONTROVERSIA XXVI.

AN OMNES SUMMI PONTIFICES DEBEANT ESSE ROMANI,

GRavis hic ſe offert quæſtio, in qua nec inter Catholicos Doctores convenit. Utrum conjunctio Papatûs & Supremæ Juriſdictionis cum Epiſcopatu Romano ſit ex voluntate Chriſti, adeoque de jure divino: an ſolùm ex voluntate D. Petri, cujus arbitrio ac poteſtati fuerit relictum à Chriſto, cui velit Epiſcopatui dignitatem illam ſupremam annectere? Si primum, non poteſt fieri mutatio: Si alterum, poteſt fieri à quolibet Papa, cum ſinguli tantam habeant poteſtatem, quantam habuit Petrus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Sanctus Petrus præter univerſalem gubernationem totius Eccleſiæ peculiarem curam habuit Urbis Romæ, cujus loci proprius fuit Epiſcopus, & in eâ per Crucis Martyrium Domino Spiritum reddidit. Hujus doctrinæ veritas, inquit, Card. Bellarminus Lib. 2. de ſum. Pontif. cap. 1. ultra mille quingentos annos conſtantiſſimè à toto orbe terrarum credita fuit, & eam docet Hiſtoria Eccleſiaſtica; unde accepimus, Petrum poſt mortem Chriſti quinque annis permanſiſſe in Judæa: inde in Syriam fuiſſe profectum, & Antiochiæ Sedem collocaſſe per ſeptê circiter annos: hinc Romam abiiſſe An. Chriſti quadragiſmo quarto, & ibi annos viginti quinque ſediſſe, ſubinde tamen excurrendo Jeroſolymam, & in alias Provincias: tandem an. Chriſti 69. Romæ Martyrio coronatum fuiſſe, ut pluribus Patrum teſtimonijs probant Sanderus in præſtanti Opere ſuo de viſibili Monarchia Eccleſiæ Lib. 6. cap. 10. & alij in ſuperiori Controverſia relati, ubi etiam doctrinam hanc jam dedimus & authoritate ac ratione ſtabilivimus.

II. Hæc autem translatio Sedis Pontificæ ex Judæa Romam divino inſtinctu facta videtur duabus ex cauſis. Prima. Ut indicaret Chriſtus, ſe deſertis Judæis incredulis ad Gentes migrare, quarum Caput erat Roma, ſicut prædixerat Matth. 23. v. 38. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et Matth. 8. v. 11. *dico autem vobis, quod multi ab Oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham Iſaac & Jacob in Regno Cælorum: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores;* quod fuſiùs declaravit pèr parabolam hoſpitum Luc. 16. v. 16. Ubi cum hoſpites invitati nollent comparere, Mendici ex plateis collecti fuerunt. Alteram cauſam indicat D. Leo Serm. de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, quod ex Urbe Romana Capite totius Mundi fides Catholica faciliùs ſpargeretur; ſic enim ait: *Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij, ut Lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo Capite per totum mundi corpus diffunderet, cujus enim Nationis homines in hac tunc Urbe non eſſent? aut quæ uſquam Gentes ignorarent, quæ Roma didiciſſet?*

III. *Doctrina Secunda.* Quotquot hactenus in Pontificatu ſucceſſerunt Petro, omnes fuerunt Romani Pontifices. Conſtat ex Chronologia Card. Bellarmini & Tabulis chronographicis P. Jacobi Gualteri, qui de anno in annum deſcribunt ſeriem Pontificum, nec oſtendi ullus poteſt, qui non fuerit Epiſcopus Romanus; imò ex 243. nec fuit unquam, qui ſe Petri Succeſſorem ullo modo aſſerverit, præter Romanum & Antiochenum Epiſcopos. Sed Antiochenus non ſucceſſit Petro in Pontificatu totius Eccleſiæ. Ergo Romanus.

IV. Porro Succeſſionem iſtam Romani Pontificis in Eccleſiaſtica Hierarchia Card. Bellarminus magnâ eruditionis copiâ & ſoliditate doctrinæ Lib. 2. de ſum. Pontifice à cap. 13. confirmat. Nempe 1. ex Concilijs generalibus Nicæno. Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi &c. 2. ex teſtimonijs 12. Summorum Pontificum ſanctitate & doctrinâ è primis ſæculis illuſtrium. 3. ex tredecim veterum Græcorum: & 4. ex totidem antiquorum Latinorum Patrum conſenſu, qui omnes non fuerunt ſummi Pontifices 5. ex Origine & Antiquitate hujus Primatûs, cum reverâ ejus initium uſque ad Chriſtum & S. Petrum inveniri nullum queat. 6. ex Authoritate, quam ſemper exercuerunt veteres Pontifices in Epiſcopos cæteros; ſiquidem legimus à Pontificibus Romanis Epiſcopos in

pos in toto orbe inſtitutos, vel depoſitos, vel reſtitutos, ut ſubjectis exemplis monſtratur. 7. ex legitimis Diſpenſationibus & Cenſuris. 8. ex Vicarijs Papæ. 9. ex jure Appellationum. 10. denique quod Summus Pontifex à nemine judicetur. Quæ omnia talia ſunt, ut non modò ſimul ſumpta, ſed pleraque etiam ſeorſim cuilibet prudenti rem planè perſuadere poſſint ac debeant. Nos ſuis quæque locis attulimus, quæ ad ſucceſſionis in Monarchia Eccleſiaſtica neceſſitatem comprobandam magis faciebant, nec alium Succeſſorem Petri, quàm Romanum Pontificem intelleximus; quamvis juxta exigentiam methodi prius de Succeſſore indeterminatè egerimus, quàm nominatim Romanum Pontificem exprimeremus. Quæ etiam deſiderari adhuc poſſunt ad eundem ſtabiliendum, commodiùs in ſequenti Controverſia dabimus, ubi oppoſitum errorem refutabimus. Solùm hîc expreſſa verba Concilij Nicæni 1. adducere lubet, quæ in can. 6. ſic habentur: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum; Mos autem perduret.* Ubi tria breviter adverto. 1. Concilium non dicere, nos Eccleſiæ Romanæ Primatum conferre, ſed profiteri, ante jam ſemper habuiſſe à tempore Apoſtolorum. 2. Morem hunc, ut ſcil. Primatus Romanæ Eccleſiæ ſit conjunctus, perdurare oportere, & cur? niſi ex inſtitutione Chriſti. 3. hunc canonem in concilio Chalcedonenſi lectum fuiſſe, & eo bene percepto Judices dixiſſe: *Perpendimus, omnem Primatum & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ DEI amantiſſimo Archi-Epiſcopo conſervari.*

VI. Nunc illa, quam diximus, quæſtio decidenda venit. An conjunctio Summi Pontificatûs cum Romano Epiſcopatu ſit de jure divino? Pro qua obſervandum ex Bellarmino Lib. 2. de Sum. Pontif. cap. 12. aliud eſſe ſucceſſionem: aliud rationem ſucceſſionis, ut ſupra jam inſinuavimus; de illa certum eſt, quod ſit ex inſtitutione & jure divino: de hac non item; quia aliqui etiam ex Catholicis Doctoribus in oppoſitum allegantur; quo tamen non obſtante, abſolutè Romanus Pontifex totiùs Eccleſiæ Caput & Paſtor eſt dicendus. Poſito etiam (non conceſſo) quod de jure divino non ſit, Romanum Pontificem ſuccedere Petro, id tamen ad fidem Catholicam pertinet; quippe idem non eſt, aliquid eſſe de fide: & eſſe de jure divino; nec enim de jure divino fuit, ut Paulus haberet penulam, eſt tamen hoc de fide, Paulum habuiſſe penulam ex 2. Tim. 4. v. 13. ubi Apoſtolus ſcribit: *penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Et quamvis expreſsè non habeatur in S. Scriptura, Romanum Pontificem ſuccedere; Petro attamen ſuccedere aliquem deducitur evidenter ex Sac. Scripturis; hunc autem eſſe Romanum Pontificem, habetur ex Traditione Apoſtolica D. Petri, quàm Concilia Generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declararunt, ut jam ex dictis conſtat. Hoc præmiſſo.

VII. *Doctrina tertia.* Summus Pontificatus ex jure divino & inſtitutione Chriſti annexus eſt Urbi Romanæ, ut nullus eligi poſſit Pontifex, niſi fiat unà Pontifex Romanus. Ita probabilius Card. Bellarminus Lib. 2. cap. 12. Gretſerus in defenſione Bellarmini, Valentia, Salmeron, Triedo, Turrecremata, Jacobus Tirinus & alij, quos refert & ſequitur Adamus Tanner Tom. 3. Diſp. 1. Q. 4. num. 150. Probatur 1. Teſtimonijs Patrum, qui ſimpliciter & abſolutè ita loquuntur, Romanum Pontificem hoc ipſo, quod ſit Pontifex, divino jure & inſtitutione Chriſti Succeſſorem eſſe Petri, atque ad hanc ipſam rem probandam Scripturæ teſtimonia accommodant, qui proinde rectiùs & convenientiùs ita intelliguntur. Adducam nonnullos. Anacletus cap. 2. Diſt. 22. ait, *Sacroſancta & Romana & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Salvatore noſtro Primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper omnes Eccleſias.* Nicolaus 1. cap. 1. eâd. Diſt. *Romanam Eccleſiam ſolus Chriſtus fundavit, & cæteris cunctis Eccleſijs prætuliſſe, agnoſcitur.* Pelagius 1. cap. 3. Diſt. 21. *Romana Eccleſia nullis Synodicis conſtitutionibus prælata eſt cæteris, ſed Evangelicâ voce Domini & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit,* Iulius 1. epiſt. ad Antiochenos ſcribit in hæc verba: *Romanam Eccleſiam ipſe Dominus allocutus eſt dicens: Tu es Petrus &c. Domini voce ſacrata atquè deſuper exaltata eſt.* Nicolaus III. cap. 17. de Elect. in 6. ait: *Romani Sacerdotij Principatum & Chriſtianæ Religionis Caput Imperator cæleſtis conſtituit.* In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Can. 5. dicitur *Romana Eccleſia diſponente Domino cunctorum Fidelium Mater atq; Magiſtra.*. Et in alio Lateranenſi ſub Julio II. *Romana Eccleſia divinâ inſtitutione obtinet Primatum.* Denique Innocentius III. ſerm. de Octava Apoſtolor. ſcribit: *Dominus ait ad Petrum, duc in altum, id eſt, vade Romam, ne tanti honoris dignitas ad aliam Civitatem quâcunque ratione tranſiret, ſed in hac Urbe juxta divinam diſpoſitionem maneret.* Huc etiam referri poteſt, quod Marcellus Papa in epiſt. ad Antiochenos ſcribat, *Petrum jubente Domino veniſſe Romam.* Item quod S. Ambroſius in Orat. contra Auxentium, & D. Athanaſius in Apol. pro ſua fuga affirmant, *Petrum juſſu Chriſti Romæ Martyrium pertuliſſe,* ſcil. illuc Chriſtus Dominus juſſu ſuo iter & Martyrium Petri direxit, quò ipſum eodem imperio deſtinavit ſummum Eccleſiæ ſuæ Pontificem; quo ipſo indicatur, voluiſſe Chriſtum nullum alium poſt Petri mortem eſſe Succeſſorem, quàm Romanum Pontificem.

VIII. Probatur 2. ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ ſemper & ſummos Pontifices & Epiſcopos Romanos creavit; utique non fruſtra, nec ſine ratione (cum variæ cauſæ ſuaderent, aliò potius Sedem transferre, idque Orientales Patriarchæ vehementer expeterent) ſed quia exiſtimabatur, ex divina diſpoſitione id fieri oportere. Probatur 3. ab experientiâ divinæ Providentiæ, quæ ſemper Romam ſingulariter conſervavit, licet multis hoſtium incurſibus vexatam præſertim Gothorum, Hunnorum, Wandalorum, Langobardorum &c., ut nunquam potuerit deleri, nec à vera fide penitùs avelli. Sed quid, ſi DEUS permitteret, Romam vaſtari, penituſque everti, ut nihil murorum & incolarum amplius exſtaret. Exiſtimo cùm Arriaga Tom. 5. D. 7. n. 46. tunc neceſſitate naturali ceſſaturam eam obligationem, adeóque Chriſtum neq; caſum hunc mandato ſuo comprehendiſſe, neq; voluiſſe, quò minùs in eodem caſu Succeſſor Petri Sedem ſuam alibi figeret. Probatur 4. ex formula Profeſſionis Fidei, quam Pius IV. præſcribit, ubi inter alia profitemur *Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem eſſe: & Romano Pontifici obedientiam ſpondemus.* Quæ profeſſio utique eſt etiam pro futuris ſæculis facta, adeóque ſupponit, ſummum Pontificem ſemper fore Epiſcopum Romanum.

IX. Oppoſitum huic tertiæ doctrinæ noſtræ tenent M. Dom. Bannez 22. Q. 1. art. 10. Sotus

Digitized by Google

Lib. 4. Sent. Diſt. 24. q. 2. art. 5. Alphonſus Mendoza in Controv. Theolog. q. 2. & alij apud hunc relati, quibus non parùm favet Ariaga D. 7. cit. n. 45. Moventur. Tum quia S. Petrus 12. annis fuit Pontifex, antequam veniret Romam, ut conſtat ex hiſtorijs. Ergo ſummus Pontificatus & particularis Epiſcopus Romanus non ſunt neceſſariò connexi. Tum quia nec ex Sac. Scriptura, nec ex Traditione oſtendi poteſt præceptum divinum hujus inſtitutionis. Tùm quia Clemens V. anno 1312. Seditionibus Italicis turbatus Sedem Pontificiam tranſtulit Avenionem in Gallia ſitam, ubi manſit annis 74. docet Gregorius XI. monitu S. Catharinæ Senenſis eam reduxit Romã an. 1376. Ergo Pontificatus non eſt annexus Romæ, ſed poteſt ad quamlibet partem mundi tránsferri. Tum quia ultimo tempore Antichriſti Roma ad idololatriam reverſa funditus deſtruetur juxta prophetiam S. Joannis Apocal. 17. & 18. ubi nomine meretricis purpuratæ & nomine Babylonis Doctores communiter intelligunt Romam; ubi tunc erit Pontifex, quando nulla erit Roma?

X. Hæc argumenta faciunt iſtam opinionem probabilem: noſtræ tamen Sententiæ majorem probilitatem non adimunt. Nam ſi Chriſtus Petro modum & tempus mortis præſignificavit 2. Pet. 1. v. 4. & Joan. ult. v. 9. multò magis illa, quæ circa Succeſſorem ejus fieri vellet. Unde meritò cenſemus, minùs probabile eſſe, quod ait Sotus loc. cit. Petri beneplacito fuiſſe relictum, cui vellet Epiſcopatui annectere Pontificatum. Nam SS. Patres abſolutè aſſerunt, *perfidiam non poſſe habere acceſſum ad Romanam Eccleſiam*; quod tunc non eſſet certum; etenim aliquis Pontificum Romanorum (utpote pari poteſtate præditus, quâ Petrus, cum hujus non Vicarius ſed Succeſſor ſit) poſſet divellere Primatum à Romana Eccleſia, & annectere Colonienſi, Salisburgenſi, aut Avenionenſi Eccleſiæ &c.

XI. Reſpon. ad 1. ex prædictis argumentis, D. Petrum, licet non ſtatim fuerit Romæ, mox tamen fuiſſe Romanum Epiſcopum; quia etiam abſens à Chriſto creari potuit, ſicut hodie ſæpenumeio fit in Epiſcopis creandis; plerumque Suffraganei Epiſcoporum creantur Epiſcopi Aſiæ, ubi nunquam fuerunt. Quare Petrus à Chriſto totius Eccleſiæ Pontifex conſtitutus non adjunxit ſibi Pontificatum Urbis Romanæ, quo modo Epiſcopus alicujus loci adjungere ſibi ſolet alium Epiſcopatum, ſed mox Romanæ Urbis Epiſcopatum ad ſummum orbis terrarum Pontificatum evexit. Unde qui eligitur Romanus Epiſcopus, eo ipſo eſt ſummus Pontifex totiùs Eccleſiæ, etiamſi fortè id non exprimant Electores. Ad 2. non exigendam à nobis eſſe rationem ex Scriptura vel Traditione, cum non aſſeramus, noſtram ſententiam eſſe de Fide. Adhæc fundamentum in Scriptura & Traditione non exiguum hujus doctrinæ innuitur, dum ex teſtimonijs tot Patrum aſtruitur, qui illam utique non ex ſuo merè ſenſu, ſed ex Scriptura & Traditione acceperunt. Ad 3. etiam abſentes à ſua diœceſi nihilominus manſiſſe Epiſcopos Romanos, quia localis præſentia non eſt de eſſentia juriſdictionis Epiſcopalis; certè non prodit Eccleſiaſtica hiſtoria, alium interea fuiſſe Romanum Epiſcopum, quàm Papam, etiamſi in Gallia tunc extiterit. Ad 4. Nomine Romæ non tam muros Vrbis intelligi, quàm Incolas ejus; licet ergo ab Antichriſto Roma funditus evertatur, tamen ubique remanſuros aliquot Fideles, quorum curam gerat Romanus Epiſcopus, ubicunque tunc exiſtens. Adhæc incertum eſt, an Roma ſit penitus extirpanda. Sed demus, non ſolùm muros, ſed etiam incolas ejus è medio ſublatum iri, jam diximus paulò ſupra, mandatum Chriſti in tali caſu non urgere, ſed poſſe Papam alibi ſuam habere ſedem.

XII. Ex his apparet, privilegium Primatûs Eccleſiæ, etſi quoad primam ſui à Chriſto inſtitutionem Matth. 16. v. 18. & Joan. ult. v. 15. ſolùm fuerit Perſonale, id eſt, conceſſum & annexum Perſonæ Petri (non ut erat perſona privata ſed publica, id eſt, ipſi & Succeſſoribus ejus) poſtea tamen nutu & juſſu ejuſdẽ Chriſti factum eſſe etiam Locale, ſeu certi loci, putà Romanæ Eccleſiæ affixum, à qua non poſſit ullâ humanâ poteſtate avelli.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIII. *Error primus.* D. Petrus nunquam fuit Romæ. Ita præter alios Novatores Udalricus Velenus Lutheranus integro libello octodecim ſuaſiones, ut vocat, complectente, ſed quæ omnes ad tres revocari poſſunt. 1. eſt, quod in Scriptura Sacra nulla fiat mentio hujus itineris, etiam in Actis Apoſtolorum, ubi Acta S. Petri enucleatè recenſentur. 2. quintuplicem conjecturam continet ex Epiſtolis D. Pauli. 1. eſt, quod Paulus Romã ſcripſerit ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes &c. nullâ Petri factâ mentione. 2. quod abſentiam hujus haud obſcurè indicet 2. Tim. 4. v. 16. ubi conqueritur, *in judicio neminem ſibi aſſiſtere*. 3. quod Paulus Corintho tam prolixam ſcripſerit epiſtolam ad Romanos, quæ minimè neceſſaria fuiſſet, ſi Petrus ibi extitiſſet ſufficiens ovium ſuarum inſtructor. 4. quod in eadem epiſtola c. 15. v. 23. ſcribat, *ſe deſiderare Romam perſonaliter proficiſci*; ad quid autem ſi Petrus ibi Paſtorem egiſſet. 5. denique quod ad Galat. 2. v. 9. affirmet, *Petro Judæos eſſe creditos, qui in Judæa erant, ſibi autem Ethnicos*. 3. perſuaſio Veleni ſumitur ex chronologia, quaſi hæc non ſatis cohæreret, ſi Petrus Romæ fuiſſet.

XIV. Error iſte ita inſolens eſt, ut Maldonatus noſter in cap. 16. Matthæi dicat: nemo ante Novatores neque Catholicus, neque hæreticus author fuit, qui non affirmaverit, & Petrum Romæ mortuum, & Romanos Pontifices ejus Succeſſores eſſe. Pugnabit ergo pro illo orbis terrarum contra inſenſator. Jacob. Tirinus in chronico ante 1. part. Comment. in univerſam Sac. Script. cap. ult. ſub finem Imperij Neronis ex innumeris penè totius orbis teſtibus docet, Petrum non ſolùm Romæ fuiſſe, ſed & mortem ibidem oppetiiſſe unà cum S. Paulo. Ipſi quoque hæretici idem affirmant Joannes Carion, David Chytræus, Joannes Funccius & alij, ut non malè Baronius putet, iſtam veritatem ex Traditione Romanæ Eccleſiæ haberi. Calvinus cum antea negaſſet, Petrum aliquando Romæ fuiſſe (nimirum in expoſitionibus ſuis in cap. 22. Iremiæ his verbis: *Roma nunquam vidit Patrum, ut arbitror*) alio deinde loco turpiſſimum hunc

hunc errorem, cujus ipſummet puduit, recantavit, ſcil. Lib. 4. Inſtit. cap. 6. his verbis: *Propter Scriptorum conſenſum non pugno, quin Romæ mortuus ſit Petrus. Sed Epiſcopum fuiſſe præſertim longo tempore non perſuadeor.* Veleno conſentire non audent Ameſius & Gerhardus: At bene Molinæus à fol. 283. cui ſcil. poſitâ fronte, nullum amplius mendacium tam luculentum & palpabile eſt, quod contra Romano-Catholicam Eccleſiam arripere non audet, impudenti ſuo Magiſtro Calvino impudentior. Vix autem affert aliquid, quod Velenus, non attigit. Solùm addit, circa mortem & oſſa Petri variare Scriptores, ideóque fabuloſa videri, quæ nunc circumferuntur. Sed videamus, quid ſubſit illis ſuaſionibus.

XV. Reſpon 1. ad 1. ſuaſionem, ex authoritate negativa Scripturæ nihil probari; ſiquidem non omnia ſcripta ſunt. Sufficit igitur authoritas Patrum & Doctorum Eccleſiæ teſtantium, Petrum Romæ fuiſſe, quales præter Scriptores apud Tirinum, ut dixi, relatos nominatim ſunt Anacletus, Tertullianus, Origenes, Chryſoſtomus, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Damaſus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius M. & alij apud Card. Bellarminum Lib. 2. de Pontiſ. à cap. 2. Imò ipſe Petrus in fine ſuæ epiſtolæ haud obſcurè inſinuat, ſe illam Romæ ſcripſiſſe, dum ſalutem ponit nomine Eccleſiæ, quæ eſt in Babylonia, id eſt, in Urbe Roma Babyloni antiquæ quoad amplitudinem, magnificentiam & ſplendorem imperij: item quoad multitudinem, varietatem, & confuſionem (hoc enim ſignificat Babel) Nationum, idolorum, vitiorum, ſpoliorum & opum totius mundi quàm ſimillima, ut pulchrè demonſtrat Oroſius, & unanimiter aſſerunt Sancti Patres, & Doctores orthodoxi apud Riberam, Viegam, & Alcazar in cap. 18. & 19. Apocalipſis. D. Lucæ in Actis mens non fuit, Apoſtolorum deſcribere vitas, ſed ſucceſſum primum Rei Chriſtianæ in Jeruſalem & locis vicinis: item acta referre D. Pauli proprijs hauſta oculis, cum hujus eſſet ſocius. Cæterùm nemo eſt, qui neſciat, innumeras fieri res magni momenti: non autem litteris conſignari.

XVI. Reſpon. 2. ad 2. ſuaſionem. Si conjecturæ ſimiles rem perſuadeant, ruit omnis fides antiquitati hactenus habita; quid enim antiquitus eſt factum, & ab Hiſtoricis relatum, contra quod inanes tales perſuaſiones excogitari nequeant? certe ſic nec D. Joannes fuerit Epiſcopus Epheſi, nec D. Jacobus Hieroſolymis; quia Paulus ad Epheſios & Hebræos ſcribens nec illius, nec hujus facit mentionem, & tamen Joannem Epheſi, Jacobum Hieroſolymis fuiſſe Epiſcopum, fatentur ipſi etiam hæretici. Ad 1. conjecturam dicimus. D. Petrum non ſemper Romæ hæſiſſe à tempore, quo in Urbem venit, ſed relictis Vicarijs Lino & Cleto in Britanniam, Hiſpaniam, & Africam ad Eccleſias ibi fundandas & firmandas excurriſſe; ut docent Innocentius 1. & alij, atque ex his Baronius, Bellarminus, Tirinus &c. Fieri ergo potuit, D. Petrum tunc temporis, cum ſcriberet Paulus, Romæ non fuiſſe, idque non latuiſſe Paulum. Quodſi Petrus Romæ tunc fuit, peculiares ad eum litteras, ut moris eſt, dederit Paulus, ut neceſſe non fuerit, in litteris publicis eundem rurſus ſalutare. Ad 2. quam præ cæteris urget Calvinus, D. Petrus tunc non fuiſſe Romæ. Adhæc cum ibidem Apoſtolus dicat, Lucam apud ſe fuiſſe, is non prorſus de omnibus eſt intelligendus, ſed de ijs ſolùm, qui juvare ipſum apud Cæſarem potuiſſent, cujuſmodi fuerunt quidam Nobiles, non autem Petrus, æquè ac Paulus Cæſari exoſus. Ad 3. D. Paulum etiam ad alias Eccleſias, ubi alij erant Apoſtoli, dediſſe litteras, non tanquam neceſſarias, ſed ad ſubſidium Petri. Ad 4. Apoſtolum ſpeciali inſtinctu Romam anhelaſſe ad locum martyrij ſui. Ad 5. denique, poteſtatem Apoſtolatûs non fuiſſe uni loco affixam, ſed in totum orbem diffuſam; quamvis prima cura Judæorum fuerit demandata Petro, & Paulo Ethnicorum, de qua iſte fuit locutus.

XVII. Reſpon. 3. ad 3. ſuaſionem Veleni, pulcherrimè omnia ſibi cohærere, ſi rite intelligantur, ut præter alios inſigniter oſtendit Tirinus in chronico cit. Nam Petrus antequam Romam abiret initio anni duodecimi Antiochiâ Jeroſolymam reverſus, & ibidem ab Herode Agrippa poſt Jacobum Zebedæi gladio ſublatum in vincula compactus, ſed ab Angalo liberatus tunc Romam diſceſſit, & Cathedram ſuam in hac Urbe conſtituit, Evodio Antiochiæ Epiſcopo relicto. Poſt ſeptennium autem Claudij Imperatoris edicto unà cum omnibus Judæis Româ proſcriptus Jeroſolymam redijt, & Antiochiam reviſit, ubi à Paulo inventus eſt. Sed quatriennio poſt Claudio Imperatore mortuo Romam reverſus, & ibidem occiſus eſt an. Chriſti 69. Neronis 13. ut bene declarat cit. Author, & ante ipſum Card. Baronius.

XVIII. Quando igitur dicitur Petrus 25. annis Sedem habuiſſe Romæ, non id intelligendum phyſicè, quaſi nunquam inde diſceſſerit, ſed moraliter majore ex parte: nec unquam abierit ſine animo, quamprimùm poſſit, redeundi; perinde ut J. C. & T T. ajunt, aliquem habere perpetuum domicilium, ubi cepit habitare animo manendi perpetuò, licet ſubinde aliò proficiſcatur, v. g. in bellum & aliquot annis emaneat. Ex his conſtat, rectè nos hodie Veleno alijſque Novatoribus occinere, quod olim SS. Patres non dubitârunt hæreticis dicere: *Negare non potes Petrum Romà &c.* Quod addit Molinæus de varietate Scriptorum circa mortem & oſſa D. Petri vaniſſimum eſt. Nam nemo Catholicorum dubitat de morte D. Petri Romæ obita; etſi non omnes modum mortis exprimant, & D. Athanaſius ſolùm genericè dicat in Apolog. pro fuga, illum Romæ fuiſſe occiſum. Corpora & Oſſa Petri & Pauli inter varios hoſtiles incurſus mirè fuerunt à Deo Romæ cuſtodità, ut oſtendit Binius Tom. 1. Concil. in annotat. ad epiſt. 1. Cornelij. Ex pio etiam affectu Catholicorum eadem Sac. Oſſa ſubinde in varia loca ſunt tranſlata, ut ſic omnibus periculis eriperentur, & illæſa conſervarentur.

XIX. *Error ſecundus.* Summus Pontifex non debet eſſe Epiſcopus Romanus. Ita communiter Hæretici indiſcriminatim loquentes de Epiſcopo Romano ſpecificativè & reduplicativè ſumpto; quod non faciunt Authores Catholici priore parte §. IX. adducti ſolùm diſputantes de Epiſcopo Romano, quà tali, num iſte ſub reduplicatione ex jure divino debeat eſſe Summus Pontifex, quos idcirco minimè hic comprehendere, & opinionem illorum erroream cenſere volumus. Ex illis ergo hæreticis Ameſius à fol. 171. & Gerhardus Lib. 2. p. 1. art. 3. c. 4. errorem iſtum probant. 1. Nemo inter veteres Patres unquam affirmavit, aut per ſomnium cogitavit, Romanum Pontificem habuiſſe Primatum Poteſtatis Monarchicæ ab initio jure divi-

Digitized by Google

re divino. 2. Quandocúnque ſunt objecta diſtincta etiam munera & officia circa ea ſunt diſtincta, nec in unam cadunt perſonam. At in propoſito objecta ſunt diſtincta. Ergo & officia circa eadem diſtincta ſunt, diversáſque requirunt Perſonas. 3. Neque Scriptura neque Traditio habet, Sedem Apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ, ut inde auferri nequeat, uti concedunt Papiſtæ. At ſi Sedes Apoſtolica poteſt Româ auferri, utique dici nequit, Romanum Epiſcopum, ideo quia eſt Romanus Epiſcopus, Petro in Apoſtolica Sede ſuccedere. 4. Si ex ſententia ſaltem aliquorum Papiſtarum non ſit de jure divino, ut Papa ſit Epiſcopus Romanus, utique ex eo, quod Romanam Eccleſiam Petrus fundârit, ac Romæ Mortuus fuerit, probari nequit, Romanum Epiſcopum in Monarchia Eccleſiaſtica eſſe Petri Succeſſorem; aliàs Romano Epiſcopatui ſucceſſio illa neceſſario & indivulſo adhæreret nexu.

XX. Errorem hunc ſatis ſupra rejecimus, & diſtinctè diximus, eſſe quidem de fide, Romanum Pontificem divino jure ſuccedere Petro, totiuſquè Eccleſiæ eſſe Caput: attamen non ita ex fide certum eſſe, Pontificem Romanum, hoc ipſo quod Romanus Pontifex ſit, divino jure Petri ſucceſſorē eſſe in univerſali illa cura, ita ut ſumā illa Authoritas gubernandi Eccleſiā directâ inſtitutione ac lege divinâ Romanæ Cathedræ inſeparabiliter annexa ſit; quantumvis nos iſtud poſterius probabilius judicaverimus. Sectarij utrumque negant, ideoq; in fide etiam errant futilibus probationibus nixi.

XXI. Reſpon. igitur ad 1. hoc coronatum eſſe mendacium. Anne in Concilio Epheſino (quod præter alia ſupra jam adduximus) de Primatu Romani Pontificis nec per ſomnium fuit cogitatum, cùm nemine uno abnuente Philippus Presbyter Apoſtolicæ Sedis Legatus coram œcumenica Synodo pronunciavit: *Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt, S. Petrum Apoſtolorum Principem, Caput, Fideiq; Columnam, Eccleſiæ Catholicæ Fundamentum à Domino noſtro Jeſu cæleſtis Regni claves accepiſſe: nec non per Succeſſores ſuos hucuſquè ſemper vivere, cauſaſq; decernere, ſemperq; victurum eſſe?* Reuera hoc non per ſomnium, ſed à vigilantiſſimo Legato, & congregatis Patribus itidem vigilantiſſimis ita dictum eſt, ut is qui Jus divinum ibi agnoſcere nolit, eò quod conceptis verbis id non clarè exprimatur, putidum & Cavillatorem & vanum eſſe ſomniatorem, inficiari nequeat.

XXII. Ad 2. Diſtinguendo Mai. Vbicunque ſunt objecta & operationes diſtinctæ, officia quoq; circa ea ſunt diſtincta formaliter ſaltem in unâ perſona, conceditur Major: realiter, ita ut in eandem perſonam cadere nequeant. Negatur Major. Et diſtinctâ ſic Minore. Negatur conſequentia. An non duo ſunt munia & operationes diverſæ admodum, imò ſeſe mutuò impedientes, docere Sac. Theologiam, & curare domum, uxorem, liberos &c? Si ergo objecta illa & operationes realiter planè diſtinctæ inferant diverſa etiam officia diſtinctaſquè exigant perſonas, quomodo unus idemque Calviniſta & Theologiæ Profeſſor, & Domûs, Uxoris, Liberorum Curator, Maritus, ac Pater eſſe poteſt? Non eſt Logica Babylonica conjungere Orbem cum Urbe, hoc eſt, conjungere ſummum Pontificatum cum Epiſcopo Romano in eadem perſona, ſed vera Logica ac recta ratio, quam dum oppugnat Ameſius, prodit in ſe illius ignorantiam, hujus excæcationem. Cæterùm conjunctionem illam utriuſque Epiſcopatûs Orbis & Urbis non potuiſſe ab homine proficiſci, & tot ſæculis contra tot & tantos incurſus perſiſtere, ex dictis patet.

XXIII. Ad 3. in noſtra & communiore ſententia omnino dicendum eſſe, Sedem Apoſtolicam non poſſe Româ auferri: & Epiſcopum Romanum, quia eſt Epiſcopus Romanus, Petro in Sede Apoſtolica ſuccedere; Interim fatemur, neutrum iſtorum eſſe de fide, ſed moraliter tantùm certum; ſiquidem opinionem oppoſitam aliquorum Catholicorum Doctorum non cenſemus hæreticam, ſed ſolùm minùs probabilem. Quid autem hinc Gerhardus inferre vult contra nos? An quia non eſt de fide, Romanum Pontificem reduplicativè ſeu quà talem, ex jure divino ſuccedere Petro, etiam de fide non erit, eundem Romanum Pontificem ſpecificativè ſumptum non eſſe ſucceſſorem Petri? nequaquam. Non eſt de fide, ut diximus, Paulum ex jure divino habuiſſe penulam: eſt tamen de fide, quod eam habuerit. Sit ergo etiamſi non ſit de fide, Romanum Pontificem, quia Pontifex eſt, ex jure divino ſuccedere Petro: eſt tamen de fide, eundem reipsâ ſuccedere, id quod habemus ex Traditione Apoſtolica Petri, quam nobis traditionem Concilia Generalia, Pontificum decreta, & Patrum conſenſus declarârunt, ut itidem ſupra jam diximus.

XXIV. Ad 4. falſum eſſe ſubſumptum ejuſdem Gerhardi. Nam licet juris aut præcepti divini non eſſet, ut Romanus Epiſcopus, quà Romanus, in Apoſtolica Sede ſuccederet Petro, ſed determinationem Chriſtus Eccleſiæ reliquiſſet (ſicuti de facto Liberum reliquit quo modo fieret Electio, ut mox dicemus) nihilominus adhuc ſummus Pontificatus, qui eſt juris divini, ex determinatione Eccleſiæ Romano Epiſcopatui eſſet annexus, ut ex dictis conſtat. Quod autem in caſu dato (non conceſſo) probari non poſſit, Epiſcopum Romanum, quà talem, eſſe Petri Succeſſorem, ex iſto Capite, quod Petrus fuerit Romæ mortuus, & inibi Eccleſiam fundaverit, nihil refert; quippe ſufficit, juxta determinatum Eccleſiæ modum contigiſſe ſucceſſionem.

XXV. *Error tertius.* Romani Pontifices non fuerunt legitimi Petri Succeſſores in univerſali Eccleſiæ regimine. Sed iſtum errorem commodiùs refellemus in Controverſia ſequenti de electione Romanorum Pontificum, quam etiam concernit. Modò ſufficiat, Sectarios ſibi in hoc non conſtare. Nam negare nec poſſunt nec volunt, antiquiſſimos illos Pontifices orthodoxos fuiſſe, puta, Clementem, Evariſtum, Marcellum & alios, qui ad annum Chriſti 300. vixerunt: item Julium, Damaſum, Syricium, Zoſimum, Innocentium &c. qui tamen atteſtantur, Romanos Pontifices eſſe legitimos D. Petri Succeſſores; & hâc ipſi poſſeſſione conſtanter fruiti ſunt. Illorum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum Lib. 2. de ſum. Pontif. cap. 14.

CONTROVERSIA XXVII.

DE ELECTIONE SUMMI Pontificis.

NON eſt quæſtio de S. Petro primo Pontifice; ſatis enim ex dictis conſtat, quod Chriſtus eum elegerit, & inauguraverit; nec

Digitized by Google

nec etiam de electione Miniſtrorum Eccleſiæ, de quâ Bellarminus lib. 1. de Cler. ſed ſolùm de Succeſſoribus D. Petri in ſummo Pontificatu.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina Prima. Circa Electores Papæ, & eligendi formam nihil jure divino fuit determinatum, ſed ipſimet Pontifici à Chriſto fuit relictum, ut de modo electionis diſponeret. Ita communiſſima Theologorum ſententia. Atque hinc factum, ut ait Arriaga Tom. 5. Diſp. 7. n. 46. cur ipſi Pontifices ſæpius mutaverint modum, & reſtrinxerint ad pauciores perſonas. Nam ab initio deſignatus fuit totus Clerus Romanus unà cum vicinis Epiſcopis. Poſtea verò ob nimiam multitudinem contractus fuit numerus Electorum ad paucos è Clero Romano, & aliquot Epiſcopos cap. 3. de elect. in 6. decretat. & Clement. 2. de Elect. quos Sylveſter 1. in Concilio Romano appellavit Cardinales, quaſi primarios & principales viros cum ante dicerentur Regionarij, tanquam Præfecti 14. regionibus urbis Romanæ, quibus poſtea Innocentius III. an. Chriſti 1244. rubrum galerũ impoſuit, ut hoc ſymbolo monerentur, etiã ſanguinem pro libertate Eccleſiæ profundere, cujus tunc periculum à Friderico II. Imperatore & capitali Pontificis hoſte. Demum Alexander III. cap. 6. de elect. Cardinalibus hanc eligendi formam præſcripſit, ut non ſufficeret quælibet pluralitas ſuffragiorum, niſi duæ tertiæ conſpirent, v. g. ſexaginta ex nonaginta.

II. Porro adhuc plures Electores poſſunt adjungi vel ſubſtitui, ſicuti in Concilio Conſtantien. Seſſ. 41. ad eligendum Pontificem præter Cardinales deſignati fuerunt multi alij Prælati. Nonnunquam etiam Imperatoribus conceſſa fuit Electio ſummi Pontificis vel permiſſivâ diſſimulatione Eccleſiæ, quod nimirum potentia Imperatorum id ſibi arrogantium retundi non poſſet, ut Juſtiniani ſenioris & Succeſſorum ejus uſque ad Cônſtantium IV. vel ultroneâ delatiône ad neceſſariæ Eccleſiæ defenſionem, ſicut Adrianus I. conceſſit Carolo M. & Leo VIII. Othoni cap. 22. & 23. Diſt. 63. ſi tamen ſint authentici Canônes, quos Baronius Tom. 9. An. 794. pro ſpurijs habet ex Sigeberto ſchiſmatico imprudenter à Gratiano conſcriptis. Quidquid ſit, huic juri renunciavit Ludovicus Caroli Filius, & Otho cap. 30. & 33. diſt. cit. videri poteſt Spondanus ad A. C. 817.

III. Sed quid ſi Pontifex abrogaret jam modum electionis hodiernæ, & antequam novum præſcriberet, moreretur? In hoc caſu Card. Bellar. Lib. 1. de Cler. cap. 1. putat, electionem rurſus devolutum iri ad primos Electores, id eſt, Clerum Romanum, & vicinum. Verùm probabilius eſt, quod cenſent Suarez, Vaſquez, Arriaga loc. cit. n. 48. & multi alij Theologi ad generale Concilium tranſlatum iri, idq; jure Naturæ, cujus lumen oſtendit, ſummam electionem ad ſummam poteſtatem pertinere, niſi aliter fuerit conſtitutum. Atqui in propoſito caſu defuncto Pontifice & Cardinalibus mortuis aut officio ſuo fungi nolentibus non eſt major poteſtas in Eccleſia, quàm Concilij Generalis. Confirmatur. Tum quia Concilium Generale immediatè repreſentat Eccleſiam, & Papa non Romani tantùm Cleri, ſed totius Eccleſiæ eſt Epiſcopus, & quà talis ſupremam habet juriſdictionem. Tum quia competit cuilibet communitati in caſu neceſſitatis ſibi de Capite providere. Nec refert, quod ante Cardinalium aſſignationem jus eligendi Pontificis penès Clerum Romanum fuerit, ut ſupra dictum; cum illa ordinatio tantùm fuerit lex humana abolita & nunquam reviviſcens.

IV. Doctrina Secunda. Pontifex legitimè electus ſuam poteſtatem non accipit ab hominibus, ſed immediatè ab ipſo Chriſto, cui perſona electa præſentatur. Ita ex communi Doctorum Cajetanus Tom. 1. Opuſcul. Tract. 1. Ratio clara eſt, quia nemo poteſt dare alteri, quod ipſe non habet vel formaliter, vel eminenter. Sed Electores Papæ nec formaliter nec eminenter habent poteſtatem Pontificiam. Ergo non poſſunt alteri conferre. Eſt igitur Electio iſta tantùm conditio, ſine quâ Deus poteſtatem Pontificis in hominem non transferret, non autem ratio, ſeu medium, quo Electores ipſi illam poteſtatem electo tribuant, perinde ut Clericus à Patronis Epiſcopo præſentatus non accipit jus Spirituale à Patronis, ſed ab Epiſcopo.

V. Gravior olim fuit quæſtio, num de fide ſit, ſummum Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe verum Pontificem? Pro utraque parte ſteterunt magnæ authoritatis Theologi, ut videre eſt apud Dianam Part. 11. Tract. 2. de infallibilitate decret. Pontif. Reſolut. 6. Ubi pro parte negativa imprimis affert M. Bannez in 22. D. Thom. q. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. Cajetanum in cit. q. 1. art. 3. ad 4. & Caſtrum adverſus hæreſes Lib. 1. cap. 9. Idem tenent Canus Lib. 6. de locis cap. 8. q. 1. ad 10. Malderus Diſp. 5. de ſum. Pontif. in ſolut. ad 4. & alij non pauci, quibus addi Card. Bellarminus poteſt de Concil. lib. 2. cap. 9. ubi ad objectionem poſtremam ait, naturali ſolùm evidentiâ & fide humanâ haberi, Concilia Nicænum & Epheſinum fuiſſe legitimè congregata; atque hoc ſufficere, ut definita ab illis habeantur de fide. Nam conſtat, eandem eſſe quæſtionem (quod ad præſens inſtitutum ſpectat) an ſit de fide, hoc Concilium eſſe aut fuiſſe legitimum: & an ſit de fide, hunc numero Pontificem eſſe verum Papam. In affirmativam ſententiam hodie omnium fere Academiarum Doctores conſpirant, cum quibus ſit.

VI. Doctrina tertia. De fide eſt, hunc numero Pontificem pro tempore exiſtentem, nimirum nunc Innocentium XI. quem tota Eccleſia tanquam legitimè electum agnoſcit & recipit, eſſe verum Pontificem, & totius Eccleſiæ Caput. Ita nominatim è ſocietate noſtra P. Alphonſus Salmerôn, Valentia, Suarez, Hurtado de Mendoza, Tanner, Amicus, Oviedo, Arriaga, Caſtro-Palao Tr. 4. D. 1. num. 5. §. 2. Mart. Eſparza de Fide Quæſt. 29. Card. Lugo Diſp. 1. de Fide Sect. 13. Card. Pallavicin. ibid. num. 140. &, ne longior in recenſendo ſim, cæteri noſtri Patres hodie omnes. Atque huic doctrinæ magnum robur dedit Clemens VIII. qui, teſte Dianâ, in carceres conjecit nonnullos Doctores oppoſitum aſſerentes, eosq; Romã venire juſſit, ut opinionis ſuæ rationem redderent. Probatur 1. De fide eſt, omnem canonicè electum, qui intrat Cathedram Apoſtolicam, eſſe verum Pontificem ac Paſtorem univerſæ Eccleſiæ. Sed hic numero Pontifex Innocentius XI. qui communi Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ conſenſu eſt acceptatus, ut Caput Eccleſiæ, eſt canonicè electus. Ergo &c. Major eſt certa perinde ac iſta: de fide eſt, illum eſſe ſanctum, qui legitimè eſt canonizatus. Prob. Min. Quidquid tota Eccleſia firmiter credit in rebus ad Religionem pertinentibus eſt verum, cum ipſa ſit *columna ac firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15. & errare non poſſit agnoſcendo aliquem pro vero Pontifice, qui talis non eſt, uti revera non eſt, qui canonicè electus non fuit. Atqui poſt factam Papæ inaugurationem & promulgationem, ejuſque univerſalem acceptationem atque approbationem Eccleſia firmiter credit, illum fuiſſe legitimè electum. Ergo eſt verum &c.

VII. Probatur 2. Martinus V. Papa in Concilio Conſtantienſi ſtatuit, ut hæreticis qui Eccleſiæ reconciliari vellent, primò proponeretur, *Ut credant, Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit (expreſſo ejus nomine) eſſe Succeſſorem Petri, & habere ſupremam in Eccleſia poteſtatem.* Ergo Pontifex ſupponebat, hoc eſſe de fide, cùm ab hæretico non exigatur niſi aſſenſus rerum ad fidem pertinentium, & quidem abſolutus, non virtualiter conditionatus, nempe ſi iſte Pontifex ſit canonicè electus; talis enim conſenſus foret fruſtraneus.

VIII. Probatur 3. Quia debemus fide credere omnia definita in Concilio Tridentino v.g. & alijs Concilijs Generalibus legitimis. Ergo debemus fide credere, illud eſſe legitimum Concilium; ſicuti quia credere debemus fide omnia contenta in Evangelio S. Marci, debemus etiam fide credere, illud eſſe verum & canonicum Evangelium; ſi enim prudenter poſſemus dubitare, aut formidare de legitimitate Concilij, poſſemus etiam dubitare vel formidare de ejuſdem definitionibus. Cum ergo valor Concilij dependeat ex conſenſu & approbatione veri Papæ, ſine qua approbatione Concilium non habet authoritatem legitimi Concilij, conſequens eſt, ut eâdem fide credi debeat verus Pontifex, à quo Concilium legitimum habeat authoritatem & valorem.

IX. Dicunt Adverſarij. Tridentinum futurum fuiſſe infallibile, etiamſi non habuiſſet verum Pontificem, ſed ſolùm exiſtimatum talem ab Eccleſia. Tranſeat hoc; non tamen futurum fuiſſet à parte rei legitimum; ſiquidem hæc diverſa ſunt, & plus requiritur ad hoc, quàm ad illud. Dixi tranſeat. Nam Adverſarij probare debent ex S. Scriptura, Pſeudopapæ promitti illam infallibilitatem. Si itaque afferant illa teſtimonia, quibus jubentur Eccleſiam audire, & quibus promittitur Eccleſiæ, quod nunquam ſit erratura, utpote columna & firmamentum veritatis: & inde colligere velint, ad divinam ſpectare Providentiam, ut Deus etiam Pſeudopapam ita gubernet, ne inducat totam Eccleſiam in errorem. Nos meliore jure dicemus, & ex illis locis colligemus, ad providentiam Dei ſpectare, non permittere, ut Eccleſia tota erret circa Papam, recipiendo ut legitimum, qui ex impedimento occulto eſt incapax. Nam quando dicitur Matth. 16. v. 18. *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, omnes Catholici fatentur, promiſſionem factam eſſe Petro & Succeſſoribus ejus, id quod non abſque violentia extenditur ab Adverſarijs ad pſeudoſucceſſorem. tum quia putatitius Succeſſor non eſt abſolutè & ſimpliciter Succeſſor. Tum quia hocipſo, quod Chriſtus promiſerit, Eccleſiam ſuam fundandam eſſe ſupra Succeſſores Petri, promiſit etiam, ſe ſemper de Succeſſoribus proviſurum; quis autem dicat, Succeſſorem putatitium eſſe opus divinæ providentiæ?

X. Probatur deniq; 4. Eccleſia maximè ut conjuncta ſuo Capiti non poteſt errare. Sed univerſa Eccleſia cum ſuo Capite tenet, Innocentium XI. eſſe verum Pontificem. Ergo fide divinâ tenendum eſt, aut dicendum, Eccleſiam cum ſuo Capite poſſe errare cognoſcendo pro vero Papa, qui revera non eſt talis. Diſtinguit Bannez inter errorem practicum, & ſpeculativum; illum vocat, quando ſecundùm prudentiam erratur: hunc verò quando quis aliter de re judicat, quàm ſit in ſe; quem poſteriorem concedit contingere in propoſito poſſe, ſicut, inquit, Eccleſia diu ſpeculativè erravit, judicando eunuchos matrimonio habiles, donec per Sixtum V. fuerit veritatem edocta. Sed facilè reſponſio hæc refellitur; quia Eccleſia univerſalis in his, quæ proponit circa inanimatam fidei regulam, quæ eſt Sacra Scriptura, non ſolùm practicè, ſed etiam ſpeculativè errare non poteſt. Ergo errare etiam nequit in accipienda regula fidei animata, quæ eſt ſummus Pontifex. Inſtantia de Eunuchis nihil probat; ſiquidem Eccleſia matrimonia Eunuchorum non judicavit vera, & ut talia, approbavit, ſed ſolùm toleravit ac permiſit, donec ad judicium de illis ferendum ſe applicaret.

XI. Confirmatur prior noſtra Doctrina ſolutione eorum argumentorum, quæ ab Adverſarijs pro oppoſita ſententia afferuntur. *Primum.* Non apparet, ex quo conſtare poſſit, hunc numero Pontificem v. g. Innocentium XI. eſſe verum ac legitimum Papam. Nam neque includitur in revelatione generali, neque ſpeciatim oſtendi poteſt, ubi & quando id revelatum fuerit. Reſpon. ex communi fere Theologorum ſententia, quod hic numero Pontifex ſit legitimus Pontifex, revelatum fuiſſe tum in hac univerſali propoſitione: Omnis legitimè electus & promotus ad cathedram Petri eſt legitimus Papa: tum in illa, quod Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis, atque errare in rebus ad Religionem pertinentibus non poſſit. Nam in hac generali regula, inquit Card. Lugo loc. cit. num. 330. continetur, eam errare non poſſe in cognoſcendo hoc individuo pro vero Capite, & Regula viſibili fidei Catholicæ, in quo gravius & periculoſius erraret, quàm circa aliquod objectum fidei particulare, quod non eſſet fundamentum aliorum, ſicut Regula viſibilis eſt fundamentum Fidei & Eccleſiæ, quæ ideo ſupra Petrum & ejus Succeſſorem fundata dicitur, ut proinde ex eo, quod Eccleſia hunc numero Pontificem agnoſcat & acceptet tanquam Pontificem verum, certò ac ſufficienter innoteſcat, eundem contineri in illa priori propoſitione, & eſſe legitimè electum & promotum ad Cathedram Petri.

Arriaga Diſp. 7. cit. num. 52. hoc univerſale reſponſum minimè quidem reijcit, inſuper tamen putat, hunc numero Papam eſſe legitimum Papam, ſpecialiter etiam ac de novo revelatum fuiſſe Eccleſiæ. Nam DEUS, inquit, dupliciter aliquid revelat, vel propriè, loquendo exterius vel interius cum eo, cui revelat, quâ ratione non eſt neceſſarium, dari modò in Eccleſia revelationem univerſalem ad credendum: vel alio modo in actu exercito non permittendo, ut ille, qui

rem

Digitized by Google

tem proponit, ullo modo aberret, ſed ita intellectũ ejus ſuâ providentiâ diſponendo dirigat, ut veritatem tangat. Hoc igitur poſteriore modo vult cit. Author, Deum revelare Eccleſiæ ſuæ, hunc numero Pontificem eſſe legitimum Pontificẽ; quippe non permittit, ut toti Eccleſiæ aliquis proponatur indubitanter, ut verus Papa, qui reverâ talis non eſt; id autem eum non permittere, habemus ex eo, quod promiſerit, ſe Eccleſiæ adfuturum; quam promiſſionem in hoc maximè puncto præſtare debet, à quo totius Eccleſiæ gubernatio & rerum credendarum declaratio dependet.

XII. Porro de eadem valida electione conſtat nobis inde, quod & Cardinales & Epiſcopi & Clerus & totum ferme Eccleſiæ Corpus illam electionem abſque contradictione acceptet. Id autem, quod communiter dicitur, ſecluſo ipſo Papâ, *DEUM Eccleſiæ ſuæ nihil revelare*, diſtingui debet; quando Papa jam fuit receptus tanquam verus & legitimus Pontifex, & res ab eo eſt decidenda, fatemur, DEUM tunc erga illum ſolum exercere illam infallibilem ſuam aſſiſtentiam: at verò ut ipſemet Papa recipiatur, quà talis, debet id per Eccleſiam præſtare; quare dirigendo eandem, ne erret in tali electione, revelat nobis altero illo, quem diximus, modo, quis ſit Papa & Caput Eccleſiæ. Unde ulterius patet, quando incipiat eſſe de fide, hunc numero Pontificem pro tempore electum eſſe verum ac legitimum Pontificem; nimirũ quando tota aut fere tota multitudo conſpicitur uniformiter aſſentiri legitimitati electionis, aut tot jam & tales aſſenſiſſe, ut prudenter dubitari non poſſit, quin reliqui in eandem ſententiam ituri ſint, inſpectis circumſtantijs, quæ in loco proximo innoteſcunt; nulla enim hujus articuli magis idonea propoſitio aut datur de facto, aut dari cogitariq; facilè poteſt, agendo conformiter ad conditionem humanam, atque humano modo, cui ſeſe accommodat divina providentia, ut bene P. Eſparza quæſt. 29. cit.

XIII. *Alterum argumentum.* Credere, hunc eſſe verum Pontificem, ſupponit, eum rite eſſe baptizatum; ſiquidem nullus, qui non eſt baptizatus, eſt capax Papatûs. Sed hoc circa prædictum Pontificem ſcire non poſſumus, cum nobis non conſtet, utrum baptizans intentionem habuerit baptizandi. Reſpon. eoipſo quod revelatum ſit, hunc v.g. Innocentium XI. eſſe verum Pontificem, revelari etiam, eum eſſe baptizatum ſaltem implicitè. Nam ſi Baptiſmus includitur tanquam pars eſſentialis in veritate Papatûs, ut multi volunt, erit etiam de fide ipſe Baptiſmus, quia immediatè erit revelatus, licet confuſè tanquam pars in toto. Si verò, ut probabilius judicamus, baptiſmus non includitur formaliter in veritate Pontificatûs, ſed prærequiritur eſſentialiter tanquam extrinſecum aliquod connotatum, ut Deus conferat poteſtatem huic homini, tunc erit magis implicitè revelatus, quia ſequitur ex duabus propoſitionibus de fide; nempe quod omnis Pontifex verus ſit baptizatus: Et quod hic numero homo ſit verus Pontifex. Cum ergo ex Theologia Scholaſtica conſtet, objectum concluſionis, quæ infertur ex duabus præmiſſis revelatis, poſſe etiam credi immediatè de fide abſque diſcurſu ex revelatis, adeoq; ut explicatum, conſequenter dicendum, baptiſmum hujus numero Pontificis ab Eccleſia acceptati eſſe de fide. Itaque conceſsâ Majore, diſtinguitur Minor. Non poſſumus certò ſcire ante acceptationem Eccleſiæ, concedimus: poſt iſtam acceptationem, negamus; unde tantùm ſequitur, hunc numero Pontificem eſſe baptizatum, eſſe legitimum Pontificem &c. non eſſe nobis de fide credendum abſolutè ante acceptionem Eccleſiæ: ſecus poſt iſtam acceptationem.

XIV. Quod diximus de Baptiſmo, plerique Authores dictum volunt de Sacris Ordinibus. Verùm Arriaga de his nihil affirmat. Nam, inquit, tota jurisdictio, in qua propriè conſiſtit Papatus, eſt independens ab Ordine Sacro. Si ergo verus Papa poteſt eſſe ſine ordinibus per medium annum, cur non per totum. Si inferas. Ergo ſi ordinet, & abſolvat Sacramentaliter, poterit errare, id quod eſt in magnum præjudicium Eccleſiæ. Reſpondet cit Author num. 51. quoad hoc forſan non majus fore præjudicium, quàm ſi alius Epiſcopus vel ſimplex Sacerdos abſolvat & ordinet; quod non prorſus improbabile videri poteſt. Nihilominus prior opinio, ut communis retinenda eſt; cum utiq; pluris interſit Eccleſiæ, Papam in ordinando & abſolvendo errare non poſſe, quàm privatum Epiſcopum vel Sacerdotem.

XV. *Tertium argumentum.* Qui recederet à moderno Pontifice ſummo, eſſet quidem ſchiſmaticus, non verò hæreticus. Ergo non eſt de fide, quod ille ſit legitimè electus Pontifex ſummus; ſiquidem recedere ab aliquo dogmate ad fidem ſpectante eſt hæreſis, & non ſolùm ſchiſma. Reſpon. cum hæreſis & ſchiſma differant ratione formali, minimè neceſſum eſt, ut omnis ſchiſmaticus ſit hæreticus; qui enim unitatem Eccleſiæ & Pontificis prælationem agnoſcit, ex malitia tamen non vult illi ſubijci, & in hac ſubjectione cum reliquis Eccleſiæ membris communicare, purè ſchiſmaticus cenſetur; ſi quis tamen recederet cum errore intellectûs, quo non crederet eum, quem Eccleſia pro ſummo Pontifice recepit, & retinet, eſſe verum ac legitimè electum ſummum Pontificem, verè eſſet hæreticus, poſito, quod propſitio, de qua agimus, ad fidem pertineat. Videri poteſt Caſtro-Palao Tr. 6. D. 4. p. 5.

XVI. *Quartum & ultimum argumentum.* Per leges Eccleſiaſticas irritatur electio facta cum impedimento occulto v.g. Simoniæ, inſufficientis numeri ſuffragiorum &c. Ergo ſic electus erit tantùm Pontifex apparens, etiamſi poſtmodum à tota Eccleſia acceptetur; quia juxta regulam juris, quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit. Si dicatur, ad divinãProvidentiã pertinere non permittere, fieri electionem irritam cum tali impedimento, ſequitur perperam & fruſtra fuiſſe introducta illa impedimenta ad irritandam electionẽ, etiam quando occulta ſunt. Reſpon. prædictas Leges nec habere, nec poſſe habere locum, nec intelligi oportere niſi de prima electione, per quam à Cardinalibus factam non ſtatim evadit fide certum, quod electus ſit verus Pontifex. Si igitur illa electio ex occulto impedimento ponatur irrita, ſuccedit alia nullo jure poſitivo irritabilis, quam facit Eccleſia, acceptando illum hominem pro vero Pontifice; & licet hæc acceptatio proveniat ex errore præcedente, non eſt tamen conditionata, ſed abſoluta; melius quippe eſt, Eccleſiam habere pro vero Pontifice aliquem, qui invalidè fuerit electus, quàm ignoranter carere vero Pontifice, & eum pro tali venerari, qui reipsâ non ſit; ideoq; in prædicto caſu penes univerſam Eccleſiam eſt poteſtas, providendi ſibi de

Z Capite

Digitized by Google

Capite legitimo, ſupplendo omnes juris defectus, ne maneat acephola; quam poteſtatem eligendi penes Eccleſiam evincunt argumenta, quæ pro præſenti doctrina noſtra adduximus; cenſetur autem Eccleſia illum eligere quaſi ſecundò, quem acceptat. Cætera argumenta, quæ contra eandem doctrinam noſtram objiciunt hæretici, commodiùs in altera parte ſolvemus.

XVII. *Doctrina quarta.* Summus Pontifex poteſtatem ſuam iterum poteſt amittere. Ita omnes Doctores, qui triplici modo fieri id poſſe affirmant. *Primò.* Voluntariâ ſummi Pontificatûs renunciatione, uti definitum eſt à Cœleſtino V. ſicuti conſtat ex ejus decreto, quod fuit inſertum juri communi cap. 1. de Renunt. in 6. Ubi dicitur, poſſe Romanum Pontificem, maximè cum ſe inſufficientem agnoſcit ad gubernandam Eccleſiam & ad onera ſuſtinenda, renuntiare Papatui; quod decretum ſanctus Pontifex ſuo exemplo ad perpetuam rei memoriam obſignavit An. Chriſti 1.2.94. Idem ante Cœleſtinum feciſſe Benedictum IX. ſcribit Spondanus ad An. Chriſti 1044. Utrum autem renunciatio iſta, ut ſuum ſortiatur effectum, acceptari debeat ab Eccleſia, non ſatis conſtat. Affirmat Arriaga D. 7. num. 57. ratus, id omnino certum, quia tunc Papa non habet ſupra ſe Caput ullum. Negat probabiliùs Bellarminus Lib. 2. de Pontif. cap. 29. quia Chriſtus non confert independenter ab Eccleſia Pontificatum. Ergo nec aufert. Unde patet ad rationem in oppoſitum; etenim Eccleſia non exerceret tunc actum poteſtatis ſupra Papam, ſed ſolùm daret conſenſum ſuum tanquam conditionem, ſine qua Chriſtus Pontificatum auferre nollet.

XVIII. *Secundò.* perpetuâ amentiâ, ſi in hanc Pontifex incideret. Ita communiter Doctores, aſſerentes illum tunc ipſo jure divino eâ poteſtate Pontificiâ excidere. Nam fundamentum juriſdictionis eſt uſus rationis, ita ut perpetua amantia quoad capacitatem juriſdictionis & dignitatis morti æquivaleat.

XIX. *Tertiò.* Hæreſi, ſi Papa in hanc laberetur, & monitus non reſipiſceret. Ita omnes Doctores, inter quos tamen non convenit, an amiſſio iſta Pontificiæ poteſtatis fiat ipſo facto, jureque divino, ſaltem ſi hæreſis ſit notiora & palam divulgata in Eccleſia: an verò ſolùm poſt ſententiam declaratoriam criminis. Prius tenent multi ex antiquis Theologis & Canoniſtis, quos ſequuntur Bellarminus Lib. 2. cit. cap. 30. & Tanner Tom. 3. D. 1. ſ. 4. num. 174. Moventur. Tum quia ſententia etiam declaratoria criminis requirit juriſdictionem, quam non habet Eccleſia in Papam. Tum quia Papa omnibus Epiſcopis eſt Superior, quomodo ergo ab iſtis judicari poteſt? Tum quia hæretici ſunt vitandi ex præcepto Chriſti & Apoſtolorum. Ergo Papa obſtinatè hæreticus non debet manere Caput Eccleſiæ; ſiquidem hoc maximè debemus non vitare, imò ad illud in præcipuis cauſis recurrere. Poſterius probabilius aſſerunt Recentiores Theologi, quos refert & ſequitur Arriaga Diſp. 7. cit. num. 58. Probatur. Tum authoritate Clementis I. qui in epiſt. 1. atteſtatur, D. Petrum docuiſſe, Papam hæreticum eſſe deponendum. Tum quia amiſſio Poteſtatis Pontificiæ eſt pœna longè graviſſima. Ergo debemus habere jus divinum expreſſum, ut aſſeramus, illam ipſo facto incurri; nullum autem tale jus oſtendi poteſt. Quare veroſimilius eſt, prædictam pœnam à Papa hæretico non incurri ante ſententiam Eccleſiæ, hoc eſt, Epiſcoporum in unum congregatorum; quod univerſale Concilium etiam neſciente, imò reluctante Pontifice in tali caſu convocari poteſt, idque jure divino per traditionem cognito; ut habet communis ſententia, & videtur rationi valde conforme, ut, quandoquidem poſt Papam ipſi ſint Eccleſiæ Paſtores, ſint etiam in eadem cauſâ Judices.

XX. Reſpon. ad 1. rationem in oppoſitum. In caſu hæreſeos Eccleſiâ habere jus ſupra Papam, adeoque poſſe eam procedere in ordine ad declarationem criminis; quantumvis ad hanc non ſit neceſſaria juriſdictio in Reum; ſi enim glorioſum aliquod factum v. g. de Canonizando declarari juridicè poteſt abſque juriſdictione in illius Authorem, cur non etiam facinus hæreſeos de Papa hæretico? Inferes. Ergo qnando crimen adeo eſt clarum & publicum, ut nullâ planè majori indigeat probatione, eoipſo jam cenſetur depoſitus abſque novo concilio. Negamus illatum; eſto enim ad publicationem & probationem delicti id non ſit neceſſarium, quia tamen idipſum authenticè Eccleſiæ toti proponi debet, neceſſarium erit illud Concilium, ut juridicè res fiat, & ut declaretur, veniendum eſſe ad electionem. Quod ſi ante Concilium conſtet ejus emendatio, deponi non poteſt, niſi relapſus fuerit; tunc enim præſumitur, hæreticus jure deponendus. Ad 2. Eccleſiam ſe tunc non habere, niſi ut declaratricem criminis: Chriſtum verò ei Pontifici immediatè auferre juriſdictionem; ſicuti è contrario ſupra diximus in Electione, Eccleſiam ſe habere ut deſignatricem perſonæ: Chriſtum autem ut datorem juriſdictionis. Ad 3. hæreticum omnino eſſe vitandum, ſi rite de ejus crimine conſtat; quod in præſenti caſu aſſerimus non antè fieri, quàm Eccleſiæ judicium accedat. Et certe ſi Papa ob hæreſin ſtatim dignitate ſuâ excideret, gravia in Eccleſia ſequerentur incommoda; quippe ſemper dubitare poſſemus, an non eſſet occultus hæreticus; quod ſi hæreſis externa ſit, non tamen ſufficienter probata, eadem ſe ingererent incommoda; quia perinde ſe haberet, ac ſi occulta foret. Quare cum ſupponamus, hæreſin non eſſe deſtructivam dignitatis Pontificiæ, etiamſi illa externa ſit, reipſâ hanc non tollit, ſed ſolùm facit, ut Papa ob talem hæreſin judicari poſſit.

XXI. Quod diximus de hæreſi, tenendum ſuo modo etiam de ſchiſmate, quando ex pluribus ſimul electis diſcerni non poteſt, quiſnam ſit legitimè electus; tunc enim propter bonum publicum Eccleſiæ quilibet electus tenetur ſuo juri renuntiare: & ſi nolit, poteſt deponi, ſicuti An. Chriſti 11.77. in Concilio Venetijs ſub Alexandro III. habito exauctoratus eſt Joannes quidem Abbas ſturmenſis, quem Caliſtum III. dixerunt. Videri poteſt Spondanus prædicto anno, ubi num. 9. ait. eundem fuiſſe degradatum, & ab ipſo Imperatore Friderico atque ab omnibus Principibus Eccleſiaſticis & Sæcularibus dejectum ac reprobatum. De reliquo nulla in tali ſchiſmate incommoda ſequuntur, etſi aliqui Papæ exiſtimato adhærerant. Nam ſublato ſchiſmate uniuntur legitimè electo Pontifici, atque ab hoc petunt confirmationem earum gratiarum, quas ab apparente Papa acceperunt, ac proinde eoipſo jam ceſſat periculum

lum

Digitized by Google

lum irreparabilis damni, & falſorum dogmatum. Hinc Pontifices, qui poſtea ſine contradictione legitimi reperiuntur, ſolent vel invalidare, vel revadidare, quæ ſub ſchiſmate acta fuêre, prout in Eccleſiæ bonum expedire judicant. Sic Martinus V. fecit, poſtquam tandem legitimè, & ſine controverſia electus ac cognitus fuit Papa, deleto prorſus ſchiſmate.

XXII. *Doctrina quinta.* Extra caſum hæreſis ſeu apoſtaſiæ nec ob ulla quantumvis gravia & notoria crimina, nec ob alia incommoda vel calamitates privari Papa ſuâ poteſtate unquam poteſt. Ita contra Gloſſam cap. ſi Papa, diſt. 40. communiter Doctores. Ratio eſt, ut ne occaſio arripiatur accuſandi & expellendi Pontificem injuſtè è Sede ſua: Item ſchiſmata faciendi &c. Hinc Axioma ex cap. Nemo. qu. 3. *Prima Sedes à nemine judicatur.* Videri poteſt Bellarminus Lib. 2. cit. à cap. 27. Item Lib. de Clericis cap. 9. ubi quærit, an Papa deſignare ſibi poſſit Succeſſorem. De qua etiam quæſtione agunt Suarez Tom. de fide Diſput. 10. Sect. 4. Amicus ibid. D. 6. num. 205. Arriaga Tom. 5. Diſp. 7. num. 47. & alij, qui conſuli poſſunt; ad propoſitum noſtrum quæſtio iſta nihil utilitatis habet.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXIII. E*Rror primus.* Ex Romanis Pontificibus nullum fuiſſe legitimum Petri Succeſſorem. Ita communiter omnes hæretici, quorum argumenta coacervatim proponunt Joan. Gerhardus Libri 2. Parte 1. à fol. 468. Molinæus Lib. 3. c. 3. à fol. 312. Ameſius Tom. 1. à fol. 159. & alij Sectarij, quæ omnia ad iſta quatergemina redigi poſſunt. *Primum* deſumitur ex authoritate Hiſtoricorum Platinæ, Martini Poloni, & Urſpergenſis, qui teſtantur, Romano Pontifici Primatum non à Chriſto, ſed ab Imperatoribus, & nominatim ab impio Phoca fuiſſe conceſſum.

XXIV. *Secundum* depromitur ex Concilijs & Patribus, qui Primatum Romani Epiſcopi non agnoverunt; imò nec ſibi arrogare auſi fuerunt; quod, inquiunt Adverſarij, apertè conſtat 1. ex Concilio Chalcedonenſi, ubi Cyprianus & alij Epiſcopi congregati litteris ad Papam Scriptis eum non Patrem, aut Paſtorem, ſed Fratrem appellârunt, tanquam ſibi parem. 2. in Concilio Carthaginenſi VI. prohibitæ ſunt appellationes ad Romanum Pontificem. Ergo non eſt agnitus pro ſupremo Judice; nam, ut Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 9. ſcribit, ſummum imperium apud eum eſſe conſtat, ad cujus tribunal provocatur. 3. Polycrates Epiſcopus Aſianus & Irenæus Victori Papæ reſtiterunt, cum Epiſcopos Aſiaticos excommunicaret. 4. S. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium ſcribit: Ubicunque fuerit Epiſcopus ſive Romæ ſive Conſtantinopoli, ejuſdem meriti, ejuſdem etiam eſt Sacerdotij. Ergo omnes Epiſcopos pares agnovit. & nullum altero Superiorem. 5. Cyprianus lib. 1. epiſt. 5. deſperatos & perditos vocat, qui putant, minorem authoritatem eſſe Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, quàm Romani ſint Epiſcopi. Idem aſſerit, neminem eſſe dicendum Epiſcopum Epiſcoporum, nullum Epiſcopum ab alio judicandum, ſed à ſolo Chriſto. Ergo non exiſtimavit Epiſcopos Romano Pontifici eſſe ſubjectos.

XXV. *Tertium* arripitur ex vita & moribus Pontificum Romanorum, ex quibus, ut ajunt hæretici, multi fuerunt nomine Papæ indigni, utpote Magi, Sagi, hæretici, adulteri, homicidæ, ſimoniaci &c. à Sylveſtro II. ad Gregorium VII. fuerunt quindecim Papæ palam pro Magis habiti, ut multi hiſtorici teſtantur, quibus addi poteſt D. Antonius P. 2. hiſt. tit. 16. cap. 1. §. 18. idipſum de Sylveſtro ſcribens. Formoſus I. fuit homo factioſus. Bonifacius VI. nefarius. Sergius III. nefandus. Ioannes XI. Sergij ex Marozzia ſcorto Filius turpiſſimus. Joannes XII. impuriſſimus, qui etiam deprehenſus in adulterio interijt. Et alij ſceleratiſſimi, ut Genebrardus in chronolog. fol. 540. in hæc verba ſcribat: *per annos fere 150. Pontifices circiter 50. à Joanne ſil. VIII. qui Nicolao & Adriano ſanctiſſimis licet Pontificibus ſucceſſit, ad Leonem IX. usq; (qui primus à DEO vocatus velut alter Aron antiquam Pontificum integritatem in Sedem Apoſtolicam revocavit) à virtute Majorum prorſus defecerunt, apotactici, Apoſtatici potius, quàm Apoſtolici.* Teſtatur idem Author, aliquos Simoniacè in Sedem Papalem evaſiſſe, alios in eandem intruſos fuiſſe. Quomodo ergo omnes Pontifices fuerunt legitimi Petri Succeſſores?

XXVI. *Quartum* & ultimum argumentum deducitur ex rationibus, quibus (ex opinione Sectariorum) vel falſis vel ridiculis Pontifices non potuerunt probare Primatum ſuum. v. g. 1. in Concilio VI. Carthaginenſi tres Pontifices Zozimus, Bonifacius, & Cœleſtinus pro ſuo Pontificatu ſummo allegârunt quemdam canonem Concilij Nicæni, quem Epiſcopi Africani in nullo libro reperire potuerunt, ut proinde fictus eſſe debeat 2. in Concilio Florentino Eugenius IV. pro ſuo Papatu protulit poſtumas litteras Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani jam Florentiæ mortui, quas moribundus & tremulus ſcripſerit. Quis autem credat, hominem morti vicinum & tremulum ſcribere potuiſſe? 3. Anacletus Papa cap. 2. Diſt. 22. ait, Petro conceſſum, ut Cephas, hoc eſt, Caput eſſet, & Primatum teneret Apoſtolatûs, inſinuans, quod Gloſſa exprimit, nomen Cephas ſumptum à Græco κεφαλὴ Caput, cum ſit vox Syriaca non Caput ſed petram ſignificans, interprete Joanne Evangeliſtâ cap. 1. v. 42. Innocentius III. cap. 6. de Majoratu & obed. ineptiſſimè probat, Pontificem eſſe ſupra Imperatorem, eò quod fecerit DEUS duo luminaria Solem & Lunam, id eſt, Pontificem & Imperatorem, & illum eſſe majorem iſto, ſicut Sol major eſt Lunâ. Bonifacius VIII. Extrau. Unam Sanctam, eod. tit. probat, Pontificem habere duplicem juriſdictionem, temporalem & Spiritualem, quia Apoſtoli Luc. 22. v. 20. dixerunt Chriſto: *Ecce duo gladij hic.* Ibidem probat, Pontificem eſſe ſupremum & univerſalem Judicem; quia Paulus, 1. Cor. 2. v. 15. ait: *Spiritualis judicat omnia: & ipſe à nemine judicatur*; quaſi Solus Pontifex ſit Spiritualis. Ibidem probat, unum eſſe Caput totius Eccleſiæ, quia Geneſis 1. v. 1. dicitur Deus omnia *in principio* creaſſe, non in principijs.

XXVII. Errorem iſtum maximum unanimiter reijciunt Sac. Concilia & Patres, qui de Succeſſione Pontificum ſcripſerunt. Ex Concilijs Florentium Græcis & Latinis Patribus conſentientibus

Digitized by Google

tibus ita ſtatuit: *Definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto poteſtatem traditam eſſe.* Ex Patribus D. Auguſtinus in epiſt. 102. non minùs efficaciter, quàm breviter ait: *in Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Unde etiam in Conſtitut. Novella 131. Juſtiniani *ſecundùm Sacrarum Synodorum decreta Primatum Sanctiſſimo veteris Romæ Epiſcopo tribuitur.* Argumenta Sectariorum omnia ruinoſa ſunt & ſuis deſtituta fundamentis. Nec malè hæreticos in conatu tollendi Papatûs araneis ſimiles dixeris; tum quòd aranearum inſtar fatigent atq; eviſcerent ſe in opus nullius prorſus roboris & valoris. Tum quod ex floſculis pulchris non niſi venenum exſugant, ut in ſolutione omnium, quæ afferunt, apparebit. Itaque.

XXVIII. Reſpond. 1. *Ad argumentum primum ab authoritate deſumptum.* Si propriè neque per Apoſtolicam quidem Authoritatem aut Conciliorum ſtatuta Romanus Pontifex eſt totius Eccleſiæ Caput & Paſtor ſeu Primas, multò minùs Authoritate Imperatoriâ talis eſſe poteſt, cum Imperatorum non ſit, alijs conferre Eccleſiaſticam & Spiritualem poteſtatem, cujus ipſi exortes ſunt. Certè Pontificem non habere ſuam illam ſupremam poteſtatem ab alio, quàm à quo D. Petrus ipſam habuit: neque D. Petrum aliunde habuiſſe, quàm à Chriſto, & vi inſtitutionis hujus, luculenter demonſtrari ex Sac. Scriptura, Patribus, & totius Antiquitatis hiſtoria ſatis & abunde conſtat ex ijs, quæ ſuprà diximus. Hiſtoria, quâ unicè argumentum nititur, ab hæreticis corrupta fuit. Nam Phocas Imperator Primatum Papæ non dedit, ſed ſolùm defendit contra Cyrillum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Bonifacio Pontifici Romano ſe æquare & titulum Univerſalis Epiſcopi uſurpare moliebatur. videatur Cardinalis Baronius in Annal. Eccleſiaſt. ad An. Chriſti 606. Conſtat etiam apertè ex jure civili L. 8. C. de ſum. Trinit. & Fid. Cath. Ex Novella 131. Collat. 9. tit. 14. c. 2. vetuſtos Imperatores ante Phocam, ut Valentinianum, Gratianum, Theodoſium jam agnoviſſe Primatum Pontificis. Habetur quoque in Tom. 2. Conciliorum Epiſtola præfixa Concilio Chalcedonenſi ejuſdem Valentiniani III. Imperatoris in Oriente (qui 170. annis Phocam præceſſit) ad Theodoſium II. Imperatorem Occidentis, in qua pro re præſenti ſic præclarè loquitur: *Fidem à noſtris Majoribus traditam debemus cum omni competente devotione defendere, & dignitatem propriæ Venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotij ſemper omnis Antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem, de fide & Sacerdotibus judicare.* In quibus duo ſingulariter notanda. Primum. quod *Romanæ Civitatis Epiſcopo Principatum Sacerdotij ſuper omnes Antiquitas contulerit*, id eſt, tota retro Antiquitas, non ipſe, quem dixi, Valentinianus III. nec alij ante eum Chriſtiani Cæſares. Alterum. quod Dignitas B. Petri Apoſtoli vocetur *dignitas propriæ venerationis*; quæ ſcil. B. Petro in ſuis Succeſſoribus & nulli alteri tribuitur. Quid poteſt inveniri illuſtrius pro legitima Succeſſione D. Petri in Principatu Romani Pontificis, eóque antiquiſſimo ante tempora ipſius etiam Valentiniani, quæ ſunt tempora illa ſyncera etiam Sectarijs noſtris & caſta nitegraque in Fide? Hinc igitur non ſolùm refelluntur Magdeburgenſes, qui Cent. 5. ſcripſerunt Primatum Eccleſiæ fuiſſe Romano Epiſcopatui annexum authoritate Phocæ, ſed etiam Wicleff & Huſſ, qui apud Waldenſem Lib. 2. doct. Fidei cap. 7. id factum dixerunt decreto Conſtantini M. Item Lutherus & Calvinus, quorum ille Lib. de poteſt. Papæ idipſum ſtatuto Conſtantini IV: iſte verò Lib. 4. Inſtit. cap. 6. decreto Pipini & Caroli M. Imperatorum affinxit. Quia hi omnes ſunt poſteriores tempore, neque dare poſſunt ſpiritualem poteſtatem, quàm ipſi non habent. Videri poteſt P. Adamus Tanner in Dioptra Fidei. Lib. 3. cap. 6. ubi hoc Adverſariorum argumentum pluribus refutat.

XXIX. Reſpon. II. *ad argumentum ſecundum ex Concilijs & Patribus depromptum.* Longè alieniſſimum eſſe à veritate, quod olim nec Concilia, nec Patres agnôverint Primatum Romani Epiſcopi: & quod ipſi Romani Pontifices arrogare eundem ſibi non fuerint auſi. Nam contrarium apertiſſimè oſtendit Bellarminus Lib. 2. de Pontifice à cap. 12. adductis quàm plurimis eorum luculentis teſtimonijs, quod ipſum & nos hactenus fecimus, & ſatis etiam conſtat ex recèns cit. conſtitutione Nouel. 131. collect. 9. tit. 14. cap. 2. Ubi Juſtinianus: *ſancimus*, inquit, *ſecundùm earum* Sacrarum ſcil. (quatuor Synodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſis, de quibus immediatè loquebatur Imperator) *definitiones, ſanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: Beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum novæ Romæ ſecundum habere locum poſt Sanctam Apoſtolicam Senioris Romæ Sedem, alijs autem omnibus Sedibus præponitur.* Ad 1. inſtantiam dicimus, Fratris appellationem nihil officere Primatui, etenim omnes Fideles ſe mutuò Fratres vocabant tanquam ejuſdem Fidei conſortes. Ut ergo Epiſcopi Chalcedonenſes profiterentur, ſe in fide cum Romano Pontifice conſpirare, Fratrem eum Nominârunt; interim alijs modis ejus eminentiam proteſtantes; quia ſcil. primum locum dederunt Legatis Pontificijs, & Leonem I. tunc Pontificem honorificentiſſimis titulis affecerunt, ut conſtat ex Act. 1. & 2. ubi Ætius Epiſcopus Nicopolis eundem S. Leonem Dominum noſtrum & ſanctiſſimum Papam vocat; *quoniam* inquit, *nunc Domini noſtri & Sanctiſſimi Papæ lecta eſt Epiſtola*, ut refert Bellarm. cap. 31. Ad 2. Patres ibi collocatos non prohibuiſſe appellationem ad Romanum Pontificem, ut falsò citant Hæretici, ſed ſupplicibus litteris deprecatos rigidiorem modùm procedendi per armatum militem, ut oſtendit Cardinal Baronius & hujus Compendiator Spondanus circa annum Chriſti 419. Cæterùm quod omnes Epiſcopi totius Orbis, qui in judicijs Eccleſiaſticis ſentiunt ſe gravatos, ab Epiſcopis & ſynodis Provincialibus poſſint appellare, & confugere ad Romanum Pontificem tanquam ad Superiorem Judicem, cui reliqui omnes Epiſcopi ſubjecti eſſe debeant, & à cujus ſententia ulterius appellare non liceat, patet apertiſſimè ex Concilio Sardicenſi can. 4. ubi decernitur; *ſi Epiſcopus aliquis deponatur, & iſte contra hoc judicium Synodi Provincialis ad Papam appellet, ne alius in locum illius deſti-*

natus

Digitized by Google

natus ordinetur, niſi cauſa depoſitionis in judicio Romani Epiſcopi fuerit determinata & approbata. Quare calumnia eſt Calvini, quando ait, *appellationes fuiſſe deriſas*; imò exceptas cum honore, & efficaces fuiſſe, oſtendit Baronius loc. cit. & ſuo exemplo docet D. Athanaſius vir Catholiciſſimus, ſanctiſſimus, & doctiſſimus, qui ab Epiſcopis orientalibus appellavit ad Julium Romanum Pontificem poſt annum Chriſti 341. & ab eodem fuit reſtitutus.

XXX. Quid ad hæc Ameſius, Gerhardus, Molinæus, Heilbrunner, & alij Sectarij? tria nequicquam tentant effugia. *Primum.* Appellationes Eccleſiaſticas non eſſe ad juriſdictionem Superiorem, ſed ad communem fraterni auxilij communicationem. Scil. ignoravit tota Antiquitas, quid ſit Appellatio Eccleſiaſtica? Profectò Athanaſius Patriarcha Alexandrinus injuſtè ab Orientalibus damnatus apud Julium Papam non qualemcunq; auxilij communicationem petijt, ſed tanquam apud ſuperiorem judicem juſtam defenſionem requiſivit. *Secundum.* Concilium Sardicenſe, teſte Bellarmino, non eſſe ex integro approbatum. Trecenti Patres hujus Concilij confirmârunt Fidem Catholicam; unde iſta Synodus dicitur pars vel appendix I. Nicæni concilij: & quidquid illi Patres ſtatuerunt, fuit univerſim receptum: atque inter iſta etiam jus appellandi ad Romanum Pontificem habetur approbatum. Præter prædictos Patres fuerunt quidem ſeptuaginta ſex alij Epiſcopi Orientales, qui fidem Arianam ſubſcripſerunt; ſed contra reliquorum decreta nihil potuerunt. *Tertium* Epiſcopi Orientales in Concilio Antiocheno reſtiterunt Julio Pontifici, quod Athanaſium ad ſe fugientem, qui in Synodo orientali fuerat damnatus, abſolviſſet, & Sedi ſuæ reſtituiſſet, cauſantes, plus iſtum authoritatis uſurpare, quàm debebat. Ergo ex hoc facto nihil probatur. Hoc effugio magis implicant ſe Adverſarij. Nam inter illos Epiſcopos, qui Julio Papæ reſtiterunt, erant 36. Ariani, ut refert Baronius & ex iſto Spondanus ad an. Chriſti 341. num. 3: contra verò Athanaſius, qui pro Julio ſtetit, vir erat, ut diximus, fide Catholicâ, ſanctitate vitæ, & doctrinæ excellentia præſtantiſſimus. Huic ergo argumento: *Epiſcopi Orientales, qui magnâ ex parte erant hæretici, reſtiterunt Papæ. Ergo non habebant illum pro Capite Eccleſiæ.* Huic, inquam, argumento nos opponimus iſtud alterum: *Athanaſius vir Catholiciſſimus, integerrimus, & doctiſſimus ab Epiſcopis orientalibus appellavit ad Pontificem Romanum tanquam Superiorem Judicem. Ergo agnovit illum pro Judice Superiore.* Utra harum argumentationnm præſtat? Adverſarij credunt Epiſcopis hæreticis: Nos Patriarchæ Catholico, eiq; Sanctiſſimo juxtà ac doctiſsimo adſtipulamur. Nec ſilentio prætereundum, prædictos Epiſcopos hæreticos poſtmodum errorem ſuum agnoſcentes & deteſtantes Romam veniſſe, & ſupplices à Julio Papa veniam popoſciſſe, ut teſtatur ipſemet Athanaſius in Apolog. contra Arianos, & refert Spondanus ad annum Chriſti 351. num. 7.

XXXI. Ad 3. inſtantiam ex Patribus dicimus, Polycratem & Irenæum nunquam denegaſſe Victori Papæ poteſtatem excommunicandi Epicopos Aſiæ, ſed putaverunt, cauſam hujus excommunicationis ferendæ non fuiſſe ſufficientem, ideóque ſe illi oppoſuerunt, ut bene notat Baronius ad annum Chriſti 198. id, quod non derogat poteſtati & juriſdictioni. Ad 4. S. Hieronymum non æquaſſe Epiſcopos Papæ, quatenus eſt Paſtor univerſalis, ſed quatenus eſt Epiſcopus Romanus; erravit tamen, ſi putavit diſcrimen Sacerdotum & Epiſcoporum ſolo jure humano fuiſſe introductum, quæ opinio damnata eſt in Tridentino Seſſ. 23. cap. 4. ut pluribus declarat Vaſquez 3. Part. Diſp. 230. cap. 1. Verùm ab errore eundem excuſat Greg. de Valent. Tom. 4. Diſp. 9. Q. 1. pun. 2. nos de hoc agemus ſuo loco. Ad 5. denique inſtantiam dicimus. Cypriani priora verba ab hæreticis corrupta fuiſſe, qui fraudulenter laſ- ſuerunt illa verba, *quàm Romani*; cum Auctor plus dicere non voluerit, niſi *authoritatem Epiſcoporum Africanorum non eſſe minorem; quàm ut cauſas dijudicare valeant*: poſteriora verba Cypriani in Concilio Carthaginenſi III. prolata non eſſe curanda. Tum quia illud Concilium fuit illegitimum. Tum quia Cyprianus eo tempore verſabatur in errore circa Sacramentum Baptiſmi, quaſi ab hæreticis validè adminiſtrari non poſſet, ideóque converſi denuo baptizandi forent. Quopropter à Stephano Papâ oppoſitum ex Apoſtolica traditione tenente objurgatus ex ira & concitatione Firmiliani Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ calidius æquo locutus eſt, & peccavit, inquit S. Auguſtinus lib. 3. contra Donatiſt. cap. 18. quod non voluerit Stephano Papæ obedire. Sed hunc ſuum errorem poſtea correxit, & effuſo ſanguine eluit, teſte eodem Auguſtin epiſt. 48. ad Vicentium. Videri etiam poteu Bellarm. lib. 2. de Pontif. c. 25.

XXXII. Reſpon. 3. *ad argumentum, ex vita & moribus Summorum Pontificum arreptum*, quemadmodum tam Chriſtiani univerſim, quàm ſpecia-tim non pauci pijſſimi Imperatores alijque Principes indigna quædam judicia à Tacito, Luciano, Zoſimo, Rudilio, Eunapio & alijs ethnicis Scriptoribus ferre debent, ita etiem de Summis Pontificibus ſcandaloſa multa fuerunt ſcripta, cum inter iſtos & Germanicos Imperatores graves ac longæ eſſent controverſiæ, ipſéque populus Chriſtianus in duas fere partes ſe divideret, quarum una Eccleſiæ Romanæ, altera Cæſaribus adhæſêre. Unde adhærentes Imperatoribus vitam moréſque Paparum varijs proſcindere calumnijs laborârunt, quales nominatim fuerunt Aventinus, Balæus, Benno Pſeudo-Cardinalis, Wierus, Thummius, & forſan etiam Platina, Sigebertus & alij Cæſereæ Dignitatis ad vitium uſque ſtudioſi. In ſpecie loquendo.

XXXIII. Sylveſter II. immeritò Magiæ incuſatur, ut demonſtrat Onuphrius Panvinius in addit. ad Platinam. Et Cardinalis Baronius A. C. 999. ex Ditmaro lib. 6. Helgaldo in vita Roberti Regis Francorum, Glabro, Lamberto, Hermanno, Mariano Scoto, qui omnes circa annum Chriſti 1000. viventes Sylveſtrum II. tum ob doctrinam laudant, tum in ſuis chronologijs tanquam verum Papam poſt Gregorium V. collocant, nullâ magiæ diabolicæ mentione factâ. Unde Sigebertus cæterique tempore longè poſteriores fidem hac in re non merentur. Chriſtophorus Lehman in Chron. Spirenſi lib. 4. cap. 15. Sylveſtrum II. adjungit Teſtibus Veritatis, aſſerens ex Theodorico de Niem, illum ob eximiam eruditionem à Romanis odio habitum, dictumq; fuiſſe, quod Magus eſſet. Taceo Sebaſtianum Franck Lutheranum, qui relationem iſtam de Sylveſtro pro fabula habet, cui conſentit Kranzius lib. 5. metrop.

Digitized by Google

fol. 298. D. Antoninus bonâ fide procedens re nondum expenſâ à Bennone & Martino Polono ſeduci ſe permiſit.

XXXIV. Quintecim Summos Pontifices à Sylveſtro II. uſque ad Gregorium VII. quos omnes magiæ hæretici arguunt, præclarè defenderunt Caſpar Lechner in Thummio Prædicante, & Laurentius Forer in Manuali Lutherano Part. 3. cap. 2. præcipuè verò in caſtigatione Apologiæ Thummianæ à cap. 2. uſque ad 7. ubi miſeram Thummij Apologiam luculenter ad nihilum redigit, & Naucleri allegationem contra hos 15. Papas longè falſiſſimam oſtendit. Odio turgens Cardinalis Benno contra Romanos Pontifices, item Calviniſta Balæus non ſunt teſtes idonei, ſicuti Forerus loc. cit. peculiariter oſtendit.

XXXV. Formoſum 1. ſcribit Baronius A. C. 891. laudatiſſimum Papam extitiſſe tum religione tum morum integritate atque doctrinâ, idque ex teſtimonio Luitprandi, Anaſtaſij Bibliothecarij, & Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi. Et quamvis A. C. 802. Widonem, & ſequenti anno ejus Filium Lambertum: anno autem 806. Arnulphum Romanos Imperatores coronaverit, id tamen prædicti Authores vitio non vertunt, nec idcirco eum reprehendunt, cum non niſi ex gravibus & juſtis cauſis illud fecerit. Bonifacius VI. inter Papas numerari non debet, ſicuti etiam Baronius A. C. 897. eundem arcet. Sergium III. & hujus Filium illegitimum Joan. XI. item Joannem XII. & hujuſcemodi ſceleratos Pontifices non excuſamus, attamen affirmamus, eos Dignitati & Poteſtati Sedis Apoſtolicæ tam parùm præjudicare potuiſſe, quàm impius Alcimus, Annas, Caiphas & hujuſmodi Judæorum Summi Pontifices Cathedræ Moyſis præjudicaverint: item quàm parùm Officium poteſtatem & authoritatem imminuerint ſcelera multa, quæ non pauci ex Regibus & Principibus perpetrarunt, conceſſo ipſis regno & principatu abuſi. Hiſce flagitioſis Papis minimè eſt annumerandus Gregorius VII. qui Pontifex fuit Apoſtolicæ vitæ & zeli pro DEO & Eccleſia, qui etiam inter tot ac tanta negotia adeo contemplatione excelluit, ut & mentis extaſim ſæpe pateretur, & cœleſtibus revelationibus non rarò viſitaretur, ut de ipſo ſcribit Baronius ad annum Chriſti 1073. Et quamvis deteſtabiles ejus inimici turpem illi notam inurere machinarentur, ſtatim tamen iſte rumor ob viri Sanctitatem & innocentiam ubique notam evanuit, ut tradit idem Author ad An. Chriſti 874.

XXXVI. Genebrardus Adverſarijs non patrocinatur. Nam 1. de quindecim Papis, qui fuerint Magi, nullam penitus facit mentionem; imò apertè A. C. 1002. fabuloſa cenſet omnia, quæ de Sylveſtri II. magia, morte, diaboli percuſſione ſparguntur, addens ex Blondo dec. 2. lib. 3. quod nullus Scriptorum affirmare dubitet, Sylveſtrum II. litteris moribúſque ornatiſſimum fuiſſe. 2. aliqui ex dictis Pontificibus primùm poſt Leonem IX. vixêre, qui vi verborum Genebrardi antiquam Pontificum integritatem in Sedem Apoſtolicam revocavit, nempe Victor II. Stephanus X. Nicolaus II. Alexander II. omnes à Genebrardo laudatiſſimi Papæ. Ubi ergo ſunt 15. magi uſque ad Gregorium VII? 3. quod attinet ad Papas per 150. tantopere infamatos ipſe Genebrardus aliquos excipit, nimirum Martinum II. Agapetum II. Joannem XVII. Sergium IV. Gregorium VI. Adhæc XIV. Papæ inter illós breviſſimo tempore rexerunt Eccleſiam, ſcil. per paucos ſolùm dies vel menſes, aut vix medium annum, quorum vita mala eò minùs eſt exageranda, quò extitit brevior. 4. Cauſa hujus mali non erat penes Sedem Apoſtolicam, ſed aliunde proveniebat: *tanti ſceleris*, inquit Genebrardus, *rei ſunt Germani Imperatores, qui ita premebant Eccleſiam, ut ſublatis Canonicis electionibus pro libidine & ſæpius pecuniâ & pactis ſummos darent Pontifices, & recuſaret electus Pontificatum ſuſcipere, priuſquam ab illis confirmaretur. Aliqui etiam vi aut largitione Sedem occupabant.* 5. Dato, non conceſſo, quod prædicti Papæ non tantùm ſcelerati, ſed etiam magi fuerint, id tamen publicè notum non fuit, nec unquam aliquid hujuſmodi Eccleſiæ publicè exhibuerunt, aut in Sede Petri docuerunt.

XXXVII. Ex intruſis aut Simoniacè ingreſsis Pontificibus quidam fuerunt repulſi: aliqui autem ſubinde retenti ex conſenſu Cleri, & veluti legitimi Pontifices poſtea conſuetis ritibus electi, atq; ab Eccleſia acceptati; eò quod ſatius videretur, illos tolerari, retinerique, quàm Eccleſiam triſti ſchiſmate conſcindi, ut ſupra jam diximus. An ex ſummis Pontificibus aliqui in hæreſin fuerint aliquando lapſi, & formales hæretici extiterint, in ſequenti Controverſia videbimus, & infra etjam fabulam illam ſtolidam de Joanne Bapiſſa, cui nullus vir ſapiens fidem habet, ex inſtituto refutabimus. Solùm nunc addendum, quandò Genebrardus Papas flagitioſos vocat apotacticos & Apoſtaticos, illum non loqui de fide, quaſi à Fide Catholica apoſtataverint: Sed ſolùm de moribus, cum à vita & virtutibus Apoſtolicis diſceſſerint.

XXXVIII. Reſpon. 4. ad argumentum ex ridiculis, ut ajunt hæretici, rationibus deductum pro Primatu Pontificio. 1. quoad hiſtoriam. Negamus cum Bellarmino alijsque Catholicis Doctoribus, allegationem Nicæni Concilij fuiſſe fictitiam, quantumvis Epiſcopi Africani citatum canonem in ſuis exemplaribus reperire non potuerint, quia habebant corruptos ab Arianis & Donatiſtis hæreticis codices, ut oſtendit Card. Baronius A. C. 347. & 419. Potuit etiam nomine Concilij Nicæni intelligi Sardicenſe, quod tanquam appendix Concilij Nicæni habebatur, quia huic ijdem Epiſcopi interfuêre; in Concilio autem Sardicenſi expreſsè habetur ille canon à Pontifice allegatus, ut ibidem oſtendit Baronius. Videri etiam poteſt ſumma Conciliorum per Barthol. Carranzam collecta, ubi ad finem adjiciuntur canones Concilij Nicæni nuper reperti. 2. quoad Concilium Florentinum & Eugenium IV. Papam. Quis non credat, quod quotidiana experientia docet, ægros tremulis manibus ſcribere etiam poſſe? Immeritò igitur prolatio litterarum Patriarchæ Conſtantinopolitani jam Florentiæ defuncti in fraudis ſuſpicionem vocatur; cùm præſertim multi Græci adfuerint, quibus nota erat manus Patriarchæ, nec tamen contra Epiſtolam replicarint; certè Pontifex nullam habuit cauſam fingendi litteras, cùm Concilium jam prius ſtetiſſet pro Primatu Romani Pontificis. Litteræ citatæ Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani videri poſſunt in eadem ſumma Carranzæ fol. mihi 455. 3. quoad loca Sacræ Scripturæ. Pontifices hæc adducere voluerunt non in litterali, ſed allegorico ſenſu, nec tanquam ſuæ cauſæ fundamenta, ſed ornamen-

namen-

Digitized by Google

namenta & floſculos. Nominatim Anacletus nullo modo inſinuavit, quod nomen Cephas à Græco κεφαλὴ derivetur, ſed quod in re idem ſignificet metaphora Petræ & Capitis, quidquid dicat Gloſſator. Bonifacio etiam aperta fit injuria, quaſi expreſſis verbis Geneſ. *in principio creavit DEUS cœlum & terram, &c.* voluerit evincere Pontificem eſſe Caput totius mundi; ex textu enim totius Epiſtolæ apparet, longè aliam mentem ipſius fuiſſe; nam cum ex Unitate DEI intuliſſet, unicum eſſe DEI Vicarium, ſibimet objecit, Manichæos ponere duos DEOS creatores mundi, quibus opponit cit. verba Geneſ. quod non in principijs, ſed in principio, id eſt, ab uno principio ſit mundus creatus. Ecce igitur quàm iniquè hæretici calumnientur ipſos Pontifices, dum ajunt, illos falſis & abſurdis argumentis ſuam probaſſe poteſtatem. Nihil falſi, nihil ridiculi oſtendunt: Sectarij ſeſe ſolùm ex mendacijs & injurijs compoſitos eſſe demonſtrant.

XXXIX. *Error ſecundus eſt.* Innocentium XI. Papam pro tempore exiſtentem non eſſe verum & legitimum Pontificem ac Petri Succeſſorem. Ita ijdem hæretici, qui duplici maximè inſtantiâ evincere hoc nituntur. Primam ſumunt à Formoſo, qui habitus pro vero & legitimo Pontifice obijt A. C. 896. die 14. Decemb. poſt quam ſexennio Eccleſiæ præfuit ab eadem acceptatus: & tamen hunc Anteceſſorem ſuum Stephanus VII. (dictus ſextus) damnavit tanquam illegitimum Pontificem, ejusq; acta reprobavit. Alterum ſuggerit ſchiſma in Eccleſia XXIII. & omnium graviſſimum ſimul & longiſſimum, ſcil. per annos 36. uſque ad Concilium Conſtantienſe. Nam poſtquam Gregorius XI. Auenione Romam Sede tranſlatâ in Urbe mortem obijt, in ejus locum à Cardinalibus electus fuit Urbanus VI. duabus tertijs ſuffragiorum in hunc conſpirantibus; unde electio ejuſdem tanquam legitima fuit promulgata, & per Orbem Chriſtianum acceptata. Verùm non multis poſt diebus aliqui Cardinales electioni huic reclamârunt, & in Galliam fugientes elegerunt Clementem VII. cui poſt annos 14. ſubſtitutus eſt Petrus de Luna Aragonius, qui obſtinatiſſimo animo dignitatis umbraticæ Benedictus XIII. dici voluit. Interea temporis Urbano VI. ſucceſſit Inocentius VII. & Gregorius XII. volensq; Conciliũ Piſanũ huic ſchiſmati mederi creavit Alexandrum V. unde tres ſimul Pontifices ſederunt Gregorius XII. Benedictus XIII. & Alexander V. cui paulò poſt Joannes XXIII. ſucceſſit, vivente adhuc Gregorio. Ergo tunc electionem Urbani nec univerſa propoſuit Eccleſia, nec credi ea veluti legitima debuit, fuitq; ſucceſſio in Sede Petri manifeſtè interrupta. Ergo Papa pro tempore exiſtens Inocentius XI. non eſt verus ac legitimus Pontifex ac Petri Succeſſor. His duabus inſtantijs Gerhardus lib. 1. fol. 283. addit iſtud argumentum. De quo rationabiliter dubitari poteſt, an ſit in Eccleſia, de eo etiam rationabiliter dubitari poteſt, an ſit verus & legitimus Papa. Atqui de quolibet ſic dubitari poteſt. Ergo &c. Ratio Majoris eſt, quia legitimus Papa eſt Eccleſiæ Caput; qui autem non eſt in Eccleſia quomodo Caput hujus eſſe poteſt? Ratio Minoris eſt, quia de cujus ſanctitate non conſtat, de illo ſciri nequit, quod ſit in Eccleſia cap. cum aliquis cauſ. 24. q. 3. *cum aliquis exit à veritate, à timore DEI, à fide à charitate, exit de caſtris Eccleſiæ, etiamſi per Epiſcopi vocem minimè abijciatur.*

XL. Errori huic reijciendo occaſionem dedit prædictum ſchiſma; hoc enim ſublato, Martinus V. Papa in Bulla relata in Concilio Conſtantienſi decretum illud fecit, cujus menimi ſupra ſcil. ab Hæreticis Eccleſiæ Romanæ reconciliari volentibus primum omnium exigatur, *ut credant, Papam qui, expreſſo ejus nomine, pro tempore fuerit, eſſe canonicè electum, ac Succeſſorem Petri, & in Eccleſia Dei ſupremam habere poteſtatem.* Advertit Palao Tr. 4. D. 1. pun. 5. §. 2. num. 11. aliud eſſe dicere: *non eſt de fide, Innocentium XI. eſſe verum Pontificem,* aliud: *eundem non eſſe verum Pontificem*; etenim hæc poſterior propoſitio eſt temeraria, ſcandaloſa, & planè hæretica: illam priorem non vult graviùs cenſere propter aliquot celebres Theologos, qui defenderunt eam. Nos licet teneamus, de fide eſſe, Innocentium XI. verum eſſe Pontificem ac Petri Succeſſorem, non tamen hîc agimus contra illos Theologos, hæreſeos eos incuſando; quia revelatio hujus veritatis eiſdem vel non eſt ſufficienter propoſita, vel pertinaciter ei non reſiſtunt; parati eandem credere, quandocunquè per Eccleſiam ſufficienter propoſitam intellexerint. Itaque Sectariorum ſolùm errorem reijcimus, qui non ſolùm in communi omnes Pontifices Romanos habent pro illegitimis: Sed hunc etiam pro tempore exiſtentem Papam Innocentium XI. negant, verum eſſe Pontificem legitimum Petri Succeſſorem, quantumvis ab Eccleſia tanquam canonicè electus & acceptatus fuerit. Inſtantiæ allatæ necquicquam Adverſarijs patrocinantur.

XLI. Reſpon. 1. *ad primam inſtantiam de Formoſo & Stephano.* Erravit quidem Stephanus, ſed in quæſtione facti, non juris, & malo exemplo, non falſa doctrinâ. Ita Bellarminus Tom. 1. Lib. 4. de Pontif. cap. 12. & communiter alij Catholici Doctores. Hiſtoria ex Card. Baronio Tom. 10. Annal. Eccleſiaſt. A. C. 897. ſic ſe habet. Stephanus VII. verus Papa Anteceſſoris ſui Formoſi etiam legitimi Pontificis cadaver ex gravi odio exhumavit, atque Pontificalibus indutum veſtimentis in Sedem Romani Papatûs collocavit, ſic illum Papam allocutus: *Cum eſſes Portuenſis Epiſcopus, cur ambitionis Spiritu Romanam Univerſalem Sedem occupaſti?* quibus dictis mox eundem ſacratis exutum veſtibus digitiſque tribus abſciſſis, quibus benedicere conſueverat, in tyberin præcipitari juſſit, cunctóſque, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio dejectos iterum ordinavit. Deinde collectâ Synodo factum hoc ſuum ibi approbavit; quam poſtea approbationem Joannes IX. reſcidit; ignique tradidit, ac penitus abolevit. In hâc re nefanda non contigit error in fide, inquit rectè Baronius loc. cit. ſed violenta tyrannis in facto; quia Stephanus non voluit definire, Formoſum non fuiſſe legitimum Pontificem, poſtquam fuit acceptatus ab Eccleſia, ſed irâ æſtuans voluit ipſum, quem gravi odio proſecutus fuerat, hâc ratione inhonorare, infamare, ac ſceleris ſui quaſi juſti facti habere approbatores. Cæterùm Formoſum, cum à Piſcatoribus inventus, & in Eccleſiam D. Petri deportatus eſſet, à Sacris Imaginibus in loculo ſuo poſitum venerabiliter ſalutatum fuiſſe, ſcribit Luitprandus Lib. 1. cap. 8. apud eundem Baronium; ex quo facilè conijci poteſt, quantæ Authoritatis, quantæ religionis ac Sanctitatis Pontifex fuerit Formoſus.

XLII. Reſpon. 2. *ad ſecundam inſtantiam de ſchiſmate.* Quando ſtatim & manifeſtè conſtat de

valore

Digitized by Google

valore electionis per acceptationem communem, quantumvis poſtea reclament aliqui, illam ſemel factum & acceptatá revocare omnes etiam Electores ſimul non poſſunt. Atque ita accidit Electio Urbani VI. cujus juridicam electionem nec numerus illorum Cardinalium nim. 12. Gallorum juſto minor: nec tarda nimis eorundem reclamatio invalidare potuit; qui proinde verus abſque ullo dubio fuit Pontifex (quem idcirco S. Catharina Senenſis magnopere propugnavit) omnesque ejus Succeſſores ſemper habiti fuerunt ut omnino legitimi à majore & ſaniore Eccleſiæ parte uſq; ad tempora Gregorij XII. Benedicti XIII. & Joannis XXIII. qui omnes tres ſe dicebant Papas, ſuosq; ſinguli habebant adhærentes; unde tunc apud prudentes etiam judicioq; ſanos aliqua fuit enata dubitatio, maxime inter Gregorium XII. & Joannem XXIII. (Benedicto enim nullum probabile jus patrocinabatur) quis illorum alteri præſtaret, ambo enim diverſis vicibus à majore Cardinalium parte electi fuerunt ſchiſmatis tollendi causâ; unde uterque in Papatum prætendere jus poſſe videbantur.

XLIII. In hoc caſu & triſtiſsimo Eccleſiæ ſtatu ſentiendum, non fuiſſe de fide, quis illorum verus ac legitimus eſſet Papa. Ita poſt alios expreſsè Arriaga Tom. 5. D. 7. ſect. 8. num. 54. Nam ut electio Papæ de fide ſit, & talis habeatur, non ſufficit, eam proponi & acceptari ab Eccleſia quomodocunquè, ſed debet proponi & acceptari abſque contradictione probabili, hoc eſt, notabili virorum prudentum, ac fundamentis apparentibus nixa; alioquin licitum eſt, cuilibet ſuſpendere aſſenſum, uſque dum melius conſtet, quis verum jus ad Papatum habeat; quod ſi pauci ſolùm electioni ſe opponant, qui malè contenti eſſe poſſunt, electionem non infringunt, nec hujus certitudinem tollunt. Atqui tempore Gregorij XII. & Joannis XXIII. talis probabilis contradictio extitit, cum ex utrinſque parte ſtarent multi viri prudentes apparentibus fundamentis nixi, & Res Chriſtiana diſtraheretur, ut hiſtorici teſtantur. Ergo neutrius electio fuit tunc de fide, nec ut talis eſt habita. Confirmatur. Ex communi omnium Doctorum ſententia. Dubius Papa reverâ in facie Eccleſiæ non eſt verus Papa, utpote cui Eccleſia obedire non tenetur, ſed jure ad novam electionem procedi poteſt. Cum ergo prædicti Pontifices fuerint dubij Pontifices, atque idcirco Eccleſia in Concilio Conſtantienſi ad novam electionem proceſſerit, ut apud omnes conſtat, non potuit eſſe de fide, vel Gregorium, vel Joannem eſſe tunc verum Papam. Ex quo tamen non infertur, perinde tunc fuiſſe, ac ſi omnes Papæ non-vero adhæſiſſent. Nam licet multi adhæſerint ei, qui reversà non fuit Papa, non tamen tota Eccleſia fuit decepta, ſed ſolummodo pars; illi etiam, qui invincibiliter falluntur, ſublato dein Schiſmate vero Pontifici uniti confirmationem earum gratiarum, quæ ab apparente acceperant, de novo petunt & accipiunt, ac proinde periculum irreparabilis damni & falſorum dogmatum hocipſo ceſſat. Hinc Martinus V. in Concilio Conſtanſienſi legitimè tandem ac ſine contradictione electus ſublato prorſus ſchiſmate ex ijs, quæ ſub Schiſmate facta fuêre, quædam revalidavit, quædam invalidavit, prout ad bonum Eccleſiæ & tollendam in ea omnem dubitandi rationem expedire videbatur.

XLIV. Reſp. 3. argumentum Gerhardi potius riſum, quàm reſponſum mereri. Nã 1. falsũ eſt, eum non eſſe in Eccleſia, de quo rationabiliter dubitari poteſt, num ſit in Eccleſia; quia ſolus fidei defectus, non aliorum dubitatio excludit ex Eccleſia. 2. falſum eſt, de quolibet Papa rationabiliter dubitari poſſe, an ſit in Eccleſia; quia hæc eſt mera hæreticorum Calumnia. 3. falſum eſt, illum non eſſe legitimum Papam, de quo rationabiliter dubitari poteſt, an ſit in Eccleſia; quia aliorum ſola dubitatio non extrudit Papam ex poſſeſſione legitimi ſui Pontificatûs. 4. falſum eſt, ullum Papam reipsâ fuiſſe hæreticum; quia hoc non probatur, ſed merè ſupponitur à Sectarijs. 5. falſum eſt, cap. cum aliquis cit. dicere, eum non eſſe in Eccleſia, aut de illo certò (moraliter) ſciri non poſſe, quod ſit in Eccleſia, de cujus interiore ſanctitate non cõſtat; quia moralis certitudo de aliquo haberi poteſt, quod habeat fidẽ, non autem; quod habeat gratiam. 6. falſum eſt, Papam hæreticum (dando, non concedendo hunc caſum) non poſſe eſſe Caput Eccleſiæ; quia ut aliquis ſit præcisè Caput (metaphoricè ſumptum) Eccleſiæ, non neceſſariò requiritur Fides, ut patet in Chriſto, qui fuit Caput Eccleſiæ, & tamen non habuit fidem. Ecce unicum argumentum hæretici Magiſtri tot ſcatens falſitatibus!

XLV. Ut igitur toti huic ſanè difficili materiæ de ſucceſſoribus D. Petri finem imponamus, concludimus hoc argumento. Quicunque propter gregem unum viſibilem perpetuò conſervandum ac gubernandum ſapienter inſtituit unum Paſtorem viſibilem, etiam inſtituit Paſtorem perpetuum. Atqui Chriſtus Matth. 16. Luc. 12. Joan. 21. propter Ovile ſuum viſibile uſque ad conſummationem ſæculi conſervandum ac gubernandum inſtituit Paſtorem unum viſibilem ordinarium. Ergo inſtituit ijſdem verbis Chriſtus Paſtorem perpetuum. Sed non eſt perpetuus in perſona Petri. Ergo in ejus Succeſſoribus. Ergo, cum heterodoxi nullum alium omnibus retro annis potuerint oſtendere, quàm Romanum Pontificem ſuo quemvis tempore, ijdem fateri coguntur, quod Chriſtus ſicuti univerſæ Eccleſiæ ſuæ hunc Innocentium XI. pro hoc præſenti: ita ex cæteris omnibus pro ſuo etiam quemlibet alio tempore Pontificem ſummum conſtituerit. Hoc, inquam, argumento concludimus, & omnia, quæ hactenus dicta fuêre, confirmamus, quæ inconcuſſa ſtabunt, donec Adverſarij fundamentum iſtud evertant, id quod nullo unquam tempore fiet. Simili modo concludendi utitur S. Juſtinus Martyr, quem allegant, & ſequuntur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 7.

CONTROVERS. XXVIII.

DE INFALLIBILITATE ſummi Pontificis.

INgens & ſingularis eſt hæc Romani Pontificis prærogativa. Sed eadem non minùs Eccleſiæ Dei eſt neceſſaria & jucunda; quomodo enim abſq; illa Infallibilitate roborabitur?

Digitized by Google

bitur? quomodo etiam ob eandem non minùs lætabitur D. Petrum in ſuo Succeſſore adhuc conſpiciens viventem, & audiens eundem loquentem verba Spiritu Sancto, atque indubitatâ veritate pleniſsima.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. SUmmus Pontifex duobus modis docere ac decernere aliquid poteſt. 1. Ut Pontifex ſeu Perſona publica. 2. Ut privata perſona. Priore modo docere dicitur, quando aliquid docet, ut Rector ſupremus, ac Caput totius Eccleſiæ, adeoq; ut publica perſona, idque toti Eccleſiæ credendum vel ſervandum proponit, quod dum facit, dicunt Theologi, eum docere ex Cathedra. Poſteriore modo docere dicitur, quando non docet, ut ſummus Rector, hoc eſt, ex officio & authoritate Pontificia, ſed præciſè, ut Concionator, Doctor, Scholaſticus, Commentator in Scripturam vel aliter. Papam ut publicam perſonam errare non poſſe in definiendis rebus fidei, certum eſt dogma Doctorum Catholicorum, ut infra videbimus. Eundem etiam, ut privata eſt perſona, errare non poſſe, tenet Cardinal. Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 6. Suarez Diſp. 7. Albertus Pighius, Tirinus in indice Controverſiarum controv. 6. in fine, & nonnulli. Sed oppoſitum tenent Cajetan. opuſ. de Authorit. Papæ & Concil. à c. 7. Canus Lib. 6. de Locis Theolog. cap. Ult. Turrianus Diſput. 16. dub. 1. Bannez 22. quæſt. 1. art. 10. Malderus ibid. dub. 7. & plerique alij.

II. *Doctrina prima.* Summus Pontifex, ut privata perſona errare, & in hæreſin etiam incidere poteſt. Ita planè communior Theologorum Catholicorum apud Tannerum Tom. 3. Quæſt. 4. num. 236. Probatur. 1. Quia nulla extat promiſſio, Papam ut privatam perſonam ab omni errore tuendi, quod enim Petro dictum eſt, Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*, triplicem patitur limitationem. 1. ut tantùm intelligatur de finali perſeverantia in fide, cum Petrus prius defecerit. 2. videtur tantùm privilegium perſonæ Petri conceſſum ad Succeſſores non ſimpliciter extendendum. 3. Si ad Succeſſores extendatur, intelligendum de illis, quatenus ſunt Pontifices & publicæ perſonæ, non privatæ. Probatur. 2. authoritate Summorum Pontificum, qui dixerunt, *Pontificem hæreticum eſſe deponendum.* Ergo ſuppoſuerunt, illum poſſe fieri hæreticum, & conſequenter errare, ut tradit Bonifacius Martyr cap. ſi Papa. Diſt. 40. Anacletus epiſt. 3. Innocentius III. in ſermone 2. de conſecratione Papæ. Concilium Conſtantienſe Seſſ. 11. Idem ſupponunt D. Hieron. epiſt. ad Patriarcham, & alij Patres, idemq; fusè probat Bannez loc. cit. Certè Marcellinus Papa tormentorum horrore territus fidem negavit, & Idolis Sacrificavit; qui ſi etiam exteriùs tantùm ſimulaſſet Idololatriam, mendacium tamen gravemq; errorem commiſiſſet. Probatur 3. Non magis Pontifex confirmatur in fide, ut perſona privata, quàm in ſpe & charitate. Ergo ſicuti amittere poteſt ſpem & charitatem, ita poteſt ut privata perſona amittere fidem.

III. Objiciunt Adverſarij 1. Pontifex, quà publica perſona, ſemper verum docet, ut ſtatim dicetur. Ergo etiam ut privata ſemper rectè ſentit. Prob. conſequentia, quia ſine violentia fieri non poteſt, ut quis aliter ſentiat, aliter loquatur; hæc enim violentia non eſt conſentanea ſuaviſſimæ Dei Providentiæ. Reſpon. imprimis Papam non omnia docere, quæ in animo ſentit, adeoque non probari inde omnimodam infallibilitatem etiam in cogitationibus vel in privatis ſermonibus aut loquelis. Deinde negamus conſequentiam, & ejus probationis aſſumptum; quia non repugnat divinæ ſuavitati homines refractarios ad officium compellere juxta illud Luc. 14. v. 23. *compelle intrare.*

IV. Inſtant. Si DEUS cogeret Papam clam hæreticum ad docendam veritatem contra ſuam mentem, tunc cogeret illum mentiri, conſequens eſt blaſphemum. Ergo & Antec. Mai. patet ex definitione mendacij, quod eſt contra mentem loqui. Min. probatur; quia mendacium eſt intrinſecè malum, ut docet ex communi aliorum Theologorum Cardinal. Lug. D. 4. de fid. Sect. 4. Si ergo DEUS cogeret ad mentiendum, cogeret ad peccandum, quod repugnat ejus ſanctitati. Reſpon. negando ſequelam Mai. DEUM ſcil. cogere talem Pontificem clam hæreticum mentiri; quamvis enim iſte loqueretur contra privatam mentem, non tamen mentiretur; quia in tali caſu non loqueretur ex mente ſuâ, ſed Spiritûs Sancti; ſicuti is, qui in comœdia perſonam alicujus idololatræ ſuſtinet & idola veneratur, non mentitur, licet aliter ſentiat, ſiquidem tunc non loquitur ex ſua, ſed aliena perſona. Adhæc in tali caſu DEUS non impelleret Papam ad loquendum contra ſuam privatam intentionem, ſed potiùs ut eodem modo ſentiat ac loquatur; quod ſi in uno obediat, non in altero, & ſic mentiatur, ipſius culpa erit, non impulsûs divini.

V. Objiciunt 2. Non eſt quiſquam hactenus repertus Pontificum, de quo manifeſtè conſtaret, quod in hæreſin ipſe fuerit lapſus. Ergo piè ac probabiliter credi poteſt, non poſſe Romanum Pontificem etiam ut privatam perſonam fieri abſolutè hæreticum. Confirmatur authoritate Theodoreti in epiſtola ad Renatum presbyterum Romanum, ubi ait, *Sanctam iſtam Sedem tenere gubernacula regendarum cunctis orbis Eccleſiarum, tum propter alia, tum quia ſemper hæretici favoris expers manſit, nec ullus unquam, qui contrarium ſentiret, in ea ſedit.* Reſpon. Antecedens eſſe valde dubium. Nam Ferdin. de Caſtro-Palao Tom. 1. Tract. 4. D. 1. pun. 5. §. 2. num. 7. & alij Authores noſtræ ſententiæ enumerant plures ex Pontificibus in hæreſin lapſos. De Victore tradit Euſebius Lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. penult. De Marcellino thus Idolis offerente ſupra diximus. De Liberio id affirmat Hieronymus in Chronicis. De Anaſtaſio refert Gratianus cap. Anaſtaſius 19. diſtinct. De Honorio denique conſtat ex epiſt. Adriani relata in VIII. Synodo. Act. 7. Et ex epiſt. Agathonis relata in VI. Synodo Act. 4. Verùm quidquid ſit de facto, utrum hi vel illi Pontifices in formalem hæreſin inciderint, quod quidem nunquam eveniſſe fusè oſtendere laborant Cardinalis Bellarminus loc. cit. à cap. 8. uſque ad 14. Franc. Sylvius in Controverſ. Fidei Lib. 4. Quæſt. 2. art. 12. M. Gravina Tom. 4. Controv. P. 2. art. 5. & nonnulli alij, eò quod manifeſtè non conſtet, ullum hactenus Pon-

Digitized by Google

tificem in hæreſin incidiſſe; inde non ſequitur, nec ullum labi in hæreſin potuiſſe, quod unicè aſſerimus; aliàs certè Concilia illa Generalia accuſationem de hæreſi omnino exploſiſſent, utpote à Pontifice prorſus alienam; unde nec Theodoretus nobis adverſatur, qui de eo ſolùm loquitur, quod de facto contigit, & forſan nec de perſona privata Pontificis, ſed de publica, quæ ſedere in Sede Sancta dicitur.

VI. Cæterùm ipſimet etiam Adverſarij non omnimodè volunt, Papam ut privatam perſonam eſſe infallibilem. Nam Bellarminus limitat ajens errare, & pertinacem eſſe non poſſe circa ea, quæ ſunt ſemel definita ab Eccleſia tanquam de fide: at verò bene poſſe errare pertinaciter circa ea, quæ nondum ſunt definita, & ſic hallucinatum eſſe Joannem XXII. putando animas juſtorum non viſuras DEUM ante ultimum judicij diem. M. Gravina & alij diſtinguunt, & ajunt, perſonam privatam Pontificis labi in errorem poſſe, ſi phyſicè ſpectetur: non autem ſi moraliter conſideretur ſuavi DEI providentiâ ſuffulta.

VII. *Doctrina ſecunda.* Summus Pontifex, ut perſona publica ex cathedra aliquid definiens, totiquè Eccleſiæ id proponens tanquam fide divinâ credendum, errare non poteſt. Ita cum S. Thoma 2.2. q.1. art.10. & q.11. art.2. cæteri Theologi ita communiter, ut Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 3. cenſeat contrarium hæreſi proximum, & M. Dominicus Bannez aſſerat, id tanquam Apoſtolicam traditionem tenendum; P. Arriaga verò de Fide D.9. num.17. abſolutè vocat veritatem Catholicam, ac divinâ fide tenendam, id quod etiam alij jure meritiſſimo faciunt. Probatur 1. ex verbis Chriſti ad Petrum Luc.22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*; quibus verbis duo privilegia data ſunt Petro, & Succeſſoribus propter orationem Chriſti; primum, ut non deficiat fides Petri: alterum, ut confirmet Fratres in fide; quæ duo præſtare planè non poſſet Petrus vel ejus Succeſſores, ſi errare in definiendo poſſent; quia tunc deficeret fides Petri in Eccleſia, nec poſſet fratres in fide confirmare, ut latè proſequuntur citati Authores, & in hunc ſenſum verba illa Scripturæ explicant Sancti Patres apud Bellarminum loc. cit. Atque hinc Concilia Generalia Romano Pontifici ſua ſemper decreta ſubjecerunt, uti de Florentino teſtatur, & ejus verba refert Tanner de fide D.1. §. 4. num. 251. non utique propter authoritatem ejus humanam, quæ abſque dubio major erat in tot Epiſcopis congregatis. Ergo propter ſublimiorem & divinam. In Concilio etiam Lateranenſi ſub Leone X. damnatur articulus 24. Lutheri, in quo dixerat, *non eſſe peccatum, neq; hereſin, ſentire contrarium ejus, quod Papa vel major pars Eccleſiæ ſentit, aut tanquam de fide credendum definit.*

VIII Probatur 3. Si Pontifex definiens ex Cathedra docere poſſet falſum aliquod dogma, tum poſſet in hoc decipere Eccleſiam; quippe hæc tenetur audire ſuum Rectorem ac Doctorem vi officii ſui procedentem juxta illud ad Heb. 13. v.17. *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis.* Atqui Eccleſia non poteſt decipi circa veritatem rerum fidei, cùm ſit *columna veritatis*; Tim. 3. v.15. Probatur 4. Si Pontifex, ut Rector Eccleſiæ, doceret falſam fidem, tunc ut Rector ſummus non foret Petra firma, ſupra quam eſt Eccleſia ædificata; firma quippe dici nequit, quæ vento doctrinæ etiam falſæ circumfertur, cum hæc circumlatio inconſtantiam indicet.

IX. Confirmatur utraque iſta probatio. Eccleſia eſt firmum ædificium, utpote contra quam non ſint prævaliturae portæ inferi Matth. 16. v. 18. Ergo à fundamento, quod eſt Pontifex, non poterit quoad Fidei dogmata decipi; aut certè non erit firmum ædificium, cum ſtabilitas ejus ædificij etiam à fide vera dependeat; non enim fundamentum à domo, ſed domus à fundamento accipit firmitatem, & hoc modo locum illum Matthæi expoſuerunt omnes Patres, atque hinc deduxerunt, Petrũ, & conſequẽter alios Pontifices non poſſe errare. In memoriam redeant verba Theodoreti ſupra §. VI. adducta, ubi videtur ſic argumentari. Sedes illa ſuprema, quæ tenet gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum, ſemper hæretici fœtoris expers fuit, atque eſſe debuit, ne univerſus Orbis in errorem induceretur, & portæ inferi contra eam prævalerent Matthæi cit. Ergo is, qui ejus Sedis eſt quaſi Os & Lingua, & à quo illa ſuam infallibilis veritatis prærogativam nanciſcitur, erroris quoque in Effatis ſuis & Fidei Decretis expers eſt, atque eſſe debet ad ea, quæ diximus, mala præcavenda. Atqui talis eſt ſolus Romanus Pontifex per legitimam electionem ſuper Sedem illam ſupremam collocatus. Ergo infallibilis eſt in rebus Fdei Catholicæ decernendis.

X. Probatur denique 5. doctrina noſtra. Pontifex habet aſſiſtentiam Spiritûs S. ne erret prædicto modo; & hoc eſt neceſſarium propter infallibilitatem Eccleſiæ in credendo, ſi enim is prædicto modo poſſet errare, tota Eccleſia in errorem fidei induceretur, cùm ſuo Rectori quà tali credere teneatur, ut recèns diximus. Confirmatur 1. Authoritate Patrum, quorum plura teſtimonia videri poſſunt apud Becanum Lib. 9. de Republ. Eccleſiaſt. cap.4. v.24. Sufficiat nobis unus & alter ex illis. S. Hieronymus epiſt. ad Demetriadem ſic habet: *illud te pio charitatis affectu prамonendam puto, ut S. Innocentij, qui Apoſtolicæ Sedis, & Anaſtaſij Romani Pontificis Succeſſor & Filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quantumvis tibi prudens & callida videatur, recipias.* Maximianus Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Orientales ſic ſcribit: *Omnes fines terræ, qui Dominum ſyncerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes in poteſtatem Romanorum Pontificum tanquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſo lumen Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei recipiunt.* Confirmatur 2. ex ſuavi DEI Providentia. ad quam pertinet, unamquamque creaturam gubernare juxta modum naturæ illius, ſpecialiter autem hominem. Quemadmodum ergo Deus non confert gratiam inviſibilem homini, niſi per Sacramenta ſenſibilia infallibiliter (niſi aliquod ipſis obſtaculum ponatur) operantia, ut cum S. Thoma docent Theologi in 3. Patre, ita congruum eſt, ut homo non perveniat ad fidem inviſibilem regulariter & de lege ordinaria, niſi per regulam vivam, viſibilem & infallibilem. Confirmatur 3. experientiâ. Quia tot ſæculis nullus Pontifex in publica fidei ac morum doctrina unquam erravit, ut conſtat ex hiſtoriis, & infra magis conſtabit, ubi errores hæreticorum objectos diluemus. Ut vis & univerſalitas hujus allatæ doctrinæ noſtræ diſtinctiùs & clariùs appareat,

ſingul-

Digitized by Google

ſingillatim quædam ex ea ſtatuenda & firmanda ſunt, in quibus nonnulli oppoſitum tenere fuerunt auſi, vel in id propendere viſi.

XI. *Doctrina tertia.* Summus Pontifex in Cathedra aliquid fide divinâ tenendum decernens errare non poteſt, etiamſi id ſeorſim & extra Concilium Generale faciat. Ita communis Catholicorum Doctorum, cujus tamen oppoſitum quidam Veteres Theologi tenuerunt, & hodie abſolutè tueri volunt Janſeniſtæ aliqui Aſſerentes, Pontificem extra Concilium non poſſe determinare aliquid circa fidem, ut ſic eludant Innocentij X. Bullam, in qua Romæ pridie calendas Junij 1653. contra Cornelium Janſenium Epiſcopum Iprenſem quinque propoſitiones damnavit tanquam hæreticas, de quibus ſingulis nos ſuo loco. Videri interea poſſunt apud DD. a Walenburch Tom. 2. fol. 163. Probatur Catholica noſtra doctrina Tum ex dictis univerſim pro doctrina priore. Tum quia Concilia Provincialia eo ipſo quod à Papa approbantur, cenſentur eſſe infallibilis veritatis, ut oſtenditur ex Milevitano, Arauſicano & alijs. Ergo etiam ſine Concilio Generali erit infallibilis. Tum quia ſi in Eccleſia talis eſt infallibilitas, qualem oſtendimus, eam in Capite eſſe oportet, quod eſt Summus Pontifex. Nam cùm frequentes oriantur difficultates circa fidem, non expedit, eas à ſola Eccleſia ſimul congregata decidi poſſe; quippe ea convocatio tam frequens moraliter foret impoſſibilis. Ergo debuit eſſe una perſona, quæ abſque difficultate ſaltem per litteras conveniri poſſit, qualis eſt ſummus Pontifex, qui alioquin ſupremam in totam Eccleſiam habet juriſdictionem. Tum quia nunquam legimus, hanc poteſtatem datam eſſe Pontifici dependenter à Concilio: Sed potius è converſò datam eſſe Concilio dependenter à Papa; unde authoritate hujus habet infallibilitatem, & ante confirmationem illius eandem infallibilitatem non habet. Ergo Pontifex per ſe habet illam. Plura pro hac doctrina dicemus infra. Nec inferri inde licet, ſic fruſtra fore Concilia Generalia; cum enim ad definiendum aliquid præcedere debeat inquiſitio & conſultatio, etſi hanc Pontifex extra Concilium nunquam ſit omiſſurus, nihilominus ea optimè fiet in Concilio Generali per diligentiam Patrum totius Eccleſiæ congregatorum, qui etiam, ſi fortaſſis diſſentiant, meliùs ſic uniuntur, & inſtruuntur, quid in ſuis ſinguli diœceſibus fide divinâ credendum proponant. Sed quam cenſuram meretur ſententia oppoſita? Malderus & Wiggers duo Lovanienſes Doctores in 2.2. D.Thomæ q.10. art.1. eam ſolùm cenſuerunt improbabilem. Stapletonus Controu. 3. q. 4. & alij erroneam. Bellarminus Lib. 4. de Pontifice cap. 3. Tanner & plures alij addunt, eſſe hæreſi proximam. Verùm juxta datam doctrinam ex communi Doctorum ſenſu eſt prorſus pro hæretica habenda. Pro quo ſic argumentari poſſumus. Definitiones Conciliorum non ſunt habendæ tanquam de fide, niſi priùs confirmentur à Papa. Ergo ſi Papa poteſt errare in ſuis definitionibus, ſequitur definitiones Conciliorum etiam confirmatorum non eſſe de fide. Conſequens eſt hæreticum. Ergo & antecedens. Videri poteſt Diana P. 11. Tr. 2. de infallibilitate decret. Sum. Pontif. Reſ. 4.

XII. *Doctrina quarta.* Pontifex, quà talis, in generalibus morum præceptis aut decretis præſertim ad ſalutem neceſſarijs, quando toti Eccleſiæ aliquid proponitur, aut præſcribitur, non poteſt errare quoad ſubſtantiam actûs, ita ut mala pro bonis probet ac præcipiat, & bona pro malis damnet ac prohibeat. Ita ex communi aliorum Theologorum Card. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5. & videtur Catholica hæc doctrina definita à Martino V. in Concilio Conſtantienſi Generali in Bulla, quæ incipit: *Inter cunctas Paſtoralis curæ*, & habetur poſt ultimam Concilij Seſſionem, ubi Papa tanquam hæreticos puniri vult, qui id, quod à Concilio in fauorem Fidei & animarum ſalutem fuit ſtatutum, veluti contrarium fidei ac moribus bonis pertinaciter tenent. Probatur doctrina noſtra. Tum quia Eccleſia ſic erraret contra fidem, eſt quippe de fide, quod virtutes ſint bonæ, & vitia mala. Si autem Pontifex quà talis poſſet præcipere vitia tanquam bona, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona; obligatur quippe facere, quod Pontifex, ut ſummum Caput & Rector præcipit. Tum quia Eccleſia etiam à præceptis dicitur Sancta. Ergo ſicut contra ejus infallibilitatem fieri non poteſt, ut Pontifex aliquid falſi definiat, ita etiam propter ejuſdem Eccleſiæ ſanctitatem fieri non poterit, ut ei mala tanquam bona conſulantur, aut præcipiantur. Tum quia aliàs DEUS in neceſſarijs ad ſalutem deeſſet ſuæ Eccleſiæ, quod eſt contra promiſſionem Chriſti Joan. 16. v. 13. *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; quæ promiſſio ad minimum intelligenda eſt de veritate neceſſaria ad ſalutem. Diximus, *quoad ſubſtantiam.* Nam in modo obligationis, leges nimis multiplicando, vel nimis difficilia imperando Pontificem errare poſſe, tradit Suarez de Legib. Lib. 6. cap. 27. num. 7. & alij Doctores communiter. Atque ipſa praxis confirmat. Nam ideo non omnes Leges Pontificum ubique recipiuntur, vel receptæ per deſuetudinem rurſus abolentur, tanquam humanæ infirmitati juxta præſentem ſtatum & mores conſideratæ nimis oneroſæ.

XIII. *Doctrina quinta.* Summi Pontificis authoritas eſt infallibilis in approbatione Religionum; hoc eſt, errare non poteſt, ut aliquod Inſtitutum approbet tanquam Sanctum, pium, & Evangelicæ perfectioni conſentaneum, quod malum in ſe ſit quoad ſubſtantiam. Ita communis Catholicorum Doctorum, è quibus Diana Part. 11. in append. ad Tract. 2. de Infallibil. decret. Pontif. Reſ. 14. doctrinam hãc abſolutè dicit eſſe de fide, & benè. Tum quia in Concil. Conſtantienſi Seſſ. 8. damnantur Wicleff & Huſſ, qui Inſtituta Religionum ajebant fuiſſe à diabolo introducta; hic autem error damnatur prædicto loco, quod multæ Religiones ab Apoſtolica Sede eſſent approbatæ tanquam conformes Evangelicæ perfectioni. Tum quia in Trident. Seſſ. 25. can. 16. ubi agitur de Religionibus, inſtitutum iſtarum vocatur pium, quod etiam poſtea Sedes Apoſtolica approbavit. Tum quia approbatio Religionum eſt magna pars materiæ moralis. Ergo quoad hoc non poterit Pontifex aliquod vitæ inſtitutûm tanquam pium & bonum Eccleſiæ proponere, quod in ſe malum ſit, aut certè turpiter deciperetur. Diximus *quoad ſubſtantiam.* Nam in circumſtantijs Pontificem errare poſſe; v.g. nimis multos ordines approbando, aut non debito tempore &c. Concedunt Suarez, Bannez, Tanner, alij, quia ſcil. talis error

Digitized by Google

potius factum, quàm jus concernit. Quamvis nec hoc quidem dicere auſit Granado Tract. 7. D. 5. num. 2. & abſolutè neget Diana loc. cit. idque non malè. Nam conſtat, Pontificem habere aſſiſtentiam Spiritûs S. in his, quæ pertinent ad regimen Eccleſiæ, & conſequenter circa approbationem ordinum Religioſorum. Ergo non poteſt errare in circumſtantijs aut multitudine, cum nulla inſtitui poſſit abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu. Si igitur Sedes Apoſtolica approbet, habemus intentum.

XIV. Non obſtat 1. Innocentius III. c. nimia tit. de Relig. domibus advertens, nimiam Religionum multitudinem valde Eccleſiæ Chriſti incommodare. Non enim advertit hoc Pontifex in Religionibus approbatis, ſed prohibere ſolùm vult, ne quis inveniat novam Religionem, & abſque Papæ approbatione in Eccleſiam inducere audeat, ut ſic incommoditas illa præcaveatur; quomodo enim aliàs poſt prohibitionem iſtam novæ Religiones v. g. Franciſci de Paula, Societatis Jesu ſurgere potuiſſent? Non obſtat 2. aliquas Religiones à principio approbatas poſtea fuiſſe extinctas. Id namque factum non eſt, quaſi aliquando tales Religiones fuerint malæ, ſed quod poſtmodum viſum ſit, non amplius eſſe illas ad ædificationem Eccleſiæ; quia vel tales Religioſi inſtitutum non ſervabant, vel poſtea tale inſtitutum mutato Eccleſiæ ſtatu inutile reddebatur. Unde diſcrimen eſt inter Religionis approbationem, & inter Canonizationem ab Eccleſia ſemel factam, quæ eſt irrevocabilis. Nam Sanctus per canonizationem non primùm fit Sanctus, éſtque iſta canonizatio ſolùm ſententia definitiva ac declárativa Sanctitatis in concreto: At verò approbatio Religionum non approbat rectitudinem in concreto, nec confirmat Religioſos in gratia, ſed remanent eſſentialiter defectibiles, atque idcirco poſſunt omnes & ſinguli deficere, aut mutari queunt circumſtantiæ finis approbationis, loci, temporis &c. Ut proinde inconveniens non cenſeatur, ob juſtas cauſas ordinem aliquem Religioſum extingui ac Supprimi. Hinc parùm cautè ſcripſit M. Melchior Canus Lib. 5. Locor. c. 5. ſimpliciter & abſolutè affirmans, Pontificem in Religionibus approbandis errare poſſe. Nam niſi verba hæc in alium ſenſum, ac præſeferunt, explicentur, revera nec fidei, nec pietati conſona cenſentur, ut ex dictis conſtat.

XV. *Doctrina ſexta.* Papa non poteſt errare in canonizatione Sanctorum, aliquem ſcil. proponendo toti Eccleſiæ colendum, ut Sanctum, qui non ſit talis. Ita Catholici Doctores, è quibus Arriaga Tom. 3. de Fide D. 9. n. 28. diſertè poſt Valentiam, Turrianum & alios affirmat, hoc non ſolùm eſſe certum, ſed etiam de fide. Probatur. Tum quia Pontifices, ut præter alios advertit Suarez de Fide D. 5. Sect. 8. num. 8. in ipſa canonizatione decernunt ac definiunt, Canonizatum tanquam ab omnibus publicè ac privatim colendum, ipſámque infallibilitatem ſuam, & Spiritûs Sancti aſſiſtentiam expreſsè ponunt. v. g. in Bulla Sixti IV: *conſiderantes, quod in hac Canonizatione* (Sancti Bonaventuræ) *non permittat nos DEUS errare.* Et paulò poſt: *hunc Sanctum eſſe, fideliter, firmitérque teneri debere decernimus.* Et Bonifacius IX. de S. Brigitta: *decernimus, declaramus, definimus ſive pronunciamus, S. Brigittam Sanctam eſſe, atque ab univerſa Eccleſia venerari debere.* Similia verba reperiuntur in Bulla pro Canonizatione Sanctorum Hiacynthi, Raymundi, Caroli Borromæi, Ignatij, Xaverij & aliorum. Tum quia is, quem Papa canonizat, habetur ab omnibus Fidelibus tanquam Sanctus; ſi autem fieri poſſet, ut talis non eſſet Beatus, ſed damnatus, tota Eccleſia turpiter erraret, quod non videtur concedendum, cum ſit Columna Veritatis 1. Tim. 3. v. 15. Tum quia in Concilio Conſtanſienſi Seſſ. 8. & 14. damnatur error Wicleffi 44. Ubi Sanctitatem Auguſtini, Bernardi, Benedicti in dubium vocat, ajens, *illos fuiſſe damnatos, eò quod admiſerint poſſeſſiones.*

XVI. *Doctrina ſeptima.* Probabiliſſimum videtur, de fide quoque eſſe, Papam in Beatificatione errare non poſſe. Ita Verricelli in Quæſt. Moralib. Tr. 8. q. 25. n. 3. Megalius V. Canonizatio. n. 1. Palao Tr. 4. D. 1. pun. 5. n. 4. quos citat & ſequitur Diana P. 11. Tr. de infallib. decret. Pontif. Reſol. 10. Probatur. In his, quæ pertinent ad cultum totius Eccleſiæ, Pontifex errare non poteſt; ſiquidem erraret Eccleſia, quæ tamen, ut recèns diximus, eſt columna veritatis; quia, dum aliquis proponitur Regno aut Ordini Religioſo colendus, ita ut Miſſæ Sacrificium in illius honorem celebrari poſſit, abſque dubio toti Eccleſiæ venerandus proponitur, cum nomine totius Eccleſiæ ſacrificium offeratur, & univerſalis Eccleſia medio illo Miniſtro & Sacrificio per eundem oblato Beatum illum veneretur: omnibus etiam in Eccleſia licet, ſe illius precibus publicè commendare, eúmque Beatum appellare, ac pro tali verè judicare. Si ergo fieri poſſet, ut iſte non Beatus, ſed damnatus: non in alto cœli, ſed abyſſo inferni: non gloria & honore, ſed contemptu & vituperio dignus exiſteret, utique univerſa Eccleſia longè turpiſſimè erraret & deciperetur. Non obſtat, quod Canonizatio fiat per modum Sententiæ definitivæ: Beatificatio autem fit ſolùm indulgentia ſeu conceſſio Pontificis facta alicui Provinciæ aut Ordini Religioſo, ut poſſit aliquis defunctus appellari Beatus, eique cultus exhiberi. Nam per hoc diſcrimen non cavetur, quin univerſa Eccleſia errare turpitérque decipi poſſit, ſed ſolùm habetur, evidentiùs apparere, de fide certum eſſe, quod Pontifex errare non poſſit in canonizatione, quàm in Beatificatione; Unde etiam plures pro illa, quàm pro hac Sententia ſtant Doctores. Sed, inquit Arriaga D. 9. cit. n. 34. ſi de fide ſit, Beatum eſſe in cœlo, cur poſtea in ejuſdem Canonizatione de novo inquiritur in illius vitam, ac nova teſtimonia exiguntur? Dicimus fieri hæc non tam ad veritatis novæ indagationem, quàm ad ſolennem jam repertæ approbationem, & publicant habitæ curæ oſtenſionem, quia Pontifex etiam ad talem declarationem Beatitudinis gravi utitur examine, ſanctíque Spiritûs aſſiſtentiam invocat, rogátque, ne Deus errare ipſum permittat. Audio etiam ex P. Mart. Eſparza, fieri iſtam inquiſitionem novam in miracula ſolùm & augmentum cultûs: non in vitam.

XVII. Doctrinæ noſtræ præcedenti, quod de fide ſit, Pontificem non poſſe errare in Canonizatione, contrarium ſenſiſſe videntur Cajetanus de Indul. ad Julium cap. 8. & nonnulli apud Tannerum Tom. 3. D. 1. Q. 4. n. 287. moti forſan his argumentis. Tum quia Papa in Canonizatione ac Beatificatione nititur humanis informationibus,

quando

Digitized by Google

quando de ipſius Canonizandi vel beatificandi vita inquirit. Atqui hæ poſſunt eſſe falſæ. Ergo &c. Tum quia Nicolaus II. Canonizationem Sancti Franciſci, de qua aliqui dubitabant, confirmans nullam hæreſis facit mentionem, ſed tantùm ita loquitur: *rogamus & hortamur in Domino, quatenus ab aſſertione contrarij aures de cætero penitus avertantur.* Tum quia de facto videtur Eccleſia erraſſe Canonizando; etenim in Martyrologio ponitur Elias Propheta Canonizatus, qui tamen creditur nondum mortuus. Tum quia multæ in Eccleſia coluntur tanquam Virgines, cum tamen Virginitas valde occultis perdatur modis, ac proinde infallibiliter non videtur poſſe definiri. Addi his poteſt authoritas S. Auguſtini ab hæreticis objici ſolita, qui dixerit: *multa corpora humana honorari in terra, quorum animæ cremantur in gehenna.*

XVIII. Hæc argumenta talia non ſunt, ut contra communem doctrinam ſuadere quicquam valeant, quam S. Bonaventura in opuſc. contra Guilielmum tanti jam fecit, ut dixerit, ad infidelitatem ſpectare, de Sancti Canonizatione dubitare. Reſpondemus igitur ad 1. Pontificem ijs niti tanquam aliquâ conditione præambulâ, non tamen ſimpliciter neceſſariâ; principaliter enim hoc nititur fundamento, nempe promiſſione & aſſiſtentiâ Spiritûs Sancti, quæ etiam in hoc negotio ipſi adeſt, ne Eccleſia in errorem inducatur. Ad 2. Noluiſſe Pontificem illum duriùs loqui, quod fortaſſe ſciret, infallibilitatem Canonizationis non recipi ab omnibus Doctoribus tanquam exploratum fidei dogma. Cæterùm hoc ipſo, quod hortetur, ut aures penitus ab oblocutionibus avertantur, jam contrariam ſententiam cenſurâ dignam notat. Ad 3. Eliam non poni in Martyrologio Beatum, ſed Sanctum; qui tamen meritò colitur & invocatur, utpote certus de beatitudine & ſuo tempore beandus: neque aliter eum colunt PP. Carmelitæ, qui illum volunt ſuum eſſe Authorem. Ad 4. cum Tannero Tom. 3. D. 1. Q. 4. cit. n. 298. duplicis generis Virgines coli ab Eccleſia; aliquas, in quarum Canonizatione decernitur, quod non tantùm ſint Sanctæ, ſed etiam Virgines, ut proinde infallibile ſit, illas fuiſſe Virgines: alias verò, quæ titulo martyrij aut vitæ Sanctæ Canonizatæ meritò præſummuntur Virgines, ideóque officium Virginum de illis celebratur, non tamen expreſſè Canonizantur, ut Virgines; atque de hiſce concedendum videtur cum cit. Authore, nos non eſſe infallibiles de earum virginitate ſtrictè ſumpta. Quoad authoritatem D. Auguſtini, ait Card. Bellarminus Lib. 1. de Sanct. beatitud, ſe hæc verba non potuiſſe reperire apud S. Patrem. Sed facilem habent explicationem, ut intelligantur vel de corporibus, quæ fortè per errorem ſunt ſuppoſita loco corporum verorum Sanctorum: vel de corporibus Principum & Magnatum multorum, quæ ſplendidiſſimis incluſa ſepulchris habentur in veneratione, animæ tamen aliquorum exijs in inferno torquentur: vel demum de ijs, quæ apud multos habent immeritò honorem Sanctitatis, aut nomen martyrum; ſic tempore Auguſtini aliqua Donatiſtarum corpora hæretici tanquam verorum Martyrum honorârunt, & hodie Huſſium ut martyrem colunt Huſſitæ, Lutherum verò ut Sanctum venerantur Lutherani &c.

XIX. *Doctrina octava.* Infallibilitas Summi Pontificis, ut perſonæ publicæ ſeu ex cathedra aliquid definientis, quam hactenus ſtatuimus, & inter Fidei dogmata poſuimus, non extendenda eſt ad omnia omnino objecta, ſed intelligenda cum certis limitationibus. Ita communis Theologorum. *Prima limitatio eſt*, ut eatenus Pontifex non poſſit errare, quatenus id requirit infallibilitas Eccleſiæ. Quia Papalis infallibilitatis potiſſimum fundamentum eſt infallibilitas Eccleſiæ, ne iſta per illius errorem ſeducatur, ut optimè notat Tanner Q. 4. cit. num. 240. Si ergo contingeret, Pontificem errare ſine detrimento Eccleſiæ, ille error non repugnaret Eccleſiæ. Unde communiter dicunt Doctores, Pontificem non eſſe infallibilem in quæſtionibus merè philoſophicis & profanis. In doctrina etiam Fidei tripliciter fieri poteſt, ut error Pontificis non obſit Eccleſiæ. 1. Si non promulgaret ſuum decretum, ſed ſupprimeret, ne in notitiam Eccleſiæ veniret. 2. ſi Eccleſia ejus decretum non ſuſciperet, ſicuti non tenetur ſuſcipere, ſi manifeſtum errorem contra priora dogmata contineret. 3. ſi non conſtaret, illum eſſe legitimum Pontificem, quia tunc nondum ab Eccleſia audiendus eſt.

XX. Has Reſtrictiones paſſim Authores vel aſſignant, vel inſinuant. Vaſquez de Legib. D. 1. 5. cap. 2. expreſsè docet, Pontificem in legibus & canonibus ferendis non cenſeri infallibilem, niſi adſit legitima cauſa & ſufficiens promulgatio, his verbis: *id quod obſervant in Curia Romana, ut Summi Pontifices nondum loqui cenſeantur de Sede Petri tanquam Judices & Pontifices in legibus & canonibus ferendis, etiamſi eas imprimi faciant, donec ad valvas Principis Apoſtolorum ſolenniter publicentur.* Statimque addit: *contingit interdum, ut in Bullis & Legibus impreſſis dicatur (publicata tali die) & tamen nunquam fuerint promulgatæ; quare nec tunc vim legis habere cenſendæ eſſe.* Allegat hæc eadem verba Tanner loc. cit. n. 163. atque ex illis gravem difficultatem de Biblijs Sixtinis ſolvit. Card. Bellarmin. Lib. 4. de Pontifice cap. 3. ſcribit, Pontificem in rebus verè dubijs ſtatuentem ab omnibus audiri oportere. At ſi manifeſtè falſa definiret contra recepta fidei dogmata, non ſtatueret aliquid in rebus verè dubijs. Bannez 22. q. 1. art. 10. dub. 2. addit, nunquam errorem Pontificis redundare in univerſam Eccleſiam; quia ſi falſum definiat, non recipitur ab Eccleſia, ſed error definitionis revelabitur. Vid. atur Gretſerus in defenſ. Bellarmini Tom. 2. ad Lib. 4. cap. 2.

XXI. *Secunda limitatio eſt*, ut Pontifex non verſetur circa quæſtiones Facti ſolius, quæ ſcilicet non ſpectant ad fidem & mores Eccceſiæ, ſed tantùm particularia quædam facta aut perſonas concernunt v. g. damnando, excommunicando aliquo Epiſcopo, aut Principe, qui ex mala informatione crederetur eſſe nocens; in his, inquam, quæſtionibus ac rebus geſtis Pontificem vel ex malitia vel ignorantia errare poſſe, teſte Palao Tr. 4. D. 1. p. 5. §. 3. certum eſt apud omnes; Cauſam reddunt aliqui, quia tales quæſtiones & geſta præciſè pendent ab informationibus humanis, quibus falſum ſubeſſe poteſt, ut per ſe conſtat; an autem hæc cauſa ſufficiat, mox conſtabit. Ex hiſtorijs etiam habemus, Pontifices nonnunquam in talibus materijs erraſſe, cujus erroris varia exempla afferunt alij; ſufficiat nobis unum hoc, quod accidit in hac particulari quæſtione, utrum hic vel ille fuerit hæreticus, ubi nonnulli Pontifices decepti ſunt. Damaſus Vitalem Apollinariſtam pro Catholico ac-

Digitized by Google

eò acceptavit, deceptus æquivocatione verborum, quibus in profeſſione fidei fuerat uſus; cum enim Apollinaris hæreſiarcha negaſſet, Filium DEI in Incarnatione humanū intellectum aſſumpſiſſe, Vitalis profeſſus eſt, illum aſſumpſiſſe *mentē*, nomine mentis nequiter intelligens divinitatē, non humanum intellectum; ut ex Baronio refert Spondanus an. Chriſti 373. addens, plures orthodoxos ſic ab illo fuiſſe deceptos, brevi tamen à Gregorio Nazianzeno deprehenſum & repudiatum fuiſſe. Plura ſimilia exempla refert, Bellarm. Lib. 4. de Pontif. Unde ſummos Pontifices valde attentos eſſe oportet; ſi enim cauſam fidei ſegniùs tractent; diu in Cathedra Petri à Deo non tolerantur, ut notat Spondanus ad annum Chriſti 397.

XXII. Sed quæ eſt cauſa hujus fallibilitatis? Nonnulli, ut diximus, aſſignant dependentiam ab informatione humana. Verùm etiam Concilia Generalia, de quorum infallibilitate nemo dubitat, aliquatenus pendent ab humana informatione, idcirco enim tot Epiſcopi convocantur, ut unuſquiſque ſuæ Eccleſiæ ſenſum & conſuetudinem referat, uti tradit, Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 7. Adhæc licet humana teſtimonia fallibilia ſint, tamen Spiritus Sanctus poſſet Papam ab errore tueri, cur igitur non facit? Vera igitur atque unica cauſa eſſe videtur, quod Spiritûs Sancti aſſiſtentia ſolummodo ſit promiſſa Pontifici intuitu Eccleſiæ, (ut paulò ſupra diximus cum Tannero) ne per ejusq doctrinam in vita aut moribus deciperetur, cujus deceptionis nullum eſt periculum in factis particularibus, quæ ad fidem non pertinent.

XXIII. Objici poteſt, quædam particularia facta omnia ad fidem pertinere v.g. quod Filius DEI fuerit incarnatus, & ſanctiſſima ejus Mater permanſerit perpetua Virgo. Ergo ſi Pontifex in particularibus factis eſt fallibilis, poterit in nonnullis Fidei articulis errare. Reſpon. propoſitiones ad fidem pertinentes, etſi pro objecto materiali habeant aliquid particulare, formaliter tamen eſſe univerſales; quia Eccleſia non ſimpliciter dicit, *Filium DEI fuiſſe incarnatum, & ejus Matrem ſemper permanſiſſe Virginem*, ſed cum addito generali: *omnes tenentur credere, Filium DEI fuiſſe incarnatum &c.* Ergo admittit, definitiones fidei, etiam de factis particularibus eſſe univerſales & infallibiles.

XXIV. *Tertia & ultima limitatio eſt*, ut Pontifex, quando aliquid ad fidem pertinens docet, non putetur, omnia, quæ iñ illo decreto continentur, ſtatuiſſe tanquam infallibilia, ſed per ſe loquendo, tantùm ſententiam definitivam. Ex circumſtantijs autem & occaſione ſcribendi, ex quæſtione propoſita, ex verbis decreti conijciendum erit, quidnam directè definire & determinare velit Pontifex; reliqua enim, quæ tantùm obiter & incidenter, vel tantùm pro aliqua rei definitæ probatione & confirmatione adduntur, per ſe loquendo, non cenſentur cadere ſub definitione, ſed potius dici à Papa tanquam Doctore privato; unde ſimpliciter falſa eſſe poſſunt, Deo id conſultò permittente, ut appareat, Eccleſiæ definitiones non niti diſcurſu humano, ſed divinâ aſſiſtentiâ & inſpiratione.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XXV. *Error primus.* Romani Pontifices non habent infallibilitatem, ſed errare poſſunt etiam ut publicæ Perſonæ aliquid ex Cathedra pronuntiantes: Ita hæretici moderni ac Veteres omnes in id unicè intenti, ut Romani Pontificis infallibilitatem infringant, imò ex eo, quod dicamus, Papam ut publicam Perſonam errare non poſſe, & ipſemet hoc de ſe affirmet, evincere volunt, eundem eſſe Antichriſtum, in cujus fronte ſcriptum ajunt blaſphemiam iſtam: *DEUS ſum, non poſſum errare.* Præter calumnias, criminationes & cavillationes, quas plures hîc coacervant Ameſius Tom. 1. à fol. 206. & Gerhardus lib. 1. maximè à fol. 209. & alij paſſim, Infallibilitatem Papæ hiſce fere argumentis evertere nituntur. *Primum*: Infallibilitas Pontificis non poteſt aliquo perſpicuo & evidenti Scripturæ teſtimonio demonſtrari. *Secundum.* Pontifices Veteris Teſtamenti, quorum tamen ordo à Deo inſtitutus erat, erraverunt. Cur non & Romani Pontifices errare poſſint? *Tertium.* Quicunq; liberè agunt, poſſunt errare, cum libertas ſit indifferens ad bonum & malum. Atqui Pontifices liberè agunt, quia poſſunt omittere. Ergo poſſunt errare. *Quartum.* Homo deſtitutus Spiritu Sancto poteſt errare. Sed quidam Pontifices fuerunt deſtituti Spiritu Sancto. Ergo potuerunt errare. Mai. patet, quia infallibilitas fundatur in aſſiſtentia Spiritûs Sancti. Min. oſtenditur ex S. Scriptura Sapientiæ 1. v. 4. *in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Joan. 14. v. 17. *dabit nobis Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*; ubi nomine mundi homines mali intelliguntur. Conſtat autem ex hiſtorijs, aliquos Pontifices fuiſſe ſceleratos, ut fatentur ipſi Pontificij, ac nominatim Bonifacium VIII. & Benedictum IX. ac Gregorium VII; Primus horum iſto epithaphio apud Genebrardum A. C. 1303. honoratus fuit: *intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, mortuus eſt ut canis.* Alter poſt mortem monſtroſâ forma urſi cum auribus & cauda Aſinina apparens æternis ſe flammis addictum fuiſſe confeſſus eſt, teſte Petro Damiani in epiſt. quadam. Ultimus fuit fugitivus Monachus, notorius Magus, fur, Latro, traditor Chriſtianorum & depoſitus Papa. *Quintum* denique argumentum Adverſariorum. De facto jam multi Romani Pontifices errores è Cathedra docuerunt, ut videre eſt apud Molinæum Magdeburgenſem, Gerhardum, & alios. Ergo non negandum, eos, quà tales, errare poſſe in rebus fidei.

XXVI. Error iſte ſicuti comunis eſt omnium Sectariorum, ita planè craſſus & luculentus eſt. Et ſi penitus inſpiciatur, hoc maximè nititur fundamento: *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax:* hinc enim Papam dicunt Antichriſtum; quia, cum ſit homo mendax, inſtar DEI infallibilem ſe eſſe jactat. Ex quo fundamento apertè & neceſſariò ſequitur, Moyſen, Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas Lutherum quoque & Calvinum, item omnes Prædicantes mendaces eſſe, & errare poſſe, quia homines ſunt. Nihil igitur illis credendum

dendum eſt, ſed omnia, quæ ab illis dicuntur, ſuſpecta & incerta ſunt habenda. Ubi ergo fides? Nec dicere ſufficit, ſe non hominis, ſed Dei verbum annuntiare; etenim ſi mendaces ſint, etiam in hoc puncto mentiri poſſunt. Nihil ergo certi eſt. Sed nec conſtantes ſunt Sectarij in hoc ſuo errore & fundamento. Nam docent cum Ameſio fol. 214. Eccleſiam non indigere uno aliquo, ſed multis (ſcil. Miniſtris Calvinicis & Lutheranis) quorum fides non deficiat, & à quibus alij confirmari in fide valeant. Ergo illi ſunt confirmatores infallibiles? Si ita. Cur nos Catholici hoc ipſum de Summo Pontifice non dicamus? certè aliud, & amplius in ipſo non requirimus. Quantumvis igitur Summus Pontifex homo ſit, & perſonaliter mentiri errare, & in hæreſin labi poſſit: attamen non poteſt judicialiter ex cathedra definiendo non confirmare fratres, adeoque expers eſſe erroris, & hoc ex claris Sac. Scripturæ teſtimonijs; quod Puritanus nequicquam multis ſuis ſocijs attribuit, turpiterq; ſibi contradicit.

XXVII. Reſpon. *Primò ad 1. argumentum.* Ex Luc. 22. v. 23. præclarum Sacræ Scripturæ textum allatum fuiſſe pro Infallibilitate Pontificum, quam Bellarminus Lib. 4. de Pontif. cap. 3. adeo claris Patrum teſtimonijs confirmat, ut adverſarij nihil habeant, quod contra illa opponant, ſolummodò effugia quædam quærentes, quorum 1. Nihil in illo textu dici de docendo, nihil de tota Eccleſia, nihil de errore, nihil de Papa. 2. non fuiſſe illa privilegia propria Petri, ſed communia Apoſtolorum. 3. Converti à peccatis, eſſe donum perſonale, ideoq; Chriſtum loqui ibi ad Petrum, ut perſonam privatam, non ad Succeſſores hujus. 4. Chriſtum ibidem oratione ſuâ non impetrâſſe Petri Succeſſoribus donum perſeverantiæ, ut concedit Bellarm. cap. 3. cit. ideoq; nec infallibilitatem; ſiquidem iſta dicit donum nunquam amittendi fidem, & nunquam docendi aliquid contra fidem.

XXVIII. Sed hiſce effugijs Sectarij minimè evadunt vim divini teſtimonij, & efficaciam orationis Chriſti pro Petri, ejuſquè Succeſſorum infallibilitate. 1. Eſt nova cavillatio & tergiverſatio Ameſij contra communem interpretationem Patrum & Doctorum. Etenim cum Petrus jam fuerit deſignatus univerſæ Eccleſiæ Caput, Rector, & Paſtor, cujus officium eſt ſuos regere, docere, & ab errore defendere; anon ſatis dicitur de tota Eccleſia, de errore, de Papa, dum aſſeritur, impetratam ipſi fuiſſe infallibilitatem per orationem Chriſti? Ad 2. Ejuſdem Calviniſtæ dicimus, Chriſtum duo privilegia impetraſſe Petro. 1. Ut ipſe nunquam veram fidem amittere poſſet. 2. Ut ipſe tanquam Pontifex non poſſet aliquid docere contra fidem. Hæc duo fuiſſe communia Apoſtolorum, ut perſonalia & quoad ipſorum perſonas, concedimus: negamus autem ſic de poſteriori, ut emanaturo ad Succeſſores; hoc enim hæreditarium fuiſſe in Petro, inde luculenter deducitur. Quia *Pontifex*, qualis erat Petrus jam deſignatus, *eſt propter Eccleſiam, non Eccleſia propter Pontificem.* Cum ergo Eccleſia ſemper indigeat aliquo, per quem confirmetur, & cujus fides deficere in docendo non poſſit, orationem Chriſti, quoad hoc punctum, non ſolùm ad Petrum, ſed omnes ejus Succeſſores extendiſſe ſe, credendum eſt. Ad 3. Gerhardi negamus conſequentiam. Nam conſtat euidenter, Chriſtum Petro duo rogaſſe & impetraſſe dona, perſonale vnum, ſcilicet converſionem à peccato: alterum commune pro bono Eccleſiæ, nempe infallibilitatem in docendo, quorum unum non neceſſariò dependet ab altero; poſterius horum tranſmitti ad hæredes, habemus tum ex Traditione, tum ex ipſo fine, propter quem fuit conceſſum: de priori non item. Ergo verba Chriſti non eodem modo in utroque ad privatam Petri perſonam trahenda ſunt. Ad 4. ejuſdem Lutherani iterum negamus conſequentiam, & adjectam rationem. Nam infallibilitas judicij in decidendis fidei controverſijs poſſet alicui à Chriſto conferri, cui tamen nec donum nunquam amittendi fidem, nec perſeverantia in Fide uſque ad mortem concederetur. Ecce occluſam Adverſarijs omnem effugiendi viam!

XXIX. Reſpon. *ſecundò ad 2. argumentum*, Synagogam ſeu Veteris Teſtamenti Eccleſiam aut Summos Pontifices (abſtrahendo à privatis eorum Sectis & perſuaſionibus) publicè ex cathedra nunquam falſam doctrinam fidei docuiſſe, donec Joannis 11. v. 47. in concilio ſuo Chriſtum omnino rejecerint, & è medio tollere ſtatuerint; quod impium & obſtinatum ſcelus Chriſtus & verbis & operibus apertiſſimè reprehendit; aliàs idem Salvator tam diſcipulos quàm populum ad ſequendam illorum doctrinam direxit Matth. 23. v. 1. inquiens: *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere &c.* quod argumentum eſt manifeſtum, illos in officio ſuo Sacerdotali & doctrinali illibatam doctrinam propoſuiſſe; alioquin Chriſtus ad falſam eorundem inſtructionem neminem unquam ablegaturus fuiſſet. Nec Adverſarij probare poſſunt, ullum unquam Pontificem Judaicæ Eccleſiæ in doctrina fidei publicè tradenda erraviſſe. Nam Aaronem & Uriam facto tantùm externo non autem interno, definiendo erraſſe ad eum modum, quo etiam Marcellinus Papa externâ idololatriâ peccavit, ſæpe Catholici Doctores reſponderunt, nominatim in Colloquio Ratisbonenſi part. 1. cap. 5. & in Apologetico ejuſd. cap. 11. & 12. Quidquid autem ſit de Eccleſia Judaica; alia longè eſt ratio Eccleſiæ Chriſtianæ. Nam illa prior fuit duntaxat Eccleſia particularis, extra quam ſalus animæ obtineri potuit, & tempore Chriſti propè interitum ſuum extitit: hæc autem poſterior eſt Eccleſia univerſalis, extra quam nulli ſalus æterna obvenire poteſt. Videri poteſt Tanner Tom. 3. D. 1. §. 4. num. 271. ubi notat, penès Chriſtũ ante hujus paſſionem fuiſſe ſupremam judiciariam poteſtatem, nec huic præjudicare potuiſſe poteſtatem judiciariam Caiphæ, qui tunc temporis non fuit amplius abſolutè ſummus Sacerdos, ita ut firmum ſit, ſummum ſimpliciter Pontificem retentâ ſupremâ ſuâ poteſtate judiciaria errare in definiendo non poſſe.

XXX. Reſpon. *tertiò ad 3. argumentum*, diſtinguendo Majorem. Quicunque liberè agit, poteſt errare, ſi fuerit liber tum quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium, concedimus: ſi quoad exercitium tantùm, negamus. Atqui Pontifices in definiendo non ſunt liberi quoad ſpecificationem; quia DEUS non permitteret talem errorem, nec ad eum concurreret, ſed tantùm quoad exercitium; quippe poſſunt omittere definitionem,

nem, adeoquè ita non errare. Alij eidem argumento tali diſtinctione occurrunt; quicunque liberè agit, poteſt errare poteſtate antecedente, & habente ſufficientem potentiam, & omnia requiſita, eſto: poteſtate conſequente, & reipsâ in actum exitura, negant. Quare propter libertatē non metuendus error actualis Pontificum, utpote quem Deus nunquam videt futurum, licet antecedenter ſit poſſibilis. Non obſtat Alphonſus toſtato in 1. Regum pag. 149. ſic ſcribens: *Perſona eſt eadem numero Gregorius ut Papa, & ut non Papa, & ideo æqualis ſapientia eſt utroq; modo, ſed non æqualis poteſtatis; quia Papatus poteſtatem addit; poteſtas autem eſt ad aliquid jubendum, non ad verum dicendum.* Nam loquitur de perſona privata Papæ, quæ etiam cum poteſtate Papatûs non ſemper habet aſſiſtentiam Spiritûs Sancti ad verius dicendum, ſed ſolùm ad definiendum ex Cathedra veram fidei doctrinam; quod notandum contra Gerhardum, qui plura ſimilia côacervat.

XXXI. Reſpon. *Quartò ad 4. argumentum*, diſtinguendo itidem Mai. Mali homines non habent aſſiſtentiam Spiritûs Sancti in ordine ad propriam ſanctificationem, concedimus: in ordine ad aliorum ſalutem, cui ex officio proſpicere tenentur, negamus. Nam talis aſſiſtentia pertinet ad gratias gratis datas, quæ etiam malis interdum conceduntur, teſte Chriſto Matth. 7. v. 22. ubi dicit, multos damnatum iri, qui miracula fecerunt. Quod ſi Deus in Eccleſia ſua malos Pontifices permittat, ut ſupponitur in Minore, efficaciter inde oſtenditur tum Romanæ Eccleſiæ firmitas, utpote quæ neque ſceleratorum Antiſtitum operâ deperdi, & in nihilum redigi valeat: tum Papalis eminentia, quam idem Deus Opt. Max. corroborat quotidianis miraculis per Agnos Dei à Summis Pontificibus (malis æquè ac bonis) benedictos, qui maximam vim habent contra magos & dæmones; quod ſolæ imagines Chriſti ſine benedictione Pontificia non præſtant: nec alterius Epiſcopi Benedictio ſufficeret. Cæterùm *Bonifacius VIII.* tam flagitioſus non fuit, ac deſcribitur, uti colligitur tum ex eo, quod multis annis poſt mortem corpus ejus incorruptum fuerit repertum, ſicuti refert Hippolytus Marſaccius de Pontificibus Maximis Marianis fol. 120. tum etiam quod Deus Philippum Regem Franciæ, qui eum incarceraverat, graviter punierit, ut tradit Genebrardus cit. Quæ Petrus Damiani de anima *Benedicti IX.* ſcripſit, & ex ipſo retulit Spondanus ad annum Chriſti 1054. num. 6. fabuloſa potiùs quàm hiſtorica cenſet Card. Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis V. Petrus Damiani. Veriùs ex alijs hiſtorijs conſtat, Deum ita invigilaſſe bonis moribus Pontificum, ut ſi vel ſemel caſtitatem violaſſent, mox illos corriperet. Videri poteſt mirabile factum Antidij Epiſcopi Veſontini apud Jacobum Chiffletium in hiſtoria Biſontina P. 2. fol. 64. *Gregorio VII.* gravem fieri injuriam demonſtrant Card. Baronius ab Anno Chriſti 1042. uſque ad 1087. Bellarminus Lib. 4. de Pont. cap. 13. ubi 32. Scriptorum teſtimonia adducit. Gretſerus in Apologia pro Gregorio VII. ad fin. Tom. 11. defenſionis Bellarmini & cap. 45. Examinis Myſterij Pleſſiani, ubi fusè hac de re agit, & 50. Authores pro innocentia hujus Papæ allegat, videri etiam poteſt Hippolytus Marſaccius cit. ubi fol. 73. mira de ſanctitate ejuſdem Papæ ſcribit, & inter alia, illum juſſu Beatiſſimæ Virginis Mariæ excommunicaſſe Henricum IV. Romanorum Regem. Ut proinde omnia, quæ hæretici de iſto Papa ſpargunt, vaniſſima ſint & in fumum abeant deſumpta ex diabolico odio Bennonis Pſeudo-Cardinalis, quo hic in Gregorium VII. ardebat.

XXXII. Pari modo multi alij ſummi Pontifices non fuerunt adeo ſcelerati, ſicut paſſim traducuntur, ſed diabolus (qui ſummo odio Eccleſiam ejuſquè Antiſtites proſequitur) omnis generis falſitates Scriptoribus ſuggeſſit. Supra etiam jam diximus, de Summis Pontificibus multa fuiſſe ſcripta, quia cum Germanis Imperatoribus multis annis graves controverſias habuerunt, & Chriſtiani tunc temporis in duas ferè partes ſe diviſerunt, quarum una Imperatoribus, altera Eccleſiæ Pontificibus adhæſit; unde Cæſariani fautores mendacijs, injurijs, & calumnijs Pontifices diſcindere, atque exoſos reddere contenderunt. Sed quidquid iſti malevoli de vita mala Pontificum effutiant, & in chartas etiam evomant. Audiant D. Auguſtinum epiſt. 165. ita ſcribentem: *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſquè ad Anaſtaſium* (Innocentium XI.) *qui nunc ſuper eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor (Scortator, helluo, latro, veneficus) per illa tempora irrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ neque innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prævidens de malis Præpoſitis ait: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, ut certa ſit ſpes fidelibus, quæ non in homine ſed in Deo collocatur.* Infallibilitati igitur Pontificum in docendo, per malam iſtorum vitam nihil penitus demitur.

XXXIII. Reſp. *quintò ad 5. & ultimum argumentum.* A Magdeburgenſibus, Molinæo, Gerhardo, Ameſio, & alijs hæreticis multa ſummis Pontificibus impinguntur tanquam errores, quibus ſingulis in particulari fusè & eruditè occurrit Card. Bellarminus Lib. 4. de Pontif. à cap. 8. alijq; Controverſiſtæ. Summa reſponſionum in his fere conſiſtit. Errores, qui Pontificibus objiciuntur, vel errores non ſunt: vel falsò ipſis impinguntur, vel certè Pontifices non ita definiuerunt, ſed fecerunt tantùm ut privatæ perſonæ & Doctores: vel obiter per modum diſcursûs aliquid adjecerunt ad idē punctū, quod ex inſtituto definire voluerunt.

XXXIV. Sic igitur excuſari poſſunt. *Nicolaus I.* quod cap. 24. diſt. 4. de conſecrat. ratum habuerit, Baptiſmum in nomine ſolius Chriſti collatum. Quia hoc non dixit ut Pontifex, ſed ut privatus Doctor immiſcuit, cum à Bulgaris interrogatus tantùm fuiſſet de Miniſtro, utrum ab Infideli collatus valeat. Privatam etiam illam ſententiam, quod baptiſmus in nomine Chriſti validè conferri poſſit, falſam quidem non tamen hæreticam cenſet Bellarminus cap. 12. eò quod de hac re non habeatur certa Eccleſiæ definitio. Res ad Sacramentum de Baptiſmo ſpectat, ubi eam expendemus. *Martinus I.* quod ep. ad Amandum presbyteris & Diaconis contra votū caſtitatis peccantibus veniā negaverit, quia per veniā non intellexit remiſſionem peccati, ſed plenam reconciliationem cum Eccleſia, ut Sacris myſterijs fungi permitterentur, ſicuti indicant verba Epiſtolæ apud Baroniū A.C. 649. *Gelaſius*, quod in libro contra Eutychen ſcripſerit, in Euchariſtia manere ſubſtantiam panis. Quia liber ille non eſt Gelaſij Papæ, ſed alterius Gelaſij Ciziceni, ut advertit Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſt. V. Gelaſius. Qua ratione idem Papa com-

Digitized by Google

communionem ſub una Specie prohibuerit: item Canones Apoſtolorum vocaverit Apocryphos, dicemus ſuis locis.

XXXV. Sic excuſari poſſunt *Liberius*, quod judicio contra Athanaſium ſubſcripſerit, & Arianis conſenſerit. Quia in exteriore ſolùm facto Arianis ſe implicuit: in animo autem fuiſſe Arianum, probare Adverſarij non poſſunt. Similiter Felix, quem Liberio depoſito ſtatim Clerus Romanus pro legitimo Papa acceptavit, utut familiaritate cum Arianis nonnullos ſcandalizaverit, & hæreſeos ſuſpectum ſe fecerit, illorum tamen errori non conſenſit, ut pluribus oſtendit Bellar. cap. 9. *Anaſtaſius II.* quod Acacio, quem prius excommunicârat, iterum fauerit, & Neſtoriànis adhæſerit. Quia Acacius multò ante fuit mortuus ſub Felice III. quàm Anaſtaſius poſt Gelaſium fieret Potifex, ut teſtantur Nicephorus Lib. 16. c. 12. & alij. Unde non ſolùm Platina & Faſciculus temporum, ſed etiam Gratianus fuit deceptus diſt. 15. cap. 9. qui tamen error in jure can. ex mandato Gregorij XIII. fuit correctus. *Honorius I.* quod fuerit Monothelita. Quia hujus Epiſtolæ ab omni errore ſunt alienæ; unde nec à Synodo VI. tanquam Monothelita fuit damnatus, ſed ejus nomen à malevolis adjunctum fuit nominibus illorum, quos prædicta Synodus tanquam Monathelitas damnavit. *Cephyrinus*, quod à Tertulliano Lib. adverſus Praxeam annumeretur hæreticis Montaniſtis, quaſi putarit, ſecundum matrimonium eſſe illicitum, & quodlibet matrimonium pro libito ſolvi poſſe. Quia Tertullianus, cum ipſe fuerit hæreticus Montaniſta, hàc in re fidem non meretur. Deinde non ait, Zephyrinum ita in ſpecie de matrimonio ſenſiſſe, ſed in genere tantùm putaſſe, Montaniſtas eſſe Catholicos, fictis eorum miraculis deceptum, qui eſt error facti, non juris.

XXXVI. Sic excuſari poſſunt *Innocentius III.* & *Alexander III.* quod exiſtimarint, Legem Moyſaicam Chriſtianos etiamnum obligare. Quia prior horum, ut privata ſolùm perſona, ita ſenſit; unde ejus deciſio cap. 13. qui filij ſint legitimi, ad fidem non pertinet: poſterior cap. 10. de teſtamentis non dixit, veterem legem adhuc ligare, ſed parem rationem eſſe veteris & novi teſtamenti; quod etiam duos vel tres teſtes requirit. *Gregorius III.* quod cau. 32. q. 7. cap. 18. conceſſerit viro aliam ducere uxorem, ſi prior ob infirmitatem reddere debitum nequeat, qui eſt manifeſtus error, ut fatetur Gratianus ibidem. Quia Papa locutus eſt de perpetua impotentia antecedente matrimonium; & ita non ipſe, ſed Gratianus erravit. *Siricius*, quod matrimonium vocaverit pollutionem, cum tamen ſit Sacramentum. Quia non eſt locutus de legitimo matrimonio, ſed fornicatione; aut certè de valido quidem matrimonio, ſed illicito, quod Eccleſia in pænam prohibuit. Sunt etiam, qui putent, illum locutum eſſe de ſolo uſu & copula carnali, quæ in Sac. litteris vocatur immunda 1. Reg. 21. v. 4. *Leo. I.* quod epiſtolâ 79. ſcripſerit, mulierem abſente marito, qui nunquam putatur rediturus, poſſe alteri nubere: & ſi prior reverſus nolit illam recipere, poſſe illam cum ſecundo manere. Quia duplex & mera eſt calumnia. Papa non dixit, mulierem poſſe nubere alteri, ſi maritus abſens non videatur rediturus, ſed ſi rationabiliter videatur mortuus. Neque dixit, priore marito præter opinionem reverſo poſſe eandem cum poſteriore remanere, ſed debere ad priorem redire, ſi eam recipere velit; quid autem faciendum, ſi nolit eam recipere, non explicavit: Videatur Bellar. cap. 10.

XXXVII. Sic excuſari poſſunt *Joannes III.* quod campanas baptizari juſſerit. Quià benedictio campanarum, quæ fit per aſperſionem aquæ luſtralis & impoſitionem nominis non eſt propriè dictus baptiſmus, ſed vulgò ita appellatur ob aliquam cum baptiſmo ſimilitudinem, ut declarat Bellar. Lib. 4. de Pontif. cap. 12. *Joannes XXII.* quod ſenſerit, animas Sanctas Deum non viſuras ante diem extremi judicij. Quia errorem hunc non ſolùm nunquam determinavit, aut Eccleſiæ tanquam fidei doctrinam propoſuit, ſed etiam ante mortem ſuam revocavit, uti teſtatur Joannes Villanus Lib. 11. cap. 19. de rebus Florentinorum aſſerens, ſe iſtud habere ex fratre ſuo, qui in aula Joannis Papæ fuerat. *Joannes XXIII.* quod reſurrectionem carnis, & vitam æternam negnaverit. Quia Concilium Conſtantienſe Joannem deponens, & cauſas hujus depoſitionis Seſſ. 12. enumerans nullam illius erroris facit mentionem; unde non malè putat Bellarminus cap. 14. tam turpem errorem fuiſſe quidem objectum, non autem probatum. Addit idem Author, iſtum Pontificem non neceſſariò ab errore defendendum eſſe; quia univerſim ad infallibilitatem Papæ requiritur, ut pro legitimo agnoſcatur, qualis ipſe non fuit. *Eugenius IV.* quod à Concilio Baſileenſi Seſſ. 34. tanquam hæreticus fuerit depoſitus. Quia Concilium nullas legitimas cauſas hujus depoſitionis habuit. Unde idem Concilium poſtea Lauſannæ continuatum acta priora reſcidit, & Nicolaum V. Eugenij Succeſſorem pro vero Papa agnovit, uti itidem Bellarminus loc. cit. declaravit, ut non niſi pridem ab illo refutata referant Adverſarij.

XXXVIII. Sic denique multi alij Pontifices excuſari poſſunt ab erroribus, quos hæretici nequicquam occlamitant, ut proinde eorundem ſummorum Pontificum certa ſemper ſtet, maneatq; Infallibilitas, dum ex cathedra aliquid pronunciat; quam noſtram doctrinam egregiè confirmat Theodoretus in epiſt. ad Renatum Preſbyterum Romanum verbis illis ſupra §. 5. & 9. jam allatis: *Tenet iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit, nec ullus unquam, qui contrarium ſentiret, in ea ſedit.* Videri poſſunt DD. à Walenburch. Tom. 2. ubi à fol. 134. Infallibilitatem Papæ in definitionibus rerum Fidei catholicæ fusè defendunt contra Hermannum Conringium plura opponentem, ſed quæ omnia in ijs, quæ diximus, vel expreſsè comprehenduntur, vel facilè ex iiſdem reijciuntur.

XXXIX. *Error ſecundus eſt*, canonizationem Sanctorum malè fieri: & in hac errare Pontificem poſſe. Ita ex communi Sectariorum ſenſu Gerhardus Lib. 1. fol. 245. Et nuperrimè Meno Hannekenius, qui in ſuo Irenico Catholico-Evangelico fol. 235. ſcribere fuit auſus, *evidens eſſe, Franciſcanos offerre tonnas auri Papæ, ut ordinis ſui homines canonizentur.* Probant. Tum quia extra Verbum Dei non ſunt fingendi novi articuli, nec inſtituendi novi cultus. Tum quia mos iſte canonizandi, qui nunc viget, primis Eccleſiæ ſæculis fuit inco-

incognitus, ejuſquè ſuffragio deſtitutus. Tum quia Papa errare poteſt, eum habendo pro hæretico, qui non eſt. Ergo etiam in canonizatione Sanctorum. Tum quia ex communi doctrina Pontificiorum poteſt Papa in quæſtionibus facti errare. Atqui talis eſt Canonizatio v. g. Petri de Alcantara. Ergo &c.

XL. Errorem hunc in priori parte ſatis refutavimus; & immeritò ſanè carpi & reijci ab hæreticis canonizationem Sanctorum, vel ex eo clarè patet, quod Deus ipſe voluerit à Sacris Scriptoribus annotari in particulari glorioſam vitam & mortem eorum, qui tempore ipſorum floruerunt, ut ex Eccleſiaſtico cap. 44. & ſequentibus conſtat. Et in novo Teſtamento canonizatur Stephanus, Jacobus Major, Petrus, Paulus &c. Ergo credibile eſt, eodem modo Deum velle, ut deinceps fiat. Inter cavillas & convitia (quibus ubique pugnare ſolent Novatores) nominatim eſt illud allatum: *Franciſcanos tonnas auri offerre Papæ, ut ſui ordinis homines canonizentur*, quod eſt mendacium & calumnia Menonis Hanneken quocunque auri pondere gravior & planè inſolens, impia, & horrenda. Cætera, quæ pro ſe afferunt, aut ſupra jam contra Cajetanum ſoluta fuerunt: aut communia fere ſunt alijs materijs. Nihilominus

XLI. Reſpon. ad 1. nullum fieri novum fidei articulum, cum Sancti de novo canonizantur, ſed tantùm declarari, iſtum hominem v. g. Petrum de Alcantara eſſe amicum DEI, & æternâ beatitudine dignum, ideoq; eodem cum alijs Sanctis cultu honorari, ejuſque interceſſionem publicis precibus poſtulari poſſe. Poteſt etiam propoſitio illa diſtingui, & concedi, nullum fieri novum fidei articulum quoad ſubſtantiam præcipuorum fidei myſteriorum: negari verò de omni ſimpliciter veritate ad fidem pertinente. Videri poteſt Arriaga Diſput. 11. de Fide, alijquè Scholaſtici in quæſtione, utrum Succeſſu temporis objecta ſeu articuli fidei creverint quoad implicitam fidem & ipſam ſubſtantiam. Ad 2. nullum hîc eſſe peculiare ac novum fidei dogma antiquis repugnans, aut quod non facilè ad unum ex antiquis referri poſſit; quæ ſola novitas eſt profana, & vitanda. Paſſim etiam hæretici, & nominatim Hanneken Martinum Lutherum vocant Beatum, & pro viro Sancto colunt, ubi hoc habetur in ſcriptura? Ergo ipſimet novum fidei dogma cudunt, & quidem S. Scripturæ repugnans. Ad 3. Negando paritatem. Nam Papa non intendit judicialiter definire, aliquem hæreſiarcham eſſe damnatum, cum Eccleſiæ nihil interſit, certò ſcire, quod cum finali impœnitentia deceſſerit talis hæreſiarcha, ſicuti certò definit, hunc numero hominem eſſe Beatum ac Dei Amicum. Aliud eſt de hæreſi, cujus infallibilem damnationem Papæ adſcribimus, ſicuti canonizationem. Gerhardus in hac ſua objectione vel inſcitè vel fraudulenter confundit hæreſiarcham cum hæreſi, cum tamen utriuſque longè diſpar ſit ratio reſpectu Eccleſiæ. Ad 4. Conſtare ex ſupra dictis, propoſitiones ad fidem pertinentes formaliter eſſe univerſales, quantumvis pro objecto materiali aliquid particulare præſeferant; quia Eccleſia non ſimpliciter dicit, Petrum de Alcantara eſſe Sanctum, ſed cum generali ſigno: omnes tenentur credere, illum eſſe Sanctum &c. Manet igitur inconcuſſa Summi Pontificis Infallibilitas in docendo res fidei, firmata in ſoliditate Principis Apoſtolorum, pro quo Chriſtus oravit, ut nunquam fides illius deficeret. Specialis autem à Domino Petri ac Succeſſorum cura ſuſcipitur: & pro Petri ac Succeſſorum fide propriè fit ſupplicatio, *tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit*. Leo. M.

CONTROVERS. XXIX.

DE JUDICE CONTROVERSIARUM.

Eccleſiæ eſt Spirituale Regnum & Corpus Myſticum optimè ac perfectiſſimè in ſuo genere conſtitutum, & unam ſupremam poteſtatem in omnia membra, atq; unum tribunal habens, ad quod Controverſiæ trahi, in eoq; decidi poſſint. Sed quis in hoc tribunali ſit Judex, gravis eſt quæſtio; quæ, quia affinis eſt priori de Infallibilitate Papæ, eamquè ſupponit, ideo hîc loci viſa fuit expedienda, licet à Card. Bellarmino alijſquè Controverſiſtis in materia de Verbo DEI tractari ſoleat.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Datur in Eccleſia Judex, cujus officium ſit, decidere Controverſias circa Religionem exorientes. Ita omnes Catholici DD. Nam in omni bene ordinata communitate & Republica, in qua hujuſmodi impetus cernuntur, & diſſenſiones hominũ oriuntur, neceſſarius eſt Judex, uti ſentiunt Plato, Ariſtoteles, & alij, qui de Republica benè conſtituta ſcripſerunt; quia abſquè Judice mutuis ſe injurijs & contentionibus conficerent cives, ſicquè pax & concordia Reipublicæ diſſolveretur juxta illud Proverb. 11. v. 14. *Ubi non eſt gubernator, populus corruet.* Atqui Eccleſia Catholica eſt communitas optimè conſtituta, cum ejus Author ſit DEUS: non eſt tamen ita conſtituta, quin in ea frequenter homines propter humani ingenij impetum, imbecillitatem, aut etiam pravitatem lites & Controverſias ſuſcitent. Ergo in Eccleſia dabitur aliquis Controverſiarum Judex, & quidem ſupremus; ſiquidem abſque tali finis Controverſijs Fdei non imponeretur.

II. *Doctrina ſecunda.* In ſuprema Controverſiarum Judice ſeptem conditiones requiruntur. Ita etiam communis ſententia Theologorum Catholicorum, qui nominatim aſſignant iſtas. 1. Ut Judex ſit infallibilis in litibus decidendis, ne in errorem inducat Fideles; aliàs eſſet potius ſeductor in rebus fidei, quàm Magiſter. 2. Ut exortis controverſijs adiri poſſit à partibus litigãtibus, quomodo enim partes acquieſcere poſſint in judicio Judicis, ſi neſciatur, ubi ſit conveniendus. 3. Ut non habeat ſuperiorem, ad quem provocari & appellari poſſit; aliàs non eſſet ſupremus, neque etiam finiret litem inter partes pertinaces, cum tamen

men Judex ideo adeatur, ut finis litibus imponatur. Proverb. 26. v. 1. *Judicium determinat cauſas.* 4. ut ſententiam ferat, eamquè contendentibus exhibeat, & aperiat; ideo enim conveniunt Judicem, ut accipiant determinationem ejus. 5. & quidem præcipuè requiritur, ut ſententiam ferat non obſcurè & ambiguè, ſed clarè & perſpicuè, ita ut pars utraque litigantium apertè & evidenter cognoſcat, cui cauſa adjudicetur; quia ſententia obſcura & ambigua non dirimit litem, ſed protrahit; etenim ex obſcuro ſenſu ſubnaſcitur nova altercatio, cum tamen Judex ideo quæratur, ut per eum contentio finiatur. 6. Ut authoritate & poteſtate valeat judicare, nec ſententia legitimè lata impune contemnatur; etenim Judices illi, qui jus cum authoritate non dicunt, neque vim coactivam per ſe aut alios habent, litem non finiunt. 7. denique conditio eſt, ut habeat omnes etiam conditiones, quæ ad Judicem ordinarium in genere requiruntur, inter quas ſunt, ut ſit Perſona publica ad id conſtituta, ut auditâ & intellectâ causâ rectè jus dicat aut pronunciet; Judex enim definitur perſona publica ad id conſtituta, ut ſecundùm legis præſcriptum vel loci conſuetudinem populo jus dicat. Ex his apud omnes omnino Doctores receptis conditionibus ſtatuendum, quis debeat eſſe Judex Controverſiarum, quæ oriuntur inter Chriſtianos circa fidem & religionem, ut experientia docet, & propter impetuoſam humani ingenij volubilitatem atque imbecillitatem vix aliter fieri poteſt.

III. *Doctrena tertia.* Summus Pontifex tam cum Concilio, quàm abſque eo conſideratus eſt Judex Controverſiarum in rebus fidei exortarum. Hanc Catholicam doctrinam ex comuni aliorum Theologorum ſententia tradunt nominatim Cardinal. Bellarminus Tom. 1. de Verbo DEI. Lib. 3. de Interprete Verbi DEI à cap. 3. Gregorius de Valentia Tom. 3. de Fid. quæſt. 1. punct. 7. & in Analyſi Fidei Catholicæ pun. 8. Tanner Tom. 3. Diſp. 1. quæſt. 3. à. n. 10. Et Q. 4. dub. 3. Becanus in Manuali Controverſ. Lib. 1. cap. 5. Arriaga D. 9. de Fide Sect. 4. DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 134. cit. Et præter alios fuſiſſimè Sanderus de clave David Lib. 3. & 4. Et in opere de viſibili Monarchia Lib. 7. Probatur 1. ex Sac. Scriptura, Math. 16. v. 19. Chriſtus Petro ait: *Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis &c.* Inter has claves Petro & Succeſſoribus ejus promiſſas utique etiam continentur claves doctrinæ? Similiter Luc. 22. v. 32. dicit Chriſtus: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Ex quo loco Romanum Pontificem ex cathedra definientem non poſſe errare, deducunt plures Patres, & nominatim Innocentius III. c. Majoris de Bapt. & ejus effectu. Si ergo Romanus Pontifex ex cathedra docens errare non poteſt, ut pluribus Controv. priore oſtendimus, profectò ejus judicio acquieſcendum eſt, & ipſe debet eſſe ſupremus Judex. Dicit Ameſius Tom. 1. fol. 46. Si per *quidquid ſolveris*, intelligatur interpretatio Sac. Scripturæ, tum per *quidquid ligaveris* neceſſariò etiam intelligi debet Scripturæ obſcuratio, ità ut hæc etiam ad officium Petri & Succeſſorum ſpectet. Ajo, nihil in eo conſequente apparere abſurdi, ſi ritè intelligatur; nempe eos omnes ignorantiæ tenebris ligatos eſſe manſuros, qui Petri & Succeſſorum hujus munus non agnoſcunt, aut contemnunt; quemadmodum enim Sol noctu per ſuum abſceſſum obſcurat aërem ex ſe tenebroſum, ita qui Papæ non adhærent, æternis tenebris tenebuntur.

IV. Probatur 2. Authoritate Patrum; quos copioſè adducit Bellarminus Lib. 3. cit. cap. 8. ſufficiat nobis unus & alter. Cyprianus epiſt. 69. ſeu Lib. 4. epiſt. 9. pulcherrimè ſic ſcribit: *inde ſchiſmata & hæreſes oriuntur, quod Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperbâ contentione contemnitur.* Similia habet epiſtol. 55. *nec unus cogitatur Epiſcopus, qui vice Chriſti ſit Judex.* Quæ teſtimonia non poſſunt de quolibet Epiſcopo privato intelligi, quia hic non eſt unus, ſed multi in Eccleſia: & ad ſchiſmata tollenda eſſet impertinens; etenim unus Epiſcopus licet ea poſſet tollere in ſua diæceſi, ſi tamen ipſe diverſum ab altero Epiſcopo doceret, qui obſecro illa tollerentur ſchiſmata, niſi unus eſſet Judex ſuper univerſam Eccleſiam? S. Auguſtinus Lib. 2. contra Creſconium cap. 33. *quiſquis*, inquit, *falli metuit in hujus obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine omni ambiguitate Scriptura Sancta demonſtrat.* Rurſus in epiſtol. 106. ad Paulinum loquens de epiſtolis Innocentij, in quibus diſertè poſitum erat, ad Sedem Apoſtolicam pertinere judicium de rebus fidei ſic ait: *ad omnia ille nobis reſpondit, ſicut fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem reſpondere.* Et denique in Lib. 5. *ego verò*, ait, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret Authoritas.* Reſpondet Calvinus, loqui S. Patrem de perſuaſione Fidelium privata, ac ſi dicere voluiſſet: ego modò non eſſem Chriſtianus, niſi Fideles ſuis me perſuaſionibus commoviſſent. At frivola hæc interpretatio minimè quadrat in verba S. Auguſtini, qui imprimis loquitur de præſenti; non crederem, niſi me commoveret Eccleſiæ Autoritas: Deinde apertè eidem tribuit imperium paulò infra ajens: *quibus ego præcipientibus credidi, his jubentibus, tibi non credam?* Et poſtea loquens de libro actuum Apoſtolorum dicit: *neceſſe eſt, ut credam, ſi credo Evangelio, quoniam utramq; Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat Authoritas.*

V. Probatur 3. Si Sacerdotes Veteris Teſtamenti habuerunt jus decidendi dubia Religionis extra Scripturam, tunc Sacerdotes Novi Teſtamenti idem potuerunt; quippe multò digniores; nec eſt credibile, Deum veteri & valide imperfectæ Synagogæ plus poteſtatis conceſſiſſe, quàm Chriſtianæ multò perfectiori Eccleſiæ. Sed verum eſt antecedens. Ergo eſt conſequens. Minor probatur aliquot exemplis in ipſa Scriptura relatis: Davidi eſurienti Abimelech Sumus Sacerdos conceſſit panes propoſitionis, quos Scriptura ſolis Sacerdotibus permiſerat; quo exemplo ex 1. Reg. 21. deſumpto ipſemet Chriſtus utitur Matth. 12. v. 4. ad cavendam ſcrupuloſitatem Phariſæorum literæ ſcriptæ nimis inhærentium abſq; ulla prudentia & epyikia. Feſtum Paſchatis præter ordinem à Scriptura præſcriptum Sacerdotes ſub Ezechia Rege in alium menſem diſtulerunt, quia præſcripto tempore commodè celebrari non poterat 2. Paralip. 30. v. 2. Ibidem v. 18. hominibus immundis & legaliter nondum ſanctificatis permiſſa eſt manducatio paſchalium victimarum alioqui lege prohibita, quod Deo non diſplicuit. Rurſus eod. loco verſ. 23. Octavæ Paſchali additi ſunt 7. alij dies feſtivi præter Scripturam. Et Similiter

Eſther 9. & 1. Machabæorum 4. nova feſta inſtituta ſunt, ac 1. Machab. 2. v. 41. decretum prælium cum hoſtibus die Sabbathi committendum, quod in Lege prohibitum videbatur tanquam labor.

VI. Ex his & ſimilibus exemplis clarè apparet, Sacerdotem ſolitum eſſe exorta dubia decidere Religionis, ſemperque obſervatum fuiſſe juxta id Aggæi 2. v. 12. *hæc dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem.* Et Malachiæ 2. v. 7: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercitium eſt.* Ubi apertè habetur, non eſſe privatorum hominum, judicare de ſententia legis Domini, ſed Sacerdotis, qui cum ſit Angelus, id eſt, Nuntius DEI, ad eum pertinet ex officio, ſententiam Dei explicare. Quid ad hæc Amelius? nihil aliud, quàm *quis negat? fol. 44.* Bene eſt. Ergo deſerit peſſimam ſuam cauſam, & Catholicorum ſententiæ omnino acquieſcit; certè qui illud non negat, hoc concedere videtur.

VII. Non declinant facti argumenti noſtri telum alij Sectarij dicendo. Etſi Sacerdos Summus in quæſtionibus Scripturæ, Fidei, ac Religionis fuerit Judex, at non idcirco extitit erroris immunis; ſiquidem in civilibus quoque controverſijs tenebantur ſubditi ſententiæ ſupremi Judicis acquieſcere, licet is reverà erraret. Nam Hæbreorum Pontificem in ejuſmodi Scripturæ, Fidei, ac Religionis controverſijs fuiſſe infallibilem, Doctores Catholici communiter tenent, & planè evincunt his rationibus. 1. Quia Summus Sacerdos erat inſtructus Rationali illo vatidico, cui Urim & Thumim, hoc eſt, Doctrina & veritas inſcripta viſebantur. 2. Quia Deus Deut. 7. v. 9. per illum promiſit veritatem judicij, & ſub gravi pœna voluit, ut omnes ejuſdem ſententiæ acquieſcerent, ut patet ex Aggæi cit. Non videtur autē credibile, Deū voluiſſe ſub pœna mortis omnes acquieſcere ſententiæ falſæ. 3. Quia aliàs litigantes, qui Pontificem conſulebant, nunquam fuiſſent ſecuri. 4. Quia Chriſtus Matth. 23. v. 2. ajens: *quæcunque dixerint vobis in Cathedra Moyſis ſedentes ſervate & facite* univerſaliſſimè loquitur; Unde S. Auguſtinus epiſt. 165. cit. ait, *etiam de malis Præpoſitis cautum nobis eſſe illâ Salvatoris monitione: quæ dicunt vobis, facite; quia ex cathedra non niſi bona & ſalutaria dicunt.* Unde negatur inſtituta paritas inter Controverſias de juſtitia ſimilibuſquè agilibus, & de Fide ac Religione. Nam in prioribus ſufficit ferre ſententiam, quæ hîc & nunc omnibus rite expenſis formaliter juſta & honeſta conſetur; habet quippe veritatem judicij practicam. In poſterioribus verò nunquam habetur veritas judicij, niſi hoc etiam materialiter cum reipſa conſentiat, quem conſenſum veritas illa judicij, cum ſpeculativa ſit, neceſſariò requirit.

VIII. Inſtant, erraſſe ſaltem Sacerdotes Veteris Teſtamenti in ſententia, quam tulerunt adverſus Chriſtum, quamvis ſint inter Pontificios, qui contrariam blaſphemiam defendunt. Reſpon. hoc poſterius eſſe hæreticam calumniam; aut nominetur vel unus probatus Scriptor? Prius illud eſſe verum, ſed nihil ad rem; etenim privilegium illud ἀναμαρτησίας in Cathedra Moyſis non niſi uſque ad Chriſtum durare debebat; vnde ipſo Chriſto jam exhibito tanquam vero ſummo Sacerdote totius generis humani ceſſavit illa infallibilis aſſiſtentia Spiritûs S. & quidem paulatim, ita ut quando Matth. 26. v. 57. iniquè Caipha pronunciavit de Chriſto, quod mortis reus eſſet, Synagoga agonizaret, mox expiratura cum vivifica morte veriſſimi Summi Pontificis JESU Chriſti. Videri poteſt Becanus in Manuali Lib. 1. cap. 5. n. 47. & ſequent.

IX. Probatur 4. Sicuti ſe habent Leges in Republ. civili, ita ſe habent Sacræ Scripturæ in Eccleſia. Atqui Leges in Republ. civili non judicant, nec ſunt unica norma omnium Controverſiarum, ſed alius vivus Judex conſtituitur, qui præter ſcriptas Leges etiam rationem loci ac conſuetudinis habeat. Ergo etiam Scriptura in Eccleſia non eſt Judex & unica norma omnium controverſiarum, ſed vivo Judice opus eſt, nimirum Summo Pontifice & alijs Præſulibus Eccleſiæ. Minor conſtat experientiâ. Major probatur. Quia Chriſtus Eccleſiam ſuam comparat Regno terreno Matth. 18. Ergo quidquid bonum & laudabile in regnis terreſtribus reperitur, etiam in Eccleſia concedi debet. Hujus probationis vim non effugiunt Adverſarij opponendo dictum Chriſti Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt in hoc mundo*: Et Apoſtolum Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic ſæculo.* Nam hæc non repugnant noſtro argumento; quia Chriſtus loc. cit. non negat ſimilitudinem inter ſuum & mundanum regnum, ſed negat identitatem eſſentiæ; etenim regna mundana conſiſtunt in temporali dominio, opibus, potentia &c. Chriſti verò regnum erat ſpirituale in animos hominum dominans & ad cæleſtem beatitudinem directum. Apoſtolus quoque non vetat laudabilem ordinem terreſtris regiminis ad Spirituale regimen Eccleſiæ accommodare, ſed malos mores ſæculi imitari, ut patet ex adjuncta ſtatim voce: *Sed reformamini in vita ſcil. & morum ratione*, ut exponit Tirinus. Certè Chriſtus ſæpius argumentatus fuit a ſimilitudine Regum Luc. 14. v. 31. *Quis Rex iturus committere bellum adverſus alium Regem non prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe; alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt*; quæ argumentatio nihil valeret, ſi nulla eſſet, ſimilitudo inter cœleſte & terreſtre regnum.

X. Probatur 5. ex conditionibus, quas ſuprà §. 1. attulimus, quæ non conveniunt Scripturæ; ſiquidē non ita clarè lites & cauſas determinat, ut partes litigantes ſciant, quis abſolutus, quis condēnatus ſit; imo ex hoc naſci Controverſiæ videntur. Unde hæretici non ſolùm nobiſcū, ſed etiam inter ſe perpetuò litigant, & quilibet pro ſe ſcripturam allegat, nec agnoſcit ſe condemnatum. E.G. Verba illa Matth. 26. v. 26. *hoc eſt corpus meum.* Et v. 28. *hic eſt ſanguis meus.* Deum immortalem! qualem & quantā Controverſiam inter Lutheranos & Calviniſtas excitârunt: & quàm diverſam eorum intelligentiam habent iſti, ac illi! Atque hæc lis nec potuit hactenus, nec poterit deinceps inter illos decidi, ſicuti plurimæ aliæ magni momenti Controverſiæ; ex quibus defectu Judicis ſupremi ac vivi abſque deciſione relictis aliæ & aliæ Sectæ ac novæ Fides fuerunt exortæ, ut Sectarij jure meritiſſimo lamentari, & verbis illis D. Hilary ad Conſtantium dicere poſſint: *Periculoſum nobis admodum, atq; etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & nobis tot doctrinas eſſe, quot mores &c. excidimus eâ fide, quæ una eſt, & dum plures ſunt, ad id ceperunt eſſe, ut nulla ſit.*

XI. Di-

XI. Dicunt Adverſarij 1. Diſſentiones illæ & Sectæ plures non oriuntur, per ſe ex defectu Judicis ſupremi ac vivi, ſed merè per accidens, ideoq; non malè rejicitur Judex ſupremus ac vivus. Verùm non agnoſcere Judicem ſupremum ac Vivum eſt cauſa per ſe, & ex ſe diſſenſionum & Sectarum, non ſolum per accidens; ſicuti in civitate defectus Judicis non eſt cauſa per accidens ſed per ſe diſſenſionis & confuſionis, ex qua tandem ruina talis urbis ſequitur. 2. Deus non vult in hac vita finiri Controverſias, cum *oporteat hæreſes eſſe* 1. Cor. 11. v. 19. ſed ultimam ſententiam reſervare vult ad extremũ Judicium. Verum perabſurdum eſt dicere, quod Deus nolit, in hac vita finiri lites & controverſias, cum nihil magis commendârit, quàm Unionem & charitatem, quæ litibus præſertim ad Religionem ſpectantibus maximè labefactatur; alioquin minus bene ordinaſſet Rempubl. Eccleſiaſticam, quam Civilem, cui non deſunt media ad lites componendas. Quod autem Apoſtolus dicat, oportere hæreſes eſſe, non habet hunc ſenſum, quaſi velit Deus, hæreſes eſſe, ſed quod velit permittere: & ita neceſſarium ſit ad explorandam fidelium conſtantiam, ſicuti ad eorundem patientiam probandam permittit varias tentationes & injurias impiorum. 3. Eccleſia quoque non finit omnes lites, ſed non obſtante ejus judicio durant perpetuæ Controverſiæ. Verùm hoc non provenit ex defectu judicij Eccleſiaſtici, ſiquidem per iſtud clariſſimè definiuntur lites, ſed ex pertinacia hominum, qui nolunt ejus judicio ſtare, ſed recurrunt ad ſcripturam, ſub cujus obſcuritate diutius latere malunt, ſicuti omnes hæretici in more habuerunt Arriani, Eutychiani, Pelagiani &c. & nunc Lutherani ac Calviniſtæ. Nonne melius eſt, ſequi SS. Patres & Doctores Eccleſiæ, qui præter Scripturam etjam Traditiones, atque Eccleſiæ Definitiones acceptarunt, ut vidimus ſupra Contr. III. §. XVII. ſufficiat hic ſolus S. Auguſtinus, qui epiſt. 104. cap. 14. *ſiquid*, ait, *tota per orbem frequentat Eccleſia, quin Ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſima inſania eſt.*

XII. Probatur. 6. Si ſolum Verbum Dei ſcriptum eſſet Judex Controverſiarum, ut hodie plerique volunt hæretici, tunc diſertè ac in terminis abſque ullo diſcurſu deberent Sectarij omnes ſuæ fidei articulos ex Scriptura oſtendere, v. g. Papam eſſe Anti-Chriſtum, Miſſam eſſe abominationem, cultum Imaginum eſſe idololatriam &c. Sed conſequens eſt illis impoſſibile. Ergo &c. Min. probatur. Nam ſi adhibeatur diſcurſus humanus, tunc fides non fundabitur in ſola Scripturâ, ſed etiam in ratione humana non ſolùm quoad formam Syllogiſticam, ſed plerumq; etiam quoad alteram præmiſſam, quæ communiter eſt naturalis.

XIII. Probatur denique 7. ex praxi Eccleſiæ, quæ à tempore Apoſtolorum exortas hæreſes vel per Papam, vel per Concilia Generalia à Papa approbata ita ſemper decidit, ac diremit, ut qui eorum ſententiæ acquieſcere noluerunt, pro hæreticis haberentur ac damnarentur. Sic prima controverſia fuit, an Paſcha deberet celebrari cum Judæis die 14. primi menſis, ut volebant multi in Aſia, qui propterea Quartadecimani appellabantur: an verò die Dominico, ut nunc fit? quæ tandem poſt multa Concilia Epiſcoporum deciſa ac finita eſt à Victore Papa An. Chriſti 178. ut refert Euſebius Lib. 5. cap. 23. Sic graviſſima Controverſia fuit, an Spiritus Sanctus eſſet Deus? Negârunt Macedoniani, qui damnati fuerunt in Generali Concilio Conſtantinopolitano 1. ſub Damaſo Papa & Theodoſio Imperatore An. Chriſti 383. Sic non levis Controverſia fuit, an homo ſine gratia Dei per ſolas vires naturæ poſſit implere Legem, ſi velit? Affirmarunt Pelagiani & Cœleſtius, qui damnati ſunt in Concilio Carthaginenſi & Milevitano ſub Innocentio I. Papa anno Chriſti 416. juxta computum Card. Baronij. Plura ſimilia exempla videri poſſunt apud Becanum & alios Authores paſſim.

XIV. *Doctrina quarta.* Quamvis Summus Pontifex Lege Naturæ ante ſuam definitionem & deciſionem Controverſiarum fidei magnâ diligentiâ veritatem inquirere, alioſquè viros doctos conſulere teneatur (quia Deus humana media non vult negligi, adeoquè nec omiſſionem hujus induſtriæ permittet) ſi tamen ex hypotheſi debitam illam conſultationem & deliberationem omitteret, nihilominus infallibilis foret in dubijs Fidei cauſis dijudicandis. Ita Gregorius de Valentia Tom. 3. Diſp. 1. Q. 1. pun. 7. §. 40. Granado in 22. Controv. 1. Tr. 7. Diſput. 2. Sect. 2. num. 13. Lezanâ ibid. Tract. 1. Diſput. 8. quæſt. 5. Ludovicus Caſpenſis in curſu Theolog. Tom. 2. L. 15. D. 2. Sect. 7. num. 68. & poſt plures Palao Tom. 1. Tract. 4. D. 1. pun. 5. num. 12. ubi ait, non eſſe neceſſariam hanc diligentiam, ut Pontifex certò & infallibiliter definiat, ſed ſolùm ut prudenter & abſque peccato procedat, Deo nimirum ſupplente in gratiam totius Eccleſiæ, cui aliàs parùm prodeſſet Pontificis infallibilitas; quis enim certus eſſet, eum in ſuo decreto debitam ſedulitatem adhibuiſſe. Ratio doctrinæ noſtræ deſumitur ex eo, quod aſſiſtentia Spiritûs Sancti S. Petro ac Succeſſoribus à Deo in definiendo promiſſa fuerit abſolutè, non conditionatè, ſi adhibeat diligentiam. Videri poteſt Diana Part. 11. Tr. 2. de infallib. decret. Pontif. Reſol. 5. Ubi in oppoſitum adducit M. Gravinam in Controv. fol. 144. Sed nulla firma ratione ſuffultum. Ut autem appareret, Regimen Sum̃i Pontificis & judiciũ in decidendis Fidei ac Religionis controverſijs à Deo magis dirigi, quàm ab humana prudentia pendere, experientia docuit, Pontifices doctos & ſagaces minùs feliciter gubernaſſe, quàm ſimpliciores, ut obſervavit Spondanus An. 877. num. 4. Sicuti etiam Card. Baronius Tom. V. anno Chriſti 397. num. 33. advertit, eos Pontifices, qui aliquid Eccleſiæ perniciosum machinabantur, repentinâ morte ſublatos fuiſſe. Exemplo ſit Joannes XXII. qui cum privatim in eo errore verſaretur, animas Beatorum non viſuras Deum ante reſurrectionem, ſimul ac in id incubuit, ut eam quæſtionem definiret, prius morte ſublatus eſt, quàm in aliquem deciſionis errorem incideret, ut ex Villano Lib. 11. hiſtor cap. 19. pluribus recenſet Bellarminus L. 4. de Pontif. cap. 14. Simile quid de Sixto V. refert Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 4. num. 264. & ſeq.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XV. *Error primus.* DEUS ſive Chriſtus ſolus infallibilis eſt Controverſiarum Fidei Judex & Magiſter. Ita Lutherani, Calviniſtæ, alijque hodie Sectarij omnes, etſi alij deinde aliter ſe explicent, ut videbimus. Moventur authoritate Sacræ Scripturæ, in qua, ajunt, ſignificari, unum eſſe Judicem & Legislatorem, nempe Deum Iſajæ 33. v. 22. *Dominus Judex noſter, Dominus Legiſfer noſter*, Iacobi 4. v. 12. *Unus eſt Legislator & Judex, qui poteſt perdere & liberare*, Matth. 23. v. 8. *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Ergo præter Deum non eſt admittendus alius ſupremus Controverſiarum Iudex. Confirmant. Moyſes olim in quæſtionibus dubijs ad Deum confugit. Num. cap. 9. v. 8. & alibi. Ergo in hoc etiam ſtatu Deus erit Judex Controverſiarum Fidei, non Papa.

XVI. Errorem hunc luculenter refutant conditiones, quas ſupra ad Judicem ſupremum Controverſiarum requiſivimus ex communi omnium ſententia, præſertim 2. 4. & 5. Sancti Patres etiam apertè eundem refellunt, dum identidem ad Romanum Pontificem nos allegant veluti unicum in decretis ac definitionibus ſuis veræ ac ſynceræ doctrinæ Magiſtrum. Vide S. Hieronymum & Maximinianum Patriarcham Conſtantinopolitanum Controv. priore §. 10. relatos, & plures apud Becanum Lib. 3. de Republ. Eccleſiaſt. cap. 4. num. 44. Adducta loca ex Scriptura nihil convincunt. Quando Scriptura univerſim judicat, unum eſſe Judicem, & Legislatorem, nempe Deum, loquitur de Principe, Legislatore, & Magiſtro eminentiſſimo & ſimpliciter independente; ſi enim velint Adverſarij, eos textus eſſe abſolutè intelligendos, tunc nimium probant, & tollunt omnes etiam ſupremos Principes Politicos, Legislatores, & Magiſtratus. Speciatim Iſajas cap. 33. loquitur de Chriſto, quatenus eſt Judex operum factorum: non autem quatenus eſt Judex Controverſiarum inter litigantes de fide. Jacobus autem cap. 4. loquitur de Deo, quatenus eſt Judex occultus. Matthæus denique cap. 23. loquitur de Chriſto, quatenus in terris exiſtens erat Caput ac Princeps Eccleſiæ; tunc enim fuiſſe Judicem Controverſiarum, non negamus, etſi non ſemper officium Judicis exercuerit, quando ſcil. non perſpicuè & clarè fuit locutus. Ad confirmationem diſtinguitur antecedens; confugit Moyſes Num. 9. ad Deum tanquam ad Judicem, negatur: ad Legislatorem, conceditur. Et quidquid ſit de antecedente, negatur conſequentia; quia Deus de via ordinaria non ſolet jam prædicto modo perſpicuè loqui. Videantur Cornelius à Lapide, Tirinus & alij SS. Script. Interpretes in cit. locos.

XVII. *Error ſecundus.* Spiritus Sanctus, prout per Scripturam loquitur, ſeu Scriptura Sacra eſt in hoc rerum ſtatu proprius Controverſiarum fidei Judex. Ita Molinæus in ſuo Neo-Papatu fol. 88. & univerſim Lutherani apud Gerhardum Lib. 1. Part. 1. à fol. 85. Calviniani apud Ameſium To. 1. à fol. 42. alijque hæretici. Probant 1. ex Sacra Scriptura, quæ ſibi hoc judicium reſervavit. Iſajæ 8. v. 20. *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret pro vivis & mortuis. Ad Legem magis, & ad teſtimonium.* Ibid. cap. 2. v. 3. *De Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jeruſalem, & judicabit Gentes, & arguet populos multos* Luc. 16. v. 29. *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Ibid. v. 45. *nolite putare, quod ego ſim accuſaturus vos apud Patrem: eſt, qui accuſet Moyſes,* id eſt, lex Moſaica vos condemnat. Ibid. 7. v. 51. *Nunquid Lex noſtra judicat hominem, niſi prius audiverit ab ipſo, & cognoverit, quid faciat?* Rurſus Ibid. 12. v. 48. *Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.* Ad Rom. 2. v. 12. *quicunq; in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Ad Hebræos 4. v. 12. *Vivus eſt Sermo Dei & efficax & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Græcè κριτικὸς judicativus. Actor. 6. v. 11. Laudantur Beroenſes, quod erant *quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi ſe ita hæc haberent.* Accedit, quod in extremo judicio ſententia ex ſola Scriptura proferetur. Ergo in hac vita omnes cauſæ ex S. Scriptura decidendæ ſunt. Conſequentia inde conſtat, quod omnes cauſæ ad extremum judicium deferentur. Antec. tradit ipſa Sac. Scriptura tum Danielis 7. v. 10. *judicium Sedit, & libri aperti ſunt,* ſcil. Bibliorum, tum Apocal. 20. v. 12. *judicati ſunt mortui ex his, quæ erant in libris* ſcil. Canonicis: tum Rom. 2. v. 16. *judicabit Deus occulta hominum ſecundùm Evangelium meum.* Ergo Scriptura erit Supremus rerum Judex.

XVIII. Probant 2. ex Jure Canonico & Patribus. Sacri Canones denegant Pontifici infallibilitatem in judicando, cauſa 35. quæſt. 9. Canon quodquis Can. Apoſtolicæ. Can. ſententiam, qui aſſerunt, Romanum Pontificem, ſi erret, corrigi poſſe: *Sententiam Romanæ Sedis non negamus poſſe in melius cōmutari.* Ita Nicolaus epiſt. 7. ad Michaelem Imperat. ex qua capit. Sententiam fuit de ſumptum. Can. relatum diſt. 37. ait, Clemens I. *Ex ipſis Scripturis capere veritatis ſenſum oportet.* S. Benedictus cap. ult. regul. Sac. Scripturam perfectiſſimam normam vitæ appellat: *quæ enim pagina*, inquit, *aut quis ſermo divinæ authoritatis Veteris ac Novi Teſtamenti non eſt perfectiſſima norma vitæ humanæ?* S. Auguſtinus Lib. 2. contra Creſconium cap. 32. ad Scripta Cypriani ſibi objecta reſpondet: *quod in eis Scripturarum divinarum authoritati congruit, cum laude ejus recipio: quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo.*

XIX. Probant 3. ex ratione. *Prima.* Si Eccleſia eſt Judex Controverſiarum, tunc præponitur Spiritu Sancto. Conſequens eſt blaſphemum, Ergo & Antecedens. Prob. Mai. Tum quia nos negamus, Spiritum Sanctum eſſe Judicem, adeoq; plus tribuimus Eccleſiæ, quàm Spiritu Sancto. Tum quia ipſum Spiritum Sanctum Eccleſiæ ſubjicimus tanquam Judici; qui enim de verbis alicujus judicat, de ipſo judicare cenſetur; nos autem dicimus, Eccleſiam de verbis Spiritûs Sancti judicare, utrum authentica ſint, & quem ſenſum habeant. *Secunda.* Si ad officium Eccleſiæ pertinet judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturæ (ſicuti ait profeſſio fidei Catholicæ à Pio IV. præſcripta) cur non edit certam aliquam interpretationem totius Scripturæ, ne inter tam varios Interpretes incerti fluctuemus. *Tertia.* Quid ſi de ipſamet Eccleſia, & ejus judiciali poteſtate diſputetur, quis tunc erit Judex? certè non Eccleſia, quippe in propria cauſa nemo poteſt eſſe Judex. *Quarta.* Commune & receptum Canoniſtarum axioma

axioma eſt: De occultis non judicat Eccleſia. Sed actus fidei ſunt occulti. Ergo de ijs non judicat Eccleſia. Ergo alius aſſignari debet Judex; Non poteſt autem, niſi Scriptura. *Quinta.* Ariſtoteles cæterique Philoſophi docent, quod Regula & Norma debeat eſſe immutabilis nullam additionem vel detractionem admittens, ut patet in menſuris & ponderibus. Sed decreta Eccleſiæ ſunt mutabilia, poſſuntque augeri vel minui, ut conſtat experientiâ Bullarum Pontificiarum & novorum Conciliorum. Ergo ejus decreta non ſunt Regula & Norma fidei.

XX. Errorem hunc peſtilentem, qui, ut ait Tanner Tom. 3, Diſput. 1. q. 3. num. 11. eſt Caput omnium cæterorum, reijciunt omnes Catholici, ut parte priore vidimus, idq; jure meritiſſimo. Tum quia Patres antiqui contra hæreticos diſputantes cognoſcunt in Eccleſia aliquem ſub Chriſto Judicem viſibilem, qui in rebus dubijs conſuli poſſit, & ad quem ſpectet, quid credendum aut non credendum ſit, certò ſtatuere. Tum quia Sacra Scriptura non eſt perſona aliqua publica; & licet eadem ſecundùm ſe ſolitariè ſpectata foret quarumdam Controverſiarum Judex, omnium tamen dici nequaquam poteſt. V. G. *quinam libri ſint divini? quænam partes libri ſint Canonicæ? Num Chriſti Mater ſemper manſerit Virgo? Num Infantes ſint baptizandi? &c.* Tum quia Spiritus Sanctus non eſt viſibilis: Eccleſia autem viſibilis requirit Judicem viſibilem. Idem divinus Spiritus, prout in Scripturis loqui cenſetur, non pronuntiat clarè ſententiam, ita ut pars utraque litigantium clarè perſpiciat, cuinam cauſa adjudicetur; Hinc inter ipſos adverſarios ſolam Scripturam pro Judice agnoſcentes irreconciliabiles ſunt diſcordiæ, & de ſola juſtificatione viginti diverſiſſimas eſſe ſententias ſecundùm Scripturam inter Confeſſioniſtas, fatetur Oſiander Apologiâ contra Philippum. Lutherus Tom. 2. Witteb. fol. 226. prolixè exponit, qualibus & quantis torturis eum afficiant verba iſta Chriſti: *Hoc eſt corpus meum.*

XXI. Probationes Adverſariorum infirmæ ſunt; prius autem quàm eas diluamus, advertendum, confundi ab ipſis Judicem cum Norma ſeu Regula, quæ tamen duo multùm inter ſe differunt. Nam Judex dicitur, qui causâ legitimè cognitâ fert ſententiam cum authoritate perſpicuè inter litigantes: Norma vero eſt illa menſura, ſecundùm quam fertur ſententia à Judice; ſicuti Architectus dicitur, qui ædificium educit: idea verò ſive ſimilitudo, ſecundùm quam domus ab ipſo extruitur & ædificatur. In hunc ſenſum intelligendus D. Auguſtinus Lib. 2. de Nupt & Concupiſ. ad Valer. cap. 33. ſcribens: *hæc Controverſia Judicem quærit; judicet igitur Chriſtus, judicet cum illo Apoſtolus, quia in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus.* Nam Chriſtus & Apoſtolus in hoc rerum ſtatu, quatenus cenſentur adhuc loqui in Scriptura, judicant ſolùm impropriè; quia ſunt Norma, ſecundùm quam verus Judex Papa ſententiam ſuam ferre debet.

XXII. Reſpon. *primò ad 1. Probationem ex Sac. Scriptura.* Diſtinguendo. Scriptura Sacra reſervavit ſibi hoc judicium per modum Judicis, negatur: per modum Normæ ſeu Regulæ, conceditur. Iſajæ 8. ſenſum longè alium eſſe, quàm Adverſarij ſibi imaginantur, ut videre eſt apud Tirinum & alios Interpretes. Conſulebant Judæi Pythoniſſas & Divinos, qui nihil Legi conſonum prænuntiabant. Tales ergo conſulentes, atque ob hoc facientes contra Legem redarguit Propheta, eoſquè remittit ad Legem & ad Teſtimonium (quo etiam ſignificatur ipſa Lex divina, vel certè Arca teſtimonij vel propitiatorium, ibi enim conſuli volebat Deus de ſucceſſu belli aliorumq; negotiorum) ut viderent, ſe contra Legem facere, cujus obſervationi magis, quàm falſis Pythoniſſarum prædictionibus inhærere illos volebat; quod ſi profani Judæi facere contempſerint, & ad magos atque Ariolas ire perrexerint, prædicit Propheta, non lucem veritatis & proſperitatis ſed perpetuam noctem & errorum tenebras eſſe aſſecuturos. Et quid hoc ad Judicẽ Controverſiarum? Ejuſdem Iſajæ cap. 2. ſenſum nobis etiam non officere; quia per *Verbum* ibi non intelligitur Scriptura, ſed Chriſtus, qui eſt Verbũ Patris: aut certè intelligitur Lex Nova ſeu Evãgelij prædicatio non per modum Judicis, ſed Normæ, juxta quam Chriſtus per Vicarium ſuum in terris Controverſias decidet, in Fide, & Religione exortas; atque ita judicabit Gentes & arguet populos. Luc. 16. Reſponſum Epuloni datum, cum peteret mitti Lazarum ad ſuos Fratres, qui illos ad vitæ commutationem cohortaretur, ne & ipſi in orcum deciderent, remittendo eos, ad S. Scripturam, *habent Moyſen & Prophetas, illos audiant &c.* non probare, in omnibus caſibus recurrendum ad Scripturam, ſed in rebus tantùm clarè per Scripturam explicatis, qualis fuit cauſa fratrum Epulonis, qui nimio luxui indulgebant, quod & frequenter & perſpicuè reprehendit Sacra Scriptura.

XXIII. Joan. 5. verborum Chriſti ſenſum eſſe, ut remittat ad ſcripturas, non tanquam ad Judicem, ſed tanquam ad Teſtem. Nam cum Judæi neque teſtimonio Joannis, neque divini Patris moverentur, ut crederent, Chriſtum eſſe Meſſiam, ait Chriſtus: *Scrutamini Scripturas, quæ teſtimonium perhibent ad me.* Voluit ergo eos teſtimonio Sac. Scripturarum, quas Judæi maximi faciebant, convincere & inducere illos ad credendum, quod ipſe verus ſit promiſſus Meſſias, quo facto S. Scripturam non Judicem, ſed Teſtem ſtatuit. Ibidem v. 45. Verborum Chriſti ſenſum eſſe: peccatùm veſtrum contra Moyſen commiſſum (quia noluiſtis ipſi credere) facit vos reos in judicio Dei; hic autem ſenſus non officit doctrinæ noſtræ. Joannis 7. Nicodemum in publico conſeſſu defendendo Chriſtum, ne inauditus damnaretur, idq; probando ex Sacra Scriptura Veteris Legis, quæ neminem damnat inauditum, non velle dicere, Leges per ſe immediatè judicare; quomodo enim lex audiret reum excuſantem? ſed mediatè per vivos Judices, quibus hanc formã judicandi Deus dedit Deut. 19. v. 15. ut nemo inauditus damnaretur. Joannem cap. 12. loqui non de judicio hujus vitæ, de quo tamen hic ſolùm diſputatur, ſed de extremo judicio; unde verbum judicandi non ſumitur pro ipſa prolatione ſententiæ, ſed pro argumento, quo reus convinci & cõdemnari queat, ſublatâ omni excuſatione ignorantiæ, cum Chriſtus toties & tam clarè prædicârit veritatem; hoc enim loquendi modo omnia ad judicium concurrentia dicuntur judicare, v. g. ſi quis in foro Civitatis accuſatus proditionis crimen negaret, & prolatis litteris ad eundem datis convinceretur, Judex diceret, litteræ te judicant, & con-

& condemnant, hoc eſt, evidens argumentum præbent juſtè condemnans &c.

XXIV. Roman. 2. quicunque in Lege peccaverunt, judicatum iri per legem tanquam per Judicem, negamus: tanquam per Normam, concedimus. Hebr. 4. verba Apoſtoli non procedere de Scriptura, ſed de Chriſto, qui eſt verbum Dei, ut teſte Tirnio paſſim exponunt Patres, & patet ex verſu ſequenti: *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo*; quæ planè non conveniunt Scripturæ oculis deſtitutæ, nec ad illam locutus eſt Paulus, ſed ad Chriſtum, de quo mox v. 14. ſubdit: *habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlum, Jeſum Filium Dei &c.* Actor. 6. Beröenſes ſcrutatos fuiſſe Scripturam nō tanquam Judicem, ſed tanquam Normam, ut videlicet viderent, an illa ſic in Scripturis haberentur, prout quædam ad Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti confirmandam citabat Paulus; non quod ipſi de Paſſione dubitarent, quam tot miraculis videbant ſtabilitā, ſed ut inde ſolidarentur magis & alios docere poſſent, ſi ea, quæ prædicabat Paolus, à Prophetis tot antè annis prædicta deprehenderent. Ad id, quod adijcitur de extremo judicio jam dictum fuiſſe, agi hîc de judicio vitæ hujus, non de judicio extremo; ad quod referuntur quidē omnia hominum cogitationes verba & opera judicanda ſecundùm Legem & doctrinam Sacræ Scripturæ & Evangelij, tanquam Normæ, non verò tanquam Judicis. Nam Judex ſolus erit Chriſtus, cui aperti tunc erunt libri, id eſt, conſcientiæ omnium, in quibus videbit cuncta, & illa judicabit, prout conformia & difformia prædictæ Legi & doctrinæ Sac. Scripturarum fuerint. In quem ſenſum Interpretes Danielem 7. Apocalypſ. 20. & Apoſtolum 2. ad Rom. exponunt.

XXV. Reſpon. *Secundò ad probationem ex jure Canon. & Patribus.* Negando vel ab his, vel ab illo contra Infallibilitatem Papæ quicquam aſſeri. Adverſarij intelligentiam infallibilitatis Papalis invertunt, trahuntq; ad judicia juriſdictionalia, & morum decreta ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ ad doctrinam fidei non ſpectant, ſed mutatis circumſtantijs mutari poſſunt, & ſolent, imò debent, ſi præſertim aliquid per falſa narrata ſub & per obreptionem, fuit imperatum. In quibus caſibus Legislator quilibet poteſtatem habet ſententiam ac Legem ſuam imutandi & reformandi; ſiquidem nullus adeo ſapiens eſt, ut præſcire poſſit, num Leges & decreta ſua, quæ nunc utilia & æqua apparent, futuri temporis noxiam quandam rationem non ſint contractura, aut detectura; quippe *incerta providentia noſtra* Sapient. 9. v. 14. Itaque allati Canones, & quicùnque correctionem & emendationem admittunt, intelligendi ſunt de quæſtionibus facti, & particularibus mandatis, judiciis, decretis morum & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, in quibus Papam errare poſſe, non negamus. Clemens I. ajens, *ex ipſis Scripturis ſenſum veritatis capere oportet*, ſtatim explicat ſe ſubjunctis verbis: *cum Scripturæ facilè in alium ſenſum detorqueri poſſint, quilibet ſcientiam Scripturarum diſcere debet ab eo, qui eam ſecundùm veritatem ſibi à Majoribus traditam ſervat.* Vult igitur Papa Sacram Scripturam intelligi oportere juxtà Traditionem Chriſtianam: & non alium ſenſum ex Philoſophicis & Gentilibus ſcientijs eidem immiſceri debere. Ad Sanctum Benedictum. Bene illum dicere, Scripturam eſſe rectiſſimam Normam vitæ humanæ. Sed 1. non ait, Sacram Sripturam eſſe Normam perfectiſſimam, uti eam citant Adverſarij, ſed rectiſſimam; etenim poteſt eſſe Norma rectiſſima pro una parte domûs, non perfectiſſima pro domo tota. 2. non vult, quamlibet paginam eſſe Normam perfectiſſimam, cum non comprehendat in ſe tota Biblia. 3. Non ſolam Scripturam vocat Normam vitæ, ſed ſtatim adjungit doctrinam Sanctorum Patrum, dicens, *obſervantiam hujus ducere hominem ad ſublimitatem perfectionis &c.* S. Auguſtinus neque in hoc, neque in alijs ſuis difficilibus dubijs ad ſolam Scripturam, ſed ad Eccleſiam appellavit, cujus Caput eſt Romanus Pontifex; ſicuti etiam in præſenti facit mox ſubjungens: *Non accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus ſentit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit.* Hæc ſumma eſt appellatio D. Auguſtini, hic ſe firmat: *Eccleſia accipit: Eccleſia non accipit.*

XXVI. Reſpon. *tertiò ad probationem ex ratione.* Ad 1. Negando ſequelam Majoris; quia non negamus, Spiritum Sanctum eſſe Judicem, ſed negamus judicare per ſolam Scripturam: verùm etjam per inſpirationes Eccleſiæ factas, ut proinde non excludamus eum à judicio, cum ipſe per Eccleſiam judicet. Quare propoſitio illa: qui judicat de verbis alicujus, de eodem judicare cenſetur, diſtinguenda eſt: ſi conſtet, eſſe illius verba, & hoc ſenſu prolata, & adhuc diſputetur, an rectè dixerit, concedimus, illum judicari: Si verò neſcitur, an ſint illius verba, an hoc ſenſu prolata, negamus illum judicari; quia in tali caſu non judicantur illius verba formaliter, quatenus illius ſunt, ſed tantùm materialiter. Ita paſſim in tribunalibus fieri ſolet, quando profertur aliquod decretum Papæ; ante omnia diſquiritur, an ſit legitimum Breve, an fictitium? & tunc de ipſo Pontifice non judicatur: ſi verò conſtet de authoritate Brevis, deq; ſenſu illius, & adhuc dubitetur, an ſit recipiendum, tunc ſanè ipſe Papa in judicium vocaretur. Sed hoc modo Eccleſia non procedit cum Spiritu Sancto, ſed tantùm indagat, an ſint ejus verba, & quo ſenſu fuerint prolata. Ad 2. Eccleſiam nihil poſſe definire, niſi quod Spiritus Sanctus ſuggerit, uti olim Balaam ad Regem Bala dixit Num. 23. v. 12. Hactenus autem non ſuggeſſit certum ſenſum totius Scripturæ; quia magis expedit, aliqua manere occulta, ut ſubtilia ingenia habeant honeſtam occupationem in ſenſu rimando, & ſic pluris faciant Scripturam, quam nimis claram contemnerent; ſicut Auguſtinus ante ſuam converſionem libros Moyſis tanquam nimis apertos contempſit. Ad 3. Supremum Judicem, qui ſemel receptus & agnitus fuit pro legitimo judice, etiam in propria cauſa poſſe judicare; ſicuti Reges & Principes ſuos rebelles judicant. Ergo cum Eccleſia Catholica multis ſæculis ſit recepta & agnita, adeòq; ſtet in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, etiam ipſa de rebellibus hæreticis judicare poteſt, excommunicando &c. Ad 4. axioma illud Canoniſtarum (de occultis non judicat Eccleſia) diſtinguendo; de judicio vindicativo pœnam infligente, concedimus: de judicio definitivo cauſæ veritatem determinante, negamus. Diſtingunt idipſum Theologi in moralibus, & concedunt in foro externo: Negant in

interno;

Digitized by Google

interno; unde patet, abſolutè illud & illimitate adhiberi non poſſe. Ad 5. denique probationem ex ratione, quod regula debeat eſſe immutabilis nullam ferens additionem aut detractionem, iterum diſtinguendo; ſi talis additio formam regulæ, ſecundùm quam alia regulantur, immutet, concedimus: ſi non immutet, negamus v. g. ſi in dimetiendis pannis uni ulnæ addatur media ulna, hæc non deſtruit priorem ulnam; ita priſcis Eccleſiæ decretis adduntur nova prioribus non contraria, uti fit in definitionibus fidei, quod ſemel eſt decretum, nunquam amplius mutatur, etiamſi alia priùs incognita definiantur.

XXVII. *Error tertius.* Privatus cujuſque inſtinctus ſeu inſpiratio Spiritûs Sancti prout iſte per privatam & internam inſpirationem homini loquitur, eſt in hoc rerum curſu Controverſiarum fidei Judex. Ità Libertini & Schwenckfeldiani teſte Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 3. num. 12. Allegant pro ſe duplicem Scripturæ locum. 1. habetur 1. Corinth. 2. v. 15. ubi dicitur: *Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* 2. habetur 2. Cor. 3. v. 6. ubi dicitur: Littera *occidit, Spiritus autem vivificat*; unde colligere volunt; ad ſolum inſtinctum eſſe attendendum. His adſtipulatur Ameſius, qui ex illo 1. Joan. 4. v. 1. *nolite omini Spiritui credere; ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint*, infert, etiam Papæ & Concilij ſententiam eſſe probandam & examinandam, ac conſequenter Judicem Controverſiarum non eſſe Papam, ſed proprium cujuſque inſtinctum. Et univerſim ſubſcribunt Calviniſtæ, ut patet ex catechiſmo Urſini in proleg. generali. §. 4. num. 14. hiſce verbis: *Hâc igitur teſtificatione Spiritûs S. in cordibus credentium Sancti omnes ad Chriſtum converſi de certitudine doctrinæ cœleſtis firmiſſimè confirmantur & obſignantur; atq; hoc argumentum, ut eſt Renatorum proprium, ita ſolùm corda eorum non ſolùm de veritate & authoritate S. Scripturæ convincit; ſed etiam perſuadet, ut aſſentiantur, & in eâ firmiter acquieſcant.*

XXVIII. Hunc errorem reijciunt juremeritiſſimo omnes Orthodoxi. Tum quia conſtat ex Scripturâ, quod Deus nos doceat (ſaltem ordinariè) myſteria fidei per externum hominum miniſterium, uti ſignificatur Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*, prædicatum ſcil. exterius, non interiùs merè inſtinctum. Tum quia communiter agnoſci certò non poteſt, num Spiritus Sanctus, an alius loquatur per inſpirationem internam ſeu inſtinctum; quem ſubinde in ſe experiuntur homines, ut patet vel ex ipſis hæreticis, qui dicunt, ſe habere & audire inſpirationem Spiritûs Sancti interius loquentis, & tamen ſæpe tradunt doctrinas & hæreſes contrarias. Tum qui internus inſtinctus non eſt perſona publica, nec poteſt evidenter agnoſci ab utraque litigantium parte, cui adjudicetur cauſa; inſtinctus enim unius non poteſt cognoſci ab altero: nec viciſſim hujus ab illo. Placet adjungere verba D. Hieronymi contra Lucif. *ſi*, inquit, *non ſit in Eccleſia una eminens poteſtas, tot futura ſunt ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Quæ verba afferens Arriaga Tom. 5. Diſp. 9. Sect. 4. num. 20. ſubjungit: quid; quæſo, diceret Hieronymus, ſi noſtros hæreticos audiret non ſolùm Sacerdotibus & Doctoribus Scripturæ intelligentiam ex ſolo proprio cerebro committentes, ſed Sartoribus, Sutoribus, Lanionibus, vetulis, ruſticis id ita concedentes, ut nullus horum teneatur alterius judicium ſequi, ſed ſuum amplecti inſtinctum. Arbitror, Hieronymum dicturum, hujus erroris Authores debere in ſtultorum caveas, utpote mortalium amentiſſimos, includi. Hinc Molinæus fol. 92. negat, ita ſentire Calviniſtas. Sed verba Urſini ſunt clara. Videri poteſt Calvinus Lib. 1. Inſtit. cap. 7. num. 7. Ubi hoc ipſum tradit.

XXIX. Reſpon. 1. *ad priorem locum 1. Cor. 2.* non intelligi ibi quemlibet fidelem, ſed perfectum, qui ſequitur fidem ac doctrinam Spiritûs Sancti, ut ſenſus ſit, qui ſequitur Doctorem ac Rectorem Spiritum Sanctum, diſcernit inter Spiritualia & animalia, quæ ſcil. fugienda & ſequenda ſint, atque hoc faciendo à nemine quà talis redarguitur & condemnatur. Cæterùm ſimplices egere Paſtoribus ac Doctoribus, manifeſtè tradit S. Paulus Epheſ. 4. v. 11. *Et ipſe dedit quoſdam, quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Doctores & Paſtores ad conſummationem Sanctorum*, id eſt; ut Chriſtiani in ſuo quiſque gradu perficiantur.

XXX. Reſpon. 2. *ad poſteriorem locum 2. Cor. 3.* ſenſum hujus poſſe eſſe duplicem. Primus. Scriptura ſecundùm exteriorem corticem verborum ſpectata ſæpe (occaſionaliter) inducit in errorem, hæreſin, ac mortem: bene autem intellecta ſecundùm internum & genuinum ſenſum dirigit tum ad vitam animæ, quæ eſt charitas, tum ad vitam æternam. Secundus. Scriptura ſpectata nudè ſecundùm ſe ſeu ſigna ſua, quibus conſtat, non præbet vitam animæ, ſed relinquit eam in morte ſeu peccatis: gratiâ autem, quæ in Sacra Scriptura eſt promiſſa, ea dat vitam æternam. Hinc facilè apparet, errare hæreticos, nihilque ipſis ex allatis textibus patrocinari. Videri poſſunt Cornel. à Lapide, Tirinus, & alij Interpretes in cit. textum.

Reſpon. 3. ad Ameſium; negando ex Joan. 1. cap. 4. v. 1. Sequi, quod omnia membra Eccleſiæ id præſtare; hoc eſt, Spiritus probare debeant: item quod circa omnia omnino abſolutè etiam illa, quæ jam communi Eccleſiæ ſenſu examinata & probata fuerunt. Itaque ſoli Spiritus privati & dubij ſub examen cadunt: nec ſub examen omnium; ſed peritorum, & quibus id ex officio incumbit; multi enim, imò plerique de plebe ſunt, qui de hujuſmodi dubijs ſpiritibus & doctrinis non plus decernere poſſint; quàm cœcus de colore. Inſtat Puritanus. Ad omnes eos ſpectat probatio Spirituum, ad quos pertinet non omni Spiritui credere. Sed malè; hoc quippe eſt ovium: illud verò proprium Paſtorum, à quibus oves tutò diſcunt, quibus credendum. Urgent Sectarij. Ergo & noſtrum Spiritum noſtrámque doctrinam probate & examinate. Occurrit bene Primatius in Apocalypſ. cap. 2. inquiens: *Iam probati & improbati ſunt Spiritus veſtri ab Eccleſia; cujus iſtud eſt officium; quid tu vis iterum probare, quod jam pridem improbatum eſt.* Nempe moderni Sectarij nihil ferè novi afferunt, ſed quod jam olim veteres excogitârunt hæretici; atque ab Eccleſia & SS. Patribus rejectum ac damnatum fuit.

CONTROVERSIA XXX.

DE POTESTATE SUMMI *Pontificis.*

POteſtas in ſummo Pontifice eſt triplex tergeminâ forſan ejuſdem coronâ indicata. 1. eſt Ordinis, quæ refertur ad Sacramenta conficienda & adminiſtranda 2. Jurisdictionis ad populum regendum in foro interiore conſcientiæ, quæ neceſſariò requirit characterem Sacerdotalem, & procedit ſecundùm rei veritatem ab ipſo reo expoſitam cum obligatione ſecreti ſtrictiſſimi. Utraque harum poteſtatum pertinet propriè ad materiam de Clavibus Eccleſiæ. 3. Juriſdictionis ad regendum populum Chriſtianum in foro exteriori, quæ etiam à nõ ordinato exerceri poteſt, nec ullum poſtulat ſecretum, ſed palam omnibus exercetur per Legem, ſententiam, coactionem &c. Quia igitur diximus, Summum Pontificem eſſe Judicem Controverſiarum Fidei & Religionis, quæ in Eccleſia oriuntur: & judicium ejus certum atque infallibile eſſe. Surgit hinc alia quæſtio, an ſcil. poſſit Summus Pontifex cogere Fideles, ut id faciant & credant, quod ipſe judicavit? Ex occaſione autem hujus juriſdictionis & poteſtatis coactivæ quæritur etjam de temporali, an & qualem poteſtatem Papa habeat, videri poteſt Card. Bellarmins Lib. 4. de Rom. Pont. à cap. 15. & toto Lib. 5. Ex quo alijsq; Authoribus Nos brevitatis & obedientiæ memores pauca ita aſſeremus, ut nulli inde juſtæ offenſionis cauſam demus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina Prima. Summus Pontifex habet immediatè à Chriſto poteſtatem condendi Leges canonicas univerſam Eccleſiam obligantes. Ita ex communi Catholicorum Doctorum Cardin. Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 16. & Suarez Lib. 4. de Legibus cap. 1. Probatur 1. ex univerſali poteſtate Petro conceſſa Matth. 16. v. 19. *quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit & ſolutum in cælis.* Ubi cum non tantùm poteſtas ſolvendi, ſed etiam ligandi & obligandi (quod per leges fit) ſtabiliter concedatur: nec tamen immediatè detur Eccleſiæ, ut ipſa eam, cui vult, cõmunicet, abſque dubio penes ſummum Eccleſiæ Prælatum ac Petri Succeſſorem reſidere illam oportet. Ergo poteſt Papa pro tota Eccleſia leges ferre, verè obligantes in conſcientia, & tranſgreſſores punire ſaltem Spiritualibus pœnis. Probatur 2. In Lege ſcripta Summus Sacerdos Synagogæ habuit talem poteſtatem univerſalem præcipiendi, & leges ferendi, quæ omnes obligabant in conſcientia, ut cum alijs DD. docet Salas de Legib. D. 8. Sect. 2. Et inde de Pontificibus Hebræis dicitur Deuter. 17. v. 12. *qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Ergo majore jure utrùmque horum de noſtris Pontificibus eſt ſentiendum, quod ſcil. penes eos ſit poteſtas legislativa, & eorundem leges in conſcientia obligent. Univerſim etiam atque expreſsè omnibus Chriſtianis dicitur ad Rom. 13. v. 1. *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Et v. 5. *ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etjam propter conſcientiam*; Ubi de Eccleſiaſticis æquè ac politicis Magiſtratibus loqui Apoſtolum, fatetur etiam Calvinus Lib. 4. cap. 10. §. 5. Probatur. 3. ratione. Quia præter leges divinas & civiles ſunt neceſſariæ aliquæ leges ad bene gubernandam Eccleſiam. Hæ autem obligant in conſcientia, cum omnis vera Lex vim coactivam habeat à conſilio, & libera meràque directione diſtinctam. Ergo &c. Probat. Major. Quia leges Evangelicæ ſunt nimis Univerſales. Debent ergo determinari per Eccleſiaſticas; ſicuti & Lex naturalis propter ſuam univerſalitatem determinatur per leges civiles. At, inquit Ameſius Tom. 1. fol. 223. poſſunt fieri Leges ſine Papa. Pro Eccleſijs particularibus eſto: pro univerſa Eccleſia negamus.

II. Ex hac doctrina infertur. 1. Papam pro tota Eccleſia leges ferre Eccleſiaſticas poſſe abſque Concilio Generali; imò abſque concilio Cardinalium, aut aliorum Epiſcoporum, ut poſt plures docet Arriaga Tom. 4. de Leg. D. 18. num. 4. Quia Chriſtus ſoli Petro ejusq; Succeſſoribus eam poteſtatem conceſſit, nec conſtituit alios Compaſtores; quamvis, uti varia jura indicant, congruum ſit, ut horum conſilia exquirat. 2. Mortuo Pontifice non eſſe in Eccleſia prædictam poteſtatem. Nam Chriſtus non dedit illam immediatè Eccleſiæ, ſed Petro ejùſque Succeſſoribus, ut recèns dictum: nec in illo caſu Cardinales habent vim relaxandi vota, diſpenſandi in matrimonio rato, abrogandi præcedentium Pontificum Leges ac decreta &c. 3. Quamvis cæteri etiam Apoſtoli immediatè habuerint poteſtatem ferendi Leges & ſtatuta, eſt tamen inter hos & Petrum differentia; tum quod poteſtas hujus eſſet ſupra alios Apoſtolos: non verò iſtorum ſupra Petrum. tum quod Petro data ſit, ut eam poteſtatem Succeſſores ipſius haberent: Apoſtolis verò tantùm in perſona propria, ut proinde Succeſſores in Epiſcopatibus à Vicario Chriſti dependerent. 4. Poteſtatem hanc (quæ eſt denominatio moralis ex voluntate Chriſti eam conferentis) dici ſupernaturalem, tum quia eſt in ordine ad finem ſupernaturalem gratiæ, tum quia planè eſt indebita naturæ humanæ ſecundùm ſe conſideratæ; tum quia verſatur circa res ſupernaturales, maximè circa Sacramenta præſcribendo, quo modo & quâ reverentiâ tractentur. 5. denique Papam tanquam Eccleſiæ Caput merito præeſſe, atque ubique anteferri Imperatori ac Regibus c. Venerabilem de Eccleſ: atque hos illi obedire ac revereri ipſum oportere. Hinc pro Pontificis authoritate obſervanda eſt mirabilis DEI Providentia, qui Fautores & Protectores Pontificum etiam in hac vita largè remuneratus eſt: hoſtes autem & perſecutores eorundem ſeverè punivit; ut multis exemplis oſtendit Thom. Bozius Tom. 2. P. 2. Lib. 24. cap. 6. & ſeq.

III. *Doctrina ſecunda.* Summus Pontifex non habet poteſtatem ferendi leges civiles obligantes univerſum orbem, aut etiam totum populum Chriſtia-

Chriſtianum: Sed ſolùm habet poteſtatem ferendi leges tales obligantes terram ſibi temporaliter ſubjectam. Ita Card. Bellarminus Lib. 5. de Pontif. cap. 2. & ſeq. Covar. L. Peccatum p. 2. §. 9. num. 7. Molina de Iuſtit. D. 19. Suarez Lib. 3. de Leg. cap. 6. num. 3. Salas D. 7. de Leg. Sect. 4. num. 30. & alij communiter contra nonnullos Canoniſtas apud Dianam P. 9. Tr. 2. Roſol. 122. qui civilem poteſtatem Papæ plus juſtò extollunt. Ratio noſtræ doctrinæ eſt, quia ad leges ferendas pro univerſo orbe requiritur poteſtas & jurisdictio civilis ac temporalis, quæ ſe in omnes ſimpliciter extendat. Atqui Papa non habet talem juriſdictionem. Ergo &c. Probatur Min. Papa prædictam juriſdictionem 1. non habet ex natura rei, ut ex terminis patet. 2. non ex conceſſione ipſorum regnorum univerſi Mundi; Nam Infideles de Pontifice nihil ſciunt majore ex parte, multò minùs ſe abdicârunt ſuâ poteſtate, eamq; in ipſum tranſtulerunt, quod nec Chriſtiani Reges & Principes fecerunt, proprias leges pro ſuis quique regnis & provincijs ferentes. 3. non ex conceſſione DEI per Chriſtum; quia nec leve fundamentum pro hac conceſſione eſt in toto Evangelio. Nam ubicunque Chriſtus Petro poteſtatem dedit, ſemper oſtendit, eam eſſe Spiritualem & in oves Chriſti Joan. 21. v. 17. *paſce oves meas.* Matt. 16. v. 18. *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et v. ſeq. *Quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*; quæ poteſtas Spiritualis eſt, & Spiritualia reſpicit. 4. denique non ex poteſtate temporali, quam habet more aliorum quorundam Principum; quia hæc minimè ſe extendit in totum orbem; ſiquidem de Infidelibus, qui foris ſunt, nihil habet, quod judicet 1. Cor. 5. v. 12. Sed nec in omnes Chriſtianos, verùm in eos duntaxat, qui temporali ejus dominio ab Imperatoribus, alijsq; Principibus per donationem accepto ſubjecti ſunt.

IV. Interim non negandum, poſſe Pontificem aliquando declarare jus naturæ, quod reipsà fecit, declarando *malæ fidei poſſeſſorem nunquam præſcribere poſſe*; quia reverà contra naturam eſt, ut iniquus poſſeſſor ex ſua nequitia rem alienam faciat ſuam, & tranſeat iſta ab injuſto ad juſtum poſſeſſorem ſine donatione veri Domini, qui jure ſemper eſt invitus, etiamſi ignoret, ubi ea res detineatur; quam tamen præſcriptionem Leges civiles permittunt. In hoc autem caſu & quovis ſimili juris naturalis declaratione Papa non exercet juriſdictionem, ſed clavibus ſcientiæ utitur, oſtendendo quid ſit peccatum, quid non ſit. Vnde Chriſtiani omnes, qui norunt, Pontificem errare non poſſe in declaratione veritatis, tenentur tunc obſervare illud præceptum, prout ab ipſo declaratum fuit: Gentiles verò, qui eundem ut veritatis Magiſtrum non agnoſcunt, ſtare illius declaratione non obligantur. Ut bene Arriaga Tom. 4. D. 13. num. 24.

V. *Doctrina tertia.* Summo Pontifici eique ſubordinatis Clericis poteſtas in Eccleſiam & Religionem ita unicè convenit, ut eadem nullo modo ſit penes Imperatores, Reges, Principes, & Magiſtratus ſæculares ſive ſuper perſonas ſive res Eccleſiaſticas quaſcunque. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur 1. Principibus ſæcularibus non tribuit hanc poteſtatem in Perſonas & Res Eccleſiaſticas Jus naturæ, quod non extendit ſe ad ſupernaturalia, cum talia ſub natura non contineantur. Unde poteſtas Eccleſiaſtica & Civilis neceſſariò differunt. 1. ratione Finis proximi & mediorum; Civilis enim Regiminis finis proximus eſt temporalis felicitas: Eccleſiaſtici verò ſalus æterna. Media etiam Civilis poteſtatis merè ſunt naturalia ad res proportionatas ordinata: Eccleſiaſticæ verò poteſtatis Media, utut externa ſint v. g. Concilia, Synodi, Conſiſtoria, Reformationes, Viſitationes &c. ſemper tamen ſicuti & ipſi Canones ad res Spirituales diriguntur. 2. ratione Cauſæ Efficientis. Nam Deus politicum Regimen per comunem ſolùm providentiã velut rem naturalẽ inſtituit & hominibus inſeuit, atq; idcirco etiã illius formationem ordinariè hominum arbitrio & naturali rationi permiſit: Eccleſiaſticum autem in utroque Teſtamento per providentiam ſpecialem, & per ordinem à ſe ipſo poſitum condidit & formavit; unde Regimen tale ſupernaturale eſt, nec ex naturali ratione ortum ſuum ſumpſit. 3. ratione Dignitatis. Regimen Eccleſiaſticum multò ſublimius & dignius eſt Politico; quanto ſcil. animarum ſalus & res cœleſtes atque æternæ temporalibus & perituris præſtant. Ergo Jus Naturæ, quod ad res cœleſtes non ſe extollit, poteſtatem Eccleſiaſticam non annexuit poteſtati civili, multò minus illam huic ſubjecit.

VI. Probatur 2. Magiſtratibus ſæcularibus poteſtatem in Eccleſiam & Religionem non etiam conceſſit Jus divinum in utroq; Teſtamento. Nam in Veteri Teſtamento Jus conſtitit in Decalogo & inſuper in præceptis Ceremonialibus & Judicialibus. Manifeſtum autem eſt in Decalogo nihil reperiri pro poteſtate Sæcularium Principum in Eccleſiam & Religionem: Præcepta verò Ceremonialia & Judicialia ſunt per Novum Teſtamentum ſublata, in quem ſenſum Chriſtus Luc. 16. v. 16. dicit: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem.* Etjamſi igitur in Veteri Teſtamento Reges habuiſſent hujuſmodi poteſtatem, tamen propter Legem iſtam antiquatam Principes & Magiſtratus in Novo Teſtamento nihil inde juris arrogare ſibi poſſent. In Novo Teſtamento nec unicus locus reperitur, ex quo Poteſtas ſuper Eccleſiam & Religionem pro Imperatoribus Regibus & Magiſtratibus ſæcularibus concludi poſſit. Nam Chriſtus expreſſis verbis Eccleſiam Petro commiſit Matth. 16. v. 18. Luc. 12. v. 32. & ſingulariter Joan. 21. v. 32. ubi ait: *Paſce oves meas*; qualia verba non dicit ulli Regi aut Principi ſæculari. Paulus Epheſ. 4. verſ. 11. enarrans Hierarchiam Eccleſiæ meminit Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum: nullius autem Imperatoris, Regis, Principis aut Magiſtratûs ſæcularis. Ergo ad iſtos non ſpectat Regimen Eccleſiæ. cum nec in ſpecie nec in genere inter Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Doctores & Paſtores comprehendantur.

VII. Probatur 3. ex Sanctis Patribus, qui poteſtatem hanc Eccleſiaſticam ſemper negârunt Principibus & Magiſtratibus ſæcularibus; atque ipſis etiam Imperatoribus fortiſſimè reſtiterunt, ſi poteſtatem iſtam ſibi arrogantes voluerunt præſidere Concilijs, aut de Perſonis, Legibus, & rebus Eccleſiaſticis diſponere. Ex multis paucos ſolùm proponemus. S. Chryſoſtomus homil. 4. & 5. de verbis Iſajæ: *Quanquam admirandus videatur Thronus Regius, tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec præter poteſtatem hanc præterea quid-*

quam habet authoritatis &c. Gregorius Nazianzenus ad Cives Nazianzenos ſic Principes & Magiſtratus ſæculares alloquitur: *Vos quoque Lex Chriſti imperio meo ac throno ſubjicit: Imperium enim nos quoque gerimus &c.* Athanaſius in epiſt. ad vitam ſolitariam agentes: *Si iſtud eſt judicium Epiſcoporum, quid cum eo commune habet Imperator? Quando judicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore accepit?* Hoſius in epiſt. ad Conſtantin. aput Athanaſium: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit &c.* Ambroſius Epiſt. 14. ad Marcellinam ſcribit: *ſe Valentiniano Imperatori dixiſſe. Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere: Noli te extollere, ſi vis diutius imperare. Eſto DEO ſubditus; ſcriptum eſt enim, quæ DEI, DEO: quæ Cæſaris, Cæſari.* Similia habet epiſt. 14. & orat. 1. contra Auxent. Dicunt Sectarij, Patres adimere ſolùm Principibus ſæcularibus poteſtatem in Altari, cathedra, Confeſſionali. Sed vaniſſimum effugium; Etenim allata verba SS. Patrum luce meridianâ clariora ſunt, quod Magiſtratus ſæculares univerſim & penitus repellantur ab Eccleſia & Religione, & omnis penitus poteſtas diſponendi de Perſonis & rebus Eccleſiaſticis ipſis denegetur.

VIII. probatur 4. ex praxi Eccleſiæ. Nam Eccleſiæ Regimen ab Apoſtolis uſque ad Conſtantinum Magnum Imperatorem per annos trecentos optimè conſtitit abſque eo, quod Magiſtratus ſæculares quicquam poteſtatis ſuper illud habuiſſent; quis enim tunc Eccleſiam gubernavit? Apoſtoli, quis primam ſynodum indixit? Apoſtoli Actor. 15. v. 6. quis huic Synodo præſedit? Apoſtoli, quis legem Eccleſiaſticam de abſtinentia ab immolatis ſimulachrorum & ſanguine ſuffocato ſancivit? Apoſtoli. Quis Corinthiacũ inceſtuoſum excommunicavit? Paulus Apoſtolus 1. Cor. 5. v. 3. quis accuſationem adverſus Presbyteros tanquam legitimus Judex admiſit? Timotheus Epiſcopus 1. Tim. 5. v. 19. Nullæ hic partes Regum, nullum veſtigium; ſiquidem Romani Imperatores fuerunt Gentiles, & talis poteſtatis incapaces. Ergo Eccleſia etiam hoc tempore nulli ſæculari poteſtati eſt ſubjecta, meraq; fabula cenſenda, quæ hæretici de Magiſtratûs politici poteſtate in Eccleſiam & Religionem fingunt. Et certè Religionem extremo exponi periculo, ſi illa Eccleſiaſtico Statui non permittatur gubernanda, ſatis oſtendunt Imperatores illi, qui hæreſi Arrianâ, Monothcliticâ, aut Iconoclaſticâ fuerunt infecti. Sed ipſis quoque Imperatoribus, qui Religionis ſe rebus intruſerunt; res peſſimè ſucceſſit. Nam Henricus IV. & Fridericus I. & omnes horum poſteri, licet potentiſſimi, brevi ceu fumus in aëre evanuerunt. Henricus IV. à proprio ſuo Filio expulſus in extrema paupertate mortuus eſt. Friderici I. Poſteri & tota Familia Ducum Suevicorum miſerrimè perijt, uti nominatim ſcribit Martinus Cruſius. Interea Sedes Pontificia adeo ab iſtis Imperatoribus oppugnata ſtat in hunc uſque diem coram omnibus regnis & Provincijs totius orbis penitus immota. Quæ manifeſta DEI opt. Max. judicia profectò ante oculos habenda, nec vilipenda, ſed inde diſcendum Mortalibus, quæ Omnipotens reipſâ approbet, quæve improbet ac reijciat.

IX. *Doctrina quarta.* Non repugnat, Pontificem ſimul eſſe Principem Spiritualem & temporalem alicujus Provinciæ. Ita communis Catholicorum. Probatur 1. varijs exemplis. Nam Melchiſedech fuit Rex & Pontifex, ut patet ex Gen. 14. v. 18. Nonne iſte erat figura Chriſti; & Chriſtus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, Pſal. 109. v. 4. & Hebr. 7? Ergo Sacerdotio Novi Teſtamenti, quod ordini Melchiſedech eſt conforme, Regimen politicum non repugnat. Similiter Moyſes & Summus Princeps Temporalis, & Summus Pontifex fuit, ut itidem ex varijs locis Scripturæ conſtat; Unde Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyſſenum ſcribit: *Moyſes Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos Aarone pro lingua utebatur.* Heli ipſe quoque Summus Pontifex & Judex politicus fuit annis 40. ut habent Sac. Litt. Lib. 1. Reg. cap. 1. & 4. Demum Machabæi Judas, Jonathas, Simon, Joannes & cæteri uſque ad Herodem ſimul Pontifices & Duces politici fuerunt, ut conſtat ex Lib. Machab. & Joſeph. Lib. 12. Antiquit. & ſeq. Addo Epiſcopos Germaniæ, qui nemine repugnante utramque de jure in hanc uſque diem retinent juriſdictionem.

X. Probatur 2. ex ratione. Tum quia poteſtas Eccleſiaſtica & politica non ſunt contrariæ, ſed utraque eſt bona. Ergo ſimul in eodem ſubjecto eſſe poſſunt. Tum quia unus Rex poteſt præeſſe Togatis & Armatis, quantumvis Pax & Bellum ſint magis diverſa, quàm Bona temporalia & ſpiritualia. Tum quia poteſt unus Rex gubernare duo regna, & unus Epiſcopus plurimas Eccleſias. Ergo unus poteſt regere unũ Epiſcopatum & unũ Principatũ. Tum quia pij homines fuerunt, qui Epiſcopis donârunt Principatus ſæculares, & ea de cauſa præcipuè à tota Eccleſia commendati ſunt, ut patet in Conſtantino Magno, Carolo Magno, Ludovico Caroli Filio, Henrico Imperatore &c. Multi etiam è numero Pontificum fuerunt, qui, cum ſimul Principes Eccleſiaſtici & Politici eſſent, nihilominus ſanctitate & miraculis floruerunt, ut nominatim Pius V. nuperrimè Albo Beatorum inſertus. Tum quia, etiamſi forſan præſtaret, Pontifices tractare ſolùm Spiritualia, tamen propter malitiam iſtorum temporum experientia clamat, utiliter, neceſſariò, & ex ſingulari Dei providentia donatos fuiſſe Papæ, alijsque Epiſcopis Principatus aliquos ſeculares; certè in Germania, ſi Epiſcopi non ſimul S. R. J. fuiſſent Principes temporali Principatu fulti, vix ulli ad hanc diem in ſedibus ſuis permanſiſſent.

XI. *Doctrina quinta.* Jura ſeu redditus & Monaſteria ob Religioſos vel mortuos, vel ab hæreticis expulſos, ut in Germania & Anglia, ſpectant omnia ad ſummum Pontificem, ita ut in quem iſte voluerit, transferre ea poſſit. Ita communis Catholicorum Doctorum. Probant nonnulli Canoniſtæ & noviſſimè Michael Tarrada in Amplitudine Beneficiaria Diſput. 1. §. 1. num. 37. ex eo quod Papa ſit Dominus abſolutus omnium rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum. Sed Theologi communiter tenent contrarium apud Dianam P. 11. Tr. 3. Reſol. 14. aſſerentes, Summum Pontificem non eſſe Dominum, ſed ſupremum Adminiſtratorem duntaxat; unde B. Pius V. Papa, teſte Sarmiento Lib. 1. Select. c. 8. num. 35. dicere ſolebat, *Pontificem non eſſe Dominum Beneficiorum, ſed Diſpenſatorem, ac proinde Beneficia non eſſe Manualia.* Meliùs igitur

Digitized by Google

igitur doctrina noſtra inde probatur, quod Monaſteria illa ſeu conventus cenſeantur extincti, & Bona illorum vacantia nulli debita. Ergo devolvuntur ad Summum Pontificem, qui eſt Chriſti Miniſter, & Diſpenſator Miniſteriorum & Beneficiorum; ac proinde applicare ea poteſt, quibus in Domino viſum fuerit. Ita Bartolus in L. ult. num. 22. ff. de Collegijs illicitis. Et L. ult. ff ſicut ff. quod cujuſque Univerſitatis, ubi hæc habet: *Si Collegia ſunt, quæ habere poſſunt bona in communi, & nihil in particulari, uti ſunt Collegia Religioſorum, in iſtis diſſoluto Collegio, remanent bona apud Superiorem, vel cui ipſe conceſſerit.* Hanc ſententiam communiter recipiunt Doctores, & nominatim Abbas Panormitanus in cap. Recolentis. de ſtatu Monachorum. Et Petrus Ancharanus in cap. de Religioſis Domibus q. 4. Alijque expreſsè loquentes de Monaſterijs, quod iſtis diſſolutis Bona in communi poſſeſſa maneant apud Superiorē; vel cui ipſe conceſſerit. Atqui morte & expulſione Religioſorum Monaſteria & Conventus illi fuerunt extincti, & Bona horum vacârunt, uti jura Pontificia & Cæſarea ſentiunt. Ergo prædicta Bona & Jura eorum devolvuntur ad Superiorem, Romanum ſcil. Pontificem, qui, ut diximus, ſupremus eſt Chriſti Adminiſtrator bonorum Eccleſiaſticorum; ac proinde iſte attribuere eadem poteſt, quibus in Domino voluerit.

XII. Non dici poteſt, in jura illorum Bonorum pro Monaſterijs extinctis ſuccedere alias ejuſdem Ordinis ſeu qualitatis Perſonas, nempe ejuſdem Religionis Profeſſos, aut Diœceſis Clericos. Nam licet verum ſit, quod, ubi bona communicabilia ſunt intra eundem Ordinem ſeu Religionem, ſi unus conventus extinguatur, illa à Superiore talis Conventûs transferri ad alium poſſint, perinde ac poterant; ſi Conventus non fuiſſet extinctus; ſiquidem Bona illa communicabilia fuerant: attamen ubi bona diviſa & independentia ſunt unius Conventûs ab altero, uti impræſentiarum ſupponimus, non habet jus in talia bona quilibet alius conventus, ut ſibi appropriet; ſiquidem illi ſunt erepta; cum nunquam ad ipſum ſive jure communicabilitatis, ſive quovis alio pertinuerint. Sed de hac lite plura alij, cum eam hæreticis, contra quos hîc agimus, non moveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIII. *Error primus eſt* Lutheranorum & Calviniſtarum univerſim, ut videre eſt apud Gerhardum Lib. 2. Part. 1. à fol. 641. Et apud Ameſium Tom. 1. à fol. 220. poſt Waldenſes & alios hæreticos, Papam ſancire non poſſe leges Eccleſiaſticas, quæ univerſam Eccleſiam in conſcientia obligent. Ita ait Lutherus Lib. de Capt. Babyl. cap. de Bapt. *quo jure Papa ſuper nos Leges conſtituit? quis ei dedit poteſtatem, captivandæ libertatis noſtræ &c?* Non ſolùm autem ſimilibus dictis; ſed factis etiam Leges Eccleſiaſticas damnavit, totum corpus juris canonici an. 1520. publicè comburens, ut teſtatur Cochlæus in vita Lutheri. Probant 1. ex Iſajæ 29. v. 29. & Matth. 15. v. 8. *populus hic labijs me colit, cor autem eorum longè eſt à me; ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Huc etiam trahunt illud Matthæi ult. v. 20. *docentes, quæ mandavi vobis*; non, inquiunt, quæ vos mandabitis. 2. Chriſtiani ſunt liberi à mandatis hominum 2. Cor. 3. v. 17. Gal. 4. v. 31. & cap. 5. v. 1. 3. Liberati ſumus à cæremonijs Judaicis divinis. Ergo multò magis à Pontificijs. 4. Deut. 8. v. 1. & cap. 12. v. 32. *Non addatis verbum, quod præcipio tibi, hoc tantùm facito.* 5. Denique Soli Deo conſcientia eſt ſubjecta. Ergo nihil poteſtatis in eam ulli homini competit. Ergo nulla datur lex Eccleſiaſtica.

XIV. Error iſte, quem priore parte ſatis jam rejecimus, apud pleroſque Sectarios inde naſcitur, quod vel ex malitiâ vel ignorantiâ craſſa non diſtinguant inter dogmata Fidei & Morum, cum tamen inter hæc maxima ſit differentia; quippe fatemur, decretum ſeu articulum fidei ſemel legitimè concluſūm & promulgatum renovari & immutari non poſſe: ſecus ſe res habet in decreto morum ſeu conſtitutione Eccleſiaſtica. Nunquid lex data fuit Eccleſiaſtica Actor. 15. cum Apoſtoli imponerent Fidelibus v. g. ut abſtinerent ſe à ſuffocato & ſanguine. Ergo etiamnum Eccleſia legem ſtatuere poteſt Fideles omnes obligantem. Nec refert, aliqua hodie decreta Pontificia non obſervari, utpote antiquata, cum nec Apoſtolicum illud decretum adhuc vigeat; quis enim Prædicantium modò ſe abſtinet à botulo, coturnice, aut alia ave ſuffocata?

XV. Cæterùm ſi Eccleſia unum tale novum decretum ſtatuere potuit, plura etiam poterit. Atqui unum facere potuit divinum cultum concernens. Ergo &c. Major patet. Minor probatur ex obſervatione Feſti Paſchalis, quod in Sac. Scriptura non præcipitur; ceremoniæ enim Agni Paſchalis, cujus in Veteri Teſtamento fit mentio, ad ſolos Judæos ſpectant, ut omnes fatentur. Similis Eccleſiaſtica conſtituto eſt de Sac. Euchariſtia à jejuno ſumenda, ubi enim habetur in Scriptura? hanc autem (par eſt ratio de alijs) obligare, pulchrè tradit S. Auguſtinus epiſt. 118. ad Jan. cap. 6. ſic ſcribens: *liquidò apparet, quando primùm acceperunt Diſcipuli Domini corpus & ſanguinem, eos non accepiſſe jejunos. Nunquid tamen calumniandum univerſæ Eccleſia, quod à jejunis ſemper accipiatur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Ecce S. Auguſtinus docet, jejunium ante Sac. Communionem ab Apoſtolis provenire, hanc conſuetudinem obſervari per univerſum orbem, utique tanquam legem in conſcientia obligantem; ſi enim conſuetudines & leges Magiſtratûs ſæcularis in conſcientia obſervare tenemur, cur non etiam Eccleſiaſtici?

XVI. Reſpon. ad 1. probationem. Mandata hominum in Sac. Scriptura vocari non quælibet hominum præcepta, ſed ſolùm, quæ omnino ſunt humana, ita ut nec Deo inſpirante, nec jubente, aut ejus authoritate fuerint data, quorum alia ſunt contraria mandatis divinis, alia prorſus inutilia & vana; atque de his mere humanis loquitur Dominus, ut teſtatur Irenæus Lib. 4. cap. 25. & 26. exponens citata Iſajæ & Matth. verba. Quoad illa Matth. ult. *docentes, quæ mandavi vobis.* Gloſſa hæc Lutherano-Calvinica contradicit ipſis, &

 ſenſu

ſenſui Domini. Nunquid enim inter illa, quæ Apoſtoli Gentibus prædicare debebant, erat & iſtud Actor. 16. v. 4. *Ut præcepta Apoſtolorum & Seniorum cuſtodirent?* Nunquid Paulus ipſe prædictam legem Apoſtolicam de ſuffocato & ſanguine (nec divinam nec naturalem) promulgaſſe legitur in Actis loc. cit. Ad 2. negando conſequentiam. Quia ex his Apoſtoli verbis loc. cit. (*ubi Spiritus, ibi libertas: eſtis filij Liberæ, quâ libertate nos Chriſtus liberavit: Nolite jugo ſervitutis iterum gravari*) nulla eſt illatio: Ergo non tenemur obedire mandatis Eccleſiæ. Nam libertas Chriſtiana conſiſtit in libertate à ſervitute peccati, legis ceremonialis, & judicialis: non verò ab obedientia Prælatorum, ut communiter & bene advertunt Doctores Catholici. Ad 3. iterum negando conſequentiam. Nam cæremoniæ illæ veteris Teſtamenti fuerunt figuræ Novi: ac proinde reipsâ præſente, ceſſare debuerunt ex iſta ratione; eſto præter hanc, uti bene notat S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 2. ad 2. ob cultum divinum, qui pro illo tempore erat obſervandus, habuerint rationem litteralem ſive ad vitandam idololatriam, ſive ad beneficia DEI memoranda, ſive ad inſinuandam excellentiam DEI.

XVII. De reliquo falſum eſt, quod fingunt Novatores, nos liberatos fuiſſe à legibus Moyſis propter earum multitudinem & difficultatem: & his leges Pontificias eſſe plures ac difficiliores; cur enim illæ expiraverint recens diximus. Quoad multitudinem; erant earundem, quæ omnes Judæos obligabant, plurimæ præſertim de purificationibus, ſacrificijs, oblationibus, delectu ciborum. At Eccleſiaſticæ, quæ quidem omnes Chriſtianos obligant, vix ſunt 4. aut 5. nempe de ſervandis Feſtis, jejunijs, confeſſione annua, & communione in Paſchate; reliquæ omnes leges, quæ continentur in Jure Canonico vel non ſunt propriè dictæ leges, quæ obligent in conſcientia, ſed piæ tantùm conſtitutiones, quæ nos dirigunt: vel certè non pertinent ad omnes, ſed ad paucos, ac nominatim ad eos, qui cupiunt ad ſacros Ordines promoveri. Similiter quod attinet ad gravitatem; multò ſeveriores erant Moyſaicæ, quàm ſint noſtræ Eccleſiaſticæ; etenim noſtræ, quæ obligant omnes, nihil aliud ſunt, quàm determinationes quædam legum divinarum, & nullam moleſtiam aut difficultatem illis ſuperaddunt; quippe leges divinæ obligant nos, ut aliquando communicemus, jejunemus, confiteamur, ab opere ſervili abſtineamus: at Eccleſia determinat tempus, quo illa præſtanda ſint. Non obſtat D. Auguſtinus epiſt. 119. ad Januar. conquerens, tolerabiliorem fuiſſe conditionem Judæorum, quàm modò ſit Chriſtianorum. Quia reijcit ſolùm abuſus quoſdam, qui contra communem Eccleſiæ conſuetudinem in quibuſdam locis irrepſerunt, ut patet ex ipſius verbis in cit. epiſt. ubi diſertè admittit ſtatuta Epiſcoporum ob conſuetudinem Eccleſiæ.

XVIII. Ad 4. DEUM ibi loqui de præceptis Cæremonialibus & Judicialibus à ſe datis, & prohibere Judæos, ne aliquid addant ex ritu Gentilium, inter quos vixerunt in Ægypto, & deinde victuri erant in Palæſtina. Patet hoc manifeſtè ex cap. 12. circa finem, ubi à v. 29. dicitur: *Quando diſperdiderit Dominus DEUS tuus ante faciem tuam Gentes, ad quas ingrederis poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave ne imiteris illas, poſtquam te fuerint introeunte ſubverſa, & requiras Cæremonias earum dicens, ſicut coluerunt Gentes iſtæ DEOS ſuos, ita & ego colam.* Objectio hanc vim habet: Judæi in Veteri Teſtamento non potuerunt imitari in ſuis cæremonijs & ſacrificijs ritum Gentilium. Ergo Prælati Eccleſiæ non poſſunt condere leges. Quis autem non videt, elumbem hunc eſſe argumentandi modum; quomodo enim aliàs Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano condere potuiſſent legem de Sanguine & ſuffocato, cujus paulò ſupra meminimus? Ad 5. denique & ultimam probationem, negando poſteriorem conſequentiam. Nam vim iſtam leges humanæ non habent ex ſe, ſed ex vi & juſſu DEI. Unde cum Apoſtolus ad Romanos 13. ſupra cit. præcepiſſet, ut obediret etiam propter conſcientiam omnis anima ſublimioribus poteſtatibus, de hoc mandato iteratò dixit v. 4. *DEI enim Miniſter eſt*; adeóque in obligandis per leges conſcientijs vice DEI fungitur. Ex quo apparet, quàm ſtraminea ſit hæc Hæreticorum illatio ex illo 1. Cor. 7. v. 23. *Nolite fieri ſervi hominum.* Ergo non obligemini legibus humanis vice DEI latis.

XIX. Urgent Sectarij. Conſcientia ad forum DEI pertinet, qui ſolus ſcrutatur corda & damnare poteſt. Ergo ſolus etiam DEUS ad talem pænam æternæ mortis obligare poteſt. Reſp. conſcientiam uno modo pertinere ad forum ſolius DEI, qui ſolus videt conſcientias, & de actibus internis judicat: altero non ſpectat ad forum ſolius DEI, ſed etiam hominum; quatenus ſcil. homo ex præcepto ita obligatur ad opus externum faciendum, ut ſi non faciat, judicet ipſemet in conſcientia ſua, malè ſe facere. Atque hoc ſufficit ad Conſcientiam obligandam, ut rectè Bellarminus L. 4. de Rom. Pontif. c. 20. Ineptè autem contra iſtud fingit Ameſius, obligationem in conſcientia involuere etiam, ut obligans alium videat conſcientiam hujus, ſcrutetur renes & cor, judicet de internis, & pœnam æternam infligere poſſit. Quis enim unquam Theologorum ante iſtos Novatores ita definivit obligationem in conſcientia? aut quis unquam aliud ad hanc obligationem in conſcientia requiſivit, quàm reddere alicui actionem aut omiſſionem illicitam? quod Superior præcepto ſuo facit reſpectu ſubditi; illius enim judicium & voluntas eſt hujus regula, ita ut ſi ab ea recedat, ſe peccare advertat; peccatum quippe nihil aliud eſt, quàm regulæ tranſgreſſio, ut ex S. Auguſtino docent S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. & communiter Theologi, éſtque notum apud omnes.

XX. *Error ſecundus* eſt Henrici VIII & Eliſabethæ Regum Angliæ, aſſerentium poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe apud Reges: & quemlibet Regem eſſe Papam in regno ſuo: ac Summum Pontificem in terris habere poteſtatem ſpiritualem in temporaliter ſolùm ſibi ſubjectos, de quo fusè ſcribit Piccardus Harris in Concordia Anglicana de Eccleſiæ Regim. Solet autem diſtingui triplex Poteſtas Eccleſiaſtica. 1. Ordinis ad Sacramenta conficienta. 2. Actionis interioris ad regendum populum in foro conſcientiæ, abſolvendo vel ligando. 3. Juriſdictionis exterioris ad eundem populum regendum in foro exteriore, convocando Synodum, atque in ea præſidendo, Miniſtros Eccleſiæ conſtituendo, controverſias quaslibet Fidei & Religionis decidendo, beneficia conferendo &c. Atque de hac tertia poteſtate impræſentiarum ſolùm eſt quæſtio; priores enim duas nemo Regum

Digitized by Google

gum ac Principum affectat. Sectarij moderni proteſtantur quidem, ſe nullum hominem in toto mundo habere pro ſupremo Eccleſiæ Capite, ſed hoc eſſe ſolum Chriſtum JESUM, attamen reipsâ ſuos Principes & Magiſtratus ſæculares pro ſupremis ſuarum Eccleſiarum Capitibus agnoſcunt, licet nomine Primatûs non utantur. Nam 1. tantam illis poteſtatem concedunt ſuper Eccleſiaſticos, & in rebus Eccleſiaſticis, quantam ſuper ſæculares, 2. poteſtatem tam Ordinis, quàm juriſdictionis Miniſtri Eccleſiæ accipiunt à Principibus ſæcularibus, ut expreſsè tradit celeberrimus illorum Juriſta Matthæus Stephani lib. 3. de Jurisd. c. 15. num. 1. 3. Principes, qui Primatum Eccleſiæ, ut in Anglia, uſurpant, non ſibi vendicant immediatum miniſterium Verbi & Sacramentorum, ſed duntaxat juriſdictionem ad populum regendum in foro exteriori, de qua pauló ante diximus. 4. hanc affectatam poteſtatem in Principibus Sæcularibus reprehendunt Sancti Patres, ut in priori parte vidimus, affirmando, illam non Magiſtratibus ſæcularibus, ſed Eccleſiaſtico Capiti Eccleſiæ convenire.

XXI. Argumenta etiam utraque pars pro ſe fere eadem afferunt. 1. In lege Veteri poteſtas ſacerdotalis erat ſubjecta Regali. Ergo etiam in lege Nova, cum eadem ſit ratio, & ex hiſtorijs conſtet, Papam aliquando ab Imperatore fuiſſe depoſitum. 2. Deut. 17. v. 18. præcipit DEUS, *ut Rex legem DEI ſecum habeat, legátque illud omnibus diebus vitæ ſuæ.* unde & Paulus Rom. 15. v. 4: *quæcunque ſcripta ſunt*, inquit, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* 3. David 1. Paralip. c. 23. Senex jam Concilium convocat, & de Arca DEI diſponit 2. Reg. 6. v. 2. 4. Salomon 3. Reg. 2. v. 27. deponit Abiathar, & loco illius creavit Sadoch. 5. Joſaphat 2. Paralip. c. 19. v. 8. in Jeruſalem conſtituit levitas & Sacerdotes. Similem poteſtatem in Miniſtros & Res Eccleſiaſticas exercent Ezechias 4. Reg. c. 18. Et Joſias ibid. c. 22. & 23. 6. Magiſtratus ſæculares vi dignitatis ac poteſtatis ſuæ diſponere de omni bono Subditorum valent, nec inde vel juribus Epiſcopalibus quidquam demitur, vel unitas Eccleſiæ diſcinditur. 7. Hadrianus Papa conceſſit Carolo Magno poteſtatem eligendi Papam Decret. p. 1. diſt. 63. cap. 22. Conſtantinus controverſias inter Donatum & Cæcilianum Papæ Melchiadi commiſit componendas, & tandem ipſe in cauſa Felicis judicium tulit; Auguſt. in opere brevi. collat. 3. epiſt. 48. Similia referuntur à Scriptoribus de Theodoſio, Marciano, Leone, Honorio &c.

XXII. Errorem hunc latè in priore parte rejecimus. Et nec Rex Angliæ, nec alij Principes & Magiſtratus ſæculares ullo jure, ratione, præſcriſcriptione ac titulo oſtendere poſſunt, talem Primatum in Eccleſiam & Poteſtatem in Perſonas & res Eccleſiaſticas ſibi convenire: ſuntque injurij ſtatui Eccleſiaſtico omnes Scriptores & Prædicantes, qui ſimilem Superioritatem in Eccleſiam & Religionem Regibus & Principibus Sæcularibus attribuunt & in illis agnoſcunt. Officium iſtorum Regum & Principum eſt, Eccleſiam & Religionem tueri ac defendere, quod facere debent non ut Domini, ſed ut Miniſtri, non ut Judices, ſed ut Executores. Hoc olim fecerunt Chriſtiani Principes: hoc verbis teſtati ſunt. Carolus Magnus ut alios taceam apud Sigonium lib. 4. de Regno Italiæ, ſic ait: *Si Eccleſiarum ſervis magnificentiam noſtram impertimus, eorúmque ſtudijs libenter obſequimur, id nobis ad auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus*; ſi, inquit, obſequimur Eccleſiarum ſervis. Obſequium offert: non Primatum aut Poteſtatem ſibi arrogat. Vult eſſe Miniſter in defenſionem Eccleſiæ, non Dominus. Idem Carolus cùm à Leone Papa coronam Imperij recepit, hâc formulâ juris jurandi uſus eſt. *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor ego N. Imperator, coram DEO & B. Petro Apoſtolo, me Protectorem ac Defenſorem fore hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio: prout ſcivero poteróque.* Sigonius loc. cit. Hocipſum pridem uſu receptum in Francia, Hiſpania, Polonia, Hungaria, ut ſimili juramento ſe obſtringant Reges & nominatim promittant, Eccleſiæ ac Religionis ſe defenſores futuros, ejúſque Prælatis reverentiam & ſubjectionem præſtituros. Neque hoc quicquam ipſorum Majeſtaſti derogat, imò perquam honorificum eſt. Unde præclare ait S. Ambroſius epiſt. 32. ad Valentinianum Juniorem: *quid eſt honorificentius, quàm ut Imperator dicatur Filius Eccleſiæ? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt &c.*

XXIII. Reſpon. *ad 1. argumentum in oppoſitum* negando conſequentiam, quidquid ſit de Antecedente. Nam cum veteris legis promiſſiones eſſent temporales, in illa poteſtas temporalis præeminebat, & nuncupabatur regnum tunc Sacerdotale: modò autem, quia ob contrariam rationem præeminet Sacerdotium, vocatur iſtud 1. Pet. 2. v. 9. *Sacerdotium Regale*, ut notat S. Hieronymus epiſt. 5. contra Pelag. Et Epiſt. 1. ad Dardanum. Cæterùm in lege etiam veteri Rex non ita fuit Superior Sacerdote, quaſi hujus munera exercere poſſet, ſed quod Pontifex in Politicis & criminalibus eſſet ſubjectus Regi; unde Rex Joſaphat 2. Paralip. c. 19. v. 11. præcipit: *Amarias Sacerdos & Pontifex in omnibus, quæ ad DEUM pertinent, præſidebit.* Dixi quidquid ſit de Antecedente. Nam ſunt, qui velint in veteri quoq; lege poteſtatem regiam Sacerdotali fuiſſe ſubjectam, tum quia Levitici 4. v. 3. præcipitur offerri pro Sacerdote victima nobilior quàm pro Rege. tum quia Num. 27. v. 21. ad Pontificis verbum tam populus, quàm Princeps egredi præcipitur; ut accurratè advertit Philo lib. de Victimis. Unde ajunt iſti, injuſtè Papam fuiſſe ab Imperatore depoſitum, ſi fides hiſtorijs detur. Ad ea, quæ ex Scriptura de Salomone, Joſaphat & & alijs objiciuntur, eodem fere modo reſpondent, quo nos mox reſpondebimus. Interim non negandum, contrariam ſententiam, quod non ſolùm in lege Naturæ, ſed etiam in Moyſaica poteſtas Sacerdotalis fuerit ſubjecta Regali, eſſe communiorem, quam defendunt S. Thomas opuſc. de Regim. Princ. lib. 1. c. 14. Abulenſis in 3. Regum. q. 18. Salas 1. 2. Diſp. 8. de Leg. Sect. 22. & alij.

XXIV. Ad 2. ex Deuter. 17. nihil inde probari; nunquid hæretici volunt, ut omnes Biblia legant ac ſecum habeant, ſequitur ne inde, omnibus convenire poteſtatem in Eccleſiam & Religionem? minimè. cur igitur Regi? Adhæc Lex antiqua, excepto decalogo, fuit antiquata, ut ſupra jam diximus. Paulus ad Rom. 15. ait quidem, *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe:* at verò non dicit, omnia, quæ in Veteri Teſtamento ſcripta ſunt, adhuc in Novo locum habere; aliàs Sectarij circumciſionem unà cum omnibus ceremonialibus & judicialibus admittere deberent.

XXV. Ad 3. Davidem convocaſſe quidem omnes Principes in Iſrael etiam Sacerdotes & Levitas, ut videre eſt 1. Paralip. c. 23. & 29. Sed nec iſta nec illa convocatio dici poteſt Concilium; quia de rebus Fidei & Religionis nihil in eis fuit propoſitum & decretum. Nec etiam Principes Iſrael, Duces Tribuum, & Præpoſiti turmarum, qui ibidem præſentes fuerunt, ad Concilium ſpectant.

XXVI. Ad 4. Salomonem 3. Regum c. 2. v. 27. non ut Regem, ſed ut Prophetam & Executorem divinæ Juſtitiæ Abiatharem exauthoraſſe, ac in locum ejus Sadoc exaltaſſe, uti colligunt Doctores ex eo, quod ibidem v. 27. dicat Scriptura: *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo*, nempe propter peccata filiorum ejus 1. Reg. 2. v. 31.

XXVII. Ad 5. Joſaphatum 2. Paralip. cap. 19. conſtituendo in Jeruſalem Levitas & Sacerdotes: ſicuti etiam Davidem Paralip. c. 23. cit. inter Levitas miniſteria diſtribuendo aliud non feciſſe, quàm modò faciunt Reges & Principes Catholici, quando pro Beneficijs certas Perſonas nominant, aut pro Aulæ Concionatore, Capellano, Confeſſario ſecundùm beneplacita ſua hos aut illos Eccleſiaſticos eligunt, ex quo nulla poteſtas in Eccleſiam & Religionem prætenditur, aut convincitur. Idem de Ezechia, & Joſia, atque alijs Regibus Veteris Teſtamenti ſentiendum. Nam Tribus Levi fuit electa à DEO ad ejus & Templi ſervitium; nec etiam Reges unquam, ſed Summi Pontifices conſecrârunt Sacerdotes.

XXVIII. Ad 6. falſum eſſe; Principes ſæculares de omni bono Subditorum diſponere poſſe non ſolùm in temporalibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis; cum illorum poteſtas merè ſæcularis ſit, & ad Eccleſiaſtica non ſe extendat. Abſque ullo etiam fundamento veritatis dicitur, per ſæcularis Magiſtratûs poteſtatem nihil derogari juribus Epiſcopalibus; etenim inprimis perit Eccleſiaſtis debitus reſpectus, dum á Magiſtratu ſæculari citantur, & divinâ poteſtate præditi ab humana judicantur, quod perinde abſurdum, ac ſi filij parentum ſuorum ſint Judices. deinde perit magiſterium in rebus fidei, dum Magiſtratus ſæcularis concilia convocat, in ijs præſidet, & etiam decernit, quæ veræ Religioni ſint conformia, quæ non ſint. demum ſubtrahuntur media paſcendi oves; condendi ſalutares leges, quibus deviantes in viam rectam reducantur, diſpenſandi in gradibus matrimonialibus &c. cum pleraque à ſæcularibus Magiſtratibus dependeant. Eccleſiæ unitati non adverſantur Eccleſiæ particulares, ſi omnes iſtæ dependeant ab eodem Capite Eccleſiaſtico & ſupremo. Verùm ſi ſingulæ particulares ſingulis & diverſis Capitibus pareant, quorum nullum alteri eſt ſubjectum, & hujus judicium in rebus Religionis agnoſcit, quomodo Eccleſiæ Unitas non eſt ſublata? Cæterùm veriſſimum eſt, defenſionem Eccleſiæ ab Ethnicis etiam Principibus haberi, ſed iſti inde non ſunt Capita Eccleſiæ, nec in hanc poteſtatem habent, de quo ſolo impræſentiarum lis eſt.

XXIX. Ad 7. denique argumentum, ſi Hadrianus Papa facultatem conceſſit Carolo M. eligendi Papam, hoc ipſo Carolus non habuit illam vi Cæſareæ ſuæ Authoritatis & Sæcularis poteſtatis. Unde argumentũ iſtud evidenter contrariatur Adverſarijs. Dixi. Si conceſſit. Nam Card. Barronius An. Chriſti 774. ſatis oſtendit: Gretſerus autem in Apologia fusè demonſtrat, Hadrianum Carolo prædictam facultatem non conceſſiſſe, ſed Gratianum à Sigeberto (qui poſt 300. annos primus iſtud de Hadriano ſcripſit) decipi ſe permiſiſſe. Videatur Nicolaus Schalen in lib. recèns edito, cujus titulus: Carolus M. Roman. Imperator. lib. 2. cap. 7. fol. 246. Conſtantinum controverſiam Cæciliani commiſiſſe Melchiadi, & hujus Collegis componendam: atque ipſum in negotio Felicis Aptungitani tandem judicium tuliſſe; concedimus: negamus verò, Conſtantinum inde poteſtatem ſibi in Eccleſiam & Religionem arrogaſſe. tum quia ægrè tulit, Donatiſtas ad ſe appellaſſe, unde exclamavit: *ô valida furoris audacia! ſicuti in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*, ut refert Optat. L. 1. contra Parmen. tum quia in negotia hæc ſolùm ſe immiſcuit, ut Donatiſtas compeſceret, qui judicium Melchiadis Papæ & aliorum Epiſcoporum acceptare recuſaverunt, ut ait Auguſtin. epiſt. 162. qui Eccleſiaſticam poteſtatem & mentem Conſtantini utique melius novit, quàm Adverſarij. Cæterùm Conſtantinus in Concilio Nicæno luculenter oſtendit, nullam ſibi eſſe poteſtatem in Perſonas & res Eccleſiaſticas, dum in illo Epiſcopos judicare noluit: *DEUS*, inquit, *vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideo Nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari*. Ita de ipſo ſcribunt Ruffinus Lib. 1. cap. 1. & Sozomenus L. 1. c. 16. Non minùs alij Imperatores Theodoſius, Marcianus, Leo, Honorius, Valentinianus, Juſtinianus certè ac ſemper ſibi perſuaſerunt, nullum ſe in Eccleſiam ac Religionem habere poteſtatem: nec exhibere Adverſarij poſſunt hiſtoricos, qui aliud de ipſis cum fundamento veritatis ſcribant.

XXX. *Error tertius* eſt communis fere Hæreticorum hujus temporis, Eccleſiaſticam poteſtatem & Politicam conjungi in Pontifice & Epiſcopis, exercerique non poſſe: Ita Calviniani apud Ameſium Tom. 1. à fol. 238. Et ex Lutheranis Gerhard. L. 2. P. 1. fol. 656. Tob. Wagner in cenſuris motivorum Doct. Chriſtoph. Beſoldi à fol. 145. Moventur maximè his Sac. Scripturæ fundamentis. 1. Matth. 20. v. 25. cum Chriſtus dixiſſet diſcipulis ſuis: *Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui Majores ſunt, poteſtatem exercent in eos*, mox vers. ſequenti addit: *non ita erit inter vos &c.* 2. Luc. 12. v. 14. ubi Chriſtus rogatus, ut hæreditatem inter Fratres divideret, reſpondit: *homo, quis me conſtituit Judicem aut Diviſorem ſuper vos.* Et Actor. 6. v. 2. ubi Apoſtoli ajunt: *non eſt æquum nos relinquere Verbum DEI, & miniſtrare menſis.* 3. ex 2. Tim. 2. v. 4. ubi ſic loquitur Paulus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*; quæ verba, inquit Ameſius fol. 247. dicuntur Epiſcopis; ſubſumit: At non poteſt Princeps non implicare ſe negotijs ſæcularibus. Tobias Wagner ex allatis textibus præſertim Matthæi 20. & Luc. 22. v. 25. infert, conjunctionem poteſtatis Eccleſiaſticæ & Politicæ in Papa & Epiſcopis eſſe contra jus divinum, eſſe confuſionem Babylonicam, eſſe immiſcibilia &c. 4. Conſtantini Magni donationem eſſe prorſus incertam, cum etiam Cardin. Baronius fateatur, inſtrumentum hujus donationis eſſe falſum & commentitium. Verba illius refert Gerhardus loc. cit. folio 713.

XXXI. Er-

Digitized by Google

XXXI. Error iſte hodie non malè dici poteſt proprius Puritanorum, hoc eſt, qui Calvinum ſtrictè ſequentes Principatum Eccleſiaſticum unà cum Politico funditus uolunt ſublatum; quos Puritanos (qualis etiam eſt Ameſius) Anglo-Papiſtæ inter paucos annos integris libris oppugnârunt; & ex Sac. Litteris & Patribus Principatum Eccleſiaſticum cum Politico cohærere aſſeruerunt, quod nominatim Henricus Hammondus juſtò volumine contra Blondellum Gallum præſtitit. Lutherani in Apologiâ in art. de poteſt. Eccles. aliud non habent, quàm Epiſcopos non habere poteſtatem gladij ex Evangelio, ſed ex jure humano ab Imperatoribus & Regibus donatam; quod nullo verbo reprehenditur, imò ait Apologia, Evangelicos ſæpe teſtari; quod Imperatorum ac Principum donationes non reprehendant, quod tamen utique reprehenſione dignum foret, nempe quòd Imperatores & Reges donationibus tot Epiſcopos ad Principum dignitates extulerint, ſi Eccleſiaſtica & Sæcularis poteſtas jure divino eſſent immiſcibilia aut ſimul cohærere non poſſent, ut Tob. Wagner loc. cit. Meno Hanneckenius in Irenico Catholico-Evangelico fol. 278. & nonnulli Lutherani ſibi imaginantur.

XXXII. Reſpon. ad 1. Chriſtum Dominum eo loco ſolùm inſtituiſſe meros Principes Eccleſiaſticos, docuiſſéque, debere eos, ut tales ſunt, præeſſe ſubditis non more Regum ac Dominorum, ſed more Patrum & Paſtorum; unde haud ſequitur, non poſſe unum eundemque eſſe Epiſcopum & Principem, ut præter Catholicos hunc locum etiam exponunt Luthero-Calviniſtæ contra Puritanos. Ad 2. utróque loco moneri Epiſcopos & Clerum, ne minutis & vilibus officijs ita occupentur, ut omittere majora cogantur; uti Iethro ſuaſit Moyſi Exodi 18. & S. Bernardus lib. 1. conſiderat. ad Eugenium hortans Papam, ut judicia rerum temporalium alijs dimittat, quem tamen ſciebat, jam tunc Principem quoque temporalem fuiſſe. Ad 3. Apoſtolum non prohibere regimen politicum, ſed nimiam ſollicitudinem circa vitam temporalem; etenim per negotia ſæcularia intelliguntur mundana, v. g. cura victûs &c. ut ex S. Chryſoſtom. Theophyl. & alijs notat Tirinus in cit. locum. Quare in Papatu nulla eſt confuſio Babylonica, dum Papæ & Epiſcopis uterque gladius vindicatur; quippe hæc immiſcibilia non ſunt: nec rationi repugnat, unum, qui poteſtatem in majora & ſuperiora habet, eandem ſibi vendicare in minora ac inferiora; ſed ex eo naſcitur confuſio, ſi naturâ inferior & ſæcularis poteſtas ſe ſupra altiorem extollat, & Perſonas réſque Eccleſiaſticas ſibi habeat ſubjectas, uti apud Sectarios fieri amat, & Principes Sæculares in Spiritualia æquè ac temporalia poteſtatem habent; hanc Babyloniçam eſſe confuſionem fatetur Luther in concione, quam Domin. Trinit. 1537. Witenbergæ habuit, cujus tamen confuſionis ſuâ ipſe apoſtaſiâ author fuit. Ad 4. Conſtantini M. donationes Eccleſiæ Romanæ factas luculentis rationibus demonſtrat Gretſerus in Append. 1. commentarioli de Imperat. Reg. ac Principum munificentia in Sedem Apoſtol. In examine myſterij Pleſſeani c. 10. Et in Apologia pro Card. Baronio c. 21. Nam loquitur iſte ſolùm de inſtrumento Donationis, ut hodie circumfertur; aliàs eandem donationem Conſtantini efficacibus etiã argumentis oſtendit ad A. C. 324. n. 117.

CONTROVERS. XXXV.

DE ANTICHRISTO. AN ISTE ſit Papa.

I.

Indignum jure videri poſſit Catholico Doctore, Diſputationibus de prærogativis ac poteſtate Summi Pontificis, de quibus hactenus egimus, admiſcere quæſtionem de Antichriſtò, num iſte ſit Romanus Pontifex, idémque homo exiſtat filius perditionis, & DEI in terris Vicarius? Sed ad quid non cogit diabolica ſempérque Apoſtolicæ Sedi infeſta hæreſis? quæ impiè dicere & ſcribere audet, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum ſacrilegè ad hoc aſſerendum Sacrâ Scripturâ, & Vaticinijs Prophetarum abuſa, præſertim Ezechielis cap. 39. Danielis cap. 7. & 11. Matth. c. 24. Pauli 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. Joannis Epiſt. 1. cap. 2. & 4. atque Apocaly. c. 13. 19. & 20. ubi multa valde obſcura de Antichriſto tanguntur. Agunt hac de re fuſiſſimè ex Italis Card. Bellarminus lib. 3. de Rom. Pontifice per capita 24. Ex Gallis Florimundus Remondus integro volumine. Ex Germanis noſtris præter alios hæreticorum malleus ille Jacobus Gretſerus libro itidem integro, qui eſt tertius Defenſionis Bellarmini tomo ſecundo, ubi hæc ejuſdem eſt cenſura meritiſſima contra hæreticos Papa-Maſtiges. *Tametſi Novatores*, inquit, *in omnibus controverſijs, quæ nobis cum ipſis intercedunt, petulantiâ, mendacijs convitijs, & contumelijs inſigniter inſtructi in aciem prodeant, in hac tamen de Antichriſto diſceptatione ſeipſos longo intervallo ſuperant, & ut, quod volunt, obtineant, nempe Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, nullius eos pſeudologia ſive mendacij, nullius loidoriæ ſive maledicti, nullius antilogiæ ſive contradictionis, nulliuſque depravationis & corruptelæ pudet, ita ut, cum alibi Scribas, hic Mænadas agere videantur.*

II. Prius autem quàm ad aliqua particularia deſcendamus, generatim advertendum, quemadmodum vox Chriſti in ſacris litteris dupliciter ſumitur 1. pro quolibet Propheta, uti Pſal. 104. v. 15. *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* 2. ſtrictiùs pro Principe Prophetarum Meſſia. Ita nomen Antichriſti bifariam uſurpari 1. latè pro omni falſo Doctore, qui doctrinam Chriſto repugnantem ſpargit; quo ſenſu dicitur Joan. 2. v. 18. *Nunc Antichriſti multi ſunt*, id eſt, hæretici multi de Chriſto malè ſentientes. 2. ſtrictè per antonomaſiam pro inſigni quodam Adverſario Chriſti, qui non ſolùm ejuſdem doctrinæ adverſatur, ſed etiam illius officium ſibi vendicat; atque ipſum vocabit impoſtorem, ſe autem Meſſiam jactabit, quem hæretici diſtinctionis causâ Magnum Antichriſtum appellant, eúmque eſſe Romanum Pontificem affirmant. Pro hac igitur immani calumnia tam breviter quàm ſolidè refutanda tria enucleatè expendemus. 1. Utrum Magnus Antichriſtus ſit unus homo ſingularis, an plurium hominum colluvies. 2. quas Notas tradat Sac. Scriptura ad dignoſcendum hunc Antichriſtum. 3. An hæ notæ Romanis Pontificibus conveniant.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

III. **D**Octrina prima. Magnus Antichriſtus eſt unus ſingularis homo. Ita Catholici Doctores omnes, & pro articulo fidei tenent; ut teſtatur Cornelius à Lapide in 2. ad Theſſal. 2. Probatur 1. ex Sacra Scriptura, quæ Antichriſtum ſingulari numerô & præpoſito articulo deſcribit ad ſignificandam unius hominis ſingularitatem. Ut autem huic argumento ſua ſit vis & robur, non ita id nudè proponimus; alioquin nonnullis inſtantijs everteretur, cum ſæpe homina ſingularia per Synechdochen multos ſignificent, ut Turca, Diabolus &c. etiam præpoſito articulo, ut 1. Joan. 4. v. 2. Sic igitur formamus. Nomina ſingularia propriè ſumpta ſignificant unum individuum, præſertim ſi in græco articulus apponatur. Sed Antichriſtus eſt nomen ſingulare appoſito articulo & quidem propriè ſumptum. Ergo ſignificat unum individuum. Major conſtat non ſolùm ex Grammatica, ſed etiam ex Dialectica, ubi nomina ſingularia indefinitè poſita de deſcenſu ad unum individuum declinari ſolent v. g. homo currit, idem eſt, ac hic, ille &c. Minor probatur aliquot locis Sac. Scripturæ inferiùs citandis, maximè ex 2. Theſſal. 2. v. 3. *Niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne, quod dicitur* DEUS. Et v. 8. *tum revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris ſui.* In græcô: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, ὁ ἄνομος. quaſi ad verbum dicas: ille homo peccati, ille filius perditionis, ille adverſarius, ille iniquus. Quæ propriè accipienda eſſe, docet communis regula Interpretum, quod verba Scripturæ propriè accipienda ſint, quamdiu ſine abſurdo queunt; hic autem nullum ſequitur abſurdum, ſi nomen Antichriſti propriè pro uno ſingulari homine ſumatur.

IV. Probatur 2. Talis erit Antichriſtus, qualem Judæi exſpectant, & pro Meſſia recipient, teſte Chriſto Joan. 5. v. 43. *Ego venio in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Sed Judæi non exſpectant, nec recipient, niſi unum hominem ſingularem. Ergo Antichriſtus erit homo ſingularis; aliàs enim Chriſtus non dixiſſet, alius veniet, ſed alij venient. Probatur 3. Antichriſtus regnabit tantùm tribus annis & dimidio, ut infra videbimus; unde Auguſtinus L. 20. de civitate DEI cap. 23. *Antichriſti*, inquit, *adverſus Eccleſiam ſæviſſimum regnum, ſed exiguo temporis Spatio ſuſtinendum, donec DEI ultimo judicio regnum Sancti accipiant ſempiternum; qui vel dormitans hæc (quæ habentur Danielis) legit, dubitare non ſinitur.* Ergo erit unicus homo; etenim multitudini Regum ſibi ſuccedentium tam breve tempus non ſufficeret, ut nimis manifeſtum eſt. Probatur denique 4. authoritate Patrum, qui vaticinia Prophetarum de venturo Antichriſto de unico ſingulari homine accipiunt, ut oſtendit Bellarminus L. 3. de Rom. pontif. c. 6. Sufficit nobis S. Hieronymus in cap. 7. Danielis ſic ſcribens: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, ſurrecturum eſſe unum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus eſt corporaliter.* Quis autem credat, tot ac tam prudentes ac doctos viros tot ſæculis in hac re ſemper fuiſſe hallucinatos, nec DEUM ulli eorum rem tanti momenti revelaſſe, unde pendet ſalus æterna, ne quis ab Antichriſto ſeducatur: hoc autem myſterium reſervaſſe noviſſimis Prædicantibus impuris, ebrioſis, flagitioſis &c?

V. *Doctrina ſecunda.* Idem Antichriſtus magnus nondum venit in hunc mundum. Ita quoque omnes Catholici Doctores, idémque unanimiter Patres & veteres Scriptores Eccleſiaſticos ſenſiſſe, patet ex verbis S. Hieronymi in fine prioris §. allatis. Probatur 1. Antichriſtus non veniet, niſi prius everſum & deſolatum fuerit Romanum Imperium, ut paſſim tradunt antiqui Patres Græci & Latini, idque ex diverſis S. Scripturæ locis confirmant; ac nominatim in hunc ſenſum Cornelius à Lapide, & alij S. Scripturæ Interpretes apud Bellarmin. cap. 5. explicant primam partem epiſtolæ D. Pauli 2. ad Theſſal. cap. 2. uſque ad verſ. 8. incluſivè; quorum verborum de induſtria obſcuriſſimorum explanatio Catholica hæc eſt: Nolite terreri, & ne in errorem induci vos patiamini, ô mei Theſſalonicenſes, *v. 2. quaſi inſtet dies Domini*, hoc eſt, judicium extremum proximè immineat: *v. 3. quoniam niſi venerit diſceſſio* (ἀποστασία) ſcilicet defectio & rebellio illa celebris, in qua plurimæ gentes eouſque fideles ab Antichriſto ſeductæ tum ab Imperio Romano, tum ab Eccleſia deficient: *v. cit. & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c.* hoc eſt, niſi etiam Antichriſtus ipſe poſt hæc in mundo appareat, qui omnem præ ſe DEUM contemnet, & ipſe DEUS haberi volet, non adveniet extremi judicij dies. Equidem *v. 7. Myſterium iniquitatis jam operatur*, hoc eſt, Myſterium ſive Symbolum & figura illius Antichriſtianæ iniquitatis (nempe Simon Magus, ejúſque Aſſeclæ, & Imperatores Romani Claudius & Nero alijque illis ſimiles Tyranni, Infideles. Hæretici) figura, inquam, iſta jam hoc tempore operatur, & viam ſternit Antichriſto, cum hi dicti hæretici & Infideles eodem prorſus Spiritu agantur, quo agetur olim in exſcindendo Chriſtianiſmo Antichriſtus; iſte tamen, qui eſt res ipſa figurata, nondum comparet. *v. 6. Quid detineat, ſcitis*; hoc eſt, quid remoretur adventum judicij extremi, & ipſum quoque Antichriſtum noſtis; ſcilicet diſceſſio ſive generalis illa apoſtaſia nondum advenit v. 7. cit. *tantùm, ut qui tenet nunc, teneat,* hæc, inquam, diſceſſio & defectio illa omnimoda tantùm remoratur adventum judicij & Antichriſti, ut ex dictis noſſe poteſtis; debet enim prius imperium Romanum everti. Reſtat igitur, ut qui tenet hunc imperium illud, Claudius ſcil. & poſt eum Nero, Domitianus, Valerianus, Diocletianus, & qui iſtos in Imperio ſequentur, pergant illud tenere ſive obtinere, ibid. *donec de medio fiat.* id eſt, penitus tollatur Romanum ipſum Imperium, & evertatur, & tunc primùm advenient & Antichriſtus, & Chriſtus Judex atque Everſor Antichriſti. Jam ſub hac Majore ex ipſis fere verbis Jacobi Tirini deſumpta Subſumo. Atqui Imperium Romanum nondum eſt everſum & deſolatum, ſed manet adhuc ſucceſſio & nomen Imperatorum Romanorum

norum: & eum Romanum ſcil. Imperatorem, qui & Germaniæ Rex eſt, agnoverunt hactenus atque etiamnum agnoſcunt omnes Europæ Nationes, fruſtra hæreticis ac æmulis quibuſdam è pſeudopoliticorum fece occlamitantibus. Ergo &c. Non effugiunt Meno Hahneken in ſuo Irenico fol. 307. & alij ſectarij vim hujus argumenti, dicendo, de medio fieri, eſſe diminui, non verò deſtrui. Nam repugnat iſtud non ſolùm Sanctis Patribus, ſed etiam Grammaticis bonis, imò & Eraſmo, Bezæ atque alijs adverſæ partis, qui paulò emunctioris ſunt naris. Profectò qui diminutus eſt, tenet; at qui tenet, non eſt de medio ſublatus. Ergo qui diminutus eſt, non eſt de medio ſublatus.

VI. Probatur 2. Tempore Antichriſti venturi ſunt duo teſtes, qui *amicti ſacco* ſeu cilicio *prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, & habebunt poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum. & poteſtatem convertendi aquas in ſanguinem.* Apoc. 11. v. 3. Atqui iſti duo teſtes nondum venerunt. Ergo &c. Sectarij adventum iſtorum pro inani commento habent. Verùm nemo niſi impudens rabula commentum inane dixerit, quod ad nutum S. Scripturæ tradunt Patres, è quibus ſic loquitur Tertullianus juxta 5. cap. Genes. & 11. Apoc. cit. in lib. de Anima: *Tranſlatus eſt Enoch & Helias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcil. cæterùm morituri referuntur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* S. Ephrem de Antichriſto. Tom. 1. fol. 224. *Priuſquam cuncta iſta fiant, mittet miſericors DEUS Eliam Theſbyten & Enoch, qui palam populo prædicent, ne illi credant, audacter clamantes atque dicentes: Antichriſtus hic eſt, atque ſeductor.* Similia habent S. Ambroſius, Auguſtinus & alij relati in Papatu Catholico Tom. 1. à fol. 286. Sed dicent Adverſarij, ſi iſti duo teſtes non ſunt Elias & Enoch, qui alij putandi ſunt? Meno Hannekennius in cit. Irenico ſuo fol. 315. ſuaviſſimè ſe ſuóſque decipit fingendo, fore Prædicantes Lutheranos (Joannem Huſs, Martinum Lutherum & ſimiles intendit) ſaccis non externæ corporum mortificationis ſed interni animorum doloris amictos; decipit, inquam, ſe ſuóſque Meno hoc ſuavi figmento & ſacrilego Scripturæ abuſu. Nam Prædicantes Lutherani atque imprimis Huſs & Lutherus per falſam ſuam doctrinam & hæreſin, per odium & rancorem contra Papam, per contemptum Sacrorum & Eccleſiaſticorum, per carnalem vitam atque apertas ad omnem morum licentiam portas Antichriſto viam latè ſternunt, ac propterea multò rectiùs cenſendi ſunt prodromi Antichriſti futuri, quàm hujus jam præſentis Adverſarij.

VII. Probatur 3. Tempore Antichriſti erit tribulatio magna, qualis ab initio mundi non fuit uſque modò, neque fiet Matth. 24. v. 21. ita ut idcirco etiam *Satanas modico tempore dicatur ſolvendus* Apoc. 20. v. 3. & 7. Atqui tribulatio hæc nondum facta apparet. Nam punitio hæreticorum per Sacram Inquiſitionem non poteſt etiam collectivè ſumpta conferri cum una perſecutione vel Diocletiani, vel cujuſquam alterius Tyranni: Et vice-verſâ Calviniſtæ in Gallia & in Belgio intra 15. annos plures Catholicos horrendè cruciatos enecârunt, quàm ſacra Inquiſitio hæreticos combuſſerit fere per centum annos. Videri poteſt Libell. de perſecutione Anglicana. lib. de concertatione Eccleſiæ Catholicæ in Anglia. Theatrum Calviniſticæ crudelitatis. Florimundus Remundus utraque parte hiſtoriæ &c.

VIII. *Doctrina tertia.* Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus. Ita quotquot omni tempore fuerunt Catholici. Probatur 1. authoritate SS. Patrum, qui Papam pro ſummo Paſtore & Capite Eccleſiæ venerati ſunt; quis autem credat, hos Sanctiſſimos & doctiſſimos viros, qui per mille & amplius annos in Eccleſia floruerunt, tam graviter fuiſſe lapſos, ut Antichriſtum, hoc eſt, ſummum Chriſti hoſtem & Adverſarium pro Chriſti Vicario & ſummo Eccleſiæ Paſtore haberent? neque tot tantáſque ſcripturas, quæ de Antichriſto extant, quáſque Sectarij velut evidentiſſimæ veritatis argumenta jactant, ulla ex parte intelligerent, ſed ab ijs tam diverſa ſummo conſenſu traderent? Ajunt Novatores, authoritate Patrum ſe neque tantillum moveri, quia myſterium hoc non tantùm illis, ſed etiam ipſi Danieli clauſum erat uſque ad tempus ſtatutum. Daniel. 12. v. 4. Scilicet vaniſſimi iſti homines non ſolùm SS. Patribus, ſed ipſo etiam Prophetâ Daniele oculatiores & ſcientiores ſunt! vers. 4. cit. per iſta verba: *tu autem Daniel claude ſermones*, nihil aliud vult Spiritus Sanctus, quàm ut Daniel res hucuſque ipſi expoſitas diligenter annotaret & annotatas obſignaret ac clauderet, donec opere compleantur. Et quomodo ex hoc eruitur, myſterium Antichriſti per tot ſæcula fuiſſe Sanctiſſimis Patribus clauſum, nunc autem impijſſimis hominibus recluſum?

IX. Probatur 2. ex doctrina Antichriſti, quæ juxta Sac. Scripturam in his 4. punctis conſiſtet. 1. negabit, JESUM eſſe Chriſtum 1. Joan. 2. v. 22. & ideo oppugnabit omnia Salvatoris noſtri inſtituta. 2. aſſeret, ſe eſſe verum Chriſtum Joan. 5. v. 43. ſcil. in Lege & Prophetis promiſſum. 3. affirmabit, ſe eſſe verum DEUM, & pro DEO haberi ac coli volet 2. Theſſal. 2. v. 4. ita ut in templo DEI ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus. 4. non modò ſe DEUM, ſed etiam ſolum DEUM eſſe dicet, & oppugnabit omnes alios Deos, id eſt, tam DEUM verum, quàm DEOS falſos & omnia idola 2. Theſſal. 2. v. 4. cit. qui adverſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur DEUS. Quis autem ex Romanis Pontificibus aliquid horum fecit? quis Jeſum negavit Chriſtum? quis aſſeruit, ſe eſſe verum Chriſtum? quis affirmavit, ſe verum Deum eſſe, & pro tali coli voluit? quis demum ſe ſolum eſſe Deum dixit; Nonne omnes Romani Pontifices toti ſunt in aſſerendo, JESUM eſſe Chriſtum, verum Deum ac Hominem & Salvatorem mundi? nonne omnes ſe totos impendunt fidei ac cultui Chriſti propagando & promovendo? Nonne omnes iſti tam publicè, quàm privatim coram Chriſto vel in SS. Euchariſtia præſente, vel ex cruce pendente, vel alijs modis repræſentato in pedes ſe abjiciunt, ſupplices illum adorant, & DEUM ac Dominum ſuum profitentur? quâ ergo impudentiâ & inſaniâ dici Antichriſtus poſſunt? Similis probatio ſumitur ex miraculis Antichriſti, quorum tria ſunt præcipua. *Primum.* Finget ſe mori & reſurgere Apoc. 13. v. 3. *Alterum.* Faciet, ut imago beſtiæ loquatur ibid. v. 15. *Tertium.* Ignem de cœlo deſcendere faciet. ibid. v. 13. Nihil autem horum fecerunt Pontifices Romani, nec niſi falsè & ſtolidè aliqua eorum facta huc trahi exponique poſſunt. Ergo non ſunt Antichriſtus.

Digitized by Google

X. Probatur 3. ex ijs, quæ de Regno & prælijs Antichriſti in Sac. Scriptura leguntur. *Primum.* Antichriſtus ex humili prodiens loco per fraudem & dolum regnum Judæorum obtinebit. Danielis 11. v.21. *Stabit in loco ejus deſpectus &c.* quem locum, inquit Hieronymus, *noſtri rectiùs & meliùs interpretantur, quod in fine mundi hic ſit futurus Antichriſtus, qui conſurgere debet de modica gente, id eſt, populo Judæorum, & tam humilis erit & deſpectus, ut ei non detur honor regius, ſed per inſidias & fraudulentiam obtineat principatum. Secundum.* Pugnabit cum tribus Regibus Ægypti, Libiæ, & Æthiopiæ, eorùmq; regna occupabit Danielis 7. & Apocal. 11. ubi S. Hieronymus habet ſolennia illa verba (*dicamus, quod Eccleſiaſtici tradiderunt &c.*) ſupra allegata. *Tertium.* Subjugabit ſibi alios Reges ſeptem, & ſic mundi totius Monarcha futurus eſt, ut ex Danielis 7. & Apocal. 17. Hieronym. Chryſoſtomus, Cyrillus & alij tradiderunt. *Quartum.* Cum innumerabili exercitu Chriſtianos toto orbe perſequetur, quod eſt prælium Gog & Magogi juxta Ezechielem 38. & 39. & Apocal. 20. Nunquid autem hæc omnia Euclydæâ demonſtratione evidentius oſtendunt, Papam non eſſe Antichriſtum? Ubi enim & quando Romani Pontifices per fraudem & dolum Judæorum regnum obtinuerunt? decem Reges debellarunt? Chriſtianos toto orbe cum exercitu perſecuti fuerunt?

XI. Probatur 4. Antichriſtus ejúſque Pſeudopropheta poſt exercitum eorum ad internecionem deletum vivi à terra dehiſcente abſorbebuntur juſſu Chriſti, ut habetur Apocal. 19. v. 20. his verbis: *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis & ſulphuris: & cæteri occiſi ſunt in gladio* (Chriſti) *ſedentis ſupra equum, qui procedit de ore ipſius, & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum*; quod confirmat Apoſtolus 2. Theſſal. 2. v. 8. *Tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus JESUS interficiet Spiritu Oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui*, hoc eſt, illuſtri adventu & vocis imperio. Nemo autem Romanorum Pontificum hoc modo perijt; imò Authoritas & Juriſdictio Pontificia per converſionem Indorum mirè crevit, & apoſtaſiam in Europa abundè ſupplevit. Ergo Romani Pontifices non ſunt Antichriſtus. Confirmari doctrina hæc poſſet ex cæteris notis, quæ in Sac. Scriptura Antichriſto attribuuntur, & minimè Romanis Pontificibus conveniunt, ſed hoc commodiùs in refutatione oppoſiti erroris hæreticorum præſtabimus.

II. Sublato Antichriſto non ſtatim inchoabitur extremum judicium, ſed miſericors DEUS ſeductis peccatoribus adhuc aliquantulum ſpatij concedet ad pœnitentiam, quam multis terribilibus ſignis fulminum, terræ motuum, exundationum &c. excitare conabitur. Spatium autem illud temporis, quo plena orbi & Eccleſiæ pax dabitur, nonnulli valde conſtringunt, ad dies ſcil. non multos. Sed cum non ſolùm tunc Chriſtiani, qui lapſi, & ab Antichriſto ſeducti fuerant, reducantur, verùm Gentes etiã & Judæi convertantur, ut omnis Iſrael ſalvus fiat, veroſimile videtur: id nonnihil amplius ad paucos forſan annos extenſum iri. Sed de hoc Interpretes Sacræ Scripturæ.

:o: IHS. :o:

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIII. Error primus eſt, nomine Antichriſti non ſignificari unam perſonam ſingularem, ſed plurium Chriſto adverſantium continuatam ſucceſſionem, qualis eſt Pontificum Romanorum. Ita pertinaciter hæretici contendunt. Ameſius tom. 1. à fol. 173. Gerhardus lib. 2. Part. 1. à fol. 535. Hannekennius in Irenico ſuo à fol. 297. & alij paſſim, idque probare conantur. *Primò.* Antichriſtus cepit tempore Apoſtolorum, & durabit uſque ad finem mundi. Sed unus homo non poteſt tam diu durare. Ergo Antichriſtus non eſt unus homo. Min. patet experientiâ mortalitatis humanæ, Maj. probatur ex Scriptura; quod enim Antichriſtus jam fuerit tempore Apoſtolorum, teſtis eſt Joannes epiſt. 1. c.4. v.2. *de quo audiſtis, quoniam venit, & jam eſt in mundo.* Et Paulus 2. Theſſal. 2. v. 7. *Myſterium jam operatur iniquitatis*; quod autem duraturus ſit uſque ad finem mundi, indicat ibidem Apoſtol. v. 8. ſignificans eum à Chriſto interficiendum: *quem interficiet Dominus JEſus Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui*, ſcil. ſecundi, in primo enim adventu per Incarnationem neminem interemit. *Secundò.* Ex Apocalyps. 17. v. 3. ubi perſecutores Eccleſiæ allegoricè depinguntur per figuram ſeptemplicis beſtiæ, cujus 7. capita ſignificant 7. Reges, ut Angelus ipſe interpretatus eſt v. 9. Atqui nomine Regum non poſſunt intelligi ſingulares perſonæ, cum multò plures fuerint Tyranni Eccleſiæ perſecutores. Ergo intelligi debent genera Magiſtratuum Reipubl. Romanæ præſidentium ſcil. Reges, Conſules, Tribuni, Decemviri, Dictatores, Imperatores Pontifices. *Tertiò.* Opera, quæ Antichriſto in Scriptura tribuuntur, videlicet latiſſimus dominatus per orbem. Danielis 7. v. 24. & generalis ſeductio omnium fere hominum à fide Chriſtiana 2. Theſſal. 2. v. 10. unici hominis operâ confici non poſſunt. Ergo non eſt credibile, Antichriſtum fore unicum hominem. *Quartò* teſtimonio S. Auguſtini L. 20. de Civitat DEI c. 19. aſſerentis: *nonnulli non ipſum Principem, ſed univerſum quodammodo corpus ejus, hoc eſt, ad eum pertinentem hominum multitudinem ſimul cum ipſo ſuo Principe intelligi Antichriſtum voluerunt*; quam ſententiam S. Pater tacendo probare videtur; etenim qui tacet, conſentire cenſetur. *Quintò.* Nicolaus Pontifex c. in nomine. diſt. 23. ſtatuit, Antichriſtum eſſe cenſendum, qui per ſimoniam in Papam fuerit electus. c. Pervenit. cauſ. 16. q. 7. decernitur, eum, qui Laicalibus perſonis decimas confert, inter maximos hæreticos & Antichriſtos non minimum eſſe habendum. Ergo non unica tantùm perſona eſt Antichriſtus, ſed plures.

XV. Errorem tum iſtum, tum ſequentes, nempe Antichriſtum non eſſe unam ſingularem perſonam, eundemque jam pridem veniſſe in mundum, ac Romanum eſſe Pontificem, ſolent hæretici impudentiſſimè ac nequiſſimè apud rudem plebem inculcare; quo id conſilio faciant, facilis eſt conjectura, nimirum ut ſub prætextu Antichriſti ſuam à Fide Catholica apoſtaſiam tegere & excuſare

ſare valeant, atque impune ipſis liceat (quod apud Catholicos minimè audebant) Pontifices, Epiſcopos, & Magiſtratum Eccleſiaſticum contemnere, vota Deo nuncupata violare, Moniales in uxores ducere, feſta & jejunia negligere, ſacras ac privatas confeſſiones omittere, carnis illecebras Sectari, & alia his ſimilia audacter perpetrare. Quod ipſorum conſilium vel ex eo patet, quod nihil prorſus habeant argumentorum, quibus impiam doctrinam ſuam palliare valeant, ſed meris calumnijs, putridis mendacijs, anilibus fabulis, pravis Sacrarum litterarum & Patrum interpretationibus, teſtibus ſui ſimilibus, hoc eſt, nullâ fide dignis uti cogantur, ſicuti in ſequentibus apertè conſtabit.

XVI. Reſpon. *ad 1. ex propoſitis argumentis.* Apoſtolos, dum ajunt, Antichriſtum jam ſuo tempore adfuiſſe, latè ſumpſiſſe nomen Antichriſti prò omnibus Adverſarijs Chriſti, qui magnum illum Antichriſtum moribus ſuis præſentabant, ideóque Paulus loc. cit. ait, *Myſterium jam operatur iniquitatis*, q. d. jam ante oculos habemus figuram & exemplum Antichriſti, ſcilicet Neronem, ex quo facilè conijci poteſt, qualis ille magnus Antichriſtus ſit futurus. Circa iſta verba Joannis de Antichriſto: *quoniam venit, & jam eſt in mundo*, duo notentur ex Cornel. à Lap. Tirino & alijs. 1. eſt, quod verbum *venit* non ſit præteriti, ſed futuri temporis, ut conſtat ex græco ἔρχεται & ſumatur pro futuro ad hunc modum: Antichriſtus, quem venturum audiſtis, & qui certò veniet, jam in mundo eſt, non in perſona, ſed in ſpiritu, puta in ſuis præcurſoribus, ſicut Joannes Baptiſta vocatur Elias. 2. eſt, quod in græco non habeantur hæc verba: & hic eſt Antichriſtus, ſed *hic eſt Antichriſti*, ſcil. Spiritus, uti præceſſerat, quo innuit Apoſtolus, ſe non loqui de propria Antichriſti perſona, ſed de ejus Spiritu malingno, qui jam aliquos afflaverat. Confirmatur hæc reſponſio ex abſurdo aliàs ſecuturo; ſi enim tempore Apoſtolorum jam adfuiſſet Antichriſtus, tunc fuiſſet Petrus Apoſtolus, quia non erat alius Summus Pontifex.

XVII. *Ad 2.* hæc repugnare & hiſtoriæ & textui. Tum quia Dictatores non ſucceſſerunt Conſulibus, quaſi ordinarij Romæ gubernatores, ſed ijs additi fuerunt quaſi extraordinarij, qui tempore gravis belli & periculi eam tutarentur. Similes fuerunt Decemviri. Tribuni quoque plebis fuerunt Patroni, cum Conſules Urbem regerent. Tum quia v. 10. de Antichriſto dicitur, *oportere illum breve tempus manere.* Atqui Papa longiſſimo jam tempore ſcil. 1600. & pluribus annis manet. Nam licet ſub Genſerico Roma fuerit vaſtata, Pontificatus tamen non fuit extinctus; imò S. Leo manſit Papa, eúmque reveritus Genſericus à templis manum abſtinuit, ac mox Româ diſceſſit: Leo verò ita Rempublicam & Eccleſiam adminiſtrare perrexit, ut vix eo major & glorioſior Pontifex deinceps extiterit. Tum quia per 7. capita Apocal. 17. intelliguntur ſeptem Reges, quorum ſex præcurſores erunt Antichriſti: ipſe verò præcipuus & ſeptimus. Non obeſt, eundem referri v. 10. extra ſeptem illos Reges. Nam Anti-Chriſtus duplicem ſubit perſonam; unam Regis particularem: alteram Monarchæ totius orbis. Videatur Tirinus in loc. cit. *Ad 3.* Antichriſto omnes diabolos auxiliaturos, ipſum etiam Luciferum tunc ſolvendum, ut indicat Joannes Apocal. c. 20. v. 2: *Angelus apprehendit Draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & ſignavit ſuper illam, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore*, nimirum tempore Antichriſti. Quod ergo inbecillitas Antichriſti tam brevi tempore non poſſet efficere, dæmones ſupplebunt, quorum ſinguli omnem vim humanam ſuperant, niſi DEUS obſiſtat; tunc autem non obſiſtet, ſed in pœnam ſcelerum permittet; homines enim diurnâ pace & rerum abundantiâ fracti molléſque effecti in luxu & libidine ſceleratiſſimmam vitam agent, ſicuti in diebus Noë Matth. 24. v. 37. *Ad 4.* S. Auguſtinum allatam ſententiam hoc ipſo refellere, quod ſuam longè diverſam ſubſtituat; quamvis nec illa Sententia hæreticis faveat; quia per hominum multitudinem non intellexit plures Reges ſibi ſuccedentes, ut exponunt hæretici, ſed plures aſſeclas, eíque adhærentes fautores. Unde *Ad 5. argumentum.* Antichriſtum, licet in ſe phyſicè una ſit particularis perſona, nihilominus dici moraliter poſſe Corpus & plures perſonas, latiore modo accipiendo nomen Antichriſti pro omnibus Chriſti adverſarijs, ut paulò ſupra diximus; quales non ſolùm ſunt Simoniaci, ſed vel maximè hæretici, qui legem ac doctrinam Chriſti contemnunt & invertunt; unde à Patribus dicuntur prodromi Antichriſti, & unum cum iſto corpus efficere. Author operis imperfecti in Matth. hom. 49. *exercitus Antichriſti*, inquit, *ſunt omnes hæretici.*

XXIII. *Error ſecundus eſt.* Antichriſtum jam veniſſe. Ita univerſim Sectarij noſtri temporis, exiſtimantes ex Sacra Scriptura id evidenter oſtendi poſſe. Mirum ſanè, hoſce cœcos populi duces videre in Scriptura, quod omnibus retro ſæculis Sancti Patres linceis ſuis & divino lumine illuſtratis oculis non perſpexêre! certè omnes unanimiter tenent, Antichriſtum non niſi ultimis temporibus adfuturum, cum extremum mundi judicium appropinquaverit, & Evangelium in toto orbe jam prædicatum fuerit juxta illa Chriſti verba Matth. 24. v. 14: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Hanc autem univerſalem prædicationem jam factam eſſe, & conſequenter Antichriſtum adveniſſe, minimè eoſdem cernere, patet ex his verbis Origenis in Matth. hom. 28. *Si quis temere dicere vult, prædicatum jam eſſe Evangelium regni in toto orbe in teſtimonium omnibus Gentibus, conſequenter dicere poterit, & quod ait: tunc erit finis, jam finem veniſſe; quod dicere temeritatis eſt magna, & hominis non intelligentis &c.* Similia habent alij Patres relati in Papatu Cath. Tom. 1. fol. 210.

XIX. Præterea ſi adeo claret, adveniſſe Antichriſtum, & hunc eſſe Papam, cur tanta, támque turpis eſt diſſenſio inter Novatores, quando venerit, ceperítque Romanus Pontifex eſſe Antichriſtus? *Gabriel Povellus Anglus* vult Antichriſtum jam tempore Apoſtolorum fuiſſe natum. Sed cum alius tunc Papa non fuerit, quàm S. Petrus, ſequitur hunc fuiſſe Antichriſtum, quæ eſt immanis blaſphemia. *Mornæus Calviniſta* in ſuo myſterio iniquitatis primum Antichriſtum facit Victorem I. eò quod poteſtate ſuâ abuſus Aſiaticos Epiſcopos illos excommunicaverit, qui parere decreto ſuo de celebrando Paſchate noluerunt. Sed quis Daniel, quis Paulus, quis Joannes hanc notavit

tavit Antichriſti notam? *Iſto nihilo ſapientiones alij* inter Antichriſtianos Pontifices ponere audent omnes illos, quotquot in hiſtorijs reperiuntur aut miſſas celebraſſe, aut ordini miſſæ aliquid addidiſſe, quales ipſis ſunt Alexander I. Teleſphorus, Marcus, Gelaſius, Siricius, Leo I. & Innocentius I. quorum duo primi ipſo S. Victore antiquiores ſunt, atque ambo Martyres etiam Chriſti fuerunt. Sed quæ dementia? an Martyrium pro Chriſto ſubibit Antichriſtus? cæteri vitæ Sanctitate & Zelo Chriſtianæ fidei fuerunt longè clariſſimi & in omnibus hiſtorijs laudatiſſimi Papæ, an talis juxta Sacram Scripturam erit Antichriſtus? Jacobus Hailbrunner, & nonnulli alij hæretici dicunt, Antichriſtum ſub Imperatore Conſtantino M. circa annum 312. ſuum habuiſſe initium. Sed fuitne Conſtantinus Imperator, vel Sylveſter Papa? Sylveſter, ajunt utique. Ergo Antichriſtus primum Imperatorem Chriſtianum per datum baptiſmum Chriſto peperit, ſimúlque Romanum Imperium ejuſdem fidei & Eccleſiæ ſubjecit? quo quid ineptius & ſtolidius fingi poteſt? unde bene Adverſarij Mileſiam illam fabulam in confirmationem afferunt, quod eo tempore in aëre hæc vox ſit audita: *hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ*; ſcil. per luculenta illa dona, quibus Conſtantinus M. affecit Eccleſias, de qua fabella videri poteſt Gretſerus contra Myſtam Salmurienſem, ſive Mornæorum prædictum. *Illyricus & Magdeburgenſes* centuriâ 6. cap. 1. docent, Antichriſtum fuiſſe conceptum an. 400. & creviſſe anno 500. ac demum an. 608. natum fuiſſe ſub Imperatore Phoca. Conſentiunt Meno Hannekennius in ſuo Irenico fol. 310. & non pauci alij aſſerentes, tunc erupiſſe Antichriſtum, quando Bonifacius III. Primatũ Pontificatûs à Phoca impetravit, & ſe Caput Eccleſiæ atque Epiſcopũ univerſalem appellavit. Ab his vix diſſentiens

XX. *Lutherus* Gregorium M. tradit ultimum fuiſſe Romanum Papam: cæteros verò omnes, qui ſecuti ſunt, Antichriſtos; unde in cap. 13. Apocal. ſcribit, *Papatum ſtetiſſe annis 666. & poſt hos Antichriſtum adveniſſe.* Hæc opinio communior eſt non ſolùm Lutheranorum, ſed etiam Reformatorum. Sed contra iſtos omnes eſt. Tum quia Joannes II. Papa à Juſtiniano (qui centum fere annis Phocam anteceſſit) Caput omnium Eccleſiarum fuit appellatus, ut habetur Cod. L. 1. tit. 1. poſt leg. 3. titulum autem Univerſalis Epiſcopi nec Bonifacius III. vir Sanctiſſimus, nec alij Romani Pontifices ſibi arrogârunt, ſed iſto ambitioſis Conſtantinopolitanis Patriarchis erepto in vicem ſubſtituerunt illum modeſtiâ pleniſſimum: *Servus Servorum DEI*; quo certè Antichriſtus nunquam utetur. Tum quia Gregorius M. in ſumma pace & concordia rerum Fidei ac Religionis fuit cum omnibus Eccleſijs Orientis & Occidentis, ut conſtat ex ipſius Epiſtol. ad omnes Eccleſias miſſis. Tum quia poſt tempus Gregorij Magni circa annum Chriſti 608. ſub Imperatore Pogonato celebratum fuit Concilium ſive ſexta Synodus Conſtantinopolitana Oecumenica, quam veluti legitimam ipſimet hæretici agnoſcunt; cui tamen præfuit Agatho Papa Romanus, quem Patres congregati ſuum Patrem, & ſummum Pontificem appellant Act. 18. Unde ſic arguo. Vel Agatho Papa fuit Antichriſtus, vel non? Si Primum. Ergo Antichriſtus fuit tunc Pater Epiſcoporum & Chriſtianorum. Si ſecundum. Ergo nec alius Papa ejus Succeſſor eſt, aut fuit Antichriſtus. *Ecce mentita eſt iniquitas ſibi* pſal. 26. v. 12. quodipſum cernere eſt in omnibus alijs hæreticorum opinionisbu, quarum tamen plures referre nolo. Videri poteſt Card. Bellarminus Lib. 3. de Pontif. cap. 3.

XXI. Unam adhuc opinionem ſilentio prætertire non poſſum, & eſt *Hugonis Grotij Hollandi*, qui prorſus ab alijs diſſentit in appendice de Antichriſto, putátque omnia, quæ Sacræ litteræ de Antichriſto produnt, jam effectui eſſe data in primis ſæculis & immanibus Gentilium Imperatorum perſecutionibus. Unde Chriſtianos, qui Antichriſtum adhuc venturum ajunt, comparat Judæis Meſſiam ſuum adhuc venturum jactantibus. Nequaquam igitur concedit ex locis, quos alij hæretici ex Sac. Scriptura adducunt, inferri, ritéque concludi, Romanum Papam eſſe Antichriſtum, de quibus idcirco ſcribit: *Eſſe illos ipſos, qui nullam Religionis pacem ac concordiam, ſed tantùm lites & diſcordias optant, & idcirco contremiſcunt, ſi de compoſitione Controverſiarum Religionis aliquid audiunt, quia ſcil. multùm ipſorum intereſt, Romanum Papam cenſeri Antichriſtum; ſiquidem plerique illorum medijs vitæ ſuſtentandæ deſtituerentur, niſi hæc diſſenſio foret: & ſi commoda ſua temporalia inde non ſperarent, nec minima apud eoſdem cogitatio futura eſſet hujuſmodi opinionis è Sacra Scriptura eruendæ.* Hæc Grotius, qui uti decipitur, dum contra evidentiſſima Sacræ Scripturæ & Patrum teſtimonia putat, Antichriſtum jam veniſſe, ita ipſiſſimam veritatem tangit in ijs, quæ de alijs Sectarijs affirmat; quos non malè ſimiles dixeris duobus illis ſceleſtis & libidinoſis Senibus, qui caſtiſſimam Suſannam tanquam adulteram traduxerunt, & tamen hujus adulterij nec locum nec tempus oſtendere potuerunt *in capita ſua mentiti.* Danielis c. 13.

XXII. *Error tertius eſt.* Antichriſtum Magnum eſſe Pontificem Romanum. Ita paſſim hæretici, è quibus Gabriel Povellus Calviniſta ſic aſſeverare audet: *DEUM Sanctè teſtor, tam certò me ſcire, Pontificiam Eccleſiam eſſe Antichriſti Synagogam, quàm Deum ipſum eſſe in cælis, Creatorem viſibilium & inviſibilium: & JESUM Chriſtum veriſſimum Meſſiam.* Conſentit Danhawerus Lutheranus affirmans: *Tam perſuaſus ſum, Papam eſſe Anti-Chriſtum, quàm JESUM Mariæ Filium eſſe Chriſtum*; cui adſtipulatur Doct. Hoë in cap. 17. Apocal. ubi mundo ad oculum demonſtrare ſe arbitratur, Papam eſſe Magnum Antichriſtum. Nituntur unicè notis Anti-Chriſto in Sacra Scriptura attributis, quas omnes & ſingulas Romano Pontifici optimè convenire, aſſerit Ameſius *ipſos etiam Catholicos probè intelligere*; quaſi verò mendaciſſimus iſte Puritanus perſpiceret, quid Catholici intelligerent, & in cordibus ſuis volverent. Aſſignantur autem notæ in Sacra Scriptura ſex, ex quibus Antichriſtus diſcerni valeat. Videamus breviter ſingulas, num in Romanum Pontificem conveniant.

XXIII. *Prima eſt nominis* numerum continentis 666. ut ænigmate inſinuat Joannis Apocal. 13. v. 18: *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* hoc eſt, tale erit nomen Antichriſti, ut ſi ejus litteræ more græco in numeralibus ſumantur, confecturæ ſint numerum 666. ſicuti in ſimili Sybilla de Chriſto prophetavit, ejus Nomen

fore

Digitized by Google

fore 888. qui numerus exactè reponitur in Nomine

J	10
Y	8
S	200
O	70
V	400
S	200
	888

Hæc Nota nihil evincit, quia vel nulli vel pauciſſimi Pontifices Romani habuerunt nomen, cujus litteræ conficerent numerum 666; & ſi habuiſſent, nihil inde conficeretur; ſiquidem ex hac nota non licet argumentari affirmativè: *Hujus nomen conficit numerum 666. Ergo eſt Antichriſtus*, ſed tantùm negativè: iſtius nomen non conficit hunc numerum. Ergo non eſt Antichriſtus. *Dicunt hæretici 1.* Nomen Lateinos eundem numerum conficere, & hoc omnibus Romanis Pontificibus convenire. Verùm hoc nomen inprimis non ipſi hæretici invenerunt, ſed Irenæus, qui tamen addit, multò probabilius eſſe, nomen Antichriſti non fore Lateinos, ſed Teitan, quod etiam numerum illum exprimit, multóque illuſtrius, cum ſolem ſignificet.

λ	30	T	300
A	1	E	5
T	300	I	10
E	5	T	300
I	10	A	1
N	50	N	50
O	70		666
S	200		
	666		

Adhæc nomen iſtud Lateinos nimis eſt generale, omnibúſque Romanæ ditionis incolis commune, ideóque non idonea nota Antichriſto. Demum ut numerum iſtum 666. inde efficiant, depravant nomen Lateinos ſcribendo per ei, cum tamen per i ſimplex ſit ſcribendum. *Dicunt 2.* hoc myſtico numero in Apocalypſi poſito non ſignificari nomen Antichriſti, ſed tempus adventûs. Verùm jam oſtendimus, in hoc aſſignando Sectarios minimè convenire, nihilque veroſimile afferre poſſe. Et quamvis Lutherus in ſuis Biblijs ad cap. 13. Apocal. ſcripſerit, hos eſſe 666. annos, quibus ſtabit Papatus, tamen à tempore Gregorij M. quo corruiſſe fingitur, firmus adhuc per mille & plures annos perdurat. Videri poteſt Leſſius Demonſtrat. 2. de Antichriſto. *Dicunt 3.* Numerum 666. indefinitè ſumi pro magna multitudine, & ſignificare catalogum omnium Antichriſticolarum. Verùm hoc ſignificatum repugnat uſui Scripturæ & omnium Scriptorum, nullus enim oſtendi poteſt, qui tam expreſſum & nominatum numerum indefinitè uſurpârit: nec tam parvus numerus innumeræ multitudini Antichriſticolarum quadrat. Silentio non hîc præteream ingens delirium Philippi Mornæi ſive Pleſſæi ſupra cit. in ſua hiſtoria Papatûs; quaſi Antichriſtum Romanum in Paulo V. Papa ex proprio ejus nomine veluti manibus deprehenderit, eò quod hæc verba *Paulo V. Vice-Deo* conficiant numerum 666. Credo, ipſummet ſtolidum hominem riſiſſe, cum ita ſecum nugaretur, & quaſi chimæram cepiſſe ſe arbitraretur, dignum ſcilicet factum, quod ſcripto propalaret!

XXIV. *Secunda Nota eſt Vilitatis ſtirpis & familia Antichriſti*, ut indicat Daniel. c.7. v.8. vocans illum *cornu parvulum*, ut Patres interpretantur; credibile autem eſt, ex Hebræis naſciturum, alioquin iſti non reciperent eum pro Meſſia promiſſo, ſive deinde propagetur ex tribu Juda inſtar Meſſiæ veri juxta propheciam Iſaiæ c.11. v.1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c.* ſive & forſan probabiliùs ex tribu Dan ſecundùm prædictionem Jacob Patriarchæ Gen. 49. v. 17: *Fiat Dan coluber in via; ceraſta in ſemita*, quibus metaphoris Antichriſtum fuiſſe deſignatum, non pauci Doctores arbitrantur. Apocal. 7. non fit mentio ſignatorum pro cæleſti Beatitudine ex tribu Dan, quia hi non ita multi futuri ſunt, pleriſque Antichriſto ex tribus Dan orituro adhæreſcentibus. ut volunt Irenæus, Ambroſius, Auguſtinus & alij Patres relati apud Tirinum in cit. locum. Neque iſta Nota convenit Romanis Pontificibus. Nam præter S. Petrum & S. Evariſtum nullus è Papis fuit Judæus, & hi ipſi longè ante numerum 666. vixêre, ex quo hæretici Antichriſtum inchoant. Hic ſilent Novatores.

XXV. *Tertia eſt temporis*; quando Antichriſtus ſit venturus, quamdiu victurus, regnaturus, & Eccleſiam perſecuturus. *Quoad 1.* certus dies vel annus, quo venturus ſit, neſcitur; cùm DEUS nec in Scriptura, nec extra cuiquam id revelâverit, ſed hujus rei notitiam ſibi ſoli reſervârit: Unde Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. 11. Concionatoribus interdixit, ne Antichriſti adventum aut certum diem judicij prædicere vel aſſerere præſumerent, cum veritas dicat Act.1. v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora*; quâ in re etiam multi Sancti Patres decepti ſunt, exiſtimantes, Antichriſtum ſuo tempore adventurum, ut S. Hilarius ante annos 1300. S. Gregorius ante annos mille &c. Cæterùm durante Romano Imperio non venturum Antichriſtum, ſed paulò ante extremum judicium circa finem mundi docent omnes reliqui SS. Patres apud Bellarminum lib. 3. de Rom. Pontific. cap. 5. & nos ſupra jam diximus ex D. Paulo 2. Theſſal. 2. v. 3. *Quoad 2.* quamdiu victurus ſit Antichriſtus, omnino latet; facilis tamen eſt conjectura, eum ultra communem hominum ætatem, hoc eſt, 70. annorum non victurum; imò intra; ſiquidem violentâ morte à Chriſto interimetur, non expleto vitæ termino. *Quoad 3.* quamdiu regnaturus ſit, etiam non conſtat; poteſt tamen ex dictis colligi, eum tam diu non regnaturum, quamdiu vixerit, quia non naſcitur Rex, ſed regnum violentè occupabit jam adultus; diutius tamen regnaturum, quàm perſecuturus ſit Eccleſiam, oſtendit Suarez lib. 5. contra Regem Angliæ c. 9. aliquot conjecturis, quæ apud eundem videri poſſunt. *Quoad 4. denique* perſecutio Antichriſti non erit diuturna, ſed tantùm durabit tribus annis cum dimidio, ut ſupra jam diximus, & expreſsè docent Prophetæ Daniel & Joannes; ille enim c. 7. v. 25. ait: *Sancti tradentur in manu ejus uſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*: iſte verò c. 12. v. 14. ubi idem repetit; per tempus autem intelligunt Patres annum unum: per tempora in duali numero duos annos: per dimidium temporis medium annum, valde convenienter ſtylo Danielis, qui ſæpius nomen temporis pro anno uſurpat.

XXXI

Digitized by Google

XXVI. Adhæc Menſium numerus, quo eadem perſecutio Antichriſti limitatur, exactè convenit cum tribus annis & dimidio; Nam Apocal. 11. v. 30. ponuntur menſes 45. qui ad amuſſim faciunt tres annos cum dimidio: dies verò à Prophetis nominati tam ſtrictè non reſpondent annis; quia Daniel c. 12. v. 11. ponit dies 1290. qui prædictum numerum ſuperant 13. diebus: Joannes verò c. 12. v. 6. aſſignat dies 1260. ubi deficiunt dies 17. etenim tres anni cum dimidio faciunt dies 1277. Cujus diverſitatis cauſa fuiſſe videtur, quod Joannes non voluerit definire tempus totum Antichriſtianæ perſecutionis, ſed tantùm prædicationis duorum Prophetarum Enoch & Eliæ, vel deliteſcentis Eccleſiæ, cum Sancti in montium ſe cavernas abdent: Daniel autem voluerit indicare perſecutionem Antichriſti aliquantulum ultra dimidium annum productum iri, adeóque dimidium temporis ſive anni non tam ſtrictè ſumendum pro 182. diebus, ſed circiter, plus minus &c. Hæc quoque Nota minimè Romanis Pontificibus convenit, utpote qui ultra 1600. annos jam duraverunt. Hæretici, ut ex hoc laqueo ſe extricent, variè torquent verba Sac. Scripturæ de tempore, & de temporibus, & dimidio temporis. Aliqui dicunt, ſumi indefinitè pro certo tempore, quod minimè credibile. Tum quia idem numerus toties & tam diverſis modis dierum ac menſium in Scriptura expreſſus eſt, ut planè videatur aliquid determinatum ſignificare. Tum quia ad conſolationem Fidelium prædictus fuit finis perſecutionis brevi futurus; ſi autem citatus numerus indefinitè ſumeretur, nihil afferret ſolatij ignorantibus finem. Alij accipiunt tempus pro 500. annis, tempora pro 1000: dimidium pro 250. ut univerſim conficiant años 1700; tam diu enim duraturum ajunt Papatum. Sed hæc aliáque ſimilia prorſus fabuloſa ſunt nullâ ratione vel authoritate fulta, nec chronologiæ congrua, nec Sacræ Scripturæ conſona, quæ breve tempus Antichriſtianæ perſecutioni præfigit, ut oſtendunt Bellarminus Gretſerus, Leſſius, & alij.

XXVII. *Quarta Nota eſt loci*, in quo Antichriſtus regiam ſuam Sedem & Reſidentiam collocaturus ſit. Communis Catholicorum opinio eſt, Antichriſtum Jeroſolymis ſuum thronum & Sedem poſiturum, ſicut inſinuat Daniel Proph. c. 11. v. 45. *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montem inclitum & Sanctum*; ubi hebraica vox Apadno ſignificat tentorium ſuum, quam S. Hieronymus noluit in latinum vertere, ſuſpicans, eſſe forſan nomen proprium loci, ſed hodie communiter pro appellativo ſumitur, ut ſenſus ſit: tabernaculum tentorij ſui figet inter duo maria ſupra montem Sanctum; quæ deſcriptio optimè quadrat Jeroſolymæ, quæ ſita eſt inter duo maria ſcilicet mortuum & mediterraneum, habétque in medio montem Moriam cognomine *Sanctum*, quia olim templum Salomonis in eo ſteterat. Clariùs id expreſſit S. Paulus 2. Theſſal. 2. v. 4. ajens, *Antichriſtum in templo DEI ſeſſurum tanquam DEUM*, nomine templi per antonomaſiam intelligens Jeroſolymitanum, velut præcipuum & magnificentiſſimum in toto terrarum orbe. Hanc Notam non cadere in Romanos Pontifices luce meridianâ clarius eſt; ſiquidem poſt S. Petrum nullus Papa Hieroſolymæ ſuam Sedem collocavit, ut conſtat ex hiſtorijs.

XXVIII. Dicunt Sectarij, ſedem Antichriſti non Hieroſolymæ, ſed Romæ collocandam. Tum quia huic convenit deſcriptio Danielis. Tum quia templum Hieroſolymitanum jam funditus deſtructum eſt, & quidem irreparabiliter juxta Danielem cap. 9. v. 27: *Erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Sed neutrum horum argumentorum aliquid evincit. Non 1. Tum quia Romæ nullus eſt mons Sanctus, ut loquitur Daniel. Ergo non eſt locutus de Roma. Tum quia Joan. Apocal. 11. v. 8. clarè docet, illam urbem fore Jeroſolymam, ait enim duos Prophetas ab Antichriſto occidendos, *& corpora eorum aliquamdiu manſura in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus crucifixus eſt.* Atqui Chriſtus non Romæ, ſed Jeroſolymæ crucifixus fuit. Non 2. Quia in fine mundi ad conciliandam Judæorum benevolentiam Antichriſtus templum illud Hieroſolymitanum reædificabit, atque in eo Sedem & imaginem ſuam collocans pro Deo adorari volet; & licet tempore non multo regnaturus ſit, ob potentiam tamen & multitudinem hominum (maximè Judæorum, qui opus illud maturabunt) brevi maximam illam molem reſtaurabit.

XXIX. *Quinta Nota eſt vitiorum Antichriſti*, qui homo erit ſceleratiſſimus, & omni flagitiorum genere opertus; unde in Sac. Scriptura per antonomaſiam vocatur *homo peccati, & filius perditionis.* 2. ad Theſſal. 2. v. 3. Potiſſimùm autem quinque vitia in illo dominabuntur; nimirum ſuperbia, Idololatria, Magia, Crudelitas, & Libido. Quæ diſtinctiùs explicando *Superbia* tanta erit, ut omni Numine contempto ſolus pro Deo haberi & coli velit, ut diximus ſupra §. IX. Quare abolito miſſæ Sacrificio, ut ſaltem publicè non liceat celebrare, ſibi Sacrificari volet Danielis 12. v. 11. *Et à tempore, cum ablatum fuerit juge Sacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem*; id eſt, idolum Antichriſti, in ſignum profeſſionis divinitatis ſuæ omnibus aſſeclis ſuis in fronte vel manu imprimet certum aliquem characterem, ſine quo nemini vendere vel emere licebit, ſed omni humano commercio deſtitutus fame mori debebit Apocal. 13. v. 16. Quem characterem Viegas putat eſſe imaginem Antichriſti à morte reſurgentis. Ribera mavult Draconis, uti aquilam geſtat Romanorum Imperator. Sed malo cum Primaſio & Anſberto (qui hoc ſibi à Deo revelatum aſſerit) apud Tirinum in locum cit. dicere characterem hunc eſſe tres litteras initiales Nominis χρι, quod ſibi vendicabit Antichriſtus hoc modo:



ubi duæ lineæ tranſverſæ X faciunt χ græcum reſpondens Latino ch: littera P eſt ρ græcum reſpondens R latino: tertia linea eſt ι jota græcum & i latinum ſimul faciunt χρι ſeu Chri, quod initium eſt compendium & ſummarium Nominis Chriſti, quem ſe finget Antichriſtus. Et hanc eandem notam ſeu characterem in labaro Caſtris ſuis præferebat contra Maxentium & alios hoſtes Conſtantinus Imperator, teſte Prudentio, quid ni & Antichriſtus, qui ab omnibus volet haberi, nominari & coli, ut Chriſtus. *Idololatria* ab Antichriſto committetur; quia clam adorabit diabolum, in quem idcirco implicitè recidet adoratio, quam palam ipſe ſibi poſtulabit; diabolum autem, inquit Daniel c. 11. v. 38. Maozim in loco ſuo colet, & DEUM, quem ignoraverunt Patres ejus, colet

colet

Digitized by Google

colet auro & argento lapide pretioſo, rebúſque pretioſis. *Magiâ* ſuâ Antichriſtus homines plurimos ſeducet 2. Theſal. 2. v. 9. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus.* Speciatim autem tria hujuſmodi miracula ipſum facturum diximus ſupra §. 3. cit. in quam rem utetur operâ alicujus inſignis impoſtoris ſub figura bicornis beſtiæ Apocal. 13. v. 11. deſcriptæ: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur, ſicut Draco. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus, & fecit terram & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt ei facere in conſpectu beſtiæ dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Crudelitas* Antichriſti in Sanctos & juſtos erit terribilis; Nam, ut ait, S. Joannes cit. cap. v. 15. *quicunque non adoraverit imaginem beſtiæ, occidetur.* Tunc implebitur prophetia Chriſti, de qua §. IX. cit. Ad quam rem Antichriſtus utetur operâ Scytharum, hoc eſt, Tartarorum, Moſcovitarum & ſimilium barbararum Gentium ex Aquilone venientium, quas Ezechiel c. 38. v. 2. vocat Magog, & Ducem eorum Gog ſumpto nomine hebraico à Magog filio Japheth Gen. 10. v. 2. qui fuit primus incola Scythiæ. Interim Eccleſia ſolito ſplendore deſtituta non tamen penitus peribit, ſed illuſtri Martyrum conſtantiâ propugnabitur, in quorum ſubſidium DEUS mittet duos inſignes Prophetas gratiâ miraculorum pollentes Apocal. 11. v. 3. ubi, licet Joannes iſtorum nomina non expreſſerit, tamen ex alijs locis Sac. Scripturæ rectè colligitur, eos fore Enoch & Eliam, de quibus diximus ſupra §. VI. *Libido & Impuritas* Antichriſti traditur à Daniele c. 11. v. 32. his verbis: *Erit in concupiſcentijs fœminarum*; licet autem hebraicus textus, qui nunc extat, contrarium innuere videatur, quaſi non eſſet curaturus fœminas, tamen magis eſt credendum S. Hieronymo Interpreti, qui correctiorem textum habuit. Hanc Notam vitiorum hæretici conglobatis mendacijs & ſpiſſis calumnijs in Romanos Pontifices torquent, indéque luculenter demonſtrare ſe arbitrantur, illos eſſe Magnum Antichriſtum, cum nihil præſtent, & oppoſitum reipſa luce meridianâ clarius doceat, ut ex ſequentibus punctis apparebit.

XXX. *Primum.* In nullo unquam Pontifice tanta fuit Superbia, quantam etiam Sac. litteræ Antichriſto tribuunt. Quis unquam unus ex omnibus Papis pro DEO haberi, atque adorari voluit? Nunquid omnes ſupplices unum DEUM adorant, & Chriſtum genuflexi in templo, domi, foriſque colere frequenter videntur. Ergo nullus fuit Antichriſtus. Dicunt Sectarij Quantumvis Romani Pontifices nomen DEI expreſſis verbis non uſurpent, ea tamen, quæ DEI propria ſunt, ſibi vendicant, & ſic implicitè & reipsâ pro Dijs ſe jactant. Nam 1. volunt omnibus Regibus & Principibus dominari, adeóque coli ſuper omnes Deos, ſiquidem in Scriptura Principes vocantur Dij. Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi, Dij eſtis, & Filij Excelſi omnes.* 2. uſurpant ſibi titulum DEO proprium, & appellari affectant Sanctiſſimi. 3. poſtulant flexis genibus adorari etiam à Regibus & Principibus, ac pedibus oſculum figi, qui eſt cultus DEO proprius. 4. Alexander III. tali genuflexione & pedum oſculo non contentus Friderici I. Imperatoris (à capillo & barba dicti Ænobarbi) caput pedibus calcavit apud Venetos in Eccleſia S. Marci has edens voces: *Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Hæc omnia ſunt prorſus frivola, & ex vano hauſta eodem abeunt. Romanos Pontifices ſæpe ſæpius pauperum pedes lavare, lotóſque oſculari, ædes hoſpitales viſitare, & ægros ibi ac moribundos varijs modis conſolari, peregrinos ſuſcipere, ijs ad menſam ſedentibus inſervire, cibos apponere, potum porrigere, aliáque magna humilitatis exempla præbere, videt etiamnũ oculis ſuis Roma, & manifeſtius eſt, quàm ut pluribus oſtendatur. Facietne ſimile quid Antichriſtus? aut de iſto hujuſmodi animi ſubmiſſionem Sacra Scriptura prodit? Nequaquam, ſed meriſſimum animi tumorem.

XXXI. Reſpon. ad 1. inter DEOS impropriè dictos primum locum certo modo ac ratione ſibi vendicare, non eſt velle propriè pro DEO haberi; aliàs Romanus Imperator Deitatem affectaret, dum ab omnibus primas ſibi deferri poſtulat. Ad 2. titulum Sanctiſſimi longè alio ſenſu tribui Pontifici, quàm Deo; etenim DEUS eſſentialiter & infinitè Sanctus eſt: Pontifex verò, quatenus Vicarius Chriſti, Sanctiſſimus, id eſt, reverendiſſimus appellatur; alioquin nemo nec Sanctus nec bonus appellari poſſet, cum in Scripturis non tantùm ſuperlativi, ſed etiam poſitivi DEO approprientur; Angeli enim in cœlis *ſemper clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus* Iſaiæ 6. v. 3. Et Chrius Marci 10. v. 18. ait: *nemo bonus, niſi unus DEUS*, ſcil. in omni genere bonitatis abſque ullo defectu, interim non negans tales titulos inferiori ſenſu etiam hominibus tribui poſſe. Ad 3. venerationem genuflexionis & oſculi pedum à Papis non imperatam, ſed à Regibus & Principibus ultro delatam fuiſſe, dum conſiderabant non humanam perſonam, ſed Chriſti dignitatem, cujus Perſonam Papa repræſentat. Olim etiam Epiſcoporum pedibus oſcula figebantur, teſte S. Hieronymo apud Baronium Tom. 4. fol. 574. quod Iſaias c. 49. v. 23. de Chriſtianis vaticinans futurum prædixit: *vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Prædictam Papæ adorationem Theologi communiter docent reducendam eſſe ad Duliam ob ſupernaturalem excellentiam & ſpecialem ordinem, quem ex officio & gradu ſuo ad DEUm habet. Videri poteſt Diana Part. 11. Tract. de adoratione Papæ. Ad 4. meram eſſe fabulam, quod de Alexandro III. Caput Friderici I. Imperatoris calcante aſſertur. Nam ut hæretici Romanum Pontificem ſummis æque ac infimis quàm exoſiſſimum faciant, & eum eſſe magnum Antichriſtum omnibus perſuadeant, abſurdiſſima quæque ac truculentiſſima de illo ſcribunt in libris, clamant in pulpitis, effutiunt in plateis & cauponis. Sic Joannes Gerhardus in Epiſtola Dedicatoria Lib. 2. Part. 1. Confeſſionis Auguſtanæ impudentiſſimè ſcribere fuit auſus, Alexandrum III. Papam indignè ac ſuperbè tractaſſe Fridericum I. Imperatorem, atque apertè Antichriſtum ſe demonſtraſſe, dum pede caput ejus calcans baſiliſco & beſtijs illum comparavit; imò Sultanum Saracenorum Iconij reſidentem per litteras rogaviſſe, ut eundem ex imagine ipſius (quam vivis coloribus expreſſam epiſtolæ adjunxerat) cognitum è medio tolleret &c. Sed hanc

meriſſimam eſſe fabulam, luculenter oſtendunt Cardinalis Baronius A. C. 1177. Num. 86. & 87. ac præter alios P. Forer in antiquit. Papat. præfat. ad Lect. item in pecculiari libello germanico de Antichriſto prope finem.

XXXII. Quoad caput Imperatoris pede Papæ tyrannicè calcatum, nec minimam hujus mentionem facit Romualdus Archi-Epiſcopus Salernitanus, qui Legatus Wilhelmi Regis Siciliæ rem totam & conventionem inter Alexandrum III. Papam: & Fridericum I. Imperatorem oculis & auribus perceptam habuit, & dein copiosè ac minutatim deſcripſit; hæc ſunt illius verba ex Baronio cit: *Cúmque ad Papam appropiaſſet (Imperator) tactus divino Spiritu DEUM in Alexandro venerans Imperiali dignitate poſtpoſitâ rejecto pallio ad pedes Papæ ſe extenſo corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benignè elevans recepit in oſculo & benedixit, mox à Teutonicis Te DEUM laudamus eſt excelsâ voce cantatum; Imperator autem apprehensâ manu Papæ dexterâ ipſum in Eccleſiam introduxit, & acceptâ ab illo Benedictio ad palatium Ducis cum ſuis redijt.* Similiter nec litterulâ meminerunt calcati à Papa Imperatoris Narratio concordiæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. Pariſijs anno 1632. impreſſa, Rogerius, & alij Scriptores illius temporis. Ex Auctoribus, quos Gerhardus pro ſe allegat, antiquiſſimus eſt Joannes Capiſtranus, qui tamen ducentis annis junior eſt, quàm conventio inter Alexandrum & Fridericum facta. Et iſte plus fidei mereatur, quàm Romualdus, qui oculis omnia inſpexit, & auribus percepit? Non obſtat, Catholicos etiam Scriptores Capiſtrano conſentire; facilè quippe eſt, in rebus hiſtoricis non ſatis cautè procedere, & citius æquo credere.

XXXIII. Quoad Sultanum Saracenorum ab Alexandro III. per litteras rogatum, ut Fridericum Imperatorem ex tranſmiſſa imagine cognitum occideret, eſt iſtud quoque impudens & palpabile mendacium Balæi, Schardij, Gerhardi, & hujus farinæ hominum. Nam 1. Alexander III. ut teſtatur hiſtoria novem ante annis mortuus eſt, quàm Fridericus I. cum exercitu in terram Sanctam moveret, ut proinde quatuor Papæ Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. & Clemens III. inter mortem Alexandri & prædictum iter Friderici interceſſerint, è quibus Papis ultimus adhuc vivebat, cum Fridericus moriebatur. Fieri igitur non potuit, Alexandrum III. litteris & imagine tranſmiſſis inſtigaſſe Sultanum Ionij, ut Fridericum mactaret. 2. falſum eſt, Fridericum Imperatorem reducem Brixiam appuliſſe; ſiquidem apertiſſimè conſtat, eum in Armeniæ amne, cum calorem natatu diſijcere vellet, aquis hauſtum perijſſe, ſicuti Baronius A. C. 1190. & Gretſerus Tom. 3. de S. Cruce L. 2. c. 23. ex hiſtoricis fide dignis apertiſſimè demonſtrant. 3. falſum eſt, Fridericum I. unquam à Sultano fuiſſe captum; ipſe quippe Imperator potenti exercitu ſuo ità Suldanum domuit & ſubegit, ut iſte coactus à Friderico Imperatore pacem & amicitiam ſupplex petiverit, de quo plura videri poſſunt in Baſilico Doro Gretſeri c. 5. Quemadmodum igitur hæretici in hoc apertiſſimi & impudentiſſimi mendacij convincuntur, ita minimè dubitandum, figmentum eſſe vaniſſimum, quod de calcato ab Alexandro III. capite Friderici I. Imperatoris circumferunt. Videantur cit. Authores

XXXIV. *Secundum punctum.* Nullus Papa fuit Idololatrà præter unum Marcellinum, qui metu mortis Idolis adolevit, ut conſtat ex Concilio Sinueſſano, & epiſtola Nicolai I. ad Michaelem. Imò ipſe Marcellinus non docuit aliquid contra fidem; nec, inquit Bellarminus L. 4. de Pontif. c. 8. in fine, fuit hæreticus vel infidelis, niſi actu externo ob metum mortis, móxque pœnituit, & ipſo ſanguine maculam eluit, nec ejus delictum omnibus Succeſſoribus adſcribi debet. Calumniantur quidem Hæretici, idolum Pontificium fuiſſe Miſſam à Daniele Maozin appellatum, ubi petulantiſſimè nugantur in verbis, hebraicam vocem Maozin cum latinâ Miſſa confundendo. Item cultum Chriſto vero Deo in Miſſa exhibitum blaſphemè idololatriam appellant. Sed quæ contra Sacrum Miſſæ Sacrificium impie vociferantur ſuo loco, ubi de Miſſa ex inſtituto agemus, ex claris Sacræ Scripturæ & Patrum teſtimonijs reijciemus. Nunc breviter advertimus, Sectarios audacter & turpiter à Verbis Danielis recedere; Nam Sanctus Vates DEUM Antichriſti vocat novum, majoribus incognitum, & privatim colendum; cum Chriſtus Deus ſemper à Chriſtianis fuerit cognitus, & publicè Miſſa in omnium oculis celebretur.

XXXV. *Punctum tertium.* Nullus Pontifex magiæ convinci potuit, nec ullus talia ſigna dedit, qualia Antichriſto attribuuntur. Calumniantur iterum hæretici, à Sylveſtro uſque ad Gregorium VII. omnes Pontifices fuiſſe Magos. Hottinger Hiſt. Eccles. Sec. x. ſcribere audet, *Sedem Romanam ſæculo decimo* (id eſt, ab anno 900. uſque ad annum 1000.) *occupaſſe Antichriſtos, fures, invaſores, Magos, prodigioſos, Simoniacos, Tyrannicos &c.* Hujus priorem partem jam rejecimus Controvers. XXVI. §. XXXIII. Pro poſteriore citatus Hottinger Tigurenſis Prædicans eſt capitaliſſimus Romanæ Eccleſiæ hoſtis, & apud omnes Catholicos inteſtabilis. Sed ajunt Adverſarij, allegat pro ſe Baronium, Platinam, & Genebrardum &c. Non ignoro; at malè allegat. Quis enim horum ſcripſit, ſæculo decimo Romanam Sedem Antichriſtos & Magos occupaſſe? quis tam ſtultus & inſanus ex his omnibus fuit, ut ſic ſcriberet & ſentiret? Baronius? an Genebradus? an Platina? ubi? quo libro? Prædicto ſæculo legitimi Pontifices, qui Romanam Sedem obtinuerunt, numero fuère 35. pleríque omnes boni & probi ſummóque hoc faſtigio minimè indigni, ut Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria apud Cardinal. Cæſarem Baronium: Sex ſolùm ex iiſdem nullam laudem merentur; nimirum Chriſtophorus Romanus propter ambitionē. Mortuus an. 908. Sergius III. Romanus propter in caſtos amores. an. 910. Lando ſive Landus Sabinus propter indignorum ad Eccleſiaſticas dignitates promotionem an. 912. Ioannes X. Romanus propter incaſtos amores an. 928. Joannes XI. Romanus ob illegitimos natales an. 936. denique Joannes XII. Romanus ibidem propter incaſtos amores an. 964. Præter hos legitimos Papas reperitur in hoc ſæculo unus etiam Antipapa ſive violentus invaſor Sedis Apoſtolicæ Benedictus nomine, cognomento autem Francone Romanus, qui ſibi nomen Bonifacij VII. arrogavit, homo ſceleratiſſimus, qui tamen pro legitimo Pontifice nunquam fuit agnitus. Contra hos ſolos ſeptenario numero concluſos tendebant juſtiſſimæ illæ Cardinalis

Baro-

Digitized by Google

Baronij, Platinæ, Genebrardi, Onuphrij, & Sidonij quærelæ ac dicteria, quibus illos & maximè Bonifacium Antipapam in Scriptis ſuis affecerunt: Antichriſtos autem & Magos nunquam dixerunt, ut impudentiſſimè mentiturHottinger.

XXXVI. *Punctum quartum.* Nullus Papa tantam crudelitatem exercuit, quantam exerciturus eſt Antichriſtus. Quis enim ex illis tribulationem tantam excitavit? quis Enochum & Eliam occidit? quis ſubditis ſuis certam notam impreſſit, ſine qua nec emere nec vendere liceret? quæ profectò tribulatio talis & tam immanis erit, ut idcirco etiam Satanas modico tempore ſolvendus dicatur Apocal. 20. v. 3. & 7. *Dicunt ad iſtud hæretici 1.* Satis crudelem fuiſſe Innocentium IV. qui an. 1252. Inquiſitionem inſtituit hæreticæ pravitatis, & omnes hæreticos exuri vivos juſſit, quod deinde omnes Succeſſores proſecuti fuerunt. Sed contra eſt. Tum quia pœnam ignis in hæreticos non introduxit Papa, ſed Fridericus II. Imperator, ut oſtendit Cherubinus in compendio Bullarij fol. 11. Tum quia hæc pœna non infligitur bonis & juſtis Chriſti famulis, ſed hæreticis Chriſti hoſtibus. Tum quia rarò exercetur iſta ſeveritas, ut lanienam Antichriſti, imò & hæreticorum minimè adæquet, ut ſupra jam diximus. *Dicunt 2.* Enochum & Eliam eſſe non duos homines, ſed duo teſtamenta Novum & Vetus, quæ dum eorum lectio in vernacula lingua à Pontificibus fuit prohibita, quaſi mortua cadavera in plateis jacuerunt, donec Lutherani & Calviniſtæ in vitam & ſplendorem priſtinum revocarint. Sed contra eſt, quod hæc expoſitio recedat à proprietate verborum, repugnet SS. Patribus, nec ullâ ratione, ſed meris calumnijs nitatur, ſicuti & alia, quæ alij afferunt; nonnulli ex ipſis Adverſarijs adventum iſtorum Sanctorum omnino pro commento habent, ut ſupra jam diximus. Cæterùm vernacula verſio Sac. Scripturæ interdicta eſt partim propter malignam interpretationem, partim propter abuſum rudium hominum, ut ſuo loco diximus. *Dicunt 3.* hunc characterem in Sacramento Confirmationis imprimi. Sed contra eſt, quod iſte character præter nomen nihil ſimile habeat characteri Antichriſti; hic enim omnibus neceſſarius & viſibilis eſſe debet, ut negotiatores ſciant, quibus liceat negotiari: Sacramentalis autem character Confirmationis nec viſibilis eſt, nec neceſſarius; ſiquidem nemo cogitur, ut hoc Sacramentum recipiat, & plurimi eo carentes nihilominus liberum habent commercium cum omnibus.

XXXVII. *Punctum quintum.* Nullus Papa (ſiquidem aliqui ab hoc vitio excuſari nequeunt) tam libitinoſus fuit, quàm futurus eſt Antichriſtus, qui non unâ concubinâ contentus promiſcuè ſe varijs commiſcebit, ut Daniel inſinuat, dum loc. cit. ait, illum fore *in concupiſcentijs fœminarum*, quibus verbis non ſolùm multitudo mulierum indicatur, ſed etiam effrænis libido, & hujus impotentia; quaſi diceret S. Propheta, in Antichriſto non fore concupiſcentiam, ſed ipſum fore in concupiſcentijs immerſum & obrutum. Hic enimverò triumphant hæretici, & exemplis Papalem libidinem docere contendunt, inter quæ, quia unum maximè crepant, & Gerhardus prædictæ epiſtolæ ſuæ Dedicatoriæ inſerere ſine fronte andet, id paulò fuſius referre ac refellere volo. Dicunt itaque Joannem VIII. fuiſſe fœminam natione Anglam, Moguntiæ natam, nomine Agnetem, quæ cum in Academia ſtuduiſſet, aſſumto habitu virili Romam deinde profectam publicè docuiſſe, tantámque ſapientiæ & eloquentiæ famam ſibi comparaſſe, ut mortuo Leone IV. repente è Scholis ad Thronum Pontificis fuerit rapta, & annos duos, menſes 5. dies, 4. regnârit, donec in publica proceſſione Corporis Chriſti ſub umbella Euchariſtiam circumferns repente conciderit, & infantem (erat enim prægnans) publicè in platea pepererit anno 853. Probant hanc hiſtoriam tum teſtimonio plurium hiſtoricorum etiam Catholicorum, præſertim Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacenſis, Martini Poloni, & nonnullorum. Tum monumentis antiquis Romæ adhuc extantibus; Nam ajunt 1. in memoriam flagitij hujus extructum eſſe ſacellum, & in eo lapideam ſtatuam Pontificis infantem manu tenentis. 2. ibidem aſſervari ſellam interius perforatam, cui recèns electus Pontifex inſidere debeat, ut clam exploretur, num ſit vir aut fœmina, ne rurſus erretur. 3. illam plateam, ubi hoc facinus contigit, vitare Pontifices, nec unquam amplius tranſire. Ecce præclarum ſpecimen Pontificiæ caſtitatis, ſanctitatis, & ſucceſſionis!

XXXVIII. Quamvis turpem iſtam notam, quam hæretici Sedi Apoſtolicæ impingere per Joannam Papiſſam laborant, jam pridem efficacibus rationibus ab ea repulerint, & in nihilum redegerint ex Catholicis Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinam. Bellarminus Lib. 3. de Pontif. c. 14. Gretſerus Tom. 2. defens. ibid. Florimundus Remundus in ſingulari Tract. Serarius Lib. 1. rerum Mogunt. c. 42. Georgius Scherer in tract. German. Laurent. Forer in Antiquit. Papatûs. Præfat. ad Lect. & præter alios Joannes Stalenus in peculiari libello, cujus titulus: *Papiſſa Monſtroſa & mera Fabula.* Ex Acatholicis autem præter alios Blondellus Calviniſta in Gallia celebris, affirmans falli vehementer omnes, qui hanc fabulam pro hiſtoria contra Pontificios jactant. Nihilominus quia noſtrates Sectarij non ceſſant nugas has & calumnias identidem in lucem de novo producere, & tanquam rem luce clariorem vendere, paulò pluribus eam hic expendemus. Itaque

XXXIX. *Primò.* Etiamſi totam hanc hiſtoriã daremus eſſe verã, nihil faceret ad rem. Tum quia, ſi Joannes VIII. fuit Mulier, non fuit verus Pontifex; ſiquidem muliebris ſexus ex inſtitutione Chriſti incapax eſt ſacrorum Ordinum & Eccleſiaſticorum. Videri poteſt Diana Part. 12. Tract. de Conſecrat. Epiſcopi, ubi præſentem caſum adducit. Tum quia ſub hoc Monſtro Sedes Apoſtolica vacaſſet, quod continuæ Succeſſioni Romanorum Pontificum tam parum obeſt, quàm parum Romanorum Imperatorum ſucceſſio interrumpitur ex eo, quod imperium à Friderico II. uſque ad Rudolphum II. per annos 28. vacaverit. Tum quia ex unico exemplo alicujus Pontificis libidinoſi non rectè infertur, omnes Pontifices inſtar Antichriſti eſſe impuros; ſicuti inferri non poteſt: unus Concionator fuit diabolus, uti habetur in vitis Patrum. Ergo omnes Prædicatores ſunt diaboli. Tum quia muliebris impudicitia non convenit Antichriſto, qui erit vir in concupiſcentijs fœminarum. Tum quia multis gravibus argumentis ex authoritate & ratione ductis oſtendi poteſt, hanc narrationem eſſe meriſſimam fabulam,

uti citati Authores egregiè præſtiterunt, & ex ſequentibus ſatis apparebit. Unde

X L. *Secundò.* Narratio hæc nullo legitimo nititur Authore. Nam qui eo tempore vixerunt, cum hoc accidiſſe dicitur, vel paulò poſt, in ſuis Chronicis nullam hujus facti mentionem faciunt, ut Anaſtaſius Bibliothecarius, Rhegino Abbas Prumienſis, Rudolphus Fuldenſis, Ado Viennenſis, Odo Cluniacenſis & alij, quos adducit Stalenus Tract. 2. ſui libelli: illi autem, quos hæretici in contrarium citant, aliquot ſæculis poſteà vixerunt; imò Marianus Scotus & Sigebertus Monachus Gemblacenſis nihil horum Scripſerunt, ut aliquis illorum libros corruperit. Martinus Polonus Ord. Prædicat. Pontificis Pœnitentiarius, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, cæterùm homo ſimplex dubiè loquitur deceptus à Schiſmaticis in odium Pontificis talia fingentibus, ut oſtendis Cardin. Baronius anno Chriſti 891. quomodò Platina & alij decipi potuerunt. Videatur Stalenus Tr. 6. ubi de iſtis ſingulis & alijs Scriptoribus egit ex inſtituto eorum verba adducens. Non obſtat, multos Authores tam ante quàm poſt Lutherum huic narrationi de Joanna Papiſſa adſtipulari; quippe obſervamus verba Juſtiniani L. 1. §. ſed neque C de veteri jure enucleando: *Non ex multitudine Authorum, quod melius & æquius (* ſeu verius *) eſt, judicatote.* Nam ſicuti apud Juris-Conſultos ſententia à quinque Doctoribus bene expenſa præfertur opinioni à quinquaginta Doctoribus rem obiter inſpicientibus ſubſcriptæ, ut ſapienter advertit Decius Conſilio 494. ita in hiſtoria, ac nominatim in monſtroſo iſto facto ſeu figmento de Joanna Papiſſa vilipendendus eſt cumulus Chronologicorum & Hiſtoricorum, quorum unus ab altero, & ſimul à pravo ſuo affectu ſeduci ſe ſinit. Sed ajunt Adverſarij, cur ante Lutherum nullus contra eam ſcripſit, aut in dubium traxit? Reſp. 1. omnes Scriptores tempore Leonis IV. & Benedicti III. & ſequentibus 400. añis directè oppoſitum ſcripſiſſe, dum unanimiter tradunt, Leoni IV. immediatè ſucceſſiſſe Benedictum III. & nullius Joannis intervenientis meminerunt 2. dubitaſſe omnes de hac fabula, qui dubiè de eâdem ſcripſerunt, ut nominatim fuit Platina. 3. neminem ei fabulæ ſe oppoſuiſſe, quia ejus vanitas omnibus ſatis conſtare videbatur, donec poſt Lutheri apoſtaſiam Sectarij jam evaneſcentem iterum reſtaurare, & per illam offuſcare Sedem Apoſtolicam ſtuduerunt.

XLI. *Tertiò.* Circumſtantiæ hujus narrationis ſunt prorſus incredibiles. Quia 1. dicitur *Angla fuiſſe, & Moguntiæ nota*; cùm tamen Moguntia ſit in Germania. 2. *ſtuduiſſe in Academia Athenienſi*; cum tunc temporis Athenis nulla fuerit Academia, teſte Sineſio Epiſcopo in Epiſt. ad Frat. 3. *Romæ verſata & pro viro habita, quia virilem habitum geſtabat*; cum tamen veſtitus non poſſit ita tegere muliebrem ſexum, quin in geſtibus, inceſſu, vultu & voce dignoſci poſſit. 4. *ex Scholis repente ad thronum Pontificium rapta*, quod planè alienum eſt à moribus Romanis, nullus enim legitur electus, niſi prius Epiſcopus vel Sacris Ordinibus ſaltem initiatus. 5. *biennium & quinque menſes regnaſſe inter Leonem IV. & Benedictum III*; quod ſpatium non cohæret cum communi Chronologia dictorum Pontificum, niſi alterutri aliquot menſes ſubtrahas, ut præclarè oſtendit Stalenus Tr. 2. cap. 3. 6. in feſto Corporis Chriſti Euchariſtiam circumgeſtaſſe; cum illud feſtum nondum fuerit inſtitutum, ſed 400. annis poſtea, ſcil. anno Chriſti 1262. 7. denique dicitur *in publica proceſſione puerum peperiſſe*; quis autem credat, tam aſtutam fœminam imminente jam partu, cujus prævios dolores ſenſerat, publicæ proceſſioni ſe commiſiſſe cum periculo ſe manifeſtandi?

XLII. Vetera quoque monumenta hujus facinoris à Sectarijs allata ſunt mera figmenta. Nam 1. *nulla talis capella & ſtatua Romæ invenitur.* Et quis credat, Romanos tam ſtupidos fuiſſe, ut in perpetuam hujus ſceleris memoriam ſacrum ſacellum erexerint, ſuámque ignominiam, quod à fœmina tam turpiter decepti fuerint, perpetuaverint? Extat quidem Romæ aliqua ſtatua viri Ethnici adſtante puero quaſi famulo, ſed ad rem nihil facit. 2. *Sella lacera, cui Pontifex recèns electus primùm inſidet*, non eo fine eſt perforata, ut ſexus exploretur (quod ante electionem fieri deberet) ſed humilitatis gratiâ, ut meminerit, ſe ex humili ſtatu ad tantam dignitatem evectum; propterea ſedenti accinitur ex 1. Reg. 2. v. 8. *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem.* 3. *plateam*, ubi hoc contigiſſe dicitur, ſæpius Pontifices tranſijſſe, teſtatur Onuphrius Panvinius in ſuis Annotat. ad Platinam, quamvis crebriùs tranſeat per alias plateas comodiores. Plura de monſtroſa hac Papiſſa videri poſſunt apud cit. Auth. Solùm addo, nonnullos apud Djanam loc. cit. putare, occaſionem huic fabulæ dediſſe fœminam hujus nominis, quæ in Pontificatu Joannis VII. præpotens fuit, ut vulgò Papiſſa audiret; unde creſcenti paulatim famæ facile fuit addere reliqua, ex quibus fabula iſta ita ſpecioſè texeretur, ut imperitis Scriptoribus hiſtoria videretur; etſi Cardinalis Bellarminus Lib. 3. de Rom. Pontif. c. 24. ejuſdem originem velit ab alia quadam fœmina, quæ teſte Leone IX. in epiſt. ad Michaëlem inter multos Eunuchos in Patriarchalem Sedem Conſtantinopolitanam irrepſit; quam dein hiſtoriam Romanæ Eccleſiæ hoſtes à Conſtantinopolitano Patriarcha ad Romanũ Pontificem converterunt, & varijs circumſtantiarũ phaleris auxerunt.

XLIII. *Sexta denique nota Antichriſti eſt horrendus ejus interitus.* Nam Chriſtus ſuorum miſertus arma capiet, &, ut ſcribit S. Joannnes Apocal. 19. v. 10. & ſeq. comitantibus Angelis viſibiliter de cœlo deſcendet præliaturus cum Antichriſto, cui iſte audacter ſe opponet, ſed fuſo exercitu ipſe cum ſuo Pſeudopropheta fulmine ictus ad inferos deſcendet; unde vers. 20. dicitur: *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Ubi, inquit ſacer textus cap. ſequent. v. 10. *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Eundem hunc Antichriſti interitum indicat Apoſtolus ad Theſſal. 2. v. 8. verbis ſupra cit. *Quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui*, hoc eſt, perdet & abſumet non arcu & gladio, ſed ſolo Spiritu ſeu flatu oris ſui, id eſt, ſolo juſſu & nutu ſuo per Michaelem Archangelum fulgure præcipitando illum è ſublimi aëre deorſim, unde terrâ dehiſcente vivus corpore & animâ in tartara à dæmonibus abripietur, mortuus tamen, antequam eò pertingat. Hæc quoque nota minimè cadit in Romanum Pontificem; quis enim ex omnibus

hoc

Digitized by Google

hoc modo perijt, hoc eſt, cœleſti fulmine tactus viſibiliter ad inferos deſcendit?

XLIV. Confugiunt Sectarij rurſus ad tropos dicendo, verba Prophetarum de interitu Antichriſti non intelligenda propriè de corporali interitu; ſed allegoricè de morali, hoc eſt, de imminutione Pontificiæ Authoritatis, quæ facta ſit Spiritu oris Chriſti per prædicationem Prædicantium. Verùm in hac reſponſione præter commune vitium improprietatis ſæpius jam caſtigatæ etiam manifeſta falſitas continetur; quippe Poteſtas Pontificia hactenus non eſt imminuta; ſed potius amplificata fuit per converſionem Indorum, quæ Apoſtaſiam hæreticocum in Europa abundè ſupplevit. Prudens Lector ex uno hoc, quod de Sancto Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo ſcribit Jacobus Bozius de ſignis Eccleſiæ DEI ſig. 20. conijciat, quantopere poſt Lutheri defectionem in prædictis Indijs Authoritas Pontificia creverit: *Univerſi, inquit, heretici ab Eccleſia Chriſtiana conſtitutione per tot ſecula per annos mille quingentos & amplius haud traduxere ad hereſes ſuas tot gentes aut idololatras aut alioquin à Chriſti cultu alienas, quot unus Xaverius ad Chriſti cultum annis undecim. Unus Xaverius plures gentes & homines plures annis undecim Chriſto adjunxit, quam innumerâ hereticorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos mille quingentos.* Ita ille.

XLV. Cum igitur ex hactenus dictis liquidiſſimè conſtet; nec Singularitatem Antichriſti, nec Nomen; nec Stirpem, nec Tempus, nec Locum, nec Mores, nec Interitum competere Romanis Pontificibus, nullâ probabilitate dici poteſt, eoſdem Romanos Pontifices eſſe Magnum Antichriſtum. Unde Proteſtantes graviter audire non poſſunt vocem illam, & publicam proteſtationem Sereniſſimi Principis & utriuſque Bavariæ Ducis, ac poſtea Sac. Rom. Imperij Electoris Maximiliani in poſtremo colloquio Ratisbonenſi Anni M.DC.I. Seſſ. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij graphicè ac liberè diceret: *Vos appellaſtis Romanum Pontificem Antichriſtum; quæ eſt injuria inſignis & clariſſima, & hoc nunquam probabitis.* Et rurſum: *imò eſt inſignis injuria, quæ redundat in omnes Catholicos.* Nam ſi Romani Pontifices ſunt Antichriſtus Magnus, *ſequitur apertiſſimè 1.* Idipſum Romanum Imperium Francos & poſtea Germanos laudatiſſimos Imperatores per Antichriſtum accepiſſe. *Sequitur 2.* Antichriſtum Germanis Principibus poteſtatē atque Authoritatem tribuiſſe eligendi Imperatorem. *Sequitur 3.* Germaniam nullos unquam verè Chriſtianos Principes atq; Imperatores ante Lutherum: ſed Idololatras & Antichriſti proſtibula habuiſſe: Imo nec orbem terrarum: ſiquidem omnes Reges, & Principes Chriſtiani ante Lutherum ſeſe Romano Pontifici ſubjectos & obnoxios profitebantur, tanquam Oves Paſtori & tanquam Diſcipulos Magiſtro; ac tanquam Filios Patri: *Sequitur 4.* Romanum Imperium jam ante mille annos ſublatum fuiſſe, cum hæc certa ſit Nota adventûs Antichriſti, ut ex Apoſtolo & Daniele Propheta magno conſenſu docent Græci ac Latini Patres apud Cardinal Bellarminum Lib. 3. de Pontif. c. 5. ſupra jam citato. Judicent autem ipſimet Proteſtantes, an non iſthæc cedant in gravem injuriam Romani Imperij ſub Auguſtiſſimo & feliciſſimo Imperatore Leopoldo I. etiamnum florentis? DEUS porro ad defenſionem Sac. Rom. Eccleſiæ & Imperij dexteram Majeſtatis ſuæ extendat? Videatur Opus germanico idiomate recens editum à P. Chriſtophoro Ott Societatis JESU, cujus titulus ROMA GLORIOSA; ubi 243. Paparum vitas, mores, ac geſta fideliter recenſet, & ad hæreticorum objectiones ſolidè reſpondet in nullo à doctrinis noſtris diſſentiens.

CONCILIA.

UNiverſam Religionis Controverſiam, qui compendio expedire volet, is ex Concilijs veteris orthodoxæ Eccleſiæ nullo negotio intelliget, quænam partium hâc ætate ſibi adverſantium veram incorruptámque Fidem amplectatur; quæcunque enim cum articulis horum Conciliorum integrè conſentire reperit, hæc à vera atque orthodoxa Religione aliena eſſe non poteſt. Unde magna ſemper fuit Authoritas Conciliorum in Eccleſia adverſus multiplices fraudes hæreticorum, qui idcirco omnem operam induſtriam & laborem etiamnum adhibent in Eccleſiaſtica illa authoritate labefactanda, ut bene notat Cardinal. Bellarminus hîc in præfatione. Quare Pontifici imprimis ſubnectimus Concilia, cùm hæc ab illo velut Corpus (Eccleſiæ ſcilicet Militantis, quam repræſentant) à Capite viſibili in terris dependeant, & quæ à Doctoribus de iiſdem inquiruntur, ac diſceptantur, ad ſequentes Controverſias redigemus ac breviter expendemus.

CONTROVERS. XXXII.

CUJUS SIT CONVOCARE *Concilium, & illi præeſſe.*

I.

ALbertus Pighius Lib. de cœleſt. Hierarch. c. 1. Originem Conciliorum putat eſſe humanam, & naturali ratione excogitatam. Verùm etſi ratio naturalis dictet, ut in rebus dubijs Princeps conſulat viros peritos, tamen ut Epiſcopi ſolùm conveniant, & iſti non ſint Conciliarij, ſed Judices, non videtur ſolius rationis humanæ inventum; unde melius Bellarminus Lib. 1. de Concilijs cenſet, orginem illam eſſe divinam; quia Sancti Patres docent; Concilia demonſtrata fuiſſe illis Chriſti Verbis Matth. 18. v. 20. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum ſum.* Et abſque dubio Apoſtoli divini Spiritûs motione inducti primarium illud Concilium Actor. 15. coëgerunt; unde v. 28. ajunt: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis &c.*

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

II. NOmen Latinum Concilij reperitur paſſim in utroque Teſtamento. Nomen Synodi habetur in Can. 38. Apoſtolorum. In græco textu loco utriuſque; nempe Concilij & Synodi ponitur *συνέδριον* vel *σύνοδος*. Reipsâ Concilium eſt legitimus conventus Præſulum Eccleſiaſticorum ad di-

ad dirimendas Fidei controverſias aut mores Cleri ac Populi corrigendos congregatus. Quamvis enim ad hunc finem ſolius Papæ authoritas ſufficeret; quia tamen ipſa multitudo Præſulum plus authoritatis habet apud homines, expedit ad horum audaciam confrigendam ſubinde Concilia convocare, ſicuti etiam ad politica negotia componenda interdum comitia ſtatuum Regni vel Imperij indicuntur. Illegitimus autem conventus non vocatur Concilium, ſed conciliabulum.

III. Dividitur Concilium in Univerſale & Particulare; illud nomine totius Eccleſiæ celebratur: hoc nomine alicujus particularis. Univerſalitas autem non tam rigidè ſumenda eſt, quaſi omnes omnino Epiſcopos ac Prælatos convenire oporteat, ſed cum 4. his limitationibus ex antiqua Eccleſiæ praxi deſumptis. 1. Sufficit omnes totius orbis Epiſcopos advocaſſe, licet non omnes compareant; nunquam enim in ullo concilio omnes comparuiſſe leguntur propter varia impedimenta, dummodo inſignis ſe multitudo ſiſtat. 2. Satis eſt, omnes vocare, qui commodè vocari & exſpectari poſſunt; quis enim ex India remotiſſima tam diſtantes Epiſcopos in Europam evocet, præſertim neceſſitate urgente? 3. Non neceſſum, ex ſingulis Nationibus mundi aliquos Episcopos comparere, modò ex duabus præcipuis orbis partibus, nempe Oriente & Occidente aliqui adveniant; multa quippe Concilia Conſtantinopolitana pro Oecumenicis, hoc eſt, totius Orbis habentur, quibus tantùm Græci & Romani interfuerunt. 4. Non eſt opus, ut Orientales & Occidentales Epiſcopi eodem tempore & eodem loco conveniant, modò Legati Pontificij interſint, qui alterius partis vices obeant; imò eſt ſatis, ſi Concilia in diverſis locis habita poſtmodum inter ſe conſentiant, & decreta invicem approbent, ſicuti eſt factum in nonnullis Concilijs Conſtantinopolitanis.

IV. Particulare Concilium eſt triplex. 1. vocatur Nationale, in quo totius alicujus Nationis Epiſcopi ſub uno Patriarcha vel Primate congregantur, ut Concilium Germanicum, Gallicum &c. Unde fieri poteſt, ut Concilium Nationale interdum ſit multò majus Generali quoad numerum ſcilicet Epiſcoporum non quoad authoritatem. 2. dicitur Provinciale, ad quod plures Epiſcopi cum ſuo Archi-Epiſcopo conveniunt, ut Concilium Moguntinum, Salisburgenſe &c. 3. appellatur Diœceſanum, ubi cum Epiſcopo Parochi congregantur, & minùs propriè Concilium vocatur, ſed potius Synodus, ut Synodus Auguſtana, Paſſavienſis &c. Agimus autem hîc ſolùm de Univerſalibus, quia particularia ſunt innumera, & parvæ authoritatis. Finis Conciliorum univerſim, & fructus unicè in ijs quæſitus eſt inſtauratio Eccleſiaſticæ Diſciplinæ tam doctrinâ ſanam quàm mores integros complectentis, ut patet ex deſcriptione Concilij allata. His pro terminorum notitia præmiſſis.

V. *Doctrina prima.* Convocatio Conciliorum Generalium ad Romanum Pontificem ſpectat tanquam ad Caput Univerſæ Eccleſiæ. Ita omnes Catholici, teſtatúrque S. Marcellus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Provinciæ Antiochenæ ante annos 1300. ſic olim ab Apoſtolis fuiſſe declaratum. Ratio eſt. Quia ſicut in corpore humano omnia membra ab imperio & nutu Capitis pendent, ſic in Corpore morali Eccleſiæ omnia membra à Pontifice tanquam à ſupremo Capite pendere debent. Confirmatur. Concilium Eccleſiæ non eſt legitimum, niſi congregetur in Nomine Chriſti Matth. 18. v. 20. Congregari autem in Nomine Chriſti nihil videtur aliud, quàm congregari authoritate Chriſti, hoc eſt, ab eo, qui à Chriſto habet congregandi poteſtatem; nempe Romano Pontifice, cum Romana Eccleſia inter omnes Eccleſias prima & præcipua ſit; utpote *in qua ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus*, ut teſtatur S. Auguſtinus Epiſt. 62. Certè nemo alius unus præcipere omnibus Epiſcopis poteſt, ut in Concilio compareant. Dicere autem cum Ameſio Tom. 2. fol. 6. & alijs Sectarijs, nullius hominis authoritate opus eſſe, ut congregentur homines in Nomine Chriſti, vel ex omnibus partibus muudi, vel etiam ex aliquibus, amentia eſt jam protrita hæreticorũ, olétque independentia hæc confuſionem Babylonicam, ut iſtâ ratione, quandocunque duo vel tres Prædicantes cum ſuis Biblijs congregantur, perſuaſum ſit miſeræ plebeculæ, Chriſtum eſſe in medio ipſorum.

VI. *Doctrina ſecunda.* Prædictam poteſtatem convocandi Concilij poteſt ſummus Pontifex alijs etiam ſæcularibus delegare. Ita communis apud Bellarminum Lib. 1. de Concil. c. 12. Et ſic nonnunquam Pontifex delegavit Imperatoribus initio Eccleſiæ. Nam cum Pontificum tunc exigua valde eſſet poteſtas, & divitiæ, totúmq; dominium temporale penes Imperatores exiſteret, ut abſque illorum conſenſu Concilia cogi non poſſent, idcirco Papæ rogaverunt illos, ut Nomine ipſorum ſcilicet ſummorum Pontificum Epiſcopos undique ad Concilia convocarent.

VII. *Doctrina tertia.* Præſidentia & Directio Concilij ad officium pertinet Pontificale. Ita quoque communis Catholicorum apud Bellarminum Lib. 1. cit. c. 19. Probatur ex perpetua veterum Eccleſiarum praxi. In primo generali Concilio Nicæno Conſtantinus M. poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, ut teſtatur Baſilius Imperator in fine Synodi VIII: At Præſes primo loco ſubſcripſit, nempe Oſius Epiſcopus, Vitus & Vincentius Preſbyteri nomine Silveſtri Papæ, cujus Legati fuerunt, & ideo etiam præſederunt teſte Athanaſio oculato in epiſt. ad Solitar. ubi refert, *Oſium fuiſſe* (loco Sylveſtri) *Synodi Principem, & Nicæna Fidei Symbolum compoſuiſſe.* Deinde Conſtantinus non eſt auſus ſedere, niſi in humiliori loco, quàm eſſent Epiſcoporum, & annuentibus Epiſcopis, ut colligitur ex Theodoreto Lib. 1. c. 7. Hiſt. & ex Euſebio L. 3. de vita Conſtant. Demum Conſtantinus in ipſo Concilio profeſſus eſt, *ſe debere ab Epiſcopis judicari, eiſque eſſe ſubjectum, non præpoſitum*, ut ſcribit Ruffinus Lib. 10. c. 2. Ergo quod iſte primus & maximus Imperator Chriſtianus nec affectavit, nec ei permiſſum eſt, credibile non eſt, alios ſubſequentes Imperatores vel univerſim affectaſſe, vel ulli permiſſum fuiſſe. Nam quamvis Imperatores nonnunquam primo loco in Concilijs ponerentur, tamen directio ipſis non eſt conceſſa, nec ab illis flagitata. Honorius Imperator in epiſt. ad Frat. Arcadium (quam recenſet Baronius Tom. 5. fol. 209.) ſcribit: *Siquid de cauſa Religionis inter Antiſtites agitur, Epiſcopale oportet eſſe judicium, ad illos enim divinarum rerum interpretatio: ad nos Religionis ſpectat obſequium.* Baſilius Imperator in oratione, quam habuit in octava Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Conſtantinopoli celebrata eſt in cauſa Photij Patriarchæ ſic loquitur:

Digitized by Google

loquitur: *De viris autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè verſamini, quid amplius dicam, non habeo, quàm quod nullo modo nobis liceat de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ & univerſali Synodo adverſari; hæc enim inveſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui Sanctificandi, ligandi, & ſolvendi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claves: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamentis ſolvi egemus.* Nihil clarius dici potuit. Atque hæc præſidentia Pontificis in primo Apoſtolorum Concilio Actor. 15. fuit obſervata, ubi Petrus primam ſententiam tulit, & cæteri in ejus ſententiam abierunt. Confirmatur. Ponamus, nullum eſſe Principem Chriſtianum in Eccleſia, ſicuti multis annis non fuit uſque ad Conſtantinum M. an idcirco nullum fieri poſſet Concilium defectu Præſidentis? Quomodo ergo Apoſtoli habuerunt?

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. *Error primus eſt.* Jus convocandi Concilia Imperatori competit, non ex commiſſione Papæ, ſed ex proprio munere. Ita Lutherus, & Calvinus atque horum aſſectæ apud Gerhardum lib. 2. part. 1. à fol. 735. Ameſium Tom. 2. fol. 1. & alios. Probant 1. Quia Imperatori incumbit cura Fidei & Religionis. Pſal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper montem Sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Probant. 2. Quia ipſimet Pontifices Regibus ſubjecti ſunt, ut docet exemplum Salomonis, qui Abiatharem ſummum ſacerdotem depoſuit 3. Reg. 2. v. 27. Probant 3. Quia multa habemus exempla in ſacris litteris, quod Reges convocârint Sacerdotes ad Concilia celebranda de rebus ad Religionem pertinentibus, ut David 1. Paralip. 13. v. 3. & c. 23. v. 2. Salomon 3. Regum 8. v. 1. Ezechias 2. Paralip. 29. v. 4. Joſias 4. Reg. 23. v. 2. idque DEO placuiſſe teſtatur Scriptura. Cur Chriſtianis Regibus & Imperatoribus id non liceat? Probant 4. Imperatores prima Concilia Generalia indixerunt. Nicænum Conſtantinus: Conſtantinopolitanum Theodoſius: Epheſinum Theodoſius Junior: Chalcedonenſe Valentinianus & Martianus, & ſic deinceps. Conijcitur autem iſtud, inquit Molinæus, ex eo, quod nulla Romani Pontificis fiat mentio.

IX. Error iſte apertiſſimè repugnat Sac. Scripturæ utriuſque Teſtamenti, quæ diſtinguit Eccleſiaſticam & Civilem Juriſdictionem. 2. Paralip. 19. v. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad DEUM pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Chriſtus Joan. 18. v. 36. ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo,* hoc eſt, non eſt mundanum, nec mundanis Pontificibus competens; quod agnoverunt & palam profeſſi ſunt Imperatores Chriſtiani, ut ex hiſtorijs probat Bellarminus L. 1. de Concilijs c. 13. & pluribus argumentis firmat Suarez lib. 4. contra Regem Angliæ, ac Becanus Tom. 3. opuſc. 6. Solum Valentinianum Seniorem Imperatorem afferre lubet; iſte cum importunè rogaretur, ut permitteret haberi Concilium, in quo de quibuſdam rebus fidei decerneretur, in hæc verba reſpondit: *Mihi, qui unus è numero Laicorum ſum, non licet ejuſmodi negotijs me interponere; Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ubicunque illis lubitum fuerit, conveniant.* Refert Baronius A. C. 364.

X. Reſpon. ad 1. Regibus & Imperatoribus competere commiſſam defenſionem & executionem: non doctrinam & interpretationem ſcripturæ, ut probè novit Theodoſius Junior in epiſtola ad Synodum Epheſinam ſic ſcribens: *Candidianum Comitem ad hanc Sacram veſtram Synodum abire juſſimus: ſed eâ lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat; nefas enim eſt, qui Sanctiſſimo Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, cum Eccleſiaſticis negotijs & conſultationibus ſe immiſcere.* David loc. cit. non loquitur, ut Rex, ſed ut Propheta, & in Perſonâ Chriſti, qui præcepto æterni Patris *conſtitutus eſt Rex ſuper montem Sion,* hoc eſt, univerſam Eccleſiam DEI prædicaturus &c. ut rectè ex communi aliorum Interpretum Tirinus. Ad 2. Salomonem quoque non regiâ poteſtate, ſed prophetico inſtinctu Pontificem depoſuiſſe, ut diximus jam ſupra. Sed inſtant hæretici, eo tempore, quo hæc depoſitio Pontificis facta eſt, Salomonem nondum fuiſſe Prophetam, cum donum Prophetiæ poſtea primùm accepiſſe legatur 3. Regum c. 5. v. 12. Aio. donum prophetiæ eſſe diviſibile, & partem priùs, partem poſteriùs conferri; ſicut Apoſtolis Joan. 20. v. 23. Chriſtus ſuo afflatu Spiritum Sanctum contulit, id eſt, aliqua dona Spiritûs Sancti: & poſtea Actor. 2. v. 4. iterum acceperunt Spiritum Sanctum, id eſt, copioſiorem ejus gratiam. Itaque Salomon ante illud ſomnium potuit habuiſſe partem prophetiæ, & ejus virtute Pontificem deponere, licet aliam partem poſtea acceperit. Ad 3. Exempla Regum Judaicorum, qui Levitas & Sacerdotes in Concilium advocârunt, non probare Spiritualem eorum Juriſdictionem. Tum quia non imperioſè, ſed amicabiliter invitârunt. Tum quia non ad decidenda dubia Religionis, ſed ad aliquam Solennitatem cultûs divini convocati ſunt, ut patet per textum. Non obeſt, quod objicit Joannes Gerhardus fol. 737. ipſum etiam Romanum Pontificem à Martiano Imperatore ad Synodum eſſe vocatum; qui, cum non potuit, quatuor Legatos miſit. Nam vocatus fuit non pro imperio & poteſtate ſed precibus & ſubmiſſione rogatus. Ad 4. Concilia illa prima ab Imperatoribus quidem etiam fuiſſe indicta, ſed ex Pontificum ſententia & conſenſu. Et quamvis Gerhardus, Molinæus, Ameſius, aliique Sectarij multa pro Cæſarea authoritate moveant, aliud tamen non evincunt, quàm Imperatores Catholicos & Religioſiſſimos Conſtantinum, Theodoſium, Martianum &c. ſuas partes pro illo opere celebrandi Concilij ſtrenuè geſſiſſe, dum vel ſponte concilia petebant à Romanis Pontificibus: vel ab iſtis convocanda, (ſi quando Concilij locus illorum ditioni ſubijceretur) ita poteſtate ſuâ communiebant, ut liberam poteſtatem Papæ relinquerent, in ea urbe Concilium celebrandi; imò ſeipſos Concilij fautores & propugnatores exhiberent, adeóque ſeipſos Authoritatis Pontificiæ potius Miniſtros, quàm rivales ac Dominos præberent; unde in Concilio Nicæno Conſtantinus M. ſedit in hu-

Digitized by Google

in humili ac demiſſo ſedili, nec prius ſedit, quàm à Patribus ad id rogatus, ut in ejus vita ſcribit Euſebius Lib. 3. c. 10. Et quam majorem mentionem Pontificiæ Authoritatis Molinæus deſiderare poteſt?

XI. Quod autem non à Solo Pontifice (ut poſtea factum) Concilia indicerentur, ratio non erat, quaſi ſine authoritate Imperatoris coacta non forent rata apud Chriſtianos, ut ſomniant Novatores, cum apertè dicat D. Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes: *quando unquam judicium Eccleſia ab Imperatore authoritatem habuit?* ſed propter alias cauſas. 1. quia prohibiti tum fuerunt frequentes hominum conventus ſine authoritate Imperatoris. 2. quia non poterat fieri concilium niſi in aliqua urbe imperiali. 3. quia ſumptibus publicis Imperatoris ſine diſpendio Eccleſiarum fiebant generalia concilia. 4. quia eo tempore Papa in temporalibus ſubijciebat ſe Imperatoribus, & ideò non poterat invito Imperatore aliquid agere; & cum duntaxat debuiſſet petere auxilium ad convocandam Synodum, vel ut permitteret convocari Synodum, tamen quia Dominum ſuum temporalem agnoſcebat, ſupplicabat, ut juberet convocari Synodum; ſupplicabat, inquam cum Bellarmino c. 13. cit. non quaſi abſque tali indictione Authoritas Concilij eſſet nulla, ſed quia ob rationes prædictas ſine conſenſu Imperatorum Concilia cogi non poterant, ut ſupra etiam jam diximus. Unde ex nominato vocabulo (*Supplicabat*) ineptè geſtit & triumphum ſibi decernit Ameſius tom. 2. fol. 11. quaſi Bellarminus per unum hoc vocabulum Adverſarijs omnia conceſſiſſet; cum tamen quæſtio in præſentiarum non ſit de qualicunque indictione, ſed de tali, ſine qua Authoritas Concilij eſſet nulla; qualem authoritatem indicendi Concilium Oecumenicum nunquam Imperatori conceſſit Bellarminus. Et repugnat huic Luthero-Calvinicæ imaginationi non tantùm tota antiquitas, ut ſupra vidimus, ſed evidens etiam ratio; etenim ſi nullus foret Imperator aut Rex, ſed omnium Chriſtianarum Provinciarum ac Urbium regimen eſſet Poliarchicum, utique adhuc Synodus œcumenica convocari poſſet.

XII. Urget Gerhardus Lib. 2. part. 1. cit. fol. 745. ita ratiocinans. Poteſtas convocandi Concilia ſuperiorem poteſtatem in temporalibus includit. Ergo cum hæc non fuerit in primis quatuor Concilijs penes Romanos Pontifices, nec illa fuit. Reſpon. negando Antecedens; quia ad temporalem & Politicam poteſtatem per ſe directè & principaliter non pertinet cura Conciliorum & rerum Eccleſiaſticarum, niſi ut tanquam Adjutores Protectores & Executores partes ſuas agant, uti omnes pij Imperatores agnovêre. Et in Synodo VIII. Baſilius Imperator univerſaliter pronunciavit: *Nobis Laicis nullo modo licet Eccleſiæ cauſis ſermonem movere &c.* Itaque ſubjectio Pontificum in temporalibus ſex primis ſæculis nihil juris in res Eccleſiaſticas Imperatoribus & Regibus contulit; ex quo ruit fundamentum diſcurſûs Gerhardi.

XIII. *Error ſecundus eſt*, non competere præſidentiam in Concilijs Romano Pontifici. Ita Calvinus L. 4. Inſtit. c. 7. §. 1. & 2. & omnes alij hodie Sectarij apud Gerhardum Lib. 2. part. 1. à fol. 761. & Ameſium tom. 2. à fol. 22. Probant. Tum exemplis Concilij Apoſtolici Luc. 15. & Conciliorum veterum Eccleſiaſticorum; ſicut enim in illo non præſedit Petrus, ita in poſterioribus Romani Pontifices præſidentiam non habuerunt. Tum quia ſi Pontificis Romani munus eſſet, Concilijs præeſſe atque ita moderari, tunc perſonaliter illis intereſſe, ſuóque fungi officio deberet. Atqui hoc non ſolet facere; ſed plerumque tantùm Cardinales ſuo loco delegat. Sicuti in ultimo Concilio Tridentino ſub tribus Pontificibus per 18. annos celebrato nullus unquam Pontifex comparuit. Confirmant. Principibus commiſit DEUS cuſtodiam legis, ut dicitur ad Rom. 13. v. 4. *Si malè egeris time, non enim ſine cauſa gladium portat.* Ergo Principum eſt, judicare de lege, quomodo ſit ſervanda: & punire tranſgreſſores.

XIII. Error iſte apertè adverſatur Sacræ Scripturæ, quam tamen unicè obſervandam clamant hæretici. Nam conſtat ex Joannis ultimo, Pontificem eſſe Paſtorem, & Patrem Univerſæ Eccleſiæ: cæteros verò etiam Epiſcopos & Principes Oves & Filios; ſiquidem de his dictum fuit v. 17. *Paſce oves meas.* Si autem Pater & Paſtor eſt Summus Pontifex, quomodo non eſt Præſes in Concilijs? Vident vim hujus argumenti inſuperabilem hæretici, ideóque Gerhardus omnium nomine ſcribit fol. 702. Non negamus ſimpliciter Epiſcopo Romano præſidentiam, quia in quibuſdam Concilijs Epiſcopi Romani Legatos præſediſſe novimus, ſed hoc abſolutè & ſimpliciter neceſſarium eſſe negamus: comprimis verò præſidentiam cum Papali authoritate, ac Monarchica poteſtate conjunctam ei competere negamus, ut ipſius ſententiam omnes Aſſeſſores ſequi teneantur. Sed quomodo neceſſarium non eſt, ut Paſtor præſit ovibus, & pater filijs ſuis, idque cum Papali ac Paſtorali authoritate & ſuprema poteſtate? Quomodo oves non tenentur ſequi ductum Paſtoris, & filij doctriam Patris ſui? *Filius Sapiens doctrina Patris.* Proverb. 13. v. 1. Pagninus vertit, *audit diſciplinam.* Chaldæus *ſuſcipit.* Quomodo etiam Sectarij non abſolutè & ſimpliciter negant præſidentiam in Concilijs Romano Pontifici, ſi illa, ut ajunt, ad Principes ſæculares ſpectet?

XIV. Reſpon. ad 1. probationem. Negando D. Petrum in Concilio Apoſtolorum, & Romanos Pontifices in veteribus Eccleſiaſticis Concilijs non præſediſſe. In Concilio Apoſtolico Act. 15. S. Petrum præſediſſe affirmat D. Hieronymus in in Epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter epiſtolas Auguſtini; Idque ex eo colligitur, quod Petrus primus ſurgat, primus loquatur, primus quæſtionem definiat, &c, ut ait Hieronymus, *Omnes ejus ſententiam ſequantur.* In Nicæno primo Nomine Romani Pontificis præſederunt Hoſius Epiſcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, ut patet ex eorum ſubſcriptione ante omnes alios. In ſecundo generali Conſtantinopolitano nemo quidem adfuit Occidentalium, ſed eodem tempore celebrabatur à S. Damaſo Romæ Synodus Occidentalium, quibus ſe animo (cum juſtis de cauſis corpore non poſſent) conjunxêre Orientales Conſtantinopoli congregati; quod autem PP. Conſtantinopolitani agnoverint Damaſum Caput ſuum: & ipſe eos Filios, patet ex epiſtol. eorum apud Theodoretum. In tertio generali Epheſino præſediſſe Cæleſtinum Papam per S. Cyrillum Legatum ſuum, teſtantur omnes Hiſtorici. In quarto generali chalcedonenſi Legatos Papæ præſediſſe,

Digitized by Google

ſediſſe, nec ipſi Sectarij negare audent. Inter fuit quidem Martianus Imperator & ſedit primo loco, non tamen præſedit ut Judex, ſed ut Defenſor contra violentiam, ne Epiſcopi ad ſubſcribendum vi cogerentur, ut ipſemet teſtatur Orat. ad Synodum. Molinæus in ſuo novo Papatu fol. 148. non negamus, inquit, Cyrillum præſediſſe in Concilio Epheſino: at non ut Legatum Papæ. Dicimus, Cyrillum præſediſſe inprimis nomine Cæleſtini Epiſcopi Romani, tanquam Legatum ab hoc conſtitutum: deinde nomine ſuo tanquam Archiepiſcopum Alexandrinum. Ita ſe habent verba Concilij Ephes. in Part. 2. Act. 3. fol. 240. *Sedentibus in Sanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, Reverendiſſimis & Sanctiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & locum obtinuit* Sanctiſſimi ac Beatiſſimi *Cæleſtini Archi-Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ: & Juvenali Hieroſolymorum &c.* Videatur Forer L. 6. c. 16. de Antiquit. Papat.

XV. Ad 2. probationem negando ſequelam Majoris. Quia abſentes plerumque melius per Legatos fungi munere ſuo poſſunt; ſiquidem eorum præſentia multa incommoda procuraret, ut bene ponderant Bellarminus & alij. Nam 1. inquiunt, poſſet oriri contentio de præcedentia cum Imperatore. 2. Epiſcopi ejus Majeſtate territi minùs liberè auderent ſuam dicere ſententiam. 3. Numeroſus comitatus tantæ Majeſtati conveniens occuparet domicilia, ut Epiſcopis non eſſet locus. 4. minùs decet Pontificiam dignitatem, ſubditos ſequi, qui potius deberent illam ſequi, & Romam proficiſci; Atque idcirco Papa interfuit Concilijs Romanis, & quibuſdam alijs, quæ ipſe vocavit ad ſe, id eſt, ad locum, ubi ipſe erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Occlamitant hæretici, has rationes ex mera ſuperbia proficiſci, cur enim pudeat Paſtorem ſequi oves, cum Filius DEI propter illas è cœlo in terram deſcenderit, & Imperator ſubjectos Principes ad comitia ſequatur? planè phariſaicum eſt, primas cathedras in Synagoga ambire, cum Chriſtus ſuaſerit in noviſſimo loco recumbere Matth. 23. v. 6. Luc. 14. v. 10. Reſpon. ad iſtas cavillas breviter. 1. hanc gravitatem Papæ eſſe pro tuenda Authoritate; quaſi pompâ Chriſtus non indiguit alia habens media flectendi, quò vellet, hominum animos. 2. Primas cathedras & primũ locum quærere non eſſe vitium apud eum, qui majoris cæteris eſt dignitatis. 3. Imperatores in una civitate ſui Imperij indicere comitia: Chriſtus etiam deſcendens de cœlo *in propria venit* Joan. 1. v. 11. Sic nec Papa ad concilia intra ſuum territorium venire gravatur. Non obeſt, primos Pontifices humiliùs ſe geſſiſſe; quia Eccleſia tunc nondum in tantam crevit arborem ex minimo grano ſinapis. Matth. 13.

XVI. Ad confirmationem. Reges ac Principes eſſe Cuſtodes legis divinæ, ſed non Interpretes: ac proinde ad eorum officium pertinere, ut edictis ſuis jubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent: & hæreticos ab Eccleſia judicatos coërceant pœnis temporalibus, ſicuti D. Auguſtinus docet in epiſt. 48. 50. & 166. ac pij Imperatores Conſtantinus, Theodoſius, Martianus alijque id ſæpe fecerunt, ut patet ex L. cunctos populos. C. de ſumma Trinitate & Fidei Catholica. Et ex toto titulo de hæreticis in cod. Cod. *Sum quidem Judex Palatinus*, inquit Theodoricus Italiæ Rex ad Joannem Pontificem, *ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus.*

CONTROVERS. XXXIII.

QUINAM SINT CONVOCANDI ad Concilium generale.

IN Concilijs varia negotia circa Controverſias Fidei ac Cleri populique mores ſe offerunt, quæ a certis tantùm perſonis ex diverſis ſtatibus hominum ſelectis pertractari debeant: quænam autem illæ ſint, jam inquirendum & ſtatuendum.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Ad Concilia quotuor hominum genera requiruntur & convocanda ſunt. Explicatur. Nam imprimis proponi debet ſtatus quæſtionis, de qua deliberandum & ſententia ferenda, ad quod neceſſarij ſunt Theologi, qui in utramque partem diſputando rei difficultatem aperiant; ſicut in ſtatu politicò conſtituuntur Referentes, qui cauſam dividicandam proponant. Deinde judicandum, quid verius cenſeatur; quod pertinet ad Prælatos Eccleſiæ judiciali poteſtate præditos, nim. Epiſcopos, Abbates, Generales &c. Porro numeranda ſunt ſuffragia, in quam partem plures inclinent, quia tantùm juxta majorem numerum ſuffragionum fertur ſententia; cui negotio ſubſerviunt Notarij ſingulorum vota annotantes. Demum ſententia eſt executioni mandanda; ad quod ſæpe opus eſt ſæcularium Principum auxilio, qui vel perſonaliter comparent, vel ſuos Legatos ſubmittunt.

II. *Doctrina ſecunda.* Epiſcopi & Prælati in Concilijs non tantùm ſuſtinent perſonam Conciliatiorum, ſed etiam Judicum, quod munus cæteris præſentibus non competit. Ita omnes Catholici. Eſt autem hoc diſcrimen inter Judices & Conſiliarios, quod iſtorum ſententia non habeat vim obligandi, ſed tantùm dirigendi: illorum autem ſententia ſubditos obligat, perinde ut in Conſultationibus non attenditur numerus Conſiliariorum, quia Judex poteſt pauciores ſequi; imò omnibus contradicere, hoc poſito. Probatur catholica doctrina. Tum quia definire in Concilijs ea, quæ ſunt credenda vel agenda, proprium eſt officium Paſtorum; etenim propriè paſcere eſt ita docere, ut teneantur alij credere. Atqui Soli Epiſcopi ſunt Paſtores. Ergò &c. Tum quia veteres paſſim teſtantur, Concilia eſſe Epiſcoporum Euſeb. Lib. 5. c. 23. S. Cyprianus epiſt. ad Julianum. Ambroſius Epiſt. 23. Hieronymus Lib. 2. contra Ruffinum. Auguſtinus epiſt. 119. Athanaſius, Leo M. & alij. Unde etiam omnium Conciliorum haſtenus celebratorum decreta ab Epiſopis ſolis facta fuiſſe, patet ex ſubſcriptionibus.

 Quare

tavit Antichriſti notam ? *Iſto nihilo ſapientiones alij inter* Antichriſtianos Pontifices ponere audent omnes illos, quotquot in hiſtorijs reperiuntur aut miſſas celebraſſe, aut ordini miſſæ aliquid addidiſſe, quales ipſis ſunt Alexander I. Teleſphorus, Marcus, Gelaſius, Siricius, Leo I. & Innocentius I. quorum duo primi ipſo S. Victore antiquiores ſunt, atque ambo Martyres etiam Chriſti fuerunt. Sed quæ dementia ! an Martyrium pro Chriſto ſubibit Antichriſtus? cæteri vitæ Sanctitate & Zelo Chriſtianæ fidei fuerunt longè clariſſimi & in omnibus hiſtorijs laudatiſſimi Papæ, an talis juxta Sacram Scripturam erit Antichriſtus? Jacobus Hailbrunner, & nonnulli alij hæretici dicunt, Antichriſtum ſub Imperatore Conſtantino M. circa annum 312. ſuum habuiſſe initium. Sed fuitne Conſtantinus Imperator, vel Sylveſter Papa? Sylveſter, ajunt utique. Ergo Antichriſtus primum Imperatorem Chriſtianum per datum baptiſmum Chriſto peperit, ſimulque Romanum Imperium ejuſdem fidei & Eccleſiæ ſubjecit ? quo quid ineptius & ſtolidius fingi poteſt ? unde benè Adverſarij Mileſiam illam fabulam in confirmationem afferunt, quod eo tempore in aëre hæc vox ſit audita : *hodie venenum infuſum eſt Eccleſiæ* ; ſcil. per luculenta illa dona, quibus Conſtantinus M. affecit Eccleſias, de qua fabella videri poteſt Gretſerus contra Myſtam Salmurienſem, ſive Mornæum prædictum. *Illyricus & Magdeburgenſes* centuriâ 6. cap. 1. docent, Antichriſtum fuiſſe conceptum an. 400. & creviſſe anno 500. ac demum an. 608. natum fuiſſe ſub Imperatore Phoca. Conſentiunt Meno Hannekennius in ſuo Irenico fol. 310. & non pauci alij aſſerentes, tunc erupiſſe Antichriſtum, quando Bonifacius III. Primatū Pontificatûs à Phoca impetravit, & ſe Caput Eccleſiæ atque Epiſcopū univerſalem appellavit. Ab his vix diſſentiens

XX. *Lutherus* Gregorium M. tradit ultimum fuiſſe Romanum Papam : cæteros verò omnes, qui ſecuti ſunt, Antichriſtos ; unde in cap. 13. Apocal. ſcribit, *Papatum ſtetiſſe annis 666. & poſt* hos *Antichriſtum adveniſſe*. Hæc opinio communior eſt non ſolùm Lutheranorum, ſed etiam Reformatorum. Sed contra iſtos omnes eſt. Tum quia Joannes II. Papa à Juſtiniano (qui centum ferè annis Phocam anteceſſit) Caput omnium Eccleſiarum fuit appellatus, ut habetur Cod. L. 1. tit. 1. poſt leg. 3. titulum autem Univerſalis Epiſcopi nec Bonifacius III. vir Sanctiſſimus, nec alij Romani Pontifices ſibi arrogârunt, ſed iſto ambitioſis Conſtantinopolitanis Patriarchis erepto in vicem ſubſtituerunt illum modeſtiâ pleniſſimum: *Servus Servorum DEI*; quo certè Antichriſtus nunquam utetur. Tum quia Gregorius M. in ſumma pace & concordia rerum Fidei ac Religionis fuit cum omnibus Eccleſijs Orientis & Occidentis, ut conſtat ex ipſius Epiſtol. ad omnes Eccleſias miſſis. Tum quia poſt tempus Gregorij Magni circa annum Chriſti 608. ſub Imperatore Pogonato celebratum fuit Concilium ſive ſexta Synodus Conſtantinopolitana Oecumenica, quam veluti legitimam ipſimet hæretici agnoſcunt; cui tamen præfuit Agatho Papa Romanus, quem Patres congregati ſuum Patrem, & ſummum Pontificem appellant Act. 18. Unde ſic arguo. Vel Agatho Papa fuit Antichriſtus, vel non ? Si Primum. Ergo Antichriſtus fuit tunc Pater Epiſcoporum & Chriſtianorum. Si ſecundum. Ergo nec alius Papa ejus Succeſſor eſt, aut fuit Antichriſtus. *Ecce mentita eſt iniquitas ſibi* pſal. 26. v. 12. quodipſum cernere eſt in omnibus alijs hæreticorum opinionibus, quarum tamen plures referre nolo. Videri poteſt Card. Bellarminus Lib. 3. de Pontif. cap. 3.

XXI. Unam adhuc opinionem ſilentio prætaterire non poſſum, & eſt *Hugonis Grotij Hollandi*, qui prorſus ab alijs diſſentit in appendice de Antichriſto, putatque omnia, quæ Sacræ litteræ de Antichriſto produnt, jam effectui eſſe data in primis ſæculis & immanibus Gentilium Imperatorum perſecutionibus. Unde Chriſtianos, qui Antichriſtum adhuc venturum ajunt, comparat Judæis Meſſiam ſuum adhuc venturum jactantibus. Nequaquam igitur concedit ex locis, quos alij hæretici ex Sac. Scriptura adducunt, inferri, ritéque concludi, Romanum Papam eſſe Antichriſtum, de quibus idcirco ſcribit : *Eſſe illos ipſos, qui nullam Religionis pacem ac concordiam, ſed tantùm lites & diſcordias optant, & idcirco contremiſcunt, ſi de compoſitione Controverſiarum Religionis aliquid audiunt, quia ſcil. multùm ipſorum intereſt, Romanum Papam cenſeri Antichriſtum ; ſiquidem plerique illorum medijs vitæ ſuſtentandæ deſtituerentur, niſi hæc diſſenſio foret : & ſi commoda ſua temporalia inde non ſperarent, nec minima apud eoſdem cogitatio futura eſſet hujuſmodi opinionis è Sacra Scriptura eruendæ.* Hæc Grotius, qui uti decipitur, dum contra evidentiſſima Sacræ Scripturæ & Patrum teſtimonia putat, Antichriſtum jam veniſſe, ita ipſiſſimam veritatem tangit in ijs, quæ de alijs Sectarijs affirmat ; quos non malè ſimiles dixeris duobus illis ſceleſtis & libidinoſis Senibus, qui caſtiſſimam Suſannam tanquam adulteram traduxerunt, & tamen hujus adulterij nec locum nec tempus oſtendere potuerunt *in capita ſua mentiti*. Danielis c. 13.

XXII. *Error tertius eſt*. Antichriſtum Magnum eſſe Pontificem Romanum. Ita paſſim hæretici, è quibus Gabriel Povellus Calviniſta ſic aſſeverare audet : *DEUM Sanctè teſtor, tam certò me ſcire, Pontificiam Eccleſiam eſſe Antichriſti Synagogam, quàm Deum ipſum eſſe in cælu, Creatorem viſibilium & inviſibilium : & JESUM Chriſtum veriſſimum Meſſiam.* Conſentit Danhawerus Lutheranus affirmans : *Tam perſuaſus ſum, Papam eſſe Anti-Chriſtum, quàm JESUM Mariæ Filium eſſe Chriſtum* ; cui adſtipulatur Doct. Hoë in cap. 17. Apocal. ubi mundo ad oculum demonſtrare ſe arbitratur, Papam eſſe Magnum Antichriſtum. Nituntur unicè notis Anti-Chriſto in Sacra Scriptura attributis, quas omnes & ſingulas Romano Pontifici optimè convenire, aſſerit Ameſius *ipſos etiam Catholicos probè intelligere* ; quaſi verò mendaciſſimus iſte Puritanus perſpiceret, quid Catholici intelligerent, & in cordibus ſuis voluerent. Aſſignantur autem notæ in Sacra Scriptura ſex, ex quibus Antichriſtus diſcerni valeat. Videamus breviter ſingulas, num in Romanum Pontificem conveniant.

XXIII. *Prima eſt nominis* numerum continentis 666. ut ænigmate inſinuat Joannis Apocal. 13. v. 18: *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt : & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* hoc eſt, tale erit nomen Antichriſti, ut ſi ejus litteræ more græco in numeralibus ſumantur, confecturæ ſint numerum 666. ſicuti in ſimili Sybilla de Chriſto prophetavit, ejus Nomen

fore

Digitized by Google

fore 888. qui numerus exactè reponitur in Nomine

J	10
Y	8
S	200
O	70
V	400
S	200
	888

Hæc Nota nihil evincit, quia vel nulli vel pauciſſimi Pontifices Romani habuerunt nomen, cujus litteræ conficerent numerum 666; & ſi habuiſſent, nihil inde conficeretur; ſiquidem ex hac nota non licet argumentari affirmativè: *Hujus nomen conficit numerum 666. Ergo eſt Antichriſtus*, ſed tantùm negativè: iſtius nomen non conficit hunc numerum. Ergo non eſt Antichriſtus. *Dicunt hæretici 1.* Nomen Lateinos eundem numerum conficere, & hoc omnibus Romanis Pontificibus convenire. Verùm hoc nomen inprimis non ipſi hæretici invenerunt, ſed Irenæus, qui tamen addit, multò probabilius eſſe, nomen Antichriſti non fore Lateinos, ſed Teitan, quod etiam numerum illum exprimit, multóque illuſtrius, cum ſolem ſignificet.

λ	30	T	300
A	1	E	5
T	300	I	10
E	5	T	300
I	10	A	1
N	50	N	50
O	70		666
S	200		
	666		

Adhæc nomen iſtud Lateinos nimis eſt generale, omnibúſque Romanæ ditionis incolis commune, ideóque non idonea nota Antichriſto. Demum ut numerum iſtum 666. inde efficiant, depravant nomen Lateinos ſcribendo per ei, cum tamen per i ſimplex ſit ſcribendum. *Dicunt 2.* hoc myſtico numero in Apocalypſi poſito non ſignificari nomen Antichriſti, ſed tempus adventûs. Verùm jam oſtendimus, in hoc aſſignando Sectarios minimè convenire, nihílque veroſimile afferre poſſe. Et quamvis Lutherus in ſuis Biblijs ad cap. 13. Apocal. ſcripſerit, hos eſſe 666. annos, quibus ſtabit Papatus, tamen à tempore Gregorij M. quo corruiſſe fingitur, firmus adhuc per mille & plures annos perdurat. Videri poteſt Leſſius Demonſtrat. 2. de Antichriſto. *Dicunt 3.* Numerum 666. indefinitè ſumi pro magna multitudine, & ſignificare catalogum omnium Antichriſticolarum. Verùm hoc ſignificatum repugnat uſui Scripturæ & omnium Scriptorum, nullus enim oſtendi poteſt, qui tam expreſſum & nominatum numerum indefinitè uſurpârit: nec tam parvus numerus innumeræ multitudini Antichriſticolarum quadrat. Silentio non hîc præteream ingens delirium Philippi Mornæi ſive Pleſſæi ſupra cit. in ſua hiſtoria Papatûs; quaſi Antichriſtum Romanum in Paulo V. Papa ex proprio ejus nomine veluti manibus deprehenderit, eò quod hæc verba *Paulo V. Vice-Deo* conficiant numerum 666. Credo, ipſummet ſtolidum hominem riſiſſe, cum ita ſecum nugaretur, & quaſi chimæram cepiſſe ſe arbitraretur, dignum ſcilicet factum, quod ſcripto propalaret!

XXIV. *Secunda Nota eſt Vilitatis ſtirpis & familia Antichriſti*, ut indicat Daniel. c. 7. v. 8. vocans illum *cornu parvulum*, ut Patres interpretantur; credibile autem eſt, ex Hebræis naſciturum, alioquin iſti non reciperent eum pro Meſſia promiſſo, ſive deinde propagetur ex tribu Juda inſtar Meſſiæ veri juxta prophetiam Iſaiæ c. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini &c.* ſive & forſan probabiliùs ex tribu Dan ſecundùm prædictionem Jacob Patriarchæ Gen. 49. v. 17: *Fiat Dan coluber in via; ceraſta in ſemita*, quibus metaphoris Antichriſtum fuiſſe deſignatum, non pauci Doctores arbitrantur. Apocal. 7. non fit mentio ſignatorum pro cæleſti Beatitudine ex tribu Dan, quia hi non ita multi futuri ſunt, pleriſque Antichriſto ex tribus Dan orituro adhæreſcentibus, ut volunt Irenæus, Ambroſius, Auguſtinus & alij Patres relati apud Tirinum in cit. locum. Neque iſta Nota convenit Romanis Pontificibus. Nam præter S. Petrum & S. Evariſtum nullus è Papis fuit Judæus, & hi ipſi longè ante numerum 666. vixère, ex quo hæretici Antichriſtum inchoant. Hic ſilent Novatores.

XXV. *Tertia eſt temporis*; quando Antichriſtus ſit venturus, quamdiu victurus, regnaturus, & Eccleſiam perſecuturus. *Quoad 1.* certus dies vel annus, quo venturus ſit, neſcitur; cum DEUS nec in Scriptura, nec extra cuiquam id revelâverit, ſed hujus rei notitiam ſibi ſoli reſervârit: Unde Concilium Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. 11. Concionatoribus interdixit, ne Antichriſti adventum aut certum diem judicij prædicere vel aſſerere præſumerent, cum veritas dicat Act. 1. v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora*; quâ in re etiam multi Sancti Patres decepti ſunt, exiſtimantes, Antichriſtum ſuo tempore adventurum; ut S. Hilarius ante annos 1300. S. Gregorius ante annos mille &c. Cæterùm durante Romano Imperio non venturum Antichriſtum, ſed paulò ante extremum judicium circa finem mundi docent omnes reliqui SS. Patres apud Bellarminum lib. 3. de Rom. Pontific. cap. 5. & nos ſupra jam diximus ex D. Paulo 2. Theſſal. 2. v. 3. *Quoad 2.* quamdiu victurus ſit Antichriſtus, omnino latet; facilis tamen eſt conjectura, eum ultra communem hominum ætatem, hoc eſt, 70. annorum non victurum; imò intra; ſiquidem violentâ morte à Chriſto interimetur, non expleto vitæ termino. *Quoad 3.* quamdiu regnaturus ſit, etiam non conſtat; poteſt tamen ex dictis colligi, eum tam diu non regnaturum, quamdiu vixerit, quia non naſcitur Rex, ſed regnum violentè occupabit jam adultus; diutius tamen regnaturum, quàm perſecuturus ſit Eccleſiam, oſtendit Suarez lib. 5. contra Regem Angliæ c. 9. aliquot conjecturis, quæ apud eundem videri poſſunt. *Quoad 4. denique* perſecutio Antichriſti non erit diuturna, ſed tantùm durabit tribus annis cum dimidio, ut ſupra jam diximus, & expreſsè docent Prophetæ Daniel & Joannes; ille enim c. 7. v. 25. ait: *Sancti tradentur in manu ejus uſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*: iſte verò c. 12. v. 14. ubi idem repetit; per tempus autem intelligunt Patres annum unum: per tempora in duali numero duos annos: per dimidium temporis medium annum, valde convenienter ſtylo Danielis, qui ſæpius nomen temporis pro anno uſurpat.

Digitized by Google

XXVI. Adhæc Menſium numerus, quo eadem perſecutio Antichriſti limitatur, exactè convenit cum tribus annis & dimidio; Nam Apocal. 11. v. 30. ponuntur menſes 45. qui ad amuſſim faciunt tres annos cum dimidio: dies verò à Prophetis nominati tam ſtrictè non reſpondent annis; quia Daniel c. 12. v. 11. ponit dies 1290. qui prædictum numerum ſuperant 13. diebus: Joannes verò c. 12. v. 6. aſſignat dies 1260. ubi deficiunt dies 17. etenim tres anni cum dimidio faciunt dies 1277. Cujus diverſitatis cauſa fuiſſe videtur, quod Joannes non voluerit definire tempus totum Antichriſtianæ perſecutionis, ſed tantùm prædicationis duorum Prophetarum Enoch & Eliæ, vel deliteſcentis Eccleſiæ, cum Sancti in montium ſe cavernas abdent: Daniel autem voluerit indicare perſecutionem Antichriſti aliquantulum ultra dimidium annum productum iri; adeóque dimidium temporis ſive anni non tam ſtrictè ſumendum pro 182. diebus, ſed circiter, plus minus &c. Hæc quoque Nota minimè Romanis Pontificibus convenit, utpote qui ultra 1600. annos jam duraverunt. Hæretici, ut ex hoc laqueo ſe extricent, variè torquent verba Sac. Scripturæ de tempore, & de temporibus, & dimidio temporis. Aliqui dicunt, ſumi indefinitè pro certo tempore, quod minimè credibile. Tum quia idem numerus toties & tam diverſis modis dierum ac menſium in Scriptura expreſſus eſt, ut planè videatur aliquid determinatum ſignificare. Tum quia ad conſolationem Fidelium prædictus fuit finis perſecutionis brevi futurus; ſi autem citatus numerus indefinitè ſumeretur, nihil afferret ſolatij ignorantibus finem. Alij accipiunt tempus pro 500. annis, tempora pro 1000: dimidium pro 250. ut univerſim conficiant años 1700; tam diu enim duraturum ajunt Papatum. Sed hæc aliáque ſimilia prorſus fabuloſa ſunt nullâ ratione vel authoritate fulta, nec chronologiæ congrua, nec Sacræ Scripturæ conſona, quæ breve tempus Antichriſtianæ perſecutioni præfigit, ut oſtendunt Bellarminus Gretſerus, Leſſius, & alij.

XXVII. *Quarta Nota eſt loci*, in quo Antichriſtus regiam ſuam Sedem & Reſidentiam collocaturus ſit. Communis Catholicorum opinio eſt, Antichriſtum Jeroſolymis ſuum thronum & Sedem poſiturum, ſicut inſinuat Daniel Proph. c. 11. v. 45. *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montem inclitum & Sanctum*; ubi hebraica vox Apadno ſignificat tentorium ſuum, quam S. Hieronymus noluit in latinum vertere, ſuſpicans, eſſe forſan nomen proprium loci, ſed hodie communiter pro appellativo ſumitur, ut ſenſus ſit: tabernaculum tentorij ſui figet inter duo maria ſupra montem Sanctum; quæ deſcriptio optimè quadrat Jeroſolymæ, quæ ſita eſt inter duo maria ſcilicet mortuum & mediterraneum, habétque in medio montem Moriam cognomine *Sanctum*, quia olim templum Salomonis in eo ſteterat. Clariùs id expreſſit S. Paulus 2. Theſſal. 2. v. 4. ajens, *Antichriſtum in templo DEI ſeſſurum tanquam DEUM*, nomine templi per antonomaſiam intelligens Jeroſolymitanum, velut præcipuum & magnificentiſſimum in toto terrarum orbe. Hanc Notam non cadere in Romanos Pontifices luce meridianâ clarius eſt; ſiquidem poſt S. Petrum nullus Papa Hieroſolymæ ſuam Sedem collocavit, ut conſtat ex hiſtorijs.

XXVIII. Dicunt Sectarij, ſedem Antichriſti non Hieroſolymæ, ſed Romæ collocandam. Tum quia huic convenit deſcriptio Danielis. Tum quia templum Hieroſolymitanum jam funditus deſtructum eſt, & quidem irreparabiliter juxta Danielem cap. 9. v. 27: *Erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Sed neutrum horum argumentorum aliquid evincit. Non 1. Tum quia Romæ nullus eſt mons Sanctus, ut loquitur Daniel. Ergo non eſt locutus de Roma. Tum quia Joan. Apocal. 11. v. 8. clarè docet, illam urbem fore Jeroſolymam, ait enim duos Prophetas ab Antichriſto occidendos, *& corpora eorum aliquamdiu manſura in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus crucifixus eſt.* Atqui Chriſtus non Romæ, ſed Jeroſolymæ crucifixus fuit. Non 2. Quia in fine mundi ad conciliandam Judæorum benevolentiam Antichriſtus templum illud Hieroſolymitanum reædificabit, atque in eo Sedem & imaginem ſuam collocans pro Deo adorari volet; & licet tempore non multo regnaturus ſit, ob potentiam tamen & multitudinem hominum (maximè Judæorum, qui opus illud maturabunt) brevi maximam illam molem reſtaurabit.

XXIX. *Quinta Nota eſt vitiorum Antichriſti*, qui homo erit ſceleratiſſimus, & omni flagitiorum genere opertus; unde in Sac. Scriptura per antonomaſiam vocatur *homo peccati, & filius perditionis.* 2. ad Theſſal. 2. v. 3. Potiſſimùm autem quinque vitia in illo dominabuntur; nimirum ſuperbia, Idololatria, Magia, Crudelitas, & Libido. Quæ diſtinctiùs explicando *Superbia* tanta erit, ut omni Numine contempto ſolus pro Deo haberi & coli velit, ut diximus ſupra §. IX. Quare abolito miſſæ Sacrificio, ut ſaltem publicè non liceat celebrare, ſibi Sacrificari volet Danielis 12. v. 11. *Et à tempore, cum ablatum fuerit juge Sacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem*; id eſt, idolum Antichriſti, in ſignum profeſſionis divinitatis ſuæ omnibus aſſeclis ſuis in fronte vel manu imprimet certum aliquem characterem, ſine quo nemini vendere vel emere licebit, ſed omni humano commercio deſtitutus fame mori debebit Apocal. 13. v. 16. Quem characterem Viegas putat eſſe imaginem Antichriſti à morte reſurgentis. Ribera mavult Draconis, uti aquilam geſtat Romanorum Imperator. Sed malo cum Primaſio & Anſberto (qui hoc ſibi à Deo revelatum aſſerit) apud Tirinum in locum cit. dicere characterem hunc eſſe tres litteras initiales Nominis *χριϛῦ*, quod ſibi vendicabit Antichriſtus hoc modo:



ubi duæ lineæ tranſverſæ X faciunt χ græcum reſpondens Latino ch: littera P eſt ρ græcum reſpondens R latino: tertia linea eſt ι jota græcum & i latinum ſimul faciunt χρι ſeu Chri, quod initium eſt compendium & ſummarium Nominis Chriſti, quem ſe finget Antichriſtus. Et hanc eandem notam ſeu characterem in labaro Caſtris ſuis præferebat contra Maxentium & alios hoſtes Conſtantinus Imperator, teſte Prudentio, quid ni & Antichriſtus, qui ab omnibus volet haberi, nominari & coli, ut Chriſtus. *Idololatria* ab Antichriſto committetur; quia clam adorabit diabolum, in quem idcirco implicitè recidet adoratio, quam palam ipſe ſibi poſtulabit; diabolum autem, inquit Daniel c. 11. v. 38. Maozim in loco ſuo colet, & DEUM, quem ignoraverunt Patres ejus, colet

Digitized by Google

colet auro & argento lapide pretioſo, rebúſque pretioſis. *Magiâ* ſuâ Antichriſtus homines plurimos ſeducet 2. Theſal. 2. v. 9. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus.* Speciatim autem tria hujuſmodi miracula ipſum facturum diximus ſupra §. 3. cit. in quam rem utetur operâ alicujus inſignis impoſtoris ſub figura bicornis beſtiæ Apocal. 13. v. 11. deſcriptæ: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur, ſicut Draco. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus, & fecit terram & habitantes in ea adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Et ſeduxit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt ei facere in conſpectu beſtiæ dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Crudelitas* Antichriſti in Sanctos & juſtos erit terribilis; Nam, ut ait, S. Joannes cit. cap. v. 15. *quicunque non adoraverit imaginem beſtiæ, occidetur.* Tunc implebitur prophetia Chriſti, de qua §. IX. cit. Ad quam rem Antichriſtus utetur operâ Scytharum, hoc eſt, Tartarorum, Moſcovitarum & ſimilium barbararum Gentium ex Aquilone venientium, quas Ezechiel c. 38. v. 2. vocat Magog, & Ducem eorum Gog ſumpto nomine hebraico à Magog filio Japheth Gen. 10. v. 2. qui fuit primus incola Scythiæ. Interim Eccleſia ſolito ſplendore deſtituta non tamen penitus peribit, ſed illuſtri Martyrum conſtantiâ propugnabitur, in quorum ſubſidium DEUS mittet duos inſignes Prophetas gratiâ miraculorum pollentes Apocal. 11. v. 3. ubi, licet Joannes iſtorum nomina non expreſſerit, tamen ex alijs locis Sac. Scripturæ rectè colligitur, eos fore Enoch & Eliam, de quibus diximus ſupra §. VI. *Libido & Impuritas* Antichriſti traditur à Daniele c. 11. v. 32. his verbis: *Erit in concupiſcentijs fœminarum*; licet autem hebraicus textus, qui nunc extat, contrarium innuere videatur, quaſi non eſſet curaturus fœminas, tamen magis eſt credendum S. Hieronymo Interpreti, qui correctiorem textum habuit. Hanc Notam vitiorum hæretici conglobatis mendacijs & ſpiſſis calumnijs in Romanos Pontifices torquent, indéque luculenter demonſtrare ſe arbitrantur, illos eſſe Magnum Antichriſtum, cum nihil præſtent, & oppoſitum reipſa luce meridianâ clarius doceat, ut ex ſequentibus punctis apparebit.

XXX. *Primum.* In nullo unquam Pontifice tanta fuit Superbia, quantam etiam Sac. litteræ Antichriſto tribuunt. Quis unquam unus ex omnibus Papis pro DEO haberi, atque adorari voluit? Nunquid omnes ſupplices unum DEUM adorant, & Chriſtum genuflexi in templo, domi, foriſque colere frequenter videntur. Ergo nullus fuit Antichriſtus. Dicunt Sectarij Quantumvis Romani Pontifices nomen DEI expreſſis verbis non uſurpent, ea tamen, quæ DEI propria ſunt, ſibi vendicant, & ſic implicitè & reipsâ pro Dijs ſe jactant. Nam 1. volunt omnibus Regibus & Principibus dominari, adeóque coli ſuper omnes Deos, ſiquidem in Scriptura Principes vocantur Dij. Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi, Dij eſtis, & Filij Exelſi omnes.* 2. uſurpant ſibi titulum DEO proprium; & appellari affectant Sanctiſſimi. 3. poſtulant flexis genibus adorari etiam à Regibus & Principibus, ac pedibus oſculum figi, qui eſt cultus DEO proprius. 4. Alexander III, tali genuflexione & pedum oſculo non contentus Friderici I. Imperatoris (à capillo & barba dicti Ænobarbi) caput pedibus calcavit apud Venetos in Eccleſia S. Marci has edens voces: *Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Hæc omnia ſunt prorſus frivola, & ex vano hauſta eodem abeunt. Romanos Pontifices ſæpe ſæpius pauperum pedes lavare, lotóſque oſculari, ædes hoſpitales viſitare, & ægros ibi ac moribundos varijs modis conſolari, peregrinos ſuſcipere, ijs ad menſam ſedentibus inſervire, cibos apponere, potum porrigere, aliáque magna humilitatis exempla præbere, videt etiamnū oculis ſuis Roma, & manifeſtius eſt, quàm ut pluribus oſtendatur. Facietne ſimile quid Antichriſtus? aut de iſto hujuſmodi animi ſubmiſſionem Sacra Scriptura prodit? Nequaquam, ſed meriſſimum animi tumorem.

XXXI. Reſpon. ad 1. inter DEOS impropriè dictos primum locum certo modo ac ratione ſibi vendicare, non eſt velle propriè pro DEO haberi; aliàs Romanus Imperator Deitatem affectaret, dum ab omnibus primas ſibi deferri poſtulat. Ad 2. titulum Sanctiſſimi longè alio ſenſu tribui Pontifici, quàm Deo; etenim DEUS eſſentialiter & infinitè Sanctus eſt: Pontifex verò, quatenus Vicarius Chriſti, Sanctiſſimus, id eſt, reverendiſſimus appellatur; alioquin nemo nec Sanctus nec bonus appellari poſſet, cum in Scripturis non tantùm ſuperlativi, ſed etiam poſitivi DEO approprientur; Angeli enim in cœlis *ſemper clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus* Iſaiæ 6. v. 3. Et Chrius Marci 10. v. 18. ait: *nemo bonus, niſi unus DEUS*, ſcil. in omni genere bonitatis abſque ullo defectu, interim non negans tales titulos inferiori ſenſu etiam hominibus tribui poſſe. Ad 3. venerationem genuflexionis & oſculi pedum à Papis non imperatam, ſed à Regibus & Principibus ultro delatam fuiſſe, dum conſiderabant non humanam perſonam, ſed Chriſti dignitatem, cujus Perſonam Papa repræſentat. Olim etiam Epiſcoporum pedibus oſcula figebantur, teſte S. Hieronymo apud Baronium Tom. 4. fol. 574. quod Iſaias c. 49. v. 23. de Chriſtianis vaticinans futurum prædixit: *vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Prædictam Papæ adorationem Theologi communiter docent reducendam eſſe ad Duliam ob ſupernaturalem excellentiam & ſpecialem ordinem, quem ex officio & gradu ſuo ad DEUm habet. Videri poteſt Diana Part. 11. Tract. de adoratione Papæ. Ad 4. meram eſſe fabulam, quod de Alexandro III. Caput Friderici I. Imperatoris calcante aſſertur. Nam ut hæretici Romanum Pontificem ſummis æque ac infimis quàm exoſiſſimum faciant, & eum eſſe magnum Antichriſtum omnibus perſuadeant, abſurdiſſima quæque ac truculentiſſima de illo ſcribunt in libris, clamant in pulpitis, effutiunt in plateis & cauponis. Sic Joannes Gerhardus in Epiſtola Dedicatoria Lib. 2. Part. 1. Confeſſionis Auguſtanæ impudentiſſimè ſcribere fuit auſus, Alexandrum III. Papam indignè ac ſuperbè tractaſſe Fridericum I. Imperatorem, atque apertè Antichriſtum ſe demonſtraſſe, dum pede caput ejus calcans baſiliſco & beſtijs illum comparavit; imò Sultanum Saracenorum Iconij reſidentem per litteras rogaviſſe, ut eundem ex imagine ipſius (quam vivis coloribus expreſſam epiſtolæ adjunxerat) cognitum è medio tolleret &c. Sed hanc

meriſſimam eſſe fabulam, luculenter oſtendunt Cardinalis Baronius A. C. 1177. Num. 86. & 87. ac præter alios P. Forer in antiquit. Papat. præfat. ad Lect. item in pecculiari libello germanico de Antichriſto prope finem.

XXXII. Quoad caput Imperatoris pede Papæ tyrannicè calcatum, nec minimam hujus mentionem facit Romualdus Archi-Epiſcopus Salernitanus, qui Legatus Wilhelmi Regis Siciliæ rem totam & conventionem inter Alexandrum III. Papam: & Fridericum I. Imperatorem oculis & auribus perceptam habuit, & dein copioſè ac minutatim deſcripſit; hæc ſunt illius verba ex Baronio cit: *Cúmque ad Papam appropiaſſet (Imperator) tactus divino Spiritu DEUM in Alexandro venerans Imperiali dignitate poſtpoſitâ rejecto pallio ad pedes Papa ſe extenſo corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benignè elevans recepit in oſculo & benedixit, mox à Teutonicis Te DEUM laudamus eſt excelsâ voce cantatum; Imperator autem apprehensâ manu Papa dexterâ ipſum in Eccleſiam introduxit, & acceptâ ab illo Benedictio ad palatium Ducis cum ſuis rediit.* Similiter nec litterulâ meminerunt calcati à Papa Imperatoris Narratio concordiæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. Pariſijs anno 1632. impreſſa, Rogerius, & alij Scriptores illius temporis. Ex Auctoribus, quos Gerhardus pro ſe allegat, antiquiſſimus eſt Joannes Capiſtranus, qui tamen ducentis annis junior eſt, quàm conventio inter Alexandrum & Fridericum facta. Et iſte plus fidei mereatur, quàm Romualdus, qui oculis omnia inſpexit, & auribus percepit? Non obſtat, Catholicos etiam Scriptores Capiſtrano conſentire; facilè quippe eſt, in rebus hiſtoricis non ſatis cautè procedere, & citius æquo credere.

XXXIII. Quoad Sultanum Saracenorum ab Alexandro III. per litteras rogatum, ut Fridericum Imperatorem ex tranſmiſſa imagine cognitum occideret, eſt iſtud quoque impudens & palpabile mendacium Balæi, Schardij, Gerhardi, & hujus farinæ hominum. Nam 1. Alexander III. ut teſtatur hiſtoria novem ante annis mortuus eſt, quàm Fridericus I. cum exercitu in terram Sanctam moveret, ut proinde quatuor Papæ Lucius III. Urbanus III. Gregorius VIII. & Clemens III. inter mortem Alexandri & prædictum iter Friderici interceſſerint, è quibus Papis ultimus adhuc vivebat, cum Fridericus moriebatur. Fieri igitur non potuit, Alexandrum III. litteris & imagine tranſmiſſis inſtigaſſe Sultanum Ionij, ut Fridericum mactaret. 2. falſum eſt, Fridericum Imperatorem reducem Brixiam appuliſſe, ſiquidem apertiſſimè conſtat, eum in Armeniæ amne, cum calorem natatu diſijcere vellet, aquis hauſtum periſſe, ſicuti Baronius A. C. 1190. & Gretſerus Tom. 3. de S. Cruce L. 2. c. 23. ex hiſtoricis fide dignis apertiſſimè demonſtrant. 3. falſum eſt, Fridericum I. unquam à Sultano fuiſſe captum; ipſe quippe Imperator potenti exercitu ſuo ità Suldanum domuit & ſubegit, ut iſte coactus à Friderico Imperatore pacem & amicitiam ſupplex petiverit, de quo plura videri poſſunt in Baſilico Doro Gretſeri c. 5. Quemadmodum igitur hæretici in hoc apertiſſimi & impudentiſſimi mendacij convincuntur, ita minimè dubitandum, figmentum eſſe vaniſſimum, quod de calcato ab Alexandro III. capite Friderici I. Imperatoris circumferunt. Videantur cit. Authores

XXXIV. *Secundum punctum.* Nullus Papa fuit Idololatrâ præter unum Marcellinum, qui metu mortis Idolis adolevit, ut conſtat ex Concilio Sinueſſano, & epiſtola Nicolai I. ad Michaelem. Imò ipſe Marcellinus non docuit aliquid contra fidem; nec, inquit Bellarminus L. 4. de Pontif. c. 8. in fine, fuit hæreticus vel infidelis, niſi actu externo ob metum mortis, móxque pœnituit, & ipſo ſanguine maculam eluit, nec ejus delictum omnibus Succeſſoribus adſcribi debet. Calumniantur quidem Hæretici, idolum Pontificium fuiſſe Miſſam à Daniele Maozin appellatum, ubi petulantiſſimè nugantur in verbis, hebraicam vocem Maozin cum latina Miſſa confundendo. Item cultum Chriſto verò Deo in Miſſa exhibitum blaſphemè idololatriam appellant. Sed quæ contra Sacrum Miſſæ Sacrificium impie vociferantur ſuo loco, ubi de Miſſa ex inſtituto agemus, ex claris Sacræ Scripturæ & Patrum teſtimonijs reijciemus. Nunc breviter advertimus, Sectarios audacter & turpiter à Verbis Danielis recedere; Nam Sanctus Vates DEUM Antichriſti vocat novum, majoribus incognitum, & privatim colendum; cum Chriſtus Deus ſemper à Chriſtianis fuerit cognitus, & publicè Miſſa in omnium oculis celebretur.

XXXV. *Punctum tertium.* Nullus Pontifex magiæ convinci potuit, nec ullus talia ſigna dedit, qualia Antichriſto attribuuntur. Calumniantur iterum hæretici, à Sylveſtro uſque ad Gregorium VII. omnes Pontifices fuiſſe Magos. Hottinger Hiſt. Eccles. Sec. x. ſcribere audet, *Sedem Romanam ſæculo decimo* (id eſt, ab anno 900. uſque ad annum 1000.) *occupaſſe Antichriſtos, fures, invaſores, Magos, prodigioſos, Simoniacos, Tyrannicos &c.* Hujus priorem partem jam rejecimus Controvers. XXVI. §. XXXIII. Pro poſteriore citatus Hottinger Tigurenſis Prædicans eſt capitaliſſimus Romanæ Eccleſiæ hoſtis, & apud omnes Catholicos inteſtabilis. Sed ajunt Adverſarij, allegat pro ſe Baronium, Platinam, & Genebrardum &c. Non ignoro; at malè allegat. Quis enim horum ſcripſit, ſæculo decimo Romanam Sedem Antichriſtos & Magos occupaſſe? quis tam ſtultus & inſanus ex his omnibus fuit, ut ſic ſcriberet & ſentiret? Baronius? an Genebradus? an Platina? ubi? quo libro? Prædicto ſæculo legitimi Pontifices, qui Romanam Sedem obtinuerunt, numero fuêre 35. plerique omnes boni & probi ſummóque hoc faſtigio minimè indigni, ut Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria apud Cardinal. Cæſarem Baronium: Sex ſolùm ex iiſdem nullam laudem merentur; nimirum Chriſtophorus Romanus propter ambitionē. Mortuus an. 908. Sergius III. Romanus propter in caſtos amores. an. 910. Lando ſive Landus Sabinus propter indignorum ad Eccleſiaſticas dignitates promotionem an. 912. Ioannes X. Romanus propter incaſtos amores an. 928. Joannes XI. Romanus ob illegitimos natales an. 936. denique Joannes XII. Romanus ibidem propter incaſtos amores an. 964. Præter hos legitimos Papas reperitur in hoc ſæculo unus etiam Antipapa ſive violentus invaſor Sedis Apoſtolicæ Benedictus nomine, cognomento autem Francone Romanus, qui ſibi nomen Bonifacij VII. arrogavit, homo ſceleratiſſimus, qui tamen pro legitimo Pontifice nunquam fuit agnitus. Contra hos ſolos ſeptenario numero concluſos tendebant juſtiſſimæ illæ Cardinalis

Baro-

Digitized by Google

Baronij, Platinæ, Genebrardi, Onuphrij, & Sidonij quærelæ ac dicteria, quibus illos & maximè Bonifacium Antipapam in Scriptis ſuis affecerunt: Antichriſtos autem & Magos nunquam dixerunt, ut impudentiſſimè mentitur Hottinger.

XXXVI. *Punctum quartum.* Nullus Papa tantam crudelitatem exercuit, quantam exerciturus eſt Antichriſtus. Quis enim ex illis tribulationem tantam excitavit? quis Enochum & Eliam occidit? quis ſubditis ſuis certam notam impreſſit, ſine qua nec emere nec vendere liceret? quæ profectò tribulatio talis & tam immanis erit, ut idcirco etiam Satanas modico tempore ſolvendus dicatur Apocal. 20. v. 3. & 7. *Dicunt ad iſtud hæretici 1.* Satis crudelem fuiſſe Innocentium IV. qui an. 1252. Inquiſitionem inſtituit hæreticæ pravitatis, & omnes hæreticos exuri vivos juſſit, quod deinde omnes Succeſſores proſecuti fuerunt. Sed contra eſt. Tum quia pœnam ignis in hæreticos non introduxit Papa, ſed Fridericus II. Imperator, ut oſtendit Cherubinus in compendio Bullarij fol. 11. Tum quia hæc pœna non infligitur bonis & juſtis Chriſti famulis, ſed hæreticis Chriſti hoſtibus. Tum quia rarò exercetur iſta ſeveritas, ut lanienam Antichriſti, imò & hæreticorum minimè adæquet, ut ſupra jam diximus. *Dicunt 2.* Enochum & Eliam eſſe non duos homines, ſed duo teſtamenta Novum & Vetus, quæ dum eorum lectio in vernacula lingua à Pontificibus fuit prohibita, quaſi mortua cadavera in plateis jacuerunt, donec Lutherani & Calviniſtæ in vitam & ſplendorem priſtinum revocarint. Sed contra eſt, quod hæc expoſitio recedat à proprietate verborum, repugnet SS. Patribus, nec ullâ ratione, ſed meris calumnijs nitatur, ſicuti & alia, quæ alij afferunt; nonnulli ex ipſis Adverſarijs adventum iſtorum Sanctorum omnino pro comento habent, ut ſupra jam diximus. Cæterùm vernacula verſio Sac. Scripturæ interdicta eſt partim propter malignam interpretationem, partim propter abuſum rudium hominum, ut ſuo loco diximus. *Dicunt 3.* hunc characterem in Sacramento Confirmationis imprimi. Sed contra eſt, quod iſte character præter nomen nihil ſimile habeat characteri Antichriſti; hic enim omnibus neceſſarius & viſibilis eſſe debet, ut negotiatores ſciant, quibus liceat negotiari: Sacramentalis autem character Confirmationis nec viſibilis eſt, nec neceſſarius; ſiquidem nemo cogitur, ut hoc Sacramentum recipiat, & plurimi eo carentes nihilominus liberum habent commercium cum omnibus.

XXXVII. *Punctum quintum.* Nullus Papa (ſiquidem aliqui ab hoc vitio excuſari nequeunt) tam libidinoſus fuit, quàm futurus eſt Antichriſtus, qui non unâ concubinâ contentus promiſcuè ſe varijs commiſcebit, ut Daniel inſinuat, dum loc. cit. ait, illum fore *in concupiſcentijs fœminarum*, quibus verbis non ſolùm multitudo mulierum indicatur, ſed etiam effrænis libido, & hujus impotentia; quaſi diceret S. Propheta, in Antichriſto non fore concupiſcentiam, ſed ipſum fore in concupiſcentijs immerſum & obrutum. Hic enimverò triumphant hæretici, & exemplis Papalem libidinem docere contendunt, inter quæ, quia unum maximè crepant, & Gerhardus prædictæ epiſtolæ ſuæ Dedicatoriæ inſerere ſine fronte andet, id paulò fuſius referre ac refellere volo. Dicunt itaque Joannem VIII. fuiſſe fœminam natione Anglam, Moguntiæ natam, nomine Agnetem, quæ cum in Academia ſtuduiſſet, aſſumto habitu virili Romam deinde profectam publicè docuiſſe, tantámque ſapientiæ & eloquentiæ famam ſibi comparaſſe, ut mortuo Leone IV. repente è Scholis ad Thronum Pontificis fuerit rapta, & annos duos, menses 5. dies, 4. regnârit, donec in publica proceſſione Corporis Chriſti ſub umbella Euchariſtiam circumferns repente conciderit, & infantem (erat enim prægnans) publicè in platea pepererit anno 853. Probant hanc hiſtoriam tum teſtimonio plurium hiſtoricorum etiam Catholicorum, præſertim Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacenſis, Martini Poloni, & nonnullorum. Tum monumentis antiquis Romæ adhuc extantibus; Nam ajunt 1. in memoriam flagitij hujus extructum eſſe ſacellum, & in eo lapideam ſtatuam Pontificis infantem manu tenentis. 2. ibidem aſſervari ſellam interius perforatam, cui recèns electus Pontifex inſidere debeat, ut clam exploretur, num ſit vir aut fœmina, ne rurſus erretur. 3. illam plateam, ubi hoc facinus contigit, vitare Pontifices, nec unquam amplius tranſire. Ecce præclarum ſpecimen Pontificiæ caſtitatis, ſanctitatis, & ſucceſſionis!

XXXVIII. Quamvis turpem iſtam notam, quam hæretici Sedi Apoſtolicæ impingere per Joannam Papiſſam laborant, jam pridem efficacibus rationibus ab ea repulerint, & in nihilum redegerint ex Catholicis Onuphrius Panvinius in annot. ad Platinam. Bellarminus Lib. 3. de Pontif. c. 14. Gretſerus Tom. 2. defens. ibid. Florimundus Remundus in ſingulari Tract. Serarius Lib. 1. rerum Mogunt. c. 42. Georgius Scherer in tract. German. Laurent. Forer in Antiquit. Papatûs. Præfat. ad Lect. & præter alios Joannes Stalenus in peculiari libello, cujus titulus: *Papiſſa Monſtroſa & mera Fabula.* Ex Acatholicis autem præter alios Blondellus Calviniſta in Gallia celebris, affirmans falli vehementer omnes, qui hanc fabulam pro hiſtoria contra Pontificios jactant. Nihilominus quia noſtrates Sectarij non ceſſant nugas has & calumnias identidem in lucem de novo producere, & tanquam rem luce clariorem vendere, paulò pluribus eam hîc expendemus. Itaque

XXXIX. *Primò.* Etiamſi totam hanc hiſtoriã daremus eſſe verã, nihil faceret ad rem. Tum quia, ſi Joannes VIII. fuit Mulier, non fuit verus Pontifex; ſiquidem muliebris ſexus ex inſtitutione Chriſti incapax eſt ſacrorum Ordinum & Eccleſiaſticorum. Videri poteſt Diana Part. 12. Tract. de Conſecrat. Epiſcopi, ubi præſentem caſum adducit. Tum quia ſub hoc Monſtro Sedes Apoſtolica vacaſſet, quod continuæ Succeſſioni Romanorum Pontificum tam parum obeſt, quàm parum Romanorum Imperatorum ſucceſſio interrumpitur ex eo, quod imperium à Friderico II. uſque ad Rudolphum II. per annos 28. vacaverit. Tum quia ex unico exemplo alicujus Pontificis libidinoſi non rectè infertur, omnes Pontifices inſtar Antichriſti eſſe impuros; ſicuti inferri non poteſt: unus Concionator fuit diabolus, uti habetur in vitis Patrum. Ergo omnes Prædicatores ſunt diaboli. Tum quia muliebris impudicitia non convenit Antichriſto, qui erit vir in concupiſcentijs fœminarum. Tum quia multis gravibus argumentis ex authoritate & ratione ductis oſtendi poteſt, hanc narrationem eſſe meriſſimam fabulam,

uti citati Authores egregiè præſtiterunt, & ex ſequentibus ſatis apparebit. Unde

XL. *Secundò.* Narratio hæc nullo legitimo nititur Authore. Nam qui eo tempore vixerunt, cum hoc accidiſſe dicitur, vel paulò poſt, in ſuis Chronicis nullam hujus facti mentionem faciunt, ut Anaſtaſius Bibliothecarius, Rhegino Abbas Prumienſis, Rudolphus Fuldenſis, Ado Viennenſis, Odo Cluniacenſis & alij, quos adducit Stalenus Tract. 2. ſui libelli: illi autem, quos hæretici in contrarium citant, aliquot ſæculis poſteà vixerunt; imò Marianus Scotus & Sigebertus Monachus Gemblacenſis nihil horum Scripſerunt, ut aliquis illorum libros corruperit. Martinus Polonus Ord. Prædicat. Pontificis Pœnitentiarius, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, cæterùm homo ſimplex dubiè loquitur deceptus à Schiſmaticis in odium Pontificis talia fingentibus, ut oſtendis Cardin. Baronius anno Chriſti 891. quomodò Platina & alij decipi potuerunt. Videatur Stalenus Tr. 6. ubi de iſtis ſingulis & alijs Scriptoribus egit ex inſtituto eorum verba adducens. Non obſtat, multos Authores tam ante quàm poſt Lutherum huic narrationi de Joanna Papiſſa adſtipulari; quippe obſervamus verba Juſtiniani L. 1. §. ſed neque C de veteri jure enucleando: *Non ex multitudine Authorum, quod melius & æquius* (ſeu verius) *eſt, judicatote.* Nam ſicuti apud Juris-Conſultos ſententia à quinque Doctoribus bene expenſa præfertur opinioni à quinquaginta Doctoribus rem obiter inſpicientibus ſubſcriptæ, ut ſapienter advertit Decius Conſilio 494. ita in hiſtoria, ac nominatim in monſtroſo iſto facto ſeu figmento de Joanna Papiſſa vilipendendus eſt cumulus Chronologicorum & Hiſtoricorum, quorum unus ab altero, & ſimul à pravo ſuo affectu ſeduci ſe ſinit. Sed ajunt Adverſarij, cur ante Lutherum nullus contra eam ſcripſit, aut in dubium traxit? Reſp. 1. omnes Scriptores tempore Leonis IV. & Benedicti III. & ſequentibus 400. anis directè oppoſitum ſcripſiſſe, dum unanimiter tradunt, Leoni IV. immediatè ſucceſſiſſe Benedictum III. & nullius Joannis intervenientis meminerunt 2. dubitaſſe omnes de hac fabula, qui dubiè de eadem ſcripſerunt, ut nominatim fuit Platina. 3. neminem ei fabulæ ſe oppoſuiſſe, quia ejus vanitas omnibus ſatis conſtare videbatur, donec poſt Lutheri apoſtaſiam Sectarij jam evaneſcentem iterum reſtaurare, & per illam offuſcare Sedem Apoſtolicam ſtuduerunt.

XLI. *Tertiò.* Circumſtantiæ hujus narrationis ſunt prorſus incredibiles. Quia 1. dicitur *Angla fuiſſe, & Moguntia nota*; cùm tamen Moguntia ſit in Germania. 2. *ſtuduiſſe in Academia Athenienſi*, cum tunc temporis Athenis nulla fuerit Academia, teſte Sineſio Epiſcopo in Epiſt. ad Frat. 3. *Romæ verſata & pro viro habita, quia virilem habitum geſtabat*; cum tamen veſtitus non poſſit ita tegere muliebrem ſexum, quin in geſtibus, inceſſu, vultu & voce dignoſci poſſit. 4. *ex Scholis repente ad thronum Pontificium rapta*, quod planè alienum eſt à moribus Romanis, nullus enim legitur electus, niſi prius Epiſcopus vel Sacris Ordinibus ſaltem initiatus. 5. *biennium & quinque menſes regnaſſe inter Leonem IV. & Benedictum III*; quod ſpatium non cohæret cum communi Chronologia dictorum Pontificum, niſi alterutri aliquot menſes ſubtrahas, ut præclarè oſtendit Stalenus Tr. 2. cap. 3. 6. in feſto Corporis Chriſti Euchariſtiam circum geſtaſſe; cum illud feſtum nondum fuerit inſtitutum, ſed 400. annis poſtea, ſcil. anno Chriſti 1262. 7. denique dicitur *in publica proceſſione puerum peperiſſe*; quis autem credat, tam aſtutam fœminam imminente jam partu, cujus prævios dolores ſenſerat, publicæ proceſſioni ſe commiſiſſe cum periculo ſe manifeſtandi?

XLII. Vetera quoque monumenta hujus facinoris à Sectarijs allata ſunt mera figmenta. Nam 1. *nulla talis capella & ſtatua Romæ invenitur.* Et quis credat, Romanos tam ſtupidos fuiſſe, ut in perpetuam hujus ſceleris memoriam ſacrum ſacellum erexerint, ſuámque ignominiam, quod à fœmina tam turpiter decepti fuerint, perpetuaverint? Extat quidem Romæ aliqua ſtatua viri Ethnici adſtante puero quaſi famulo, ſed ad rem nihil facit. 2. *Sella lacera, cui Pontifex recens electus primum inſidet*, non eo fine eſt perforata, ut ſexus exploretur (quod ante electionem fieri deberet) ſed humilitatis gratiâ, ut meminerit, ſe ex humili ſtatu ad tantam dignitatem evectum; propterea ſedenti accinitur ex 1. Reg. 2. v. 8. *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem.* 3. *plateam*, ubi hoc contigiſſe dicitur, ſæpius Pontifices tranſijſſe, teſtatur Onuphrius Panvinius in ſuis Annotat. ad Platinam, quamvis crebriùs tranſeat per alias plateas comodiores. Plura de monſtroſa hac Papiſſa videri poſſunt apud cit. Auth. Solùm addo, nonnullos apud Dianam loc. cit. putare, occaſionem huic fabulæ dediſſe fœminam hujus nominis, quæ in Pontificatu Joannis VII. præpotens fuit, ut vulgò Papiſſa audiret; unde creſcenti paulatim famæ facilè fuit addere reliqua, ex quibus fabula iſta ita ſpecioſè texeretur, ut imperitis Scriptoribus hiſtoria videretur; etſi Cardinalis Bellarminus Lib. 3. de Rom. Pontif. c. 24. ejuſdem originem velit ab alia quadam fœmina, quæ teſte Leone IX. in epiſt. ad Michaëlem inter multos Eunuchos in Patriarchalem Sedem Conſtantinopolitanam irrepſit; quam dein hiſtoriam Romanæ Eccleſiæ hoſtes à Conſtantinopolitano Patriarcha ad Romanũ Pontificem converterunt, & varijs circumſtantiarũ phaleris auxerunt.

XLIII. *Sexta denique nota Antichriſti eſt horrendus ejus interitus.* Nam Chriſtus ſuorum miſertus arma capiet, &, ut ſcribit S. Joannes Apocal. 19. v. 10. & ſeq. comitantibus Angelis viſibiliter de cœlo deſcendet præliaturus cum Antichriſto, cui iſte audacter ſe opponet, ſed fuſo exercitu ipſo cum ſuo Pſeudopropheta fulmine ictus ad inferos deſcendet; unde vers. 20. dicitur: *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea Pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo; quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Ubi, inquit ſacer textus cap. ſequent. v. 10. *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Eundem hunc Antichriſti interitum indicat Apoſtolus ad Theſſal. 2. v. 8. verbis ſupra cit. *Quem Dominus JESUS interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui*, hoc eſt, perdet & abſumet non arcu & gladio; ſed ſolo Spiritu ſeu flatu oris ſui, id eſt, ſolo juſſu & nutu ſuo per Michaelem Archangelum fulgure præcipitando illum è ſublimi aëre deorſim, unde terrâ dehiſcente vivus corpore & animâ in tartara à dæmonibus abripietur, mortuus tamen, antequam eò pertingat. Hæc quoque nota minimè cadit in Romanum Pontificem; quis enim ex omnibus hoc

Digitized by Google

hoc modo perijt, hoc eſt, cœleſti fulmine tactus viſibiliter ad inferos deſcendit?

XLIV. Confugiunt Sectarij rurſus ad tropos dicendo, verba Prophetarum de interitu Antichriſti non intelligenda propriè de corporali interitu, ſed allegoricè de morali, hoc eſt, de imminutione Pontificiæ Authoritatis, quæ facta ſit Spiritu oris Chriſti per prædicationem Prædicantium. Verùm in hac reſponſione præter commune vitium improprietatis ſæpius jam caſtigatæ etiam manifeſta falſitas continetur; quippe Poteſtas Pontificia hactenus non eſt imminuta; ſed potius amplificata fuit per converſionem Indorum, quæ Apoſtaſiam hæreticorum in Europa abundè ſupplevit. Prudens Lector ex uno hoc, quod de Sancto Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo ſcribit Jacobus Bozius de ſignis Eccleſiæ DEI ſig. 20. conijciat, quantoperè poſt Lutheri defectionem in prædictis Indijs Authoritas Pontificia creverit: *Univerſi*, inquit, *hæretici ab Eccleſiæ Chriſtianæ conſtitutione per tot ſæcula per annos mille quingentos & amplius haud traduxère ad hæreſes ſuas tot gentes aut idololatras aut alioquin à Chriſti cultu alienas, quot unus Xaverius ad Chriſti cultum annis undecim. Unus Xaverius plures gentes & homines plures annis undecim Chriſto adjunxit, quam innumera hæreticorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum per annos mille quingentos.* Ita ille.

XLV. Cùm igitur ex hactenus dictis liquidiſſimè conſtet; nec Singularitatem Antichriſti, nec Nomen, nec Stirpem, nec Tempus, nec Locum, nec Mores, nec Interitum competere Romanis Pontificibus, nullâ probabilitate dici poteſt, eoſdem Romanos Pontifices eſſe Magnum Antichriſtum. Unde Proteſtantes graviter audire non poſſunt vocem illam, & publicam proteſtationem Sereniſſimi Principis & utriuſque Bavariæ Ducis, ac poſtea Sac. Rom. Imperij Electoris Maximiliani in poſtremo colloquio Ratisbonenſi Anni M.DC.I. Seſſ. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij graphicè ac liberè diceret: *Vos appellaſtis Romanum Pontificem Antichriſtum; quæ eſt injuria inſignis & clariſſima, & hoc nunquam probabitis.* Et rurſum: *imò eſt inſignis injuria; quæ redundat in omnes Catholicos.* Nam ſi Romani Pontifices ſunt Antichriſtus Magnus, *ſequitur apertiſſimè 1.* Idipſum Romanum Imperium Francos & poſtea Germanos laudatiſſimos Imperatores per Antichriſtum accepiſſe. *Sequitur 2.* Antichriſtum Germanis Principibus poteſtate atque Authoritatem tribuiſſe eligendi Imperatorem. *Sequitur 3.* Germaniam nullos unquam verè Chriſtianos Principes atq; Imperatores ante Lutherum: ſed Idololatras & Antichriſti proſtibula habuiſſe: Imo nec orbem terrarum: ſiquidem omnes Reges, & Principes Chriſtiani ante Lutherum ſeſe Romano Pontifici ſubjectos & obnoxios profitebantur, tanquam Oves Paſtori & tanquam Diſcipulos Magiſtro; ac tanquam Filios Patri: *Sequitur 4.* Romanum Imperium jam ante mille annos ſublatum fuiſſe, cum hæc certa ſit Nota adventûs Antichriſti, ut ex Apoſtolo & Daniele Prophetâ magnò conſenſu docent Græci ac Latini Patres apud Cardinal Bellarminum Lib. 3. de Pontif. c. 5. ſupra jam citato. Judicent autem ipſimet Proteſtantes, an non iſthæc cedant in gravem injuriam Romani Imperij ſub Auguſtiſſimo & feliciſſimo Imperatore Leopoldo I. etiamnum florentis? DEUS porro ad defenſionem Sac. Rom. Eccleſiæ & Imperij dexteram Majeſtatis ſuæ extendat? Videatur Opus germanico idiomate recens editum à P. Chriſtophoro Ott Societatis JESU, cujus titulus ROMA GLORIOSA; ubi 243. Paparum vitas, mores, ac geſta fideliter recenſet, & ad hæreticorum objectiones ſolidè reſpondet in nullo à doctrinis noſtris diſſentiens.

CONCILIA.

Universam Religionis Controverſiam, qui compendio expedire volet, is ex Concilijs veteris orthodoxæ Eccleſiæ nullo negotio intelliget, quænam partium hâc ætate ſibi adverſantium veram incorruptámque Fidem amplectatur; quamcunque enim cum articulis horum Conciliorum integrè conſentire repererit, hæc à verâ atque orthodoxa Religione aliena eſſe non poteſt. Unde magna ſemper fuit Authoritas Conciliorum in Eccleſia adverſus multiplices fraudes hæreticorum, qui idcirco omnem operam induſtriam & laborem etiamnum adhibent in Eccleſiaſtica illa authoritate labefactanda, ut bene notat Cardinal. Bellarminus hic in præfatione. Quare Pontifici imprimis ſubnectimus Concilia, cùm hæc ab illo velut Corpus (Eccleſia ſcilicet Militantis, quam repræſentant) à Capite viſibili in terris dependeant, & quæ à Doctoribus de iiſdem inquiruntur, ac diſceptantur, ad ſequentes Controverſias redigemus ac breviter expendemus.

CONTROVERS. XXXII.

CUIUS SIT CONVOCARE Concilium, & illi præeſſe.

I.

Albertus Pighius Lib. de cœleſt. Hierarch. c. 1. Originem Conciliorum putat eſſe humanam, & naturali ratione excogitatam. Verùm etſi ratio naturalis dictet, ut in rebus dubijs Princeps conſulat viros peritos, tamen ut Epiſcopi ſolùm conveniant, & iſti non ſint Conciliarij, ſed Judices, non videtur ſolius rationis humanæ inventum; unde melius Bellarminus Lib. 1. de Concilijs cenſet, originem illam eſſe divinam; quia Sancti Patres docent, Concilia demonſtrata fuiſſe illis Chriſti Verbis Matth. 18. v. 20. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum ſum.* Et abſque dubio Apoſtoli divini Spiritûs motione inducti primarium illud Concilium Actor. 15. coëgerunt, unde v. 28. ajunt: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis &c.*

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

II. Nomen Latinum Concilij reperitur paſſim in utroque Teſtamento. Nomen Synodi habetur in Can. 38. Apoſtolorum. In græco textu loco utriuſque, nempe Concilij & Synodi ponitur συνέδριον vel συναγωγή. Reipsâ Concilium eſt legitimus conventus Præſulum Eccleſiaſticorum ad di-

Digitized by Google

ad dirimendas Fidei controverſias aut mores Cleri ac Populi corrigendos congregatus. Quamvis enim ad hunc finem ſolius Papæ authoritas ſufficeret; quia tamen ipſa multitudo Præſulum plus authoritatis habet apud homines, expedit ad horum audaciam confrigendam ſubinde Concilia convocare, ſicuti etiam ad politica negotia componenda interdum comitia ſtatuum Regni vel Imperij indicuntur. Illegitimus autem conventus non vocatur Concilium, ſed conciliabulum.

III. Dividitur Concilium in Univerſale & Particulare; illud nomine totius Eccleſiæ celebratur: hoc nomine alicujus particularis. Univerſalitas autem non tam rigidè ſumenda eſt, quaſi omnes omnino Epiſcopos ac Prælatos convenire oporteat, ſed cum 4. his limitationibus ex antiqua Eccleſiæ praxi deſumptis. 1. Sufficit omnes totius orbis Epiſcopos advocaſſe, licet non omnes compareant; nunquam enim in ullo concilio omnes comparuiſſe leguntur propter varia impedimenta, dummodo inſignis ſe multitudo ſiſtat. 2. Satis eſt, omnes vocare, qui commodè vocari & exſpectari poſſunt; quis enim ex India remotiſſima tam diſtantes Epiſcopos in Europam evocet, præſertim neceſſitate urgente? 3. Non neceſſum, ex ſingulis Nationibus mundi aliquos Epiſcopos comparere, modò ex duabus præcipuis orbis partibus, nempe Oriente & Occidente aliqui adveniant; multa quippe Concilia Conſtantinopolitana pro Oecumenicis, hoc eſt, totius Orbis habentur, quibus tantùm Græci & Romani interfuerunt. 4. Non eſt opus, ut Orientales & Occidentales Epiſcopi eodem tempore & eodem loco conveniant, modò Legati Pontificij interſint, qui alterius partis vices obeant; imò eſt ſatis, ſi Concilia in diverſis locis habita poſtmodum inter ſe conſentiant, & decreta invicem approbent, ſicuti eſt factum in nonnullis Concilijs Conſtantinopolitanis.

IV. Particulare Concilium eſt triplex. 1. vocatur Nationale, in quo totius alicujus Nationis Epiſcopi ſub uno Patriarcha vel Primate congregantur, ut Concilium Germanicum, Gallicum &c. Unde fieri poteſt, ut Concilium Nationale interdum ſit multò majus Generali quoad numerum ſcilicet Epiſcoporum non quoad authoritatem. 2. dicitur Provinciale, ad quod plures Epiſcopi cum ſuo Archi-Epiſcopo conveniunt, ut Concilium Moguntinum, Salisburgenſe &c. 3. appellatur Diœceſanum, ubi cum Epiſcopo Parochi congregantur, & minùs propriè Concilium vocatur, ſed potius Synodus, ut Synodus Auguſtana, Paſſavienſis &c. Agimus autem hic ſolùm de Univerſalibus, quia particularia ſunt innumera, & parvæ authoritatis. Finis Conciliorum univerſim, & fructus unicè in ijs quæſitus eſt inſtauratio Eccleſiaſticæ Diſciplinæ tam doctrinâ ſanam quàm mores integros complectentis, ut patet ex deſcriptione Concilij allata. His pro terminorum notitia præmiſſis.

V. *Doctrina prima.* Conuocatio Conciliorum Generalium ad Romanum Pontificem ſpectat tanquam ad Caput Univerſæ Eccleſiæ. Ita omnes Catholici, teſtatúrque S. Marcellus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Provinciæ Antiochenæ ante annos 1300. ſic olim ab Apoſtolis fuiſſe declaratum. Ratio eſt. Quia ſicut in corpore humano omnia membra ab imperio & nutu Capitis pendent, ſic in Corpore morali Eccleſiæ omnia membra à Pontifice tanquam à ſupremo Capite pendere debent. Confirmatur. Concilium Eccleſiæ non eſt legitimum, niſi congregetur in Nomine Chriſti Matth. 18. v. 20. Congregari autem in Nomine Chriſti nihil videtur aliud, quàm congregari authoritate Chriſti, hoc eſt, ab eo, qui à Chriſto habet congregandi poteſtatem; nempe Romano Pontifice, cum Romana Eccleſia inter omnes Eccleſias prima & præcipua ſit; utpote *in qua ſemper viguit Apoſtolica Cathedra Principatus,* ut teſtatur S. Auguſtinus Epiſt. 62. Certè nemo alius unus præcipere omnibus Epiſcopis poteſt, ut in Concilio compareant. Dicere autem cum Ameſio Tom. 2. fol. 6. & alijs Sectarijs, nullius hominis authoritate opus eſſe, ut congregentur homines in Nomine Chriſti, vel ex omnibus partibus mundi, vel etiam ex aliquibus, amentia eſt jam protrita hæreticorũ, olétque independentia hæc confuſionem Babylonicam, ut iſtâ ratione, quandocunque duo vel tres Prædicantes cum ſuis Biblijs congregantur, perſuaſum ſit miſeræ plebeculæ, Chriſtum eſſe in medio ipſorum.

VI. *Doctrina ſecunda.* Prædictam poteſtatem convocandi Concilij poteſt ſummus Pontifex alijs etiam ſæcularibus delegare. Ità communis apud Bellarminum Lib. 1. de Concil. c. 12. Et ſic nonnunquam Pontifex delegavit Imperatoribus initio Eccleſiæ. Nam cum Pontificum tunc exigua valde eſſet poteſtas, & divitiæ, totúmq; dominium temporale penes Imperatores exiſteret, ut abſque illorum conſenſu Concilia cogi non poſſent, idcirco Papæ rogaverunt illos, ut Nomine ipſorum ſcilicet ſummorum Pontificum, Epiſcopos undique ad Concilia convocarent.

VII. *Doctrina tertia.* Præſidentia & Directio Concilij ad officium pertinet Pontificale. Ita quoque communis Catholicorum apud Bellarminum Lib. 1. cit. c. 19. Probatur ex perpetua veterum Eccleſiarum praxi. In primo generali Concilio Nicæno Conſtantinus M. poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, ut teſtatur Baſilius Imperator in fine Synodi VIII: At Præſes primo loco ſubſcripſit, nempe Oſius Epiſcopus, Vitus & Vincentius Preſbyteri nomine Silveſtri Papæ, cujus Legati fuerunt, & ideo etiam præſederunt teſte Athanaſio oculato in epiſt. ad Solitar. ubi refert, *Oſium fuiſſe* (loco Sylveſtri) *Synodi Principem, & Nicanæ Fidei Symbolum compoſuiſſe.* Deinde Conſtantinus non eſt auſus ſedere, niſi in humiliori loco, quàm eſſent Epiſcoporum, & annuentibus Epiſcopis, ut colligitur ex Theodoreto Lib. 1. c. 7. Hiſt. & ex Euſebio L. 3. de vita Conſtant. Demum Conſtantinus in ipſo Concilio profeſſus eſt, *ſe debere ab Epiſcopis judicari, eiſque eſſe ſubjectum, non præpoſitum,* ut ſcribit Ruffinus Lib. 10. c. 2. Ergo quod iſte primus & maximus Imperator Chriſtianus nec affectavit, nec ei permiſſum eſt, credibile non eſt, alios ſubſequentes Imperatores vel univerſim affectaſſe, vel ulli permiſſum fuiſſe. Nam quamvis Imperatores nonnunquam primo loco in Concilijs ponerentur, tamen directio ipſis non eſt conceſſa, nec ab illis flagitata. Honorius Imperator in epiſt. ad Frat. Arcadium (quam recenſet Baronius Tom. 5. fol. 209.) ſcribit: *Siquid de cauſa Religionis inter Antiſtites agitur, Epiſcopale oportet eſſe judicium, ad illos enim divinarum rerum interpretatio: ad nos Religionis ſpectat obſequium.* Baſilius Imperator in oratione, quam habuit in octava Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Conſtantinopoli celebrata eſt in cauſa Photij Patriarchæ ſic loquitur:

Digitized by Google

loquitur: *De viris autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè verſamini, quid amplius dicam, non habeo, quàm quod nullo modo nobis liceat de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ & univerſali Synodo adverſari; hæc enim inveſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui Sanctificandi, ligandi, & ſolvendi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claves: non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamentis ſolvi egemus.* Nihil clarius dici potuit. Atque hæc præſidentia Pontificis in primo Apoſtolorum Concilio Actor. 15. fuit obſervata, ubi Petrus primam ſententiam tulit, & cæteri in ejus ſententiam abierunt. Confirmatur. Ponamus, nullum eſſe Principem Chriſtianum in Eccleſia, ſicuti multis annis non fuit uſque ad Conſtantinum M. an idcirco nullum fieri poſſet Concilium defectu Præſidentis? Quomodo ergo Apoſtoli habuerunt?

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. *Error primus eſt.* Jus convocandi Concilia Imperatori competit, non ex commiſſione Papæ, ſed ex proprio munere. Ita Lutherus, & Calvinus atque horum aſſectæ apud Gerhardum lib. 2. part. 1. à fol. 735. Ameſium Tom. 2. fol. 1. & alios. Probant 1. Quia Imperatori incumbit cura Fidei & Religionis. Pſal. 2. v. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper montem Sanctum ejus prædicans præceptum ejus.* Probant. 2. Quia ipſimet Pontifices Regibus ſubjecti ſunt, ut docet exemplum Salomonis, qui Abiatharem ſummum ſacerdotem depoſuit 3. Reg. 2. v. 27. Probant 3. Quia multa habemus exempla in ſacris litteris, quod Reges convocârint Sacerdotes ad Concilia celebranda de rebus ad Religionem pertinentibus, ut David 1. Paralip. 13. v. 3. & c. 23. v. 2. Salomon 3. Regum 8. v. 1. Ezechias 2. Paralip. 29. v. 4. Joſias 4. Reg. 23. v. 2. idque DEO placuiſſe teſtatur Scriptura. Cur Chriſtianis Regibus & Imperatoribus id non liceat? Probant 4. Imperatores prima Concilia Generalia indixerunt. Nicænum Conſtantinus: Conſtantinopolitanum Theodoſius: Epheſinum Theodoſius Junior: Chalcedonenſe Valentinianus & Martianus, & ſic deinceps. Conijcitur autem iſtud, inquit Molinæus, ex eo, quod nulla Romani Pontificis fiat mentio.

IX. Error iſte apertiſſimè repugnat Sac. Scripturæ utriuſque Teſtamenti, quæ diſtinguit Eccleſiaſticam & Civilem Juriſdictionem. 2. Paralip. 19. v. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad DEUM pertinent, præſidebit: porro Zabadias filius Iſmahel, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Chriſtus Joan. 18. v. 36. ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, hoc eſt, non eſt mundanum, nec mundanis Pontificibus competens; quod agnoverunt & palàm profeſſi ſunt Imperatores Chriſtiani, ut ex hiſtorijs probat Bellarminus L. 1. de Concilijs c. 13. & pluribus argumentis firmat Suarez lib. 4. contra Regem Angliæ, ac Becanus Tom. 3. opuſc. 6. Solum Valentinianum Seniorem Imperatorem afferre lubet; iſte cum importunè rogaretur, ut permitteret haberi Concilium, in quo de quibuſdam rebus fidei decerneretur, in hæc verba reſpondit: *Mihi, qui unus è numero Laicorum ſum, non licet ejuſmodi negotijs me interponere; Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ubicunque illis lubitum fuerit, conveniant.* Refert Baronius A. C. 364.

X. Reſpon. ad 1. Regibus & Imperatoribus competere commiſſam defenſionem & executionem: non doctrinam & interpretationem ſcripturæ, ut probè novit Theodoſius Junior in epiſtola ad Synodum Epheſinam ſic ſcribens: *Candidianum Comitem ad hanc Sacram veſtram Synodum abire juſſimus: ſed eâ lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat; nefas enim eſt, qui Sanctiſſimo Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, cum Eccleſiaſticis negotijs & conſultationibus ſe immiſcere.* David loc. cit. non loquitur, ut Rex, ſed ut Propheta, & in Perſona Chriſti, qui præcepto æterni Patris *conſtitutus eſt Rex ſuper montem Sion*, hoc eſt, univerſam Eccleſiam DEI prædicaturus &c. ut rectè ex communi aliorum Interpretum Tirinus. Ad 2. Salomonem quoque non regiâ poteſtate, ſed prophetico inſtinctu Pontificem depoſuiſſe, ut diximus jam ſupra. Sed inſtant hæretici, eo tempore, quo hæc depoſitio Pontificis facta eſt, Salomonem nondum fuiſſe Prophetam, cum donum Prophetiæ poſtea primùm accepiſſe legatur 3. Regum c. 5. v. 12. Aio. donum prophetiæ eſſe diviſibile, & partem priùs, partem poſteriùs conferri; ſicut Apoſtolis Joan. 20. v. 23. Chriſtus ſuo afflatu Spiritum Sanctum contulit, id eſt, aliqua dona Spiritûs Sancti: & poſtea Actor. 2. v. 4. iterum acceperunt Spiritum Sanctum, id eſt, copioſiorem ejus gratiam. Itaque Salomon ante illud ſomnium potuit habuiſſe partem prophetiæ, & ejus virtute Pontificem deponere, licet aliam partem poſtea acceperit. Ad 3. Exempla Regum Judaicorum, qui Levitas & Sacerdotes in Concilium advocârunt, non probare Spiritualem eorum Juriſdictionem. Tum quia non imperiosè, ſed amicabiliter invitârunt. Tum quia non ad decidenda dubia Religionis, ſed ad aliquam Solennitatem cultûs divini convocati ſunt, ut patet per textum. Non obeſt, quod objicit Joannes Gerhardus fol. 737. ipſum etiam Romanum Pontificem à Martiano Imperatore ad Synodum eſſe vocatum; qui, cum non potuit, quatuor Legatos miſit. Nam vocatus fuit non pro imperio & poteſtate ſed precibus & ſubmiſſione rogatus. Ad 4. Concilia illa prima ab Imperatoribus quidem etiam fuiſſe indicta, ſed ex Pontificum ſententia & conſenſu. Et quamvis Gerhardus, Molinæus, Ameſius, alijque Sectarij multa pro Cæſarea authoritate moveant, aliud tamen non evincunt, quàm Imperatores Catholicos & Religioſiſſimos Conſtantinum, Theodoſium, Martianum &c. ſuas partes pro illo opere celebrandi Concilij ſtrenuè geſſiſſe, dum vel ſponte concilia petebant à Romanis Pontificibus: vel ab iſtis convocanda, (ſi quando Concilij locus illorum ditioni ſubijceretur) ita poteſtate ſuâ communicebant, ut liberam poteſtatem Papæ relinquerent, in ea urbe Concilium celebrandi; imò ſeipſos Concilij fautores & propugnatores exhiberent, adeòque ſeipſos Authoritatis Pontificiæ potius Miniſtros, quàm rivales ac Dominos præberent; unde in Concilio Niçæno Conſtantinus M. ſedit in hu-

ſediſſe, nec ipſi Sectatij negare audent. Inter fuit quidem Martianus Imperator & ſedit primo loco, non tamen præſedit ut Judex, ſed ut Defenſor contra violentiam, ne Epiſcopi ad ſubſcribendum vi cogerentur, ut ipſemet teſtatur Orat. ad Synodum. Molinæus in ſuo novo Papatu fol. 148. non negamus, inquit, Cyrillum præſediſſe in Concilio Epheſino; at non ut Legatum Papæ. Dicimus, Cyrillum præſediſſe inprimis nomine Cæleſtini Epiſcopi Romani, tanquam Legatum ab hoc conſtitutum: deinde nomine ſuo tanquam Archiepiſcopum Alexandrinum. Ita ſe habent verba Concilij Epheſ. in Part. 2. Act. 2. fol. 240. *Sedentibus in Sanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, Reverendiſſimis & Sanctiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & locum obtinuit* Sanctiſſimi ac Beatiſſimi *Cæleſtini Archi-Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ: & Juvenali Hieroſolymorum &c.* Videatur Forer L. 6. c. 16. de Antiquit. Papat.

XV. Ad 2. probationem negando ſequelam Majoris. Quia abſentes plerumque melius per Legatos fungi munere ſuo poſſunt; ſiquidem eorum præſentia multa incommoda procuraret, ut bene ponderant Bellarminus & alij. Nam 1. inquiunt, poſſet oriri contentio de præcedentia cum Imperatore. 2. Epiſcopi ejus Majeſtate territi minùs liberè auderent ſuam dicere ſententiam. 3. Numeroſus comitatus tantæ Majeſtati conveniens occuparet domicilia, ut Epiſcopis non eſſet locus. 4. minùs decet Pontificiam dignitatem, ſubditos ſequi, qui potius deberent illam ſequi, & Romam proficiſci; Atque idcirco Papa interfuit Concilijs Romanis, & quibuſdam alijs, quæ ipſe vocavit ad ſe, id eſt, ad locum, ubi ipſe erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Occlamitant hæretici, has rationes ex mera ſuperbia proficiſci, cur enim pudeat Paſtorem ſequi oves, cum Filius DEI propter illas è cœlo in terram deſcenderit, & Imperator ſubjectos Principes ad comitia ſequatur? planè phariſaicum eſt, primas cathedras in Synagoga ambire, cum Chriſtus ſuaſerit in noviſſimo loco recumbere Matth. 23. v. 6. Luc. 14. v. 10. Reſpon. ad iſtas cavillas breviter. 1. hanc gravitatem Papæ eſſe pro tuenda Authoritate, quali pompâ Chriſtus non indiguit alia habens media flectendi, quò vellet, hominum animos. 2. Primas cathedras & primũ locum quærere non eſſe vitium apud eum, qui majoris cæteris eſt dignitatis. 3. Imperatores in una civitate ſui Imperij indicere comitia: Chriſtus etiam deſcendens de cœlo *in propria venit* Joan. 1. v. 11. Sic nec Papa ad concilia intra ſuum territorium venire gravatur. Non obeſt, primos Pontifices humiliùs ſe geſſiſſe; quia Eccleſia tunc nondum in tantam crevit arborem ex minimo grano ſinapis. Matth. 13.

XVI. Ad confirmationem. Reges ac Principes eſſe Cuſtodes legis divinæ, ſed non Interpretes: ac proinde ad eorum officium pertinere, ut edictis ſuis jubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent: & hæreticos ab Eccleſia judicatos coërceant pœnis temporalibus, ſicuti D. Auguſtinus docet in epiſt. 48. 50. & 166. ac pij Imperatores Conſtantinus, Theodoſius, Martianus alijque id ſæpe fecerunt, ut patet ex L. cunctos populos. C. de ſumma Trinitate & Fidei Catholica. Et ex toto titulo de hæreticis in cod. Cod. *Sum quidem Judex Palatinus*, inquit Theodoricus Italiæ Rex ad Joannem Pontificem, *ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus.*

CONTROVERS. XXXIII.

QUINAM SINT CONVOCANDI ad Concilium generale.

IN Concilijs varia negotia circa Controverſias Fidei ac Cleri populique mores ſe offerunt, quæ a certis tantùm perſonis ex diverſis ſtatibus hominum ſelectis pertractari debeant; quænam autem illæ ſint, jam inquirendum & ſtatuendum.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. *Doctrina prima.* Ad Concilia quatuor hominum genera requiruntur & convocanda ſunt. Explicatur. Nam imprimis proponi debet ſtatus quæſtionis, de qua deliberandum & ſententia ferenda, ad quod neceſſarij ſunt Theologi, qui in utramque partem diſputando rei difficultatem aperiant; ſicut in ſtatu politico conſtituuntur Referentes, qui cauſam dijudicandam proponant. Deinde judicandum, quid verius cenſeatur; quod pertinet ad Prælatos Eccleſiæ judiciali poteſtate præditos, nim. Epiſcopos, Abbates, Generales &c. Porro numeranda ſunt ſuffragia, in quam partem plures inclinent, quia tantùm juxta majorem numerum ſuffragionum fertur ſententia; cui negotio ſubſerviunt Notarij ſingulorum vota annotantes. Demum ſententia eſt executioni mandanda; ad quod ſæpe opus eſt ſæcularium Principum auxilio, qui vel perſonaliter comparent, vel ſuos Legatos ſubmittunt.

II. *Doctrina ſecunda.* Epiſcopi & Prælati in Concilijs non tantùm ſuſtinent perſonam Conciliariorum, ſed etiam Judicum, quod munus cæteris præſentibus non competit. Ita omnes Catholici. Eſt autem hoc diſcrimen inter Judices & Conſiliarios, quod iſtorum ſententia non habeat vim obligandi, ſed tantùm dirigendi: illorum autem ſententia ſubditos obligat, perinde ut in Conſultationibus non attenditur numerus Conſiliariorum, quia Judex poteſt pauciores ſequi; imò omnibus contradicere, hoc poſito. Probatur catholica doctrina. Tum quia definire in Concilijs ea, quæ ſunt credenda vel agenda, proprium eſt officium Paſtorum; etenim propriè paſcere eſt ita docere, ut teneantur alij credere. Atqui Soli Epiſcopi ſunt Paſtores. Ergo &c. Tum quia veteres paſſim teſtantur, Concilia eſſe Epiſcoporum Euſeb. Lib. 5. c. 23. S. Cyprianus epiſt. ad Julianum. Ambroſius Epiſt. 23. Hieronymus Lib. 2. contra Ruffinum. Auguſtinus epiſt. 119. Athanaſius, Leo M. & alij. Unde etiam omnium Conciliorum hactenus celebratorum decreta ab Epiſcopis ſolis facta fuiſſe, patet ex ſubſcriptionibus.

Digitized by Google

Quare falſum eſt, quod Ameſius Tom. 2. fol. 15. ſcribit, ſimilia decreta potuiſſe & poſſe ab alijs fieri; quippe ex illa univerſali Eccleſiæ praxi colligitur, ex Apoſtolica traditione ita & non aliter fieri oportere. Tum quia negotia Eccleſiaſtica & publica à Perſonis Eccleſiaſticis & publicis tractari debent. Tales autem ſunt ſoli Epiſcopi. Tum quia nulla eſt Reſpublica quæ non habeat ordinem in comitijs, ita ut non quicunque de plebe, ſed tantùm Principes & Capita cæterorum locum & ſuffragium habeant. Cur ergo idem non habeat Reſpublica ſtatûs Eccleſiaſtici. Tum denique quia in Concilijs ſolorum Epiſcoporum & Prælatorum ſententiæ numerantur, nec licet pluribus refragari. Ergo iſti non tantùm Conſiliariorum, ſed etiam Judicum perſonam ſuſtinent; alioquin non oporteret attendere dignitatem Epiſcopalem, ſed potius doctrinam: & Doctoribus licet nullâ dignitate præditis plus deferendum foret, quod tamen non fit in Concilijs.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

III. *Error primus.* Non ſolùm Epiſcopi & Prælati, ſed etiam Laici in Concilia admittendi ſunt. Ita Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. à fol. 16. Et Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 1. à fol. 757. alijque Sectarij. Pro fundamento hujus adducunt celebre illud Concilium Actor. 15. ubi, inquiunt, Apoſtolis præſentbius locum tamen & ſuffragium habuerunt Presbyteri cum alijs. *Aſcendentes enim Paulus & Barnabas ad Apoſtolos & presbyteros excepti ſunt ab Eccleſia & ab Apoſtolis & Senioribus* v. 4. *Congregabantur Apoſtoli & Presbyteri, ut diſpicerent de hac re.* v. 6. *Apoſtoli Presbyteri & Fratres ſcripſerunt ſententiam communem, & miſerunt delectos viros, qui eam Antiochiam deferrent.* v. 22. & 23. Hinc ergo ſic probant prædictum errorem ſuum. 1. Concilio Apoſtolico loc. cit. non ſoli Apoſtoli, ſed etiam ſeniores & tota Eccleſia interfuit non tantùm audiendi, ſed etiam judicandi gratiâ. 2. Nonnulli Laici virtute & doctrinâ ſuperant Epiſcopos, ideóque magis idonei ſunt ad quæſtiones fidei decidendas. Sic Ruffin. lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 4. refert, in Synodo Nicena Senem quemdam Laicum non admodum peritum Philoſophiæ & Theologiæ plus præſtitiſſe adverſus Philoſophos, quàm cæteros Epiſcopos omnes. 3. Non minùs Laicorum, quàm Clericorum eſt, ſcire, quid credendum. Ergo & ipſi admittendi ad judicium, ubi eorum cauſa agitur. 4. Concilium Univerſale totam Eccleſiam repræſentat. Ergo omnis generis homines complecti debet, qui ſunt in Eccleſia. 5. Laici ſi excludantur, committitur Perſonarum acceptatio, quam Valde improbat Jacobus Apoſtol. c. 2. v. 1. 6. Unius etiam Laici ſententia S. Scripturæ authoritate magis munita proponi debet ſententiæ totius Concilij. 7. In Eccleſia primitiva multæ cauſæ Fidei noſtræ coram populo tanquam Judice fuerunt diſputatæ.

IV. Si argumenta iſta aliquid virium haberent, evincerent etiam mulieres in Concilium admittendas eſſe. Atqui hoc eſt planè abſurdum. Ergo & Antec. Probatur ſequela. Quia ſingulæ allatæ rationes æquè pro mulieribus ac pro viris militant, ut conſideranti patebit. Probatur Min. Quia Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 34. ſcribit: *Mulieres in Eccleſia taceant; non enim permittitur illis loqui; turpe enim eſt mulieri, loqui in Eccleſia.* Unde nec ipſi hæretici mulieres ſuas ad ſua conciliabula ſolent admittere. Si ergo prædicta argumenta nihil probant de mulieribus, etiam de viris univerſim & indiſcriminatim ſumptis nihil probabunt. Eædem rationes ab Adverſarijs allatæ minimè illis ſuffragantur. Reſpon. ad 1. in concilio Apoſtolorum fuiſſe Apoſtolos tanquam Judices ad definiendum: Presbyteros ad conſultandum: Plebem non vocatam adfuiſſe & conſenſiſſe non definiendo, vel diſputando, ſed tantum audiendo, & non reclamando; quod ita eſſe, deſumitur tum ex conſuetudine Eccleſiæ optimo Scripturarum Interprete, tum ex ipſo contextu, ex quo nunquam extundent Adverſarij, omnes ibi congregatos dixiſſe ſententiam. Ad 2. ad ſententiam judicialem non ſufficere virtutem & doctrinam, ſed etiã jus ac poteſtatem requiri, quam in rebus Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus non habent Laici; quantumvis aliàs probi ſint. Nominatim ad Concilium Nicænum, ut ſcribit Ruffinus Lib. 10. cap. 3. Laici nec ſunt vocati, nec Actis Concilij interfuerunt, ſed ſuâ ſponte venerunt, ut extra Concilium diſputarent cum Epiſcopis, quos audierunt ex toto orbe eò conveniſſe. Fieri ergo potuit, ut Laicus aliquis magnæ ſanctitatis ac Spiritûs extra Concilium adverſus Philoſophos multùm præſtiterit. Sed quid ex iſto contra nos? cum minimè inde ſequatur, eundem vel ad Concilium fuiſſe vocatum, vel vocari debuiſſe. Ad 3. cauſam Fidei ad Prælatos pertinere, ut Doctores & Judices: ad reliquos verò tanquam ad diſcipulos; ſiquidem etiam in rebus proprijs aliorum judicio ſtandum eſt. v. g. in judicio criminali, utique de reorum capite agitur, & tamen eorum ſententia non exquiritur: cum de bello conſultatur, utique de vita & fortunis civium agitur, qui tamen in concilium non admittuntur. Ergo falſum eſt hoc principium, cum de alicujus cauſa agitur, ipſe in judicium admitti debet. Ad 4. Sufficere Capitum præſentiam ad repræſentandam totam Eccleſiam; ſicuti pictores adumbrandis civitatibus non ſingulas ædes aut plateas, ſed tantùm potiora ædificia, turres, templa, palatia delineant. Ad 5. acceptationem perſonarum committi, quando prælatio fit ob cauſam impertinentem v. g. propter conſanguinitatem vel divitias &c. At cum Eccleſiaſtici in Concilio præponuntur Laicis, id non fit ob cauſam impertinentem, ſed propter juriſdictionem officij, adeóque non eſt acceptatio perſonarum. Ad 6. Cauſam alicujus privati poſſe anteponi ſententiæ Concilij Generalis ante definitionem, dum cauſa adhuc diſcutitur: & poſt deciſionem, ſi conſtet, Concilium fuiſſe illegitimum: nullatenus verò poſt definitionem Concilij legitimi. Urget Ameſius fol. 18. quæ ſententia in diſcuſſione anteponenda eſt, illa debet etiam in & poſt definitionem anteponi; ſicut enim concluſio ſequitur ex præmiſſis, ita definitio ex diſcuſſione; veritas quippe unica eſt, & unius ejuſdémque valoris ſive poſt ſive ante hominum placita ſpectetur. Concedimus, veritatem eſſe unicam; ſed, ut de hac nobis conſtet, comparationem eſſe inſtituendam inter privati hominis Sententiam, & definitionem Oecumenici ac recepti Conci-

Concilij, negamus quia omni rationi ac praxi repugnat. Ad 7. denique judicium hoc non fuiſſe publicum, ſed privatum, & datum populo, cum non poſſet aliter fieri. Nam cum hæretici impune verſentur inter Catholicos, & multos ſeducant, expedit quandóque publicas coram populo inire diſputationes, & relinquere judicium populo, ut ſequatur, quos viderit melioribus rationibus niti; perinde fere ut 3. Reg. c. 18. Elias Propheta reliquit populi arbitrio, ut vel Deum, vel Baal ſequeretur, prout vel hunc vel illum preces per ignem exaudiſſe viderit.

V. *Error ſecundus.* Præſules in Concilijs congregati non habent poteſtatem judicandi de fide, ſed tantùm indagandi ſenſum Scripturæ, in qua Spiritus Sanctus in omnibus controverſijs fidei jam protulit ſententiam: ideóque convocandi ſunt Doctores, non ut cauſam dicant, ſed ut ſenſum æterni Judicis diſputando inveſtigent, & tantùm valet unuſcujuſque dictum, quantum ex Sac. Scriptura probaverit, ſive Laicus ſive Clericus ſit. Ita ex mente cæterorum Ameſius Tom. 2. fol. 16. Iſte error Sectariorum unicè fundatur in hoc, quod omnia credenda contineantur in Scriptura, quod fundamentum eſſe ruinoſum ac nullius momenti, in Controverſijs de Sac. Scriptura fusè oſtendimus. Adhæc praxis Vet. Conciliorum docet, Apoſtolos non tantùm fuiſſe occupatos in explicanda Sac. Scriptura, ſed etiam in dubijs, in traditione, vel miraculis &c. decidendis. Ipſam quoque Sac. Scripturæ interpretationem non cuivis Laico, ſed Sacerdotibus attribuit DEUS Malachiæ 2. v. 3. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt,* nempe non naturâ, ſed officio; Sacerdotes enim licet homines nobis ſimiles, tamen Angelico munere funguntur, & legationem à DEO ſibi commiſſam obeunt.

CONTROVERS. XXXIV.

AN CONCILIA UNIVERSALIA ſint infallibilia.

OPeræ pretium videtur, aliquid hic præmittere de modo procedendi in Concilijs, quem Gaſpar Cordillus Villalpandeus Segobienſis, Doctor Theologus D. 7. de Concilio Tridentino (cui ipſemet interfuit loco Epiſcopi Abulenſis) totum tunc obſervatum in hæc fere puncta deſcribit.

Primò. *Deliberatur, quibus de rebus, & quo tempore in concilio agendum ſit.* Secundò. *Si de aliqua hæreſi agatur & hæretici, quorum cauſa agitur, præſentes ſint, ipſimet audiuntur, ut ſuam mentem & fundamenta aperiant; ſi verò abſint, eorum loco Catholici Doctores deſignantur, qui lectis hæreticorum libris de propoſita controverſia coram univerſo Concilio & populo in utramque partem diſputent.* Tertiò *nominati Theologi ordine, quo quiſque in gradu theologico & Doctorali antiquior eſt, propoſitam quæſtionem exactè diſcutiunt & hæreticorum opiniones, argumentáque proponunt, denique ſuam ſententiam ſubſtituunt, eámque ex Scriptura, Concilijs, & alijs probationibus confirmant, ac hæreticorum argumenta diſſolvunt.* Quartò. *His diſputationibus per aliquot dies auditis, indictis etiam jejunijs & precibus Prælati ex varijs Nationibus delecti conſcribunt canones ſeu definitiones, quas de propoſita quæſtione à Concilio definiendas exiſtimant, quas ſingulis Patribus ſcriptas tradunt, ut domi legere, conſiderare, & dijudicare valeant. Rebus ita conſideratis convenitur; excluſo populo, admiſſis tamen Principum Oratoribus & Theologiæ Doctoribus tanquam teſtibus. Tunc unuſquiſque Patrum de tradita ſibi definitione ſuam ſententiam pronunciat, num ſequenda, an repudianda, an nonnihil immutanda ſit?* Quintò. *In dicendis autem ſententijs hic ordo ſervatur, ut Legati Pontificij, qui totum Concilium moderantur, nullum ſuffragium ferant, licet durante Concilio ſæpius ad Pontificem ſcribant, ejúſque mentem de propoſitis quæſtionibus explorent, qui tamen adeo modeſtè reſpondet, ut tantùm inſtar ſpecialis Doctoris ſuam mentem aperiat, & necdum Papali Authoritate definiat, nec quemquam perſtringat, ſed cuilibet liberam poteſtatem relinquat, reſervatâ ſibi poſtremâ ſententiâ & totius Concilij approbatione aut rejectione.* Sextò. *Sententiam ergo primò dicunt Cardinales non-Legati, tum Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Generales Ordinum Religioſorum, & in quolibet ſtatu priùs ille, qui in eo ſtatu antiquior, nec Epiſcopi titulares excluduntur, qui habent titulum & jus in aliqua Eccleſia, ſed per hoſtium dominatum adminiſtrare non valent, ſicuti hodie multi Suffraganei Epiſcoporum habent titulum Epiſcopalem in aliqua Provincia Turcarum, & ſunt veri Epiſcopi, ſed ſine actuali adminiſtratione. Interea dum dicuntur ſententiæ, Secretarius in medio conſtitutus calamo excipit, & ne uſpiam erret, quæ quiſque dixerit, ſcripto ipſi tradit.* Septimò. *Deputati Patres, qui primos canones confecerant, ſuffragiorum numerum ineunt, & ex mente plurium, ſi opus ſit, corrigunt, correctos iterum ſingulis tradunt domi examinandos. Rurſus convenitur viſum, quid de correctis canonibus cenſeatur, eodem, quo prius ordine ſingulis interrogatis, idque ter, quater aut ſæpius mutando, addendo, detrahendo &c. donec ſaltem pluribus placeant.* Octavò *tandem indicitur certa dies ultima ac decretoria ſententiæ ferendæ, quo die poſt celebratum officium Spiritûs Sancti ſupremus Præſes Concilij certâ precandi formulâ gratiam Spiritûs Sancti invocat; quâ finitâ unus Patrum ex altiori loco orationem habet propoſito convenientem. Tunc leguntur Canones ultimò emendati, & ſingulorum ſententia rurſus exquiritur; qui uno verbo reſpondent: placet, vel: non placet, & adhuc unicuique liberum eſt, mutare ſententiam; plerumque autem, qui prius aliter ſenſerunt, mutatâ ſententiâ cæteris accedunt; ſic ex plurium judicio decretum formatur ſummi Pontificis examini tranſmittendum &c.*

Ex quo proceſſu liquet, quàm ſapienter cautè ac cogitatè Sacra Concilia procedant, & quanti propterea facienda ſint illorum decreta etiam ſecundùm humanam ſcientiam æſtimata. Unde mirum non eſt, eadem Sacra Concilia proceſſu tam deliberabundo tamdiu protrahi, ſicuti ultimum Sacrum Tridentinum Concilium per ipſos 18. annos licet interruptim fuit productum.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. D*octrina prima.* Concilia Generalia legitimè celebratata, & tandem à Summo Pontifice approbata ſunt infallibilia, non quidem ex humana prudentia & doctrina tot doctiſſimorum Præſulum (qui tanquam homines falli poſſunt, & ſæpenumero decepti fuerunt) ſed ex pe-

culiari aſſiſtentia Spiritûs Sancti. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur ex Sac Scriptura. Actorum 15. v. 15. Apoſtoli prædictam Spiritûs Sancti aſſiſtentiam experti dicunt : *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* ſcil. ex promiſſione Chriſti. Joan. 14. v. 26. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia &c.* quæ promiſſio non tantùm ad perſonas Apoſtolorum, ſed etiam ad eorum Succeſſores pertinebat juxta promiſſionem Chriſti Matth. 16. v. 18. Nam ſi Concilia errarent, tota Eccleſia in errorem induceretur; quia omnes Fideles debent amplecti ſententiam ſuorum Præſulum Heb. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis.* Et quandocunque Pontifices approbant aliquod Concilium, jubent illud recipi. Sic Pius IV. in Bulla confirmante Tridentinum ait : *Mandamus in virtute S. Obedientiæ & ſub pœnis à Sac. Canonibus conſtitutis aliiſq; gravioribus arbitrio noſtro infligendis univerſis & ſingulis Epiſcopis &c. ut decreta & ſtatuta prædicti Concilij diligenter obſervent, & à ſubditis ſuis inviolabiliter obſervari faciant, contradictores quoslibet & contumaces per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio.* Patet autem ex 1. Tim. 3. v. 15. Eccleſiam eſſe *columnam & firmamentum veritatis*, quæ ſecundùm omnem univerſalitatem ſuam perfectè à Concilio Generali repræſentatur : nec ulla cogitari poteſt Congregatio, quæ majoris ſit authoritatis ad aliquid ſtabiliendum, itemque ad obligandum ſingulos Fideles, ut credant vel obſervent ; quod fuit ſtatutum. Idem oſtenditur ex eo, quod ipſa Concilia Generalia à Papa confirmata ſatis exiſtiment, errare ſe non poſſe, cum multa proponant fide credenda, & oppoſitum tenentes tanquam hæreticos damnent. Sic damnatus eſt Arius in Concilio Nicæno, Macedonius in Conſtantinopolitano, Neſtorius in Epheſino, Eutyches in Chalcedonenſi; atque ut alios taceam, Lutherus & Calvinus in Tridentino. Patres quoque adducti apud Bellarminum Lib. 2. de Concil. c. 4. Theologi, atque univerſi Fideles idem ſentiunt de ejuſmodi Concilijs : ac proinde certiſſimè credunt, quidquid ob ipſis credendum proponitur, adeo, ut dictum illud S. Gregorij M. Lib. i. Epiſt. c. 24. ab ijs frequenter uſurpetur : *Quatuor prima Concilia Generalia recipienda eſſe, ſicut quatuor Evangelia*, nimirùm infallibilem veritatem eorum, quæ toti Eccleſiæ credenda proponunt. Hic autem tam communis ſenſus omnium aut verus eſt & certus : aut dicendum, nihil eſſe certi in tota Eccleſia, quod citrà apertam hæreſin affirmari non poteſt.

II. Cavillatur hinc Ameſius Tom. 2. fol. 29. pia Concilia in hunc modum à nobis impietatis accuſari ; quaſi novos articulos edidiſſent fidei Catholicæ. Verùm hæc calumnia ſublatâ æquivocatione in nihilum abibit. Negamus enim, Papam aut Concilium unquam ſe articulorum fidei conſtituiſſe Judicem, eo ſenſu, quem urgent hæretici; quaſi Papa vel Concilium judicare præſumat, an articuli Fidei ſuſcipiendi ſint; quodſi judicare de fide nihil ſit aliud ; quàm in dubio, num aliqua ſententia ad fidem pertineat, vel non pertineat, diſcernere, à qua parte ſtet veritas, tum omnino affirmamus, Papam aut Concilia de fide judicare, novóſque articulos edere.

III. *Doctrina ſecunda.* Concilium nullum etiam Generale eſt infallibile abſque approbatione Romani Pontificis. Ita Bellarminus Lib. 2. de Concil. c. 11. & plerique Theologi apud Tannerum Tom. 3. D. 1. dub. 8. Probatur. Tum quia ſatis conſtat ex Scriptura, ſupremam Spiritualem poteſtatem poſt Chriſtum fuiſſe collatam Petro, ejúſque Succeſſoribus; adeóque Papam eſſe Caput Eccleſiæ. Ergo veri-ſimile non eſt, quod Authoritas infallibiliter definiendi ea ; quæ ad fidem ſpectant, ſit collata corpori Eccleſiæ independenter à ſui Capitis ſententia. Tum quia cum Patres in Concilijs Generalibus congregati omnium ſuarum definitionum confirmationem à Sumo Pontifice petere ſoleant, ſatis oſtendunt, ipſorum judicium poſſe retractari, donec acceſſerit approbatio Papæ : ac proinde ante hanc approbationem eſſe fallibile & errori obnoxium ; quodſi etiam contingeret, ejuſmodi Concilium à Summo Pontifice reprobari, nullus fidelium teneretur illius definitiones ſequi, quod magnum eſſet incommodnm ex hypotheſi, quod eſſet infallibile. Tum quia experientia docuit, ſine Pontifice etiam ampliſſima Concilia erraſſe. v. g. Antiochenum, Ariminenſe, & Mediolanenſe Arianiſmo faverunt contra myſterium SS. Trinitatis. Epheſinum II. in Eutychetis hæreſin deflexit contra myſterium Incarnationis. Conſtantinopolitanum V. & VI. contra cultum Imaginum deliquit. Baſileenſe, Conſtantienſe, & Piſanum contra Pontificis poteſtatem erraverunt. Hinc Paſchalis Papa cap. 4. de electione ait, *omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ Authoritatem robur accepiſſe*, dum ſcilicet eorum definitiones vel prius factæ ſunt juxta particularem inſtructionem per Legatos Pontificios præmiſſam, vel poſtea ab iſtis ad Papam miſſæ ab eodem examinatæ & approbatæ fuerunt. Addit rectè Bellarminus loc. cit. etiamſi Concilia tale robur prius per peculiarem Legatorum Pontificiorum inſtructionem habeant, adhuc tamen eadem non eſſe infallibilia ante Papæ approbationem. Quia firmitas Concilij naſcitur ex conſenſione & conjunctione Corporis cum Capite. At Caput nondum aperuit ultimò ſuam mentem; tametſi enim Legati cum aliquâ inſtructione præſint nomine Papæ, tamen non ſunt reipsâ Pontifices ſummi, nec ſciunt, quæ ſit ultima mens Papæ, nec habent illud privilegium non errandi, quod habet Summus Pontifex.

IV. Dicunt Adverſarij. Vel Spiritus Sanctus ante Pontificis approbationem per Epiſcopos in Concilio congregatos locutus eſt ; vel non ? ſi prius, tum Conciliorum decreta per ſe fuerunt infallibilia independenter à Pontifice ; quia Spiritus Sanctus non poteſt errare, per quemcunque loquatur : ſi poſterius, tunc nec per approbationem Pontificis reddentur infallibilia; ſiquidem non amplius loquitur Spiritus Sanctus per Epiſcopos poſt finitum Concilium, conſequenter tota infallibilitas Conciliorum à ſolo Pontifice proveniret, quod eſt abſurdum, & repugnat Doctrinæ noſtræ primæ. Reſpon. ex Controvers. 2. §. 8. Sicuti Sac. Scriptura ante approbationem Eccleſiæ fuit Verbum DEI, ſed nobis ignotum, niſi Eccleſia declaraſſet: ita ante approbationem Pontificis Spiritus Sanctus fuit locutus per illa Concilia ; quæ poſtea à Pontificibus fuerunt approbata; attamen non conſtitit nobis, quod Spiritus Sanctus per illa locutus fuerit, niſi ſubſequens approbatio Pontificum nobis manifeſtaſſet ; adeóque Pontifex non facit, ſed declarat Concilium infallibile.

V. Urgent. Si Chriſtus Epiſcopis in Concilio congregatis aſſiſtit, tunc ſunt infallibiles etiam

ſeclusâ

Digitized by Google

ſecluſâ Pontificis approbatione, ut per ſe patet, cum Chriſtus ſit DEUS. Atqui verum eſt antecedens juxta illa verba Chriſti Matth. 18. v. 20. *Ubi duo vel tres* (quanto magis, ubi ſunt tot centeni) *ſunt congregati in nomine meo* (id eſt, meâ cauſâ vel propter me) *ibi ſum in medio eorum.* Ergo & conſequens. Pro ſolutione hujus argumenti & verò intellectu verborum Chriſti duo ſunt advertenda ex Maldonato, Cornelio à Lapide & alijs Sac. Scripturæ Interpretibus. *Primum.* Ut aliqui dicantur in nomine Chriſti congregati, tria requiruntur. 1. Ut bonâ intentione ad præſtandum aliquid DEO beneplacitum, & hominibus ſalutare conveniant. 2. Ut illa res, quam tractandam ſuſcipiunt, eorum ſtatui & officio congruat; ſicuti Eccleſiaſtica Eccleſiaſticis, non Laicis conveniunt. 3. Ut modo rationabili & cum debita conſultatione & deliberatione procedant. Hæc qui negligerent, non convenirent in nomine Chriſti, id eſt, ſecundùm ordinem & voluntatem Chriſti, qui per Apoſtolum monuit 1. Corinth. 14. v. 40. *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant. Alterum.* Chriſtum eſſe in medio, non ſignificat phyſicam præſentiam; Nam ſive conſideretur quà DEUS, alias ubique eſt etiam apud malos in nomine diaboli congregatos: ſive quà homo, qui non eſt ubique, ubi duo vel tres in nomine ejus congregantur. Significat igitur moralem præſentiam, ut bene Tirinus in hunc locum, id eſt, attentione, quid agatur, & directione, ut bene agatur; quæ directio non ſignificat protectionē infallibilem ab omni errore, ſed talē aſſiſtentiam, ut vel non ſinat eos errare, vel errores permiſſos deinde corrigat, & in majus bonū convertat, ſicuti fecit cum duobus diſcipulis in Emaus euntibus, inter quos medius primò permiſit illos errare, poſtea correxit, eorumque fidem ad aliorum ſalutem direxit. his notatis. Reſpon. ad inſtantiam. Quando Epiſcopi ad Concilium congregantur abſente Pontifice, DEUM eſſe in medio illorum non determinatè & abſolutè reddendo eos infallibiles: ſed ita dirigendo, ut vel non errent, vel eorum error à Pontifice corrigatur. Nec mirum videri debet, Concilium ſine Pontifice non reddi à DEO abſolutè infallibile, cum illud ſit Corpus ſine Capite; adeóque non perfectè repræſentet univerſam Eccleſiam, ad quam inprimis promiſſio divina ſpectat.

VI. *Doctrina tertia.* Infallibilitas Conciliorum generalium etiam à ſummo Pontifice approbatorum non extendit ſe ad omnia dicta & facta eorum, ſed nonnihil limitanda eſt. Ita communiter Theologi, qui triplicem limitationem aſſignant. 1. eſt, argumenta, quibus Concilia probant ſuas definitiones, non ſunt infallibilia. Ratio eſt, quia infallibilitas definitionum non nititur virtute probationum, ſed inſpirationis divinæ, quæ diſcurſus humanos ſolùm poſtulat tanquam prævîam diſpoſitionem. 2. eſt, definitiones etiam ſeu ſententiæ judiciales de particularibus perſonis in concilio latæ v. g. utrum hic vel ille ſit hæreticus &c. non ſunt extra periculum erroris. Ratio eſt, quia per falſam hominum informationem facilè Judex decipi poteſt: nec intereſt totius Eccleſiæ talis ſententiæ veritas; proinde Spiritus Sanctus non infallibiliter aſſiſtit, niſi generalibus definitionibus ad totam Eccleſiam ſpectantibus. 3. eſt, fuſior declaratio fidei, prout in actionibus vel Seſſionibus proponitur, non eſt totaliter de fide, ſed tantùm in tenore verborum, qui poſtea in Canonibus proponitur. Exemplum habemus in Tridentino Seſſ. 13. cap. 3. ubi dixerat, *totum Chriſtum in Eucharíſtia ſub quavis parte panis contineri*, quod tamen poſtea can. 3. reſtrinxit, ſcil. *totum Chriſtum contineri ſub ſingulis ſpeciei partibus ſeparatione factâ*; unde colligunt Doctores, non eſſe de fide, quod in ſpeciebus continuis ſub qualibet parte totus Chriſtus contineatur.

VII. Allatis tribus limitationibus addunt nonnulli quartam quoad mores, quod Conciliorum leges & decreta moralia in his non ſint infallibilia, quandoquidem multa non fuerunt recepta vel per deſuetudinem abolita, vel à poſterioribus Concilijs correcta, teſte Auguſtino Lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas c. 3. Verùm hæc limitatio meritò alijs Doctoribus non probatur. Quia Spiritus Sanctus non ſolùm in fide, ſed etiam in morum doctrinâ dirigit Eccleſiam, ſicuti Apoſtoli Actor. 15. ſuum decretum de abſtinentia à certis cibis (quod non ad fidem, ſed ad mores pertinebat) Spiritui Sancto adſcripſerunt. Et Summi Pontifices non ſolùm fidei dogmata, ſed etiam moralia decreta Conciliorum approbant, ſuáque approbatione infallibilia reddunt, ut patet ex Bulla Pij IV. quâ Concilium Tridentinum confirmavit, ajens, *ſe approbare omnia, quæcumque ibi decreta & definita fuerunt vel ad confutandas hæreſes, vel ad emendandos mores.* Non obſtat, quod aliquæ leges Conciliorum vel non receptæ ſint, vel rurſus in deſuetudinem venerint; quippe hoc non ideò eſt factum, quod aliquid erroris in illis latuerit, ſed quod infirmitati hominum nimis difficiles fuerint, vel mutatis circumſtantijs minus expedíverint. Nam in legibus duo diſtingui oportet, nempe honeſtatem materiæ præſcriptæ, & obligationem ad eam ſervandam; in priori nunquam errârunt Concilia, quia nihil unquam præceperunt, quod ſecundùm ſe inhoneſtum & injuſtum foret: nec in poſteriori, quia non voluerunt abſolutè obligare ſubditos, ſed cum tacitis conditionibus, ſi ſubditi acceptarent, & eædem circumſtantiæ permanerent, ut cum alijs Theologis docui in Diſput. de Legib. theſ 26. Sublatis igitur conditionibus ceſſat voluntas obligandi abſque ullo errore, ſicuti etiam quædam leges Apoſtolorum v. g. de vigilijs & Agapis (epulis pauperum, de qua voce videri poteſt Tirinus in indice nominum) per abuſus paulatim irrepentes ſublatæ fuerunt, nec idcirco Apoſtoli illas leges ferendo errarunt. S. Auguſtinus loc. cit. ajens *plenaria Concilia à poſterioribus fuiſſe correcta & emendata*; per plenaria Concilia, vel non intellexit univerſalia, ſed nationalia ab errore non immunia: vel non intellexit nomine emendationis commiſſi erroris correctionem, ſed moralium legum revocationem tanquam præſenti tempori ob mutatas circumſtantias non amplius congruentium.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VIII. **E**Rror primus. Concilia Generalia, etiamſi à Romano Pontifice ſint approbata, non ſunt infallibilia. Ita Lutherani apud Gerhardum

hardum L. 1. part. 2. cap. 20. à fol. 476. Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. à fol. 24. Et alij Sectarij, quibus omnibus unum hoc eſt commune; *Verbum DEI eſſe unicam, puram, & perfectam lucernam pedibus noſtris*: non omnes, qui Epiſcopi, verè eſſe tales. Volunt fallibilitatem Conciliorum Generalium evincere his fere argumentis. *Primum.* Sacerdotes omnes Veteris Teſtamenti ſæpe accuſantur non ſolùm improbitatis, ſed etiam ignorantiæ & erroris. Iſaiæ 56. Jerem. 6. Ezech. 22. Oſeæ 6. &c. Ergo Concilia ex iſtiuſmodi hominibus conflata poſſunt errare. *Secundum.* Concilium Judæorum Præſide ſummo Pontifice Caiphâ fœdè ac pernitioſè erravit in rejectione & condemnatione Chriſti. *Tertium.* In Eccleſia etiã novi Teſtamenti prædictum fuit, falſos fore Doctores, ſicuti olim fuerunt pſeudoprophetæ 2. Pet. 2. Actor. 2. &c. *Quartum.* In omni cœtu multitudinis ſæpe accidit, ut major pars vincat meliorem. Ergo Concilia, in quibus decreta ſunt ſecundùm ſuffragia majoris partis, poſſunt errare. *Quintum.* Si Concilia à Pontifice confirmata ita gubernantur à Spiritu Sancto, ut infallibilia ſint, eorum decreta, erunt paria Scripturæ Sacræ. *Sextum.* Patres nullo verbo innuunt, authoritatem Conciliorum pendere à Confirmatione Romani Pontificis. Undè rectè Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 9. §. 3. ſcripſit: *Quod in Eccleſia remanere veritatem non putent, niſi inter Paſtores conſtet: nec Eccleſiam ipſam conſiſtere, niſi in Concilijs Generalibus emineat, multùm abeſt, quin id verum ſemper fuerit.* *Septimum.* Aliqua Concilia Generalia, de facto erraverunt, & à Patribus Gregorio Naz. epiſt. ad Procop. Iſidoro, Leone &c. fuerunt reprehenſa.

IX. Errorem hunc ſupra jam efficaciter rejecimus. Et certè quiſquis eum tenet, & nullum Concilium, quod repræſentat univerſam Eccleſiam, admittit tanquam infallibile, Sacræ Scripturæ & praxi totius Eccleſiæ contradicit. An non Actor. 15. Concilium Apoſtolorum tanquam infallibile fuit ab omnibus habitum? Quis unquam quatuor prima Concilia niſi apertè hæreticus vel in dubiũ vocavit? Horum decreta fidei pari cum Evangelijs honore recepere omnes pii Catholici ante & poſt Gregorium M. Porro rectiſſimè dicitur, totam Eccleſiam repræſentari à Concilio Generali, ad quod vocantur, quotquot Catholici ſunt Epiſcopi, accedente confirmatione Romani Pontificis. Ita ſemper, ubique, & omnibus Fidelibus fuit perſuaſum, & jure meritò. Nam Chriſtus prævidens difficultates in Eccleſia ſua exorituras promiſit ſuis Spiritum Sanctum, qui non ſolùm dirigeret univerſalem Eccleſiam, ſed ſingulariter Epiſcopos, quos à Fidelibus audiri voluit. Hæc autem promiſſa Spiritûs Sancti aſſiſtentia maximè in Concilio generali accidit, ubi vera Fides & Sac. Scripturæ ſenſus declarantur, & oppoſitæ hæreſes damnantur. Cum ergo Epiſcopi ſint Paſtores, ſubditi autem Oves paſtorali eorum curæ commiſſæ: &, quidquid iſti Paſtores cum Summo Paſtorum Papa conſtituunt, abſque dubio in cœlo ratum ſit, atque huic fides ab illis adhiberi debeat, fieri non poteſt, quin veriſſimè Concilium Generale repræſentet Univerſam Eccleſiam; ſiquidem hæc connectitur cum illo, unúmque ex eis Corpus efficitur.

X. Cæterùm quod Sectarij confugiant ad Sacram Scripturam, rati *Verbum DEI eſſe unicam, puram, & perfectam Lucernam pedibus noſtris*, atque illud ſolum eſſe infallibile, quod ab ipſis Sacræ Scripturæ conforme invenitur; hoc ſolenne eſt omnibus hæreticis, & ipſorum *Characteriſtica*, quæ apud illos explet omnes Eccleſiæ Notas: quæ illis omnem Doctrinæ complexionem facit: credendi Regulam ſtatuit: legitimam Miſſionem reddit: defectum Miraculorum ſupplet: Antiquitatem præſtat: Succeſſionem præbet: Catholicos illos efficit: Sacram denique eiſdem paginam conſtituit. Quid autem reipſâ eſt Hæc? *Eſt impugnatio Legis ex verbis legis.* Ambroſius in c. 3. Epiſt. ad Tit. *Eſt Sacrilegium litteræ.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theolog. *Eſt illecebra impietatis hamo circumjecta: ſtatua ad omnes tranſeuntes ſe obvertens: communis utriuſque pedis cothurnus &c.* Idem orat de S. Athanas. *Eſt ars diaboli, quâ & Chriſtum tentare auſus.* S. Chryſoſtom. hom. contra hæreticos. Tom. 5. *Eſt aurum, argentum, Veſtis verſiculor DEI, quibus hæretici idola ſua operiunt.* S. Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. c. ult. *Eſt denique Evangelium non Chriſti, ſed hominis, imò diaboli, cum Verbum DEI non in legendo ſed intelligendo conſiſtat.* Et planè indignum atque abſurdum eſt, hæreticos privato cujuſque judicio tribuere, ut decreta Concilij Generalis juxta Sacram Scripturam examinet, teneátque, quæ huic conformia judicaverit: & nihilominus cogere, ut relicto proprio ſenſu Conſiſtorij ſui placita amplectatur, quæ tamen ipſimet fallibilia eſſe fatentur; quaſi verò plus fidei dandum eſſet paucis quibuſdam rudibus ſuperbiâ turgidis, terrena ſapientibus, carni & ſanguini immerſis Prædicantibus, quàm tot ac tantis virtute, doctrinâ, & Sanctitate clariſſimis Patribus in Concilio Generali ex univerſo Chriſtiano orbe congregatis, & aſſiſtentiâ Sancti Spiritus munitis? Argumenta in oppoſitum allata nihil penitus evincunt. Prius autem, quàm ad illa reſpondeamus.

XI. Advertendum, non convenire inter Catholicos Doctores, an Synagoga Judaica fuerit infallibilis? Affirmant Mart. Becanus in Analogia utriuſque Teſtamenti c. 6. q. 2. Et c. 11. q. 2. Adamus Tanner in Apologetico Colloquij Ratisbonenſis c. 11. & 12. & plures alij triplici hoc argumento inducti. 1. Sacerdotibus Leviticis promiſſa fuit à DEO veritas Deut. 17. v. 9. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem.* 2. DEUS graviſſimè præcepit, ut ſubditi eorum judicio ſtarent, eod. loc. v. 12: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* At ſi fallibilis fuiſſet ejus Sententia, cur DEUS tam ſeverè ad eam amplectendam obſtrinxiſſet ſub pœna capitis? 3. Aliàs ſubditi nunquam fuiſſent in animo quieti, ſemper timentes aliquem errorem Judicum. Addunt tamen hanc infallibilitatem præſente Chriſto exſpiraſſe, qui tanquam infallibilis Magiſter veritatis erat propoſitus. Negant nonnulli Synagogam Judaicam fuiſſe tam infallibilem, quàm nunc eſt Eccleſia Chriſtiana, ſed DEUS illam rexit ſubmiſſis interdum Prophetis illorum mores corrigendo. Prior opinio eſt quidem communior: Poſterior tamen non minùs videtur probabilis, eámque innuit Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 6. reſp. ad 3. ajens: certiores & majores promiſſiones habet DEI Eccleſia, quàm Synagoga, de qua nuſquam legitur, quod ſit *columna veritatis*, quod de Eccleſia ſcribit Apoſtolus 1. Timoth. 3. v. 15. Ad 1. igitur argu-

Digitized by Google

argumentum Becani, Tanneri &c. reſpondent Authores poſterioris hujus opinionis, verba illa Deut: *judicabunt judicij veritatem* non habere vim prædictionis aut promiſſionis, ſed præcepti, hoc eſt, judicare debebunt; eſt quippe familiare Hæbræis, futurum pro imperativo uſurpare, ut in decalogo, *Diliges pro diligas Dominum Deum tuum &c.* Videatur Tirinus in cit. cap. 17. Deut. Ad 2. reſpondent, etiam filios parentibus ſuis ſub pœna capitis debuiſſe obtemparare; DEUS enim Deut. 21. v. 18. juſſit inobedientes filios lapidari; an ideo parentes in ſuis mandatis ſunt infallibiles? ſufficit ad obligationem obediendi mandatum rationabile nullo evidenti errore inquinatum; quod cum valde neceſſarium ſit ad publicam pacem & tranquillitatem, DEUS tam ſeverè præcipit obſervari, non propter infallibilitatem. Ad 3. reſpondent, tranquillandæ conſcientiæ ſufficcere probabilitatem; alioquin nunquam eſſemus quieti in hac vita; quia plurima Sciri certò non poſſunt, ut docent Theologi Morales de conſcientia probabili. Cum igitur utraque opinio ſuo non deſtituatur fundamento, & ambæ objectionibus ſatisfaciant, iiſdem pro commodo noſtro utemur neutri alligati.

XII. Reſpon. nunc ad argumenta hæreticorum. quæ ſupra §. VIII. doctrinæ noſtræ Catholicæ oppoſuêre. Ad 1. ſæpe in Sacris litteris propter aliquos malos reprehendi omnes, ut ad Philipp. 2. v. 21. *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt*; cum tamen in cit. capite 1. v. 16. dixerit Apoſtolus, quoſdam ex charitate Chriſtum annuntiare. Adhæc nihil iſtorum dicitur in Concilium Sacerdotum, ſed in Paſtores & Prophetas ſeparatim populum decipientes: ad concilium autem Sacerdotum mittuntur omnes Deut. 17. cit. Demum quidquid ſit de Sacerdotibus Vet. Teſtamenti, certiores & majores promiſſiones habet Eccleſia Novi Teſtamenti, quàm Synagoga; ut paulò ante dixit Cardinalis Bellarminus.

XIII. Ad 2. ex hoc exemplo nihil effici contra Concilia Generalia Chriſtianorum tribus de cauſis. *Prima.* Quia vel Synagoga Judaica non fuit tam infallibilis, quàm nunc eſt Eccleſia Chriſtiana propter ſpecialem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti, quam huic, non illi promiſſam legimus: vel præſente Chriſto Synagoga Judaica infallibilis eſſe deſijt, juxta duplicem ſententiam ſupra relatam. *Secunda.* Quia hoc concilium Judæorum non fuit univerſale, ſed tantùm paucorum Sacerdotum, qui eo tempore Hieroſolymis verſabantur. Nam ut legimus 1. Paralip. c. 23. v. 3. & cap. 24. v. 18. tanta fuit multitudo Sacerdotum & Levitarum, ut tempore Davidis in 38000. excreverint, qui cum non poſſent ſimul omnes Jeroſolymis habitare, nec ſine confuſione templo inſervire, per varias urbes ſparſi, & in 24. partes diviſi fuerunt, ut per vices ſingulis hebdamadis una illarum partium Jeroſolymam veniret, & DEI cultum perageret. Itaque exigua pars hujus tempore iſtius Concilij derepente celebrati Jeroſolymis præſens fuit. *Tertia.* Quia in eodem Judaico concilio nullus erat legitimus Pontifex. Nam ſecundùm legem DEI Num. 18. v. 5. & 1. Paralip. 24. v. 31. Pontificatus debebat eſſe perpetuus & hæreditarius in Familia Aaron, ut unuſquiſque ad finem vitæ eo munere fungeretur, tum Primogenitus Filius ei ſuccederet. Romani autem rerum potiti hunc ordinem inverterunt, & muneribus corrupti nativos Pontifices depoſuerunt, & extraneos illis ſubſtituerunt, ſicut factum eſt cum Anna & Caiphâ, qui proinde non erant legitimi Pontifices, nec legitimum Concilium, ut tradit Baronius in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, & ex eo Spontanus ibid. num. 5.

XIV. Ad 3. hoc equidem veriſſimum eſſe de Lupis, quales ſunt hæretici: non verò de Paſtoribus, Epiſcopis ſcil. in unitate Fidei Catholicæ perſiſtentibus. Quàm inepta autem hæc eſt argumentatio: Sicuti in Veteri Teſtamento fuerunt pſeudoprophetæ, ita in novo Teſtamento erunt hæretici, qui Magiſtri mendaces introducent Sectas perditionis, Ergo Concilia Generalia legitimorum Paſtorum poſſunt errare. Quodſi Synodi etiam generales ejuſmodi falſis Doctoribus conſtiterint, conciliabula potius fuerint reprobata, de quibus videri poteſt Bellarminus Lib. 1. de Conc. cap. 6.

XV. Ad 4. in cœtibus humanis id aliquandò ita contingere: non verò in concilio legitimo, ubi Spiritus Sanctus præſidet, & Chriſtus eſt in medio eorum, qui nomine ipſius congregati ſunt, & ubi illi adeſt, cui dictum eſt ab ipſa veritate: *rogavi pro te &c.* Nam etſi major pars reſiſtat meliori (uti factum eſt in Concilio Ariminenſi & Epheſino II.) tamen nunquam vincit; mox enim irritantur ejuſmodi Conciliorum Acta ab eo, cui convenit ex officio *fratres confirmare.* Sed quærit Ameſius, ubinam reſideat S. Spiritus, cùm nec in majore parte Concilij ſemper, utpote quæ, ut recens dictum, poteſt reſiſtere veritati: nec in ullo ſingulari membro Concilij oſtendi poſſit? Reſpon. reſidere Spiritum Sanctum in eo, cui Chriſtus illum promiſit, ſcil. in Hærede D. Petri, eidémque hæredi adhærentibus.

XVI. Ad 5. Concilia Generalia à Summo Pontifice approbata quoad Authoritatem & certitudinem atque infallibilitatem æquare Sacram Scripturam in decretis ſuis, quæ tanquam de fide credenda proponuntur. Quia Spiritus Sanctus æquè infallibilis eſt ſive per Scriptores Canonicos, ſive per aſſiſtentiam loquatur. Diſſentit Card. Bellarminus L. 1. Concil. c. 12. aſſerens, Concilia nec habere, nec ſcribere immediatas revelationes aut Verba DEI, ſed tantùm declarare, quodnam ſit Verbum DEI ſcriptum vel traditum, quomodo intelligi debeat, atque inde per ratiocinationem deducere concluſiones. Idem dicent ommes Theologi illi, qui putant, Eccleſiam hodie communiter non regi novis revelationibus. Equidem opinionem hanc cenſeo probabilem; oppoſitam tamen ſententiam Arriagæ Tom. de Fide. Diſp. 11. à. n. 30. ſemper prætuli, & hactenus ſuppoſui, ſcil. ſufficientem eſſe DEI locutionem ipſam Pontificis ac Concilij declarationem cum Aſſiſtentia Spiritûs Sancti factam, ut propter DEI Authoritatem & loquelâ credamus, adeóq; ſic dari novas revelationes ac verba Dei. Ratio hujus eſt. Tum quia Gregorius M. prima quatuor Concilia Generalia quatuor Evangelijs comparat; quæ autem eſt comparatio, ſi iſta ſint revelationes, & verba DEI: illa non? Tum quia Gregorius XIII. Papa in Bulla, quæ incipit, Aſcendente Domino. definit, & tanquam de fide tenendum proponit, Societatem JESU eſſe veram Religionem: & tria vota ſimplicia ad hoc ſufficere. Ubi iſtud habetur in Sacra Scriptura, & quæ hujus verba declarantur per definitionem

Digitized by Google

tionem illam? Tum quia Spiritus Sanctus aſſiſten-
do Concilijs & Papæ in decretis fidei faciendis non videtur minus facere, quàm impellendo Scriptores Canonicos, ut res antea viſas & auditas ſcribant. Si igitur iſta Scriptura cenſetur revelatio & Verbum DEI, cur non etiam illa definitio ac decretum? Effatum illud Theologorum: *Eccleſiam hodie communiter non regi novis revelationibus*, intelligendum duntaxat de revelationibus novis circa ſubſtantiam præcipuorum ac fundamentalium fidei articulorum, vel de revelationibus proprijs, ut communiter accipiuntur. Quando etiam Tridentinum Seſſ. 4. Scripturam & Traditiones poſuit, in quibus veritas & diſciplina contineatur; non iſtis alligat Concilia, ne quid diſtinctum doceant, ſed ne contrarium. Videatur Ludovicus Alcazar in Comment. in Apocal. notat. 19. Cæterùm varia adhuc intercedunt diſcrimina inter Scripturam & Concilia, ut clarè patet ex Doct. 3. §. 4. Imò ipſa etiam decreta Conciliorum non ſunt de fide quoad verba, ſed tantùm quoad ſenſum; niſi fortè de ipſo verbo ſit decretum formatum, ut cum in Concilio Nicæno decreverunt, recipiendam vocem ὁμοούσιον, & in Epheſino θεοτόκον. Unde abſolutè & ſimpliciter non æquamus Concilia Sacræ Scripturæ: multò minùs huic illa præferimus.

XVII. Ad 6. Si Patres in terminis non exprimunt, authoritatem Conciliorum pendere à confirmatione Romani Pontificis, ut Ameſius T. 2. f. 28. occlamitat, reipsâ id clarè oſtendunt, dum in Generalibus etiam Concilijs approbationem à Summo Pontificè flagitant, nunquam illud facturi, ſi vel neceſſarium non fuiſſet, aut in Papa infallibilitatem non agnoviſſent. Quid etiam aliud volunt Patres, *dum ad Romanam Cathedram perfidiæ negant acceſſum*, ut loquitur Cyprian. Epiſt. 55 quàm affirmare, quod omnia Eccleſiæ decreta quoad certitudinem ab infallibilitate Romani Pontificis dependeant? Ad Calvinum ex lib. 4. Inſt. adductum dicimus, licet, per ſe loquendo, veritas poſſet conſiſtere in particularibus Eccleſiæ membris, eſto Paſtores hallucinarentur, tamen ſuppoſitâ Chriſti ordinatione fieri id non poſſet. Nam ſi omnes Eccleſiæ oves ex præcepto Chriſti obedire Paſtoribus teneantur, idque maximè in doctrina fidei, perſpicuum eſt, quod, ſi Paſtores omnes errarent, Eccleſia etiam illos audiens in errorem induceretur.

XVIII. Ad 7. & ultimum, ſpecialia errata, quorum hæretici peculiaria quædam Concilia inſimulant, commodiùs infra proponenda, & Concilia ab his vindicanda videri. S. Gregorius Nazianzenus *fugere concilia cupiens* loquitur de illegitimis; quippe inciderat ejus ætas inter primum & ſecundum Concilium generale, quo tempore multa celebrata ſunt concilia Seleucienſe, Tirenſe, Ariminenſe, Sirmienſe &c. quæ propter frequentiam Epiſcoporum Arianis faventium infelicem habuerunt exitum; propterea deſperabat Nazianzenus, ſicuti etiam D. Baſilius, tunc poſſe congregari legitimum. Iſidorus intelligi debet de Concilijs expreſsè non confirmatis à Papa. Leo reprehendit decretum in Concilio Chalcedonenſi abſentibus Legatis Papæ factum; poteſt autem Concilium generale errare in eo, quod non fit legitimè. Videri poteſt Bellarminus Lib. 2. de Concil. cap. 7.

XIX. *Error ſecundus.* Non eſt certum de fide divinâ, hoc aut illud Concilium generale fuiſſe legitimum. Ita ex mente aliorum Sectariorum Ameſius Tom. 2. fol. 33. ex quo infert, Conciliorum decreta firmam infallibilitatem, ac fidem divinam facere non poſſe. Hunc errorem jam rejecimus in ijs, quæ ſupra de Summo Pontifice & hujus infallibilitate diximus. Eſt quippe eadem ratio hujus numero Concilij, & hujus numero Papæ. Tota Eccleſia utpotè *columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. cit. non poteſt errare in rebus ad communem totius Eccleſiæ Religionem pertinentibus. Sed judicium, quo Eccleſia acceptavit & Pium IV. Papam, & approbatum ab iſto Concilium Tridentinum, pertinet ad communem totius Eccleſiæ Religionem. Ergo in hoc judicio non poteſt errare: & conſequenter de fide divina eſt certum, fuiſſe legitimum &c.

CONTROVERS. XXXV.

AN CONCILIA SINT SUPRA Pontificem.

SErmo eſt de Pontifice legitimo & indubitato. Nam ſi dubius ſit propter vitium aliquod electionis, vel Schiſma &c. cenſetur quaſi non Papa, & Eccleſiæ judicio ſubjicitur confirmandus vel exauthorandus, ut conſtat ex antiqua Eccleſiæ praxi.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. D*Octrina prima.* Concilium Generale, ſi Papam ſecludamus, non eſt ſupra Summum Pontificem. Ita Catholici Doctores. Et licet aliquando aliud ſenſerint Cardinal. Cameracenſis ſive Petrus de Alliaco, Joannes Gerſon, Major, Almainus, Cuſanus, Panormitanus, Abulenſis & alij apud Bellarminum L. 2. de Concl. c. 14. Item, teſte Tirino in indice Controverſiarum de Concilijs general. diſſentiunt multi DD. Sorboniſtæ, rati Papâ nihil aliud eſſe in Eccleſia, quàm quod Præpoſitus Generalis eſt in ſuo Ordine religioſo, nempe Caput ſingulorum, ſed Subditum omnium ſimul ſumptorum; hæc tamen opinio à M. Dominico Bannez 22. q. 1. art. 10. Diſp. 2. non ſolùm falſa, ſed etiam temeraria, ſcandaloſa, & hæreſi proxima cenſetur, nondum tamen eam apertæ hæreſos damnare vult, quod in nullo Concilio expreſſis verbis damnata reperiatur. Quidquid ſit de hac cenſura reſpectu Catholicorum, qui aliàs Papam D. Petri Succeſſorem, & Chriſti in terris Vicarium agnoſcunt, & tenent hanc opinionem, quia oppoſita veritas nondum illis ſufficienter eſt perſuaſa. Probatur doctrina noſtra 1. Caput eſt ſupra Corpus, & Paſtor ſupra Oves, ut patet. Atqui Papa eſt Paſtor & Caput Eccleſiæ. Ergo eſt ſupra Eccleſiam. Prob. Min. partim ex Sac. Scriptura, ubi Chriſtus Petro dixit: *Paſce oves meas* Joan. 21. v. 17. partim ex Concilijs. Epheſinum Legato

Digitized by Google

gato Pontificis aſſerenti, Pontificem eſſe Caput totius Fidei, non reclamavit, ſed approbans dixit: *juſtum eſſe judicium.* In Chalcedonenſi epiſt. ad Leonem Romanus Pontifex agnoſcitur pro Capite totius Concilij, & Petrus, cui ſucceſſit Papa, vocatur *Caput totius Corporis Eccleſiæ.* Et Concilium Florentinum, ubi Græci ſimul & Latini convenerant ita Sanxit: *definimus, S. Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum: & ipſum Pontificem Romanum eſſe Succeſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à D.N. JESU Chriſto plenam poteſtatem eſſe traditam, quemadmodum in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in S.S. Canonibus continetur. Datum Florent. in publica Seſſione Synodi An. 1439.*

II. Probatur 2. Papa non accipit ſuam poteſtatem à Concilio aut Eccleſia (uti Rex à Regno, Generalis à Religione) ſed immediatè ab ipſomet Chriſto, & quidem pro ſe ſolo, atque in ſua perſona reſidente; ſoli quippe Petro ejúſque Succeſſori (non autem Concilio, vel cuicunque Congregationi) dictum eſt Matth. 16. v. 18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claves &c.* Ergo cum Jus divinum non poſſit tolli, minui, limitari, vel immutari, ſive a Papa ſive ab alijs hominibus, Summus Pontifex omnimodè eſt ſupra Concilium Generale, & univerſam Eccleſiam. Huc facit, quod præclarè in cit. textum S. Matthæi notat Tertullianus de pudicitia cap. 21. his verbis: *Super te,* inquit, *ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſiæ: & quæcunque ſolveris vel alligaveris, non quæ ſolverint vel alligaverint. Sic enim & exitus docet. In ipſo Eccleſia extracta eſt; id eſt, per ipſum.* Et Tom. 3. in Scorpiaco c. 10. *Si adhuc clauſum putas cælum, memento claves hujus Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.*

III. Probatur 3. Concilium generale ſi eſſet ſupra Pontificem, tunc poſſet judicare Pontificem. Atqui hoc non poteſt, ut agnovit Concilium Sinueſſanum ante annos 1300. celebratum, cum enim Marcellinus Papa metu tormentorum idolis thus adoleviſſet, poſteà pœnitentiâ ductus Concilio 300. Epiſcoporum ſe ſtitit judicandum ac puniendum, ſed omnes unanimiter reclamârunt: *tuo Te ore, non noſtro judicio, judica; nam Prima Sedes à Nemine judicatur.* Similiter Summum Pontificem ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam univerſam, & ſupra Concilium Generale, nullúmque in terris Judicem ſuper ſe agnoſcere, expreſſis verbis fatentur Concilia Chalcedonenſe Act. 3. Romanum ſub Sylveſtro can. ult. Romanum V. ſub Symacho. Synodus VIII. Act. 7. Conſtantienſe in Bulla Martini V. Lateranenſe ſub Leone X. Seſſ. II. ubi contrario decreto Concilij Baſileenſis reprobato diſertè & ex profeſſo definitur, *Pontificem eſſe ſuper omnia Concilia*; quod decretum, inquit Tanner T. 3. D. 1. Q. 4. n. 312. ſi Catholici Doctores illi vidiſſent, nunquam, ut opinor, oppoſitum docuiſſent. Accedunt Pontifices ſummi Leo M. Gelaſius, Nicolaus, Gregorius M. Innocentius III. & alij, qui planis verbis idem affirmant. Quod ipſum faciunt Patres apud cit. Authorem Quæſt. cit. dub. 3. & 6. Molinæus in novo papat. fol. 327. ait, Concilium Romanum ſub Sylveſtro (in quo can. ult. dicitur: *Nemo etiam dijudicet Primam Sedem*) eſſe plenum defectibus & falſitatibus, fatente hoc Baronio. Verba Baronij ad A. C. 324. N. 123. ſunt iſta: *cum vix ſit reperire verſum, in quem mendum non irrepſerit.* Ecce duo mendacia Molinæi; *Primum.* Omittit particulam *vix*; eſt ne hoc Theologo dignum? ſi lepus vix effugit canem, non eſt ab hoc deprehenſus: *alterum.* Sumit mendum pro falſitate, cum tamen hoc ſit dolus, illud abſque fraude à ſcriba vel typographo fieri poſſit. Decetne hoc, non dico Theologum, ſed virum honeſtum?

IV. Probatur 4. Is, ad quem appellatur ab altero, eſt ſuperior illo, ut conſtat ex ſtylo utriuſque fori. Sed à Concilijs appellatur ad Summum Pontificem. Ergo Summus Pontifex eſt Superior Concilijs. Prob. Min. ex hiſtoria Eccleſiaſtica v. g. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, & Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus per ſententiam Conciliorum depoſiti ad Julium Summum Pontificem appellârunt, & ab eo in integrum reſtituti ſunt, non per modum interceſſionis, ut fingunt Adverſarij, ſed per mandatum judiciale, ut conſtat ex epiſtolis Julij Papæ ad Epiſcopos Orientales datis, quibus eos citat ad tribunal ſuum. Unde & Sanctus Baſilius ad D. Athanaſium epiſt. 52. ſcribit, *videri ſibi bonum, ut rogetur Romanus Epiſcopus, ut mittat aliquos in Græciam, qui ejus nomine irritent Concilia Ariminenſe &c.* Pari modo Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus appellavit ad Leonem Papam à Concilio Epheſino II. Generali, ut teſtatur ipſe Leo epiſt. 25. ad Theodoſium Auguſtum. Videri poteſt Bellarm. L. 2. c. 17. Eſt autem inſolens calumnia Molinæi, affirmare, omnia exemplaria Conciliorum Græca & Latina eſſe corrupta: item negare appellationem Flaviani ad Leonem Papam. Videatur etiam Forer in Antiq. Papat. lib. 6. cap. 7. & 20.

V. Probatur 5. Tum quia Pontifex eſt verum Caput Eccleſiæ, & in hac ſupremam habet poteſtatem. Atqui fieri non poteſt, ut ſint duæ ſupremæ poteſtates, aut duo Capita ejuſdem Communitatis vel Corporis. Tum quia ad bonum Eccleſiæ Regimen neceſſarium eſt, unum eſſe quoddam Caput totius Eccleſiæ à Concilijs generalibus independens. Tum quia Pontifex jure divino eſt ſuperior omnibus membris Eccleſiæ &c. Patent hæc omnia ex ijs, quæ diximus in Controv. de Summo Pontifice.

VI. *Doctrina 2.* Summus Pontifex, etiamſi vellet, non poſſet juridicè ſe ſubijcere Concilio generali, aut ulli homini. Ita ex communi Catholicorum Bellarminus Lib. 2. cit. de Concil. c. 18. Probatur. Tum quia poteſtas Papæ ſuper omnes eſt de jure divino, in quo diſpenſare ipſe non poteſt. Tum quia ſequeretur, Papam eſſe Superiorem, & non eſſe; Prius, quia ſuam cauſam committendo alterius judicio non deſineret eſſe Papa, & conſequenter nec Superior: Poſterius, quia ſi cogi poſſet, eſſet inferior, & jam non Papa & Superior. Dixi juridicè; etenim per judicium diſcretivum ſolùm poteſt exemplo Symachi, Sixti III. Leonis III. & & IV. atque aliorum, qui accuſati voluerunt cauſas ſuas in Concilijs Epiſcoporum diſcuti, quos Epiſcopi judicare non fuerunt auſi; unde in Concilio IV. ſub Symacho omnes Epiſcopi, dum ſubſcribunt, affirmant, *ſe totum judicium Deo relinquere.* Africani etiam Primates A. C. 646. ſcribentes ad Pontificem Romanum hunc literis titulum præfigunt: *Domino Beatiſſimo Theodoro Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici.*

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VII. Error primus. Concilium generale eſt ſupra Pontificem Romanum. Ita Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. part 1. à fol. 796. Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. à fol. 40. (ubi crudum mox mendacium evomens aſſerit, omnes Pariſienſes Theologos hujus eſſe opinionis) & alij Sectarij, qui contra Papam ſemper unanimes omnem huic in Eccleſia ſupremam poteſtatem & authoritatem negant, atque omnibus modis eundem Concilio generali ſubjectum eſſe contendunt. A quorum hæreſi & pertinacia remotiſſimi quidem ſunt Authores, quos contra priorem doctrinam noſtram citavimus, nonnihil tamen hi cum illis in probationibus opinionis ſuæ adverſus doctrinam noſtrâ conveniunt. Probatio 1. Omnis peccans poteſt ab Eccleſia judicari juxta illud Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te Frater tuus, corripe eum &c. Si de non audierit, dic Eccleſiæ.* Sed Papa eſt frater peccans. Ergo poteſt ab Eccleſia judicari. Hanc probationem Ameſius Tom. 2. fol. 56. valde extollit. 2. Papa eſt membrum Eccleſiæ. Ergo minor eſt ſuo toto, quod eſt Eccleſia. Hanc probationem Gerhardus fol. 774. putat eſſe convincentem. 3. Mater eſt ſupra filium. Eccleſia eſt Mater: & Papa ejus Filius: Ergo &c. Min. patet. Major ſumitur ex decalogo: *honora patrem tuum, & matrem tuum &c.* 4. Concilia Baſileenſe Seſſ. 2. & Conſtantienſe Seſſ. 4. definiunt, Concilia eſſe ſupra Pontificem. Ergo &c.

VIII. Errorem hunc condemnant omnia Sacræ Scripturæ & Patrum Teſtimonia, quæ pro ſuprema Papæ poteſtate ejúſque infallibilitate ſupra attulimus. Quomodo enim ſupremus eſt authoritate & poteſtate, qui infra Concilium generale eſt? Quomodo eſt infallibilis in ſententijs ſuis, ſi de iſtis dubitari, & ad altius Tribunal appellari poſſit, ut de veritate planè conſtet? Quomodo ille, qui tenet Sedem Romæ eſt Caput & Princeps omnium Patriarcharum (ut antiqui Patres de Romano Pontifice loquuntur) ſi ſubjacet Concilio generali omnium Epiſcoporum; Quomodo nominatim hoc D. Auguſtini Epiſt. 162. verum eſt effatum: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit Principatus.* Si in eadem Rom. Eccleſia ſemper Cathedra Apoſtolica Concilio Generali extitit inferior? Quare tametſi opinio hæc, quod Concilium generale ſit ſupra Pontificem, ab Authoribus Bellarmino Lib. 2. de Concil. c. 17. Tannero Tom. 3. D. 1. Q. 4. n. 314. & alijs non cenſeatur tanquam aperta hæreſis; hanc tamen cenſuram omnino meretur, prout à Sectarijs aſſeritur, quaſi Papa defectu ſupremæ poteſtatis & infallibilitatis Concilio generali ſubeſſet. Argumenta in oppoſitum allata nullius ſunt roboris.

IX. Reſpon. ad 1. in oppoſitum cum Tirino in cit. locum, nomine Eccleſiæ non intelligi hic cœtum Fidelium, quidquid putaverit Hieronymus, ſed Eccleſiæ Paſtorem & Prælatum ejus Eccleſiæ ſeu Congregationis, cujus ipſe eſt membrum, & quam ille repræſentat, ſicuti Rex regnum. Ita S. Chryſoſtomus Theophylact. & alij. Tum quia Chriſtus jubet audire Eccleſiam, hoc eſt, Eccleſiæ obedire, alioquin hoc ipſo habendum pro excommunicato; hæc autem obedientia Prælato tantùm defertur, ut per ſe patet: & hæc ratio perſuaſit ipſi Calvino interpretationem iſtam. Tum quia Chriſtus Eccleſiam explicans ſubdit: *quæcunque alligaveritis*, vos ſcil. Apoſtoli Eccleſiæ Principes, veſtrique Succeſſores. Tum quia id docet perpetua praxis. Tum denique quia contrarium facere eſſet contra jus naturæ & gravis injuria in proximum, ſi crimen ejus foret occultum. Videri poteſt cit. Author.

X. Inſtant Adverſarij. Ergo ſi Prælatus, ipſe ſcil. Papa peccet, debebit quoque deferri ad Eccleſiam, hoc eſt, Concilium generale. Ergo huic ſubjectus eſt. Negamus illatum; ſiquidem pertinet illud ſolummodo ad alios Prælatos præter Papam, qui nullum habet ſuperiorem, quod patet ex perpetua praxi Eccleſiæ. Urgent iſta verba (dic Eccleſiæ) fuerunt dicta Petro. Dicimus, Chriſtum indefinitè fuiſſe locutum, ſicuti etiam ab initio capitis uſque ad vers. 21. Petrus quoq; eo tempore, quo juſſus eſt ire ad Eccleſiam, adhuc fuit privatus; etenim poſt reſurrectionem primùm Pontifex creatus eſt Joan. 21. v. 26. Nec refert, quod ſequentes Pontifices id mandatum Chriſti etiam ad ſe pertinere cenſuerint; quippe voluerunt uti ſubſidio Eccleſiæ non tanquam altiore poteſtate præditæ, ſed tanquam majori humanâ authoritate pollentis propter multitudinem tot Epiſcoporum, ut pertinaces animi vel ſic flecterentur.

XI. Ad 2. Si accipiatur Eccleſia ſine Papa, tum Eccleſia non eſt totum, ſed pars; major quidem magnitudine molis, minor tamen magnitudine virtutis, ſive authoritatis: ſi verò accipiatur Eccleſia cum Papa, tum major eſt authoritas Eccleſiæ extenſivè, non tamen intenſivè, perinde ut ens DEUM & creaturas comprehendens non eſt majus bonum, quàm ſolus DEUS intenſivè; etiamſi extenſivè ſit majus, quia ſcil. ſunt plura bona. Eadem eſt ratio inter Chriſtum & Eccleſiem.

XII. Inſtant Adverſarij. Membrum putridum debet amputari, ſi inficiat totum. Ergo & Papa, ſi inficiat Eccleſiam. Dicimus cum Bellarmino Lib. 2. cit. c. 19. in corpore naturali & rebus publicis temporalibus poſſe hoc fieri, quia membra pendent à toto. Sed alia eſt ratio Corporis Eccleſiæ, cujus Caput non à Corpore, ſed à DEO authoritatem accipit; perinde fere, ut familiæ non licet deponere Oeconomum quantumviſ peſſimum, quia non à familia, ſed à Domino eſt inſtitutus. Inferunt. Ergo Eccleſia manebit ſine remedio, ſi Papa impunè vexare & perdere poſſit, nemine reſiſtente. Dicimus cum cit. Authore, non mirum, ſi maneat ſine remedio humano efficaci; quia non nititur ejus ſalus præcipuè humanâ induſtriâ, ſed divinâ protectione. Etiamſi igitur Eccleſia non poſſit deponere Pontificem, attamen poteſt ac debet DEO ſupplicare, ut ipſe remedium adhibeat; & indubitatum eſt, DEO fore curæ ejus Salutem, adeóque Pontificem talem vel gratiâ ſuâ efficaci converſurũ, vel priùs eundem è medio ſublaturum, quàm Eccleſiam deſtruat. Quodſi Papa poteſtate ſuâ abuſus vim adhibere, & Eccleſiam deſtruere cupiat, armis quoque eidem repugnandum; quippe ad reſiſtendum, & vim vi repellendam nulla requiritur authoritas.

XIII. Ad 3. Papam eſſe Filium Eccleſiæ, quatenus privatam perſonam: non verò quatenus Pontifi-

Pontificem ſummum; ſic enim eſt Pater Eccleſiæ, ut ipſum nomen Papæ indicat. Et nihil prorſus eſt novi, unam & eandem perſonam diverſo reſpectu diverſas habere formalitates ac denominationes Patris ac Filij. Superioris ac ſubditi. Præceptoris ac Diſcipuli. Vendentis ac Ementis. Debitoris ac Creditoris &c.

XIV. Ad 4. Concilium Baſileenſe quoad hoc non eſſe ullius authoritatis, licet ante apertum Schiſma fuerit pro legitimo habitum. Nam à tempore, quo Eugenium IV. deponere, & Felicem ſubſtituere moliebatur, in Schiſmaticum degeneravit conciliabulum, ut vocatur à Concilio Lateranenſi ultimo Seſſ. 11. Videri poteſt Bellarminus in fine lib. 2. ubi etiam expreſſum mendacium eſſe ait, quod prædictum concilium cum Actibus ſuis à Nicolao V. fuerit approbatum; cum iſte non niſi quædam circa beneficia & cenſuras confirmaverit. Conſtantienſe verò approbatum quidem eſt à Martino V. ſed ſolùm quoad decreta conciliariter ab eo conſtituta, ut poſt Cajetanum, Valentiam, Tannerum & alios notat Duvalius Doctor Sorbonicus Part. 3. pag. 444. Per particulam autem conciliariter intelliguntur, quæ vel cum prævio examine: vel poſt ſchiſma ſopitum & electionem Martini V. à Patribus fuerunt decreta; neutro autem horum modo facta eſt definitio, quod Concilium ſit ſupra Papam, ut ex actis liquidò conſtat. Cæterùm quomodo Papa poteſtatem ſuam amittere, & deponi poſſit, diximus in Controvers. de Pontif.

XV. *Error ſecundus.* Papa poteſt ſe ſubmittere vel Concilij generalis vel alterius hominis judicio & poteſtati. Ita Ameſius Tom. 2. fol. 41. idque probat inde, quod Summus Pontifex ſubmittere ſe poſſit Clavium poteſtati in Sacramento Confeſſionis, ut ſolvantur vel ligentur ejus peccata. Mirum ſanè eſt, ſi Puritanus iſte fuit tam imperitus, ut neſciret diſcrimen inter forum politicum & forum Poli, ſive externum & internum; poſterius tribunal non quidem habet reos, niſi voluntarios, tamen etiam Papa lethalis noxæ ſibi conſcius poteſt DEO reconciliari, ſcilicet ſe tanquam perſonam privatam ſubjiciendo Sacerdoti; quantumvis in priori non abſolvatur, tanquam à Superiore. An Papa, & quomodo teneatur legibus Eccleſiaſticis v. g. annuæ Confeſſionis, Horarum Canonicarum, jejunij &c. videri poteſt Diana Part. 6. Tr. 7. Reſ. 3. Quod autem addat Ameſius Papam eſſe hoc modo exlegem, & fieri vix poſſe, quin ſit omnium hominum maximè peccatis coopertus, calumnia eſt hominis effrontis, & ad criminandum venditi, à quo vituperari, laudari eſt. Sed iſte eſt modus Prædicantium, falſis & horrendis perſuaſionibus contra Romanum Pontificem Chriſtique in terris Vicarium animos Aſſeclarum ſuorum implendi, & ita iſtos veluti laqueis aſtrictos in perverſa Secta ſua retinendi, ne ab errore ſuo reſipiſcant, & ad communem rectè credentium Patrem reverti velint.

IHS.

CONTROVERS. XXXVI.

QUOT HACTENUS CONCILIA GENERALIA ſint celebrata?

Lubet hactenus dictis attexere breviſſimum catalogum Conciliorum Generalium in Eccleſia Catholica ad hoc uſque tempus celebratorum; quibus ſubjungemus nonnihil de Concilijs particularibus, ac de ijs, quæ ab Eccleſia reprobata fuerunt; cum notitia horum controverſijs rite intelligendis & pertractandis multùm utilitatis afferat.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Ab Apoſtolis quinque Concilia fuerunt celebrata; de quatuor conſtat ex actibus Apoſtolorum: quinti meminerunt nonnulli Patres. *Primum* celebratum fuit Jeroſolymis anno Chriſti 34. ubi loco Judæ Mathias Apoſtolus fuit ſuffectus Act. 1. *Secundum* eodem tempore & loco, ubi ſeptem Diaconi fuerunt electi pro cura pauperum habenda. *Tertium* ibidem anno Chriſti 51. ubi definitum, Chriſtianos non amplius obligari lege Moſaicâ Actor. 15. Sed cum interfuerint Paulus & Barnabas, & unà cum alijs Apoſtolis & Senioribus ſtatuerint, ut Fideles eſſent quidem immunes à jugo circumciſionis, & Moſaicarum cæremoniarum: abſtinerent tamen ab immolatis Simulacrorum & Sanguine & ſuffocato, & fornicatione. Cur deinde Paulus 1. Corinth. 8. non abſolutè eſum idolothytorum prohibuit? Reſp. cum Tirino & alijs poſt Baronium A. C. 51. Quia præceptum iſtud non erat perpetuum, ſed ſolùm pro tempore: neque extendebat ſe ad omnes Chriſtianos, ſed ad ſolos Antiochenos, & eorum vicinos, ut patet ex v. 23. idque causâ concordiæ Judæorum cum Gentilibus, quæ Corinthij ex hoc capite non periclitabatur. *Quartum* ibidem anno Chriſti 58. ubi Judæis converſis aliquandiu permiſſæ legales ceremoniæ. *Quintum* in Judæa, neſcio quo loco celebratum fuiſſe anno Chriſti 44. tradunt aliqui Patres ante diviſionem Apoſtolorum in totum orbem, ubi Symbolum Apoſtolorum fuerit compoſitum, & lati Canones Apoſtolici à Clemente Romano commendati.

II. Circa hoc ultimum Apoſtolorum Concilium gravis lis eſt de numero Canonum Apoſtolicorum. Græci numerant 85. quibus adhæret Bartholomæus Carranza in Summa Conciliorum, & dicit, omnes approbatos in VI. generali Synodo can. 2. Alij verò tantùm 60. recipiunt, ut Gratianus Diſt. 16. nixus Authoritate Zepherini Papæ. Hodie communiter tantùm 50. recipiuntur, quibus aſſentitur Bellarminus de Scriptoribus Eccleſ. V. Clemens Roman. quia in poſterioribus Canonib. manifeſti errores continentur, qui non decent Authoritatem Apoſtolicam v. g. can. 67. baptizati ab hæreticis jubentur rebaptizari. Can. 85. numerus librorum Canonicorum depravatur

excludendo authenticos, & ſpurios admittendo. Nec curandus eſt Canon. VI. Synodi admittens 85. canones Apoſtolorum, quia non eſt deſumptus ex legitima Synodo, ſed ex Spurio conſiliabulo Trullano, cujus nulla eſt authoritas. In verba Zephirini 60. Canones Apoſtolicos approbantis vel ſcriptorum vitio error irrepſit, ponendo 60. pro 50. ut ſuſpicatur Bellarminus loc. cit. vel ratione Canonum non intellexit integros canones; ſed diverſa illorum decreta, ut alij arbitrantur. De reliquo, quando Tertullianus in lib. advers. Praxeam ſcribit: *Canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos.* Et Damaſcenus lib. 4. de Fid. Orthod. c. 18. videtur *eos ponere inter Sacras Scripturas*: At contra Gelaſius Papa in Concilio Romano (unde extat capit: Sancta Romana diſt. 15.) librum Canonum Apoſtolorum pronunciat apocryphum; putandi ſunt illi Patres attendiſſe ad canones legitimos: iſte verò Pontifex ad illegitimos, atque ſic reconciliari poſſunt, ut etiam advertit Bellarminus loc. cit.

III. *Doctrina ſecunda.* Poſt tempora Apoſtolorum hucuſque octodecim legitima & generalia Concilia fuerunt celebrata. Ita Catholici DD. ex tomis Conciliorum; unde eadem breviter, ordinéque recenſebimus.

Primum eſt Nicænum à Nicæa urbe dictum & anno Chriſti 325. ſub Sylveſtro Papa & Imperatore Conſtantino M. celebratum, in quo convenerunt præclariſſima mundi lumina, Spirantes Sanctorum reliquiæ in attritis corporibus Diocletiani victores, in quibus Nicolaus, Spiridion, alijque ad 318. Epiſcopi, qui Ario presbytero Alexandrino ad palinodiam adacto; ejúſque hæreſin (*quâ Filium DEI negabat eſſe Patri coæqualem, conſubſtantialem & coæternum: atque eundem à Patre de nihilo in tempore creatum aſſerebat*) contra SS. Trinitatem damnantes Fidei formam ſanctiſſimam Nicænum Symbolum conſcripſerunt.

Secundum eſt Conſtantinopolitanum ſub Romano Pontifice Damaſo, & Imperatore Theodoſio anno Chriſti 381. celebratum ob tres potiſſimum cauſas 1. ut Nicæna Synodus multis jactata procellis, & à pſeudoſynodis reprobata de novo contra Arianos ſtabiliretur. 2. ut Macedonij hæreſis *negans Spiritûs Sancti divinitatem* reijceretur. 3. ut Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Præſul orthodoxus præficeretur, quam Ariani Epiſcopi labefactaverant. Vocatur hoc Concilium Conſtantinopolitanum I. & 150. Epiſcopi in eo fuerunt.

Tertium eſt Epheſinum ab Epheſi minoris Aſiæ Metropoli dictum, & ſub Cæleſtino Romano Epiſcopo atque Imperatoribus Theodoſio II. & Valentiniano III. Imperatoribus An. Chriſti 431. celebratum; in quo 200. Epiſcopi damnarunt Neſtorium, qui nova & pernicioſâ hæreſi *negavit Beatiſſ. V. Mariam eſſe θεοτόκον, hoc eſt, Deiparam; ſolúmque illi Chriſtiparæ nomen permittebat.* Geminas quippe Chriſto perſonas affingebat Divinam ac Humanam, conſequenter aſſerens, MARIAM Virginem genuiſſe Perſonam humanam à divina prorſus diſcretam. Factâ Neſtorianæ hæreſeos condemnatione, & ſolenni per decretum ſynodicum B. V. MARIÆ defenſione, quod verè ſit θεοτόκος; hoc eſt, DEIpara, magno, id gaudio percepit Ec- Eccleſia & Angelicæ Salutationi verba illa *Mater DEI ora &c.* inſeruit.

Quartum eſt Chalcedonenſe dictum ab urbe Chalcedone, quæ eſt Provinciæ Bithyniæ Boſphoro è regione Conſtantinopolis adjacens. Fuit hoc Concilium unum ex quatuor celeberrimis habitum anno Chriſti 451. præſentibus 630. Patribus ſub Leone I. Papâ & Imperatore Martiano contra Eutychen Abbatem Conſtantinopolitarum & ejuſſautorem Dioſcorum *ſtatuentes unicam in Chriſto naturam & voluntatem*: item ad delendam Epheſinæ Synodi infamiam &c. de quo videri poteſt Joannes Cabaſſutio in notitia Conciliorum à fol. 231.

Quintum eſt Conſtantinopolitanum II. ſub Vigilio Papa & Imperatore Juſtiniano anno Chriſti 552. celebratum, in quo damnatus fuit Petrus Cnapheus Epiſcopus Antiochenus, qui hæreſi partim Macedonianâ, partim Neſtorianâ infectus totam Trinitatem crucifixam dicebat; vocéſque triſagio addebat: *qui paſſus es pro nobis.* Præter alia in hoc Concilio actum fuit de ſcriptis Originis, quorum hiſtoriam totam recenſet Cabaſſutio à fol. 295.

Sextum eſt Conſtantinopolitanum III. ſub Agathone Papa & Imperatore Conſtantino celebratum in Secretario palatij, quod Trullum vocabant, anno Chriſti 680. celebratum, in quo Patres *ſtatuerunt in Chriſto uti duas Naturas, ita duas Voluntates & Operationes* contra Sergium, Paulum, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, & Theodorum omnes Archi-Epiſcopos Conſtantinopolitanos qui Monothelitarum hæreſin ſpargentes graves toto Oriente tumultus ciebant. Atque hoc Concilium communiter appellatur Sexta Synodus Oecumenica.

Septimum eſt Nicænum II. ſub Adriano I. anno Chriſti 781. celebratum imperantibus Conſtantino & Irene ejus Matre poſt Leonem Copronymum & Leonem Iſauricum, qui duo Imperatores Pater ſcil. & Avus Conſtantini atrociſſimum bellum exciverunt *in Superos, illorum imagines pictas & fictas veneratione omni interdicentes.* In hoc igitur Concilio contra Iconoclaſtarum hæreſin conſentientibus 350. Epiſcopis cultus ſacrarum Imaginum, quem illi negabant, fuit reſtauratus.

Octavum eſt Conſtantinopolitanum IV. ſub Adriano II. Papa & Baſilio Imperatore anno Chriſti 781. celebratum, in quo Photius invaſor Patriarchatûs Conſtantinopolitani reſtituto Ignatio fuit damnatus, & Iconomachorum Zizania ſtirpitus ſunt evulſa ab Epiſcopis præſentibus 102.

Nonum eſt Lateranenſe I. Romæ in Palatio Lateranenſi Anno Chriſti 1122. ſub Calliſto III. Papa & Henrico IV. Imperatore celebratum, in quo ab Epiſcopis 300. convenientibus actum de reſtitutione priſtinæ diſciplinæ, ac de concilicandis Principibus Chriſtianis & bello contra Sacracenos gerendo pro recuperenda Terrâ Sanctâ. Sed acta ejus non extant; Gratianus tamen aliquot canones circa reſtituendam priſtinam diſciplinam in ſuum Decretum tranſtulit.

Decimum eſt Lateranenſe II. anno Chriſti 1139. ſub Innocentio II. Papa, & Conrado Rege Rom. celebratum; in qua celeberrima Synodo à Patribus mille frequentata poſt multa ſalutifera decreta promulgata actum fuit contra Petrum Leonis ſeu Anacletum Pſeudopontificem; cujus acta reſciſſa ſunt, & Schiſma ſopitum; Acta tamen ejus non extant.

Undecimum eſt Lateranenſe III. ſub Alexandro III. Papa anno Chriſti 1180. celebratum, in quo 300. Epiſcopi multa de electione Papæ ſtatuerunt, & anathemate percuſſerunt Catharos & Patarenos hæreticos, qui in Vaſcovia, Albegeſio, & Toloſatum partibus invaluerant.

Duode-

Duodecimum eſt Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno Chriſti 1215. celebratum, in quo Patres 412. Joachimum Abbatem de Curiacio & alios hæreticos damnârunt, ſacræ Fidei, Ordini, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ exactè multis capitulis providerunt, ac demum ſubjecerunt decretum pro Sacra in Palæſtinam profectione, de pace inter Chriſtianos componenda, & ſubſidijs ad iſtud bellum comparandis.

Decimum tertium eſt Lugdunenſe ab urbe Lugduno in Galliâ anno Chriſti 1245. ſub Innocentio IV. celebratum, in quo Fridericus II. ſeu Barbaroſſa rebellis Papæ anathemate perculſus & ab imperio depoſitus eſt. Expeditio quoque in Palæſtinam decreta, illius Duce Ludovico Galliæ Reg conſtituto. In hac Synodo ferunt Cardinalibus Pileum rubrum fuiſſe conceſſum.

Decimum quartum eſt Lugdunenſe II. anno Chriſti 1274. ſub Gregorio X. celebratum, in quo præſentibus quingentis Patribus damnata fuit hæreſis Græcorum *de proceſſione Spiritûs Sancti à ſolo Patre:* & præcipiente Pontifice à Cardinalibus reliquiſque Latinis Patribus fuit decantatum Symbolum Nicænum cum ſolita additione: *qui à Patre Filióque procedit*; quódipſum deinde à Græcis Patribus fuit in ipſorum linguâ factum. Simul actum de Palæſtina recuperanda.

Decimum quintum eſt Viennenſe ab urbe Vienna in Gallia dictum & anno Chriſti 1311. ſub Clemente V. celebratum, in quo præſentibus duobus Patriarchis Orientalibus, Epiſcopis 33. ac Regibus Franco, Anglo, & Aragonio actum eſt de expeditione contra Saracenos invaſores terræ Sanctæ: damnatæ hæreſes Beguardorum & Beguinarum: ſimúlque Fraticellorum ſeu Dulciniſtarum Secta: & extinctus eſt Ordo Templariorum Hieroſolymis juxta templum habitantium; quos multorum criminum reos partim ignis abſumpſit, partim texit exilium; eorum bona vel Franciæ Regi conceſſa, vel alijs ſacris Magiſtratibus adjudicata, vel Equitibus S. Joannis tranſcripta fuerunt.

Decimum ſextum eſt Florentinum Florentiæ in Italiâ ſub Eugenio IV. Papa anno Chriſti 1438. celebratum ac finitum (cum Ferrariæ cœpiſſet) anno ſequenti nonis Julij; in quo præſentibus ex Oriente Imperatore Joanne, & pluribus Patriarchis magnâ Orbis celebritate unio Græcorum & Armenorum cum Latinis fuit contracta; atque ab omnibus proclamatum, *Spiritum Sanctum à Patre Filióque ut ab uno principio æternaliter procedere unicâ utriuſque ſpiratione.* Verùm poſt Patrum in Græciam reditum Natio illa tum ingenitâ ſibi præſumptione, tum diuturnæ diſſenſionis conſuetudine, tum veteri Latini nominis odio ſtimulata in priſtino maluit Schiſmate perſiſtere.

Decimum ſeptimum eſt Lateranenſe V. anno Chriſti 1517. à Julio 2. inceptum & à Leone X. perfectum, in quo actum, ut occurreretur Schiſmati, quod Piſanum Concilium invexerat, provideretúrque Chriſtiani orbis ſtatui tum temporis turbulentiſſimo. Decretam in eo expeditionem contra Turcas excitatæ à Luthero hæreſes impediverunt.

Decimum octavum & ultimum eſt Tridentinum Tridenti in Germania ceptum anno Chriſti 1545. ſub Paulo III. & continuatum ſub Julio III. Marcello II. & Paulo IV: finitum denique anno Chriſti 1563. ſub Pio IV. Pontifice. Decurrerant itaque ab ipſius exordio donec finitum eſt anni duodeviginti. Hujus indicendæ Synodi præcipuæ cauſæ fuerunt ingruentes tum Lutheranorum, tum Sacramentariorum hæreſes, & morum in Clero pravitas, diſciplinæque ſacræ omnimoda relaxatio. Quibus exitialibus malis, ut remedium efficax adhiberetur, ſacra Synodus quantâ deſiderari poterat curâ & ſollicitudine providit multiplicibus & ſapientiſſimis decretis, adeo ut plus quâ reliqua, quæ anteceſſerant, concilia dici meritò poſſit Tridentinum copioſiſſima penus, ac promptuarium uberrimum; & ditiſſimus theſaurus totius Eccleſiæ, tum ad Fidei circa omnes fere articulos elucidationem, tum ad Morum culturam, tum ad Sacræ Diſciplinæ plenam inſtaurationem. Videri poteſt Severinus Binius in notis ad unumquodque Concilium in Tomis 4. Et Franciſcus Turrianus in Apologia pro VI. & VII. Synodo Generali.

IV. Duo alia Concilia in Germania celebrata ſunt; unum Conſtantiæ anno Chriſti 1414. alterum Baſileæ anno Chriſti 1438. de quibus diximus in fine prioris controverſiæ §. XIV. Solùm addimus; prius Sigiſmundi Imperatoris accuratiſſimâ ſollicitudine habitum eſſe, in eóque ad opprimendum Schiſmatis virus creatum eſſe Papam Martinum V. alióſque depoſitos; & Joannem Huſs ac Hieronymum Pragenſem, quod Joannis Wicleffi Angli hæreſin ſpargerent, vivos concrematos fuiſſe: poſterius à pijs primordijs in pravâ conſiliâ degenerans non tantùm in Pontificem Eugenium inſurrexiſſe, ſed etiam Amadæum ex Duce Sabaudiæ Antipapam dixiſſe, & Felicem V. nuncupaſſe, qui tamen poſtea tam Felicem, quàm Amadæum poſuit, & renunciato faſtigio in privata piáque vita obijt miraculorum gloriâ, ut ajunt, poſt mortem illuſtris.

V. *Doctrina tertia.* Præter Concilia generalia etiam quædam particularia ex majore parte ab Eccleſia probata ſunt. Inter quæ *Primum eſt Cæſarienſe* aliàs Palæſtinum anno Chriſti 189. juſſu Victoris Papæ convocatum contra Quartodecimanos, in quo omnium Epiſcoporum conſenſu ex antiqua Apoſtolorum traditione ſtatutum eſt, Paſcha celebrandum eſſe tantummodo die Dominico. *Secundum eſt Laodicenum* anno Chriſti 320. Laodiceæ in Phrygia celebratum pro morum reformatione paulò ante Concilium Nicænum 1. generale; eſtque Græcorum ac Latinorum ſcriptis commendatum, ut ait Spondan. An. Chriſti 314. *Tertium eſt Sardicenſe* anno Chriſti 347. celebratum ſub Julio I. Papa, in quo 300. Epiſcopi Occidentales Fidem Catholicam confirmârunt, quam Sanctus Hilarius Lib. de Synodis exprimit. Sed reliqui 76. Orientales Epiſcopi ſtatim diſcedentes & ſeorſim convenientes dogmata Arij ſtabilierunt. Et de his poſterioribus loquitur S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 34. cum ait. *Sardicenſe Concilium fuiſſe Arianorum.* Præſens fuit in hoc Concilio Sardicenſi Oſius, qui & Nicæno affuit. *Quartum eſt Sirmienſe* celebratum anno Chriſti 356. juxta Baronium (alij cum Petavio prius fuiſſe volunt) in quo etiam duæ Fidei formulæ diſſentientes ſunt editæ, quorum Græcam (in qua Photini hæreſis damnatur) ut Catholicam probat Hilarius: Latinam verò ut Ario faventem reijcit ac refellit, cui tamen ſimúlque Athanaſij condemnationi Liberius Papa (qui tunc Sirmij pro fide catholica exulabat) infeliciter ſubſcripſit, poſtea tamen reſipiſcens. Videri poteſt Caballutio fol. 123. Et con-

Controvers. noſtra XXVIII. §. XLIV. *Quintum eſt Gangrenſe* ab urbe Gangra in Paphlagonia dictum & ſub Conſtantino M. Imperatore celebratum, in quo damnatus fuit Euſtachius, qui nuptias, eſum carnium &c. execrans varia deliria propagavit ſuadens mulieribus virorum indumenta, & capillorum detonſionem &c; quo autem tempore hæc Synodus fuerit celebrata, non ſatis liquet, ut fatetur Baronius ad an. Chriſti 319. Carranza ponit an. Chriſti 324. *Sextum eſt Carthaginenſe III. & IV.* quæ fuerunt approbata à Leone IV. Papa, & à S. Auguſtino (qui utrique interfuit) confirmata. *Septimum eſt Milevitanum* ab urbe Milevi Numidiæ dictum, & ſub Innocentio I. Papa celebratum, atque ab eodem pro Africa approbatum. *Octavum eſt Milevitanum II.* ibidem contra Pelagianos. *Nonum eſt Arauſicanum I.* ab Arauſio urbe Narbonenſis Provinciæ dictum & Anno Chriſti 441. ſub Leone I. Papa celebratum & ab eodem approbatum. *Decimum eſt Arauſicanum II.* anno Chriſti 529. ſub Felice Papa IV. celebratum, cui præſedit Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis contra Pelagianos & Semipelagianos. Et licet Patres hujus Concilij nullos novos canones condiderint, attamen ſubmiſſis à Sede Apoſtolica capitulis ſubſcripſerunt, ut patet ex illius Concilij principio. Tom. 1. Conciliorum. *Undecimum eſt Vaſatenſe ſeu Vaſanſe* in Aquitania anno Chriſti 442. ſup Leone I. Papa celebratum. *Duodecimum eſt Vaſatenſe II.* ab oppido Vaſione dictum, cui itidem præſedit, qui Arauſicano II. Cæſarius. *Decimum tertium eſt Cabilonenſe* ab urbe Cabilo Provinciæ Lugdunenſis ad Ararim fluvium ſita tempore Caroli M. celebratum, & communi Eccleſiæ uſu receptum, ut ait Azor P. 2. lib. 5. c. 15. *Decimum quartum eſt Trullanum,* in quo canones 102. conſcripti & adjecti ſunt V. & VI. Synodis generalibus, quæ nullos alioquin canones condiderant; unde etiam Synodus iſta *Penthecte,* hoc eſt, *quini-ſexta* vocatur, quaſi ſupplementum quintæ & ſextæ. Verùm canones iſtos à Schiſmaticis profectos rejecit ſtatim Sergius Papa, ut teſtatur Beda Lib. de ſex ætatibus. Aliqui tamen horum canonum, quia favebant Catholico dogmati (v. g. pingendis honorandiſque Chriſti & Sanctorum Imaginibus) recepti ſunt ab Adriano Papa & VII. Synodo generali. Plura de hac Synodo Quini-ſexta Cabaſſutio à fol. 341. *Decimum quintum eſt Wormatienſe I.* ſub Stephano IV. Papa & Leone IV. Imperatore. *Decimum ſextum eſt Wormatienſe II.* ſub Adriano II. Papa, & Imperatore Ludovico II. anno Chriſti 868. *Decimum ſeptimum eſt Senonenſe unum,* in quo Petrus Abailardus à S. Bernardo convictus eſt hæreſos: Et *alterum* contra hæreſes hujus ſæculi ac pro morum reformatione ſub Clemente VII. congregatum. Omitto plura, quæ videri poſſunt in Summa Concil. Carranzæ, & in notitia Conciliorum Cabaſſutij, ubi etiam eorum canones referuntur.

VI. *Doctrina quarta.* Ex allatis Concilijs aliqua ſunt partim confirmata, partim reprobata. nempe Concilium Conſtantienſe, Baſileenſe, Sardicenſe, Syrmienſe, Quini-Sextum; quibus addi poteſt Concilium Francofordenſe ad Mœnum anno Chriſti 794. ſub Adriano I. Carolo M. celebratū, & approbatū, quatenus damnabat hæreſin Elipandi Toletani Epiſcopi, & Felicis Epiſcopi Urgelitani qui *JEſum Chriſtum hominem Filium eſſe DEI naturalem negabant, & aſſerebant tantummodo eſſe adoptivum, DEIque eſſe Servum:* Quatenus autem damnat Septimam Synodum de cultu Imaginum, caret omni authoritate. Verùm infra dicemus, hoc immeritò Concilio Francofordenſi adſcribi. Año prioris ſæculi 1549. prodijt liber abſq; ulla loci aut Typographi nomine eidem Carolo M. adſcriptus & ab iſto ad eundem Adrianum Pontificem directus contra Imaginum venerationem, ut nomine & authoritate hujus Papæ cenſeretur & refelleretur, quod & factum; extat quippe liber Adriani Papæ ad Carolum M. quo prior ille liber imagines ſacras oppugnans (à quocunque ſacræ fidei hoſte ſit compoſitus) accuratè refellitur. Videatur Nicolaus Schaten in lib. cujus titulus: Carolus M. Lib. 2. c. 13. & L. 4. c. 6.

VII. Concilium nec approbatum nec reprobatum videtur fuiſſe Piſanum, quod año Chriſti 1409. depoſuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. Nam ex una parte S. Antoninus 3. Part. Tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. Summæ hiſtorialis aſſerit, non verum Eccleſiæ concilium, ſed conciliabulum illegitimum fuiſſe, quod ſanè eventus oſtendiſſe videtur; ſiquidem coactum fuit concilium ad ſchiſma tollendum, quod tamen non ſolùm non ſuſtulit, ſed auxit. Ex altera verò parte ſi concilium hoc Piſanum non fuiſſet verum & legitimum, Alexander VI. non ſe ſextum, ſed quintum dixiſſet. Adhæc ex communi opinione Alexander V. & qui huic ſucceſſit, Joannes fuerunt veri Pontifices; & certè ex tribus, qui tum pro Pontificibus ſe jactabant, iſti maximè, ut veri Pontifices, colebantur. Unde Azor Piſani Concilij jura valde tuetur Part. 2. Lib. 5. cap. 17. qui videri poteſt.

VIII. *Doctrina quinta.* Aliqua Concilia ſunt prorſus reprobata, quæ idcirco conciliabula communiter dicuntur. *Primum* ex his eſt Antiochenum Anno 341. Julio I. Papa & Conſtantio Imperatore, in quo damnatus eſt Athanaſius & via aperta ad everſionem Concilij primi Nicæni. Præter hoc autem conciliabulum alia in eadem civitate habita ſunt concilia, quibus ſuus ſtat valor. *Secundum eſt Mediolanenſe* anno 364. tempore ejuſdem Conſtantij Imperatoris à pluſquam 300. Epiſcopis celebratum, in quo generali conciliabulo fuit oblique etiam damnata Fides Catholica, ut referunt Ruffinus Lib. 10. c. 20. & Socrates Lib. 2. cap. 29. *Tertium eſt Ariminenſe* anno 359. celebratum, in quo ſublatum fuit Symbolum Nicænum; quia propoſitæ novæ Fidei formulæ (quæ omiſsâ voce *ὁμοούσιος* & *ὁμοιούσιος* eundem tamen errorem continebant obſconditum) omnes fere Patres tædio tantæ moræ affecti, deſiderio pacis tracti, vel metuque compulſi ſubſcripſerunt: mox tamen agnito dolo *ingemuit*, ut ait Hieronymus advers. Luiferian. *orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Prius autem quàm hæc deceptio fieret, præceſſit alia Ariminenſis Synodus, in qua à 400. Epiſcopis ſtabilita fuit Nicæna Synodus & Confeſſio, ut proinde prior hæc legitima Synodus diligenter diſtingenda ſit ab illo poſteriore conciliabulo, cui ſtatim omnes Patres revocato ſuffragio reclamârunt, illúdque à Liberio Romano Pontifice fuit rejectum, uti videre eſt apud Baronium & hujus compendiatorem Spondanum ad annum Chriſti 359. num. 11. & 12. *Quartum eſt Epheſinum II.* tempore Theodoſij anno Chriſti 449. celebratum, in quo per factionem Dioſcori occiſus fuit Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis I. fugati, ac demum hæreſis Eutychianâ confir-

Digitized by Google

confirmata. Hanc Synodum reprobavit Leo M. epiſt. ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum. Item ad Theodoſium: Item ad Pulcheriam quæ ſunt 22. 23. 24. Videri poteſt Caballutio in Notit. Concil. à fol. 231. *Quintum eſt Conſtantinopolitanum* ſub Leone Iſauro Imperatore contra ſacras imagines anno Chriſti 730. qui fuit tertius decimus imperij ejuſdem. Reprobavit iſtud conciliabulum Gregorius Papa II. in Romana Synodo, de qua Spondanus an. Chriſti 726. n. 6. juxta chronologiam Cardinalis Baronij. *Sextum eſt Conſtantinopolitanum* ſub Conſtantino Copronymo anno Chriſti 755. in quo iterum contra Sacras imagines fuit pronunciatum à 333. Epiſcopis, inter quos tamen nullus fuit Patriarcha, excepto Pſeudoepiſcopo Conſtantinopolitano. Reprobavit hoc conciliabulum Synodus VII. Act. 6. de qua ſupra. *Septimum eſt Piſanum* anno Chriſti 1511. congregatum ab Imperatore & Rege Galliæ atque aliquot Cardinalibus contra Julium II. Romanum Pontificem. Ad hoc conciliabulum refellendum mox ſecutum eſt Concilium Lateranenſe V. à Julio II. ceptum, & à Leone X. perfectum, ut itidem ſupra diximus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

IX. *E*Rror primus. Concilia univerſim parvi ſunt facienda, & de ijs ex Sacra Scriptura judicandum, cum aliqua de facto erraverint. Ita ex communi modernorum hæreticorum Joan. Gerhard. Lib. 1. Part. 2. à fol. 478. qui deinde à fol. 493. variorum Conciliorum errores proponit. *Primò igitur Concilio Niceno* duo errores objciuntur. 1. quod ſtatuerit can. 19. baptiſmum ab hæreticis adminiſtratum non valere, ac proinde rebaptizandos eſſe, qui ab eis baptizati fidem catholicam amplexi fuerunt. 2. quod can. 11. ijs militiam interdixerit, qui ſemel abjecto cingulo militari renunciaſſent militiæ ad agendam pœnitentiam; quod repugnat Sacræ Scripturæ Luc. 1. v. 24. ubi S. Joannes militibus pœnitentibus, & quid factu opus quærentibus non vetuit redire ad caſtra, ſed tantùm dixit: *neminem percutiatis, neque injuriam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Secundò Chalcedonenſe* afferunt tanquam Primatui Pontificio adverſum; ſiquidem can. 28. Patriarcham Conſtantinopolitanum Romano Pontifici cenſuit parem. *Tertiò Nicænum II.* geminos errores objiciunt. 1. quod act. 5. Angelos corporeos eſſe definiverit. 2. quod act. 4. pias imagines Sacræ Scripturæ prætulerit. *Quartò. Eliberinum ſeu Eliberitanum* triplicis erroris arguunt. 1. quod quibuſdam in aliquot canon. ſacram communionem in fine vitæ deneget contra D. Ambroſium Lib. 2. de pœnit. affirmantem, *pœnitentis abſolutionem & reconciliationem ſemper comitari Dominicæ carnis communionem.* 2. quod picturas in templo ſimpliciter prohibeat can. 36. *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* 3. quod can. 34. prohibeat cereos per diem in cæmiterio incendi; *inquietandi enim Sanctorum Spiritus non ſunt. Quintò. Conſtantinopolitanum III.* ſæpius erraſſe dicunt, cujus tamen canones videntur recepti. Nam non ſolùm Pontifices Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem Imperat. & Innocentius III. c. à multis. de ætat. ordinand. canones hos ſub nomine Synodi VI. allegant, ſed etiam Adrianus I. in epiſt. ad Tharas. in II. Act. Synodi VII. eoſdem confirmat. *Sextò Leodicenſe* carpunt, quod can. 1. ſtatuerit, *ut ſecundùm indulgentiam reddatur communio ijs, qui ſecundis nuptijs juncti ſunt.* At non eſt indulgentia Epiſcoporum neceſſaria ſecundis nuptijs, quas conſtat à Spiritu Sancto in Scripturis Rom. 7. v. 3. 1. Corinth. 7. v. 39. &c. fuiſſe approbatas. *Septimò denique Concilium Toletanum I.* erroris inſimulant, quod in can. 17. decreverit; *poſſe admitti ad communionem eum, qui concubinam habet, modò non ſit uxoratus.* At concubinatus eſt illicitus.

X. Error iſte rejicitur ab omnibus Catholicis: & ipſis etiam Adverſarijs repugnat. Nam Proteſtantes Principes & Status unanimiter flagitârunt univerſale ſub Romano Pontifice Concilium tanquam unicam viam & certiſſimum medium componendarum controverſiarum in rebus fidei, idque non ſolùm requiſiverunt in genere in octo comitijs Imperialibus, ſed etiam in ſpecie in duobus comitijs imperialibus deſideraverunt Concilium Tridentinum, huic abſolutè & ſine omni conditione obedientiam promittendo: atque ad illud à Romano Pontifice impetrandum Auguſtiſſimum Imperatorem Carolum V. vehementer & ſæpe ſollicitârunt. Quomodo ergo parvi facienda ſunt à Lutheranis Concilia, quæ maximi æſtimavêre Proteſtantes Principes & ſtatus? Quomodo Concilia errare poſſunt, ad quæ tanquam certiſſimam viam & regulam componendarum controverſiarum appellavêre Proteſtantes Principes & ſtatus? Quomodo Concilia ex Sac. Scriptura ſunt judicanda, à quibus controverſias ex Scriptura ortas decidi voluêre Proteſtantes Principes & ſtatus? Hæc certè conſideratio talis eſt, quæ Lutheranis jure meritiſſimo ruborem extorquere poſſit, quòd à Majoribus ſuis tam turpiter & manifeſtè degenerent. Lutheranis non ſunt meliores Calviniſtæ; licet enim clamitent, ſe ſex prima Concilia admittere, id tamen reipsâ non fieri, patet tum ex dictis, ubi vidimus, eos nullis Synodis parcere, ſed perinde omnes pertinaciter oppugnare: tum quia expreſsè aliqua in eiſdem primis ſex Concilijs reprehendunt, ut videre eſt apud Petrum Molinæum in ſuo novo Papatu, quæ inter objectiones Lutheranorum comprehendimus, ut ſic utriſque unâ reſponſione ſatisfaciamus.

XI. Reſpon. 1. *ad Concil. Nicenum.* Quoad primum errorem, Concilium non fuiſſe locutum de omnibus hæreticis, ſed tantùm de Pauliniſtis, qui cum Paulo Samoſateno negantes, *Chriſtum eſſe DEUM*: & inſuper cum Sabellianis omnem abrogantes *realem Perſonarum divinarum diſtinctionem, atque unicam in DEO Perſonam ſtatuentes* talia ex conſequenti verba in baptiſmo adhibere ſolebant, quæ hujuſmodi hæreſin ſaperent omnémque vero baptiſmo valorem & efficaciam tollerent; unde cit. canon. 19. ſic incipit: *de Pauliſtis ad Eccleſiam confugientibus definitio prolata eſt, ut baptizentur omnimodis.* Quoad ſecundum errorem can. 11. militiam interdici in propoſito in pœnam peccati, ut ſic operibus pœnitentiæ commodiùs vacare, & majorem fructum facere poſſint, qui eam incurrerunt; eſt quippe militia ſæcularis valde negotio-

ſa &

Digitized by Google

ſa & inquieta; nemo autem, inquit Apoſtolus 2. Tim. 2. v. 4. *militans DEO implicat ſe negotijs ſæcularibus*: atque olim Pœnitentes aſſiduis orationibus, perpetuis jejunijs, alijſque aſperitatibus exercitabantur. Videri poteſt Cabaſſutio in notitia Concil. à fol. 62. ubi Concilia Arelatenſe II. can. 21. Agathenſe can. 15. Toletan. III. can. 12. & aliquot Patres in hujus rei confirmationem adducit. De reliquo non eſt verum, quod Molinæus affirmat, patres in Concilio Nicæno ſolùm 20. canones ſtatuiſſe. Videatur Forer in Antiq. Pap. Lib. 5. cap. 3.

XII. Reſpon. 2. *ad Chalcedonenſe.* canonem illum vigeſimum octavum eſſe ſpurium abſentibus Legatis Romani Pontificis clanculum confectum, qui poſtridie palam contra illum porteſtati ſunt. Act. 16. ubi prope finem hæc habentur: *Ex his, quæ geſta ſunt, & ab unoquoque* (præſentium Patrum & Epiſcoporum) *depoſita, perpendimus, omnem* (ante omnia) *quidem Primatum & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ DEI amantiſſimo Archi-Epiſcopo conſervari &c.* Hinc in exemplari meo (quod eſt ex correctis Romæ 1628. editum) Tom. 2. fol. 418. circa finem Act. 15. tantùm XXVII. canones ponuntur. Videatur cit. Author lib. 6. c. 27. fusè de hoc 28. Canone agens.

XIII. Dicit Gerhardus loc. cit. fol. 498. Quamvis Leo Papa decretum illud abſentibus Legatis Sedis Apoſtolicæ factum reprobrârit, tamen cum nemo in propria cauſa poſſit eſſe Judex, majorem eſſe rationem habendam Concilij Sedem Conſtantinopolitanam Romanæ exæquantis, quàm Papæ. Sed Novator non advertit, de hoc ipſo agi, & nos Catholicos liquidò probare, Papam eſſe ſupra Concilium, eúmque in poſſeſſione eſſe Superioritatûs majoriſque Authoritatis. Id, quod fuit adjectum, neminem in propria ſua cauſa eſſe Judicem, intelligendum de hominibus privatis, & Superiorem agnoſcentibus. Summus Pontifex autem non eſt privata perſona, nec aliquem ſuperiorem agnoſcit. Adhæc cauſa hæc non tam ad Papam, quàm ad DEUM ſpectat, cujus ille in terris Vicarium agit. Cæterùm Concilium iſtud Chalcedonenſe ſummæ ſemper fuit authoritatis, utpote à 630. Patribus præſentibus celebratum. Unde Cardinal. Bellarminus Lib. de Laicis prope finem ajens, *quædam mala, & quædam recipienda, quædam non*; nequaquaquam loquitur de ijs, quæ legitimè ſunt decreta, & à Papa approbata, ſed de ijs quæ aliunde irrepſerunt, ut patet ex dictis.

XIV. Reſpon. 3. *ad Nicænum II.* Quoad priorem errorem. Angelorum corporalitatem non à toto concilio definitam, ſed ab uno Patre in diſcurſu aſſertam fuiſſe, proinde infallibilitati Conciliorum non obſtare. Nam conſtat, Patres alióſque Suffragatores Conciliorum ſolere ante definitionem dogmatum adducere pro eorum veritate ac definibilitate varias pro ſuo quemque captu ac principijs rationes ſubinde bonas ſubinde malas, à quibus deinde abſtrahit Concilium, dum concipit definitionem fidei, ut bene Eſparza Q. 1. de Angel. & nos ſupra. Quoad poſteriorem errorem Imagines fuiſſe Sacræ Scripturæ præpoſitas non quoad authoritatem & dignitatem, quaſi certius ſit, rem illam contingiſſe, prout pingitur, quàm prout ſcribitur (cum conſtet, Sculptores & Pictores indoctâ pietate multa Sacræ Scripturæ minus idonea & conſentanea depingere) ſed propter affectuoſitatem præſertim apud ſimplices legere neſcientes, qui magis moventur aſpectu imagium, quàm obſcuris verbis Sac. Scripturæ. Ajunt quidam, Concilium iſtud fuiſſe condemnatum à Concilio Frankofordienſi ſub Carolo M. & ita ſentiunt Baronius & Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus c. 14. Sed horum ſententiam improbat multis argumentis Sirmondus vir noſtrâ ætate doctiſſimus. Certè in authenticis nihil tale reperitur. Videatur P. Schaten ſupra citatus.

XV. Reſpon. 4. *ad Eliberinum concilium* in Hiſpania tempore Sylveſtri Papæ I. à 19. Patribus celebratum, iſtud fuiſſe tantùm Provinciale; unde Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus cap. 9. fatetur, illud erraſſe. Sed quia Innocentius Papa I. in epiſtol. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & Card. Baronius circa annum Chriſti 305. Tom. 2. Patres illos ab erroris notâ eximere videntur. Diximus, Concilium illud in primis canonibus non negare pœnitentibus in fine vitæ communionem reconciliationis ſeu abſolutionis, ſed ſolummodo Euchariſtiæ, idque ob certam rationem illius temporis, quam indicat Innocentius loc. cit. Unde recedit quidem hoc Concilium à benignitate aliorum conciliorum & Patrum nulli pœnitenti in fine vitæ viatici Sacri communionem ſubtrahentium, ut affirmat D. Ambros. loc. cit. non tamen accedit ad inhumanitatem Novatianorum & aliorum hæreticorum, qui pœnitentibus moribundis etiam communionem reconciliationis ſeu abſolutionis pernegârunt, ut de Novatianis teſtatur Cyprianus epiſt. 67. ad Stephanum Papam, de Montaniſtis verò Tertullianus lib. de pudicitia c. 1. Deinde can. 36. Concilium prohibet imagines ſacras pingi in parietibus Eccleſiæ, ne ludibrio forent Gentilibus tunc temporis in omnia Sacra Chriſtianorum ſævientibus; unde permiſit in templo appendi imagines in tabellis depictas & mobiles, quæ furori Ethnicorum ſubtrahi citò poterant: Demum can. 34. Concilium prohibendo, ne cerei per diem in cœmeterio accendantur abſterrere ſolum vult Chriſtianos à ſuperſtitione Ethnicorum, quibus perſuaſum erat, animas mortuorum tum cibis tum lucernis indigere, quibus & famem & tenebras diſpellerent. Inſuper ijdem Gentiles luminibus ad ſepulchra utebantur ad impietatem & necromantiam, quò ſpectat vox inquierandi in can. poſita juxta illud Spiritûs Samuelis à Pythoniſſa rogatu Saul Regis evocati: *Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer.* 1. Reg. 28. v. 15. Ab hac, inquam, ſuperſtitione & impietate Concilium abſterrere vult Chriſtianos, minimè verò prohibere, ne in exequijs funalia ceréóſque adhibeant ad ſignificandam lucem æternam, quæ poſt caducam hanc vitam Piorum animis affulget.

XVI. Reſpon. 5. *ad Conſtantinopolitanum III.* prædictos canones non eſſe editos ab ullo legitimo Concilio; unde ex illorum erroribus nihil infallibilitati Conciliorum demitur. Nicolaus I. ſtat pro nobis; etenim ait, *ſe citare canonem illum Græcorum, ſicuti Paulus citavit verba Ethnicorum Poëtarum.* Innocentius III. nihil ibi definit de his canonibus, ſed unum duntaxat recitat ex iſtis; quod verò citaverit nomine VI. Synodi, factum eſt, vel quia ſic communiter vocantur, licet reipsâ non ſint: vel quia Innocentius ex Gratiano diſt. 32. c. ſiquis. hunc canonem accepit, quem ſæpe errare alibi jam diximus. Adrianus I. recitat ſolùm

lùm

Digitized by Google

lùm ſententiam Tharaſij, nec refellit, quia canon ille 82 de picturis utilis erat eo tempore ad quæſtionem, de qua agebatur. Itaque canones illi non ſunt editi in Synodo VI. ſed multis poſt annis tempore Juſtiniani II. Imperatoris, cui conciliabulo Romanus Pontifex nec per ſe, nec per Legatos ſuos adfuit, neque poſtea confirmavit, ſed apertè reprobavit. Synodus VII. in definitione ſua nullam etiam eorundem canonum facit mentionem, ſed ſolùm inter diſputandum à privatis hominibus citantur. Videatur Bellarminus Lib. 2. de Concilijs c. 8.

XVII. Reſpon. 6. *ad Laodicenſe*, non erraſſe Concilium, etiamſi loquatur de ſecundo matrimonio: ſed errorem correxiſſe aliquorum Epiſcoporum Bigamis communionem negantium; unde ab initio canonis nuptias Bigamorum vocavit honeſtas & legitimas. Illud verò ſecundùm indulgentiam additum eſt ex D. Paulo 1. Cor. 7. v. 6. ubi Apoſtolus ait, *uſum conjugij ſe non præcipere, ſed indulgere.* Quemadmodum igitur Apoſtolus, cum ait, ſe indulgere uſum conjugij, indicare non vult, ſe agnoſcere culpam, ſed concedere ſe minus bonum, etſi optaret, majus ab illis bonum teneri, ita Concilium dicendo, ſe indulgere ſecundas nuptias, indicare vult, ſe illas concedere, ut minus bonum, etſi optaret potius eligi viduitatem, quæ eſt bonum quoddam excellentiùs conjugio.

XVIII. Reſpon. 7. *ad Concilium Toletanum I.* concubinam hic loci dici uxorem ductam ſine dote & ſolennitate externa, ut notavit Gratianus diſt. 34. can. omnibus. Demus hoc, inquit Gerhardus, quæ ratio dari poteſt, cur Concilium illud concedat in concubina, quod negat in uxore. Verùm Conciliũ nõ negat, poſſe duci uxorem, ſed concubinã haberi non poſſe, qui prius jam habet uxorem. Inſtat. Leo Papa, cujus juſſu concilium iſtud fuit celebratum epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem expreſsè ait, concubinam non eſſe uxorem. Sit hoc. At Patres Concilij nomen concubinæ pro vera uxore ſecundaria tamen acceperunt. Non obſtat, quod addit Gerhardus, juſſu Leonis Concilium fuiſſe celebratum; quia Leo non fuit author totius Concilij, ſed tantùm ultimi canonis; ſiquidem poſt illud inchoatum ipſe primùm in Papam fuit electus. Videatur Bellarminus loc. cit.

XIX. *Error ſecundus.* decreta aliquot Conciliorum ſecum invicem pugnare. Ita Gerhardus Lib. 1. part. 2. à fol. 502. & cæteri hæretici communiter, è quibus nominatim Petrus Molinæus varias Conciliorum diſcordantias oſtendere laborat, ut videre eſt apud Forerum in Antiquitate Papatûs. Probant adducendo quaſdam repugnantias. *Prima.* Concilium Carthaginenſe III. repugnat tum placito Romani Pontificis ſtatuens c. 26. neminem vocari debere Principem Sacerdotum. tum concilio Laodicenſi can. ultimo aliquos libros inter canonicos non ponenti, quos illud inter canonicos collocat. can. 26. *Secunda.* Concilium Arelatenſe II. can. 2. ſic decernit: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugij conſtitutum, niſi fuerit converſio, non oportet.* Hoc decretum repugnat canoni 4. Concilij Gangrenſis, in quo excommunicantur, qui nolunt intereſſe ſacrificio, quod offertur à Presbytero conjugato. *Tertia.* Concilium II. generale can. 5. Primatum Eccleſiaſticum tribuit Romano Pontifici; quod repugnat tum Carthaginenſi III. cit. tum Nicæno, in cujus can. 7. tribuitur Epiſcopo Hieroſolymitano. Idem Concilium II. generale ſtatuit, poſt Romanum Pontificem debere eſſe immediatè Epiſcopum Conſtantinopolitanum; quod repugnat Nicæno, à quo can. 6. ſecundus locus aſſignatur Alexandrino, tertius Antiocheno Epiſcopo. *Quarta.* Concilium Nicænum II. decrevit, imagines eſſe colendas; quod repugnat ſtatuto Concilij Conſtantinopolitani II. ut fatentur Patres Nicæni II. Act. 6.

XX. Errorem hunc ex ipſis Chriſti verbis rejicimus, quæ habentur Matth. 12. v. 25. *omne regnum contra ſe diviſum deſolabitur, non ſtabit.* Eccleſia autem Romana ſacrorum Conciliorum doctrinâ nixa multis jam ſæculis ſtat minime deſolata. Quomodo ergo in prædicta Conciliorum doctrina eſt diviſa & contra ſe pugnat? Non ſic ſe habent aliæ Sectæ Lutheranorum Calviniſtarum &c. Profitentur quidem oretenus Symbolum Apoſtolicum, & duodecim hujus articulos. Sed ſimul talia fidei dogmata tenent, quæ contra illos pugnant, imò penitus eoſdem evertunt. v. g. *DEUM non habere abſolutam omnipotentiam, ſed hoc eſſe commentum.* Calvin. lib. 3. Inſtit. c. 13. §. 2. Et in Iſai. c. 23. §. 2. *Humanitatem Chriſti eſſe ubique, & in eſſentiales Proprietates Dei poſitam.* Lib. Concord. *Peccata non deleri, ſed ſolùm tegi.* Lutherani & Calviniſtæ: *Eccleſiam eſſe inviſibilem, & ſolos in ea eſſe prædeſtinatos.* Calvin. Lib. 4. Inſtit. c. 1. §. 2. & 7. *mandata DEI eſſe impoſſibilia obſervatu.* Luth. Tom. 1. Jen. fol. 440. &c. Quid aliud prædictis Sectis reſtare poteſt, quàm ut deſolatæ concidant; quod fieri docet experientia, dum Lutherani, Calviniſtæ, alijque Sectarij ex alijs in alios fidei errores dilabi atque ita ad Atheiſmum totius fidei ruinam diſponi videntur, nullam amplius animarum ſuarum, ſed Statûs ſolùm rerúmque terrenarum curam habentes. Repugnantiæ, quas Concilijs affingunt Adverſarij, reverâ non ſunt tales.

XXI. Reſpon. *ad 1. repugnantiam Concilij Carthaginenſis III. quoad priorem errorem.* Concilium illud fuiſſe Provinciale aut Nationale Epiſcoporum in Africa, quod ferre nequit leges univerſæ Eccleſiæ, ſed ſolùm particulari in Africa. Quapropter nec prohibuit, nec prohibere potuit, ne Romanus Pontifex diceretur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, ſed ſolummodò ne Metropolitanus Africæ ita appellaretur. Videri poteſt Card. Baronius A. C. 419. num. 77. & ſeq. *Quoad poſteriorem*, neutrum Concilium repugnare alteri; quia Laodicenum poſuit in canone eos libros, de quibus Epiſcopi illius Concilij erant certi, alios autem omiſit, non quidem negans eos eſſe canonicos, ſed nolens rem dubiam definire: Carthaginenſe autem re magis diſcuſsâ definivit id, quod prius concilium ſub dubio reliquerat. Non obſtat, canones Laodicenſis Concilij fuiſſe approbatos poſtea à concilio Trullenſi; etenim iſtud probavit etiam canones Concilij Carthaginenſis, & quia Laodicenſe fuit antiquius carthaginenſi, illud eſt ad iſtud retractum; ſiquidem antiquiores leges (imò & canones) ad poſteriores trahi uſitatum eſt L. ideo ff. de leg. Laodicenſe igitur non aliter fuit à Trullano approbatum niſi cum reſpectu ad Carthaginenſe Concilium, à quo expreſsè inter Canonicos libros poſiti fuerunt illi, quos Laodicenſe ſub dubio reliquit, ut proinde id, quod Laodicenſe tacendo omiſit, tam per Carthaginenſe, quàm Trullenſe fuerit ſuppletum.

XXII. Reſpon. *ad 2. repugnantiam.* Concilia hæc ſibi non adverſari. Arelatenſe in can. aſſumi. præcipit, ex conjugatis nullum aſſumi debere in

Digitized by Google

ford. Tom. 3. Concil. P. 2. fol. 160. & ſeq. Suarezium in 3. Part. tom. 1. D. 54. Sect. 3. Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 2. n. 87. & alios. Aliqui affirmant, Concilium Francofordenſe pronunciaſſe contra Synodum Nicænam II. ſed ex mala informatione, quaſi iſta Synodus abſque authoritate & conſenſu Papæ celebrata ordinaſſet, Imagines cultu Latriæ & DEO debito eſſe colendas; quorum neutrum veritati eſt conſonum, atque idcirco damnatio ſubſecuta eſt, qui tamen error eſt ſolùm Facti, & non Juris. Ita Bellarminus loco cit. Baronius A. C. 794. n. 4. Alij negant, contra Imagines in eodem Concilio Francofordenſi fuiſſe decretum; cum in Authenticis Actis nihil ſimile inveniatur: ſed falſum rumorem per hæreticos excitatum increbuiſſe, quem deinde nonnulli Scriptores inconſideratè libris ſuis inſerverunt. Ita Binius, Suarez, Tanner. Hanc negativam ſententiam ſupra §. XIV. tenuimus, & contra fundamentum Adverſariorum eſt. tum quod Concilio Franckfordenſi interfuerint Legati Pontificij Theophylactus & Stephanus Epiſcopi inſignes, à quibus, ut alios taceam, facilè intelli poterat, quid in Nicæna Synodo paulò ante celebrata fuerit definitum. tum quod error adorandi imagines cultu latriæ, ut DEOS, potius ſit error Gentilium, quàm hæreticorum Chriſtianorum. Sed quidquid etiam ſit. Neutra Doctorum opinio cultui Imaginū & doctrinæ de his quidquam derogat. Nam prior in Concilio Francofordienſi ſolumodo errorem Facti admittit, qui contingere potuit, cum particulare duntaxat Conciliū fuerit, & neq; Romanus Pontifex neq; Legati hujus in illā condemnationem conſenſerint, uti fatentur Centuriatores Magdeburgici Cent. 8. cap. 9. cum è contra Synodus Nicæna fuerit œcumenica, & ex præſcitu ac conſenſu Romani Pontificis atque in præſentia Legatorum hujus celebrata, & poſtea ab eodem confirmata. Poſterior Doctorum opinio ita apertè repellit inſtantiam, ut pluribus opus non ſit. Atque ita Gerhardus fruſtra inſtitit, quem decuiſſet, hanc noſtram utique ſibi non ignotam reſponſionem refellere, aut ab iſta toties nequicquam obtruſa objectione ſe abſtinere. Cætera, quæ hæretici ſive tanquam errores ſive tanquam repugnantiam afferunt tum contra alia Concilia, tum nominatim contra Tridentinum, ſuis quæque locis diſſolvuntur.

XXVII. Ex omnibus, quæ hactenus diximus, arbitrari quiſque habet, quanti in Eccleſia Catholicā æſtimari oporteat Sacra ejuſdem Concilia tantā authoritate primorum Capitum in univerſo Chriſtiano orbe celebrata, tantā Patrum ſanctitate, Doctrinā, & divinarum juxta ac humanarum rerum ſcientiā præſtantium illuſtrata, tantā curā, labore, examine elaborata, tantā denique Cœli favore & divini Spiritûs vi ac virtute firmata. Et tamen ſpurciſſimus homo & deterrimus hæreſiarcha Martinus Lutherus talibus ac tantis Concilijs quemvis rudiſſimum Parochum aut Ludimoderatorem æquare & dicere audet, *majus lumen accedere rei Chriſtianæ ex catechiſmo ſuo puerili, quàm ex omnibus Conciliis. Et quid opus eſt verbis, inquit, etiamſi omnium Synodorum decreta (quæ lignea, fœnum, ſtipulas, titiones appellat) poſſent per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum eſſes Chriſtianus, quia nimis parùm conferunt.* Calvinus paris impietatis hæreſiarcha non benignior eſt in Concilia, quorum ſententiam cenſet eſſe *præjudicium, non judicium*, de qua ſententia poſſit ac debeat quicunque etiam privatus homo judicare. Ita ſcribit L. 4. Inſt. c. 9. §. 8. *quoties Concilij alicujus decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſa habitum, & quo Conſilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipſum, de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari, idque in eum modum, ut Concilij definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præjudicij, neque tamen examen, quod dixi, impediat.* Plura in contemptum Conciliorum habet alibi, quæ conſonant invectivis, cenſuris, calumnijs, mendacijs, quibus ſcatet liber Lutheri de Concilijs. Sed ita divina Providentia permittit prodire hæreticos, ut luculenter ab omnibus veritatis hoſtes agnoſcantur. Nos eadem Sacra Concilia tanquam ſingularis divinæ erga nos Benevolentiæ argumenta teneamus, colamus, & omnibus laudibus extollamus: eiſque humillimè nos ſubijciamus divini in eiſdem Spiritûs illuſtrationem agnoſcentes ac venerantes.

CONTROVERS. XXXVII.

DE VOCATIONE MINISTRORUM Eccleſiæ.

Miniſtri Eccleſiæ communi nomine vocantur Clerici; quia, ut ait D. Hieronymus epiſt. ad Nepotian. *de ſorte Domini ſunt*, videlicet ex Dei gratia & ordinatione ad divinum cultum ſpecialiter conſecrati, ideoque quaſi *Sors, Pars, atque Hæreditas Domini*. Hoc nomen Clerici ex divinis Litteris exceptum in ore fuit omnium Conciliorum Patrum ac Fidelium cunctis retro ſæculis: ſolis herinatis diſplicet hodie hæreticis; ſed quæ ad hanc illos diſplicientiam movent, non refutationem, ſed deteſtationem merentur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. Populus Dei tam in Veteri quàm in Novo Teſtamento duobus modis regi ac gubernari ſolet. 1. In rebus Politicis per Reges, Principes & alios Magiſtratus ſæculares 2. In rebus Eccleſiaſticis per Miniſtros Eccleſiæ: In utròq; gubernandi genere neceſſaria eſt legitima Vocatio. Nam neque in rebus Politicis, neq; in Eccleſiaſticis poteſt aliquis ſibi uſurpare Regimen, niſi legitimè ad hoc vocatus & deputatus ſit; & ſi qui aliter faciant in Politicis, appellantur tyranni: ſi in Eccleſiaſticis, fures & latrones juxta illud Joan. 10. v. 1. *qui non intrat per oſtium in ovile ovium, fur eſt & latro.* Nos relictā Regum ac Principum ſæcularium creatione, de Miniſtris Eccleſiæ, eorumquè vocatione cum hæreticis diſceptamus, de qua in Scriptura ſic loquitur Apoſtolus ad Rom. 10. v. 15. *quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur.* Et ad Hebr. 5. v. 4. *nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, id eſt, nemo debet ſe ingerere & intrudere in officium Sacerdotale, ſed debet aſſumi,

Digitized by Google

& eligi à Deo, ſicut Aaron & ejus poſteri electi fuerunt.

II. *Doctrina prima.* Vocatio Miniſtrorum Dei ad obeundum munus aliquod v. g. Epiſcopi, Paſtoris &c. in Eccleſia Chriſti eſt duplex; una ordinaria: altera extraordinaria. Ita omnes Catholici. Ordinaria Vocatio eſt; quæ fit à Deo, ſeu Dei inſtitutione mediante conſenſu & cooperatione eorum hominum, quorum intereſt; quo pacto Parochus vocatur ex conſenſu Epiſcopi: Epiſcopus ex conſenſu Pontificis: Pontifex ex conſenſu Cardinalium. Extraordinaria eſt, quæ immediatè fit à ſolo Deo; quo pacto vocati ſunt Moyſes, Prophetæ, Apoſtoli. Utramq; in Veteri Teſtamento fuiſſe præfiguratam, bene oſtendit Becanus in Manual Lib. 1. cap. 12.

III. Ordinariè vocati Miniſtri erant in Synagoga triplices. 1. Pontifex ſeu ſummus Sacerdos. 2. Alij Sacerdotes inferiores. 3. Levitæ. Omnes iſti è tribu Levi erant, qui ſpeciatim deputati fuerunt divino cultui, ut deſumitur ex Num. 2. v. 12. & ibidem ex cap. 8. v. 13. Præter hanc autem familiæ prærogativam quinq; requiſita illorum vocationem complebant, exornabantque. *Primum eſt Electio ſeu perſona deſignatio*, quæ fiebat per hæreditariam ſucceſſionem. Nam Filij ſuccedebant Parentibus, ut Aaroni Eleazar, Eleacero Phinees & ſic deinceps Eccleſ. 45. v. 7. *Secundum eſt purificatio*, quæ fiebat certis ritibus à Deo præſcriptis; cujuſmodi erant aſperſio aquæ luſtratis, raſio pilorum, lotio corporis & veſtium, oblatio ſacrificij pro peccato, ut videre eſt Num. 8. v. 6. & Exod. 29. v. 4. *Tertium eſt Conſecratio* Pontificis & Sacerdotum, cujus faciendæ modus habetur Exod. 29. v. 4. & ſequentibus: ſicuti etiam conſecratio Levitarum deſcribitur Num. 9. v. 9. *Quartum eſt Applicatio* ad uſum ſeu exercitium, quæ in Pontifice & Sacerdotibus fiebat per elevationem panis ex caniſtro, & carnis ex ariete immolato acceptæ; tunc enim non ſolùm illis dabatur poteſtas ſacrificandi, ſed ſimul ad uſum miniſterij applicabantur: Levitæ verò applicabantur ad uſum miniſterij hoc ipſo, quod jam conſecrati intromitterentur in tabernaculum Fœderis domini Num. 8. v. 22. Ut autem major eſſet ſolennitas hujus actionis, nempe Conſecrationis & Applicationis; triplex offerebatur ſacrificium, Holocauſtum. Hoſtia pacifica. Et Hoſtia pro peccato, Exod. 26. v. 1. Lev. 9. v. 2. *Quintum eſt Poteſtas & Officium.* Pontifex quædam officia habebat communia cum alijs Sacerdotibus v. g. offerre Sacrificia ſuper altare Holocauſti, in eodem Altari nutrire ignem perpetuum &c. quædam propria; nempe 1. ſemel in anno ſcil. in die ſolennitatis expiationis introire in ſanctuarium ſeu in ſancta ſanctorũ, Hebr. 9. v. 7. & inſtituere totius Populi expiationem ab omnibus peccatis toto anno contractis; Levit. 9. 2. Conſecrare Sacerdotes & Levitas Exod. 29. & Levit. 8. ac Num. 8. 3. In Controverſijs legalibus agere ſupremum Judicem, Deut. 17. v. 12. 4. In rebus magni momenti Deum conſulere, quid agendum? Num. 17. v. 11.

IV. Extraordinariè vocabantur illi, qui à ſolo Deo ſine miniſterio hominum mittebantur ad docendum, reformandum, & arguendum populum; quo pacto miſſi fuerunt Moyſes, Elias, Heliſæus, & alij Prophetæ. Erat autem neceſſe, ut qui hoc modo dicebant ſe miſſos eſſe à Deo, hanc ſuam miſſionem certis ac evidentibus ſignis confirmarent; alioquin populus non credidiſſet ipſis, ſed pro impoſtoribus habuiſſet, quod fatetur Moyſes de ſe ipſo, cum enim Deus dixiſſet illud Exod. 3. v. 10. *veni & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Reſpondit Moyſes cap. 4. n. 10. *non credent mihi, neq; audient vocem meam, ſed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Nec mirum, talem cautelam requiri, cum in humana etiam politia abſque fide dignis documentis nullus pro Regis aut Principis alicujus legato agnoſcatur, vel admittatur; id verò in rebus, quæ æternam animi ſalutem concernunt, tantò plùs obſervandum eſt, quantò & res ipſæ majoris ſunt momenti. Porro dupliciter probabant Veteris Teſtamenti Prophetæ, ſe extraordinariè eſſe miſſos. *Primò* per miracula, ſic Moyſes probavit, quando virgam in ſerpentem mutavit, & aquam in ſanguinem convertit. Sic Samuel, ſic Eliſæus, ſic alij Prophetæ; imprimis luculentum eſt miraculum Eliæ 3. Reg. 18. v. 21. *Secundò* per veracem prædictionem futurorum, quæ brevi erant eventura, quo pacto Elias 3. Reg. 17. v. 1. prædixit, fore *ut proximis tribus annis pluvia non ſit*, Michæas 3. Reg. 22. fore, *ut rex Achab infeliciter pugnet in Ramod-Galaad.* Eliſæus 4. Reg. 7. v. 1. fore *ut poſt unum diem ſit magna annonæ vilitas.* Sic Iſajas, Jeremias alij. Et quia hæc omnia evenerunt eo modo, quo Prophetæ prædixêre, ideo magnam Auctoritatem ſibi apud populum conciliabant, & à Deo miſſos ſe eſſe perſuadebant; ſicuti è contrario, quia non eveniebant ea, quæ à falſis Prophetis fuerunt prædicta, nulla ipſis fides habebatur, atq; hoc ſigno diſcernendum eſſe inter veros & falſos Prophetas, conſtat ex Deut. 18. v. 21. *quando in nomine domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus.*

V. Juxta prædictam figuram Veteris Teſtamenti in Novo præcipui Miniſtri Clerialis ſtatûs ſunt, *Papa, Epiſcopi, Presbyteri ſeu Sacerdotes*, quorum nomine intelliguntur etiam Paſtores ſeu Parochi. Ordinariam iſtorum Vocationem eadem requiſita conſtituerunt, illamque conſpicuam fecerunt. *Primò Electio*, quæ fit per ſuffragium Cleri, cujus eſt, idoneas perſonas eligere ad miniſterium Eccleſiaſticum. Sic multis jam ſæculis Cardinales eligunt Papam, Capitulares Epiſcopum, Epiſcopus vel hujus Vicarius Sacerdotes & Parochos pro ſuâ quiſque Diæceſi. Primitùs tamen Chriſtus Petrum & Apoſtolos vocavit, & hos Epiſcopos: illum inſuper Papam creavit; Atq; ab his ad Officium Paſtorale & quaſi Apoſtolici Muneris participationem deſignati fuerunt Clemens, Titus, Timotheus & alij: & ab his rurſus alij continuâ ſucceſſione ad noſtra uſque tempora. *Secundò Purificatio*, quæ potiſſimùm conſiſtit in novitate animi, probitate vitæ, doctrina fidei, atque alijs virtutibus, quas Apoſtolus exprimit ad Titum. 1. v. 7. Dixi potiſſimùm; quia ſpectando jus divinum Novi Teſtamenti non eſt neceſſaria externa & cæremonialis purivificatio; ex jure tamen Eccleſiaſtico propter honeſtatem & decentiam ſtatûs clericalis requiruntur etiam quædam externæ conditiones v. g. tonſura, ſeu raſio pilorum in capite, habitus clericalis, amotiones operum ſervilium &c. *Tertiò Conſecratio*, quæ fieri debet ab Epiſcopo per manûs impoſitionem; uti ſemper in Eccleſia factitatum, & nullo modo ab homine laicali ſeu ſæculari fieri poteſt, ut ſuo loco pluribus dicemus. *Quartò Applicatio* ad uſum Miniſterij, quæ communiter appellari ſolet Miſſio, & fit ab Eccleſiæ Prælatis, qui Miniſtris jam conſecratis aſſignant ſubditos, quos guber-

gubernent. *Quintò Poteſtas & Officium*; & quidem Epiſcopi habent quædam munia cum Sacerdotibus communia, ut baptizare, Euchariſtiam conficere, abſolvere à peccatis, extremam unctionem dare, Evangelium prædicare &c. Quædam verò propria, ut Sacramentum confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, Eccleſiam conſecrare &c. De hac vocatione ordinaria loquuntur Theologi, quando dicunt, & oſtendunt, in Eccleſia Catholica eſſe perpetuam ſucceſſionem Paſtorum & Doctorum, in qua per legitimam Vocationem nempe Ordinariam & Mediatam unus alteri perpetuò ſucceſſerit, quam ſucceſſionem ſummopere extollunt S. S. Patres, & idcirco Eccleſiam Catholicam quibuslibet alijs præferunt.

VI. Extraordinariam Vocationem habuerunt Apoſtoli ad prædicandum Evangelium, Sacramenta adminiſtranda, & mundum convertendum à Chriſto miſſi; qui etiam, ut diximus de Moyſe & Prophetis, ſuam vocationem ingentibus ſignis & magnis miraculis toti mundo conteſtari ac manifeſtum facere debuerunt: Marc. 16. v. 20. *Prædicaverunt ubique Domino coöperante & ſermonem ſequentibus ſignis confirmante.* Imò nec ipſe Chriſtus dominus abſquè hujuſmodi ſignis & documentis fidem à mundo exegit: Joan. 10. v. 17. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Joan. 15. v. 28. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* His poſitis.

VII. *Doctrina ſecunda.* Eccleſia Romano-Catholica habet veros Paſtores ac Doctores legitimè à Deo ipſoque Chriſto vocatos. Ita indubitata veritas. Nam Eccleſia Catholica in promptu habet, poteſtq; exhibere catalogum Epiſcoporum tum eorum, qui in primaria Cathedra Romana totum Eccleſiam gubernarunt, tum etiam aliorum, qui in unaquaquè Eccleſia particulari debitam cum Sede Romana conſenſionem & connexionem retinentes præſederunt; à quibus Epiſcopis vel Romæ vel alibi commorantibus omnes alij, quotquot in univerſa Eccleſia extiterunt unquam, & exiſtunt Clerici, ad miniſterium divini cultûs legitimè vocati & deſignati fuerunt, ita ut ſuum quiſque Epiſcopum nominare potuerit, & poſſit, à quo ordinatus fuerit. Hanc Ordinariam ac Mediatam Vocationem Miniſtrorum, atque ab Apoſtolis nunquam interruptâ ſerie continuatam ſemper ſucceſſionem maximi, ut dixi, faciunt Patres relati copiosè apud Tanner Parte 2. Anatomiæ Auguſtanæ Confeſſ. Demonſtrat. 4. Ex quibus ſolius vetuſtiſſimi Irenæi teſtimonium lubet afferre, ita loquitur Lib. 3. cap. 3. contra hæreſes: *Sed quoniam longum eſt, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientibus uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim* (Romanam) *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undiq; conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.* Et cum mox eam ſucceſſionem Epiſcoporum in Eccleſia Romana uſquè ad Eleutherium ſuo tempore præſidentem retuliſſet, ſubjungit: *Hâc ordinatione & ſucceſſione, ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata & tradita in veritate.* Eodem modo loquuntur cæteri PP. certè D. Auguſtinus contra Epiſt. fundamenti cap. 4. inter cætera fidei ſuæ motiva ac veræ Eccleſiæ Notas hanc ipſam etiam ſucceſſionem & Miniſtrorum vocationem refert, ut alibi jam diximus.

VIII. Dicunt hæretici, Patres non aliter loqui de Vocatione ac ſucceſſione, niſi cum fundamento Apoſtolicæ doctrinæ: Scimus hoc nimis bene, & extra omne dubium eſt, Romanam Eccleſiam fundare ſucceſſionem ſuam ſuper doctrinam Apoſtolicam, dum firmiſſimè tenet omnes fidei Articulos, quos antiqui Sancti Patres velut Apoſtolicæ fidei ac doctrinæ teſtes ac cuſtodes à mille quingentis & pluribus annis tradiderunt: & uſque ad finem mundi conſentientes ipſis Doctores Catholici traditurí ſunt, ne veluti *parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ circumferamur* ad Epheſ. 4. v. 4. Atque hujus Apoſtolicæ doctrinæ, quam Romana Eccleſia ſemper retinuit ac retinebit, validum à poſteriori argumentum atque indubitatum ſignum eſt, nunquam interrupta ſucceſſio Romanorum Pontificum, & legitima Miniſtrorum Eccleſiæ vocatio; quia per hanc clariſſimè apparet veritas promiſſionis Chriſti, quod *portæ inferi non ſint prævalituræ adverſus Eccleſiam* Matth. 16. v. 18. quod *ipſe cum Eccleſiâ velit manere uſque ad finem mundi* ibidem cap. 28. v. 20. quod *oraverit*. & abſquè dubio impetraverit, *ne deficeret fides Petri.* Quæ hucuſquè in Eccleſia Romana impleta fuerunt.

IX. *Doctrina tertia.* Lutherus (idem ſentiendum de Calvino, Zwinglio &c.) non habuit legitimam Vocationem ad reformandam Eccleſiam, & novam fidem inferendam; ideoq; non fuit à Chriſto ad hoc officium miſſus, nec legitimus Eccleſiæ extitit Miniſter. Ita omnes Catholici, & nominatim DD. à Walenburch integro Tractatu, qui habetur in Tom. 1. à fol. 908. contra Hermannum Conringium Lutheranum. Probatur à nobis allata doctrina breviter & efficaciter, Si Lutherus habuit legitimam Vocationem ad reformationem Eccleſiæ, & novam fidem mundo inferendam; vel habuit Ordinariam & Mediatam: vel Immediatam, atq; extraordinariam. Neutrum dici poteſt. Ergo &c. Major liquet, quia tertia non datur vocatio; non poteſt etiam negari ſuppoſitum, nimirum Lutheri doctrinam, quâ Eccleſiam ac mundum reformare voluit, eſſe novam, quia ipſe Lutherus Tom. 2. Ien. Germ. fol. 48. fatetur, *neminem ſe ſcire, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apoſtolis: in cæteris verò libris id nequaquam inveniri.* Item *ſuam doctrinam eſſe novam, ſe ſolum, ſe primum, ſe unicum fuiſſe in univerſo mundo, qui illam tradiderit.* Et ne quis putaret, eum tantùm de apparente, reſtituta, ſeu reducta novitate loqui, diſertè alibi ſuam mentem explicuit, ajens: *Germaniam quidem olim verbum Papæ audiviſſe, neſcire tamen ſe, an unquam verbum Dei audierit,* quaſi diceret, neſcire ſe an unquam Evangelium, quod ipſe docebat in Germania, inſtitutum & introductum fuerit. Ergo quando Lutherus doctrinam ſuam ſimpliciter vocavit novam, non potuit de novitate apparente, renovatâ, reductâ ſeu reſtitutâ loqui, ſed ſolùm de novitate priùs & antea nunquam audita.

Digitized by Google

X. Probatur Minor univerſim quoad utrumq; membrum, nempe Lutherum, nec Mediatam: nec Immediatam Vocationem habuiſſe. Quia impoſſibile eſt, ſecundùm ſtatum veræ Eccleſiæ à Chriſto re ipsâ inſtitutum aliquem vel mediatè, vel immediatè vocari ac mitti ad novam fidem mundo inferendam; quippe nulla talis fides eſſe poteſt vera fides, ut patet ex illo Matth. 16. v. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs illam.* Si etiam Spiritus Sanctus viſibili Eccleſiæ donatus manet cum eadem in æternum Joan. 14. v. 17. hoc eſt, uſque ad conſummationem ſæculi, eamquè docet omnem veritatem, quomodo fieri poteſt, ut Eccleſiæ doctrina unquâ vitium contrahat, & errorum cœno & ſqualore ita conſeneſcat, ut reformationi hujuſmodi, qualem ſectarij jactant, locus eſſe poſſit, Quare fides Lutheri nova Mundo illata non poteſt eſſe vera, cum antiqua Romana Catholica ipſi oppoſita nunquam potuerit corrumpi, & eſſe falſa. Ergo Lutherus nec immediatè nec mediatè poteſt eſſe vocatus ad talem fidem falſam Mundo inferendam, & Eccleſiam reformandam.

XI. Probatur jam eadem Minor in ſpecie quoad primum Membrum, Lutherum ſcilicet, Calvinum, Zwinglium &c. non habuiſſe Ordinariam ac Mediatam Vocationem ad hanc Eccleſiæ reformationem, & novam fidem mundo inducendam. Nam Lutherus vel habuit ordinariam ac mediatam Vocationem ex communi ſtatu hominis Chriſtiani & baptizati, vel ex Sacerdotio, vel ex Doctoratu, vel à Magiſtratu civili. Nihil horum dici poteſt. *Non primum, nempe ex communi ſtatu hominis Chriſtiani & baptizati.* D. Paulus ſcribens ad Roman. 10. v. 15. cit. *quomodo prædicabunt, niſi mittantur* & ad Hebræos 5. v. 4. *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, agit utique de illis, qui Chriſtiani fuerunt & tamen ſingularem vocationem requirit ad prædicandum, & Pontificatum. Ergo communis ſtatus hominis Chriſtiani & baptizati non ſufficit non ſolùm ad talem generalem Eccleſiæ Reformationem, ſed etiam ad commune officium Prædicatoris. *Antiochiæ erant Prophetæ & Doctores & inter hos Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cirenenſis & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus*, ut videre eſt Act. 13. Ex his ſeligebantur à Deo Saulus & Barnabas ad Singulare opus, ad quod Spiritus S. uti illis volebat, c. 16. v. 2. Reliqui, quamvis eſſent Chriſtiani & baptizati, imò Prophetæ & Doctores, ac ſine dubio Sacerdotes, non arrogabant ſibi Vocationem ad tale opus. Similiter Prophetæ in antiquô teſtamento erant fideles, imò & Presbyteri, ſicut Jeremias, & tamen nullus auſus fuit ſibi propheticum Officium ſumere abſque peculiari vocatione. Sæpius meminerunt Sectarij 7000. virorum, *qui ante Baal non incurvaverunt genua ſua* à Deo reſervati tempore Eliæ 3. Reg. 19. n. 18. & ad Rom. 11. v. 4. Iſti erant verè fideles rectéque credentes, & probabiliter docti, imò Sacerdotes, nullus tamen arrogavit ſibi vocationem graſſanti in Iſraël idololatriæ ſe opponendi, & univerſalem reformationem inducendi. Solus Elias hoc ſibi munus ſumpſit extraordinariè ac Deo ad id vocatus. Quamvis igitur quilibet Chriſtianus cavere ſibi debeat ab idololatria, & erroribus, atque officio ſuo Sacerdotis, Doctoris, reſpectu ſibi commiſſorum bene fungi, non tamen ipſi incumbit, generalem in Eccleſia reformationem inſtituere, Ergo Lutherus ex ſtatu ſuo hominis Chriſtiani & baptizati non eſt vocatus ad generalem Eccleſiæ Reformationem; quia inde non extraordinariam, ſed ordinariam duntaxat poteſtatem accepit, quæ ad tale & tantum opus ſe non extendit.

XII. *Non ſecundum ex Sacerdotio.* 1. Si Lutherus per Ordinationem in Papatu legitimam vocationem obtinuit. Ergo Romana Eccleſia tunc temporis fuit vera Chriſti Eccleſia, habuitque verum Sacerdotium & poteſtatem ordinandi, ac mittendi Miniſtros Eccleſiæ; utiquè enim hæc poteſtas à Chriſto non fuit falſæ Eccleſiæ conceſſa? Atqui. Reformati nolunt fateri, Romanam Eccleſiam fuiſſe tunc, aut eſſe nunc veram Chriſti Eccleſiam. Ergo ex hac legitimam Lutheri Vocationem tueri nequeunt. 2. Romana Eccleſia poſt ceptam Lutheri reformationem vel perdidit Sacerdotium ac facultatem ordinandi & mittendi Eccleſiæ Miniſtros, vel non? Si poſterius. Ergo etiamnum eſt, & manet penes ipſam: & Sectarij non habent legitimos Sacerdotes, cum eorum Miniſtri extra veram Eccleſiam & abſque poteſtate ordinentur. Prius dici non poteſt. tum quia Romana Eccleſia à tempore Lutheri in doctrina Religionis nihil immutavit. Ergo ſi Sacerdotium & poteſtas ordinandi apud illam ſtetit cum erroribus illis, quos ſibi imaginatur Lutherus, etiamnum manet. tum quia, ſi Chriſtus poteſtatem Romanæ Eccleſiæ per Lutherum abſtulit, & in Reformatos tranſtulit, Lutherus pro re tanti momenti ſpecialem & extraordinariam Vocationem oſtendere debet; cum Papalis ordinatio non eò ſe extendat, ut ordinatus Romanæ Eccleſiæ auferre poſſit poteſtatem ordinandi. 3. Lutherus ipſe ſcribit per ordines Sacros in Papatu nullum fieri coram Deo Sacerdotem, ſed meram eſſe larvam & vanitatem, hæc ejus ſunt verba Tom. 2. lat. Witt. fol. 393. pag. 1. *Si ulli negandi ſunt eſſe Sacerdotes, maximè negandi ſunt illi, quos Papiſtici Ordines evexerunt; neq; enim aliud agere poſſunt, quàm id, quod ex animo intendunt agere, hoc eſt, non curant, ut docendi officium, ſed ſacrificandi & peccata audiendi poteſtatem conferant; quare nec fieri poteſt, ut aliud obtineant. At cum certiſſimum ſit, Miſſam non eſſe Sacrificium: deinde confeſſionem eam, quam præceptam volunt, nullam eſſe, utramq; autem ſit humanum & ſacrilegum inventum, planè ſequitur, per Ordines illos Sacros neminem fieri coram Deo aut Sacerdotem aut Miniſtrum, ſed meram larvam mendacij & vanitatis.*

XIII. Dicunt Adverſarij, duo attendi oportere; primum, quod in Papatu divinæ ordinationi conſentaneum remanſit: alterum quod eidem ordinationi per humanam inventionem contrarium irrepſit. Sed inane effugium. Tum quia ratio generica, ut ut in ſe præciſè bona, corrumpitur tamen per ſpecificationem malam, ut patet in contractu uſurario. Ergo etiamſi ordinatio in genere ſit bona, per Papiſticam tamen ſpecificationem, quâ ad ſacrificium, Confeſſionem auricularem &c. dirigitur, corrumpitur, redditurquè abſolutè mala. Tum quia verus ſenſus non minùs pertinet ad legitimam prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem &c. quàm ad ipſam Scripturam. Sed Catholici juxta phantaſiam Sectariorum non habent legitimum ſenſum ad prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem &c. Ergo non concedunt in ordinatione ſua poteſtatem prædicandi, Sacramenta adminiſtrandi &c. Tum quia Lutherus, ait, *Papiſtas nihil poſſe aliud facere, quàm quod facere intendunt.* Sed non intendunt dare poteſtatem Mundo Lu-

do Lutheranum invehendi Evangelium, ſed ſacrificandi, confeſſiones audiendi, prædicandi doctrinam Eccleſiæ. Ergo ordinati in papatu non aliam accipiunt poteſtatem. Ergo nec Lutherus in ordinatione ſua poteſtatem aliam accepit, quàm prædicandi doctrinam Eccleſiæ, Sacrificandi &c.

XIV. *Non tertium ex Gradu Academico ſeu Doctoratu.* Tum quia per Doctoratum non confertur propinqua poteſtas prædicandi Evangelium; ſed ſolùm publicè exhibetur teſtimonium ſufficientis doctrinæ, ut in exemplo eſt manifeſtum. Fiat aliquis Doctor Theologiæ Tubingæ, num ideo poteſtatem habet in Saxonia aut quâvis aliâ civitate prædicandi Evangelium inconſulto Magiſtratu & Superintendentibus Lutheranis? Ergo per Doctoratum præcisè non conceditur poteſtas Apoſtolatûs; aliàs etiam Doctor Carolſtadius fuiſſet verus Apoſtolus. Tum quia Lutherus ipſe fatetur Doctoratum ſeu Magiſterium Theologicum *tantùm prodeſſe Eccleſiæ, quantùm diabolus*; quomodo igitur per Doctoratum fuit vocatus ad Apoſtolatum? Antecedens probatur. Inter articulos Wiclephi Conſtantiæ damnatos eſt etiam iſte: *Univerſitates, Studia, Collegia Graduationes & Magiſteria in eiſdem ſunt vanâ gentilitate introducta, & non plus Eccleſiæ proſunt, quàm diabolus*; Wiclephi autem articulos Lutherus Tom. 2. Lat. Witt. in aſſertione Articulorum omnes probavit his verbis: *In faciem tuam, Sanctiſſime Dei Vicarie, tibi liberè dico, omnia damnata puncta Joannis Huſſij* (aſſeclæ Wiclephi) *eſſe Evangelica & Chriſtiana.* Ergo Lutherus non accepit à doctoratu vocationem ſuam. Tum quia ex verbis ipſius Lutheri ſupra cit. conſtat, illos, qui ordines & gradus Accademicos ſumunt, non aliam accipere poteſtatem, nec aliam ſubire obligationem, quàm intendant ordinans & ordinatus, promovens ac promotus. Atqui Ordinans & promovens Lutherum ad Doctoratum & Licentiatum non aliud intendit, quàm creare Pontificium Licentiatum & Doctorem, nec ipſe Lutherus creari voluit; niſi Catholicus Licentiatus & Doctor. Ergo Lutherus non ſolùm ſecundùm noſtram, ſed propriam ipſius ſententiam in Doctoratu non aliam accepit poteſtatem docendi, quàm ut Catholicus & Papiſticus Doctor ac Theologus; & ad hanc doctrinam ſolam juramento ſe obſtrinxit, cum nec ipſe, nec promotor ipſius aliam habuerint intentionem. Non obeſt; illum juraſſe, pro viribus ſe veritatem Evangelicam defenſurum; quia prædictum ejus juramentum fuit determinatè directum ad doctrinam Romanæ Eccleſiæ, quam ipſe tum temporis, uti re ipsâ erat; pro unica, incorrupta; infallibili veritate habuit, & juxta expoſitionem SS. Patrum & Conciliorum ac declarationem Eccleſiæ intellexit.

XV. Dicunt Sectarij intentionem humanam non præjudicare intentioni divinæ, quaſi Lutherus ex intentione divinâ hanc reformandæ Eccleſiæ facultatem accepiſſet. Sed contra eſt. Tum quia Lutherus ipſe requirit intentionem ad valorem Sacramenti ordinis tam in conferente, quàm ſuſcipiente. Tum quia Gradus Academici & Profeſſuræ non ſunt à Deo inſtitutæ, ſicuti Sacramenta, ſed dependent ab inſtitutione humana. Tum quia difficile eſt creditu, ritè baptizari illum, qui aſperſus exterius aquâ inter conſueta verba intus contradicit, nec vult id, quod Chriſtus inſtituit; certè hoc apparet contra mandatum Chriſti Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris &c.* quod abſque dubio propriè intelligendum, ut nimirum Baptiſma ſuſcipiatur non ſolùm exterius, ſed etiã interius cum intentione conformi Chriſti inſtitutioni.

XVI. Quærunt iidem Sectarii, an promotio & juramentum Doctoris Acatholici Lutherani ſcilicet aut Calviniſtæ, qui poſtea fit Catholicus, habeat retineâtque obligationem. Reſpon. Negativè. Tum quia vi Doctoratûs ſui non affert publicum teſtimonium doctrinæ Theologiæ Catholicæ; etenim dum Doctor eſt factus, Lutheranæ aut Calviniſticæ Theologiæ ſtuduit. Tum quia talis Doctor Acatholicus juravit ſuper Lutheranam aut Calviniſticam in Sacra Scriptura malè fundatam doctrinam; ſuper Confeſſionem Auguſtanam &c. quod juramento Catholici Doctoris repugnat. Tum quia idem non accepit poteſtatem extraordinariam docendi Theologiam Catholicam, ſed poteſtatem ſuper doctrinam Lutheranam aut Calviniſticam ità ut iſtud in ſpecie fuerit determinatum. Quare verba illa generalia *(de veritate Evangelica pro viribus docendâ)* quoad promotionem Academicam & obligationem inania & abſque effectu remanſerunt. Alia eſt ratio de Doctoribus Juris, Medicinæ, & Philoſophiæ; quia in his quoad ſubſtantiam non apparet differentia.

XVII. *Non deniq; à Magiſtratu Civili.* 1. Quia hujus non eſt vocare & ordinare Miniſtros Eccleſiæ, ſed hæc poteſtas ad eos pertinet, quorum eſt *regere Eccleſiam*, nempe Epiſcoporum Actor. 20. v. 8. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quàm aquiſivit ſanguine ſuo.* 2. Chriſtus voluit, ut Apoſtoli ac Succeſſores eorum eo modo Eccleſiam gubernarent, quo ipſe præſens eandem rexit. Sed ipſe elegit Apoſtolos & Diſcipulos ſine ullo multitudinis ſuffragio. Ergo &c. 3. Continua praxis eſt in Eccleſia, ut Epiſcopi ac Sacerdotes abſque populi electivo ſuffragio conſtituantur: & inauditum eſt in Eccleſia à ſola poteſtate civili conſtitutos fuiſſe Paſtores & Miniſtros Eccleſiæ. Interim non negamus, populum antiquitus electionibus Epiſcoporum & aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ interfuiſſe: attamen habuit ſolùm ſuffragium petitionis & teſtimonij, ita ut directio, limitatio, revocatio & poteſtas ſemper penes Præpoſitos Eccleſiaſticos ſtaret. Plura de hoc ipſo in Controv. de Sacram. Ordinis. Solummodo nunc addo, Canones in oppoſitum adduci ſolitos pridem antiquatos fuiſſe, aut fictitios eſſe. Videatur Baron. Anno Chriſti 774. Ex hactenus dictis apertè conſtat, Lutherum non habuiſſe Ordinariam ac Mediatam Vocationem nec à Chriſtianiſmo & Baptiſmo, nec à Sacerdotio, nec à Doctoratu, nec à Magiſtratu Civili.

XVIII. Ad Extraordinariam igitur & Immediatam Vocationem venimus, quam Luthero adſcribunt Meiſnerus de fide Lutherana capeſſenda. fol. 260. & 481. Wolffgangus Francius in Jubilæo Lutherano. Apoſtata Reihing de vera Eccleſia fol. 16. Calvinus verò in ſuis Inſtitutionibus, & Beza in Confeſſ. fidei eandem ſibi tribuunt. Cum Reformatio, quam Lutherus & Calvinus temerè præſumpſerunt, talis extiterit, ut à condito orbe ejuſmodi non fuerit attentata; idcirco nemo abſque evidenti demonſtratione divinæ & extraordinariæ Vocationis acceptare eandem poteſt ac debet, idque hiſce de cauſis. *Prima,* quia inducta à Luthero doctrina à tempore Apoſtolorum nunquam

Digitized by Google

quam in Eccleſia Chriſti fuit publicè agnita, & exercita; ſiquidem Centuriatores Magdenburgici ad finem cujuslibet centuriæ fatentur, articulos Romanæ Eccleſiæ ſemper doctos, & in publico uſu fuiſſe. *Secunda.* quia nullus antiquus hiſtoricus nominari poteſt, qui atteſtetur, tempore Apoſtolorum & ſequentibus ſæculis Lutheranam Juſtificationem per ſolam fidem fuiſſe pro Apoſtolica habitam, Matrimonium pluris factum, quàm virginitatem, Sacrificium Miſſæ veluti Idololatriam abjectum &c. *Tertia.* quia SS. Patres & antiquiores Doctores, qui à Chriſto poſt Apoſtolos dati nobis ſunt Magiſtri, ne erraremus ad Epheſ. 4. v. 11. & qui doctrinæ ab Apoſtolis immediatè acceptæ optimam notitiam habuêre, non aliam unquam, quàm Romano-Catholicam Religionem verbo & exemplo Orbi Chriſtiano tradiderunt, atque in Scriptis ſuis reliquerunt. *Quarta.* Quia doctrina ab Evangelicis Reformatoribus introducta non ſolùm nunquam fuit pro verâ & Apoſtolica acceptata, ſed etiam tanquam hæretica damnata; ſiquidem illi, à quibus Novatores eam ſumpsêre, catalogis hæreticorum ab antiquis Patribus fuerunt inſerti. Videantur Chronographia Genebrardi, & Tabulæ Chronologicæ Jacobi Gaulteri. *Quinta.* quia Sectarij præſertim Lutherani tot & tantas committunt fraudes, mendacia, deceptiones & corruptiones in allegandis & declarandis Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus & Hiſtoricis ad dogmata ſua pallianda & fuco inficienda, ut nemo Synceri animi perſuadere ſibi poſſit, veritatem apud tales homines reperiri. *Sexta.* quia Sectarij Verbum Dei Scriptum unicè ac perpetuò crepant more hæreticorum, cùm tamen oſtendere infallibiliter nequeant, quis illorum præ alijs verum Sac. Scripturæ ſenſum habeat. *Septima.* Quia Lutherus & Calvinus fuerunt homines impijſſimi, flagitioſiſſimi, & turpiſſimi abſque umbra etiam pietatis, ſanctitatis, & devotionis Chriſtianæ, adeo ut de Luthero affirmârit Carolus V. Imperator in Edicto Imperiali: *illum non hominem, ſed dæmonem potius eſſe figurâ & ſpecie humanâ cucùlloq; monaſtico indutum.* Calvinus Luthero nihilo fuit melior, nec dæmoni abſimilior. Quis autem credibile putet, Deum talibus ſceleribus uti velle tanquam inſtrumentis ad reformandam Eccleſiam, & veram ejus ſanctitatem inducendam? Certè nemo hominum unquam publicam meretricem reformandis Monialibus Magiſtram deſignaret. Hæc profectò talia ſunt, ex quorum conſideratione doctrina iſta nec poſſit nec debeat pro Apoſtolica ac Catholica æſtimari, acceptarique ſine evidenti & cœlitus demonſtratâ Extraordinaria Vocatione Auctoris ſui. Nunc

XIX. Probatur Lutherum, Calvinum, Zwinglium &c. talem vocationem Immediatam & Extraordinariam non habuiſſe, id quod ſupra in Minore poſuimus. *Prima.* Quia omnes in prædictum modum vocati (ſaltem ubi non ſimul adeſt alia vocatio ordinaria) inſtruuntur à Deo, ſicuti res ipſa exigit, manifeſtis quibuſdam exterioribus ſignis ſive indicijs, ex quibus cuique evidenter credibile fiat, tales eſſe divinitus miſſos & vocatos; ſiquidem aliàs nemo poſſet, aut deberet ejuſmodi Legatis fidem habere, ſicuti etiam in humana politia, ut ſupra diximus, abſque fide dignis documentis nullus pro Regio aut Principis alicujus Legato agnoſcitur. At vero neque Lutherus novus ſcilicet Eccleſiæ Reformator, neque Calvinus, aut Zwinglius &c. ullis ejuſmodi ſignis vel indicijs manifeſtis ſuam à Deo immediatam & extraordinariam Vocationem teſtatam facere potuerunt, utpote nec ullis miraculis inſtructi, nec ullâ inſigni vitæ Sanctitate illuſtres. Ergo fatendum eſt, eos à Deo immediatè ad magnum illud Reformationis opus vocatos non fuiſſe. Utitur hoc ipſo argumento adverſus ſui temporis hæreſiarchas etiam Tertulianus L. de præſcript. c. 30. ſic ſcribens: *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe; dicant, Chriſtum iterum deſcendiſſe (ſcilicet ut eos ſibi Apoſtolos adſciſceret) iterum ipſum docuiſſe, iterum Crucifixum, iterum Mortuum, iterum Reſuſcitatum; ſic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illius præterea virtutem eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, quâ Apoſtolos in perverſum æmulantur; illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt &c.*

XX. Probatur *Secundò*, ex incredibili inconſtantia Lutheri. Nam in multis ſummi momenti Articulis nullam certam conſtantem & invariatam doctrinam tradidit, ſed velut arundo ventô agitata modò in hoc, modò in illud latus nutavit, ſibique ipſi aſſiduè contradixit, ita ut non ſolùm annus ab anno, ſed etiam unus idêmque menſis nonnunquam à ſe ipſo in graviſſimis rebus diſcordaret; nominatim de Sacramentorum numero: de Tranſubſtantiatione, & Adoratione Euchariſtiæ: de Infallibilitate Eccleſiæ, & SS. Patrum Auctoritate: de Neceſſitate bonorum operum &c. Inconſtantia illa manifeſtior eſt, quàm ut ab Adverſatijs poſſit ſine notæ impudentiæ negari. Videatur Protheus Evangelicus, Germanicè der Evangeliſche Wetter-Hann dictus, & apparebit à condito orbe nullum hominem fuiſſe, cujus dicta inter ſe & crebriùs & manifeſtiùs pugnaverint, quàm Lutheri. Parem inconſtantiam in Calvino oſtendit Jodocus Kett. Im New-Evangeliſchen Kelterhauß à fol. 124. Quapropter cum *ita & non* de eadem re ſimul vera eſſe nequeant, ſed unum ex illis falſum eſſe oporteat: Nihil autem magis quàm falsâ doctrina extraordinariæ & immediatæ à Deo Vocationi adverſetur, luce clarius eſt, Extraordinariam & Immediatam Vocationem apud Lutherum & Calvinum non reperiri.

XXI. Probatur *Tertiò.* Ipſe Lutherus fatetur, ſe non habere Immediatam & Extraordinariam Vocationem. Ita ſcribit: Tom. 2. Jenen. fol. 431. *Nunquam adhuc prædicavi, nec prædicare volui, niſi ab hominibus vocatus & rogatus; quia gloriari non poſſum, quod Deus de cœlo ſine medio me miſerit.* Atqui ſi extraordinariè & immediatè per evidentem illuminationem à Deo eſſet vocatus, utique ipſummet non latuiſſet, & gloriari meritò de hoc in Domino potuiſſet. Idem in Epiſt. von den Schleicheren ſeu furtim irrepentibus Anno 1532. data & impreſſa Tom. 5. Germ. pag. 492. parùm ſe certum de vocatione ſua agnoſcit, ideóque ſic ſcribit: *dixi ſæpe, & iterum dico, totum mundum me non accepturum pro Doctoratu meo; quia aliàs deſperare deberem, ſi tale ac tantum mihi incumbens negotium, ſicut fur irrepens, abſq; vocatione & mandato Dei cepiſſem.* Ecce Lutherus poſt aliquot annos ceptæ reformationis nihil apud ſe agnoſcit extraordinariæ & immediatæ Vocationis à Deo, imò de ordinaria & mediata vehementer anceps hæret, atque ex ſolo doctoratu ſe ſolatur, quaſi hinc ſaltem aliquid apparentis vocatio-

nis

Digitized by Google

nis mediatæ & ordinariæ venari poſſet; quod tamen ipſum luculenter jam rejecimus §. XIV.

XXII. *Doctrina quarta.* Eccleſia Evangelicorum, hoc eſt, Lutheranorum, Calviniſtarum &c. non eſt vera Eccleſia, nec veros habet Miniſtros & Sacramenta Altaris, & Abſolutionis &c. Ita omnes Catholici. Probatur hoc fundamentali diſcurſu. Illa non eſt vera Eccleſia, quæ non habet veros Epiſcopos & Sacerdotes per legitimam Succeſſionem Electionem, Conſecrationem, & Poteſtatem ab Apoſtolis deſcendentes. Sed Eccleſia Lutherana Calviniana &c. non habet tales Epiſcopos & Sacerdotes per legitimam Succeſſionem, Electionem, Conſecrationem, & Poteſtatem ab Apoſtolis deſcendentes. Ergo Eccleſia Evangelicorum non eſt vera Eccleſia. Major elucet ex eo, quod Chriſtus Apoſtolis atque inprimis Petro dederit Claves Regni Cœlorum, & mandatum paſcendi oves ſuas; quod paſcendi munus maximè legitimam Paſtorum ordinationem ſeu conſtitutionem requirit. Nam tum ex Actis Apoſtol. tum ex epiſtol. D. Pauli conſtat, in primitiva Eccleſia Miniſtros, Epiſcopos, & Sacerdotes aut ab ipſis ſolis Apoſtolis, aut ab illis, quos ipſi primis jam Epiſcopos initiaverant, fuiſſe electos, & per Manuum impoſititionem conſecratos, atque unà cum ſufficienti poteſtate miſſos ad Evangelium prædicandum, Eccleſias erigendas &c. ut videre eſt Act. 6. v. 1. & ibidem c. 13. v. 3. c. 14. v. 23. c. 19. v. 22. quale etiam mandatum dedit Paulus Tito c. 1. v. 5. Si igitur omnis Eccleſiaſtica Vocatio & Poteſtas primitus ab Apoſtolis poſt Chriſti inſtitutionē eſt derivata, neceſſario infertur, eandem vocationē conſecrationem, ac poteſtatem non habere vim ac valorem, niſi per legitimā Succeſſionem ab Apoſtolis legitima Vocatio, Conſecratio & Juriſdictio demonſtrari poſſit. Vera autem Eccleſia non eſt, quæ veros non habet Sacerdotes, ut per ſe patet, & apertè tradit S. Hieronymus mox allegandus.

XXIII. Confirmatur auctoritate Patrum, è quibus Tertull. de præſcript. adversùs hæreſ. c. 20. ſic ſcribit: *Apoſtoli Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ reputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum: omne genus ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt. Itaq; tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes.* Et paulò poſt: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeverarint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum à Joanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde utiq; & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale quid hæretici &c.* S. Hieron. Dialog. contra Lucif. c. 4. hæc habet: *Hilarius cum diaconus ab Eccleſia receſſerit, ſoluſq;, ut putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt Epiſcopos & Presbyterum non habens* (ſcilicet in Eccleſia ſua putatitia) *neq; Baptiſma ſine Euchariſtia* (olim enim Baptizati ſtatim communicabantur.) *Et cum homo mortuus jam ſit, cum homine pariter perijt & Secta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconum potuit ordinare; Eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotes.* Similia reperiuntur apud alios PP. qui defectum hujus Succeſſionis Electionis Conſecrationis ac Poteſtatis ab Apoſtolis derivatæ pro certiſſimo ſigno habent falſæ Eccleſiæ & hæreſis. Hinc cum tanta diligentia inquiſiverunt & recenſuerunt Succeſſionem Romanorum Pontificum uſque ad ſua tempora ſæpe illam hæreticis objiciendo, utpote qui eandem monſtrare non valent. *Vos* inquit Optatus Milevitanus L. 2. contra Donatiſtas. *Veſtræ Cathedræ originem edite, qui vobis vultis Sanctam Eccleſiam vendicare*, quæ abſque talibus Epiſcopis & Sacerdotibus non ſubſiſtit, ut audivimus ex D. Hieronymo.

XXIV. Probatur jam ſubſumptio, ſeu Minor primi Syllogiſmi. Si Eccleſia Evangelicorum haberet Epiſcopos & Sacerdotes per legitimam electionem, conſecrationem, ac poteſtatem ab Apoſtolis deſcendentes, tum poſſet continuam eorum ſucceſſionem exhibere. Atqui non poteſt. Nam Sacerdotes apud Lutheranos Calviniſtas &c. non per Epiſcopos (qui continuâ ſucceſſione unius poſt alium ab Apoſtolis deſcendunt) nec Epiſcopi ab alijs conſecratis Epiſcopis eliguntur, conſecrantur, & conſtituuntur, ſed à Communitate, Magiſtratu, & alij Miniſtris, qui Epiſcopi conſecrati non ſunt, nominantur & deſignantur applicantúrque, ut ipſi Adverſarij fatentur, & negare non poſſunt. Ergo eorundem vocatio omninò non ab Apoſtolis deſcendit, hoc eſt, nec Immediatè, quod ipſimet Sectarij ſibi non attribuunt, nec Mediatè, quia neceſſario ad iſtud medio, ſcilicet ſucceſſione deſtituuntur.

XXV. Porrò ſolos veros Epiſcopos à communibus Sacerdotibus diſtinctos accepiſſe ab Apoſtolis poteſtatem eligendi & conſecrandi Epiſcopos ſacerdotes, eſt unanimis conſenſus Patrum, qui in verbis illis Apoſt. 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem Manuum Presbyterij*, per Tò *presbyterij* intelligi cætum ſacerdotum Majorum, id eſt Epiſcoporum. Unde D. Chryſoſt. ſuper eadem ita ſcribit: *Non de Presbyteris hic loquitur: nec enim profectò Presbyteri ipſum ordinârunt.* Idem confirmat D. Hieronym. Epiſt. 55. dicens: *quid enim facit exceptâ ordinatione Epiſcopus, quod non facit Presbyter*, q. d. communis Sacerdos ex commiſſione poteſt omnia facere, quæ Epiſcopus, excepto, quod conſecrare non poſſit Epiſcopos & Sacerdotes. Non obeſt, olim omnes Sacerdotes vocatos fuiſſe Epiſcopos; hujus enim valde probabilem rationem aſſignans Theodoret. in c. 3. ad Timoth. ait: *Eoſdem olim vocabant Epiſcopos & Presbyteros; eos autem, qui nunc vocantur Epiſcopi, nominabant Apoſtolos, procedente autem tempore nomen quidem Apoſtolatûs reliquerunt ijs, qui verè erant Apoſtoli, Epiſcopatûs autem appellationem impoſuerunt ijs, qui olim appellabantur Apoſtoli, ita Philippenſium Apoſtolus erat Epaphroditus.* His PP. conſentit Concilium Generale Septimum, quod eſt Nicænum II. can. 3. Sic ſtatuens: *omnis electio Epiſcopi vel Presbyteri, quæ fit à Magiſtratibus, irrita maneat; oportet enim eum, qui eſt promovendus, ab Epiſcopo eligi.* Quod ipſum ab initio Eccleſiæ adhuc in quatuor primis ſæculis ita ſedulò fuit obſervatum, ut contraria opinio, quam Aërius aſſerere fuit auſus, pro hæreſi & inſana doctrina fuerit habita. *Erat*, inquit Epiphan. Hæreſ. 75. *Ipſi ſermo furioſus magis quàm humanæ conditionis, dicebat: quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo; unus enim eſt ordo, unus honor, & una dignitas. Imponit manus Epiſcopus, ita etiam Prebyter*; quem poſtea errorem fusè refutat, atque eundem Auguſtinus etiam catalogo Hæreſum inſerit. Demum

nec unicum exemplum afferri poteſt, quod à tempore Apoſtolorum in Eccleſia Catholica ullus unquam verus ac legitimus Epiſcopus fuerit habitus, qui ſuam vocationem, conſecrationem ac poteſtatem à non vero conſecratóque Epiſcopo acceperit. Quare ex defectu iſto fateri debent Reformatores, aut nullitatem ſui miniſterij, aut cum inſano Aërio pati, ſe in Regiſtrum hæreſeos ab Epiphanio & Auguſt. inſcribi; quemadmodum autem Lutherani, & Calviniani cæterique Acatholici veros ac legitimos Epiſcopos & Sacerdotes non habent, ita etiam non habent vera Sacramenta Altaris & Abſolutionis, quæ non niſi à veris Sacerdotibus conficiuntur. Manet igitur juxta doctrinam noſtram Catholicam ſolidiſſime probatam Evangelicos, Lutheranos ſcilicet Calviniſtas &c. nec Eccleſiam veram, nec veros Sacerdotes, nec Sacramenta vera Altaris ſcil. & Abſolutionis habere.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XXVI. *Error primus.* Lutherus, qui eſt quaſi parens omnium Miniſtrorum Eccleſiæ, ut vocant, reformatæ, legitimam habuit vocationem. Ita unanimiter Evangelici; eſt tamen quoad modum vocationis inter ipſos diverſitas. Plerique Lutherani volunt, Lutherum habuiſſe vocationem Ordinariam ac Mediatam. Ita teſtantur Meno Hanneken in ſuo Iremio à fol. 781. & Tobias Wagner in ſuis cenſuris à fol. 275. his nixi rationibus. Tum quia Lutherum ad officium prædicandi vocavit Communitas Wittenbergica; ad ordinariam autem vocationem prædicatoris conſenſum Populi requiri ac ſufficere, ex multis & clariſſimis ſcripturæ locis oſtendi poteſt. Tum quia Lutherus ſacerdotalem vocationem juxta morem conſuetum Anno 1520. accepit, vi cujus obligatus fuit, in Eccleſia ſervare, quæ in ea permanſêre bona, & extirpare, quæ ſenſim in eandem irrepſerunt mala. Tum quia eandem vocationem tribuerunt Luthero Doctoratus, Profeſſura, & Juramentum, vi quorum debuit Evangelicam veritatem tueri. Tum quia univerſim omnes cavere ſibi debent *à falſis prophetis* Matth. 7. 15. *à lupis rapacibus.* Actor. 20. v. 29. &c. Iſtud mandatum habuit adhuc Lutherus in papatu, cur non obligare illum potuit? Aliqui tam Lutherani quàm Calviniſtæ malunt Luthero concedere Extraordinariam Vocationem, ſicut de Calvino & Beza ſupra diximus. Aſſerunt autem iniquum eſſe, miracula à Luthero requiri. Tum quia ſi probetur, illius doctrinam eſſe Apoſtolicam, ſimul etiam monſtrari miracula; nam, inquiunt, in hoc totum eſt poſitum, ut ſciatur ubi vanitas doctrinarum: & ex oppoſito, ubi veritas ſit Evangelica. Tum quia nulla extat promiſſio, velle Deum ultimis temporibus veram fidem per miracula facere manifeſtam; cum etiam hæc miracula à falſis prophetis præſtari poſſint Matth. 24. v. 24. Tum quia vaticinia tam Apoſtolica Apoc. 14. v. 6. quàm Eccleſiaſtica produnt divinam Lutheri vocationem. Unum ex iſtis Eccleſiaſticis habetur in templo Friderici Barbaroſæ expreſſum, ubi ſtatua Monachi extructa circa annum Chriſti 1170. cum inſcriptione Lutheri, referente Theophraſte Paracelſo in Chronica Carinthiæ. Alterum Joannis Huſs ad rogum euntis & dicentis: poſt centum annos veniet Cignus, quem aſſare non poteritis. Tertium Gothæ in Monaſterio Auguſtinianorum 1531. ſub deſtructo Altari repertum fuit hoc diſticho:

> MC quadratum, LX quóque duplicatum,
> Orans peribit, & Huſs, Wiclēffque redibit.

referente Gerhardo L. 1. fol. 154. qui mirè de organo iſto reformationis ineptit. Tum quia Lutherus vir fuit ſcientiarum divinarum juxta ac humanarum peritus, eloquens, nobilis Scripturarum Interpres. Sunt etiam nonnulli apud DD. à Walenburch loc. cit. fol. 910. qui Luthero vocationem tribuunt partim Ordinariam, partim Extraordinariam; argumentis, quæ pro utraque vocatione hactenus attulimus, ad id inducti.

XXVII. Errori huic Doctrina noſtra Catholica, quam priori parte attulimus, omnem fucum aufert, & cuilibet homini non in ſenſum reprobum dato clariſſimè oſtendit, Lutherum & qui poſt ipſum ſurrexerunt Sectarum duces, ex illis eſſe viris, de quibus Dominus DEUS Jeremiæ 23. v. 21. dicit: *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant:* Ipſemet Lutherus ſuam de vocatione propriam ſenſentiam decies ſepties mutavit, ut Doctor Piſtorius in Epiſt. ad Germanos & præcipuè ad Auſtriacos notavit. Et quiſquam prudens ſuæque æternæ ſalutis debitam habens curam inveniri poſſit, qui eandem Lutheri vocationem tanquam certam atque à DEO profectam perſuaderi ſibi ſinat? Probationes quam futiles ſint, mox patebit. Itaque

XXVIII. Reſpondetur. *Primò ad ea, quæ pro Vocatione Lutheri Ordinaria ac Mediata afferuntur. Ad Primum.* neque Populum neque Magiſtratum ſæcularem habere poteſtatem eligendi Sacerdotes: ſed ad Epiſcopos hoc pertinere. Ex plurimis & & clariſſimis Sac. Scripturæ locis, quos Wagner ait oſtendi poſſe, proferatur vel unicus, in quo iſta poteſtas populo concedatur. Eandem facultatem eligendi Miniſtros Eccleſiæ, non habet etiam Miniſterium; cum Acatholici Miniſtri à nullo vero Epiſcopo ordinati fuerint. Vocari autem Miniſtros Lutheranos, Calvinianos &c. ad prædicandum ſolùm propheticam & Apoſtolicam doctrinam abſque additamentis humanarum inventionum, vana eſt phantaſia & prætenſio omnium Sectarum; quippe non poteſt eſſe pura Apoſtolica doctrina, quæ S S. Patribus adverſatur: nec humanæ & phariſaicæ ſunt inventiones, quæ prædicti PP. reliquerunt, aut Magiſtratus Eccleſiaſticus ſtatuit. Adhæc in pleriſque jam locis à ſolis Principibus Miniſtri Eccleſiæ eliguntur, & horum autoritate inveſtiuntur; vel igitur iſtorum vocatio eſt legitima, vel non? ſi prius. Ergo falſum eſt, penes populum eſſe ſuffragia: ſi poſterius. Ergo omnium iſtorum officia, conſecratio cænæ, & abſolutio invalida ſunt. Ecce miſeriam Evangelicorum omnibus Sacramentis deſtitutorum, ſi baptiſmum excipiamus.

XXIX. *Ad Secundum & Tertium.* Ratione iſtorum, ſcilicet Sacerdotij, Doctoratûs &c. oſtendi quidem, Lutherum ordinariè & legitimè vocatum fuiſſe ad miniſterium, quod exercuit in Eccleſia

cleſia Catholica ante ſuam deteſtabilem apoſtaſiam: minimè verò ad miniſterium, quod exercuit in ſecta ſua Lutheranâ poſt prædictam apoſtaſiam. Nam tunc cepit impiè oppugnare Eccleſiam Catholicam, in qua ante vixerat: cepit aliter quàm ante conſueverat, docere: cepit abrogare feſta, jejunia, vota monaſtica, orationem pro defunctis &c. quæ ante approbaverat: cepit opponere ſe ſummo Pontifici, & hunc tanquam Antichriſtum proclamare, cui antea religioſè ſe ſubjecerat, & tanquam legitimum Chriſti in terris vicarium agnoverat. Hæc autem aliáque plura facere non poterat per poteſtatem, quam acceperat in Eccleſia Catholica: vel in Sacerdotio, quia Epiſcopus non dedit illi poteſtatem in deſtructionem Eccleſiæ, in quâ erat Epiſcopus: vel in Doctoratu, quia Promotor etiam poteſtatem ſolùm conceſſit Theologiam Catholicam docendi, & ad hanc aſſerendam & unicè defendendam juramento adſtrinxit, perinde ut hodie Lutherani ſuos Candidatos Theologiæ Alumnos & Doctores juramento ad confeſſionem Auguſtanam & Formulam Concordiæ obligant. Ergo Lutherus vel non habuit talem poteſtatem oppugnandi Romanam Eccleſiam, & aliquid ejuſdem doctrinæ contrarium prædicandi: vel ſi habuit, aliunde accepiſſe debuit. Et à quô? Solvant Sectarij hunc nodum Gordium, cui nec Alexandri gladius ſufficientem aciem habebit.

XXX. *Ad Quartum.* Eſſe veriſſimum, cavere quemlibet ſibi debere à falſis prophetis, & Lutherum adhuc Catholicum huic etiam mandato ſubjacuiſſe. Sed ſequiturnè, tum alium quemvis, tum ipſum Lutherum ex hoc vocari ad tale, & tantum opus reformandæ Eccleſiæ, hanc oppugnandi, contrarium ei doctrinam inducendi &c. O ſtolidam phantaſiam, & ridendam conſequentiam! Sed, inquiunt, non ſemper opus eſſe vocatione ad reformationem, ſed ſolùm in ſtatu Eccleſiæ pacato: at verò quando ſtatus eſt perturbatus, vel ob falſam doctrinam, vel gravem perſecutionem, ita ut ordinario modo Miniſtri vocari nequeant, cuilibet licitum eſſe, prædicandi purum verbum Dei, Sacramenta adminiſtrandi, labentem Religionem ſuſtentandi: Hoc vaniſſimum effugium meritò ipſos Evangelicos percellere ac ſcandalizare poteſt, cum apertè ipſi Luthero repugnet. Tom. 3. Latin. Witt. aſſerenti: *Nullum etiam Evangelicum Prædicatorem immiſcere ſe, & irrepere clam debere ad prædicandum, qui non cum præſcitu Præpoſiti Miniſtri Eccleſiæ fuerit vocatus; abſque vocatione enim nullus Chriſtianus, etſi Sacerdos ſimile quid attentet &c.* Et nunquid perturbatiſſimo Eccleſiæ ſtatu dixit Paulus ad hebræos: 5. v. 4. *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Item ad Rom. 10. v. 15. *quomodo prædicabunt, niſi mittantur.* Rurſus 1. ad Corinth. 14. v. 14. *mulieres in Eccleſia taceant.* Si dicat lege Charitatis Jacobi 5. v. 19. quemlibet eſſe obligatum corrigere fratrem ſuum, errantem catechizare, & ad veram viam reducere &c. verum eſt; at privatâ inſtructione, quæ omnes homines decet; non demonſtratione publici Miniſterij.

XXXI. Reſpon. *Secundò ad ea, quæ pro Extraordinaria Lutheri Vocatione adducuntur.* Non exigi iniquè, quod ipſe Lutherus ab alijs requiſivit. Tom. 2. Witt, Germ. fol. 245. ad Præfectum Wartburgenſem ita ſcribit de Concionatoribus clancularijs vitandis; *doceatur populus, interrogare tales & dicere. Unde venis? quis te miſit? quis te concionari juſſit? ubi ſunt Litteræ? ubi ſigillum, te ab hominibus miſſum? ubi miracula teſtificantia, te à Deo miſſum?* quod clariùs indicat Melanchthon in cap. 3. Matth. his verbis: *ſic poſtea ſæpe, quando mundus fere oblitus fuit promiſſionem & doctrinam Evangelij, tunc vocavit DEUS novos Doctores, & ſemper addit miracula, ut certò ſciamus, à Deo miſſos.* Et hodie omnes fatentur Acatholici, immediatam à Deo vocationem non niſi miraculis ſtabiliri. Atque hinc factum, cur etiam Lutherus ac Calvinus miracula facere attentarent ad confirmandam doctrinam ſuam, ſed utrique infeliciſſimè res ceſſit, ut refertur in ſpeculo Brandenburgico fol. 208.

XXXII. *Ad 1.* igitur, ſi Evangelici ritè probaverint, doctrinam ſuam eſſe Apoſtolicam, inſtar miraculi id nos accepturos. Sed quando id præſtabunt?

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Junctaq; cum Luna lumina Solis erunt.

Nam receſſerunt à Sanctis & antiquis Patribus, per quos Apoſtolica doctrina ad nos venit, & hactenus abſque errore apud nos conſervata fuit. De purâ & Apoſtolicâ doctrinâ multos quidem hucuſque Sectariorum clamores audivimus, efficax argumentum nullum audivimus. Non ſatis eſt, Scripturas magno numero ingeminare, eam artem omnibus hæreticis communem diabolus quoque callet. Legitimus ſenſus probandi vim habet, non ſola Scripturæ verba; legitimus autem ſenſus non eſt, quem quiſque ſibi cudit, ſed quem legitimum ſemper cenſuit Eccleſia, quæ *eſt columna & firmamentum veritatis*, & quæ (uti Lutherus ipſe ſcripſit Tom. 7. Germ. Witt. fol. 562.) *non poteſt mentiri, ſicut Deus non poteſt; cum os Dei ſit os Eccleſiæ.* Quare cum Lutherani hucuſque doctrinam Lutheri eſſe Apoſtolicam ex Scripturis non niſi damnato ab Eccleſia ſenſu uſurpatis probârint, non aliud probaſſe cenſendi ſunt, quàm apud Evangelicos eſſe vanitatem opinionum: apud Catholicis verò veritatem Apoſtolicam, in quo utique totum eſt poſitum, uti dixêre Adverſarij.

XXXIII. *Ad 2.* falſum id eſſe. Nam Chriſtus apud Joannem non ſolùm Apoſtolis, ſed & alijs in ipſum credituris, uti contextus clariſſimè docet, promiſit: *qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora his faciet* Joan. 14. v. 12. Quæ promiſſio cum careat reſtrictione tam temporis, quàm perſonarum, neque tamen ſingulis fidelibus in actu ſecundo accomodari poſſit, ſaltem in aliquibus de Eccleſia omni tempore locum habeat oportet, quoties par neceſſitas poſtulabit. Neceſſitas autem poſtulat poſtremis etiam hiſce ſæculis, ut quando nova & inaudita ſunt, quæ ſupra naturam credenda proponuntur, novis quoque & ſupernaturalibus ſignis atque effectibus credibilia reddantur; præſertim ſi ab eo proponantur, qui ordinariâ vocatione eſt deſtitutus. Apocal. etiam 11. v. 3. & ſequent. Deus clarè promiſit Eccleſiæ extremis hujus temporibus poteſtatem patrandi miracula pro verâ fide probanda. Quæ ergo eſt impudentia dicere, nihil tale eſſe promiſſum. De reliquo vera miracula à falſis prophetis fieri non poſſe, ſed tantùm præſtigias & miraculorum umbras: quomodo etiam hæc falſa miracula à veris diſcerni poſſint, oſtendimus ſupra Contr. XXII.

Digitized by Google

XXXIV. *Ad 3.* Negando ullum verum Vaticinium de extraordinaria vocatione Lutheri extare. Apocal. 13. per neutrum ex duobus Angelis repræſentari Lutherum, nemo niſi cæcus videt. *Non per primum.* Tum quia Angelus ille habuit æternum Evangelium: Lutherus verò novum ſibique coævum & ſtatim variè diſſipatum. Tum quia Angelus ille docuit timere Deum, hujuſque Judicium: Lutherus verò laxavit fræna timoris Dei, cælum pro ſolâ fide omnibus pollicens. Tum quia Angelus ille evangelizavit ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: Lutheri verò Evangelium exiguâ orbis parte innotuit. Tum quia Angelus ille dedit honorem Deo: Lutherus verò abſtulit, tollendo Sacrificium Miſſæ, Adorationem Chriſti in Euchariſtia, vota Religioſa &c. *Non per Secundum.* Tum quia Angelus iſte deſcendit de Cœlo: Lutherus veriùs ex inferni faucibus, & ab ipſo orci magiſtro hauſit ſuã doctrinam. Tum quia Angelus iſte habuit poteſtatem à Deo magnam, à quô fuit miſſus: Lutherus vocatione legitimâ deſtitutus nihil habuit poteſtatis, ac juriſdictionis. Tum quia Angelus iſte caſum & ruinam Babylonis magnæ denunciavit: Lutherus Babylonem, hoc eſt, Sectarum confuſionem mundo importavit. Tum quia Angelus iſte terram gloriâ ſuâ illuſtravit: Lutherus illuſtrem Germaniam incredibili maculâ dedecoravit; quapropter Lutherum fuiſſe Angelum illum Apocalypticum nemo credet, niſi qui fungum pro cerebro habet.

XXXV. Vaticinium de ſtatuâ Monachi, cui inſcriptum fuerit nomen Lutheri, eſt fabula Autore ſuo digna; fuit iſte Theophraſtes Paracelſus homo ut malæ vitæ, ita modicæ fidei, utpote familiaris dæmoni mendacij patri. Videri poteſt Thomas Eraſtus celeberrimus Medicus ad Calcem Diſput. de medicina nova Philippi Paracelſi. Ex dicto Huſſij nihil contra nos evincitur. Tum quia de hoc vaticinio primùm ſoli Huſſitæ: deinde Lutherus & Lutherani illud jactarunt. Tum quia varijs applicari poteſt, nec exactè ratione temporis Luthero convenit, Tum quia non difficile eſt, ſic vaticinari, cum *oporteat, hæreſes eſſe* 1. ad Corinth. 11. v. 19. Tum quia ſi Huſſius etiam nominatim Lutherum deſignaſſet, quid inde magni honoris, ſi hæreticus alium hæreticum ex inſtinctu dæmonis prænunciaſſet. Tum quia Lutherus non eſt cignus, ſed ſpurciſſimus porcus. Videri poteſt ſpeculum veritatis Brandeburgicum, & hujus apologia fol. 306. Ex illo diſticho nihil probari 1. cum Gerhardus, qui id refert, nullam mereatur fidem, & libri ejuſdem innumeris figmentis ſcateant. Si etiam concederemus ſimilia vaticinia, non inde ſequeretur, Lutherum à Deo vocatum Apoſtolum fuiſſe; utique enim de facinoroſis etiam atque improbis aliqua futura prædici poſſunt. An non luculenta vaticinia extant in Scripturâ de Juda proditore; item de Antichriſti impietate? an Arius propterea vel hilo fuit melior, quia de ejus furore Erithræa Sybilla tot ſæculis ante vaticinata eſt, ut teſtatur Conſtantinus Magnus in Epiſt. ad Arium. Quid igitur juvaret Lutherum, ſi de ipſius Apoſtaſia & hæreſi diu ante prædictiones extitiſſent?

XXXVI. *Ad 4.* Eſto Lutherus ante Apoſtaſiam aliqua habuerit dona, multos tamen Religioſos & alios non tantùm habuit pares, ſed etiam Superiores. Et quid laudis ex eo, quod ingenio, eloquentiâ & alijs, ſi quæ habuit, donis abuſus fuerit ad ſuam ipſius & plurimorum aliorum perniciem, ſicut multi alij præclaris ſuis talentis abutuntur, quibus in hoc ipſe Lucifer præivit, non utique in hoc laudandus. Ex his duabus opinionibus refutatis, apparet etiam tertia abunde rejecta, quæ Luthero vocationem partim Ordinariam partim Extraordinariam abſque alia ratione affinxit; ajo *affinxit*; eſt enim hoc commentum omnibus ſæculis inauditum; habuerunt quidem aliqui Prophetæ miſſionem tum ordinariam, tum extraordinariam, ſed utramque perfectam, cum non detur mixta & confuſa. Si ergo Lutherus vocationem habuit partim ordinariam, partim extraordinariam, habuit nullam, uti affirmamus, & veriſſimum eſt.

XXXVII. *Error ſecundus.* Sectarij habent veram Eccleſiam, veros Sacerdotes, vera Sacramenta. Ita Lutherani, Calviniſtæ & alij pro ſua quiſque ſecta. Probant 1. Quia non novam ſed antiquam Prophetarum atque Apoſtolorum habent doctrinam, quæ non poteſt eſſe niſi in verâ Eccleſia. 2. Non ſtatim deſtructa eſt Eccleſia, etiamſi illi, qui priùs in ea dominabantur & Præpoſitos agebant, in magnis tenebris & idololatria extiterint 3. Quia ſi defectu Succeſſionis Sacerdotes Evangelici non eſſent legitimi, & Sacramenta Cænæ, atque Abſolutionis conficere non poſſent, tunc etiã Baptiſmus ab ijſdem collatus non eſſet legitimus, conſequens eſt falſum, & contra S. Aug. L. 2. contra Epiſt. Parmen. c. 18. 4. Quia falſum eſt, Evangelicos Sacerdotes prorſus non deſcendere ab Apoſtolis, cum in doctrina his ſuccedant. 5. Quia vocatio Sacerdotalis Zachariæ Luc. 1. fuit legitima, quantumvis à talibus hominibus proveniens, quos Chriſtus latrones & fures nominavit Joan. 10. v. 1. 6. Evangelici Sacerdotes ſunt independentes à Luthero, ſiquidem iſte non fuit Papa Evangelicus. 7. Lutherus ipſe Chriſtum & hujus doctrinam ferventer urget, non verò ad ſuam perſonam & ſucceſſionem attendi vult Tom. 2. Germ. fol. 92. probatque ſolidè, convenire Communitati Chriſtianæ de doctrina judicare, & doctores nominare, cum omnes & ſinguli Chriſtiani ſint *Sanctum ac Regale Sacerdotium* 1. Petri 2. v. 5. 8. denique Lutherus legitimam poteſtatem Sacerdotis habuit quidem à Papa, ſed non quà tali, ſed quà Epiſcopo Eccleſiæ.

XXXVIII. Errorem hunc ſufficienter rejecimus parte priore doctrinâ 4. Tum ex alijs ſolidis fundamentis. Tum ex verbis notatu digniſſimis quæ ex D. Hieronymo attulimus, ubi loco cit. de Hilario Apoſtata ſic pronunciat: *1. Hilarium ſolùm fuiſſe Diaconum non Epiſcopum, qui alios diaconos Presbyteros & Epiſcopos initiare potuerit. 2. Hilarium à Romana Eccleſia, cui addictus erat S. Hieronimus, receſſiſſe. 3. Hilarium ultra omnes ſapere ſibi viſum eſſe. 4. Hilarium in ſua recens erecta Eccleſia nec Epiſcopum, nec Sacerdotes habuiſſe. 5. Hilarium ideo nullum reliquiſſe Epiſcopum & Sacerdotes, quia ipſe, utpote ſolùm Diaconus, conſecrare illos non potuit: atq; idcirco riſu ab omnibus fuiſſe exceptum, cum Socios ſuos nominaret Epiſcopos. 6. ab Hilario nominatos Epiſcopos & Sacerdotes nullum Sacramentum facere potuiſſe.* Hæc omnia ad amuſſim conveniunt Luthero, qui 1. fuit ſolùm Sacerdos, non Epiſcopus potis alios Epiſcopos ordinare. 2. diſcendit ex Romana Eccleſia. 3. putavit, Lucem ſe eſſe mundi. 4. in Eccleſia ſua recens erecta nullos habuit Sacerdotes, Epiſcopos &c. 5. Ideo in

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia ſua nullos reliquit Epiſcopos & Sacerdotes, quia ipſe, utpote ſolùm Sacerdos, conſecrare illos non potuit. 6. denique Lutherus vocavit quidem aliquos ex ſuis aſſeclis Superintendentes, hoc eſt, Epiſcopos & Sacerdotes, ſed cum riſu fuit exceptus. Quid plura. ſicuti S. Hieronymus ſubjungit, *nullam eſſe Eccleſiam, ubi nulli ſunt Sacerdotes*, ita & nos dicimus & concludimus apud Lutheranos Calvinianos &c. *nullam eſſe Eccleſiam; quia nulli apud illos ſunt Sacerdotes.* Et quomodo Eccleſiam Lutheranam aut Calvinianam &c. habeamus pro vera Eccleſia, quæ non niſi quoſdam habet prædicantes; & quidem tales; qui jam, dum ad officium prædicandi aſſumuntur, ſunt Eccleſiaſtici: jam dum ab eodem removentur, iterum ſunt ſæculares, & tales etiam paſſim habentur; ſiquidem *characterem nullum*, ut loquitur D. Auguſtin. Serm. de geſtis cum Emerito Donatiſta Tom. 7. *ab ordinatione habent impreſſum.* Unde meritò tales jam ante 1400. annos riſit Tertullianus L. de Præſcript. c. 41. inquiens: *hodie Presbyter, cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injunguntur.* Argumenta ſunt jam in prioribus maximâ ex parte diſſoluta. Nihilominus

XXXIX. Reſpond. *Ad 1.* miſerabilem & ipſis oculis repugnantem probationem eſſe, Lutheranos non habere novam doctrinam, ſed antiquam Prophetarum & Apoſtolorum. Nihilne novi eſt, Eccleſiam univerſalem per tot ſæcula uſque ad Lutherum erraſſe, Lutherum verò veritatem attigiſſe? Nullum ex omnibus Majoribus veram Religionem tenuiſſe, omnéſque Patres & Theologos hallucinatos fuiſſe: Soli Luthero radios ſolis illuxiſſe? qui proinde Tom. 1. Germ. Jenens. fol. 480. dicere fuit auſus, *neminem ſe ſcire, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apoſtolis, in cæteris verò libris id nequaquam inveniri.* Quis ex San. & antiquis Patribus, penes quos Apoſtolica fuit doctrina, aſſeruit unquam, Juſtificationem fieri per ſolam fidem ſeu Fiduciam? Matrimonium pluris eſſe æſtimandum, quàm Virginitatem? Sacrificium Miſſæ pro idololatriâ habendum? Vota Religioſa Deo facta non eſſe ſervanda? &c. Jactant quidem Sectarij doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum: recedunt autem à viâ, quæ ad illam ducit, nempe à Patribus & Doctoribua faciúntque infelicem ſaltum à proprio ſenſu ad Sac. Scripturam abſque medio, quod teſte Paulo ad Epheſ. 4. v. 11. Chriſtus nobis reliquit, nempe interpretationem SS. Patrum & Doctorum, quorum traditionem ab uno ad aliud ſæculum continuatam ipſi fœnum, ſtipulas, ſtramen proclamant.

XL. *Ad 2.* miſerum hoc quoque eſſe effugium, cùm D. Paulus ad Epheſ. 4. v. 11. expreſsè dicat: Chriſtum dediſſe *quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filij DEI in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*; quod ante finem mundi implebitur. Quare euſque permanere debet nunquam interrupta ſucceſſio Paſtorum & Doctorum, qui non ſolùm in nullis exiſtant erroribus, ſed alios ab iiſdem immunes ſervare queant. Et iſtorum Patrum aperta eſt doctrina, hæreticos non ſolum eſſe extra Eccleſiam, ſed omnem etiam perdere poteſtatem Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Ita Scribit Cyprian. L. 1. Epiſt. 6. *dicimus omnes omninò hæreticos atq; Schiſmaticos, nihil habere poteſtatis ac juris.* Similia habet L. 2. Epiſt. 1. item Optatus contra Parm. Ambr. L. 1. de Pænit. c. 2. Hieron. contra Luciferianos Auguſtinus in Enchir. c. 65. &c. Si igitur Rectores Eccleſiæ & Prædicatores ante Lutherum in magnis tenebris & Idololatria extiterint, fuerunt utique hæretici & infideles. Ergo Eccleſia tunc neque habuiſſet veram Fidem, quæ non conſiſtit abſque Prædicatorum officio, neque ullam legitimam Adminiſtrationem, à qua officia & functiones Miniſtrorum Eccleſiæ dependent. Quomodo ergo non fuiſſet deſtructa?

XLI. *Ad 3.* Diſparitatem eſſe inter Baptiſmum & Cænam. Nam Baptiſmus, licet propriè ad officium Sacerdotis ſpectet, quia tamen adeò neceſſarium eſt Sacramentum ad Beatitudinem, ut in defectu illius obtineri hæc non poſſit, idcircò omnes etiam alij infideles in abſentia Sacerdotis adminiſtrare Baptiſmum poſſunt, cum tamen aliæ functiones Sacerdotales, ac nominatim conſecratio Euchariſtiæ non niſi à conſecrato Sacerdote legitimè peragi poſſit. S. Auguſt. loc. cit. nihil aliud docet, quàm apud Donatiſtas ad Eccleſiam reverſos eundem extitiſſe Baptiſmum atque Ordinationem in Sacerdotibus aut Epiſcopis, quæ prius fuerat, quàm per Schiſma ab Eccleſia ſe ſepararent. *Utrumq; enim Sacramentum eſt*, inquit S. Doctor, *& quâdam conſecratione utrumq; homini datur, illud cum Baptizatur, iſtud cum ordinatur, ideoq; in Eccleſiâ Catholica utrumque non licet iterari.* *Ad 4.* Non falſum, ſed veriſſimum eſſe, Evangelicos Sacerdotes prorſus non deſcendere ab Apoſtolis, neque in doctrinâ, quam tenent Apoſtolis contrariam: neque in ordinatione, quam à nullo conſecrato Epiſcopo habent. *Ad 5.* Exemplum Zachariæ Luc. 1. nobis non adverſari. Nam quamvis Phariſæi & alij, quicunque tunc ſupra Cathedram Moyſis ſederunt, impij homines fuerint, tamen publicè in Templo & Synagoga veram Fidei doctrinam tradiderunt; quomodo aliàs Chriſtus Matth. 23. v. 2. dixiſſet: *omnia quæcunq; dixerint vobis, facite?* Inſuper neceſſariam Succeſſionem retinuerunt in Summo Pontificatu; alioquin Chriſtus ad eos tanquam legitimos ſacerdotes nunquam alios miſiſſet. Demum Zacharias ordinatus eſt à Judaico Miniſterio, non à Secta Phariſæorum; aliud quippe erat apud Judæos Sacerdotium Leviticum, aliud Secta Phariſæorum; modò Zacharias à fermento Phariſæorum immunis extiterit. Joan. 10. Chriſtus non vult in Judaica Eccleſia Rectores nullos fuiſſe verè fideles uſque ad ſuum adventum, ſed notat ſolùm, Judam Galilæum, Theodam ac ſimiles Pſeudoprophetas; quamvis ſimul perſtringat Phariſæos, qui titulum Paſtorum ſibi arrogabant, in Chriſtum tamen credere, vel ab eo mitti nolebant. Videatur Tirinus in citatum locum.

XLII. *Ad 6.* Negando. Tum quia omnes, qui alicujus Religionis Reformationem profitentur, tam quoad Doctrinam, quàm quoad Ordinationem & Poteſtatem ad Miniſterium dependent à ſuo Reformatore primo, qui in propoſito eſt Lutherus. Ergo cum iſte non habuerit poteſtatem inducendi talem Reformationem, nec illi habent. cum Magiſter & Diſcipulus ſint correlativa. Tum quia Sacerdotalis Ordinatio & omnis Eccleſiaſtica Poteſtas ad Miniſterium Eccleſiæ dependentiam ſuam habet non ſolùm ab Ordinante, ſed

Digitized by Google

etiam ab ijs omnibus, à quibus ipſe Ordinans ſuam Ordinationem & poteſtatem accepit. Non poteſt autem in propoſito alius oſtendi quàm Lutherus, per quem iſta Ordinatio & poteſtas ab Apoſtolis in alios Evangelicos Sacerdotes derivatur. Ergo cum Lutherus non fuerit verus Epiſcopus, non accepit poteſtatem Epiſcopalem Ordinandi Sacerdotes & Epiſcopos. Ergo hanc poteſtatem ab Apoſtolis non potuit derivare in alios. Ergo Evangelici Sacerdotes nec ſunt independentes à Luthero, nec veri Sacerdotes, utpote à nullo veram & Apoſtolicam poteſtatem habente ordinati. Non obſtat, Lutherum non fuiſſe Evangelicum Papam. Attamen fuit Evangelicæ Reformationis Auctor, abſque dubio alios Eccleſiæ ſuæ Miniſtros ordinans, quos etiam poſtea in varios locos ablegavit, doctrinâ ſuâ bene inſtructos, ut eandem ulterius propagare poſſent.

XLIII. *Ad 7.* Lutherum in conſcientia ſua defectum vocationis ſuæ probè advertiſſe, ideóque Chriſtum inclamaſſe, ejuſque doctrinam jactaſſe, ut ſic defectum illum celaret. At non attulit ſecum à Deo teſtimonium Sanctitatis, Miraculorum, Prophetici Spiritûs, ſicut Moyſes & alij Prophetæ, quod tamen in hac graviſſima & inaudita Reformatione, qualem nec Moyſes nec ullus Propheta unquam attentavit, jure deſiderabatur; ſiquidem nulli Legato fides habetur, niſi per exhibitum teſtimonium ſui Principis dignum ſe fide probet. Nec credibile apparet, Deum ad talem & tantam reformationem, per quam omnia in Eccleſia ſuſque deque vertuntur, abſque vocatione extraordinaria & evidenti demonſtratione ullum miſiſſe vel adhibuiſſe. Cæterùm ſupra jam diximus, Communitati ſæculari competere poteſtatem Evangelicos prædicatores ordinandi & conſtituendi, negari ab omni venerabili Antiquitate, ut bene DD. à Walenburch T. 1. fol. 972. dicant, *hoc paradoxum eſſe Contingij*, atque huic adſtipulantium. Quamvis enim populus ad Electionem Epiſcoporum & Miniſtrorum Eccleſiæ antiquitus fuerit admiſſus, nunquam tamen habuit poteſtatem ordinandi & juriſdictionem Spiritualem conferendi. Eſt autem hæc ordinatio & juriſdictio non minùs, imò plus neceſſaria ad legitimam vocationem Sacerdotum, quàm ipſa electio. 1. Petri 2. v. 9. non eſt ſermo de propriè dictis Sacerdotibus, ad quos etiam Lutherus ſingularem vocationem requirit; quamvis hodie Prædicantes apertè doceant, fæminas æque, ac viros Sacerdotes eſſe ex illo dicto Apoc. 5. v. 10. *feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes & regnabimus ſuper terram*, ſed hanc opinionem D. Auguſtinus meritò turpiſſimam cenſet, & Pepuzitos hæreticorum Regiſtro inſcribere vult, quod Sacerdotio mulieres quoque honoraverint.

XLIV. *Ad 8.* hoc prorſus impertinens eſſe. Nam Lutherus non eſt ordinatus in Sacerdotem ab ipſo Papa, ſed ab aliquo particulari Epiſcopo. Quare nullum omnino Sacerdotium habuit, ſi iſtud non habuit à Papâ, qua tali, à quo omnes particulares Epiſcopi dependent ac proveniunt. Vim & valorem Sacerdotij etiam nos principaliter Chriſto adſcribimus, non Papæ, aut Epiſcopo; ut proinde Lutherus in ſua Reformatione aut rectiùs Deformatione non ſolùm contra Papam & Epiſcopum, ſed etiam principaliter contra Chriſtum, cujus Miniſtri Papa & Epiſcopi ſunt, acceptâ poteſtate abuſus fuerit.

XLV. Hactenus de Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ. Et quæ diximus nominatim ſub expreſſo nomine Lutheri, ea ſuo modo de Calvino, de Zwinglio, & ſimilibus Sectarum Ducibus intellecta volumus, ut ſtatim ab initio monuimus; etenim quoad hoc eadem ferè omnium eſt ratio. Finio nunc elegantibus verbis S. Cypriani Epiſt. 27. ad lapſos, ubi paucis indicat ab Epiſcopis omnes legitimè ordinatos ſuam trahere poteſtatem, omnes Eccleſiæ actus per Epiſcopos dirigi debere, Epiſcopis omnes ſæculares quoad juriſdictionem Spiritualem ſubeſſe &c. Ita ſcribit: *Per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſia ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur.* Cum ergo Navatores Evangelici Lutherani, Calviniſtæ, &c. non habeant per legitimam Succeſſionem Epiſcopos, non habent etiam legitimè vocatos Miniſtros, non Sacerdotes, non Eccleſiam veram Chriſti, ut ex dictis abunde liquet. Et DEUM Immortalem qualis & quantus eſt iſte defectus! & qualis ac quanta miſeria Lutheranorum, ac Calviniſtarum *& verâ Fide atque Eccleſiâ, & veris Epiſcopis ac Sacerdotibus* carere!

CONTROVERS. XXXVIII.

DE COELIBATU SACERDOTUM.

CLericis legitimè vocatis & in Majoribus Ordinibus conſtitutis, ut miniſterio ſuo ſublimi dignè ſanctéque fungantur, incumbit Cœlibatus, vi cujus à Matrimonij uſu ac carnalibus voluptatibus abſtinere ſe debent. Nec is recèns eſt hodiernæ Eccleſiæ commentum, ſed antiquum à tempore Apoſtolorum ſtatûs Eccleſiaſtici & pulcherrimum ornamentum, quo prælucere debent, qui in peculiarem Domini ſortem & ſelectum Chriſti gregem ſunt vocati juxta ea, quæ ad initium prioris Controverſiæ diximus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Omnes Clerici Majoribus Ordinibus initiati, hoc eſt, Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi obligantur ad perpetuam continentiam non ſolùm à luxuria alioquin prohibita, ſed etiam à Matrimonio cæterùm licito, ita ut poſt ſuſceptos Ordines nullam uxorem ducere valeant, & ſi quam antea duxerint, ejus uſu abſtinere debeant. Ita ſemper in Eccleſiâ Catholica à temporibus Apoſtolorum fuit obſervatum huc uſque. Nam Canon 27. Apoſtolorum ſic habet: *ex ijs, qui Cælibes facti ſunt clerici, jubemus, ut Solis Lectoribus & Cantoribus liceat, ſi voluerint, uxores ducere.* Idem teſtatur Concilium Carthagin. 2. Can. 2. ubi de Cœlibatu ſtatuit: *omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ Cuſtodes ſe etiam ab uxoribus abſtineant.*

Et ratio

Digitized by Google

Et ratio ſtatim ſubjungitur: *ut, quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, Nos quoq; cuſtodiamus*, quod poſtea plura alia conſilia confirmârunt. ut refert Bellarm. L. 1. de Clericis c. 19. & inter illa Wormacenſe in Germaniâ, cujus Canon. 9. ſic decernit: *placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi abſtineant ſe à conjugibus, & non generent filios.* Idem tradunt Patres apud eundem Bellarm. loco cit. relati, è quibus D. Hieron. L. in Vigilantium circa initium: *quid facient*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Item Epiſtola 50. ad Pammachium adverſus Jovinian. Scribit: *Chriſtus Virgo: Virgo Maria utriuſq; ſexûs virginitatem dedicavêre: Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium æternùm pudici.* S. Auguſt. L. 2. de adulterinis conjugijs c. 20. *Solemus*, ait, *eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumq; ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamq; ſuſceptam uſq; ad debitum finem Domino cooperante conducunt.*

II. Confirmatur. Ex Apoſtolo 1. ad Timoth. c. 5. habemus, viduas, quæ ex Eccleſiæ ſubſtantia alebantur, receptas non fuiſſe, niſi continentiam Deo promiſiſſent, ut ad cit. locum D. Pauli oſtendit Cornelius à Lapide, & hoc verum continentiæ votum in iſtis viduis contra Lutherum & Calvinum eorumq; ſiniſtras interpretationes ſacri textûs ſolide defendit authoritate S. Auguſtini aliorúmque PP. nixus. Quantò magis credibile, Altaris Miniſtros, videlicet Sacerdotes ac Levitas, nec receptos, nec ordinatos fuiſſe, niſi promiſsâ continentiâ, quia hanc planè requirit eorum Officium. Nam imprimis Clericorum eſt, Sacra myſteria tractare, orationi, meditationi, & ſtudijs jugiter vacare, eleemoſinas facere, populum regere, & ad perfectionem Chriſtianam hortari; ad quæ munia ritè peragenda neceſſaria eſt ingens munditia, animi tranquillitas, auctoritas, exemplum vitæ; Uſus verò conjugij, etſi abſque peccato fieret, tamen ſaltem materialem quandam immunditiem adjunctam habet, perinde ac ſi ſordidis manibus accederes. Quapropter Deus in veteri Teſtamento ad ſuum colloquium non admiſit, niſi prius abſtinentes à conjugio. Exod. 3. v. 15. *ne appropinquetis uxoribus veſtris &c.* ſcilicet ſi mecū loqui velitis, adeo Dominus abhorret ab omni etiã materiali carnalitate. Et 1. Regum 21. ſummus Sacerdos noluit concedere Sacros panes propoſitionis ſervis Davidis, niſi priùs uxoribus abſtinuiſſent; quantò majorem munditiam requirit Sacra Euchariſtia. Deinde cura domûs & liberorum variè animum diſtrahunt, ut non poſſit commodè vacare ſtudijs & orationibus. 1. ad Corinth. 7. v. 33. *qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi.* Ad hæc conjugati dum omnia in liberos congerunt, reditus Eccleſiaſticos nimis diſtrahunt, ac ſenſim eos imminuunt; nec ex ijſdem hoſpitales, ut clericos decet, eſſe queunt, dum non ſibi in Cœlo, ſed proli in terra copioſè theſaurizant. Non inferas cum Ameſio Tom. 2. fol. 121. Ergo omnibus Chriſtianis perpetuò abſtinendum à nuptijs, quia omnibus dicitur ad Theſſal. 1. c. 5. v. 17. *indeſinenter orate &c.* Diſparitas grandis eſt; Sacri homines ex proprio munere obligantur ſtrictè ad continuas orationes: Laicis ſuadetur, ut ſint frequentes, nullo ſtricto præcepto tenentur. Non etiam illis præcipitur, ſicuti Parentibus, *ut Theſaurizent filijs ſuis* 2. ad Corinth. 12. v. 14. unde tantæ Eleemoſinæ ab his exigi non poſſunt, ſicuti ab illis. Porro conjugatis multum auctoritatis decederet, ſi communem cum Laicis vitam ducerent, ut compertum eſt tempore Gregorij VII. cum Clerici Germani ſpretâ lege Cœlibatûs uxores duxiſſent, tanta eſt ſecuta eorum contemptio, ut Laici ab illis Sacramenta nollent percipere, ſed ſibimetipſis miniſtrare, ut refert Joan. Nauclerus. Lutherus ipſe tomo colloq. menſal. Anno 1571. Francoforti impreſſo fol. 95. conqueritur, *ſuos Prædicantes propter conjugium omnem auctoritatem apud populum perdidiſſe.* Demum clerici alios ad conſilium Caſtitatis amplectendum incitare non poſſunt, ſi ipſimet uxorum commercio uterentur, cum maxima vis ad perſuadendum ſit bonum exemplum. Poſſidonius in vita S. Auguſt. ſic de hoc Scribit c. 26. *Fæminarum intra domum ejus nulla unquam converſata eſt, nulla manſit nec quidem germana ſoror, quæ vidua Deo ſerviens multo tempore uſq; in diem obitûs ſui præpoſita ancillarum Dei vixit, ſed neque Patrui ſui filiæ & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſerviebant, quas perſonas SS. Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt.* Et cur hoc? Cur S. Præſul adeo à domo ſua remotas voluit fæminas etiam non ſuſpectas? Profectò non aliâ de causâ, quàm ut hoc ſuo exemplo Caſtitatem vitæque puritatem magis efficaciùſque ſuaderet.

III. *Doctrina ſecunda.* Cœlibatus jure tantùm Eccleſiaſtico annexus eſt Sacris Ordinibus. Ita Cardinalis Bellarm. de Clericis c. 28. poſt S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 11. & pleróſque cæteros Theologos. Probatur. Tum quia ex Concilio Ancyrano can. 10. approbato à Leone II. Diſt. 2. can. de Clericis, conſtat potuiſſe etiam poſt ordinationem Diaconos olim ducere uxores, ſi haberent facultatem ab Epiſcopis. Tum quia D. Gregorius L. 1. Regiſt. Epiſt. 42. conceſſit Subdiaconis Siciliæ, ut poſſent uti uxoribus ante ordinationem ductis, licet impoſterum prohibuerit, tales ordinari, niſi unâ cum uxoribus continentiam voverent. Tum quia à Trid. Seſſ. 24. can. 9. & SS. Patribus paſſim hæc lex ac decretum vocatur Eccleſiaſticum, Tum quia neque tale præceptum Chriſti extat: neque rationes illæ, quæ convenientiam hujus legis oſtendunt, convincunt, eam continentiam in Sacris Miniſtris eſſe abſolutè neceſſariam. Utrum autem lex iſta Eccleſiaſtica immediatè adſtringat ad ſervandam continentiam: vel ſolùm mediante voto, non convenit inter Authores. Nam omnia jura, quæ referuntur ex Diſt. 28. Et de Clericis conjungatis: item Concilia voti mentionem faciunt, non alicujus obligationis ex lege. S. Greg. cit. diſt. 28. c. 1. ait: *nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit.* Et c. 3. eâdem Diſt. Concilium Tolet. V. dicit: *quando Presbyteri & Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem facere ſuo Epiſcopo, ut caſtè & purè vivant.* Diſt. 32. c. 8. Concilium Carthaginenſe IV. inquit: *Lectores cum ad annos pubertatis veniunt, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Concilium Arelat. II. can. 2. dicit: *aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo Conjugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.* Neque tamen neceſſum eſt, ut expreſſis verbis votum nuncupetur, cum voluntaria ſuſceptio ordinis, cui ſcitur annexum voti præceptum, cenſeatur implicitum votum. Hinc aliqui Theologi

logi affirmant, Solo voto obligari omnes ad ſervandam caſtitatem, qui Sacros ordines ſuſceperunt. Si igitur ordinandus expreſsè nollet vovere Caſtitatem, dicunt iſti, ſi neſcivit votum, non teneri illum ad Caſtitatem: Si verò ſcivit, & ex malitia vovere noluit, nihilominus teneri ipſum ad ſervandam Caſtitatem non quidem ex voto, quod non edidit, ſed ex Religione, ne videatur votum contemnere, ſicuti juramentum edens ſine animo jurandi nihilominus tenetur ſervare ad tuendum honorem juramenti, ne appareat illud contemnere. Ita Vaſq. 3. P. d. 247. c. 7. Verùm cum prædicti planè obligati ſint ſpecialiter ad Caſtitatem, ac Matrimonio contrahendo inhabiles exiſtant. Alij malunt aſſerere, non ſolùm ex voto, ſed etiam ex lege oriri obligationem, ita ut ex utroque capite immediatè ſint adſtricti ad caſtitatem ſervandam. Ita Coninch. de Ord. D. 10. dub. 13. n. 130. Palao Diſput. unica, de Ord. punct. 17. n. 5. & alij DD. quorum opinio valde probabilis mihi videtur. Nam ultra obligationem voti omnes Eccleſiaſticâ lege teneri ad continentiam conſtat, tum ex varijs capitulis Juris Can. Tum ex conſuetudine recepta, quâ omnes Sacris initiati, ſi conjugati ſint, ab uxoribus ſeparantur. Videantur cit. AA. quia deciſio hujus dubij ad Controverſiſtas non adeo ſpectat. Hoc ſolùm adjecerim, prædictum votum caſtitatis ſemper quidem impeduiſſe Matrimonium, ne licitè contraheretur: non tamen ſemper diremiſſe, ut invalidum foret, donec acceſſit nova lex Eccleſiæ diremptiva ante Annos circiter quadringentos tempore Calixti II. ut notat Vaſquez D. 249. c. 4.

IV. *Doctrina tertia.* Qui ante Ordines Sacros uxorem duxerunt, aut etiam prolem ex ea ſuſceperunt, non excluduntur à Sacris Ordinibus. Ita communiter Catholici, qui tamen has conditiones intervenire volunt. 1. ut uxor illa ante Matrimonium virgo fuerit. 2. ut liberè conſentiat in mutationem ſtatûs mariti ſui. 3. ut ejus thoro & cohabitatione deinceps abſtineat. 4. ut ipſa Religionem ingrediatur, aut ſi admodum adulta ſit, votum continentiæ nuncupet. Si quis autem invitâ conjuge Sacros ordines ſuſciperet, deberet illi debitum reddere, ſed non poſſet exigere, ut Theologi morales pluribus docent. Bigamos etiam ad Sacros ordines non eſſe habiles, docet S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 2. *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem unius uxoris virum.* Ubi loqui eum de bigamo, ſeu tali, qui nunquam inijt ne ſucceſſivè quidem duas nuptias, patet tum ex ſimili phraſi c. 5. ejuſdem Epiſt. v. 9. ubi de viduis loquens ait: *vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*, hoc eſt, non plurium ſucceſſivè, quia nunqnam moris fuit, ut una mulier plures ſimul haberet maritos, tum ex more illius temporis, quo Paulus hoc ſcripſit, quia tunc tam apud Judæos, quàm apud Gentiles & multo magis Chriſtianos unus vir non habebat ſimul duas uxores. tum ex authoritate Patrum, qui ſemper hunc locum ita intellexerunt, ut non liceret eum Epiſcopum vel Diaconum creare, qui duas uxores etiam diverſis temporibus habuerit; teſtimonia horum fusè adducit Bellarm. L. 1. de Clericis c. 23. Ratio eſt poteſt: tum quia ſic minor eſt ſuſpicio incontinentiæ apud Epiſcopos. tum quia perfectiùs ſignificatur conjugium Chriſti cum Eccleſia unius ſcilicet cum una. Videatur citatus Author.

V. *Doctrina quarta.* Quemadmodùm aliæ leges humanæ pro temporum & locorum varietate ſunt mutabiles, ita etiam lex iſta Eccleſiaſtica non ubique nec eodem modo fuit obſervata uti paſſim notant Catholici D. D. Nam in Eccleſia Orientali tametſi quidem Epiſcopi etiamnum ab omni matrimonio tam contracto, quàm contrahendo abſtineant, Sacerdotes tamen contracto antea matrimonio utuntnr quidem, ſed à contrahendo abſtinent; neque id Eccleſia Latina damnat, uti patet ex c. olim de clericis conjugatis, & decreto Papæ Stephani III. in Concilio Lateran. refertúrque can. aliter. diſt. 31. ubi dicitur: *aliter ſe habet Eccleſiarum orientalium traditio: aliter hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*; Nam illorum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur (hoc eſt, copulati exiſtunt, ejuſque uſu fruuntur) iſtius autem Eccleſiæ ſive Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi. Sed nec in Latina Eccleſia ſemper & ubique, quantum ad omnia, eadem fuit continentiæ Clericorum ratio, ut conſtat ex Conc. Ancyrano, & D. Greg. ſupra cit. Videri poteſt Tanner de Sacram. Ordinis. q. 4. dub. 2. uria finem.

VI. *Doctrina quinta.* Majus & gratius DEO bonum eſt ſtatus cœlibatûs, quàm matrimonij. Ità Catholici. Probatur 1. ex Sac. Script. Iſaiæ 56. v. 5. dicit Dominus: *dabo eis* (Eunuchis) *in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Eunuchos ex PP. interpretatione intellige ſpirituales cœlibes & virgines, de quibus etiam locutus eſt Dominus Matth. 19. v. 12. *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum* q. d. excelſa hæc eſt virtus, quam non omnes capiunt. Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. varijs rationibus concludit, *melius eſſe homini ſic eſſe*, ſcilicet cœlibem & caſtam vitam ducere. Apoc. 14. vidit Joannes in Spiritu ſupra montem Sion centum quadraginta quatuor millia, de quibus ait v. 4. *hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum, quocunq; ierit, hi empti ſunt primitiæ Deo & Agno &c.* Probatur 2. ex Patribus, quos fusè adducunt P. Keller in Papatu Cath. Tom. 1. à fol. 671. & alij. Sufficiant hic unus & alter: D. Hieron. ad Pammach. in Apolog. pro Lib. adversûs Jovinianum: ita inquit: *nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptijs naſcitur, præferamus.* Et infra. *Tantum intereſt inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare & benefacere; imò ut veriùs dicam, quantum inter bonum & melius.* Chryſoſt. Serm. de virginit. c. 11. ſcribit. *Bonum eſt connubium. Eſt verò ob eam cauſam virginitas admirabilis, quæ ex eo, quod bonum eſt, melior exurgit, tantóque melior, quantò remigibus gubernator, quanto eſt militibus dux præſtantior.* Et pauló poſt. *Virginitas eſt bonum, id ego quoque fateor; Atqui nuptijs etiam melior, & iſtud tibi aſſentior, ac ſi libet illud adjungam, tantò nuptijs eam præſtare, quanto Cœlum terræ, quantò hominibus Angeli antecellunt, ac ſi quid aliud audendum eſt, etiam magis.* Aug. de bono conjug. c. 23. *nullo modo*, ait, *dubitandum eſt, meliorem eſſe caſtitatem continentiæ quàm caſtitatem nuptialem, cum tamen utrumque ſit bonum.* Probatur 3. Ratione Tum quia virtus virginitatis aut cœlibis continentiæ totum hominem condecorat, illuſtrat, & Deo conſecrat. Tum quia parit heroica opera pietatis aliarúmque virtutum. Tum quia exemplo ſuo ſancto plures ad Chriſti

obſe-

obſequium trahit. Tum quia ſuis opibus, ſervitio, & induſtriâ, quæ conjugati ſuæ familiæ impendunt, virgines ac cœlibes venantur animas alioquin perituras: & ſic carnalem ſterilitatem ſpirituali fœcunditate longè feliciùs compenſant. Inſinuant has & alias rationes SS. Patres apud Tirinum in locum Iſaiæ cit. adducti.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VII. Errores geminos hic habent Hæretici. *Primus eſt*, Legem Cœlibatûs, quâ Miniſtri Eccleſiæ in Majoribus conſtituti uxores ducere prohibentur, eſſe iniquam, ac prodigioſarum libidinum matrem. *Secundus eſt*, ſtatum Cœlibatûs, Viduitatis, & Virginitatis neque nobiliorem eſſe, neque gratiorē Deo, quàm Conjugij. Incredibile dictu eſt, quanto impetu Prædicantes in prædictam legem Sacerdotibus latam arietent, quaſi Veneris Sacrificuli: & quanto furore ſtatum cœlibatûs, virginitatis, & viduitatis deteſtentur, Magiſtros ſuos Calvinum & Lutherum ſecuti. Nam quamvis Chriſtus Matth. 19. v. 10. 11. 12. apertiſſimè docuerit, *voluntariâ continentiæ profeſſione ſe adſtringere, opus eſſe regni cœleſtis meritorium*, uti cum alijs PP. S. Hieronymus exponit; Calvinus tamen in harmonia contendit, Chriſti mentem eſſe penitus contrariam, ſcilicet *voluiſſe, diſſuadere cœlibatum*; quem reputare virtutem, cenſet eſſe *ſtultam imaginationem*: Apoſtolos autem reſpondentes Chriſto, *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit &c.* arguit impiè *ingratitudinis*: St. Hieronymum quod virginitatem matrimonio antepoſuerit, ait, *nimis luculentum perverſi ingenij ſpecimen edidiſſe*. Denique cœlibatum & præſertim legem hujus reſpectu ſacerdotum vocat *faſcinum Satanæ, foveam & laqueum exitiorum*. Similia paſſim habet Luth. L. contra Ambros. Catharinum ajens: *decima facies Antichriſti eſt inſignis ille cœlibatus, & caſtitatu monaſticæ multitudo; planè angelica facies, ſed res diabolica.* L. de vita conjugali Scribit: *creſcite &, multiplicamini, non eſt præceptum, ſed plus, quàm præceptum; quod nos non poſſumus impedire vel prætermittere, & perinde neceſſarium, ac edere, & bibere, & ventrem purgare, expuere, dormire &c. Sicut in meâ poteſtate non eſt, quominus ſim mas, ita minimè ſitum eſt in me, quominus ſim ſine muliere.* Demum, ut plurima omittam; in L. de votis monaſt. inter alia dicit: *Chriſtum nunquam conſuluiſſe virginitatem, ſed ab ea potius deterruiſſe*: & Apoſtolum, cum dixit *de virginitate præceptum Domini non habeo, conſilium autem do &c.* voluiſſe dicere, *non conſulo, ſed abſterreo &c.* Argumenta Sectarij promiſcuè pro utroque errore accumulant plurima, uti videre eſt apud Ameſ. Tom. 2. à fol. 119. Gerhard. L. 2. Parte 2. à fol 42. Petrum Molinæum in Neopapatu à fol. 633. Menonem Hanneken in ſuo Irenico à fol. 173. & alios. Itaque

VIII. Probant *primò*. ex Sac. Scriptura quæ varijs in locis matrimonium præcipit, aut ſaltem conſulit, ac contrariam opinionem damnat. 1. locus habetur Geneſ. 1. v. 28. *Creſcite & multiplicamini.* 2. Ibidem c. 2. v. 18. *Non eſt bonum, eſſe hominem ſolum.* 3. 1. ad Corinth. 7. v. 2. *Propter fornicationem unuſquiſque habeat ſuam uxorem.* 4. Ibidem v. 9. *Melius eſt nubere quàm uri.* 5. 1. ad Timoth. 3. v. 2. *oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum.* 6. Ibidem. *Diaconi ſint unius uxoris viri.* 7. Ad Hebr. 13. v. 7. *Honorabile connubium in omnibus* 8. Daniel. 11. v. 36. ubi inter notas Antichriſti ponitur matrimonij prohibitio juxta textum hebraicum: *concupiſcentiam mulierum non intelliget.* 9. 1. Timoth. 4. v. 3. ubi Apoſtolus vocat *doctrinam dæmoniorum prohibentium nubere.* 10. 1. ad Corinth. 9. v. 5. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem Sororem circumducendi, ſicuti & cæteri Apoſtoli & fratres Domini & Zephas?* ubi *græcum verbum* ἀδελφὴν *vertunt ſororem uxorem.* 11. Ad Philipp. 4. v. 3. *Rogo & te Germane compar*; ubi Zwinglius, Eraſmus & alij in fæminino convertunt Germana conjunx quaſi Paulus uxorem ſuam compellaret. 12. Denique & ultimus locus ſumitur ex naturali inſtinctu & deſiderio mulierum à DEO hominibus impreſſo, cui quis reſiſtere jubeat, aut quis libertatem conjugij à Deo conceſſam hominibus eripere valeat?

IX. Probant *ſecundò*. Teſtimonijs ex Concilijs, Patribus, & antiquis Canonibus, ne ſcilicet videantur Adverſarij rem affectare novam; ſed pro antiqua & in vetuſtis canonibus ſtabilita ſe pugnare. *Primum eſt*. canon 6. Apoſt. qui ita ſe habet: *Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem ſuam prætextu Religionis non abjicito. Secundum.* canon 13. Synodi 6. in Trullo, ubi permiſſo uſu matrimonij Sacerdotibus extra tempus miniſterij damnatur apertè conſuetudo Romanæ Eccleſiæ de voto continentiæ in ordinatione, & urgetur contra illam canon. 6. Apoſt. cit. *Tertium.* Iſidorus in can. 3. diſt. 23. de Clericis, ubi ait: *Caſtimoniam non violati corporis perpetuò obſervare ſtudeant, aut certè unius matrimonij vinculo fæderentur. Quartum.* canon. 13. diſt. 28. ubi ſub finem Gratianus ait: *ſive Presbyter, ſive Diaconus, ſive Subdiaconus fuerit, apparet quòd præfatis ordinibus conſtituti licitè matrimonio uti poſſint. Quintum* teſtimonium canon aliter Diſt. 31. ubi Stephanus Papa dicit: *In Orientali Eccleſia Presbyteros diaconos & Subdiaconos Matrimonio copulari: In Occidentali autem non habere licentiam ſortiendi conjugium. Sextum.* canon. cum igitur. ex S. Auguſt. diſt. 35. q. 1. ubi dicitur: *Eccleſiam poſt Apoſtolica inſtituta quadam conſilio perfectionis addidiſſe, ut de continentia Clericorum Septimum.* D. Leo Epiſtolâ 85. aliàs 87. ſcribit: *dicente Apoſtolo, ut is Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtaret, tam ſevera ſemper eſt habita præceptio, ut jam de muliere Sacerdotali eligenda eadem intelligatur ſervanda conditio, ne alterius viri eſſet experta conjugium. Octavum.* canon 4. in Concilio Gangrenſi, qui ſic habet: *quicunq; diſcernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante oblationem accipere, anathema ſit. Nonum* denique *teſtimonium eſt* canon 12. diſt. 31. ex Concilio Nicæno deſumptus, ubi cum Patres congregati vellent legem Cœlibatûs Sacerdotibus præſcribere, S. Paphnutius Epiſcopus Ægypti virtute & miraculis clarus multaque per fide paſſus ſe ſe interpoſuit, & illam legem impedivit, ſicuti teſtatur Hiſtoria tripartita Caſſiodori, Socrat. L. 1. hiſt. c. 8. & Sozomen. L. 1. c. 22.

X. Probant *tertiò* ex Incommodis, quæ in Auguſtana Confeſſione art. 23. plura referuntur. Sed ferè in unum idemque recidunt, difficultatem ſcilicet hujus legis obſervandæ. Ut igitur illius verbis loquar. 1. inquit: quærela fuit de malis exemplis Sacerdotum, qui ſe ſe non continebant. 2. quam ob cauſam & Pius Papa dixiſſe fertur,

fuiſſe aliquas cauſas, cur ſit ademptum Sacerdotibus conjugium, ſed multò majores eſſe cauſas, cur reddi debeat. ſic ſcribit Platina. 3. non omnes capiunt verbum hoc. Ergo non omnes ad cœlibatum idonei ſunt. 4. conſtat etiam in Eccleſia veteri, Sacerdotes fuiſſe maritos: & in Germania primùm ante annos 400. Sacerdotes vi coacti ſunt. 5. Seneſcente mundo & naturâ humanâ in præceps labente, plura ſerpent in Germania vitia, niſi diſpenſetur. 6. videntur Eccleſiæ defuturi Paſtores, niſi diſciplina laxetur. 7. Multi boni ac pij viri infeliciter luctati cum imbecillitate naturæ ſuæ, & ad extremum in horribilem deſperationem inciderunt. Quò ſpectat autem hæc nova crudelitas, niſi ut infinita illa ſcelera in Eccleſia confirmentur, & ut improbi peccent impunitiùs? 8. Res loquitur ipſa, quantùm turpitudinis ac vitiorum pariat pontificia lex pro cœlibatu: nec ullâ humanâ voce poteſt dici, quantùm ſcelerum ex hoc fonte in Eccleſiam exundaverit. Confirmatur hoc ex epiſt. quadam S. Udalrici Epiſcopi ad Nicolaum Papam, in qua refert, ex lege cœlibatûs Sacerdotalis tempore Gregorij Magni tot non ſolùm fornicationes & adulteria, ſed etiam infantium cædes ſecutas, ut piſcatores ex unica piſcina unico tractu 6000. infantilium capitum ibi ſubmerſorum extraxerint.

XI. Duplex iſte Error non eſt novus, ſed jam olim à Vigilantio & Joviniano mundo illatus, & ab Eccleſia damnatus fuit: De priore ait S. Hieronymus: *proh nefas! Epiſcopos ſui ſceleris dicit habere conſortes; ſi tamen Epiſcopi nominandi ſint, qui non ordinant diaconos, niſi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam*: De poſteriore ſcribit Auguſtinus, *audito ejus dogmate, quaſdam virgines DEO conſecratas profectæ jam ætatis in urbe Româ nupſiſſe* Et certè vel ex hoc ſolo capite ſectæ iſtæ Lutheri & Calvini meritò diſpliceant cuilibet prudenti; quod non niſi damnatos jam olim errores ex orco reſuſcitent. Et quæ gloria Neo-evangelico præconi naſci ex eo poteſt, quod nonniſi Vigilantij & Joviniani gemini Chriſtianorum Epicuri ſpurcam doctrinam ſapiat? Argumenta, ut carnis oblectamenta, pro quibus excogitata fuêre, vilia ac volubilia ſunt.

XII. Reſpond. *Primò. Ad argumenta ex diverſis Sac. Scripturæ locis petita*, jam olim Tertullianum. de præſcript. cap. 15. rectè ſcripſiſſe de hæreticis: *Scripturas obtendunt, & hâc ſuâ audaciâ ſtatim quoſdam movent*; quod in præſenti luculenter apparet. Ne autem ullus hâc illorum audaciâ moveatur, ſingulis Scripturæ argumentis ordine occurremus. Ad 1. igitur locum Geneſ. 1. dicimus, nullũ hîc eſſe præceptũ, ſed tantùm benedictionem, & promiſſionem fœcunditatis, ſi conjugio uti vellent. Confirmatur. Eadem verba dixerat Deus piſcibus & avibus verſ. 22. *creſcite & multiplicamini*, quæ tamen non ſunt capaces præcepti. Hâc ergo benedictione virtutem illis indidit prolificandi & ſimiles ſibi procreandi. Si etiam daremus, eſſe præceptum, illud dirigeretur ad hominum genus in communi, non ad ſingulos in particulari, ideóque ſingulos non obligaret in particulari; cum multi etiam apud Adverſarios, qui uxores ducere nolint, reperiantur. Videri poſſunt Corn. à Lapide Tirin. in cit. loc. Script.

XIII. Ad 2. illud pronunciatum Dei Geneſ. 2. *non eſt bonum eſſe hominem ſolum*, eò tantùm tendere, ut per hoc ſignificaretur, ad multiplicationem generis humani tunc temporis verè neceſſariam fuiſſe conſortem; quæ neceſſitas, cum non urgeat hoc tempore, quo Apoſtolus affirmat, *bonum eſſe homini, mulierem non tangere*, contrà cœlibatum Sacerdotum nihil facit; aliàs enim illa *centum quadraginta quatuor millia quæ ſequuntur agnum, quocunq; ierit, quia virgines ſunt* Apoc. 14. cit non fuiſſent homines. Et plurimi Acatholici, qui adhuc cælibes viunt, homines non eſſent.

XIV. Ad 3. Apoſtolum cit. loco ad Corinth. ex communi Patrum allocutum fuiſſe Laicos conjugatos, hortans illos, ne temere continentiam voveant, ſed ſuas uxores retineant ad vitandum periculum incontinentiæ: cœlibes verò eundem expreſsè dehortari à matrimonio v. 27. *ſolutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Ergo non agnovit præceptum Matrimonij. Atque ita ruit Achilles, Lutheri, Melanchthonis, Buzeri, Ameſij, Gerhardi, Hannekenij & aliorum hæreticorum. qui ex voce diſtributiva: *unuſquiſque* volunt etiam Sacerdotes & Monachos omnes debere uxores ducere. videatur Tirin. in cit. loc.

XV. Ad 4. Quando Apoſtol. 1. ad Corinth. 7. cit dixit: *melius eſſe nubere, quàm uri*, ly *uri* non eſſe idem quod tantùm calere, aut tentari ardore libidinis (ſic enim etiam D. Paulus urebatur, nec tamen propterea nupſit) ſed eſt idem, quod ardere libidine, vel calore libidinis flagrare, atque ab eo vinci ſuccumbendo, vel lædi conſentiendo. Ita Apoſtolum communiter intelligunt Interpretes & SS. Patres, è quibus author Comment. in Epiſt. S. Pauli apud Ambroſ. (quem Adverſarij ipſum Ambroſium arbitrantur) in caput 7. 1. ad Corinth. ita ſcribit: *uri eſt deſiderijs agi & vinci; cum enim voluntas calori carnis conſentit, uritur; nam deſideria pati & non vinci, illuſtris viri eſt & perfecti.* Adhæc Apoſtolus non agit hîc de hominibus voto abſtrictis, ſed ſolutis & liberis.

XVI. Ad 5. & 6. Apoſtolum vel hîc docere Epiſcopum (eadem ſuo modo eſt ratio de Diacono &c.) debere tantùm unicam habere uxorem de præſenti, vel in præterito debuiſſe habere tantùm unicam; utrumvis autem dixerint Adverſarij, nihil contrà nos efficiunt; Nam ſi primum affirment, fatemur primis Apoſtolorum temporibus viros conjugatos ſæpe in Epiſcopos juſtiſſimis de cauſis fuiſſe aſſumptos, ita tamen ut ab uxoribus mutuo conſenſu abſtinerent, quod etiam nunc poſſet fieri, ſi par foret neceſſitas. Verùm de talibus D. Paulum non agere, certum videtur; neque enim diceret, Epiſcopum debere eſſe virum unius uxoris, ſi hâc uti nunquam liceret. De ſecundo igitur ſermo eſt, & vult Apoſtolus, nullum poſſe aſſumi in Epiſcopum, qui plures olim quàm unam habuerit uxorem, quo ſenſu hunc locum D. Pauli univerſa Eccleſia ſemper intellexit, quæ idcirco nullum Epiſcopum poligamum, ſine ſingulari diſpenſatione ordinavit; hæc tamen lex Epiſcopalis de una uxore habenda, non cenſetur à D. Paulo poſitiva, ſed tantùm negativa, adeo ut non fuerit præceptum, habere unam uxorem; ſed vetitum tantùm ſit, habere aut ſucceſſivè habuiſſe plures. Confirmatur hæc reſponſio ex eodem Apoſt. 1. ad Timoth. 5. v. 4. ſupra cit. ubi excludit ab officio divino viduam, quæ fuerit plurium virorum uxor.

XVIII. Ad 7. ly in omnibus, ut pro Adverſarijs aliquid evincat, debere referri ad perſonas; quod fieri non poteſt. Nam ſequeretur, quod fo-

ret ho-

ret honorabile conjugium inter conſanguineos etiam ſecundi gradûs; quippe ſi conjugium in omnibus omnino perſonis eſt honorabile, etiam erit inter quoſcunque conſanguineos. Cum ergo ad perſonas referri nequeat, debet ſignificare idem, quod ex omni parte, quaſi dicat Apoſtolus: conjugium eſt honorabile, ſive rationem Sacramenti, ſive bonam fidem, ſive prolem ſpectes: aut quod in rebus cunctis eò ſpectantibus, hoc eſt, in omni re conjugali ſervetur honeſtas & decentia, nec thorus maritalis ullâ maculâ contaminetur, ut volunt Chryſoſt. Theophilact. & alij.

XIX. Ad 8. textum hebraicum Danielis videri corruptum; Nam Latinus aliter ſonat, *& erit in concupiſcentijs fœminarum.* Si autem admittatur textus hebraicus, hunc habebit ſenſum, non intelliget concupiſcentiam mulierum, hoc eſt, crudeliter aget cum mulieribus, depoſito omni amore.

XX. Ad 9. Quando Apoſtolus prohibitionem Connubij vocat *doctrinam dæmoniorum*, non loqui eum de qualibet prohibitione nuptiarum, ſed de prohibitione Matrimonij tanquam per ſe mali, non tantùm ex obſtaculo voti; prius illud olim ſenſerunt Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Martionitæ, Manichæi, & Encratitæ, à quorum doctrina proul abſunt Catholici; à quibus connubia honorantur, ineuntur; & matrimonium inter Sacramenta novæ legis numeratur. Quando igitur Adverſarij prohibitionem matrimonij affingunt Catholicis, perinde faciunt, ac ſi dicerem: Senatus vetat Carnifici, ut non exerceat artem Medicam. Ergo Senatus vetat artem Medicam; cujus ſequelæ abſurditatem nemo eſt, qui non palpet; quippe non valet argumentatio à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter.

XXI. Ad 10. græcam vocem γυναῖκα tam mulierem ſignificare, quàm uxorem; utrumvis legas, nullum erit contra nos. Si enim dixeris, *mulierem ſororem*, clarum eſt, ſignificare mulieres fideles, quarum liberalitate vel miniſterio juvabantur Apoſtoli in itineribus more Judæorum, ut de Chriſto legimus Lucæ 8. ſi verò malis legere *mulierem uxorem*, nihil aliud evinces, quàm quod aliqui Apoſtoli habuerint uxores, eaſdémque circumduxerint, ita tamen ut illas tanquam ſorores habuerint, & continentes vixerint; quod nobis non adverſatur. Priorem tamen ſenſum eſſe multò probabiliorem, oſtendit communis primitivæ Eccleſiæ ſenſus, & ſpeciatim Tertullianus ætati Apoſtolorum vicinus, qui Libro de monagamia ait, *Petrum ſolùm invenio maritum.* Cum ergo reliquos Apoſtolos cœlibes eſſe ſentiat, non potuerunt circumducere mulieres uxores, ſed tantùm mulieres Sorores juxta primam explicationem. Inſtat Ameſius Tom. 2. fol. 125. mulierem non divitem circumducere, non fuiſſet Eccleſiarum quærere levamen, quod tamen intendit Apoſtolus ibidem: pauperis non uxoris nullus fuiſſet uſus. Aio hoc poſterius apertè eſſe falſum ex famulorum obſequijs. Porro illæ mulieres pauperes non pecunias miniſtrabant; ſed obſequium; vel certè eorum operâ utebantur Apoſtoli in inſtruendo ſexu fœmineo apud Gentes, ubi modò plantabatur fides, ſicuti præclarè oſtendit Theophilus Reinaudus in L. de ſobriâ alterius ſexûs frequentatione per homines Sacros cap. 16. excuſatione 4. Quod ſi fuêre divites, non eſt neceſſe dicere, eas fuiſſe ſemper cum Apoſtolis; ideóque iſti aliquando nutriti ſunt ab iſtis ſororibus comitantibus, aliàs illis abſentibus, à populo, cui prædicabant Evangelium. Urget Molinæus fol. 635. Eccleſia Romana inter Sanctos ſuos colit Filiam S. Petri ab hoc Petronellam appellatam. Ergo tempore Apoſtolatûs ſui, à quo Nomen iſtud habuit, eandem genuit. Terribile argumentum, quod puer exploderet. Filia Petri ante Apoſtolatum nata eſt, & in Judaiſmo aliud nomen habuit, quod poſtea in Chriſtianiſmo, quando Pater jam erat Apoſtolus, in Baptiſmo mutatum fuit in Petronellam.

XXI. Ad 11. textum ad Philipp. omnes Patres Græcos & Latinos exponere pro viro, ut ſenſus ſit, germane ſocie, ſive genuine Collega in jugo Evangelicæ prædicationis ferendo mecum per agrum dominicum, quod ipſum concedunt Calvinus & Beza. Et unde quæſo uxor Pauli habitaſſet Philippis in Macedonia? Cæterùm Paulum non habuiſſe uxorem, ipſemet teſtatur 1. ad Corinth. 7. v. 8. ajens: *dico autem non nuptis & viduis; bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Videri poteſt Cornel. à Lapide in cit. locum.

XXII. Ad 12. denique argumentum, Deum quidem Naturæ humanæ inſeviſſe concupiſcentiam carnis, ſed ſub domino rationis, ut damnari poſſit per auxilium gratiæ adhibitis legitimis medijs Orationis, mortificationis, cuſtodiæ ſenſuum &c. Unde Geneſ. 4. v. 7. dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Sicuti etiam mulieres conjugatæ ſæpe debent refrænare ſuam concupiſcentiam; & uſu mariti abſtinere v. g. ſi longiùs diſceſſerit, ſi diuturno morbo affligatur, ſi carcere detineatur, ſi divortium faciat, aut adulteræ debitum reddere nolit &c. Deinde falſum eſt, libertatem homini conceſſam à Deo non poſſe humanâ lege tolli; Nonne Deus communem omnium rerum poteſtatem hominibus conceſſit, ut quidlibet cujuslibet eſſet, & tamen communi hominum ſenſu facta eſt diviſio, & ſuum cuique proprium? Nonne multa impedimenta Matrimonij lege humanâ inducta ſunt, quæ Deus non poſuerat? nonne omnes homines liberi naſcuntur; & tamen poſtea ſervituti ſubijciuntur?

XXIII. Reſpondetur *Secundò. Ad teſtimonia ex Concilijs, Patribus, atque antiquis Canonibus deprompta.* Legem cœlibatûs ab Apoſtolis emanaſſe, & à varijs deinde Concilijs in omnibus ferè orbis plagis olim celebratis ſtabilitam, atque à Patribus laudatam fuiſſe, ſupra jam diximus, & etiam eruditè oſtendit Valentia Tom. 4. D. 9. q. 5. punct. 5. Lubet ſolùm addere alterum in Germania Concilium Aquiſgranenſe primum tempore Ludovici I. cap. 6. ubi ſic dicitur de Subdiaconis: *placuit Patribus, ut qui Sacra myſteria contrectant, caſti & continentes ſint ab uxoribus.* Unde ante 1000. jam annos Arator in Libro, quem compoſuit in acta Apoſtolorum; poſtquam explicuit, integrum fuiſſe Sacerdotibus veteris Legis uti conjugio, modò tempore vicis ſuæ abſtinerent, ſtatim ſubjunxit:

Eccleſia nunc Alma Fides ſine fine pudicos
Pontifices jubet eſſe ſuos.

quæ Aratoris carmina refert etiam Sotus L. 7. de Juſtitia q. 6. a. 2. & poſſunt jure optimo opponi verſibus Mantuani, quæ pro conjugio Sacerdotum affert Gerhard. fol. 74. quanquam Mantuanus ſolùm voluerit veteres aliquos Epiſcopos habuiſſe uxores, non tamen illis uſos fuiſſe poſt Sa-

Digitized by Google

ram ordinationem; in quem modum multa alia, quæ objiciuntur, intelligi, & explicari poſſunt. In ſpecie *Ad 1. in can. 6. Apoſtol.* præcipi ſolùm, ne prætextu cautelæ ſeu Religionis Epiſcopus aut Presbyter, qui ante ordinationem uxorem duxerat, curam uxoris abljciat; quippe debet illam alere, atque ei providere, ut habetur in Concilio Turon. 2. can. 8. quod tamen poſteà majoris cautelæ gratiâ mutatum eſt. Itaque iſte Canon potius ſuffragatur nobis; ſupponit enim rejectionem à thalamo, & ſolùm cavet rejectionem ab alimento. *Ad 2. canones illos Trullanos* non habere Authoritatem; quia non ſunt revera ipſius V. Synodi, quæ nullas condidit Canones, ut patet ex Synodo VII. Actione 4. & 5. ſed poſtea quidam Epiſcopi convenerunt in Trullo, hoc eſt, in Palatio ſic dicto Juſtiniani Imperatoris, & ſine legitima Concilij autoritate addiderunt illos canones, ut bene præter alios obſervavit Franciſcus Turrianus L. de Canonibus VI. VII. & VIII. Synodi. Neque etiam prædicti canones ab ullo Pontifice approbati fuerunt, ſed reprobati potius à Sergio Pontifice, qui tunc temporis regebat, uti refert Beda L. de Sex ætat: in Juſtinian. cœtum illum vocans *erraticam Synodum.* *Ad 3. Iſidorum* eo loco agere de omnibus Clericis in communi. Itaque quod dicit, *aut unius matrimonij vinculo federentur*, ad Clericos ordinum minorum referri debet: quod verò ait, *caſtitatem corporis &c.* ad Clericos ordinum majorum ſpectat; Nam quod iſti perpetuam ſervare debeant caſtitatem, expreſsè idem Iſidorus tradit eodem L. 2. c. 5. 8. & 10. *Ad 4. Gratianum* hoc non dixiſſe ex mente ſua, ſed per modum objectionis, cui poſtea reſpondet; ut patebit legenti.

XXIV. *Ad 5. Ly Matrimonio copulari,* tantundem eſſe, atque in matrimonio eſſe & manere copulatos, non illo, quod poſt ordinationem, ſed quod ante iſtam fuit contractum. Nam in hoc diſcrimen ponit Stephanus (quem Gratianus non exprimit, quis ille Papa fuerit) inter Orientales & Occidentales, quod in Orientali prius copulati poſſent dein poſt Ordinationem in illo matrimonio perſiſtere: non autem in Occidentali. *Ad 6.* hæc verba non eſſe canonis, ſed Gratiani, qui erravit, ſupponendo fuiſſe aliquando tempus, cum in Eccleſia nulla eſſet prohibitio uſûs conjugalis; quod falſum eſſe ſupra jam diximus. Ad 7. in pleriſque codicibus correctioribus non legi de muliere Sacerdotis eligenda: ſed de muliere Sacerdotis eligendi, ut ſcilicet ſi is; qui eligendus eſt, habuerit uxorem, ipſa quoque nullum aliud fuerit experta conjugium. Aliàs ipſe D. Leo Epiſt. 84. expreſsè dicit: *Epiſcopum ita unius virum eſſe poſſe ut tamen ab illa, ſi ipſam adhuc habet, perpetuò ſe ſe contineat.* *Ad 8.* Hoc loco anathema dici ijs, qui ab hujuſmodi Presbytero & ejus miniſterio abhorrent; quaſi matrimonium eſſet per ſe malum, etiamſi talis poſt ordinationem ab uſu conjugij prius initi ſe abſtineret; atque hunc ſenſum eſſe Concilij, patet ex can. 1. ejuſdem. *Ad 9.* denique teſtimonium, pleroſque Doctores Catholicos negare, hanc hiſtoriam eſſe authenticam, ut Franciſcum Turrian. L. de Canon 6. Synodi, Bellarminum, Baronium, & præter alios Valentiam loco cit. fol. 2148. ubi aliquot rationibus illius falſitatem oſtendit, quæ videri apud ipſum poſſunt. Sed etiamſi vera eſſet hiſtoria, non tamen faveret hæreticis, quia Sozomenus & Socrates ſcribunt, addidiſſe nihilominus Paphnutium, *bonum ſibi videri, ut ſecundùm antiquos canones Nemo poſt ordinationem ducat uxorem, ſed ſolùm uſus permittatur uxoris, qua antea ducta fuerat.* Noſtri autem Sectarij volut etiã poſt ordinationem uxores duci poſſe. Quare veroſimilius eſt, ſi etiam hiſtoria permittatur, Paphnutium tantùm interceſſiſſe, ne quid Concilium Nicænum gravius ſtatueret in Clericos.

XXV. Reſpon. *Tertiò ad Incommoda ex Auguſtana Confeſſione allata.* Argumenta ex his deſumpta non eſſe homine ſani cerebri digna ſed potius quædam themata & declamationes hæreticis opportunas, licet Molinæus, Ameſius & alij illa extollant. Et nunquid ſtatus Matrimonialis viduarumque: Item Juvenum utriuſque ſexûs adhuc ſolutorum parit prodigioſas libidines, eſtne propterea tollenda lex caſtitatis tam in ſolutis, quam in conjugatis? minimè, inquiunt, quia effectus, ut ut prodigioſi, in ſæcularibus perſonis per accidens ſecuti non debent tribui ipſi legi & ſtatui. Et cur non etiam in Eccleſiaſticis? Unde *Ad 1.* publica ſcelera non everſione aut antiquatione legum, ſed pænis coërcenda eſſe. Ita fecit Paulus 1. ad Corinth. 5. v. 5. neque enim ſuſtulit legem, ne uxorem Patris quiſquam habeat, ſed patratorem ſceleris *tradidit ſatanæ in interitum carnis ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini noſtri JESU Chriſti.* Non obſtat, legem illam de uxore Patris eſſe divinam: legem autem de cœlibatu Sacerdotum humanam. Quia neque humanæ leges tolli debent propter tranſgreſſionem, uti patet ex praxi omnis Reipublicæ, ſuffragante Sac. Scriptura ad Rom. 13. v. 4. *Si malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim vindex eſt in iram ei, qui malè egit.* *Ad 2.* Platinam ſcribere, Pium II. ſententias in modum proverbij reliquiſſe multas, & inter cæteras hanc commemorant, *Sacerdotibus magnâ ratione ſublatas nuptias; majori reſtituendas videri.* Quæ verba Confeſſio Auguſtana mutat fide non germanâ; Nam cum dictum ſit *magnâ ratione ſublatas nuptias*, illa repoſuit, *fuiſſe aliquas cauſas.* Et pro *majori reſtituendas*, ſcribit *multò majores eſſe cauſas.* Denique pro *reſtituendas videri* ponit abſolutè *eſſe cauſas, cur reddi debeat.* Scilicet mala cauſa talibus mendaciorum fulcimentis indiget. Deinde, qui ait, videri reſtituendas Sacerdotibus nuptias, nihil firmiter aſſerit; quippe multa ſæpe nobis majore ratione facienda videntur, quæ re melius expenſâ nullo modo facienda cenſemus. Hoc ipſum uſu venit Pio II. cui ante Pontificatum (vero ſimile enim eſt, eas ſententias antea ab eo adhuc Juvene conſcriptas) viſum eſt majore ratione Sacerdotibus nuptias reſtituendas: poſtea non item; ſi enim ſuprema in ſede collocatus in ſententia pertitiſſet, nullo negotio eas poſtliminiò reſtituere potuiſſet; quod cum non fecerit, nemini dubium eſt, quin longè alia mens fuerit Pij II. aliàs Æneæ Sylvij dicti.

XXVI. *Ad 3.* Nullos homines ex ſe eſſe idoneos ad cœlibatum: ex Dei tamen munere aptos eſſe omnes; prius ſumitur ex cap. 8. Sapientiæ v. 21. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia ſcire, cujus eſſet donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum:* poſterius ex eo, quod non ſit abbreviata Manus Domini, nec magis reſpectu unius, quàm alterius. 2. ad Corinth. 9. v. 8. *potens autem eſt Dominus om-*

nem

tem gratiam abundare facere in vobis. Poteſt ergo ſuo munere omnes facere idoneos; cur autem non omnes capiunt verbum hoc? quia non omnibus datur eò, quod a Deo aliò vocentur; vocatis verò ad Clericatum datur; quia Deus in neceſſarijs non deeſt, modò velint illud amplecti, & conceſſis ad hoc auxilijs divinis uti. *Ad 4.* conſtare planè oppoſitum, nempe nunquam in Eccleſia veteri Sacerdotes fuiſſe maritos. Videatur Bellarminus L. 1. de Cleric. c. 19. cit. ubi etiam refutantur exempla, quæ afferunt Magdenburgicorum centuriæ, & Melanchthon: &, dum iſte ait, *in Germania cœlibatum Sacerdotum ante annos primùm 400. introductum*, cum ſua Confeſſione mendacij convincitur à Concilio Aquiſgranenſi ſupra cit. & ante annos 700. celebrato. Et ſi ante annos primùm 400. in Arch-Epiſcopatu Maguntino Sacerdotes vi ad cœlibatum coacti ſint, velim recenſeri mihi uxores, quas habuerint Sanctiſſimi illi Epiſcopi, & primi Fidei Chriſtianæ Aſſertores in Germania, Bonifacius, Kilianus, Burchardus, Rupertus, Wilibaldus, Erhardus, Udalricus, Conradus eorumque Succeſſores per annos 800.? nominari non poterunt, quia nullas habuerunt. Ergo falſum eſt, ante annos primùm 400. cœlibatum introductum. Nam tunc cœlibatus non eſt introductus, ſed cum tempore Schiſmatis, quod contra Romanos Pontifices excitavit in Germania Henricus IV. (vel ut alij III.) Imperator, multi contra canones rejecto cœlibatu nuptias contraxiſſent illegitimas, poſtliminio ille cœlibatus fuit reſtitutus, & prævaricatores debitas pœnas dederunt. Neque tunc conjugia contra jura & Canones diſſoluta ſunt, ſed ſacrilega conjugia contra jura & canones inita juxta canones & jura ſublata fuerunt. Videatur Schaten in lib. cujus tit. Carolus M. lib. 2. cap. 2. maximè fol. 344.

XXVII. *Ad 5.* Mundum ſeneſcere: non item gratiam. Humanam Naturam infirmam eſſe ex ſe: non item ex eo, qui eandem confortat, & in quo omnia poteſt. Vitia ſerpent, ſi ſeveritas (quam in Catholicis reprehendunt Sectarij) tollatur; ubi hæc veluti optima legum cuſtos locum habet, facilè ſerpenti malo occurritur. *Ad 6.* Tunc defuturos Paſtores, ſi laxetur diſciplina; erunt enim paſtores multi; ſed ſemetipſos paſcentes. Certè videre eſt in ijs terris plures idoneos paſtores, quibus vel maximè vigent canones: deeſſe autem, quibus morum licentia leges ſuperat. Taceo ſuperfluam curam Prædicantium, ne ſtatus ſacerdotum viduetur, niſi impuritate conſpurcetur; providebit Deus ſemper Eccleſiæ & Altari, ut caſti ad id Sacerdotes introeant. *Ad 7.* Bonos ac pios viros; qui feliciter luctati cum imbecilitate naturæ; ad extremum coronam Juſtitiæ cum S. Paulo conſecuti ſunt, eſſe innumeros: bonos ac pios viros, qui infeliciter luctati ſunt, & demum in horibilem deſperationem inciderunt, nullos eſſe; hoc ipſo enim pij ac boni conſtanter non fuerunt, quod manus dederint; poterant tamen eſſe conſtantes, ſiquidem nulli à Deo denegatur gratia ſufficiens in ſua vocatione uſque ad finem perſeverandi. Et quis prudens dixerit, crudelitate pœnarum ſcelera confirmari, & puniendo effici, ut improbi peccent impunitiùs?

XXIII. *Ad 8.* Non ex cœlibatu, ſed ex abuſu promanare flagitia: neque ex lege, ſed ex prævaricatione legis. Lex bona eſt, ſed mala concupiſcentia, quæ adverſatur legi. Omnium verò flagitiorum fons eſt, accuſare leges, & vitia defendere, quod hîc faciunt Confeſſioniſtæ. Nec juvat illos inſtantia Græcorum, quam frequenter crepant. Nam aliter ſe res habet cum iſtis. Nulli Græco licitum fuit unquam, nec modò eſt, poſt ſuſceptum Sacerdotium uxorem ducere. Si verò ante Sacerdotium ſuſceptum uxorem habuiſſent, poſtea promiſsâ mutuo conſenſu continentiâ ab uxoribus ſe continere jubebantur; poſterius autem iſtud non in omnibus orientalibus Eccleſijs ſemper fuit obſervatum, ſed ubi canones Eccleſiaſtici ſynceri perſtiterunt. Non manſerunt autem niſi in paucis locis poſt Synodum Trullanam, adeo ut demum etiam Eccleſia Romana in eam Sacerdotum conſuetudinem conſenſerit, tanquam Orientalibus licitam & conceſſam; ut videlicet conjugibus ante Ordinem Sacrum ductis licitè etiam uterentur in ipſo Sacerdotio, ita tamen ut unâ mortuâ aliam ducere non poſſent, ut videre eſt *in capitulo quæſitum de pænit, & remiſſ.* Indultum autem illud non erat juxta priſcos canones, & antiquæ Legis conſuetudinem; neque tunc caſtitatis votum Sacerdotio annecti ab Eccleſia præcipiebatur, ſed tantùm lege ſimplici cœlibatus mandabatur; in qua tamen lege Eccleſia adhuc eorum infirmitati condeſcendens ſecundùm quid diſpenſabat, ut nimirum ductis ante ordinem uxoribus cohabitare poſſent: non autem novas ordinibus jam ſuſceptis ducerent, & hoc tantùm Græcis: non Latinis Eccleſia conceſſit. Unde apparet, quod ſupra jam diximus, exempla Græcorum Sectarijs non patrocinari. Quis enim Prædicantium unâ mortuâ non ſtatim aliam ſibi Bertham conjungit?

XXIX. Ad Confirmationem dicimus hujus fabulæ falſitatem ipſa inſcriptio ſatis prodit. Quis enim fuit ille Nicolaus Papa, cui inſcripta Epiſtola? juxta Chronologiam debet eſſe I. vel II. ſed ſed neuter eſſe potuit. Non primus; quia mortuus eſt, antequam S. Udalricus naſceretur. Non ſecundus; quia S. Udalricus mortuus eſt, antequam Nicolaus ſecundus fieret Papa; ut oſtendunt Bellarm. Lib. 1. de Clericis c. 22. Baronius tom. 8. Anno Chriſti 591. &c. Inſtant hæretici S. Udalricum vixiſſe ſub Nicolao I. cum Æneas Sylvius in Tract. de Germ. & Jacobus de Voragine in vita S. Udalrici dicant, illum mortuum fuiſſe anno 900. Cum ergo S. Udalricus annis 50. Epiſcopatum geſſerit, & Nicolaus I. Anno 867. objerit, ſequitur Udalricum ſub Nicolao I. Epiſcopum fuiſſe. Accedit Onuphrius Panuinius qui eundem ponit ſub Nicolao I. Reſpon. Jabobum de Voragine Epiſcopum Genuenſem non ſcripſiſſe vitam S. Udalrici, ſed aliquem Anonymum hanc appendicem ejus libris aſſuiſſe, proinde nullius eſſe authoritatis. Æneæ Sylvij poſtea Pij II. nullus extat liber de Germania, nec in alijs ejus libris ulla fit mentio S. Udalrici. Onuphrius Panuinius in ſuo chronico Eccleſiaſtico ponit illum ſub Nicolao I. utique deceptus hâc fictitiâ epiſtolâ; nam Juvenis multa coacervavit, quæ maturior emendaſſet, ſi vita ipſi prorogata fuiſſet, ut ait Poſſevinus in apparatu ſuo.

XXX. Ex hactenus dictis liquet, ſolidiſſimam eſſe doctrinam Catholicorum de Cœlibatu: turpiſſimum verò errorem hæreticorum ruinoſis & futilibus nixum fundamentis, atque inde haud obſcurè apparere, Sectarios non agere pro Chriſto, ſed pro mulieribus: non pro vitæ honeſtate,

Digitized by Google

ſed carnis voluptate: non pro doctrina vera, ſed libidine efferа. Nec hoc mirum alicui videri debet, plerique enim omnes hæreſiarchæ ex inſano mulierum amore deſipuere. *Simon Magus hæreſin condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem. Montanus immundi ſpiritûs prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius ut orbem deciperet, Principis ſororem ante decepit. Donatus Luciliæ opibus adiutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium mulier cæca cæcum duxit.* Hunc catalogũ D. Hieronymus in epiſt. ad Cteſiphontem pretexuit; & huic poſtea Vigilantium, Helvitium, Iovinianum addidit. Ego eidem jure Lutherum, Calvinum, Zwinglium & omnium noſtrâ ætate novarum Sectarum auctores attexo; omnes quippe in eodem Noſocomio decumbunt, & inſano mulierum amore languent, cujus mali vim infelix eorum ſoboles in ſe transfuſam incondito pro uxoribus clamore aſſiduè prædicat. Cùm interea Sacra Romano-Catholica Eccleſia in Sacris ſuis Deoque peculiariter dicatis membris, Clericis ſcil. ac Relgioſis Caſtitate vireſcat, Virginitate floreat, Continentiâ vitæ vigeat, gratiſſimúmque Deo ac Hominibus odorem ſpiret.

CONTROVERS. XXXIX.

DE RELIGIOSIS, ET ISTORUM VOTIS.

Chriſtus Jeſus Dominus Noſter in terris verſans duplicis generis documenta hominibus dedit; quædam ex his ad ſalutem ſunt ſimpliciter neceſſaria v.g: de vitandis peccatis. deque lege Dei obſervandâ Matth. 19. v. 17. *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*: alia non quidem ſunt neceſſaria, ſed tamen valde utilia ad perfectionem in terris, & majorem gloriam in cœlo conſequendam; quæ nulli præcepit, ſed verbis & exemplo ſuaſit ac conſuluit; & quia perfectio in primis Charitatem, deinde omnes virtutes complectitur, quorum tamen actus non omnes ſunt neceſſarij, idcirco varia prebuit conſilia ad varias perfectiones virtutum pertinentia nominatim verò Matth. 19. tria generalia oſtendit, quæ omnium virtutum impedimenta, & omnium vitiorum materiam tollunt; nempe Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiâ. De paupertate dixit v. 21. *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.* de Caſtitate v. 12. *ſunt enim Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum æternum*; ubi juxta S.S. Patres apud Tirinum non phyſica & corporalis, ſed moralis ac ſpiritualis caſtratio intelligitur, quæ corpus non tantùm ab illicita luxuria cohibet, ſed etiam omnem facultatem aufert per ſpontaneam voluntatis obligationem. De Obedientia vers. 21. cit. *veni, ſequere me*, id eſt, abdicatâ propriâ libertate meo nutui & directioni te trade, ut apertiùs indicat Matth. 16 v. 24. *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Non negando eſſe, quod eſt. ſed ſuo arbitrio prorſus renunciando. His Chriſti conſilijs auditis vel lectis multi utriuſque ſexûs perfectionis ſtudio inflamati locum dederunt eaque accipientes non ſolùm in actu exercito obſervaverunt, ſed ad eadem obſervanda votis ſe obſtrinxerunt, ne quando inſtabilis voluntas à propoſito reſiliret, atque inde Religioſi vocati fuerunt; quamvis enim à virtute Religionis, quæ Deo debitum cultum ac honorem exhibet, omnes, qui Deum piè Sancteque colunt, Religioſi meritò dici queant, attamen per antonomaſiam quandam Religioſi in Eccleſia ji appellari conſueverunt, qui non ſolùm communium ac neceſſariorum præceptorum obſervatione, verùm etiam per conſiliorum acceptationem peculiari vitæ ſuæ inſtituto ac nominatim votis Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ ſe totos diuino cultui mancipârunt.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Votum *eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de bono meliore.* Defectus ejus libertatis, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, valori voti obſtat, *capit. veniens. de voto*; quia votum eſt quædam lex privata, quæ prudenter & deliberatè ferri debet. Dividitur votum in ſimplex & Solenne; quorum iſtud ex diſpoſitione Eccleſiæ eſt perpetuum, & inducit inhabilitatem ad actus quoſdam. Inſtitutum autem ſeu Status Religioſus: *eſt modus ſtabilis & ab Eccleſia approbatus vivendi in communi Fidelium ad Chriſtiana charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis ſubſtantialibus, per quæ vovens ſub alterius juriſdictione & poteſtate conſtituitur, adeo ut nec Pontifex facere poſſit, ut quis ſit Religioſus verus, ſine prædictis tribus votis Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ.* Argum. Cap. cum eo Monaſt. de ſtatu Monach. Sufficiunt tamen vota ſimplicia, ut declaravit Gregorius XIII. in Bulla: *Quantò fructuoſius*; quia ſolennitas eſt juris humani: non item eſſentia ſtatûs religioſi. His præmiſſis facilè jam oſtendemus, præter præcepta dari conſilia, eáque tùm vniverſim, tùm in ſpecie Paupertatem, Caſtitatem & Obedientiam voto promitti poſſe.

II. *Doctrina prima.* Ratio vitæ Religioſæ eſt ſancta, pia, ac laudibilis. Probatur 1. Exemplis ſanctiſſimorum Virorum utriuſque Teſtamenti. In veteri Genes: 4. v. 26. dicitur de Seth: *Iſte cepit invocare nomen Domini.* intellige peculiari quâdam ratione; etenim modo communi Adam & Abel Deum invocârunt. Utrum autem allata ſcripturæ verba ad Seth, vel hujus filium Enos referenda ſint; parùm intereſt. Enoch quoque ſingularem cultum Deo detuliſſe, indicatur ibidem cap. 5. v. 24. iſtis verbis: *ambulavitq; cum Deo, & ultra non apparuit, quia tulit eum Deus.* Nazaræos peculiaribus votis Deo ſe obſtrinxiſſe, habetur in Lib. Num. c. 6. & in Libris Reg: commemorantur cætus prophetarum, qui in locis deſertis ſingulari quâdam vitæ ſeveritate Deo ſerviebant, inter quos Elias & Eliſæus; unde Hieronym. ad Paulinum Monachum ſic ſcribit: *ut ad Scripturarum auctoritatem redeamus, noſter Princeps eſt Elias, noſter Eliſeus, noſtri Duces prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus.* Hiſce ob peculiarem vitæ rationem jure annumerandi ſunt filij Rechab, quorum inſignis laus extat apud Ieremiam

c. 30. &c

Digitized by Google

t. 30. & mira de illorum vitæ inſtituto ſcribit Joſeph L. 18. Antiq. c. 2. Et L. 4. de bello Judaico c. 7. Videri poteſt Hieron. Platus de Bono ſtatûs Religioſi L. 2. c. 19. qui ſtatus per ſingularem vitæ ac ſervitij divini rationem ab antiquis illis Dei famulis nonnihil fuit adumbratus; Unde eoſdem adduxi non quod Monachi & Religioſi fuerint, ſed quod peculiarem vitæ rationem agendo Monachorum ac Religioſorum umbræ extiterint, & iſtorum imaginem quandam expreſſerint. In Novo Teſtam. illuſtri exemplo eminent Apoſtoli. Nam apud Matth. c. 19. peculiari ſtudio perfectionis præter obſervantiam communem mandatorum ad omnes pertinentem ſe Chriſto ſervire conſtituiſſe, palam illis verbis D. Petri v. 27. profitentur: *Ecce nos reliquimus omnia; & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Unde magno conſenſu Patres apud Bellarm. L. 2. de Monachis c. 5. aſſeverant, inſtitutum Religioſorum eſſe planè Apoſtolicum. Certè Auctor illius ſtatûs eſt Chriſtus, qui ut diximus, Suadens Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam non ſolùm doctrinaliter, ſed etiam poteſtativè inſtituit prædictum ſtatum Religioſum, quatenus Eccleſiæ facultatem tribuit acceptandi traditionem Fidelium ſuo nomine.

III. Probatur 2. Idem vitæ Religioſæ inſtitutum ex Eccleſiæ teſtimonio, quæ in multis concilijs illud tanquam pium, Sanctum, ad laudabile commendavit; & noviſſimè in Tridentino Seſſ. 25. c. 1. de reform. Unde poſt Patriarchas illos, Prophetas & Apoſtolos ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ Sanctiſſimi homines viri ac Mulieres Monaſticam vitam coluerunt, & vetuſtiſſimi Scriptores magna eam laude extulerunt. Inter quos nominatim Philo Judæus in L. de vita contemplativa ſupplicum id eſt Monachorũ diſertè refert, *quàm Sanctè fuerint à D. Marco in Alexandria inſtituta Monaſteria Sacrarum Virginum & Virorum; qui Continentiam, Paupertatem, Jejunia ac Pſalmodiam profiterentur.* Loqui autem Philonem de Chriſtianis Monachis, teſtantur Epiphanius hæreſ. 29. & Hieronymus in Philone. Probatur 3. ratione. Si ſunt aliqua bona ac ſancta opera ſupererogationis præter ea, quæ ſunt à Deo præcepta, dubitari non poteſt; quin pium ac laudabile ſit, eorum operum ſtudium peculiari vitæ genere profiteri; cur enim bonum non ſit, id profiteri, quod revera bonum eſt? Atqui ſunt omnino aliqua hujuſmodi opera ſupererogationis v. g. Paupertatis; Caſtitatis & Obedientiæ &c. Ergo pium ac laudabile eſt inſtitutum hominum Religioſorum, qui eadem opera profitentur. Minor vel ex hoc ſatis conſtat, quod nec ſuavi Dei providentiæ ac bonitati; nec infirmitati noſtræ conveniat, ad omnia, quæ modò ſub conſilio ſunt, præceptis nos adſtringi; quis enim non innummeris peccatis foret obnoxius? Præſtat igitur quædam libertati relinqui; *ut qui ea fecerunt*, inquit Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, *honorarentur: qui autem minus ea expleverunt, nihil inde mali pertimeſcerent.* Hinc eruditè Aug. L. de S. Virginit. c. 30. *qui poteſtis*, inquit, *capere, capite, tollite hoſtias quiſq; ſuas, & introite in atria Domini, non ex neceſſitate; ſed poteſtatem habentes veſtræ voluntatis; neque enim, ſicut non mæchaberis, non occides, ita dici poteſt, non nubes. Illa exiguntur, iſta offeruntur; ſi fiant iſta, laudantur: niſi fiant illa, damnantur; illis Dominus debitum imperat: in his autem, ſi quid amplius ſupererogaveritis, in redeundo reddet nobis.* Eodem prorſus modo inter præcepta & conſilia diſtinguunt paſſim alij PP.

IV. *Doctrina ſecunda.* Poſſunt piè ac laudabiliter vota emiti divini cultûs causâ tum à Chriſtianis univerſim, tum nominatim à Religioſis. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. ſcriptura, quæ in omnibus Juſtis vota laudat. Prov. 15. v. 9. *vota juſtorum placabilia.* Et præſertim in Chriſtianis apud Iſaiam c. 19. v. 21. *& colent eum in hoſtys & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent;* quo loco ſermonem eſſe de tempore novi teſtamenti communiter volunt Interpretes. Generatim quoque eadem S. Paginâ jubet impleri vota, à quocunque fuerint emiſſa Pſal. 75. v. 12. *vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Et Eccleſiaſt. 5. vers. 3. *Si quid voviſti Deo; ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Probatur 2. ex SS. Patribus qui paſſim in Chriſtianis quoque vota deprædicant, & vim habere obligandi teſtantur, ut Cyrillus, Hieronym. Theodoret. & alij Interpretes Iſaiæ. Sufficiat nobis D. Auguſt in Pſal. 75. ubi explicans illud: *vovete & reddite*; hortatur fideles ad vovendum, his verbis: *quiſquis, quod poteſt, voveat & reddat, non ſitu pigri ad vovendum, non enim veſtris viribus implebitis.* Et rurſus in Pſal. 132. *debet eſſe*, inquit, *impiger animus, ut & voveat, & reddat; ne cum ſe minus idoneum reputet ad reddendum, piger ſit ad vovendum.* Probatur 3. Ratione, Tum quia omne, quod eſt ex natura ſua actus virtutis, licet Chriſtianis facere ad honorem & gloriam Dei; ſiquidem omnis actus virtutis eſt per ſe idoneus ad colendum Deum, ut patet ex D. Auguſtin. L. 10. de Civit. Dei c. 6. ubi idcirco *omne opus bonum vocat beneficium.* Sed votum eſt ex natura ſuâ actus Virtutis, puta Religionis cedens in honorem & gloriam Dei &c. Tum quia licitum eſt Chriſtianis firmare voluntatem ſuam in eo, quod ad ſpiritualem ipſorum utilitatem eſt conducibile. Atqui per vota firmant voluntatem ſuam mutabilem in executione alicujus actûs virtuoſi in laudem & gloriam Dei. Ergo &c. Huc reſpexiſſe videtur D. Auguſt. Epiſt. 45. ubi de obligatione voti agens ſcribit: *felix neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

V. *Doctrina Tertia.* Paupertas Obedientia & Caſtitas rectè etiam voventur à Religioſis. Ita omnes Catholici. Probatur. Tum ex Sac. Scripturâ, ex qua recens oſtendimus, piè Sanctéque Deo voveri, quod per ſe bonum ac pium eſt: bonum quoque ac pium eſſe ſtudium paupertatis, caſtitatis ac obedientiæ. Tum exemplo illorum, qui ob hujuſmodi vota in Sac. Scriptura Novi Teſtamenti ſumma cum laude commemorantur. Inprimis Apoſtoli; aliqui ex primis Chriſtianis, ipſa ante omnes B. Virgo Maria; cujus votum de virginitate ſervanda non obſcurè colligitur ex illis ejuſdem verbis Luc. 1. v. 24. *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, id eſt, non poſſum cognoſcere, ut oſtendunt D. Auguſt. L. de virginit. c. 4. alijque Patres. Tum ex antiquiſſimo uſu Fidelium, quem rectiſſimum fuiſſe conſtat ex teſtimonio & traditione Veterum, è quibus Dionyſius c. 6. cœleſtis Hierarch. affirmat, *Monachos coram Sacerdote poſito intentè promittere ac renunciare omnibus diviſibilibus*, hoc eſt, caducis omnibus, cujuſmodi ſunt opes, voluptates, uſus voluntatis propriæ &c. Origines hom. 11. in Levit. hortatur omnes, *ut renuncient omnibus mundo & ejus concupiſcentijs,*

Digitized by Google

ſcentijs, & ſe totos devoveant Deo tanquam primogenita. Hieron. epiſt. ad Heliodor. aſſerit; *Monachos facere pollicitationem ſequendæ perfectionis, quam non liceat infringere.* Demum D. Auguſtinus in Pſal.75. & 132. ſcribit, *optime facere Monachos, quod vitam ſuam devoveant Deo.* Tum denique ex ratione; quia hujuſmodi vota Caſtitatis Paupertatis Obedientie &c. tollunt omnes radices vitiorum perfectioni obſtantium, quæ oriuntur ex triplici concupiſcentia juxta D. Joan.1.c.2. v.15. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia Oculorum, & ſuperbia vitæ.* Nam omne peccatum committitur *tum ex appetitu alicujus boni terreſtris,* quod eſt triplex; nimirum Voluptas carnalis, quæ per concupiſcentiam carnis ſignificatur: vel Lucrii, quod per concupiſentiam oculorũ innuitur: vel Honor & æſtimatio, quæ per ſuperbiam vitæ deſignatur: *tum ex fuga contrariorum malorum*; nempe doloris & afflictionis carnalis: vel jacturæ bonorum temporalium: vel deſpectûs & contemptûs hominum. Hæc omnia motiva & incitamenta peccatorum tolluntur per prædicta bona ſupererogationis; quippe Paupertas aufert cupidinem lucri temporalis. Caſtitas tollit deſiderium voluptatis carnalis. Obedientia extirpat ſuperbiam vitæ, ſponte ſubijciendo ſe alterius imperio. Quomodo ergo eadem vota non piè Sanctè ac laudabiliter eduntur, cum perfectionem tantopere adjuvent ac promoveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VI. MAgni Antonij effatum eſt apud D. Athanaſium in ipſius vita: *Diabolum omnes quidem Chriſtianos odiſſe, ſed probos Monachos Chriſtique virgines tolerare nullo modo poſſe.* Ab hoc ſuo infernali Magiſtro hæretici inſtigati Monachos ac Religioſos ſingularémque ipſorum vivendi rationem ſemper cane pejus ac angue oderunt, adeo ut nulli unquam hæretici extiterint, qui vel nomen Monachorum patienter audire poſſent. Contra triplicem noſtram doctrinam pluribus falſimonijs potius, quàm argumentis inſurgunt, ut videre eſt apud Joan. Gerhardi L. 2. P. 2. à fol. 216. Guilielm. Ameſ. Tom.2. L.4. à fol.137. Petrum Molinæum in Neopap. à fol. 638. Menonem Hanneken in Irenico à fol. 220. & alios.

Error primus eſt. Nullum poſſe eſſe ſtatum Religionis alium à ſtatu gratiæ, qui convenit omnibus Fidelibus. Ita Lutherani & Calviniſtæ apud Ameſ. & Gerhard alióſque citatos. Probant 1. Religio nuſquam in Sac. Script. denotat ſtatum. 2. Exempla Enoch, Nazaræorum, & aliorum in veteri teſtamento nihil adumbrant ſublimioris cultûs, quàm erat Religio vulgi. 3. In primitiva Eccleſia omnes erant Doctores aut Auditores. Ad Gal. 6. v. 6. ad Hebr. 13. v. 7. 4. PP. Hieronym: in vita Paulæ. Ruffinus Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. Caſſianus Collatione 18. c. 5. Thomas 2. 2. q. 187. &c. teſtantur, Paulum & Antonium primos fuiſſe Monachos. Quomodo ergo inſtitutum Religioſorum eſt Apoſtolicum? 5. Si Monachi ac Religioſi occupantur in operibus ſupererogationis non tendunt ad perfectionem, ſed ſunt Religioſis perfectiores. 6. Omnia, quæ facimus, ſunt præcepta. Ergo nulla dantur Conſilia perfectionis. Antecedens oſtendunt ex Deuteron. 6. v. 15. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Ergo omnes virtutes in charitate exercendæ. Ex Luc. 14. v. 33. *qui non renunciat omnibus &c.* Ergo cum ex præcepto debeamus eſſe Diſcipuli Chriſti, Paupertas eſt præcepta. Ex Lucæ 17. v. 10. *ſi feceritis omnia quæ præcepta ſunt &c.* Ergo nihil ultra debitum facimus. Ex 1. Joan. 3. v. 16. *Nos debemus animas pro fratribus ponere*; quæ ſumma eſt perfectio & non libera. Ex Matth. 15. v. 45. jubemur *eſſe perfecti.* Ergo perfectio non eſt conſilij. Ex D. Paulo ad Philipp. 4. v. 8. *quæcunq; ſunt vera, quæcunque ſunt honeſta, hæc cogitate, hæc facite. Ergo nihil ſupereſt conſilij.* 7. Præcepta non poſſumus ſervare. Ergo multo minùs altiora conſilia. Antecedens iterum oſtendunt ex præcepto diligendi ex toto corde &c. *quod* Auguſt. L. de Spiritu & Littera c.5. & Bernardus Serm. 5. in Cantica ajunt, *in hac vita impleri non poſſe*, & innuit David Pſalm. 142. cantans: *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, ac ſupponit Chriſtus Matth. 6. in Orat. Dominica: *dimitte nobis debita noſtra &c.* 8. Ij, qui in peculiares iſtas Religiones concedunt, diſceſſionem ab Eccleſia & communi fidelium vivendi ratione faciunt, juréque Schiſmatici cenſentur. 9. Religioſorum conventicula vitiorum ſunt ſtabula, juxta illud: *viſe monaſterium, ſi vis cognoſcere luxum.*

VII. Contra hunc errorem ſunt unanimiter antiquiſſimi Eccleſiæ Patres: qui fusè adducti à Verweis in Speculo veræ Eccleſiæ fol. 499. conſilia Evangelica à præceptis diligentiſſimè diſtingunt, & hanc diſtinctionem in primitiva & Apoſtolica Eccleſia fuiſſe agnitam atteſtantes miris laudibus peculiares iſtas Religiones, & divini cultûs Inſtituta extollunt, ut illa non niſi rabidi canes mendacijs ac calumnijs ſuis allatrare poſſint, quales fuerunt Waldenſes, qui, ut refert Alphonſus à Caſtro in Lib contra hæreſ. dicebant, *Religiones Mendicantium eſſe malorum dæmonum inventum.* Item Lutherus & Calvinus, quorum ille in L. de Votis Monaſticis, *cupio*, inquit, *eradicata, extincta & abolita eſſe univerſa Monaſteria, quæ utinam Deus igne & ſulphure cæleſti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat*: iſte L.4. Inſtit. c. 13. nihilominùs contra peculiares Religiones debachatur. Quibus ex omnibus SS. Patribus unum opono Climacum antiquum & gravem Authorem, qui Gradu 4. tum multa alia in laudem Statûs Religioſi, tum iſtud breve quidem verbis, re autem multa complectens elogium habet. *Monaſterium eſt quoddam cælum terrenum.*

VIII. Pro Solutione eorum, quæ objecta fuerunt, advertendum ex Card. Bellarmino L. 2. de Monach. c. 2. diverſos eſſe Perfectionis ac Charitatis gradus. *Primus* eſt, diligere Deum, quantùm eſt diligibilis, hoc eſt, amore infinito; & ſic ſolus Deus eſt perfectus: Angeli verò & Beati omnes ſunt imperfecti non privativè, ſed negativè. *Secundus* eſt, diligere Deum, quantùm poteſt eum creatura diligere, ita ut ſemper actu per intellectum & voluntatem feratur in Deum; in hoc gradu ſunt ſoli Beati. *Tertius.* Diligere Deum, quantum poteſt creatura mortalis, quæ à ſe removit omnia divinæ charitatis impedimenta, totámque ſe divino ſervitio addixit; & hi ſunt quidem imperfecti in comparatione Beatorum, perfecti tamen reſpectu aliorum etiam Juſtorum.

Et de

Digitized by Google

Et de hoc gradu loquuntur Theologi, cum dicunt, ſtatum Epiſcoporum eſſe perfectionis acquiſitæ: Religioſorum verò eſſe perfectionis acquirendæ; Iſti enim vi ſui ſtatûs & profeſſionis tenentur aſpirare ad perfectionem, removendo impedimenta, & virtutes exercendo: Illi verò ſupponuntur jam illum perfectionis gradum attigiſſe. *Quartus* & infimus gradus eſt, diligere Deum, ut nihil æque ac magis, quàm Deum amemus; atque hic gradus eſt omnibus præceptus, & habet quidem aliquam perfectionem, at reſpectu priorum eſt valdè imperfectus. Hoc notato.

IX. Reſpond. *ad 1. objectionem* ſufficere rem ipſam contineri in Sac. Scriptura, quidquid ſit de ſola voce. *Ad 2.* Scripturam Sacram de Seth, Nazaræis, & alijs in veteri Teſtamento ſumpſiſſe nos cum Bellarm. Lib. 2. cit. c. 5. juxta Patrum explicationem, & rationem hujus adjeciſſe; id quod non inficiantur, qui eoſdem locos nonnihil aliter interpretantur. *Ad 3.* Nihil inde contra nos, quia tam ex Doctoribus quàm Auditoribus poſſunt aliqui eſſe in peculiari vitæ genere. *Ad 4.* Patres loqui de Religioſis ac Monachis quoad vitam ac ſubſtantiam, non quoad cæremonias, quibus poſtea ſtabiliri & ornari cœperunt; in quem modum S. Thomam explicat Cajetanum in cit. locum: Item non fuiſſe Monachos ante Paulum & Antonium quoad talem frequentiam & nominis vitæque celebritatem; quod apertè tradit D. Athan. in vita S. Antonij ſcribens: *nec dum autem tam crebra in Ægypto erant monaſteria &c.* ubi etiam refert, Antonium à diverſis Monachis diverſas didiciſſe virtutes. *Ad 5.* patere ex gradu tertio diverſæ charitatis & perfectionis, de quo pauló ante. *Ad 6.* negando antecedens. Non oſtenditur hoc ex Deuter. 6. quia non præcipitur, ut Deum diligamus ſecundùm omnes poſſibiles charitatis gradus, ſed tantùm, ut amori Dei nihil anteponamus, vel æquemus, ita enim explicârunt omnes Eccleſiæ Catholicæ P.P. ac D.D. Non ex Luca 14. quia Chriſtus duas habuit Scholas, & duplices diſcipulos, quoſdam tantùm docebat viam Salutis: alios etiam viam perfectionis, & de his loquitur, quandò exigit omnimodam paupertatem. Non ex eodem c. 17. quia Chriſtus non dixit ſimpliciter; *cum feceritis omnia*, ſed limitatè, *quæ præcepta ſunt vobis.* Nihil ergo vetat, quin aliquis conſilia ſequens dicat, ſe plus debito feciſſe. Non ex 1. Ioan. 3. quia intelligendum in caſu neceſſitatis, cum ſpirituali eorum ſaluti ſuccurri aliter non poteſt; extra hunc caſum conſilij eſt, non præcepti. Non ex Matth. 5. quia illa verba Chriſti *eſtote perfecti*, ſunt conſulentis, non præcipientis. Non denique oſtenditur ex Apoſtolo ad Philipp. 4. quia ejus præceptum eſt negativum, hoc ſenſu, ſi quid agere vel loqui velitis, nihil facite, niſi honeſtum.

X. *Ad 7.* negando Antec. Non oſtenditur hoc iterum ex S. Auguſt. & Bernardo, qui loquuntur de ſecundo gradu charitatis, qui non præcipitur, ſed ſolùm quartus ex communi & literali ſenſu, ut nihil contrarium Deo diligant, qui ſanè gradus à nobis præſtari poteſt. Non itidem ex David. Pſal. 145. aut Chriſto Matth. 6. quia non arguunt impoſſibilitatem obſervandi omnia Dei mandata, ſed tantùm negligentiam hominum, quod vix ullus adeo gnavus ſit in eorum obſervatione, quin ſaltem venialiter aliquando delinquat. *Ad 8.* Schiſma non fieri diſtinctione locorum, ſed animorum, & charitatis ac unionis ſciſſione, quam unionem in Eccleſia ardenter Zelant Religioſi: hæretici verò maximè deſertione fidei rumpunt. *Ad 9. denique* nullum in Eccleſia Dei eſſe ſtatum, in quo mali non ſint mixti bonis; ipſum etiam Dei agrum inter triticum ſua habuiſſe Zizania; an idcirco ager iſte non exercendus, aut ullus ſtatus damnandus? Eſto igitur in aliqua monaſteria irrepſerint vitia; omnia tamen aut pleraque in vitiorum ſtabula degeneraſſe, apertiſſima eſt calumnia hæreticorum, hoſtiúmque Religionum & Monaſteriorum, qualem hoſtē jure dixeris Fridericum Ænobarbum Imperatorem, qui cum ſexies in Italiam contra Summos Pontifices expeditionem fecerit, quid mirum, quod Religiones ac Monaſteria Sedi Apoſtolicæ addictiſſima inſectatus, tale de ijs ſcoma ſparſerit; ex quo Religioſis plus honoris, quàm vituperij emerſit; quippe *malis diſplicuiſſe, ſemper laudi fuit datum bonis.*

XI. *Error ſecundus.* eſt Petri Martyris Lib. de Cœlib. & votis. Monaſtic. univerſim vota reprobantis. Prævivit in hoc Luther in lib. de captivit. Babilonica, ubi perſuadere contendit, *omnia vota tollenda eſſe.* Et Lib. de vita Conjug. longè turpiſſimè contra Votum Caſtitatis debachatur. Calvinus etiam L. 4. Inſtit. c. 13. §. 9. damnat *antiquitatem ſuperſtitionis ob frequentia vota.* v. g. abſtinentiæ vini, Peregrinationis &c. ut exprimit §. 7. Probat Martyr ſuam opinionem. Tum quia nulla vota in Novo Teſtamento commendantur: in Veteri verò fuerunt cerimoniæ nunc abolitæ. Tum quia omnis cultus Dei voluntarius eſt ſuperſtitioſus. Tum quia obligatio voti pugnat cum libertate Chriſtiana. Tum quia temerarium eſt, exponere ſe periculo peccandi per obligationem voti.

XII. Errorem hunc impium ſatis ſupra doctrinâ 2. rejecimus. Vota temere facta non probat Eccleſia, ut illam immeritò calumniantur Sectarij. Eadem etiam reprobat vota de re inutili, vana, indifferente, vel impoſſibili, aut majus bonum impediente, & cum Eccleſiaſte cap. 5. v. 3. appellat non tam votum, quàm ſtultam promiſſionem, quæ diſplicet Deo. Reſpond. ad 1. objectionem. Negando Antecedens, cujus oppoſitum conſtat ex dictis in priore parte hujus Controverſiæ. Quam autem ineptum ſit commentum, vota in veteri Teſtamento idem fuiſſe ac ceremonias, patet. tum quia cæremoniæ fuerunt in veteri teſtamento præceptæ: vota autem libera Deut. 23. v. 22. *Si nolueris polliceri abſque peccato eris.* tum quia ceremoniæ illius legis fuerunt actus externi: vota verò ſolâ etiam mente Deo nuncupari potuerunt. tum quia nullus ex omnibus PP. illius mentionem facit. Ad 2. Negando. Nonne David olim alijque jurarunt, tametſi cultus ille Dei, qui in invocatione divini teſtimonij continetur, nuſquam eſſet præceptus. D. Paulus ad Coloſſ. 2. differit contra voluntarium cultum rei inanis, vanæ, & abſque ratione Religionis causâ aſſumptum v. g. abſtinentiæ à quibuſdam cibis, tanquam naturâ ſuâ immundis. Unde nihil facit adverſus noſtram doctrinam. Ad 3. libertatem à Chriſto nobis partam non eſſe qualemcunque, ſed à ſervitute peccati, quæ augetur potius, quàm minuatur per obligationem voti; Siquidem per iſtam accedente Dei gratiâ firmamur ad ſerviendum Juſtitiæ. Unde præclarè S. Auguſt. Epiſt. 45. ad Armentarium ſcripſit: *non eſt gratulanda libertas, quâ fit,*

Digitized by Google

ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Et infra: *Non te,* inquit, *voviſſe pœniteat, imò gaude, jam non tibi ſic licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet, felix neceſſitas, quæ in meliora compellit.* Ad 4. Obligationem voti ex ſe firmare voluntatem in bono; periculum autem peccandi circa materiam voti, quod ex accidenti ob conditionem humanæ libertatis imminere putatur, non debet ſapientem deterrere à voto faciendo; quippe poteſt cum eadem libertate & gratia divina, quæ præſtò eſt, illud non difficulter ſuperare; aliàs etiam Deus non debuiſſet dare præcepta; cum etiam iſta homo pro ſua libertate transgredi poſſit, & ſemper aliquale periculum hujus tranſgreſſionis præceptum ſecum apportet.

XIII. *Error tertius* eſt, vota ſpecialia Monachorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ non eſſe admittenda, utpote ridicula, temeraria, ſtolida, impia. Ita Lutherani apud Gerhard. in Confeſ. loc. cit. fol. 296. & Menonem Hanneken in Irenico à fol. 226. ubi ſynopſin affert ex Tom. 5. Lutheri contra hæc vota. Calviniſtæ, apud Molinæum à fol. 641. Ameſium contra Bellarminum loco itidem cit. fol. 159. &c. Probant. Primò univerſim. Tum quia nullum in Scripturis mandatum habetur de triplici illo votorum Monaſticorum genere. De Chriſto dictum: *hunc audite* Matth. 17. v. 5. Et ipſe de ſe teſtatur, *quod ſit lux mundi, quam, qui ſequitur, non ambulat in tenebris.* Joan. 8. v. 12. ac *quod ſit via* Joan. 14. v. 6. De Apoſtolo dicitur: *quod omne conſilium Dei auditoribus ſuis annunciaverit* Act. 20. v. 27. At de votis Monaſticis nihil quidquam vel Chriſtus vel Apoſtoli præceperunt. Tum quia Vota Monaſtica omnium cauſarum reſpectu à tramite Verbi divini aberrant; & ratione voventis ſunt frequenter indeliberata; ratione materiæ injuſta: ratione formæ temeraria: ratione objecti impia: ratione finis ſuperſtitioſa. Probant deindè ſpeciatim de ſingulis. De paupertate. Tum quia mendicitatem Scriptura non commendat, ſed potius prohibet. Deuter. 15. v. 4. Pſal. 36. v. 25. Prov. 20. v. 8. labor verò præcipitur 2. Theſſal. 3. v. 10. Tum quia *beatius eſt dare, quàm accipere.* Actor. 20. v. 35. Ergo mendicitas non eſt perfectio melior opum copiâ, & juxta Philoſophũ, opes ſunt neceſſariæ ad felicitatem ſeu beatitudinem. Tum quia Monachi mendicando alijs hominibus permoleſti ſunt, veris pauperibus eleemoſinas ſubtrahunt, & ſe fingunt pauperes, cum magnas opes habeant. Tum quia tentant Deum, negligendo ordinaria media victûs parandi, & extraordinariâ Dei providentiâ cupiunt ſuſtentari. Tum quia abijciendo ſuas facultates à parentibus vel aliunde habitas occaſionem eleemoſinæ alijs dandæ ſibi ſubtrahunt. De Obedientia. Tum quia vovere eſt ſponte ſe facere ſervum Prælati, ſed hoc vetat Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. v. 23. cum ait: *Pretio empti eſtis nolite fieri ſervi hominum.* Ergo non licitum eſt votum obedientiæ. Tum quia Monachi ſponte ſibi eligunt ſuperiores: & interim Ordinarijs Epiſcopis obedire nolunt. Tum quia ſuperiores Religioſi non ſunt infallibiles, ſed in fide & moribus errare poſſunt, & ideo temerè illis vovetur omnimoda obedientia. Tũ quia unuſque in animo ſuo plenè certus ſit ad Rom. 14. v. 5. Sed qui ex cæca illa obedientia religioſâ aliquid facit, non poteſt in animo ſuo eſſe certus cum nullæ partes judicandi, ſed tantùm parendi ſint ipſi relictæ. De Continentia ſatis actum ſupra Controvers. XXXVIII. ubi Adverſariorum objectiones contra cœlibatum & caſtitatem Clericorum propoſuimus & ſolvimus.

XIV. Errorem hunc Eccleſia in duobus Concilijs expreſsè damnavit. Primum fuit Romanum à Joanne XXII. coactum. Alterum Conſtantienſe, in quo Seſſ. VI. Wicleffi Religioſorum & votorum Monaſticorum hoſtis memoria fuit anathematizata, ac corpus ejus atque oſſa exhumari, & procul ab Eccleſiæ finibus proijci viſſa ſunt. In multis alijs Concilijs ac nominatim in Trid. Seſſ. 25. c. cit. Religioſæ vitæ inſtitutum, ac votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ obſervantia multùm commendatur; quod idem copiosè faciunt SS. Patres, qui Religioſos homines hiſce votorum vinculis oneratos *nobiliorem Eccleſiæ portionem, ſelectiorem partem, illuſtriorem Eccleſiaſtici germinis florem* appellant, alijſque præclariſſimis encomijs extollunt, ut videre eſt apud Platum de bono Status Religioſi Lib. 1. c. 11. Quæ à Sectarijs objecta fuerunt, ita futilia, falſa, ac impia ſunt, ut non refutationem, ſed ſolùm deteſtationem mereantur. Nihilominus ut eorum abſurditas magis omnibus innoteſcat.

XV. Reſpond. 1. *ad Objectionem 1. contra Monaſticam vitam univerſim.* Negando illud ſtolidum Adverſariorum principium: Deo nullum eſſe exhibendum cultum, qui ab eo præceptus non ſit: aut omnem Dei cultum voluntarium (qui ſcilicet à Deo præceptus non ſit, ſicuti non ſunt præcepta vota) eſſe ſuperſtitioſum, aut idololatrium. Ex quo loco Sac. Scripturæ hoc oſtendunt? Nonnè David, ut ſupra jam dixi, alijque jurarunt? ubi iſte cultus Dei, qui in invocatione divini teſtimonij continetur, eſt præceptus? Loca ex Sac. Scriptura adducta nihil prorſus faciunt ad rem; agunt enim de fide ac præceptis divinis, in quibus Chriſtum audire ac ſequi debemus: & de ijs, quæ Apoſtoli annunciarunt nobis; hæc autem non negliguntur, ſed exactiùs obſervantur à Religioſis, dum iſti præter illa præcepta etiam concilia ſequuntur, quæ Chriſtus & Apoſtoli non quidem præceperunt, attamen ſuaſerunt, ut ſupra jam oſtendimus. Ad 2. Negamus vota Monaſtica à tramite Verbi Dei aberrare; nec hujus ulla affertur probatio, ſed mera mendacia & hæreticæ calumniæ; negamus eadem eſſe frequenter indeliberata, injuſta, temeraria, impia ac ſuperſtitioſa; ſed illa ipſa vota monaſtica eſſe pia, laudabilia, Sancta, maximo auctoritatis ac rationis pondere ſupra probavimus, & firmavimus; quod argumentum noſtrum tam improbis criminationibus & levibus cavillis non enervatur. Eaſdem hæreticas cavillationes & calumnias poſtquam Molinæus loc. cit. effudit in eos, qui vota Religioſa v. g. caſtitatis edunt, perinde ipſos facere ait, ac ægrum, qui vovet nunquam deinceps ægrotare. Negatur ſtolidiſſima paritas; cum iſtud in poteſtate ægri non ſit, ſicuti tamen in hominum eſt poteſtate caſtitas per gratiam divinam obſervanda; aliàs nec Chriſtus nec Paulus illam hominibus ſuaſiſſent, & cum promiſſione cæli ad eandem invitaſſent; ſiquidem nullus homo prudens ſuadet alteri, ut mare exhauriat, ut montem tollat, ut in cælum evolet, cum hæc impoſſibilia ſint. Inde D. Auguſtinus Lib. de Grat. & Lib. Arb. c. 4. bene ſcripſit: *Nunquid non liberum Arbitrium Timothei eſt? Exhortatur Apoſtolus dicens: contine teipſum; & in hac re poteſtatem voluntatis*

tatis

Digitized by Google

tatis oſtendit, ubi ait, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, ut ſervet virginem ſuam. Et tamen non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt; quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt; quibus autem datum eſt, ſic volunt, ut impleant, quod volunt. Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & DEI donum eſt, & liberum arbitrium. Unde clariſſimè apparet, hominem optionem & libertatem habere ſtatum caſtitatis vel matrimonij apprehendendi, & conſequenter gratiam, virtutémque DEI ſervandi caſtitatem; ſiquidem aliquis in ijs rebus, quas impoſſibiles novit, nec optionem nec libertatem habet, nec etiam, ſi ſanæ eſt mentis, illas intendit atque appetit.

XVI. Reſpond. 2. *In ſpecie ad 1. Objectionem contra Votum Paupertatis.* Allato textui ex Deuteron. 15. v. 14. *mendicus non erit inter vos*, opponi in eodem capite verſum 11. *non deerunt mendici in terra tua.* Pro his conciliandis advertendum, DEUM Judæis promiſiſſe magnam rerum abundantiam, ſi ejus præcepta ſervarent, & ideo voluiſſe, ut conarentur, ne quis ex ipſis mendicare cogeretur; quia verò ipſum perficere hujus conatûs non erat in poteſtate ſingulorum, maximè imminutâ DEI benedictione ob præceptorum tranſgreſſionem, ideò adjectum v. 11. *non deerunt mendici in terra tuâ.* Prius ſolùm, nempe conatus fuit præceptus, non ipſum perficere ſeu conſecutio finis, ut bene interpretatur Tirinus ajens, hoc ex Verſione LXX. Interpretum patere; præceptum autem iſtud & promiſſio temporalis abundantiæ pertinuit tantùm ad veterem Legem, & in novâ Lege ſimiles promiſſiones fuerunt commutatæ in benedictionem ſpiritualem. Unde mendicitas Religioſorum magnæ gratiæ ferax non repugnat legi divinæ Novi Teſtamenti, ſed ei valde eſt conſentanea. Pſal. 36. & Prov. 30. ſermo eſt de paupertate involuntaria, quæ ſine dubio non eſt optimi conſilij mater; talis autem non eſt paupertas Religioſorum. Apoſtolus ad Theſſalon. loquitur de hominibus prorſus otioſis, quales non ſunt Religioſi partim Spiritualibus exercitijs, partim ſtudiis, partim labore manuum occupati. Ad 2. Actor. 20. Axioma iſtud: *beatius eſt dare, quàm accipere*, licet ex varia ratione veriſſimum ſit, ut videre eſt apud Tirinum in cit. loc. non tamen procedere primò in divinis, ubi tam nobile eſt accipere, quàm dare divinitatem, ut notat S. Auguſt. ſecundò in injurijs, quas accipere beatiùs eſt, quàm dare. Tertiò cæteris paribus, beatius eſſe dare omnia ſua ſimul propter Chriſtum, & accipere poſtea aliquid modicum, quàm parùm dare, & nihil accipere: ſimiliter beatiùs eſſe accipere temporalia, ut poſſis expeditè & commodè dare ſpiritualia, quàm nihil accipiendo impediri à ſpiritualibus dandis, ut bene Bellarm. L. 2. de Monachis c. 46. Ariſtoteles loquitur de homine politico, qui uxorem, & Rempubl. & liberos cum alijs habere velit: Secus eſt de felicitate Chriſtiana, cui in hac vita ſufficit modica corporis ſuſtentatio.

XVII. Ad 3. Mendicitatis moleſtiam abundè compenſari cœleſti mercede miſericordibus promiſſa: nec ideo minùs dari alijs pauperibus; etenim qui in Religioſos ſe liberales exhibent, à Deo benedictionem conſequuntur, ut etiam alijs largiri valeant juxta illud 2. ad Corinth. 9. v. 8. *potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Taceo illos quibus de victu quotidiano per ſtabiles reditus proſpectum eſt, non conſueſſe mendicare. Ad 4. Quomodo Religioſi Deum tentant, dum faciunt, quod ipſe ſuaſit, & amore illius omnia bona abjiciunt, ac certam ſpem retinentes vi promiſſionis Chriſti de centuplo confidenter dicunt: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, Pſal. 22. v. 1? Ad 5. Religioſos, licet dare non poſſint grandes eleemoſynas corporales, dare tamen ſpirituales, quæ ſunt multò præſtantiores, ſcilicet concionando, confeſſiones audiendo, ſacrificando &c. Ex his ajunt Theologi Morales eleemoſynam eſſe dandam potiùs Religioſo minùs egenti, quàm non Religioſo magis egenti. tum quod Religioſus præter alios titulos omnia ſua jam dederit pauperibus; inde enim debetur ei victus è bonis pauperum, quaſi ex juſtitia. tum quod eleemoſyna ſit danda meliori; cum autem judicare non poſſimus de internis, danda eſt potius profitenti majorem Sanctitatem; niſi conſtet de mala vita hujus Religioſi; excipitur tamen extrema neceſſitas, in qua prius ſuccurrendum illam patienti, etiamſi melior ſe offerat.

XVIII. Reſpon. 3. *Itidem in ſpecie ad objectionem 1. contra votum Obedientiæ.* Apoſtolum 1. Corinth. 7. monere tantùm illam ſervitutem cavendam, quæ à divino ſervitio abſtrahit, cujuſmodi non eſt ſervitus Religioſa. Negari etiam poteſt Major. Nam Religioſi per votum Obedientiæ ſe faciunt ſervos Dei, non hominis; cum electus Prælatus ſolùm ſit internuncius & Vicarius Dei voluntatem indicans, quamdiu præcipit ſecundùm regulam ordinis, & res præcepta abſque peccato fieri à ſubdito poteſt juxta illud Luc. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit.* Multùm etiam differt Regimen Politicum, & multo magis Religioſum à deſpotico herili; quippe iſtud eſt in bonum Gubernantis: illud verò in bonum Subditi. Non obſtat, Religioſos in jure paſſim comparari ſervis: item ex doctrinâ Suarez. Tom. 4. de Relig. Tract. ult. poſſe Prælatum præcipiendo uti poteſtate & juriſdictionis & proprietatis. Nam Religioſus ideo ſervis comparatur, quia neutri ſibi aliquid acquirunt: poteſtas etiam illa Prælatorum non niſi Vicaria eſt. Ad 2. Religioſos aliquos ideo per ſummum Pontificem ab Epiſcoporum juriſdictione eſſe exemptos, quod Epiſcopi ſæculares eorum inſtituta non calleant, adeóque non bene moderari illos valeant abſque ſpiritualis quietis perturbatione, quæ quies in Religionibus quæritur. Ad 3. Religioſos non vovere omnimodam obedientiam in omnibus omnino rebus, ſed tantùm in rebus juſtis; unde ſi quid apertè iniquum alicui præciperetur, non teneretur obedire; in dubijs tamen judicio ſuperioris ſtare debent; qui ſi fortè moraliter erraret, illis non imputaretur ad peccatum ob ignorantiam invincibilem; quippe non tenenrur juſſa ſuperiorum examinare. Ad 4. conſtare ex recens dictis; Nam cæca obedientia non tam craſsè & ſtupidè cæca eſt, ſicuti ſibi imaginatur Gerhardus fol. 316. quaſi omne prorſus lumen excluderet, & non adverteretur, an juſtum Deoque conforme, aut iniquum vel repugnans Deo ſit, quod mandatur; ſed dicitur cæca, quia obediens in omnibus omnino rebus, in quibus apertè peccatum non apparet, promptiſſimè ſuâ ſe libertate abdicat, & alterius voluntati hu-

millimè ſe ſubdit, nec ſuæ electioni ac placito quidquam vult eſſe permiſſum. Hinc apud Religioſos cæcè (ſive ſimpliciter) obediendo magna oritur delectatio; qui enim ſeipſum ita exuit, non manet vacuus, ſed DEO & cœleſtibus hujus delitijs plenus.

CONTROVERS. XL.

DE PURGATORIO.

AB Eccleſia Militante progredimur ad Purgantem, quam conſtituunt Animæ illæ, quæ ex hac vita nullius quidem peccati mortalis conſciæ: at venialis culpæ maculâ inquinatæ aut pænæ ſolvendæ debito gravatæ diſceſsêre; atque idcirco nec Beatitudine adhuc potiuntur: neque tamen etiam inferni ſupplicijs afficiuntur, ſed adhuc à gloria cœleſti differuntur, dum ſive per ignem, ſive quamcunque aliam pænam ab inquinamento illo purgentur, & in felicem illum Beatorum numerum admiſſæ æternâ Dei viſione fruantur. Eſt autem celebris hæc Controverſia de Purgatorio propter modernos hæreticos, qui licet poſt Lutherum parentem ſuum in varias ſectas ſint diviſi, omnes tamen in hoc conveniunt, ut Purgatorium tollant.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima, Datur Purgatorium, hoc eſt, Locus, ubi Animæ, quæ in hac vita pænas ſuorum peccatorum etiam remiſſorum non ſolverunt, aliquamdiu punientur. Ita omnes Catholici, & definitur in Trid. Seſſ. 6. can. 30. *Si quis poſt acceptam Juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pænæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, Anathema ſit.* Et quamvis hic Articulus fidei ſub nomine Purgatorij in Sac. Scriptura non exprimatur, tamen adeo clarè indicatur, ut adhibito diſcurſu rationis infallibiliter inde colligi poſſit. Probatur igitur 1. ex ipſis Verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. v. 15. *ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Unde ſic argumentamur: Si poſt hanc vitam datur ignis, in quo Juſti puniuntur, antequam in cœlum admittuntur, datur Purgatorium. Sed verum eſt Antecedens. Ergo & Conſequens. Major per ſe patet. Nam hæc eſt definitio Purgatorij. Minor probatur ex citatis verbis Apoſtoli; loquitur enim de ſtatu alterius vitæ, ut conſtat ex antecedentibus, ubi loquebatur de die Domini, in quo manifeſta ſunt opera hominum, quod accidet in judicio univerſali, vel particulari poſt hanc vitam futuro, & ait fore per ignem, per quem aliqui ſalvandi tranſire debent, non ſine detrimento & afflictione. Adductum locum Sac. Scripturæ pro Purgatorio accipiunt SS. Patres Ambroſius ſerm. 2. ſuper Pſal. 128. Hieronymus ſuper 4. cap. Amos, & alibi. Greg. lib. 4. dial. c. 29. D. Auguſtinus in Pſal. 37. fusè & clarè, atque alij apud Bellarm. L. 1. de Purg. c. 6. Ut autem vis hujus argumenti meliùs perſpiciatur, totum locum Apoſtoli adduco, qui v. 10. ſic ſe habet: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat; unuſquiſq; autem quomodo ſuperædificet, videat; ſi quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fænum, ſtipulam, uniuſcujuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit, ſi cujus opus manſerit, quod ſuper ædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

II. Declarationem iſtorum verborum, & Architectonicæ allegoriæ ex ſtatu rerum, qui tunc fuit Corinthi, dant Doctores in hunc modum. Cum S. Paulus poſt jactum Corinthi Eccleſiæ ac Fidei Catholicæ fundamentum aliò diſceſſiſſet, operi cœpto perficiendo alij ſucceſsêre; è quibus aliqui ſimplici ſermone utiliter ſuperſtruxerunt: alij vanæ laudis cupidi politiore dictione non ita fructuosè docuerunt; unde ortum diſſidium inter Corinthios, & pro ſuo quiſque affectu his vel illis adhæſit. Hoc reſciens Apoſtolus ad tollendum diſſidium Epheſo epiſtolam ſcripſit Corinthum diverſa Doctorum ſtudia per ſimilitudinem architecturæ declarans; nempe quod jacto ab ipſo fundamento illi ſuperſtruxerint materiam ſolidam auri, argenti &c. iſti verò fragilem ligni, fœni &c. Chriſtus autem in die judicij ambos ſit exactè examinaturus; priores quidem ad remunerationem: poſteriores verò ad temporalem ignis punitionem in purgatorio ob levem vanæ laudis culpam. Non dicant Adverſarij, S. Paulum loqui de extremo judicio, adeóque locum iſtum non pertinere ad purgatorium. Nam ante Judicis adventum ignis aliquot diebus præcedet, & elementa ac cœlos exuret, teſte S. Petro epiſt. 2. c. 3. v. 12. quo incendio multi etiam homines adhuc vivi conſumentur, & ſtatim particulare judicium ſuſtinebunt, ac in purgatorio punientur ante publicum judicis adventum. Hinc apparet, Apoſtolum nomen ignis variè accepiſſe 1. pro vero igne Chriſtum Judicem antecedente juxta Davidis pſal. 96. v. 3. prædictionem. 2. Metaphoricè pro exactiſſimo Judicis examine. 3. Speciem pro genere, hoc eſt, pro omni pæna & ſupplicio, atque ideò dixiſſe aliquos *Salvandos quaſi per ignem*; ſiquidem in purgatorio non ſolùm cruciantur igne, ſed varijs pœnis.

III. Probatur 2. Purgatorium ex verbis Chriſti Matth. 5. v. 25. *Eſto conſentiens Adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*; quaſi diceret: ſicut homines prudentes, quando cum aliquo vicino habent controverſiam, ſtudent rem amicabili compoſitione tranſigere, ne in judicium inducantur, & ibi ſecundùm rigiorem juris procedatur, ita vos ſtudete, lites cum proximo amicè componere, dum eſtis in hac via, ne ad Dei tribunal citati ſeveriſſimè mulctemini, donec ad obulum ſatisfaciatis. Unde ſic argumentamur. Si datur aliquis carcer poſt hanc vitam, in quo peccatores detinentur,

donec

donec pro reatu pænæ ad unguem ſatisfaciant, tunc datur purgatorium. Atqui verum eſt antecedens. Ergo &c. Major conſtat ex definitione Purgatorij, qui eſt locus pænalis, ſed temporalis. Minor patet ex cit. verbis Chriſti. Hunc locum pro Purgatorio ſumpſerunt Origines Hom. 35. ſuper Lucam. D. Cyprian. L. 4. Epiſt. 2. S. Ambr. ſuper cap. 12. Lucæ: S. Hieron. ſuper cap. 5. Matth. ubi ait: *Hoc eſt, quod dicit, non egredieris de carcere, dum etiam minuta peccata perſolvas.* Videri poteſt Bellarm. loco cit. & Tirin. ad prædictum textum. ubi ait, Turrianum & plures alios velle, tunc exhauſtum fuiſſe à Chriſto totum Purgatorium.

IV. Probatur 3. ex verbis Chriſti Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neq; in futuro.* Unde ſic argumentamur, ſi aliqua peccata in futuro ſæculo primùm remittuntur, tunc datur Purgatorium, id eſt, locus pænæ poſt hanc vitam luendæ. Sed verum eſt Antecedens: Ergo & conſequens. Major probatur. quia remiſſio culparum poſt hanc vitam non eſt gratuita ſine omni ſupplicio, cum nec in hac vita (ubi eſt tempus gratiæ) ſic remitti ſoleant peccata, ut conſtat exemplo Moyſis Num. 27. n. 13. & Davidis 2. Reg. 12. v. 13. quanto minùs in altera vita, ubi eſt tempus Juſtitiæ, ubi *redditur unicuique ſecundùm opera ſua*, & nihil condonatur. 2. ad Corinth. 5. v. 10. Ergo poſt hanc vitam debet eſſe aliquis locus, ubi puniuntur, quod vocatur Purgatorium. Minor probatur ex cit. verbis Chriſti, quibus indicat, aliqua peccata in futuro ſæculo remitti, alioquin nihil eſſet ſingulare in peccatis contra Spiritum Sanctum, ſi nullum omninò peccatum in futuro ſæculo, remitteretur. Tunc autem mortalia non amplius remittuntur, ſed tantùm venialia per contritionem, quam animæ juſtæ in ipſo puncto mortis eliciunt, remanente tamen reatu pænæ in purgatorio ſolvendæ; qui verò in ſtatu peccati mortalis moriuntur, neque de venialibus dolent, neque eorum veniam unquam obtinent. Quapropter etiam venialia eorum in inferno perpetuò puniri exiſtimat S. Thom. 1. 2. Q. 87. a. 7. ad 3. & plures cum eo ex iſto fundamento; quod veniale tam diu puniri mereatur, quamdiu exiſtit. Sed veniale damnatorum perpetuò exiſtit quoad culpam. Ergo meretur perpetuò puniri. Sed Scotus Bellarm. Coninch, Ariaga & alij plures Theologi mitiùs, ac probabilius cenſent, etiam in inferno pænas venialium finiri, tametſi culpa remaneat. Nam involuntaria permanentia peccati, quod amplius deleri nequit, non meretur permanentem pænam. Adhæc damnatorum nova peccata, quæ perpetuò committunt Deum blaſphemando, juxta communem Theologorum ſententiam nullo ſupplicio mulctantur. Cur ergo ſola complacentia in priſtino peccato continuò puniatur? In hunc ſenſum prædicta verba Chriſti intelligunt S. Auguſt. L. 21. de Civit. c. 24. ajens *non veraciter diceretur, quod eis non remittatur neque in hoc ſæculo, neq; in futuro, niſi eſſent quibus remitteretur in futuro.* S. Gregor. M. L. 4. Dial. c. 39. venerabilis Beda ſuper c. 3. S. Bernard. Serm. 66. ſuper Cant. &c.

V. Probatur. 4. ex ſecundo Lib Machab. ubi Judas Machabæus in conflictu cum hoſte aliquam cladem paſſus toti exercitui contributionem indixit Hieroſolymam mittendam, ut pro animabus interfectorum ſacrificia offerrentur, quod his verbis narratur c. 12. v. 43. *& factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur.* Unde ſic argumentamur. Si bonum eſt pro mortuis orare, ut à peccatis ſolvantur, tum datur purgatorium, ſed verum eſt Antecedens; Ergo & Conſequens. Minor conſtat ex cit. verbis Sac. Scripturæ. Major probatur, quia ſi omnes animæ defunctorum eſſent in Cælo, vel in Inferno, tum vanum eſſet pro illis orare, quia Beati non habent peccata, à quibus ſolvantur: damnati verò non poſſunt amplius liberari. Ergo datur tertius locus medius inter cælum & infernum, ubi rei pro ſuis peccatis aliquantùm torquentur, quod eſt ipſum Purgatorium. Hoc argumentum, quia valde torquet hæreticos, ideo omnibus modis laborant, ut libros Machabæorum è canone Scripturæ expungant, quorum argumenta ſupra Cont. 4. §. 45. diſſolvimus. Nunc demus hos Machabæorum libros, non eſſe Canonicos, ſaltem ea ipſis fides adhibenda eſt, quæ Livio, Plinio, Plutarcho, & alijs hiſtoricis fide dignis adhibetur. Unde clarum erit, ante 1700. annos apud ſupremos Hebræorum & totum populum Judaicum pro re certiſſima fuiſſe creditum, *Sancte & ſalubriter pro defunctis orari.*

VI. Prob. 5. Authoritate SS. Apoſtolorum, qui ſemper in Miſſa ſoliti ſunt pro defunctis orare, ut conſtat ex antiquiſſimis Liturgijs, ſeu Miſſalibus S. Petri, S. Jacobi, S. Matthæi, S. Marci, quæ adhuc extant. Accedunt Conciliorum & Patrum teſtimonia, quæ latè adducit Bellarm. de Purgatorio L. 1. c. 5. & 6. Sufficiat nobis S. Auguſtinus, qui in L. de cura pro mortuis c. 1. ſic ſcribit: *In Machabæorum Libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium, ſed etſi nunquam legeretur in veteribus Scripturis, non parva tamen univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine viget, eſt Authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum etiam ſuum habet commendatio mortuorum.* Et cap. 4. ibidem: *non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica Societate defunctis ſuſcepit Eccleſia.*

VII. Probatur ultimò tot Apparitionibus Animarum ſuffragia poſtulantium, & ijs impetratis pro ſua liberatione gratias agentium, ut multi digni fide Scriptores teſtantur, quos omnes mendacij arguere magnæ temeritatis & impudentiæ fuerit. Placet ex omnibus unam afferre. Narratur in veteribus Annalibus à Pithæo editis apud Baron. Anno Chriſti 874. Ludovicum I. Imperatorem poſt triginta annos ab obitu apparuiſſe Filio ſuo Ludovico II. eumque ſic latino ſermone affatum fuiſſe: *Adjuro te per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando habere poſſim vitam æternam.* Mox Filium ad cuncta Regni ſui Monaſteria epiſtolas deſtinaſſe, obnixè rogando, ut pro anima Patris ſui SS. Sacrificijs ac precibus ſuis apud Deum intervenirent. De his apparitionibus dicunt hæretici, non eſſe Animas hominum, ſed dæmones illudentes. Non negaverim, diabolum ſubinde aſſumptâ ſpecie animarum hominibus impo-

imponere, ut teſtantur Chryſoſt. hom. 2. de Lazaro. Et S. Auguſt. L. de cura pro mortuis c. 13. Et Lib. de Anima & Spiritu dubitat, utrum ipſæ animæ, an Angeli eorum loco appareant. Attamen apparitio dæmonis non præſumenda, niſi effectus id ſuadeat. Credibilius eſt, SS. Angelos pro animabus in purgatorio ſubinde apparere; conſtat enim ex hiſtorijs, aliquos apparuiſſe loco Sanctorum, v. g. in Specie S. Antonij, ut tradit Nigronus Tract. de otio. remed. 3. Et loco S. Marcelli Martyris, ut refert Baron. Tom. 9. Anno 828. Ipſius quoque DEI perſonam Angelos in veteri Teſtamento quaſi in Comœdia repræſentaſſe, ex S. Literis conſtat. Nam Exod. 20. v. 1. dicitur: *Deus locutus per Angelos decalogum tradidiſſe*, & tamen illam locutionem Angelis adſcribit Paulus ad Gal. 3. v. 19. ajens: *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt, ſequeſtri inter Deum & hominem ſcilicet Moyſis. Quid ergo mirum, ſi quandoque loco animarum Purgatorij Angeli eorum appareant, & illis ſuffragia procurant; etenim dicendo, ſe eſſe illas animas, non mentiuntur, ſicuti Actores in Comœdijs aliorum perſonam repreſentantes, mentiri à nemine cenſentur, ſi dicant ſe hos, illos, vel alios eſſe.

VIII. *Doctrina ſecunda.* Quamvis locus Purgatorij ſit ſubterraneus inter Limbum & Infernum medius, igne plenus, tamen non omnes animæ ibi purgantur, ſed quædam ſingulari Dei ordinatione ſupra terram variè in varijs locis puniuntur, ſicuti conſtat ex multis hiſtorijs; DEUS enim habet varios modos puniendi & purgandi amicos ſuos. S. Gregorius L. 4. Dialog. c. 5. refert, cujuſdam defuncti animam pro ſua pæna in balneo lavantibus inſervire debuiſſe. Sanctus Conradus Epiſcopus Conſtantienſis, & S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus cum aliquando inambularent animi levandi cauſâ, & cadentes ex alto Rheni aquas arbitrarentur, geminas ibi animas volucrem inductas torqueri cognoverunt, pro quibus ſimul ac ad aram fecerunt, ad cælum viſæ ſunt evolare. In vita S. Conradi. Faſt. Mar. die 26. Nov. Henriquez in faſciculo Ord. Ciſtert. L. 2. diſt. 7. c. 1. teſtatur, cuidam Monacho Ciſtertienſi revelatas varias pænas purgantium Animarum; quarum aliquæ ſemper diſcurrebant per mundum, aliæ in tectorum ſtillicidijs ſtabant, omnium tempeſtatum injurijs expoſitæ. Imò quædam nullo ſenſibili dolore, ſed ſolâ beatitudinis dilatione afficiuntur, quod vocatur Purgatorium deſiderij, ut affirmat Abbas Bloſius in ſuo Monili Spirituali c. 12. fol. 495.

IX. *Doctrina tertia.* DEUS precibus & alijs pijs operibus viventium exoratus pænas Purgatorij condonat, vel ſaltem mitigat, aut abbreviat. Ita de fide tenent omnes Catholici ex Concilio Trid. Seſſ. 25. decreto 1. ubi definit, *Purgatorium eſſe, animáſque ibi detentas Fidelium ſuffragijs potiſsimùm acceptabili Altaris Sacrificio juvari*; quod paulo ante ex Libr. Machab. probavit. Meritò autem Concilium Sacrificio Miſſæ defert primas, quia nihil illo efficacius eſt ad animas juvandas propter Paſſionem Chriſti, quæ ibidem repræſentatur & applicatur. Nec ſolùm viventium preces & ſuffragia illis proſunt, ſed etiam Beatorum in Cœlis, præſertim B. Virginis, quæ ſingulari privilegio à Deo donata eſt, ut in ſuis Feſtis poſſit aliquot animas è Purgatorio liberare, ut ſibi Romæ per viſum fuiſſe oſtenſum, teſtatur Card. Damiani Tom. 3. opuſc. 34. quod etiam diebus ſabbatinis cultui B. Virginis peculiariter deſtinatis fieri putat Emanuel Rodriquez. in Bullario & alibi. Juſti quoque rectà in Cælum euntes priùs ad Purgatorium deſcendere, & inde animas aliquot ad Cælum ſecum educere, exemplo Fr. Ægidij Franciſcani tradit Surius in ejus vita. An eædem Animæ in purgatorio invocari à nobis poſſint, non convenit inter Theologos. Negat S. Thomas 22. q. 83. art. 4. ad 3. Affirmat Medina de Oratione. q. 4. & favet exemplum S. Catharinæ Bononienſis. Videatur Tanner Tom. 4. D. 5. Q. 1. n. 89.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

X. Error primus. Non datur Purgatorium. Ita Lutherani apud Menonem Hanneken in Iren. à fol. 385. Gerhard. L. 2. Part. 2. fol. 422. Item Calviniani apud Ameſ. Tom. 2. L. 5. fol. 18. & Molinæum in Neopap. à fol. 612. pertinaciſſimè negantes, & petulantiſſimè irridentes Purgatorium tanqnam figmentum, ut ajunt, avarorum Sacerdotum ex Funeralibus Miſſis lucrum captantium. Probant his potiſſimum argumentis. *Primum.* Si poſt hanc vitam duo ſint tantùm loca animabus parata, nimirum Cœlum & Infernus, tum non datur Purgatorum. Sed verum eſt Antecedens. Ergo &c. Major eſt per ſe clara. Nam Purgatorium eſt tertius locus animarum. Minor probatur ex S. Litteris. Eccleſiaſtæ 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Ubi per Auſtrum & Aquilonem intelliguntur Cœli & Inferi, atque immobilis ſtatus defunctorum indicatur. Matth. 3. v. 12. ait Ioannes Baptiſt: *congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* En tantùm duo loci, horreum & ignis, id eſt, Cœlum & Infernus; ad priorrm ſpectat triticum, hoc eſt, Juſti: ad poſteriorem paleæ, id eſt, peccatores; quod adhuc clariùs dicitur Matth. 25. v. 46. *ibunt hi in ſupplicium æternum, Juſti autem in vitam æternam*, & Marci 16. v. 16. *qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt.* Ubi duo tantùm genera hominum ponuntur fidelium & infidelium, priori promittitur ſalus ſine omni judicio & pæna, poſterioribus damnatio.

XI. *Secundum.* Si Juſti ſtatim poſt mortem ingrediuntur cælum, tunc non datur Purgatorium, ubi aliquamdiu detineantur. Sed verum eſt Antecedens. Ergo & Conſequens. Major per ſe patet. Min. probatur ex Script. Pſal. 126. v. 3. *Cum dederit dilectis ſuis Somnum, ecce hæreditas Domini*; ubi per ſomnum mors, per hæreditatem cæleſtis beatitudo intelligitur, particula verò admirativa ecce continuam præſentiam indicat. Lucæ 23. v. 43. Chriſtus Latroni pænitenti ait: *hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo non ivit ad Purgatorium, licet illud vel maxime promeritus fuiſſet; quippe pro maximis ſceleribus tàm brevem & exiguam pænitentiam agens. Joan. 5. v. 24. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam.* Ergo non hæret in Purgatorio; alioquin tranſiret à morte in Purgatorium

rium, non in vitam. Apoc. 14. v. 13. *Beati qui in Domino moriuntur, amodò dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Sed qui in gratia Dei moriuntur, moriuntur in Domino; quibus amodo, id eſt, ſtatim à morte promittitur requies ab omni labore & moleſtia, quâ requie non gaudent animæ in Purgatorio, quibus identidem precamur requiem.

XII. *Tertium.* Si DEUS pœnitentibus integrè & perfectè remittit peccata, tunc non reſtat ulla pæna Purgatorij adhuc luenda. Sed illud verum eſt. Ergo &c. Major patet. Nam ſi à reo pænâ exigatur, non eſt ei plena remiſſio data peccatorum. Minor probatur ex Script. Ezech. 18. v. 22. *omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*; ac ſi nunquam factæ fuiſſent. Confirmatur exemplo Dei, de quo Chriſtus Matth. 5. v. 44. ait, *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Eſtote ergo perfecti,* ſicut *Pater veſter in cœlo perfectus eſt*; unde ſic argumentamur: Si Deus à nobis exigit plenam condonationem injuriæ à proximo acceptæ, ut nihil penitus vindictæ ab ipſo exigamus, ſed pro maleficio beneficium reddamus tunc etiam Deus, qui ſe pro exemplo hujus miſericordiæ proponit, plenam delictorum veniam largitur, nec quicquam pænæ amplius exigit. Sed iterum verùm eſt Antecedens. Ergo & Conſequens.

XIII. *Quartum* argumentum. Si poſt obtentam veniam culparum adhuc ſolvenda eſſet pæna in Purgatorio, tum Chriſtus non plenè ſatisfeciſſet pro peccatis noſtris. Conſequens eſt blaſphemum. Ergo &c. Minor per ſe patet, quia Chriſti ſatiſfactio fuit infinita ſuperans omnem culpam, etſi adhuc plures eſſent homines, & plura peccata. Sequela Majoris probatur exemplô humano. Nam ſi creditor ulteriorem ſatisfactionem exigat, non eſt ei plenè ſatisfactum &c.

XIV. Errorem hunc Lutherus poſt Apoſtaſiam ſuam non ſtatim evomere fuit auſus, ſed verbo & Scripto Purgatorium admiſit; poſtea tamen; ut cætera ſua abſurda dogmata dulcoraret, Purgatorium etiam proſcripſit, vel ex hoc execrandus, quia omni tempore pro hæreticis fuerunt habiti ab Eccleſia, qui orationem pro defunctis & pænas temporaneas futuri ſæculi, adeóque Purgatorium negarent. Præterea, quæ priori parte jam attulimus, hoc unum ineluctabile argumentum Adverſarijs opponimus. Nullus immundus & coinquinatus poteſt ingredi Regnũ Cælorum. Apoc. 21. v. 27. Omnes Lutherani & Calviniſtæ, quamdiu hic vivunt, ſunt imundi & coinquinati, & omnia eorum opera ſunt ſordes, iniquitas apud Deum. Ergo non intrabunt in Cœlum, niſi prius purgentur. Atqui non purgantur in hac vita, uti ipſimet fatentur, quia manent ſemperr peccato originali & cæteris flagitijs contaminati. Ergo in altera vita. Ergo vel datur Purgatorium in alterâ vita: aut ſi non datur, omnes Lutherani & Calviniſtæ inferno damnantur æternùm. Ecce, dum Purgatorium negant Sectarij, idque vitare tentant, inferno ſe ſe æternùm mancipant, ejúſque infelices fore incolas demonſtrant. Argumenta non majorem contra veritatem Catholicam vim habent, quàm ſtramen & ſtipulæ contra ignem. Itaque

XV. Reſpondetur 1. *ad primum argumentum*, diſtinguendo; poſt hanc vitam duo tantùm ſunt loca ultima & perpetuò duratura, concedimus: intermedia & temporanea, negamus. In hunc modum ſæpe intelligendi ſunt textus Sac. Scripturæ & Patrum; quia agunt de extremo judicio, ubi ceſſat purgatorium. Speciatim verò quædam loca conſiderando. Textus Eccleſiaſtæ, quò maximè triumphant Adverſarij, nihil prorſus ad rem facit, quia non loquitur de ſtatu animæ poſt mortem. Sed de ſtatu corporis morte proſternendi, quaſi arboris, quod ſuâ virtute non poteſt reſurgere, niſi Deus erigat. Si autem velimus ad animam applicare, nomen Auſtri vel Aquilonis non ſumendum pro certo loco; ſed pro ſtatu gratiæ vel peccati; Nam in quo ſtatu aliquis deceſſerit, in eo ſemper manebit; ſi in peccato originali, nunquam emerget: ſi in ſtatu gratiæ nunquam excidet, ſed etiam in purgatorio illum retinebit. Locus D. Matthæi potius favet Purgatorio; loquitur enim de tritico à paleis ſeparato, & in Cœli horreum inferendo; ſi autem mixtum ſit paleis, prius ventilatur, & purgatur, ſicuti ait Joannes Baptiſta Matth. 3. v. 12. *cujus ventilabrum in manu ſuâ, & permundabit aream ſuam.* Chriſtus apud Joannem dicens, *credentes non judicari*, id eſt, non condemnari, loquitur de credentibus fide vivâ & ad normam fidei inſtituentibus vitam. Nam alioquin fideles à judicio non eximi, conſtat ex Matth. 25. v. 32. *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Videantur Cornelius à Lapide, Tirinns, & alij in cit. loc.

XVI. Dicit Ameſ. fol. 105. Chriſtum Matth. 25. duos ſolùm feciſſe hominum ordines, diſtinguendo oves ab hædis in hac vita, & poſtea in æternum, ideóque allatos ſcripturæ locos male explicari, & non dari tertium ſtatum; certè Chriſtus in illa hominum ſeparatione hunc non omiſſurus fuiſſet. Reſp. alibi ſatis clarè Chriſtum indicaſſe ſuum ſenſum de peccatis remittendis in alterâ vita, ut patet ex priori parte. Matth. autem 25. tantùm tradere nobis voluiſſe doctrinam de duobus ordinibus hominum pro tota æternitate, ut ſatis patet ex clauſula: *ibunt ergo illi in vitam æternam: hi in ignem ſeu combuſtionem æternam.* Urget quando Deus in extremo judicio facturus eſt prædictam ſeparationem, utique invenientur homines cum ſolô peccato veniali & reſtante aliqua pæna, pro quibus tamen non aſſeritur tertius ſtatus. Ad hanc Inſtantiam jam reſponſum ſupra §. 11. in fine. Addimus, poſſe Deum variè providere, & rem ita diſponere, ut vel nulli tales ſint, qui purgatorio ulteriore indigeant, vel breviſſimo tempore intenſio cruciatûs extenſioni longioris temporis reſpondeat.

XVII. Reſpond. 2. *ad ſecundum argumentum*, negando Minorem, quod omnes animæ Juſtæ ſtatim à morte Cœlum ingrediantur. Nam promiſſiones vitæ æternæ illis factæ ſunt cum tacita iſta conditione, ſi ſufficienter mundatæ ac purgatæ fuerint, vel propriâ pænitentiâ vel pænis purgatorij; quia *nihil coinquinatum introibit & admittetur in Cælum* Apocal. cit. Loca Sac. Scripturæ in contrarium allata nihil efficiunt. David Pſal. 126. nomine hæreditatis non intelligit cœleſtem Beatitudinem, ſed filiorum & hæredum; ſic enim loquitur: *Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventrii*, quaſi diceret, juſti non morientur ſteriles, ſed relinquent filios hæredes, qui ſtemma propagent, uti ex communi ſenſu PP. locum hunc interpretatur Tirinus. Illud ad bono latrone privilegium ſingu-

ſingulariſſimum minimè in exemplum trahi debet. Addo, eundem à S. Cypriano & Auguſtino vocari Martyrem, ut ejus pœnitentia tam levis non fuerit. Joannis 5. nomine Judicij non intelligitur examen judiciale & temporalis punitio, ſed æterna damnatio, à qua immunes erunt fideles vivâ fide credentes, & fidem ſuam operibus teſtantes. Interim aliquas pænas ſubinde ſuſtinere debent; nam illa particula *à morte* non ſignificat ſtatim à morte, ſed poſt mortem ſive mediatè ſive immediatè juxta phraſin hebraicam. In Apocal. ſimiliter particula *amodo* non reſpicit mortem, ſed finem mundi, de quo ibi agitur; ſimile exemplum habemus Matth. 26. v. 64. in paſſione, ubi Chriſtus de extremo judicio ait: *amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli*, quod tamen non ſtatim ſed poſt multa ſæcula fiet. Ergo vox amodo non ſignificat ſtatim, ſed poſthac ſuo tempore. Videatur cit. Author.

XVIII. Dicit Ameſ. fol. 189. animas in Purgatorio non poſſe à peccato veniali purgari; etenim qui non poteſt incidere in culpam, non poteſt de eadem liberari. Sed animæ ſeparatæ fidelium non poſſunt incidere in ullam culpam. Ergo. Reſp. Negando Antecedens, & diſtinguo Majorem, concedendo eam de mortalibus: negando verò de venialibus; etenim ab his poteſt anima ſeparata per actum dilectionis, ſeu contritionis liberari quoad culpam: quoad pænam verò ſatiſpati. Ita tradit S. Thom. in 4. diſt. 21. Q. 1. art. 2. & hoc ipſum nos ſupra §. 3. inſinuavimus; Nam acceptatio illa pænæ à DEO inflictæ poteſt dici & dilectio Dei, & contritio ſeu virtualis quædam pænitentia, & licet non ſit propriè meritoria, quia non meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen eſt remiſſoria peccati.

XIX. Reſpond. 3. *ad tertium argumentum*. Negando Minorem, quod Deus ſemper totaliter remittat culpam & pænam, ut conſtat evidentibus exemplis Moyſis, & Davidis, quibus poſt remiſſam culpam nihilominus temporalem aliquam pænam impoſuit. Quare promiſſio illa apud Ezechielem facta: *iniquitatem ejus non recordabor*, conditionatè intelligenda eſt, ſi debitam pænitentiam egerit, ſicut præceſſit v. 21. *Si impius egerit pænitentiam, & cuſtodierit omnia præcepta mea & fecerit judicium & juſtitiam &c.* Ad confirmationem negamus quoque Minorem; ſiquidem Deus à nobis non exigit dilectionem inimici omnimodam & ſub quovis reſpectu etiam peccatoris; ſed ſolùm, quà Dei creatura eſt, & ad æternam beatitudinem ordinatus; perinde ut ipſemet Deus non amat peccatores, ut tales, *cum odio ſint Deo impius & impietas ejus* Sap. 4. v. 9. Quapropter cum dicto odij moderamine ab illis, qui nos læſerunt, aliquam reſtitutionem & ſatisfactionem requirere poſſumus; alioquim omnes proceſſus judiciales de injurijs tolli deberent. Dicit Ameſius fol. 189: in Purgatorio non eſt meritum. Ergo nec ſatisfactio. Negatur Conſequentia; quia etſi in aliquibus conveniant ſatisfactio & meritum, differunt tamen, quod ad hoc requiratur ſtatus viæ; & libertas: non verò ad illam. Aut ne lis ſit de nomine; dicamus, animas in Purgatorio ſatiſpati, ſeu ſatiſpaſſionem exhibere poſſe, ut loquuntur aliqui Theologi, quos ſupra §. 4. ſecuti ſumus.

XX. Reſpond. 4. *Ad quartum argumentum*, duplicem eſſe ſatisfactionem pro peccatis; unam in actu 1. alteram in actu 2. In actu 1. ſatisfacere pro altero ſignificat ſufficiens pretium ſolutionis ſubminiſtrare, ſi debitor uti velit, ſicuti alicubi homines pij conferunt magnam ſummam pecuniæ, quam vocant montem pietatis, ut pauperes obærati poſſint inde accipere auxilium pro ſolvendis debitis, ſi velint debito modo uti. In actu 2. ſatisfacere pro alterô ſignificat pecuniam ipſam creditori loco debitoris numerare, ut nihil amplius exigere valeat. Jam Chriſtus pro noſtris peccatis abundantiſſimè ſatisfecit in actu primo, quia tantum meritorũ theſaurũ nobis reliquit, ut, ſi velimus uti per media nobis præſcripta, poſſimus delere omnem culpam & pænam: non autem ſatisfecit in actu ſecundo, quia adhuc multi damnantur, ſed oportet adhibere media, & Chriſti merita nobis applicare per pænitentiam & Sacramenta &c. Inſtat iterum Ameſius fol. 187. Si nos ſatisfaciamus pro peccatis noſtris, tùm dividimus cum Chriſto honorem, ita ut ipſe non ſit ſolus Redempror noſter, ſed nos etiam aliqua ex parte. Hoc autem nefas & incurioſum eſt Chriſto perfecto & unico Redemptori noſtro. Reſpon. negando ſequelam. Nam tota virtus operum & Satisfactionis noſtræ eſt à Chriſti ſanguine dependens, & id ipſum, quod nos coöperamur, ſpiritus illius in nobis operatur, ſicuti etiam nihil detrahitur Deo, quod cauſæ ſecundæ Deo coöperentur; imò potius additur ad gloriam ipſius. Cæterùm Ameſio, Molinæo & cæteris Sectarijs explicandum relinquo, quomodo D. Paulus ad Coloſs. 1. v. 24. rectè dixerit: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*; ſi enim applicatio meritorum Chriſti, ut ait ipſe, nihil eſt ad rem, & Redemptio ejuſdem nullam coöperationem requirit, & admittit, quomodo Apoſtolus aſſerere audet, aliquid paſſionibus Chriſti deeſſe, & hoc ſe implere? quomodo non injuriam facit per hoc Chriſto perfecto & unico Redemptori? imò quomodo ipſimet hæretici injuriam non faciant Chriſto unico & perfecto Mediatori, dum ejus merita per actus fidei ſibi applicant? Textus Sac. Scripturæ, quos Molinæus fol. 623. pro ſeadducit, intelligendi ſunt juxta datam doctrinam noſtram, quam confirmat Apoſtolus Roman. 8. v. 17. ajens: *hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut conglorificemur.* Ubi clarè apparet, ad conſecutionem Beatitudinis etiam aliquid à nobis & ex parte noſtra requiri, etiamſi Chriſtus abunde pro nobis ſatisfecerit. Ut alibi pluribus docetur.

XXI. *Error ſecundus.* Purgatorium dari, nec eſſe, nec fuiſſe unquam articulum fidei. Ita Calvinus L. 3. Inſtit. c. 5. §. 10. Petrus Martyr in Comment. c. 3. 1. ad Corinth. Gerhardus Loco ſupra cit. aſſerens fol. 429: *Purgatorium deſtitui Eccleſiæ primitivæ ſuffragio.* & fol. 433. *Purgatorio in Eccleſia à multis fuiſſe omni tempore contradictum.* Molinæus fol. 623. cit. ubi ait, *ab anno Chriſti 595. Purgatorium initium ſumpſiſſe.* & alij Sectarij. Probant 1. Quia ex Sac. Scriptura oſtendi non poteſt Purgatorium. Nam ipſi etiam Pontificij allata Scripturæ loca aliter explicârunt. Et Cottonus ex ipſo cacodæmone ſuſcitari non dubitavit; ex quo totius novi Teſtamenti loco Purgatorium commodiſſimè fulciri poſſet. 2. Quia Græci Purgatorium non

credi-

crediderunt. Unde Thomas opuſculo contra errores Græcorum hoc nomine eos perſtringit, quod non credant Purgatorium, 3. quia SS. PP. Purgatorium pro re incerta habuerunt, ut affirmat Calvinus loco cit. 4. Quia ipſimet Pontificij fatentur, Purgatorium eſſe dogma Ethnicum, Judaicum, & Turcicum. 5. denique quia Eccleſia in Miſſa Pontificia orat, ne fidelium defunctorum animas abſorbeat tartarus, id eſt, ut liberentur à ſententia damnationis in extremo judicio ferenda, non autem à Purgatorio. Ergo hujus non habet Eccleſia certam fidem.

XXII. Errori huic adverſatur, quod pro hæreticis ſemper ſint in Eccleſia Catholica habiti, qui Purgatorium negaverunt. Imò Aërius jam ante 1200. annos inter hæreticos fuit numeratus, quod ſuffragia mortuorum negârit, ut videre eſt apud Epiphan. hæreſ. 75. & Auguſt. in lib. de hæreſ. cap. 53. Hæreticus autem non eſt, qui negat id, quod de fide aut articulus fidei non eſt. Ipſe etiam Lutherus in Diſp. Lypſiaca eidem errori contradicit: *Ego*, inquit, *credo fortiter; imò auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe: facilè perſuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem: nolo mihi fieri ſuſpicionem, quaſi faveam hæreticis, aut Bohemis. Ego nihil de Purgatorio novi, niſi animas ibi pati, noſtris operibus & orationibus juvandas.* Ecce Lutherus credit fortiter tanquam articulum fidei, dari Purgatorium; fatetur hoc contineri in Sac. Scriptura, admittit bona opera, & hiſce atque orationibus animas in Purgatorio juvari; ac demum cenſet; hæreticos eſſe, qui negant, vel Purgatorium dari, vel animas in eo operibus & orationibus juvari, vel hujus extare articulum fidei; quidquid aliter alibi ſenſerit turpis Apoſtata & Proteus. Adhæc omne id eſt de fide, ſeu articulus fidei, quod à Deo eſt revelatum mediatè vel immediatè, revelatione ſcriptâ vel traditâ. Atqui dari Purgatorium omnibus hiſce quatuor modis revelatum eſt, ut patet ex doctrina prima prioris partis. Rationes in oppoſitum adductæ haud difficulter ſolvuntur.

XXIII. Reſpond. ad 1. Negando, ex Sac. Scriptura Purgatorium probari non poſſe. Adduximus in priori parte aliquot hujus teſtimonia, & viginti allegat Card. Bellarminus L. 1. à cap. 2. quæ ſi legere potuiſſent Joannes Fiſcherus, vulgò Roffenſis dictus, Chriſti in Anglia Martyr. Item Petrus à Soto, Alphonſus à Caſtro, Navarrus, & nonnulli, quos citat Gerhardus, non deſideraſſent Scripturæ loca pro Purgatorio. Alij Auctores Pontificij ſolùm volunt, ex Script. ſolâ abſque declaratione Eccleſiæ, vel abſque deductione ex alio claro Scripturæ loco aut traditione euidenter demonſtrari non poſſe Purgatorium, quod etiam fatemur cum Bellarm. L. 1. c. 11. nihilque efficaciæ probationis demit; ſicuti nec illud, quod aliqui Pontifices nonnulla loca pro Purgatorio adducta in alium ſenſum explicauerint; quia per hanc explicationem non negant alteram toti Eccleſiæ communem. Quod Gerhardus de Cottono affert, quod diabolum conſuluerit, è quo loco Scripturæ Purgatorium euidenter probaretur; eſt vna è familiaribus calumnijs hæreticorum contra Jeſuitas, ut vel ſic ſimplicibus illudant, & à veritate amplectenda illos avertant. Quod ſi forſan Cottonus, ut erat vir ingentis Zeli, aliquando energumenum exorcizans diabolum adiuraſſet, cöegiſſetque, ut ediceret, qui in S. S. Literis efficaciſſimus locus foret pro Purgatorio aſſerendo, aliter loqui debebat Gerhardus, & non tam immodeſtè effutire, Cottonum Ieſuitam ex diabolo quæſiviſſe. &c. Nam verba hæc ita crudè prolata videntur innuere comercium aliquod cum dæmone, quale Zwinglium & Lutherum habuiſſe orbi notum eſt, & ipſimet non diffitentur. de Cottono autem viro religioſiſſimo ſimile quid nec ſuſpicari unquam licuit.

XXIV. Ad 2. Græcos P. P. Originem, Baſilium M. Gregorium Nazian. Ephrem, Gregorium Niſſænum, Euſebium Emiſſenum, Theodoretum & reliquos quatuor & quinque primis ſæculis Purgatorium crediđiſſe, ut oſtendunt clariſſima eorum teſtimonia, quæ allegant Bellarm. L. 1. de Purgatorio c. 6. & Vetweis. in Speculo Eccleſiæ fol. 323. Poſterioribus autem ſæculis, etſi aliqui Græci negârint animas igne cruciari, ſemper tamen conceſsêre, quod opus habeant precibus vivorum, ut inde liberentur, uti conſtat. Nam Græci Patriarchæ & Epiſcopi in Concilio Florentino congregari Seſſ. vltima. ad interrogationē, quid de purgatorio igne ſentirent, reſponderunt primò quidem & privatim his verbis: *profeſſimus ex nobis, Iuſtorum animas perfectam laureolam in Cœlo jam conſecutas eſſe, ac impiorum perpetuas pœnas luere, medias verò in Purgatorio eſſe, quod quidem ſive ignis, ſive obſcuritas, ſive turbo, ſive id genus aliud ſit, nihil referre.* Verùm poſtea ex conſenſu communi in Litteris unionis Græci ac Latini ſic unanimiter concordârunt & definierunt: *ſi verè pœnitentes in charitate diſceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis & omiſſis ſatisfecerint, eorum animas pœnis purgatorijs poſt mortem purgari; & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis vivorum ſuffragia &c.* In eundem ſenſum poſteriores Græci anno 1560. in Reſpons. ad Cardinalem Guiſium ſe declarârunt. Item Gabriel Alexandrinus Patriarcha in epiſt. ad Clementem VIII. anno 1595. ſimilter Ruthenorum Legatus anno 1595. in fidei ſuæ profeſſione ſic ait. *conſtanter teneo, Purgatorium eſſe animáſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs juvari.*

XXV. Ex his apertè conſtat, à Sectarijs falſò aſſeri 1. Græcos vnquam Purgatorium abſolutè negaſſe, cùm tantùm aliqui negârint ignem Purgatorii, 2. in Concilio Ferrarienſi & Florentino inter Græcos non conueniſſe de Purgatorio. 3. contra Græcorum conſenſum Decreto Unionis Purgatorium fuiſſe inſertum, quæ ſanè eſt decumana & horrenda calumnia toti Occidenti injurioſa. 4. Epiſcopos Epheſinos decreto unionis noluiſſe ſubſcribere propter Purgatorium. 5. Non ſolùm contra conſenſum Græcorum, ſed etiam aliorum Decreto Unionis Purgatorium fuiſſe inſertum; hæc, inquam, omnia & ſingula longè falſiſſima ſunt, quæ tamen ab hæreticis paſſim ſparguntur. Demum etiam falſum eſt, quod ait Gerhardus, D. Thomam hoc nomine perſtringere Græcos, quod non credant Purgatorium, cum Angelicus D. loco cit. ex Theodoreto expreſsè referat hæc verba: *hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ ut aurum in conflatorio &c.* Ex his ergo ſolùm D. Thomas perſtringit Græcos, quod ignem in Purgatorio admitere nolint.

XXVI. Ad 3. palmarem & prorſus adipatam falſitatem, & calumniam eſſe graviſſimam, quod auſus fuit ſcribere Calvinus, loco cit. *veteres Patres in errorem fuiſſe abreptos, ut & ipſi Purgatorium, & precationes pro defunctis admitterent.* An non Sac. Scri-

ſed carnis voluptate: non pro doctrina vera, ſed libidine efferа. Nec hoc mirum alicui videri debet, plerique enim omnes hæreſiarchæ ex inſano mulierum amore deſipuêre. *Simon Magus hæreſin condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem. Montanus immundi ſpiritûs prædicator multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius ut orbem deciperet, Principis ſororem ante decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium mulier cæca cæcum duxit.* Hunc catalogũ D. Hieronymus in epiſt. ad Cteſiphontem pretexuit; & huic poſtea Vigilantium, Helvitium, Iovinianum addidit. Ego eidem jure Lutherum, Calvinum, Zwinglium & omnium noſtrâ ætate novarum Sectarum auctores attexo; omnes quippe in eodem Noſocomio decumbunt, & inſano mulierum amore languent, cujus mali vim infelix eorum ſoboles in ſe transfuſam incondito pro uxoribus clamore aſſiduè prædicat. Cùm interea Sacra Romano-Catholica Eccleſia in Sacris ſuis Deoque peculiariter dicatis membris, Clericis ſcil. ac Religioſis Caſtitate vireſcat, Virginitate floreat, Continentiâ vitæ vigeat, gratiſſimúmque Deo ac Hominibus odorem ſpiret.

CONTROVERS. XXXIX.

DE RELIGIOSIS, ET ISTORUM VOTIS.

CHriſtus Jeſus Dominus Noſter in terris verſans duplicis generis documenta hominibus dedit; quædam ex his ad ſalutem ſunt ſimpliciter neceſſaria v. g: de vitandis peccatis. deque lege Dei obſervandâ Matth. 19. v. 17. *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*: alia non quidem ſunt neceſſaria, ſed tamen valde utilia ad perfectionem in terris, & majorem gloriam in cœlo conſequendam; quæ nulli præcepit, ſed verbis & exemplo ſuaſit ac conſuluit; & quia perfectio in primis Charitatem, deinde omnes virtutes complectitur, quorum tamen actus non omnes ſunt neceſſarij, idcirco varia prebuit conſilia ad varias perfectiones virtutum pertinentia nominatim verò Matth. 19. tria generalia oſtendit; quæ omnium virtutum impedimenta, & omnium vitiorum materiam tollunt; nempe Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiã. De paupertate dixit v. 21. *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus.* de Caſtitate v. 12. *ſunt enim Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum æternum*; ubi juxta S.S. Patres apud Tirinum non phyſica & corporalis, ſed moralis ac ſpiritualis caſtratio intelligitur, quæ corpus non tantùm ab illicita luxuria cohibet, ſed etiam omnem facultatem aufert per ſpontaneam voluntatis obligationem. De Obedientia vers. 21. cit. *veni, ſequere me*, id eſt, abdicatâ propriâ libertate meo nutui & directioni te trade, ut apertiùs indicat Matth. 16 v. 24. *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Non negando eſſe, quod eſt, ſed ſuo arbitrio prorſus renunciando. His Chriſti conſilijs auditis vel lectis multi utriuſque ſexûs perfectionis ſtudio inflamati locum dederunt eaque accipientes non ſolùm in actu exercito obſervaverunt, ſed ad eadem obſervanda votis ſe obſtrinxerunt, ne quando inſtabilis voluntas à propoſito reſiliret, atque inde Religioſi vocati fuerunt; quamvis enim à virtute Religionis, quæ Deo debitum cultum ac honorem exhibet, omnes, qui Deum piè Sanctèque colunt, Religioſi meritò dici queant, attamen per antonomaſiam quandam Religioſi in Eccleſia ji appellari conſueverunt, qui non ſolùm communium ac neceſſariorum præceptorum obſervatione, verùm etiam per conſiliorum acceptationem peculiari vitæ ſuæ inſtituto ac nominatim votis Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ ſe totos diuino cultui mancipârunt.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. VOtum *eſt promiſſio deliberata, & ſpontanea Deo facta de bono meliore.* Defectus ejus libertatis, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, valori voti obſtat; *capit. veniens. de voto*; quia votum eſt quædam lex privata, quæ prudenter & deliberatè ferri debet. Dividitur votum in ſimplex & Solenne; quorum iſtud ex diſpoſitione Eccleſiæ eſt perpetuum, & inducit inhabilitatem ad actus quoſdam. Inſtitutum autem ſeu Status Religioſus: *eſt modus ſtabilis & ab Eccleſia approbatus vivendi in communi Fidelium ad Chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis ſubſtantialibus, per quæ vovens ſub alterius juriſdictione & poteſtate conſtituitur, adeo ut nec Pontifex facere poſſit, ut quis ſit Religioſus verus, ſine prædictis tribus votis Paupertatis Caſtitatis & Obedientiæ.* Argum. Cap. cum eo Monaſt. de ſtatu Monach. Sufficiunt tamen vota ſimplicia, ut declaravit Gregorius XIII. in Bulla: *Quantò fructuoſius*; quia ſolennitas eſt juris humani: non item eſſentia ſtatûs religioſi. His præmiſſis facilè jam oſtendemus, præter præcepta dari conſilia, eáque tum vniverſim, tum in ſpecie Paupertatem, Caſtitatem & Obedientiam voto promitti poſſe.

II. *Doctrina prima.* Ratio vitæ Religioſæ eſt ſancta, pia, ac laudibilis. Probatur 1. Exemplis ſanctiſſimorum Virorum utriuſque Teſtamenti. In veteri Genes: 4. v. 26. dicitur de Seth: *Iſte cepit invocare nomen Domini.* intellige peculiari quâdam ratione; etenim modo communi Adam & Abel Deum invocârunt. Utrum autem allata ſcripturæ verba ad Seth, vel hujus filium Enos referenda ſint; parùm intereſt. Enoch quoque ſingularem cultum Deo detuliſſe, indicatur ibidem cap. 5. v. 24. iſtis verbis: *ambulavitq́, cum Deo, & ultra non apparuit, quia tulit eum Deus.* Nazaræos peculiaribus votis Deo ſe obſtrinxiſſe, habetur in Lib. Num. c. 6. & in Libris Reg: commemorantur cætus prophetarum, qui in locis deſertis ſingulari quâdam vitæ ſeveritatæ Deo ſerviebant, inter quos Elias & Eliſæus; unde Hieronym. ad Paulinum Monachum ſic ſcribit: *ut ad Scripturarum auctoritatem redeamus, noſter Princeps eſt Elias, noſter Eliſeus, noſtri Duces prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus.* Hiſce ob peculiarem vitæ rationem jure annumerandi ſunt filij Rechab, quorum inſignis laus extat apud Ieremiam

c. 30. &

t. 30. & mira de illorum vitæ inſtituto ſcribit Joſeph L. 18. Antiq. c. 2. Et L. 4. de bello Judaico c. 7. Videri poteſt Hieron. Platus de Bono ſtatûs Religioſi L. 2. c. 19. qui ſtatus per ſingularem vitæ ac ſervitij divini rationem ab antiquis illis Dei famulis nonnihil fuit adumbratus; Unde eoſdem adduxi non quod Monachi & Religioſi fuerint, ſed quod peculiarem vitæ rationem agendo Monachorum ac Religioſorum umbræ extiterint, & iſtorum imaginem quandam expreſſerint. In Novo Teſtam. illuſtri exemplo eminent Apoſtoli. Nam apud Matth. c. 19. peculiari ſtudio perfectionis præter obſervantiam communem mandatorum ad omnes pertinentem ſe Chriſto ſervire conſtituiſſe, palam illis verbis D. Petri v. 27. profitentur: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Unde magno conſenſu Patres apud Bellarm. L. 2. de Monachis c. 5. aſſeverant, inſtitutum Religioſorum eſſe planè Apoſtolicum. Certè Auctor illius ſtatûs eſt Chriſtus, qui ut diximus, Suadens Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam non ſolùm doctrinaliter, ſed etiam poteſtativè inſtituit prædictum ſtatum Religioſum, quatenus Eccleſiæ facultatem tribuit acceptandi traditionem Fidelium ſuo nomine.

III. Probatur 2. Idem vitæ Religioſæ inſtitutum ex Eccleſiæ teſtimonio, quæ in multis concilijs illud tanquam pium, Sanctum, ad laudabile commendavit; & noviſſimè in Tridentino Seſſ. 25. c. 1. de reform. Unde poſt Patriarchas illos, Prophetas & Apoſtolos ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ Sanctiſſimi homines viri ac Mulieres Monaſticam vitam coluerunt, & vetuſtiſſimi Scriptores magna eam laude extulerunt. Inter quos nominatim Philo Judæus in L. de vita contemplativa ſupplicum id eſt Monachorũ diſertè refert, *quàm Sanctè fuerint à D. Marco in Alexandria inſtituta Monaſteria Sacrarum Virginum & Virorum; qui Continentiam, Paupertatem, Jejunia ac Pſalmodiam profiterentur.* Loqui autem Philonem de Chriſtianis Monachis, teſtantur Epiphanius hæreſ. 29. & Hieronymus in Philone. Probatur 3. ratione. Si ſunt aliqua bona ac ſancta opera ſupererogationis præter ea, quæ ſunt à Deo præcepta, dubitari non poteſt, quin pium ac laudabile ſit, eorum operum ſtudium peculiari vitæ genere profiteri; cur enim bonum non ſit, id profiteri, quod reverà bonum eſt? Atqui ſunt omnino aliqua hujuſmodi opera ſupererogationis v. g. Paupertatis, Caſtitatis & Obedientiæ &c. Ergo pium ac laudabile eſt inſtitutum hominum Religioſorum, qui eadem opera profitentur. Minor vel ex hoc ſatis conſtat, quod nec ſuavi Dei providentiæ ac bonitati, nec infirmitati noſtræ conveniat, ad omnia, quæ modò ſub conſilio ſunt, præceptis nos adſtringi; quis enim non innummeris peccatis foret obnoxius? Præſtat igitur quædam libertati relinqui; *ut qui ea fecerunt*, inquit Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, *honorarentur; qui autem minùs ea expleverunt, nihil inde mali pertimeſcerent.* Hinc eruditè Aug. L. de S. Virginit. c. 30. *qui poteſtis*, inquit, *capere, capite, tollite hoſtias quiſq; ſuas, & introite in atria Domini, non ex neceſſitate; ſed poteſtatem habentes veſtræ voluntatis; neque enim, ſicut non mœchaberis, non occides, ita dici poteſt, non nubes. Illa exiguntur, iſta offeruntur; ſi fiant iſta, laudantur: niſi fiant illa, damnantur; illis Dominus debitum imperat: in his autem, ſi quid amplius ſupererogaveritis, in redeundo reddet nobis.* Eodem prorſus modo inter præcepta & conſilia diſtinguunt paſſim alij PP.

IV. *Doctrina ſecunda.* Poſſunt piè ac laudabiliter vota emitti divini cultûs cauſâ tum à Chriſtianis univerſim, tum nominatim à Religioſis. Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Sac. ſcriptura, quæ in omnibus Juſtis vota laudat. Prov. 15. v. 9. *vota juſtorum placabilia.* Et præſertim in Chriſtianis apud Iſaiam c. 19. v. 21. *& colent eum in hoſtijs & muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent;* quo loco ſermonem eſſe de tempore novi teſtamenti communiter volunt Interpretes. Generatim quoque eadem S. Pagina jubet impleri vota, à quocunque fuerint emiſſa Pſal. 75. v. 12. *vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Et Eccleſiaſt. 5. vers. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Probatur 2. ex SS. Patribus qui paſſim in Chriſtianis quoque vota deprædicant, & vim habere obligandi teſtantur, ut Cyrillus, Hieronym. Theodoret. & alij Interpretes Iſaiæ. Sufficiat nobis D. Auguſt in Pſal. 75. ubi explicans illud: *vovete & reddite*; hortatur fideles ad vovendum, his verbis: *quiſquis, quod poteſt, voveat & reddat, non ſitis pigri ad vovendum, non enim veſtris viribus implebitis.* Et rurſus in Pſal. 132. *debet eſſe*, inquit, *impiger animus, ut & voveat, & reddat; ne cum ſe minùs idoneum reputet ad reddendum, piger ſit ad vovendum.* Probatur 3. Ratione, Tum quia omne, quod eſt ex natura ſua actus virtutis, licet Chriſtianis facere ad honorem & gloriam Dei; ſiquidem omnis actus virtutis eſt per ſe idoneus ad colendum Deum; ut patet ex D. Auguſtin. L. 10. de Civit. Dei c. 6. ubi idcirco *omne opus bonum vocat beneficium.* Sed votum eſt ex natura ſuâ actus Virtutis; puta Religionis cedens in honorem & gloriam Dei &c. Tum quia licitum eſt Chriſtianis firmare voluntatem ſuam in eo, quod ad ſpiritualem ipſorum utilitatem eſt conducibile. Atqui per vota firmant voluntatem ſuam mutabilem in executione alicujus actûs virtuoſi in laudem & gloriam Dei. Ergo &c. Huc reſpexiſſe videtur D. Auguſt. Epiſt. 45. ubi de obligatione voti agens ſcribit: *felix neceſſitas, quæ in meliora compellit.*

V. *Doctrina Tertia.* Paupertas Obedientia & Caſtitas rectè etiam voventur à Religioſis. Ita omnes Catholici. Probatur. Tum ex Sac. Scripturâ, ex qua recèns oſtendimus, piè Sanctéque Deo voveri, quod per ſe bonum ac pium eſt: bonum quoque ac pium eſſe ſtudium paupertatis, caſtitatis ac obedientiæ. Tum exemplo illorum, qui ob hujuſmodi vota in Sac. Scriptura Novi Teſtamenti ſumma cum laude commemorantur. Inprimis Apoſtoli, aliqui ex primis Chriſtianis, ipſa ante omnes B. Virgo Maria, cujus votum de virginitate ſervanda non obſcurè colligitur ex illis ejuſdem verbis Luc. 1. v. 24. *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, id eſt, non poſſum cognoſcere, ut oſtendunt D. Auguſt. L. de Virginit. c. 4. aliique Patres. Tum ex antiquiſſimo uſu Fidelium, quem rectiſſimum fuiſſe conſtat ex teſtimonio & traditione Veterum, è quibus Dionyſius c. 6. cœleſtis Hierarch. affirmat, *Monachos coram Sacerdote poſito intentè promittere ac renunciare omnibus diviſibilibus*, hoc eſt, caducis omnibus, cujuſmodi ſunt opes, voluptates, uſus voluntatis propriæ &c. Origines hom. 11. in Levit. hortatur omnes, *ut renuncient omnibus mundo & ejus concupiſcentijs,*

Digitized by Google

ſcentijs, & ſe totos devoveant Deo tanquam primogenita. Hieron. epiſt. ad Heliodor. aſſerit; *Monachos facere pollicitationem ſequendæ perfectionis, quam non liceat infringere.* Demum D. Auguſtinus in Pſal. 75. & 132. ſcribit, *optime facere Monachos, quod vitam ſuam devoveant Deo.* Tum denique ex ratione; quia hujuſmodi vota Caſtitatis Paupertatis Obedientie &c. tollunt omnes radices vitiorum perfectioni obſtantium, quæ oriuntur ex triplici concupiſcentia juxta D. Joan. 1. c. 2. v. 15. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia Oculorum, & ſuperbia vitæ.* Nam omne peccatum committitur *tum ex appetitu alicujus boni terreſtris,* quod eſt triplex; nimirum Voluptas carnalis, quæ per concupiſcentiam carnis ſignificatur: vel Lucrũ, quod per concupiſentiam oculorũ innuitur: vel Honor & æſtimatio, quæ per ſuperbiam vitæ deſignatur: *tum ex fuga contrariorum malorum*; nempe doloris & afflictionis carnalis: vel jacturæ bonorum temporalium: vel deſpectûs & contemptûs hominum. Hæc omnia motiva & incitamenta peccatorum tolluntur per prædicta bona ſupererogationis; quippe Paupertas aufert cupidinem lucri temporalis. Caſtitas tollit deſiderium voluptatis carnalis. Obedientia extirpat ſuperbiam vitæ, ſponte ſubijciendo ſe alterius imperio. Quomodo ergo eadem vota non piè Sanctè ac laudabiliter eduntur, cum perfectionem tantopere adjuvent ac promoveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VI. Magni Antonij effatum eſt apud D. Athanaſium in ipſius vita: *Diabolum omnes quidem Chriſtianos odiſſe, ſed probos Monachos Chriſtique virgines tolerare nullo modo poſſe.* Ab hoc ſuo infernali Magiſtro hæretici inſtigati Monachos ac Religioſos ſingularémque ipſorum vivendi rationem ſemper cane pejus ac angue oderunt, adeo ut nulli unquam hæretici extiterint, qui vel nomen Monachorum patienter audire poſſent. Contra triplicem noſtram doctrinam pluribus falſimonijs potius, quàm argumentis inſurgunt, ut videre eſt apud Joan. Gerhardi L. 2. P. 2. à fol. 216. Guilielm. Ameſ. Tom. 2. L. 4. à fol. 137. Petrum Molinæum in Neopap. à fol. 638. Menonem Hanneken in Irenico à fol. 220. & alios.

Error primus eſt. Nullum poſſe eſſe ſtatum Religionis alium à ſtatu gratiæ, qui convenit omnibus Fidelibus. Ita Lutherani & Calviniſtæ apud Ameſ. & Gerhard alióſque citatos. Probant 1. Religio nuſquam in Sac. Script. denotat ſtatum. 2. Exempla Enoch, Nazaræorum, & aliorum in veteri teſtamento nihil adumbrant ſublimioris cultûs, quàm erat Religio vulgi. 3. In primitiva Eccleſia omnes erant Doctores aut Auditores. Ad Gal. 6. v. 6. ad Hebr. 13. v. 7. 4. PP. Hieronym. in vita Paulæ. Ruffinus Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. Caſſianus Collatione 18. c. 5. Thomas 2. 2. q. 187. &c. teſtantur, Paulum & Antonium primos fuiſſe Monachos. Quomodo ergo inſtitutum Religioſorum eſt Apoſtolicum? 5. Si Monachi ac Religioſi occupantur in operibus ſupererogationis non tendunt ad perfectionem, ſed ſunt Religioſis perfectiores. 6. Omnia, quæ facimus, ſunt præcepta. Ergo nulla dantur Conſilia perfectionis. Antecedens oſtendunt ex Deuteron. 6. v. 15. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Ergo omnes virtutes in charitate exercendæ. Ex Luc. 14. v. 33. *qui non renunciat omnibus &c.* Ergo cum ex præcepto debeamus eſſe Diſcipuli Chriſti, Paupertas eſt præcepta. Ex Lucæ 17. v. 10. *ſi feceritis omnia quæ præcepta ſunt &c.* Ergo nihil ultra debitum facimus. Ex 1. Joan. 3. v. 16. *Nos debemus animas pro fratribus ponere*; quæ ſumma eſt perfectio & non libera. Ex Matth. 15. v. 45. jubemur *eſſe perfecti.* Ergo perfectio non eſt conſilij. Ex D. Paulo ad Philipp. 4. v. 8. *quæcunq; ſunt vera, quæcunque ſunt honeſta, hæc cogitate, hæc facite. Ergo nihil ſupereſt conſilij.* 7. Præcepta non poſſumus ſervare. Ergo multo minùs altiora conſilia. Antecedens iterum oſtendunt ex præcepto diligendi ex toto corde &c. *quod* Auguſt. L. de Spiritu & Littera c. 5. & Bernardus Serm. 5. in Cantica ajunt, *in hac vita impleri non poſſe*, & innuit David Pſalm. 142. cantans: *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, ac ſupponit Chriſtus Matth. 6. in Orat. Dominica: *dimitte nobis debita noſtra &c.* 8. Ij, qui in peculiares iſtas Religiones concedunt, diſceſſionem ab Eccleſia & communi fidelium vivendi ratione faciunt, juréque Schiſmatici cenſentur. 9. Religioſorum conventicula vitiorum ſunt ſtabula, juxta illud: *viſe monaſterium, ſi vis cognoſcere luxum.*

VII. Contra hunc errorem ſunt unanimiter antiquiſſimi Eccleſiæ Patres: qui fusè adducti à Vetweis in Speculo veræ Eccleſiæ fol. 499. conſilia Evangelica à præceptis diligentiſſimè diſtinguunt, & hanc diſtinctionem in primitiva & Apoſtolica Eccleſia fuiſſe agnitam atteſtantes miris laudibus peculiares iſtas Religiones, & divini cultûs Inſtituta extollunt, ut illa non niſi rabidi canes mendacijs ac calumnijs ſuis allatrare poſſint, quales fuerunt Waldenſes, qui, ut refert Alphonſus à Caſtro in Lib contra hæreſ. dicebant, *Religiones Mendicantium eſſe malorum dæmonum inventum.* Item Lutherus & Calvinus, quorum ille in L. de Votis Monaſticis, *cupio*, inquit, *eradicata extincta & abolita eſſe univerſa Monaſteria, quæ utinam Deus igne & ſulphure cæleſti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat*: iſte L. 4. Inſtit. c. 13. nihilominus contra peculiares Religiones debachatur. Quibus ex omnibus SS. Patribus unum opono Climacum antiquum & gravem Authorem, qui Gradu 4. tum multa alia in laudem Statûs Religioſi, tum iſtud breve quidem verbis, re autem multa complectens elogium habet. *Monaſterium eſt quoddam cælum terrenum.*

VIII. Pro Solutione eorum, quæ objecta fuerunt, advertendum ex Card. Bellarmino L. 2. de Monach. c. 2. diverſos eſſe Perfectionis ac Charitatis gradus. *Primus* eſt, diligere Deum, quantùm eſt diligibilis, hoc eſt, amore infinito; & ſic ſolus Deus eſt perfectus: Angeli verò & Beati omnes ſunt imperfecti non privativè, ſed negativè. *Secundus* eſt, diligere Deum, quantùm poteſt eum creatura diligere, ita ut ſemper actu per intellectum & voluntatem feratur in Deum; in hoc gradu ſunt ſoli Beati. *Tertius.* Diligere Deum, quantum poteſt creatura mortalis, quæ à ſe removit omnia divinæ charitatis impedimenta, totámque ſe divino ſervitio addixit; & hi ſunt quidem imperfecti in comparatione Beatorum, perfecti tamen reſpectu aliorum etiam Juſtorum.

Digitized by Google

Et de hoc gradu loquuntur Theologi, cum dicunt, ſtatum Epiſcoporum eſſe perfectionis acquiſitæ: Religioſorum verò eſſe perfectionis acquirendæ; Iſti enim vi ſui ſtatûs & profeſſionis tenentur aſpirare ad perfectionem, removendo impedimenta, & virtutes exercendo: Illi verò ſupponuntur jam illum perfectionis gradum attigiſſe. *Quartus* & infimus gradus eſt, diligere Deum, ut nihil æque ac magis, quàm Deum amemus; atque hic gradus eſt omnibus præceptus; & habet quidem aliquam perfectionem, at reſpectu priorum eſt valdè imperfectus. Hoc notato.

IX. Reſpond. *ad 1. objectionem* ſufficere rem ipſam contineri in Sac. Scriptura, quidquid ſit de ſola voce. *Ad 2.* Scripturam Sacram de Seth, Nazaræis, & alijs in veteri Teſtamento ſumpſiſſe nos cum Bellarm. Lib. 2. cit. c. 5. juxta Patrum explicationem, & rationem hujus adjeciſſe; id quod non inficiantur, qui eoſdem locos nonnihil aliter interpretantur. *Ad 3.* Nihil inde contra nos, quia tam ex Doctoribus quàm Auditoribus poſſunt aliqui eſſe in peculiari vitæ genere. *Ad 4.* Patres loqui de Religioſis ac Monachis quoad vitam ac ſubſtantiam, non quoad cæremonias, quibus poſtea ſtabiliri & Ornari ceperunt; in quem modum S. Thomam explicat Cajetanum in cit. locum: Item non fuiſſe Monachos ante Paulum & Antonium quoad talem frequentiam & nominis vitæque celebritatem; quod apertè tradit D. Athan. in vita S. Antonij ſcribens: *nec dum autem tam crebra in Ægypto erant monaſteria &c.* ubi etiam refert, Antonium à diverſis Monachis diverſas didiciſſe virtutes. *Ad 5.* patere ex gradu tertio diverſæ charitatis & perfectionis, de quo pauló ante. *Ad 6.* negando antecedens. Non oſtenditur hoc ex Deuter. 6. quia non præcipitur, ut Deum diligamus ſecundùm omnes poſſibiles charitatis gradus, ſed tantùm, ut amori Dei nihil anteponamus, vel æquemus, ita enim explicârunt omnes Eccleſiæ Catholicæ P P. ac D D. Non ex Luca 14. quia Chriſtus duas habuit Scholas, & duplices diſcipulos, quoſdam tantùm docebat viam Salutis: alios etiam viam perfectionis, & de his loquitur, quandò exigit omnimodam paupertatem. Non ex eodem c. 17. quia Chriſtus non dixit ſimpliciter, *cum feceritis omnia*, ſed limitatè, *quæ præcepta ſunt vobis.* Nihil ergo vetat, quin aliquis conſilia ſequens dicat, ſe plus debito feciſſe. Non ex 1. Ioan. 3. quia intelligendum in caſu neceſſitatis, cum ſpirituali eorum ſaluti ſuccurri aliter non poteſt; extra hunc caſum conſilij eſt, non præcepti. Non ex Matth. 5. quia illa verba Chriſti *eſtote perfecti*, ſunt conſulentis, non præcipientis. Nòn denique oſtenditur ex Apoſtolo ad Philipp. 4. quia ejus præceptum eſt negativum, hoc ſenſu, ſi quid agere vel loqui velitis, nihil facite, niſi honeſtum.

X. *Ad 7.* negando Antec. Non oſtenditur hoc iterum ex S. Auguſt. & Bernardo, qui loquuntur de ſecundo gradu charitatis, qui non præcipitur, ſed ſolùm quatus ex communi & literali ſenſu, ut nihil contrarium Deo diligant, qui ſanè gradus à nobis præſtari poteſt. Non itidem ex David. Pſal. 145., aut Chriſto Matth. 6. quia non arguunt impoſſibilitatem obſervandi omnia Dei mandata, ſed tantùm negligentiam hominum, quod vix ullus adeo gnavus ſit in eorum obſervatione, quin ſaltem venialiter aliquando delinquat. *Ad 8.* Schiſma non fieri diſtinctione locorum, ſed animorum, & charitatis ac unionis ſciſſione, quam unionem in Eccleſia ardenter Zelant Religioſi: hæretici verò maximè deſertione fidei rumpunt. *Ad 9. denique* nullum in Eccleſia Dei eſſe ſtatum, in quo mali non ſint mixti bonis; ipſum etiam Dei agrum inter triticum ſua habuiſſe Zizania; an idcirco ager iſte non exercendus, aut ullus ſtatus damnandus? Eſto igitur in aliqua monaſteria irrepſerint vitia; omnia tamen aut pleraque in vitiorum ſtabula degeneraſſe, apertiſſima eſt calumnia hæreticorum, hoſtiúmque Religionum & Monaſteriorum, qualem hoſtē jure dixeris Fridericum Ænobarbum Imperatorem, qui cùm ſexies in Italiam contra Summos Pontifices expeditionem fecerit, quid mirum, quod Religiones ac Monaſteria Sedi Apoſtolicæ addictiſſima inſectatus, tale de ijs ſcoma ſparſerit; ex quo Religioſis plus honoris, quàm vituperij emerſit; quippe *malis diſplicuiſſe, ſemper laudi fuit datum bonis.*

XI. *Error ſecundus.* eſt Petri Martyris Lib. de Coelib. & votis. Monaſtic. univerſim vota reprobantis. Præivit in hoc Luther in lib. de captivit. Babilonica, ubi perſuadere contendit, *omnia vota tollenda eſſe.* Et Lib. de vita Conjug. longè turpiſſimè contra Votum Caſtitatis debachatur. Calvinus etiam L. 4. Inſtit. c. 13. §. 9. damnat *antiquitatem ſuperſtitionis ob frequentia vota.* v. g. abſtinentiæ vini, Peregrinationis &c. ut exprimit §. 7. Probat Martyr ſuam opinionem. Tum quia nulla vota in Novo Teſtamento commendantur: in Veteri verò fuerunt ceremoniæ nunc abolitæ. Tum quia omnis cultus Dei voluntarius eſt ſuperſtitioſus. Tum quia obligatio voti pugnat cum libertate Chriſtiana. Tum quia temerarium eſt, exponere ſe periculo peccandi per obligationem voti.

XII. Errorem hunc impium ſatis ſupra doctrinâ 2. rejecimus. Vota temere facta non probat Eccleſia, ut illam immeritò calumniantur Sectarij. Eadem etiam reprobat vota de re inutili, vana, indifferente, vel impoſſibili, aut majus bonum impediente, & cum Eccleſiaſte cap. 5. v. 3. appellat non tam votum, quàm ſtultam promiſſionem, quæ diſplicet Deo. Reſpond. ad 1. objectionem. Negando Antecedens, cujus oppoſitum conſtat ex dictis in priore parte hujus Controverſiæ. Quam autem ineptum ſit commentum, vota in veteri Teſtamento idem fuiſſe ac ceremonias, patet. tum quia cæremoniæ fuerunt in veteri teſtamento præceptæ: vota autem libera Deut. 23. v. 22. *Si nolueris polliceri abſque peccato eris.* tum quia ceremoniæ illius legis fuerunt actûs externi: vota verò ſolâ etiam mente Deo nuncupari potuerunt. tum quia nullus ex omnibus P P. illius mentionem facit. Ad 2. Negando. Nonne David olim alijque jurarunt, tametſi cultus ille Dei, qui in invocatione divini teſtimonij continetur, nuſquam eſſet præceptus. D. Paulus ad Coloſſ. 2. differit contra voluntarium cultum rei inanis, vanæ, & abſque ratione Religionis causâ aſſumptum v. g. abſtinentiæ à quibuſdam cibis, tanquam naturâ ſuâ immundis. Unde nihil facit adverſus noſtram doctrinam. Ad 3. libertatem à Chriſto nobis partam non eſſe qualemcunque, ſed à ſervitute peccati, quæ augetur potius, quàm minuatur per obligationem voti; Siquidem per iſtam accedente Dei gratiâ firmamur ad ſerviendum Juſtitiæ. Unde præclarè S. Auguſt. Epiſt. 45. ad Armentarium ſcripſit: *non eſt gratulanda libertas, quâ fit,*

 ut non

tatis oſtendit, ubi ait, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, ut ſervet virginem ſuam. Et tamen non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt; quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt; quibus autem datum eſt, ſic volunt, ut impleant, quod volunt. Itaque ut hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & DEI donum eſt, & liberum arbitrium. Unde clariſſimè apparet, hominem optionem & libertatem habere ſtatum caſtitatis vel matrimonij apprehendendi, & conſequenter gratiam, virtutémque Dei ſervandi caſtitatem; ſiquidem aliquis in ijs rebus, quas impoſſibiles novit, nec optionem nec libertatem habet, nec etiam, ſi ſanæ eſt mentis, illas intendit atque appetit.

XVI. Reſpond. 2. *In ſpecie ad 1. Objectionem contra Votum Paupertatis.* Allato textui ex Deuteron. 15. v. 14. *mendicus non erit inter vos*, opponi in eodem capite verſum 11. *non deerunt mendici in terra tua.* Pro his conciliandis advertendum, Deum Judæis promiſiſſe magnam rerum abundantiam, ſi ejus præcepta ſervarent, & ideo voluiſſe, ut conarentur, ne quis ex ipſis mendicare cogeretur; quia verò ipſum perficere hujus conatûs non erat in poteſtate ſingulorum, maximè imminutâ DEI benedictione ob præceptorum tranſgreſſionem, ideò adjectum v. 11. *non deerunt mendici in terra tuâ.* Prius ſolùm, nempe conatus fuit præceptus, non ipſum perficere ſeu conſecutio finis, ut bene interpretatur Tirinus ajens, hoc ex Verſione LXX. Interpretum patere; præceptum autem iſtud & promiſſio temporalis abundantiæ pertinuit tantùm ad veterem Legem, & in novâ Lege ſimiles promiſſiones fuerunt commutatæ in benedictionem ſpiritualem. Unde mendicitas Religioſorum magnæ gratiæ ferax non repugnat legi divinæ Novi Teſtamenti, ſed ei valde eſt conſentanea. Pſal. 36. & Prov. 30. ſermo eſt de paupertate involuntaria, quæ ſine dubio non eſt optimi conſilij mater; talis autem non eſt paupertas Religioſorum. Apoſtolus ad Theſſalon. loquitur de hominibus prorſus otioſis, quales non ſunt Religioſi partim Spiritualibus exercitijs, partim ſtudiis, partim labore manuum occupati. Ad 2. Actor. 20. Axioma iſtud: *beatius eſt dare, quàm accipere*, licet ex varia ratione veriſſimum ſit, ut videre eſt apud Tirinum in cit. loc. non tamen procedere primò in divinis, ubi tàm nobile eſt accipere, quàm dare divinitatem, ut notat S. Auguſt. ſecundò in injurijs, quas accipere beatiùs eſt, quàm dare. Tertiò cæteris paribus, beatius eſſe dare omnia ſua ſimul propter Chriſtum, & accipere poſtea aliquid modicum, quàm parùm dare, & nihil accipere: ſimiliter beatius eſſe accipere temporalia, ut poſſis expeditè & commodè dare ſpiritualia, quàm nihil accipiendo impediri à ſpiritualibus dandis, ut bene Bellarm. L. 2. de Monachis c. 46. Ariſtoteles loquitur de homine politico, qui uxorem, & Rempubl. & liberos cum alijs habere velit: Secus eſt de felicitate Chriſtiana, cui in hac vita ſufficit modica corporis ſuſtentatio.

XVII. Ad 3. Mendicitatis moleſtiam abundè compenſari cœleſti mercede miſericordibus promiſſa: nec ideo minùs dari alijs pauperibus; etenim qui in Religioſos ſe liberales exhibent, à Deo benedictionem conſequuntur, ut etiam alijs largiri valeant juxta illud 2. ad Corinth. 9. v. 8. *potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Taceo illos quibus de victu quotidiano per ſtabiles reditus proſpectum eſt, non conſueſſe mendicare. Ad 4. Quomodo Religioſi Deum tentant, dum faciunt, quod ipſe ſuaſit, & amore illius omnia bona abjiciunt, ac certam ſpem retinentes vi promiſſionis Chriſti de centuplo confidenter dicunt: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, Pſal. 22. v. 1? Ad 5. Religioſos, licet dare non poſſint grandes eleemoſynas corporales, dare tamen ſpirituales, quæ ſunt multò præſtantiores, ſcilicet concionando, confeſſiones audiendo, ſacrificando &c. Ex his ajunt Theologi Morales eleemoſynam eſſe dandam potiùs Religioſo minùs egenti, quàm non Religioſo magis egenti. tum quod Religioſus præter alios titulos omnia ſua jam dederit pauperibus; inde enim debetur ei victus è bonis pauperum, quaſi ex juſtitia. tum quod eleemoſyna ſit danda meliori; cum autem judicare non poſſimus de internis, danda eſt potius profitenti majorem Sanctitatem, niſi conſtet de mala vita hujus Religioſi; excipitur tamen extrema neceſſitas, in qua prius ſuccurrendum illam patienti, etiamſi melior ſe offerat.

XVIII. Reſpon. 3. *Itidem in ſpecie ad objectionem 1. contra votum Obedientiæ.* Apoſtolum 1. Corinth. 7. monere tantùm illam ſervitutem cavendam, quæ à divino ſervitio abſtrahit, cujuſmodi non eſt ſervitus Religioſa. Negari etiam poteſt Major. Nam Religioſi per votum Obedientiæ ſe faciunt ſervos Dei; non hominis; cum electus Prælatus ſolùm ſit internuncius & Vicarius Dei voluntatem indicans, quamdiu præcipit ſecundùm regulam ordinis, & res præcepta abſque peccato fieri à ſubdito poteſt juxta illud Luc. 10. v. 16. *qui vos audit, me audit.* Multùm etiam differt Regimen Politicum, & multo magis Religioſum à deſpotico herili; quippe iſtud eſt in bonum Gubernantis; illud verò in bonum Subditi. Non obſtat, Religioſos in jure paſſim comparari ſervis: item ex doctrinâ Suarez. Tom. 4. de Relig. Tract. ult. poſſe Prælatum præcipiendo uti poteſtate & juriſdictionis & proprietatis. Nam Religioſus ideò ſervis comparatur, quia neutri ſibi aliquid acquirunt: poteſtas etiam illa Prælatorum non niſi Vicaria eſt. Ad 2. Religioſos aliquos ideo per ſummum Pontificem ab Epiſcoporum juriſdictione eſſe exemptos, quod Epiſcopi ſæculares eorum inſtituta non calleant, adeóque non bene moderari illos valeant abſque ſpiritualis quietis perturbatione, quæ quies in Religionibus quæritur. Ad 3. Religioſos non vovere omnimodam obedientiam in omnibus omnino rebus, ſed tantùm in rebus juſtis; unde ſi quid apertè iniquum alicui præciperetur, non teneretur obedire; in dubijs tamen judicio ſuperioris ſtare debent; qui ſi fortè moraliter erraret, illis non imputaretur ad peccatum ob ignorantiam invincibilem; quippe non tenenrur juſſa ſuperiorum examinare. Ad 4. conſtare ex recens dictis; Nam cæca obedientia non tam craſsè & ſtupidè cæca eſt, ſicuti ſibi imaginatur Gerhardus fol. 316. quaſi omne prorſus lumen excluderet, & non adverteretur, an juſtum Deoque conforme, aut iniquum vel repugnans Deo ſit, quod mandatur; ſed dicitur cæca, quia obediens in omnibus omnino rebus, in quibus apertè peccatum non apparet, promptiſſimè ſuâ ſe libertate abdicat, & alterius voluntati hu-

Digitized by Google

millimè ſe ſubdit, nec ſuæ electioni ac placito quidquam vult eſſe permiſſum. Hinc apud Religioſos cæcè (ſive ſimpliciter) obediendo magna oritur delectatio; qui enim ſeipſum ita exuit, non manet vacuus, ſed DEO & cœleſtibus hujus delitijs plenus.

CONTROVERS. XL.

DE PURGATORIO.

AB Eccleſia Militante progredimur ad Purgantem, quam conſtituunt Animæ illæ, quæ ex hac vita nullius quidem peccati mortalis conſciæ: at venialis culpæ maculâ inquinatæ aut pænæ ſolvendæ debito gravatæ diſceſsêre; atque idcirco nec Beatitudine adhuc potiuntur: neque tamen etiam inferni ſupplicijs afficiuntur, ſed adhuc à gloria cœleſti differuntur, dum ſive per ignem, ſive quamcunque aliam pænam ab inquinamento illo purgentur, & in felicem illum Beatorum numerum admiſſæ æternâ Dei viſione fruantur. Eſt autem celebris hæc Controverſia de Purgatorio propter modernos hæreticos, qui licet poſt Lutherum parentem ſuum in varias ſectas ſint diviſi, omnes tamen in hoc conveniunt, ut Purgatorium tollant.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima,* Datur Purgatorium, hoc eſt, Locus, ubi Animæ, quæ in hac vita pænas ſuorum peccatorum etiam remiſſorum non ſolverunt, aliquamdiu punientur. Ita omnes Catholici, & definitur in Trid. Seſſ. 6. can. 30. *Si quis poſt acceptam Juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pænæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, Anathema ſit.* Et quamvis hic Articulus fidei ſub nomine Purgatorij in Sac. Scriptura non exprimatur, tamen adeo clarè indicatur, ut adhibito diſcurſu rationis infallibiliter inde colligi poſſit. Probatur igitur 1. ex ipſis Verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. v. 15. *ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Unde ſic argumentamur: Si poſt hanc vitam datur ignis, in quo Juſti puniuntur, antequam in cœlum admittuntur, datur Purgatorium. Sed verum eſt Antecedens. Ergo & Conſequens. Major per ſe patet. Nam hæc eſt definitio Purgatorij. Minor probatur ex citatis verbis Apoſtoli; loquitur enim de ſtatu alterius vitæ, ut conſtat ex antecedentibus, ubi loquebatur de die Domini, in quo manifeſta ſunt opera hominum, quod accidet in judicio univerſali, vel particulari poſt hanc vitam futuro, & ait fore per ignem, per quem aliqui ſalvandi tranſire debent, non ſine detrimento & afflictione. Adductum locum Sac. Scripturæ pro Purgatorio accipiunt SS. Patres Ambroſius ſerm. 2. ſuper Pſal. 128. Hieronymus ſuper 4. cap. Amos, & alibi. Greg. lib. 4. dial. c. 29. D. Auguſtinus in Pſal. 37. fusè & clarè, atque alij apud Bellarm. L. 1. de Purg. c. 6. Ut autem vis hujus argumenti meliùs perſpiciatur, totum locum Apoſtoli adduco, qui v. 10. ſic ſe habet: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat; unuſquiſq; autem quomodo ſuperædificet, videat; ſi quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fænum, ſtipulam, uniuſcujuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit, ſi cujus opus manſerit, quod ſuper ædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

II. Declarationem iſtorum verborum, & Architectonicæ allegoriæ ex ſtatu rerum, qui tunc fuit Corinthi, dant Doctores in hunc modum. Cum S. Paulus poſt jactum Corinthi Eccleſiæ ac Fidei Catholicæ fundamentum aliò diſceſſiſſet, operi cœpto perficiendo alij ſucceſsêre; è quibus aliqui ſimplici ſermone utiliter ſuperſtruxerunt: alij vanæ laudis cupidi politiore dictione non ita fructuosè docuerunt; unde ortum diſſidium inter Corinthios, & pro ſuo quiſque affectu his vel illis adhæſit. Hoc reſciens Apoſtolus ad tollendum diſſidium Epheſo epiſtolam ſcripſit Corinthum diverſa Doctorum ſtudia per ſimilitudinem architecturæ declarans; nempe quod jacto ab ipſo fundamento illi ſuperſtruxerint materiam ſolidam auri, argenti &c. iſti verò fragilem ligni, fœni &c. Chriſtus autem in die judicij ambos ſit exactè examinaturus; priores quidem ad remunerationem: poſteriores verò ad temporalem ignis punitionem in purgatorio ob levem vanæ laudis culpam. Non dicant Adverſarij, S. Paulum loqui de extremo judicio, adeóque locum iſtum non pertinere ad purgatorium. Nam ante Judicis adventum ignis aliquot diebus præcedet, & elementa ac cœlos exuret, teſte S. Petro epiſt. 2. c. 3. v. 12. quo incendio multi etiam homines adhuc vivi conſumentur, & ſtatim particulare judicium ſuſtinebunt, ac in purgatorio punientur ante publicum judicis adventum. Hinc apparet, Apoſtolum nomen ignis variè accepiſſe 1. pro vero igne Chriſtum Judicem antecedente juxta Davidis pſal. 96. v. 3. prædictionem. 2. Metaphoricè pro exactiſſimo Judicis examine. 3. Speciem pro genere, hoc eſt, pro omni pæna & ſupplicio, atque ideò dixiſſe aliquos *Salvandos quaſi per ignem*; ſiquidem in purgatorio non ſolùm cruciantur igne, ſed varijs pœnis.

III. Probatur 2. Purgatorium ex verbis Chriſti Matth. 5. v. 25. *Eſto conſentiens Adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*; quaſi diceret: ſicut homines prudentes, quando cum aliquo vicino habent controverſiam, ſtudent rem amicabili compoſitione tranſigere, ne in judicium inducantur, & ibi ſecundùm rigiorem juris procedatur, ita vos ſtudete, lites cum proximo amicè componere, dum eſtis in hac via, ne ad Dei tribunal citati ſeveriſſimè mulctemini, donec ad obulum ſatisfaciatis. Unde ſic argumentamur. Si datur aliquis carcer poſt hanc vitam, in quo peccatores detinentur,

donec

donec pro reatu pænæ ad unguem ſatisfaciant, tunc datur purgatorium. Atqui verum eſt antecedens. Ergo &c. Major conſtat ex definitione Purgatorij, qui eſt locus pænalis, ſed temporalis. Minor patet ex cit. verbis Chriſti. Hunc locum pro Purgatorio ſumpſerunt Origines Hom. 35. ſuper Lucam. D. Cyprian. L. 4. Epiſt. 2. S. Ambr. ſuper cap. 12. Lucæ: S. Hieron. ſuper cap. 5. Matth. ubi ait: *Hoc eſt, quod dicit, non egredieris de carcere, dum etiam minuta peccata perſolvas.* Videri poteſt Bellarm. loco cit. & Tirin. ad prædictum textum, ubi ait, Turrianum & plures alios velle, tunc exhauſtum fuiſſe à Chriſto totum Purgatorium.

IV. Probatur 3. ex verbis Chriſti Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neq; in futuro.* Unde ſic argumentamur, ſi aliqua peccata in futuro ſæculo primùm remittuntur, tunc datur Purgatorium, id eſt, locus pænæ poſt hanc vitam luendæ. Sed verum eſt Antecedens; Ergo & conſequens. Major probatur, quia remiſſio culparum poſt hanc vitam non eſt gratuita ſine omni ſupplicio, cum nec in hac vita (ubi eſt tempus gratiæ) ſic remitti ſoleant peccata, ut conſtat exemplo Moyſis Num. 27. n. 13. & Davidis 2. Reg. 12. v. 13. quantò minùs in altera vita, ubi eſt tempus Juſtitiæ, ubi *redditur unicuique ſecundùm opera ſua*, & nihil condonatur. 2. ad Corinth. 5. v. 10. Ergo poſt hanc vitam debet eſſe aliquis locus, ubi puniuntur, quod vocatur Purgatorium. Minor probatur ex cit. verbis Chriſti, quibus indicat, aliqua peccata in futuro ſæculo remitti, alioquin nihil eſſet ſingulare in peccatis contra Spiritum Sanctum, ſi nullum omninò peccatum in futuro ſæculo remitteretur. Tunc autem mortalia non ampliùs remittuntur, ſed tantùm venialia per contritionem, quam animæ juſtæ in ipſo puncto mortis eliciunt, remanente tamen reatu pænæ in purgatorio ſolvendæ; qui verò in ſtatu peccati mortalis moriuntur, neque de venialibus dolent, neque eorum veniam unquam obtinent. Quapropter etiam venialia eorum in inferno perpetuò puniri exiſtimat S. Thom. 1. 2. Q. 87. a. 7. ad 3. & plures cum eo ex iſto fundamento; quod veniale tam diu puniri mereatur, quamdiu exiſtit. Sed veniale damnatorum perpetuò exiſtit quoad culpam. Ergo meretur perpetuò puniri. Sed Scotus Bellarm. Coninch. Ariaga & alij plures Theologi mitiùs, ac probabiliùs cenſent, etiam in inferno pænas venialium finiri, tametſi culpa remaneat. Nam involuntaria permanentia peccati, quod ampliùs deleri nequit, non meretur permanentem pænam. Adhæc damnatorum nova peccata, quæ perpetuò committunt Deum blaſphemando, juxta communem Theologorum ſententiam nullo ſupplicio mulctantur. Cur ergo ſola complacentia in priſtino peccato continuò puniatur? In hunc ſenſum prædicta verba Chriſti intelligunt S. Auguſt. L. 21. de Civit. c. 24. ajens *non veraciter diceretur, quod eis non remittatur neque in hoc ſæculo, neq; in futuro, niſi eſſent quibus remitteretur in futuro.* S. Gregor. M. L. 4. Dial. c. 39. venerabilis Beda ſuper c. 3. S. Bernard. Serm. 66. ſuper Cant. &c.

V. Probatur. 4. ex ſecundo Lib Machab. ubi Judas Machabæus in conflictu cum hoſte aliquam cladem paſſus toti exercitui contributionem indixit Hieroſolymam mittendam, ut pro animabus interfectorum ſacrificia offerrentur, quod his verbis narratur c. 12. v. 43. *& factâ collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis ſolvantur.* Unde ſic argumentamur. Si bonum eſt pro mortuis orare, ut à peccatis ſolvantur, tum datur purgatorium, ſed verum eſt Antecedens; Ergo & Conſequens. Minor conſtat ex cit. verbis Sac. Scripturæ. Major probatur, quia ſi omnes animæ defunctorum eſſent in Cælo, vel in Inferno, tum vanum eſſet pro illis orare, quia Beati non habent peccata, à quibus ſolvantur: damnati verò non poſſunt ampliùs liberari. Ergo datur tertius locus medius inter cælum & infernum, ubi rei pro ſuis peccatis aliquantùm torquentur, quod eſt ipſum Purgatorium. Hoc argumentum, quia valde torquet hæreticos, ideo omnibus modis laborant, ut libros Machabæorum è canone Scripturæ expungant, quorum argumenta ſupra Cont. 4. §. 45. diſſolvimus. Nunc demus hos Machabæorum libros, non eſſe Canonicos, ſaltem ea ipſis fides adhibenda eſt, quæ Livio, Plinio, Plutarcho, & alijs hiſtoricis fide dignis adhibetur. Unde clarum erit, ante 1700. annos apud ſupremos Hebræorum & totum populum Judaicum pro re certiſſima fuiſſe creditum, *Sanctè & ſalubriter pro defunctis orari.*

VI. Prob. 5. Authoritate SS. Apoſtolorum, qui ſemper in Miſſa ſoliti ſunt pro defunctis orare, ut conſtat ex antiquiſſimis Liturgijs, ſeu Miſſalibus S. Petri, S. Jacobi, S. Matthæi, S. Marci, quæ adhuc extant. Accedunt Conciliorum & Patrum teſtimonia, quæ latè adducit Bellarm. de Purgatorio L. 1. c. 5. & 6. Sufficiat nobis S. Auguſtinus, qui in Libde cura pro mortuis c. 1. ſic ſcribit: *In Machabæorum Libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium, ſed etſi nunquam legeretur in veteribus Scripturis, non parva tamen univerſa Eccleſia, quæ in hac conſuetudine viget, eſt Authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum etiam ſuum habet commendatio mortuorum.* Et cap. 4. ibidem: *non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica Societate defunctis ſuſcepit Eccleſia.*

VII. Probatur ultimò tot Apparitionibus Animarum ſuffragia poſtulantium, & ijs impetratis pro ſua liberatione gratias agentium, ut multi digni fide Scriptores teſtantur, quos omnes mendacij arguere magnæ temeritatis & impudentiæ fuerit. Placet ex omnibus unam afferre. Narratur in veteribus Annalibus à Pitæo editis apud Baron. Anno Chriſti 874. Ludovicum I. Imperatorem poſt triginta annos ab obitu apparuiſſe Filio ſuo Ludovico II. eumque ſic latino ſermone affatum fuiſſe: *Adjuro te per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando habere poſſim vitam æternam.* Mox Filium ad cuncta Regni ſui Monaſteria epiſtolas deſtinaſſe, obnixè rogando, ut pro anima Patris ſui SS. Sacrificijs ac precibus ſuis apud Deum intervenirent. De his apparitionibus dicunt hæretici, non eſſe Animas hominum, ſed dæmones illudentes. Non negaverim, diabolum ſubinde aſſumptâ ſpecie animarum hominibus

Digitized by Google

rium, non in vitam. Apoc. 14. v. 13. *Beati qui in Domino moriuntur, amodò dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Sed qui in gratia Dei moriuntur, moriuntur in Domino; quibus amodo, id eſt, ſtatim à morte promittitur requies ab omni labore & moleſtia, quâ requie non gaudent animæ in Purgatorio, quibus identidem precamur requiem.

XII. *Tertium.* Si DEUS pænitentibus integrè & perfectè remittit peccata, tunc non reſtat ulla pœna Purgatorij adhuc luenda. Sed illud verum eſt. Ergo &c. Major patet. Nam ſi à reo pænâ exigatur, non eſt ei plena remiſſio data peccatorum. Minor probatur ex Script. Ezech. 18. v. 22. *omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*; ac ſi nunquam factæ fuiſſent. Confirmatur exemplo Dei, de quo Chriſtus Matth. 5. v. 44. ait, *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Eſtote ergo perfecti*, ſicut *Pater veſter in cælo perfectus eſt*; unde ſic argumentamur: Si Deus à nobis exigit plenam condonationem injuriæ à proximo acceptæ, ut nihil penitus vindictæ ab ipſo exigamus, ſed pro maleficio beneficium reddamus tunc etiam Deus, qui ſe pro exemplo hujus miſericordiæ proponit, plenam delictorum veniam largitur, nec quicquam pænæ amplius exigit. Sed iterum verùm eſt Antecedens. Ergo & Conſequens.

XIII. *Quartum* argumentum. Si poſt obtentam veniam culparum adhuc ſolvenda eſſet pæna in Purgatorio, tum Chriſtus non plenè ſatisfeciſſet pro peccatis noſtris. Conſequens eſt blaſphemum. Ergo &c. Minor per ſe patet, quia Chriſti ſatisfactio fuit infinita ſuperans omnem culpam, etſi adhuc plures eſſent homines, & plura peccata. Sequela Majoris probatur exemplô humano. Nam ſi creditor ulteriorem ſatisfactionem exigat, non eſt ei plenè ſatisfactum &c.

XIV. Errorem hunc Lutherus poſt Apoſtaſiam ſuam non ſtatim evomere fuit auſus, ſed verbo & Scripto Purgatorium admiſit; poſtea tamen, ut cætera ſua abſurda dogmata dulcoraret, Purgatorium etiam proſcripſit, vel ex hoc execrandus, quia omni tempore pro hæreticis fuerunt habiti ab Eccleſia, qui orationem pro defunctis & pænas temporaneas futuri ſæculi, adeóque Purgatorium negarent. Præterea, quæ priori parte jam attulimus, hoc unum ineluctabile argumentum Adverſarijs opponimus. Nullus immundus & coinquinatus poteſt ingredi Regnû Cælorum. Apoc. 21. v. 27. Omnes Lutherani & Calviniſtæ, quamdiu hic vivunt, ſunt imundi & coinquinati, & omnia eorum opera ſunt ſordes, iniquitas apud Deum. Ergo non intrabunt in Cœlum, niſi prius purgentur. Atqui non purgantur in hac vita, uti ipſimet fatentur, quia manent ſemperr peccato originali & cæteris flagitijs contaminati. Ergo in altera vitâ: Ergo vel datur Purgatorium in alterâ vitâ: aut ſi non datur, omnes Lutherani & Calviniſtæ inferno damnantur æternum. Ecce, dum Purgatorium negant Sectarij, idque vitare tentant, inferno ſe ſe æternum mancipant, ejúſque infelices fore incolas demouſtrant. Argumenta non majorem contra veritatem Catholicam vim habent, quàm ſtramen & ſtipulæ contra ignem. Itaque

XV. Reſpondetur 1. *ad primum argumentum*, diſtinguendo; poſt hanc vitam duo tantùm ſunt loca ultima & perpetuò duratura, concedimus: intermedia & temporaneá, negamus. In hunc modum ſæpe intelligendi ſunt textus Sac. Scripturæ & Patrum; quia agunt de extremo judicio, ubi ceſſat purgatorium. Speciatim verò quædam loca conſiderando. Textus Eccleſiaſtæ, quô maximè triumphant Adverſarij, nihil prorſus ad rem facit, quia non loquitur de ſtatu animæ poſt mortem. Sed de ſtatu corporis morte proſternendi, quaſi arboris, quod ſuâ virtute non poteſt reſurgere, niſi Deus erigat. Si autem velimus ad animam applicare, nomen Auſtri vel Aquilonis non ſumendum pro certo loco, ſed pro ſtatu gratiæ vel peccati; Nam in quo ſtatu aliquis deceſſerit, in eô ſemper manebit; ſi in peccato originali, nunquam emerget: ſi in ſtatu gratiæ nunquam excidet, ſed etiam in purgatorio illum retinebit. Locus D. Matthæi potius favet Purgatorio; loquitur enim de tritico à paleis ſeparato, & in Cœli horreum inferendo; ſi autem mixtum ſit paleis, prius ventilatur, & purgatur, ſicuti ait Joannes Baptiſta Matth. 3. v. 12. *cujus ventilabrum in manu ſuâ, & permundabit aream ſuam.* Chriſtus apud Joannem dicens, *credentes non judicari*, id eſt, non condemnari, loquitur de credentibus fide vivâ & ad normam fidei inſtituentibus vitam. Nam alioquin fideles à judicio non eximi, conſtat ex Matth. 25. v. 32. *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Videantur Cornelius à Lapide, Tirinns, & alij in cit. loc.

XVI. Dicit Ameſ. fol. 105. Chriſtum Matth. 25. duos ſolùm feciſſe hominum ordines, diſtinguendo oves ab hædis in hac vita, & poſtea in æternum, ideóque allatos ſcripturæ locos male explicari, & non dari tertium ſtatum; certè Chriſtus in illa hominum ſeparatione hunc non omiſſurus fuiſſet. Reſp. alibi ſatis clarè Chriſtum indicaſſe ſuum ſenſum de peccatis remittendis in alterâ vita, ut patet ex priori parte. Matth. autem 25. tantùm tradere nobis voluiſſe doctrinam de duobus ordinibus hominum pro tota æternitate, ut ſatis patet ex clauſula: *ibunt ergo illi in vitam æternam: hi in ignem ſeu combuſtionem æternam.* Urget quando Deus in extremo judicio facturus eſt prædictam ſeparationem, utique invenientur homines cum ſolô peccato veniali & reſtante aliqua pæna, pro quibus tamen non aſſeritur tertius ſtatus. Ad hanc Inſtantiam jam reſponſum ſupra §. 11. in fine. Addimus, poſſe Deum variè providere, & rem ita diſponere, ut vel nulli tales ſint, qui purgatorio ulteriore indigeant, vel breviſſimo tempore intenſio cruciatûs extenſioni longioris temporis reſpondeat.

XVII. Reſpond. 2. *ad ſecundum argumentum*, negando Minorem, quod omnes animæ Juſtæ ſtatim à morte Cœlum ingrediantur. Nam promiſſiones vitæ æternæ illis factæ ſunt cum tacita iſta conditione, ſi ſufficienter mundatæ ac purgatæ fuerint, vel propriâ pænitentiâ vel pænis purgatorij; quia *nihil coinquinatum introibit & admittetur in Cœlum* Apocal. cit. Loca Sac. Scripturæ in contrarium allata nihil efficiunt. David Pſal. 126. nomine hæreditatis non intelligit cœleſtem Beatitudinem, ſed filiorum & hæredum; ſic enim loquitur: *Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris*, quaſi diceret, juſti non morientur ſteriles, ſed relinquent filios hæredes, qui ſtemma propagent, uti ex communi ſenſu PP. locum hunc interpretatur Tirinus. Illud ad bono latrone privilegium ſingu-

ſingulariſſimum minimè in exemplum trahi debet. Addo, eundem à S. Cypriano & Auguſtino vocari Martyrem, ut ejus pœnitentia tam levis non fuerit. Joannis 5. nomine Judicij non intelligitur examen judiciale & temporalis punitio, ſed æterna damnatio, à qua immunes erunt fideles vivâ fide credentes, & fidem ſuam operibus teſtantes. Interim aliquas pænas ſubinde ſuſtinere debent; nam illa particula *à morte* non ſignificat ſtatim à morte, ſed poſt mortem ſive mediatè ſive immediatè juxta phraſin hebraicam. In Apocal. ſimiliter particula *amodo* non reſpicit mortem, ſed finem mundi, de quo ibi agitur; ſimile exemplum habemus Matth. 26. v. 64. in paſſione, ubi Chriſtus de extremo judicio ait: *amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli*, quod tamen non ſtatim ſed poſt multa ſæcula fiet. Ergo vox amodo non ſignificat ſtatim, ſed poſthac ſuo tempore. Videatur cit. Author.

XVIII. Dicit Ameſ. fol. 189. animas in Purgatorio non poſſe à peccato veniali ſpurgari; etenim qui non poteſt incidere in culpam, non poteſt de eadem liberari. Sed animæ ſeparatæ fidelium non poſſunt incidere in ullam culpam. Ergo. Reſp. Negando Antecedens, & diſtinguo Majorem, concedendo eam de mortalibus: negando verò de venialibus; etenim ab his poteſt anima ſeparata per actum dilectionis, ſeu contritionis liberari quoad culpam: quoad pænam verò ſatiſpati. Ita tradit S. Thom. in 4. diſt. 21. Q. 1. art. 2. & hoc ipſum nos ſupra §. 3. inſinuavimus; Nam acceptatio illa pænæ à DEO inflictæ poteſt dici & dilectio Dei, & contritio ſeu virtualis quædam pænitentia, & licet non ſit propriè meritoria, quia non meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen eſt remiſſoria peccati.

XIX. Reſpond. 3. *ad tertium argumentum*. Negando Minorem, quod Deus ſemper totaliter remittat culpam & pænam, ut conſtat evidentibus exemplis Moyſis, & Davidis, quibus poſt remiſſam culpam nihilominus temporalem aliquam pænam impoſuit. Quare promiſſio illa apud Ezechielem facta: *iniquitatem ejus non recordabor*, conditionatè intelligenda eſt, ſi debitam pænitentiam egerit, ſicut præceſſit v. 21. *Si impius egerit pænitentiam, & cuſtodierit omnia præcepta mea & fecerit judicium & juſtitiam &c.* Ad confirmationem negamus quoque Minorem; ſiquidem Deus à nobis non exigit dilectionem ſinimici omnimodam & ſub quovis reſpectu etiam peccatoris, ſed ſolùm, quà Dei creatura eſt, & ad æternam beatitudinem ordinatus; perinde ut ipſemet Deus non amat peccatores, ut tales, *cum odio ſint Deo impius & impietas ejus* Sap. 4. v. 9. Quapropter cum dicto odij moderamine ab illis, qui nos læſerunt, aliquam reſtitutionem & ſatiſfactionem requirere poſſumus; alioquim omnes proceſſus judiciales de injurijs tolli deberent. Dicit Ameſius fol. 189: in Purgatorio non eſt meritum. Ergo nec ſatiſfactio. Negatur Conſequentia; quia etſi in aliquibus conveniant ſatiſfactio & meritum, differunt tamen, quod ad hoc requiratur ſtatus viæ, & libertas: non verò ad illam. Aut ne lis ſit de nomine; dicamus, animas in Purgatorio ſatiſpati, ſeu ſatiſpaſſionem exhibere poſſe, ut loquuntur aliqui Theologi, quos ſupra §. 4. ſecuti ſumus.

XX. Reſpond. 4. *Ad quartum argumentum*, duplicem eſſe ſatiſfactionem pro peccatis; unam in actu 1. alteram in actu 2. In actu 1. ſatiſfacere pro altero ſignificat ſufficiens pretium ſolutionis ſubminiſtrare, ſi debitor uti velit, ſicuti alicubi homines pij conferunt magnam ſummam pecuniæ, quam vocant montem pietatis, ut paupgres obærati poſſint inde accipere auxilium pro ſolvendis debitis, ſi velint debito modo uti. In actu 2. ſatiſfacere pro alterô ſignificat pecuniam ipſam creditori loco debitoris numerare, ut nihil amplius exigere valeat. Jam Chriſtus pro noſtris peccatis abundantiſſimè ſatisfecit in actu primo, quia tantum meritorũ theſaurũ nobis reliquit, ut, ſi velimus uti per media nobis præſcripta, poſſimus delere omnem culpam & pænam: non autem ſatisfecit in actu ſecundo, quia adhuc multi damnantur, ſed oportet adhibere media, & Chriſti merita nobis applicare per pænitentiam & Sacramenta &c. Inſtat iterum Ameſius fol. 187. Si nos ſatisfaciamus pro peccatis noſtris, tùm dividimus cum Chriſto honorem, ita ut ipſe non ſit ſolus Redemptor noſter, ſed nos etiam aliqua ex parte. Hoc autem nefas & incurioſum eſt Chriſto perfecto & unico Redemptori noſtro. Reſpon. negando ſequelam. Nam tota virtus operum & Satiſfactionis noſtræ eſt à Chriſti ſanguine dependens, & id ipſum, quod nos coöperamur, ſpiritus illius in nobis operatur, ſicuti etiam nihil detrahitur Deo, quod cauſæ ſecundæ Deo coöperentur; imò potius additur ad gloriam ipſius. Cæterùm Ameſio, Molinæo & cæteris Sectarijs explicandum relinquo, quomodo D. Paulus ad Coloſs. 1. v. 24. rectè dixerit: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*; ſi enim applicatio meritorum Chriſti, ut ait ipſe, nihil eſt ad rem, & Redemptio ejuſdem nullam coöperationem requirit, & admittit, quomodo Apoſtolus aſſerere audet, aliquid paſſionibus Chriſti deeſſe, & hoc ſe implere? quomodo non injuriam facit per hoc Chriſto perfecto & unico Redemptori? imò quomodo ipſimet hæretici injuriam non faciant Chriſto unico & perfecto Mediatori, dum ejus merita per actus fidei ſibi applicant? Textus Sac. Scripturæ, quos Molinæus fol. 623. pro ſe adducit, intelligendi ſunt juxta datam doctrinam noſtram, quam confirmat Apoſtolus Roman. 8. v. 17. ajens: *hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut conglorificemur.* Ubi clarè apparet, ad conſecutionem Beatitndinis etiam aliquid à nobis & ex parte noſtra requiri, etiamſi Chriſtus abundè pro nobis ſatisfecerit. Ut alibi pluribus docetur.

XXI. *Error ſecundus.* Purgatorium dari, nec eſſe, nec fuiſſe unquam articulum fidei. Ita Calvinus L. 3. Inſtit. c. 5. §. 10. Petrus Martyr in Comment. c. 3. 1. ad Corinth. Gerhardus Loco ſupra cit. aſſerens fol. 429. *Purgatorium deſtitui Eccleſiæ primitivæ ſuffragio.* & fol. 433. *Purgatorio in Eccleſia à multis fuiſſe omni tempore contradictum.* Molinæus fol. 623. cit. ubi ait, *ab anno Chriſti 595. Purgatorium initium ſumpſiſſe.* & alij Sectarij. Probant 1. Quia ex Sac. Scriptura oſtendi non poteſt Purgatorium: Nam ipſi etiam Pontificij allata Scripturæ loca aliter explicàrunt. Et Cottonus ex ipſo cacodæmone ſuſcitari non dubitavit; ex quo totius novi Teſtamenti loco Purgatorium commodiſſimè fulciri poſſet. 2. Quia Græci Purgatorium non credi-

Digitized by Google

crediderunt. Unde Thomas opuſculo contra errores Græcorum hoc nomine eos perſtringit, quod non credant Purgatorium, 3. quia SS. PP. Purgatorium pro re incerta habuerunt, ut affirmat Calvinus loco cit. 4. Quia ipſimet Pontificij fatentur, Purgatorium eſſe dogma Ethnicum, Judaicum, & Turcicum. 5. denique quia Eccleſia in Miſſa Pontificia orat, ne fidelium defunctorum animas abſorbeat tartarus, id eſt, ut liberentur à ſententia damnationis in extremo judicio ferenda, non autem à Purgatorio. Ergo hujus non habet Eccleſia certam fidem.

XXII. Errori huic adverſatur, quod pro hæreticis ſemper ſint in Eccleſia Catholica habiti, qui Purgatorium negaverunt. Imò Aërius jam ante 1200. annos inter hæreticos fuit numeratus, quod ſuffragia mortuorum negârit, ut videre eſt apud Epiphan. hæreſ. 75. & Auguſt. in lib. de hæreſ. cap. 53. Hæreticus autem non eſt, qui negat id, quod de fide aut articulus fidei non eſt. Ipſe etiam Lutherus in Diſp. Lypſiaca eidem errori contradicit: *Ego*, inquit, *credo fortiter; imò auſim dicere, ſcio Purgatorium eſſe: facilè perſuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem: nolo mihi fieri ſuſpicionem, quaſi faveam hæreticis, aut Bohemis. Ego nihil de Purgatorio novi, niſi animas ibi pati, noſtris operibus & orationibus juvandas.* Ecce Lutherus credit fortiter tanquam articulum fidei, dari Purgatorium; fatetur hoc contineri in Sac. Scriptura, admittit bona opera, & hiſce atque orationibus animas in Purgatorio juvari; ac demum cenſet, hæreticos eſſe, qui negant, vel Purgatorium dari, vel animas in eo operibus & orationibus juvari, vel hujus extare articulum fidei; quidquid aliter alibi ſenſerit turpis Apoſtata & Proteus. Adhæc omne id eſt de fide, ſeu articulus fidei, quod à Deo eſt revelatum mediatè vel immediatè, revelatione ſcriptâ vel traditâ. Atqui dari Purgatorium omnibus hiſce quatuor modis revelatum eſt, ut patet ex doctrina prima prioris partis. Rationes in oppoſitum adductæ haud difficulter ſolvuntur.

XXIII. Reſpond. ad 1. Negando, ex Sac. Scriptura Purgatorium probari non poſſe. Adduximus in priori parte aliquot hujus teſtimonia, & viginti allegat Card. Bellarminus L. 1. à cap. 2. quæ ſi legere potuiſſent Joannes Fiſcherus, vulgò Roffenſis dictus, Chriſti in Anglia Martyr. Item Petrus à Soto, Alphonſus à Caſtro, Navarrus, & nonnulli, quos citat Gerhardus, non deſideraſſent Scripturæ loca pro Purgatorio. Alij Auctores Pontificij ſolùm volunt, ex Script. ſolâ abſque declaratione Eccleſiæ, vel abſque deductione ex alio claro Scripturæ loco aut traditione euidenter demonſtrari non poſſe Purgatorium, quod etiam fatemur cum Bellarm. L. 1. c. 11. nihilque efficaciæ probationis demit; ſicuti nec illud, quod aliqui Pontifices nonnulla loca pro Purgatorio adducta in alium ſenſum explicauerint; quia per hanc explicationem non negant alteram toti Eccleſiæ communem. Quod Gerhardus de Cottono affert, quod diabolum conſuluerit, è quo loco Scripturæ Purgatorium euidenter probaretur, eſt vna è familiaribus calumnijs hæretiorum contra Jeſuitas, ut vel ſic ſimplicibus illudant, & à veritate amplectenda illos avertant. Quod ſi forſan Cottonus, ut erat vir ingentis Zeli, aliquando energumenum exorcizans diabolum adiuraſſet, coëgiſſetque, ut ediceret, qui in S.S. Literis efficaciſſimus locus foret pro Purgatorio aſſerendo, aliter loqui debebat Gerhardus, & non tam immodeſtè effutire, Cottonum Ieſuitam ex diabolo quæſiviſſe. &c. Nam verba hæc ita crude prolata videntur innuere cōmercium aliquod cum dæmone, quale Zwinglium & Lutherum habuiſſe orbi notum eſt, & ipſimet non diffitentur. de Cottono autem viro religioſiſſimo ſimile quid nec ſuſpicari unquam licuit.

XXIV. Ad 2. Græcos P.P. Originem, Baſilium M. Gregorium Nazian. Ephrem, Gregorium Niſſænum, Euſebium Emiſſenum, Theodoretum & reliquos quatuor & quinque primis ſæculis Purgatorium credidiſſe, ut oſtendunt clariſſima eorum teſtimonia, quæ allegant Bellarm. L. 1. de Purgatorio c. 6. & Vetweis. in Speculo Eccleſiæ fol. 323. Poſterioribus autem ſæculis, etſi aliqui Græci negârint animas igne cruciari, ſemper tamen conceſsêre, quod opus habeant precibus vivorum, ut inde liberentur, uti conſtat. Nam Græci Patriarchæ & Epiſcopi in Concilio Florentino congregari Seſſ. vltima. ad interrogationē, quid de purgatorio igne ſentirent, reſponderunt primò quidem & privatim his verbis: *profe-rimus ex nobis, Iuſtorum animas perfectam laureolam in Cœlo jam conſecutas eſſe, ac impiorum perpetuas pœnas luere, medias verò in Purgatorio eſſe, quod quidem ſive ignis, ſive obſcuritas, ſive turbo, ſive id genus aliud ſit, nihil referre.* Verùm poſtea ex conſenſu communi in Litteris unionis Græci ac Latini ſic unanimiter concordârunt & definierunt: *ſi verè pœnitentes in charitate diſceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis & omiſſis ſatisfecerint, eorum animas pœnis purgatorijs poſt mortem piari; & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis vivorum ſuffragia &c.* In eundem ſenſum poſteriores Græci anno 1560. in Reſpons. ad Cardinalem Guiſium ſe declarârunt. Item Gabriel Alexandrinus Patriarcha in epiſt. ad Clementem VIII. anno 1595. ſimilter Ruthenorum Legatus anno 1595. in fidei ſuæ profeſſione ſic ait. *conſtanter teneo, Purgatorium eſſe animáſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs juvari.*

XXV. Ex his apertè conſtat, à Sectarijs falsò aſſeri 1. Græcos vnquam Purgatorium abſolutè negaſſe, cum tantùm aliqui negârint ignem Purgatorii, 2. in Concilio Ferrarienſi & Florentino inter Græcos non conueniſſe de Purgatorio. 3. contra Græcorum conſenſum Decreto Unionis Purgatorium fuiſſe inſertum, quæ ſanè eſt decumana & horrenda calumnia toti Occidenti injurioſa. 4. Epiſcopos Epheſinos decreto unionis noluiſſe ſubſcribere propter Purgatorium. 5. Non ſolùm contra conſenſum Græcorum, ſed etiam aliorum Decreto Unionis Purgatorium fuiſſe inſertum; hæc, inquam, omnia & ſingula longè falſiſſima ſunt, quæ tamen ab hæreticis paſſim ſparguntur. Demum etiam falſum eſt, quod ait Gerhardus, D. Thomam hoc nomine perſtringere Græcos, quod non credant Purgatorium, cum Angelicus D. loco cit. ex Theodoreto expreſsè referat hæc verba: *hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ ut aurum in conflatorio &c.* Ex his ergo ſolùm D. Thomas perſtringit Græcos, quod ignem in Purgatorio admitere nolint.

XXVI. Ad 3. palmarem & prorſus adipatam falſitatem, & calumniam eſſe graviſſimam, quod auſus fuit ſcribere Calvinus, loco cit. *veteres Patres in errorem fuiſſe abreptos, ut & ipſi Purgatorium, & precationes pro defunctis admitterent.* An non Sac. Scri-

ſturæ, Apoſtolicæ Traditiones, Primitivæ Eccleſiæ praxis & devotio, grávia rationis momenta Purgatorium adſtruunt? Quomodo ergo veteres PP. Purgatorium inde credentes & preces pro defunctis admittentes errore abrepti fuerunt? An non potius Calvinus ſtultitiâ abreptus eſt, cum veteres Pâtres erroris argueret? Certè inſolentis inſaniæ eſt, diſputare contra id, quod univerſa facit Eccleſia, juxta D. Auguſt. Epiſt. 118. cum ipſa *Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis.* Quando Auctor Hypognoſtici, quo maximè triumphant hæretici, dicit, *fidem Catholicam duo tantùm agnoſcere loca, Cœlum & Gehennam, tertium ignorare*, ſermo eſt, de locis animarum æternis contra Pelagium, qui neſcio quem locum Beatitudinis Naturalis parvulis ſine baptiſmo decedentibus aſſignavit, ſimulque indicat idem Auctor, parvulos decedentes ſine Baptiſmo ſuplicia in gehenna experturos; quod tamen parùm probabile eſt, de quo videri poteſt Tanner Tom. 2. D. 4. Q. 10. dub. 5. Cæterùm neque Auguſtinus neque alius ex veteribus Patribus unquam dubitavit de Purgatorio ipſo, ſed alijs rebus Purgatorium concernentibus v. g. de genere peccatorum, quæ in Purgatorio eſſent luenda, an videlicet adhuc anima quibuſdam immodicis affectibus rerum temporalium tangatur & moveatur, pro quibus purgandis pænas in purgatorio luere debeat? Item de genere pænarum, an verò igne ejuſdémque rationis cum igne infernali animæ in Purgatorio puniantur? Videatur D. Auguſt. in Enchir. cap. 69. & alibi. Unde etiam apparet, craſſum eſſe mendacium Molinæi, Purgatorium ab anno Chriſti 595. initium ſumpſiſſe. Videat mandaciſſimus rabula Bellarminum, Baronium, Gualterium, & alios: atque omnibus retro ſæculis Purgatorium affirmatum fuiſſe, perſpiciet.

XXVII. Ad 4. Conſenſum Judæorum, Mahumetanorum, & Ethicorum circa hoc dogma per ſcommata Ameſij, & Gerhardi, aliorúmque Adverſariorum non labefactari. Nam ex hoc omnium Gentium calculo & conſenſu inter Gentilium Philoſophos, Judæorum Rabinos, Turcarum Muftos, Indorum Bonzios (uti ex S. Franciſci Xaverij Lib. 4. epiſt. Indicarum refert Gerhard. hic fol. 434.) nos Catholici contra illuſores hæreticos ſic rationamur. Quod omnes omnino Populi communi conſenſu approbant, verùmque habent, id omnes ſapientes omni tempore habuerunt pro vero. Sic Parentibus obtemperandum eſſe, furta cavenda, Deum aliquem mundum regere &c. pro oraculis ideo habentur, quia in hoc ſenſu Gentes omnes fideles & infideles conveniunt. Cum igitur omnes prorſus Populi in hoc quoque conſpirent, ac conſentiant; diverſas eſſe alterius vitæ pænas pro delinquentium diverſitate in hac vita: graviores alias, alias mitiores: alias æternas, alias certi temporis pro Judicis aut Judicum alterius vitæ juſto arbitrio, & minùs magiſvè delinquentium qualitate, incredibile planè videtur, ſolos Lutheranos & Calviniſtas ab omnibus diſſentientes ſapere; ut proinde rectiſſimè iſtis Evangelicum illud dici queat: *adhuc & vos* (& quidem ſoli) *ſine intellectu eſtis*, Matth. 15. v. 16.

XXVIII. Denique verba illa, quibus Eccleſia orat pro aliquo defuncto, *ne pænas Inferni ſuſtineat &c.* non poſſe, nec debere intelligi de liberatione à ſolis pænis Purgatorij, ſed etiam de evitatione inferni. Nam Deus prænoſcit ab æterno per varias ſcientias omnia, quæ in tempore ſunt futura, ac nominatim cujuſque hominis mortem, & preces pro eo aliquot etiam poſt diebus fuſas; quod probè ſciens Eccleſia orat pro Fidelibus ſuis defunctis, ut Deus pro infinita Bonitate ac Clementia ſua tales illis gratias ab æterno ordinare ac concedere dignetur, quibus in ultimo præſertim agone poſiti actus pænitentiæ & amoris elicere, Deo ſe unire; & ſic non ſolùm æternas ignis infernalis, ſed etiam temporales purgatorij pænas ſaltem citiùs evadere valeant. Videri poteſt Card. Bellarm. L. 2. de Purg. cap. 5. ubi paulo aliter reſpondet, ſed iſta noſtra doctrina eſt planiſſima, optima, & communiſſima Theologorum, & per eam expreſsè explicantur prædicta verba Eccleſiæ à Card. Pallavicino L. de Actibus hum. cap. 8. n. 106 &c.

XXIX. Cur autem Molinæus hanc ſolam orationem ex Miſſa pro defunctis producit? numquid ibidem aliæ ſunt multæ, in quibus apertè fit mentio purgationis, pœnarum, & liberationis ex loco tenebrarum, quæ non niſi Purgatorio applicari poſſunt? Ait, purgatorium admitti poſſe etiam à Patribus aſſertum: at non aliud, quàm tribulationes temporales, & publicas pœnitentias olim in Eccleſia agi ſolitas; imò etiam ignem purgantem: at non alium, quàm in extremo mundi die præcedentem univerſale DEI judicium. Non inficiamur nos Catholici, ſubinde Patres temporalem tribulationem ac publicam pœnitentiam vocare conſueſſe Purgatorium; ex hoc tamen non ſequitur, eos negaſſe verum Purgatorium. Quod etiam ijdem per ignem, qui extremum DEI judicium antecedet, ſolùm intellexerint Purgatorium, à veritate alieniſſimum eſt. Si etiam juxta mentem Patrum, ut illos intelligit Molinæus, omnes animo Sanctos ipſam quoque B. V. Mariam illum ignem tranſire oporteat, certè hoc Purgatorio vero non convenit, ſiquidem iſtud multi Sancti nec tranſeundo attingent, ſcilicet ſufficienter in hac vita purgati & mundati; ut taceam B. V. Mariam, quæ nihil habet, quod purgetur, omnis culpæ & pœnæ immunem. Videatur Antiquus Papatus P. Laurent. Forer. lib. 7. de Purgatorio, Bellar. ibid. lib. 1. c. 6. &c.

CONTROVERS. XLI.

DE ADORATIONE.

EA hæreticorum perverſa eſt indoles, ut Ægyptiacarum ranarum inſtar non ſolùm inferiora penetralia Eccleſiæ Militantis ac Purgantis maledicentijs ſuis attingant, ſed contra Triumphantis etiam beatas atque altiſſimas Sedes coaxent. Hiſce igitur garrulis ſilentium indicturi oſtendemus, quàm juſtè Deo adoratio: Sanctis verò eorúmque Imaginibus ac Reliquijs veneratio deferatur: & quàm iniquè à Sectarijs ſuus Beatis in Eccleſia Triumphante honor auferatur.

IHS.

PARS

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. POſt Eccleſiam in communi; atque in ſpecie poſt Militantem ac Purgantem ad Triumphantem progredimur, ad quam maximè Adoratio Dei & cultus Sanctorum ſpectat, ſequentibus controverſijs explanandus. Ab Adoratione igitur Dei incipiendo. Nomen hujus non eodem modo ubique ſumitur. Nonnunquam enim generatim ſignificat quemcunque actum Religionis internum vel externum, quo honor divinus Deo defertur. Verùm propriè ac in propoſito accipitur pro externo ac ſimplici quodam actu ſeu nota revererentiæ ac honoris, quâ per certum & cujuſvis patriæ receptum quendam morem ac geſtum corporis alteri reverentia exhibetur.

II. *Doctrina prima.* Adoratio in genere eſt ſubmiſſio & recognitio excellentiæ perſonæ adoratæ ex affectu illam ſic recognoſcendi. Ita omnes Catholici Doctores & Theologi ex D. Damaſceno Orat. 1. de Imaginibus & Orat. 3. Ex qua definitione appatet, adorationem quatuor ſaltem actus depoſcere. 1. eſt judicium ſpeculativum intellectûs de alterius excellentia; qui actus pro diverſitate objecti vel ad fidem; aut ſimilem habitum ſupernaturalem intellectûs, vel ad naturalem mentis ſolertiam & vires cognoſcendi pertinet. 2. eſt judicium practicum, ſeu dictamen intellectûs eidem hic & nunc pro ratione excellentiæ cultum congruum cum debitâ animi demiſſione deferendi, qui eſt actus prudentiæ. 3. eſt actus voluntatis huic judicio conſentientis, adeóque ſubmittentis ſe alteri, ubi alius actus intervenit eligens objectum ac medium, quo talis proteſtatio ſubmiſſionis fiat, qui actus tertius voluntatis in adoratione præcipuus eſt, & velut actus immediatè elicitus ad eam ipſam virtutem obſervantiæ pertinet, quâ pro ratione conditionis res aliqua colitur. 4. denique eſt actus externus velut nota ſubmiſſionis, & ultimatè conſumans adorationem; qui actus ab eadem virtute dici poteſt vel per ſe immediatè imperatus, vel mediatè elicitus. Vaſq. contendit, adorationem ſine hoc actu externo conſiſtere non poſſe. Alij tamen communiùs & probabiliter contrarium tenent. Sed de hoc Scholaſtici.

III. *Doctrina ſecunda.* Adoratio ferè tripliciter dividitur ab Auctoribus. 1. Diviſio eſt *in Sacram ſeu Religioſam, & Politicam ſeu Naturalem.* Prior eſt ordinis ſupernaturalis ex motivo ſupernaturali, & tam Deo quàm Sanctis pro cujuſque excellentia convenit: Poſterior verò eſt ordinis naturalis ex motivo ſolùm naturali, & ideo hominibus ob varia eorum dona, prærogativas & officiorum poteſtates tribui ſolet. Meno Hannekenjin Irenico ſuo fol. 461. & univerſim hæretici duo hujus diviſionis membra reducunt ad duas tabulas Moyſis, & in prima adorationem Sacram ſolius Dei: in ſecunda verò omnem Angelorum ac Beatorum cultum ponunt; quaſi verò iſtorum nullus cultus facer ex motivo ſupernaturali dari, & in prima tabula poſt Deum collocari poſſet. 2. Diviſio Adorationis eſt *in Abſolutam & Reſpectivam*; Prior eſt, quâ quis ſe ſubmittit alteri ob excellentiam ipſius, quæ adoratio ſoli enti intellectuali ac rationali convenire poteſt; quia ſicut ſolum illud capax eſt virtutis, ſanctitatis, ac dominij (quæ ſunt qualitates conſtituentes objectum dignum) ita quoque abſolutæ adorationis: Poſterior eſt, quæ fit alteri non propter excellentiam in illo reſidentem, ſed propter reſpectum, quem habet ad aliud, & ratione cujus honore dignum judicatur. Hæc igitur adoratio rebus inanimatis convenire poteſt, cum non ſiſtat in illis, ſed tranſeat & referatur ad perſonas, ad quas illæ res inanimatæ reſpiciunt, ut contingit in adoratione Crucis, Imaginum &c. Ita Suarez Tom. 1. in 3. P. diſp. 51. ſect. 2. in fine. Vaſq. de adorat. D. 3. c. 3. in principio, & alij Scholaſtici. 3. Diviſio eaque celeberrima eſt *in Latriam, Duliam, & Hyperduliam.* Latria, prout nunc à tota ſumitur Eccleſia (olim enim ſervitutem in communi ſignificabat) indicat ſpecialem adorationem ſoli Deo convenientem ratione ſupremæ & infinitæ excellentiæ. Dulia verò ſignificat cultum ſeu adorationem, quæ exhibentur Sanctis Dei Amicis ob dona ſupernaturalia & creatam excellentiam; quam plerique ſubdividunt in Hyperduliam, & Duliam ſimpliciter dictam, illa ob excellentiam ſingularem, & Maternitatem Dei tribuitur Beatiſſimæ V. Mariæ; hæc cæteris Dei Amicis impenditur. Has tres ſpecies convenire univocè, hoc eſt, non merè æquivocè communiter volunt Scholaſtici; quia non conveniunt ſolo nomine, ſed re & in aliqua ratione communi & abſtracta, ſcilicet eſſe teſtimonium animi ſubmiſſi reſpectu excellentiæ alterius, præſcindendo quanta ſit illa reſpectiva ſubmiſſio, & ille exceſſus excellentiæ.

IV. *Doctrina tertia.* Deus propriâ quâdam, eâque perfectiſſimâ & excellentiſſimâ Adoratione Latriæ eſt adorandus. Eſt extra controverſiam; & apertè habetur. Deut. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10. *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Ratio eſt, quia unicuique Perſonæ ſeu Naturæ intelligenti ac Sanctæ pro ratione ſuæ excellentiæ ac dignitatis condignus adorationis honor eſt tribuendus. Ergo cum Deus ſit Naturâ ſummæ Excellentiæ & Dignitatis, propriâ quâdam & quidem perfectiſſimâ atque excellentiſſimâ adoratione eſt colendus, qualis ſola eſt adoratio Latriæ. Hæc autem adoratio Dei propria non tam ex ipſo ritu externo adorationis corporiſque geſtu (ſiquidem infimos quoſque adorationis geſtus, puta corporis proſtrationem flexionem genuum &c. etiam hominibus rectè fuiſſe exhibitos, conſtat ex Sacra Scriptura Geneſ. 23. v. 3. & alibi) quàm ex interna animi demiſſione ac reverentia deſumitur; quæ reverentia animique demiſſio reſpondet rationi formali objecti, ſeu termini adorationis, quæ eſt ipſa Excellentiæ divinæ dignitas, ſeu ratio primi Principij, quæ proinde unum ſpecie adorationis cultum conſtituit ad virtutem Religionis pertinentem.

V. *Doctrina quarta.* Chriſtus DEUS & Homo adorandus eſt eâdem Latriâ perfectiſſimâ, quâ adoratur tota Sanctiſſima Trinitas & quælibet hujus Perſona. Ita omnes Catholici de fide tenent. Tum quia Chriſtus Dominus, ut ſic, eſt verus DEUS; neque enim Verbum divinum aſſumens Naturam Humanam ſe Divinitate privavit, ſed retinens Divinitatem ſibi humanitatem copulavit. Tum quia ſic fuit adoratus à Magis Matth. 2. v. 11. à cæco illuminato Joan. 9. v. 38. à Thoma

Apoſt. Joan.20. v.28. Et ſic Chriſtum eſſe adorandum, tradit Paulus ad Philip. 2. v. 10. ajens : *In nomine JESU omne genu flectatur.* Et ad Hebræos 1. v. 6. *& adorent eum omnes Angeli ejus.* Atque ita docent omnes Scholaſtici ; ut fusè oſtendit Suarez. Tom. 1. in 3. P. D. 53. Sect. 1. Hoc cum certiſſimum apud omnes ſit, ſi Chriſtus ſumatur, ut Deus. Quæſtio eſt, an etiam, ut homo, adorari ſic queat ? Pro deciſione hujus quæſtionis duo ſtatuimus.

VI. *Primum.* Humanitas ſpecificativè ſpectata in Chriſto adoratur eâdem prorſus Latriâ cum Verbo. Ita communiter hodie Catholici contra paucos antiquos ; imò Vaſq. in 3. P. D. 95. cap. 2. hanc doctrinam cenſet eſſe de fide propter Concilium Alexandrinum definiens : *Chriſtum JESUM Filium DEI unigenitum unâ Adoratione cum Carne adorari.* Quod multò clariùs docent SS. Patres apud cit. Auct. ex quibus D. Auguſt. in Pſal. 98. *Nemo*, inquit, *Carnem Chriſti manducat, niſi priùs adoraverit.* Rationem affert Cyrill. & ſic argumentatur : ſicut adoratur totus homo duliâ propter excellentiam, quæ eſt in ſolâ animâ ; & tamen coädoratur caro hominis ; quippè adoratur illa perſona excellens, licet excellentia non ſit in omnibus partibus perſonæ : Sic etiam adoratur Latriâ totus Chriſtus quoad omnes ſuas partes propter excellentiam Divinitatis, quæ eſt in illa perſona, ita ut etiam affectus ſubmiſſionis in ipſam Humanitatem tendat, eò quòd realiter in ſe habeat ſupremam Excellentiam. Interim fatendum eſt cum Ariaga de Incarn. diſp. 52. à n. 5. eandem Latriam non eodem prorſus modo terminari ad Humanitatem & Verbum. Nam Verbum adoratur propter ſuam propriam excellentiam : Humanitas verò propter excellentiam non ſuam ſibique identificatam, ſed propter excellentiam Verbi ſibi ſolùm unitam ; unde non tam dicitur adorari, quàm coädorari, id eſt adorari propter conjunctionem cum alio. Nihilominus Humanitas adoratur per ſe, ſicuti unita Verbo conſtituit cum hoc compoſitum per ſe (ad quod ſuppoſitum intentio adorantis terminatur) & non per accidens, ut rectè Suarez. D. cit. Sect. 2. *Alterum* eſt. Humanitas Chriſti reduplicativè ſumpta, id eſt, ſecundùm excellentiam creatam, quam ex ſe aut in ſe habet, non poteſt cultu Latriæ adorari. Ita ex communi Doctorum Mendoza de Incarn. D. 85. §. 8. Ratio videtur clara, quia nihil poteſt adorari latriâ propriè dictâ, niſi ratio adorandi ſit excellentia increata. Atqui formalis ratio adorandi in noſtro caſu tota eſt creata ; ſiquidem poſſum apprehendere Humanitatem Chriſti, ut habet excellentiam quandam à gratiâ habituali, & modo unionis hypoſtaticæ diſtinctam realiter ab excellentia Verbi. Ergo humanitas ſic ſumpta, & præciſa à Verbo ſolâ cogitatione noſtrâ non eſt digna perfecto cultu latriæ.

VII. Cæterùm non convenit inter Theologos, an eadē Humanitas reduplicativè ſumpta ſecundùm excellentiam ſupernaturalem creatam, quam in ſe habet, poſſit phyſicè alio inferioris adorationis genere coli ſive in abſtracto, ſive in concreto ? Negant Vaſq. L. 1. de Adorat. d. 4. Palao Tract. 8. d. 1. punct. 2. n. 4. & alij. Affirmant Suarez. D. 53. cit. ſect. 2. Concl. 2. & 3. Arriaga, & alij. Probabilius mihi videtur, Humanitatem phyſicè tam in abſtracto, quàm in concreto adorari poſſe. Ratio prioris eſt, quia nihil repugnat concipere Humanitatem Chriſti, ut ornatam talibus donis creatis, & illi propterea ſe ſubjicere ; ſi enim ſub illa conſideratione eſt objectum amabile, cur non etiam adorabile, ſi ſit res adorationis capax ? Ratio poſterioris eſt, quia omne concretum habens in ſe excellentiam honore dignam, poteſt coli adoratione illi commenſuratâ. Sed Chriſtus, quà homo, ſive concretum ex humanitate ; & unione reſultans habet excellentias honore dignas. Ergo propter eas poteſt coli adoratione commenſuratâ, nempe vel cultu latriæ, non tamen perfectæ, ſed inferioris, ut volunt Suarez. & Arriaga ; vel hyperduliæ, ut malunt Card. Bellarm. L. 1. de Beati ſanct. c. 12. & alij ; cum cultus iſte planè inferior ſit Latriâ ; ſiquidem unio illa, etiam ſi ſit conjunctio phyſica cum Divinitate ; revera tamen non ſit ipſa Divinitas. Meno Hanneken in ſuo Jrenico fol. 466. arguit inde Card. Bellarminum Neſtorianiſmi, & erroris contra Concilia prohibentia duas adorationes reſpectu Chriſti. Sed homo ſtolidus neſcit à Concilijs agi ſolùm contra Neſtorium alióſque hæreticos introducentes Chriſti adorationem completam termniatam ad duas in eo Perſonas, quarum unam propter alteram diverſo cultu adorandam dicebant, ut proinde prædicta Concilia nihil habeant contra nos. qui non loquimur de adoratione totius ſuppoſiti, nec volumus Humanitatem veluti diverſum ſuppoſitum more Neſtoriano adorari poſſe diverſò cultu ab eo, qui tali ſuppoſito tribuitur. Hoc enim longè abſit à nobis, ſed eandem præcisè ſumptam & donis ſolùm ſupernaturalibus creatis donatam. At non decenter ſit talis adoratio inferior. Ita quidem ſentiunt Adverſarij Catholici. Sed non apparet ratio, quæ convincat ; quæ enim indecentia, ſi Leopoldum modernum Romanorum Jmperatorem conſideremus ; ut Comitem Habſpurgicum aut Tyrolenſem, & ſic dicamus, minorem ei reverentiam deberi, quàm eidem ut Imperatori Romano debatur ?

VIII. *Doctrina quinta.* Deus & Chriſtus adoratur in Cœlo tam ab Angelis, quàm ab Animabus Juſtis, quamprimum iſtæ ex hac vita diſceſſerunt, & emaculatæ beatâ illa viſione frui ceperunt. Ita omnes Catholici, & definitum eſt à Benedicto XI. Item à Concilijs Florent. Seſſ. ult. in decretò unionis ante finem, & Trid. Seſſ. 25. de invocatione & veneratione SS. Reliq. & SS. Imaginum. Atque expreſsè ſuppoſuit Eccleſia in Orat. de S. Gregorio ; ubi dicit : *DEUS qui Animæ Famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti &c.* De Angelis non eſt dubium : *adorate Deum omnes Angeli ejus* Pſal. 14. v. 8. Et *clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus Sanctus Sanctus &c.* Iſaiæ 6. v. 3. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt eum.* Apoc. 7. v. 11. De animabus juſtis, quod ſtatim ac hinc diſceſſerunt & penitus purgatæ fuerunt, Deum in cœlo adorent. Probatur 1. ex Sacra Scriptura 2. ad Corinth. 5. v. 4. *qui ſumus*, inquit Apoſtolus, *in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eò quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri.* Et mox. v. 6. *Audentes igitur ſemper ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Ex his verbis formatur argumentum hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi. Datur aliquis ſtatus animæ, in quo anima peregrinatur a corpore, & eſt præſens Domino non per fidem, ſed per ſpeciem, hoc eſt, videndo à facie ad faciem. Sed in tali ſtatu anima adhuc ſeparata à corpore videt Deum. Ergo ante Reſurrectionem videt Deum. Major patet; quia fides non evacuatur, hoc eſt, non ceſſat, niſi per viſionem Dei illi ſuccedentem. videatur Tirinus, ubi D. Anſelmum. Thom. Aquinatem, Liranum & alios pro hoc ſenſu adducit. Ad Epheſ. 4. v. 8. dicit idem Apoſtolus de Chriſto: *Aſcendens, in altum captivam duxit captivitatem*, quæ verba ex Pſal. 67. v. 19. deſumpta communiter DD. interpretantur de Patribus in Limbo, quos Chriſtus inde extrahens Cœlo ſecum intulit, æternùm Deo fruituros. Luc. 23. v. 43. Chriſtus ait latroni: *hodie mecum eris in Paradyſo*; non terreſtri Adami, nec etiã in cœlo empyreo aut cœleſti, ſed generaliter in loco voluptatis, puta in conſortio tot miriadum SS. Patrum, & in clara viſione Dei, quæ intuitu mortis Chriſti; ſtatim ac iſte expiravit, conceſſa fuit omnibus in Limbo, ut communiter tenent Patres & Interpretes Scripturæ in hunc locum. Atque hæc clarà Dei viſio eſt ipſum Chriſti regnum, quod latro petierat; hoc eſt, ſumma & æterna felicitas. Probatur 2. ex Patribus tam Græcis quàm Latinis, quos fusè addducit Card. Bellarm. L. 1. de Beat. Sanct. c. 4. & 5. ſufficiat nobis unus & alter. Epiphan. hæreſ. 78. in fine: *Sancti, inquit, ſunt in honore, quies ipſorum in gloria, profectio in perfectione; ſors illorum in beatitudine, in manſionibus ſanctis, tripudium cum Sanctis, dieta in cœlo, gloria in honore incomparabili & perpetuo, bravium in Chriſto Domino noſtro.* D. Auguſt. in Pſal. 119. Heu mihi, quià incolatus meus prolongatus eſt &c. ſic Scribit: *Ibi omnes juſti, & ſancti, qui fruuntur Verbo Dei, ſine lectione, ſine litteris; quod enim nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt, &c.* Probatur 3. Ratione. Quia de facto animæ peccatrices & in mortali peccato ex hac vita decedentes ſtatim in infernum detruduntur, quod Chriſtus voluit ſignificare per hiſtoriam Lazari, & Epulonis Luc. 16. n. 20. & conſtat ex innumeris apparitionibus. Ergo etiam animas ſanctas par eſt ſtatim præmiari, cum jam habeant plenitudinem meritorum ſuorum, neque cœlum amplius ſit clauſum, quod Chriſtus triumphator ingrediendo in illud omnibus juſtis reſeravit. Et Deus ad benefaciendum promptiſſimus eſt Eccleſ. 11. v. 24. *Benedictio DEI in mercedem juſti feſtinat.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

IX. *Error primus.* Eſt Wicleffi apud Waldenſem Tom. 1. doctr. fid. a. 3. c. 44. aſſerentis: Chriſti Humanitatem à Verbo diviſam in propria perſona adorandam eſſe adoratione perfectæ Latriæ ob beneficium Redemptionis. Error iſte ſatis refutatus eſt in priore part. Doct. 4. §. VI. ubi diximus, de facto abſque reali ſeparatione Humanitatem Chriſti, quà talem, perfectâ Latriâ adorari non poſſe. Nam loquendo de adoratione internâ, à qua externa accipit denominationem Latriæ, videtur implicantia in terminis, illam interiorem eſſe æqualem reſpectu humanitatis Chriſti, ac reſpectu Verbi; ſiquidem judicium internum, quo ego judico, Humanitatem eſſe excellentem, non eſt illud, quo judico, Deum eſſe excellentem: neque poſſum habere judicium, quo judicem Humanitatem eſſe æquè excellentem, ac Deum; ſed judico, minorem eſſe excellentiam Humanitatis quà talis, quàm ſit excellentia Verbi. Ergo humanitas, quà talis conſiderata, etſi re ipsâ Verbo unita ſit; perfectâ Latriâ coli non poteſt, ſed inferiore quâdam, aut hyperdulia adorari debet. Quod audem eadem Humanitas realiter diviſa à Verbo in propria perſona perfectâ latriâ adoranda ſit, manifeſtè erroneum eſt. A quo tamen errore longè abſunt illi Theologi, quos ſupra oppugnavimus. Ratio Wicleffi prorſus nulla eſt, cùm Humanitas à Verbo realiter diviſa in propriâ perſona ſubſiſtens nihil faciat ad redemptionem, quia, ut ſic, non terminat Verbum, & eſt merè aliquid creatum. Quod ſi loquamur de eadem Humanitate, prout ſe de facto habet abſque reali ſeparatione à Verbo, tunc Chriſtus præcisè, ſeu quatenus homo, non eſt Redemptor, quaſi causâ Principalis, ſed solùm tanquam prima ſecundùm quid, nempe in ratione meriti & ſatisfactionis, cum Verbum abſque Humanitate ſatisfacere ac mereri non potuerit, ut rectè Tanner Tom. 3. diſp. 5. Q. 2. n. 54.

X. *Error ſecundus* eſt Lutheri Prælect. in Genes. & Calvini L. 3. Inſtit. c. 20. poſt aliquos antiquos hæreticos apud Bellarminum L. de Beatit. Sanct. c. 1. nullius hominis animam, quantumvis ſanctam, ante extremum Iudicij diem cælum ingredi; aut cœleſti beatitudine potiri; ſed ſub terra aut alio loco morari, donec veniat dies extremi Judicij. Probare conantur tum ex Scriptura, tum ex Patribus. ex S. Script. adducunt hæc loca. Math. 20. v. 8. *omnes operarij ſimul accipiunt mercedem, & denarius datur veſperi*, hoc eſt, in die judicij extremi. 2. ad Timoth. 4. v. 8. dicit Apoſtolus. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Ad hebræ. 11. v. 40. ait idem Apoſt. *antiquos PP. non accepiſſe repromisſiones, ut non fierent Beati ſine nobis.* Ergo omnes ſimul beabimur. 1. Petri 5. v. 4. ſic habetur. *cum apparuerit Princeps Paſtorum percipietis immarceſſibilem coronam.* Et demum 1. Joan. 3. v. 2. *cum apparuerit* (ſcilicet Chriſtus.) in ſecundo adventu, *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Ex Patribus afferunt hæc Teſtimonia. D. Juſtinus Q. 76. ait, *operum mercedem non obtingere ante Reſurrectionem.* Irenæus L. 5. c. 31. ſcribit, *animas abire in locum inviſibilem* S. Chryſoſt. Hom. 39. in 1. ad Corinth. *anima*, inquit, *ſine carne admirandis illis bonis non fruetur* S. Bern. Serm. 3. de omnibus SS. hæc habet. *in illam beatisſimam Dei domum animæ nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis.* S. Ambroſ. L. 2. de Cain & Abel c. 2. dicit. *quod anima poſt finem hujus vitæ ad futuri judicij diem ambiguo ſuſpendatur*, Hilarius denique in Pſal. 138. ait. *humanæ neceſſitatis legem eſſe, ut ſepultis corporibus ad Inferos animæ deſcendant.*

XI. Errorem hunc præter illa, quæ ſupra attulimus, refellit perpetua praxis univerſæ Eccleſiæ Feſta Sanctorum celebrantis in ſignum gratulationis de obtenta cæleſti gloria. Et certè ſi noluit Deus mercedem operarij vel unico die differi apud homines juxta illud Levit. 19. v. 13. *non morabitur apud te opus mercenarij tui uſque mane*, quomodo credibile videri poteſt, ipſumet Deum

Digitized by Google

ſervorum ſuorum mercedem per tot ſæcula dilaturum?

XII. Reſpon. 1. *ad probationem ex Scriptura*. Math. 20. *veſperi* hoc eſt, in Die Judicij redditum iri omnibus perfectam & plenam mercedem, nempe beatitudinem etiam Corporis, quam omnes ſimul accepturi ſunt; & quidem publicè coram toto genere humano; quamuis illud *veſperi* intelligi etiam poſſit de fine vitæ: & tunc particula *ſimul* non eſt curanda, cum in parabolis non omnia quadrare debeant rei ſignificatæ. 2. ad Timoth. loqui etiam Apoſtolum de plena corporis & animæ retributione, eáque ſolenni & publicâ in conſpectu totius mundi, ut ipſamet verba innuunt. Senſum D. Pauli in Epiſt. ad Hebræos eſſe, quod antiqui Patres non acceperint repromiſſionem beatitudinis ſine nobis, hoc eſt, priùs quàm etiam in nouo Teſtamento morientibus cælum eſſet apertum. Ita Cornelius à Lapide, Tirinus, & alij. 1. Petri 5. Sermonem quoque eſſe ibi de plena perfectaque beatitudine etiam corporis, quam accipiemus cum in ultimo Judicij die apparuerit Princeps paſtorum Chriſtus. 1. Joann 3 illa verba, *cum apparuerit*, non eſſe intelligenda de Chriſto apparente, ſed quando manifeſtum fiet toti Mundo, quam mercedem accepturi ſint Juſti, tunc enim ſimiles erimus Chriſto in animæ & coporis puritate, in impeccabilitate, immortalitate, impaſſibilitate & fruitione eiuſdem Boni infiniti &c. Ita cit. Authores.

XIII. Reſpondetur 2. *Ad probationem ex* Patribus, qui à S. Scriptura non diſſentiunt. *D. Iuſtinum* etiam intelligendum de mercede plena corporis & animæ, quando totus homo animo & corpore gaudebit, aut legebit. *S. Irenæum* per locum inuiſibilem intelligere cœlum empyreum, quod non videmus. Non inficiatur igitur, animas Sanctorum eſſe in cœlo, & videre Deum; ſed ſolùm innuit, illas non eſſe nunc in illa perfecta beatitudine, in qua eſt Chriſtus, qui corpore & animo beatus eſt. *D. Chryſoſtomum* aliud non velle, quàm non ita ſemper Animam fruituram bonis, quin aliquando etiam corpus in conſortium gloriæ admitatur; cæterùm apertiſſimè tenet alibi veritatem Catholicam. *S. Ambroſium* non loqui de incertitudine beatitudinis, ſed de die ultimi judicij, quem Deus adhuc celat. *S. Hilarium* locutum eſſe de veteri teſtamento; tunc enim cælum adhuc erat clauſum, & hinc dixit Paulus ad Hebræ. 11. ſupra cit. illos Veteres ante novi teſtamenti Sanctos cœlum non fuiſſe ingreſſos. *S. Bernardus & ipſe etiam Auguſtinus* videntur aliquamdo dubitaſſe de loco, vbi animæ futuræ ſint ante reſurrectionem. item an beatitudo animarum poſt reſurrectionem maior ſit futura? Et ſi etiam de re ipſa dubitaſſent, nihil contra nos inferretur; quia prima definito dicitur ante annos trecentos primùm facta à Benedicto Papa. (quem alij XI. alij XII. numerant.) in Extrau. Benedictus Deus &c. quæ tamen non reperitur in corpore Juris, ſed privatim ab aliquot Scriptoribus refertur apud Sanderum. Videatur Bellarm. L. a. cit. c. 1. & 5. ubi clariſſimè oſtendit, S. Auguſtinum de ipſa Beatitudine non hæſiſſe dubium. Bernardum etiam non dubitaſſe de viſione ſimplici, ſed ſolùm de perfecta, quam habebit anima, quando toto impetu in Deum feretur.

CONTROVERS. XLII.

DE CULTU SANCTORUM.

SAncti hic Strictiſſimè accipiuntur, nempe pro ijs, qui non ſolùm privatâ hominum opinione, ſed etiam publico & ſolenni judicio Eccleſiæ tanquam Beati cælorum incolæ cenſentur, & publicis honoribus colendi proponuntur; ac communiter Canonizati appellantur. Olim quidem cuilibet Epiſcopo licebat, imò communi populi devotioni permittebatur declaratio Sanctorum publicè colendorum, ut colligitur ex S. Cypriano L. 3. Epiſt. 6. Sed quia experientiâ compertum fuit, Populum vano rumore aut falſis miraculis deceptum eos pro Sanctis coluiſſe, qui non erant Sancti, ut multis exemplis oſtendit Bellarm. L. 1. de Beatitut. SS. c. 8. idcirco Romanus Pontifex tanquam ſupremus Judex hoc judicium de Sanctitate & cultu Sanctorum ab annis jam 500. & amplius ſibi reſervavit. Interim licet cuilibet privato nomine & privato cultu eum colere, quem cenſuerit Sanctum, ut exponit Bellarm. loc. cit. cap. 10. hoc præmiſſo.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Sancti rectè coluntur propter intrinſecâ dona ſupernaturalia, adeóque plus quàm cultu merè Civili, quo homines ſe ſe mutuò proſequuntur. Ita omnes Catholici. Probatur 1. exemplis veteris Teſtam. Joſue 5. v. 13. cum Joſue audiſſet ab Angelo, quod ſit *Princeps exercitûs Domini, cecidit Joſue pronus in terram, & adorans ait: quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum.* Et hunc cultum approbavit Angelus, imò majorem exegit ſubjungendo: *ſolve calceamenta pedum tuorum, locus enim, in quo ſtas, Sanctus eſt* (ſcilicet propter præſentiam Angeli) *fecitq́; Joſue quod ſibi erat imperatum.* 3. Reg. c. 18. v. 7. dicitur: *cum Abdias eſſet in via, Elias occurrit ei, qui cum cognoviſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait: num tu es Domine mi Elia?* Ecce honorem, quem Abdias exhibuit Eliæ, & ipſe admiſit; Abdias autem, uti cit. cap. habetur, erat Adminiſtrator domûs Regiæ Achab. & Princeps, & tamen Eliam virum ſimplicem ſed gratiâ Dei eximium honoravit. Danielis 2. poſtquam Propheta ſomnium Regi Nabuchodonoſori ſapientiſſimè expoſuit, ait Sacer textus v. 46. *Tunc Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit*, ſcilicet propter donum interpretationis à Deo ipſi conceſſum; plura exempla afferuntur ab alijs. In novo Teſtamento Chriſtus de Martyribus Apoc. 3. v. 21. ait: *qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Et Apoſtolus ad Rom. 8. v. 17. *Si autem Filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur &c.* cum ergo Sancti fuerint Chriſto com-

Digitized by Google

ſto compaſſi, & cum ipſo ſuſtinuerint, ac proinde cum ipſo glorificati illis corregnent, cur eiſdem honor & veneratio eximia non debeatur.

II. Probatur 2. Auctoritate Conciliorum & Patrum. Concilium Gangrenſe Anno 336. celebratum can. 20. ſic definit: *Si quis per ſuperbiam, tanquam perfectum ſe exiſtimans conventus, qui per loca & Baſilicas S S. Martyrum fiunt, vel accuſaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriámque Sanctorum contemnendam, anathema ſit.* Ubi vides, ex praxi Eccleſiæ Baſilicas in honorem & memoriam Sanctorum fuiſſe ædificatas, & ſolennitates celebratas. Concilium Carthaginenſe primum Anno 390. c. 2. ſic decernit. *Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet*; ubi etiam pænas injungit. S. Hieronym. in epiſt. ad Riparium: *adoramus*, inquit, *ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* S. Auguſtinus Serm. 1. de de S S. Petro & Paulo: *Beatiſſimum Petrum*, inquit, *Piſcatorem modò genibus provolutis adorat multitudo Gentium.* Idem in Pſal. 96. objicientibus Ethnicis, quod Chriſtiani colant Angelos, reſpondet: *Utinam & vos colere velletis, facile enim ab ipſis diſceretis, non illos colere*, hoc eſt, ut Deos, ſed ut Sanctos. Rurſus contra Fauſtum. L. 20. c. 21. objicientem Chriſtianis Idololatriam in cultu Martyrum, reſpondet, *à Chriſtianis coli Martyres; ſed non Latriâ, & ideo non eſſe idololatriam.* S. Greg. Niſſen. in oratione ad S. Theodorum ſic eundem alloquitur: *ut ſervus fidelis Deum adorans: ad nos, qui te colimus, & adoramus, accede.* Quid clarius pro cultu Sanctorum? plura videri poſſunt apud Bernardinum Vetweis in Speculo Eccleſiæ fol. 230. & alios.

III. Probatur 3. Ratione. Sac. Scriptura teſtatur, Sanctos à Deo honorificandos & glorificandos Joan. 12. v. 26. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit illum Pater meus.* Pſal. 138. v. 17. *mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus.* 1. Reg. 2. v. 30. *quicunq; glorificaverit me, glorificabo eum.* Ad Rom. 2. v. 6. *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus; iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & honorem &c.* & v. 10. *gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Cum ergo ipſe Deus ſanctos ſuos glorificare velit, atque honorem & gloriam ipſis conferat; cur nos Deum imitari, & Sanctos colere & honorare propter excellentiam ipſis collatam nequeamus?

IV. *Doctrina ſecunda.* Sancti in Cœlo; ipſa etiam glorioſiſſima Dei Mater Maria non eo modo coli poſſunt, quo colitur Deus, ſed longè inferiore, ſcilicet ut Amici Dei; adeóque Beatiſſima Virgo tanquam Deipara *cultu Hyperduliæ*: cæteri vero *cultu Duliæ.* Ita omnes Catholici DD. cum S. Thoma 3. P. Q. 25. a. 5. ubi hæc habet: *Reſpondeo dicendum, quod, quia Latria ſoli Deo debetur, nulli creaturæ debetur poteſt, prout creaturam ſecundùm ſe veneramur; licet autem creaturæ inſenſibiles non ſint capaces venerationis ſecundùm ſe ipſas; creatura tamen rationalis eſt capax venerationis ſecundùm ſe ipſam, & ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus Latriæ. Cum igitur Beatiſſima Virgo Maria ſit pura Creatura rationalis, non debetur ei cultus latriæ, ſed ſolùm duliæ; eminentiùs tamen quàm cæteris creaturis, in quantùm ipſa Mater Dei eſt. Et ideò dicitur, quod debetur ei non qualiſcunq; dulia, ſed hyperdulia.* Huic diſcurſui S. Doctoris objici poteſt. Motivum duliæ idem eſt cum motivo latriæ. Ergo hoc ipſo, ſi Sancti &, B. Virgo Maria cultu duliæ coli poſſint, latriâ quoque coluntur. Probatur Antecedens; quia Dulia videtur ſe habere ad Latriam, ſicuti ſe habet amor proximi propter Deum ad amorem ipſius Dei. Atqui utriuſque amoris motivum eſt idem. Ergo etiam utriuſque cultus erit idem motivum. Major probatur; quia Sancti coluntur propter excellentiam quandam ſupernaturalem. Ergo ultima ratio eos colendi videtur eſſe Excellentia Dei. Reſpondetur cum eodem S. Thoma 2. 2. Q. 25. cit. a. 1. & communiſſima Theologorum; Negando Antecedens. Ad probationem hujus dicimus, diſcrimen eſſe, quod in amore proximi propter Deum, Deus ſit finis Cui, & ejus Bonitas ſit, quæ excitet ad amorem; hoc autem amato nullam eſſe amplius difficultatem in amando proximo propter Deum, cum proximus tantùm ametur, ut medium, ſive ut aliquod bonum extrinſecum Deo procurandum. At verò in colendo homine propter excellentiam propriam & diſtinctam realiter ab excellentia Dei (non obſtante reſpectu tranſcendentali ad excellentiam Dei) ſpecialis eſt difficultas, quæ non hoc ipſo eſt ſuperata, quod moveamur ab honeſtate colendi Deum propter excellentiam propriam. Sic Angeli à principio ſuperarunt quidem difficultatem in adorando Deo, non tamen in ſubmittendo ſe Humanitati Chriſti; ut alibi docent Scholaſtici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

V. Error primus eſt. Sanctos non eſſe colendos. Ita poſt antiquos Wicleff, ut refert Thomas Waldenſis Tom. 3. tit. 13. Lutherus in Evan. Dom. 23. poſt Pentecoſt. ubi ait: *quid enim cultus Sanctorum & veneratio aliud ſunt, quàm res diabolicæ? &c.* Et Calvinus Inſtit. c. 12. §. 2. ſic pronuncians: *Quem Sanctis cultum deferunt Papiſtæ, nihil re ipsâ differt à cultu Dei, palam eſt.* Hunc ſequuntur Calviniſtæ apud Ameſ. Tom. 2. fol. 159. Illum Lutherani apud Gerhard. L. 2. Parte 2. fol. 551. ajunt, *Cultum Religioſum ſoli Deo deberi: Sanctis verò non niſi Civilem formaliter à Religioſo diſtinctum;* Ut ideo Magdenburgenſes Lutherani Cent. 1. L. 2. c. 4. dicant, *omnes Sanctorum adorationes eſſe idololatriam.* Probant primò ex Sac. Scriptura Deut. 6. v. 13. *Solum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies &c.* quæ verba repetuntur Matth. 4. v. 10. & negans Chriſtus diabolo adorationem videtur docuiſſe, nulli creaturæ poſſe competere adorationem; ſed ſoli DEO; unde etiam Paulus 1. Tim. 1. v. 17. *ſoli DEO*, inquit, *honor & gloria.* Probant ſecundò diverſis exemplis ex Sac. Scriptura deſumptis. Mardochæus Eſther 3. v. 3. *noluit flectere genu, nec adorare Aman.* Petrus Actor. 10. recuſavit Adorationem Cornelij, *quia*, inquit, *& ego ipſe homo ſum.* Angelus Apocal. 22. v. 9. cum Joannes Apoſt. adorare ipſum vellet, *vide*, inquit, *ne feceris, conſervus enim tuus ego ſum, Deum adora*, nec Angelus autem, nec Petrus recuſârunt cultum Latriæ, quia hunc dare Cornelius & Joannes noluerunt. Solùm igitur Duliæ cultum à ſe repulerunt. Probant tertiò ex Concilio Laodicenſi, quod can. 35. ſic ſtatuit: *Non oportet Chriſtianos derelictâ Eccleſiâ abire, & ad Angelos idololatriæ*

Digitized by Google

latria abominandâ Congregationes facere ; quicunque autem inventus fuerit, occulta huic idololatriæ vacans, anathema ſit, quoniam derelinquens Dominum Deum noſtrum JESUM Chriſtum Filium DEI acceſſit ad Idola.

VI. Error iſte ſufficienter rejectus fuit in priori parte. Lubet ſolùm percontari ex Adverſarijs. Si Turcæ Chriſtum tanquam Prophetam eximium venerentur, an debito divinóque cultu illum proſequantur? negant certè. Et cur? nunquid verus eſt Deus, quem venerantur? eſt, inquiunt; at ipſi ut talem ſuâ intentione non venerantur, ſiquidem illi excellentiam ſolumodò creatam tribuunt. Bene. Dicant ergo Sectarij, quî fieri poſſit, ut nos, qui in Sanctis & creaturam agnoſcimus, & non niſi propter excellentiam creatam eandem veneramur, habeamur idololatræ?

VII. Reſpondetur ad 1. probationem in omnibus iſtis & alijs Sac. Scripturæ locis ſermonem eſſe de cultu latriæ ſoli Deo vero debitæ, & non dijs Gentium, aut ulli creaturæ: & talem cultum latriæ petijſſe dæmonem à Chriſto exhiberi, quia jactavit ſe Dominum totius mundi. Ad 2. ex varijs exemplis Sac. Scripturæ: Mardochæus negavit Amani cultum divinum; quippe publicè conſtabat, Aman divinos ſibi honores popoſciſſe; etenim Perſarum Reges ſibi tanquam dijs divinos honores in publicis & ſolennioribus actibus vendicaſſe, atque alijs etiam, quos eximiè honoratos vellent, deferri juſſiſſe, tam multis teſtimonijs & exemplis aſtruunt etiam Ethnici Scriptores Iſocrates, Strabo, Heliodorus, Martialis, Curtius. &c. ut nulli ſit locus dubitationi. Mardochæus igitur nec voluit, nec potuit ſalvâ conſcientiâ ſignum aliquod talis honoris Amani exhibere, ne cum ſcandalo plurium quemquam adoraret præter Deum; *timebam enim*, inquit ipſe c. 13. v. 13. & 14. ne, *ſi ſuperbiſſimum Aman adorarem, honorem DEI mei transferrem ad hominem*; alioquin ſi ſolo cultu civili adorari voluiſſet, libenter pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum ejus exoſculari paratus fuiſſet. Videatur Tirinus in locum cit. ubi D. Thomam, Suarez. Vaſq. & alios pro hac doctrina allegat. D. Petrus etiam cultu duliæ adorari recuſavit tum modeſtiæ cauſâ, tum maximè, quia tam profunda proſtratio poterat Judæis comitibus hujuſmodi ceremoniæ inſuetis quaſi latreutica videri, ac proinde ſcandalo eſſe. Quare nolo, inquit, à te talem mihi deferri honorem, qui Angelis potius debetur; etenim purus ſum homo, atque ideo inſtar puri hominis comiter ac familiariter agere vobiſcum cupio. Similiter in Apocalypſi Angelus inſigni modeſtiâ & civilitate adorari recuſat à Joanne, quia *conſervus* (Syrus ſodalis) *tuus ſum*, q. d. ego non ſum te ſuperior dignitate, cur ergo me adores? Tu enim es Propheta, & Apoſtolus, es Evangeliſta & Prædicator Verbi DEI (hæc enim nomen Prophetæ ſignificat) es continuus Martyr aſſiduos pro Chriſto labores & dolores ſuſtinens, ideóque par imò ſuperior es Angelis non naturâ, ſed dignitate & merito, eriſque brevi etiã præmio & gloriâ in Cœlo ſuperior. Canon Concilij Laodicenſis damnat cultum magicum, quem aliqui dæmonibus exhibebant, ut teſtatur Tertulianus in Apologetico c. 23. Cæterùm illud ipſum Concilium can. immediatè præcedente 34. admiſit cultum SS. Martyrum.

VIII. *Error ſecundus* eſt eorundem hæreticorum, Sanctos & maximè Deiparam Virginem adorari cultu Latriæ. Conantur iſtud hoc tempore ſingulariter inculcare ſuis Lutheranis & Calviniſtis Prædicantes tum plerique omnes, tum nominatim in ſuis ſcriptis Hailbrunner, Hanneken, Gerhardus, Ameſius, Molinæus &c. ut ita nos Catholicos tanquam Idololatras ipſis exoſos reddant, & ſuos à Romana Eccleſia abſterreant. Probant 1. Adorare religiosè idem eſt inſeparabiliter cum ſervire Deo, ſeu colere latriâ: nec illius declaratio, abſque hujus dari poteſt. 2. Catholici parem gloriam & reverentiam exhibent Deo ac Beatiſſimæ Virgini, cæteriſque Sanctis; ſiquidem frequenter ex eis audiuntur, imò & in libris leguntur hujuſmodi effata & elogia: *Laus Deo, Virginique Mariæ. Ad majorem Dei, Deiparæq; Virginis Mariæ & omnium Sanctorum gloriam, & honorem.* 3. Deipara Virgo etiam *Dea* appellatur, & ea, quæ Dei ſunt, illi appropriantur, ut ſingulariter videre eſt in Pſalterio Bonaventuræ ad modum Pſalterij Davidici concinnato.

IX. Pro hujus erroris refutatione ſtudio adduxi in priori parte prolixa verba D. Thomæ ex 3. P. Q. 25. a. 5. ut clariſſimè appareret ex Catholica doctrina, nec Beatiſſimam Virginem, nec ullum Sanctum aut Angelum coli cultu Latriæ, quem ſoli Deo proprium eſſe conſtanter aſſeveramus. Fuerunt quidem antiqui hæretici, teſte Epiph. hæreſ. 79. qui Deiparam pro Dea habuerunt ſacrificantes ei collyridem, à qua Collyridani dicti ſunt, ſed ab hac nos hæreſi remotiſſimi ſumus, & rumpentur priùs millies hæretici, quàm nos Catholicos illius reos convincent. Verba hæc D. Auguſtini Tom. 6. L. 20. contra Fauſtum c. 21. *Illo cultu, quæ græcè Latria dicitur, Latinè verò uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propria Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.* Hæc, inquam, verba etiam noſtra ſunt: Latriâ nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum DEUM: non Beatiſſimam V. MARIAM non ullum Angelum, non Sanctum, non creaturam ullam aliam. Unde

X. Reſpondetur ad 1. Probationem. Negando, hæc duo religiosè colere, & ſervire DEO, ſeu Deum latriâ colere eſſe inſeparabiliter connexa, ſed ex perverſo ingenio ſuo fingit Meno Hanneken in Irenico ſuo fol. 465. Non poſſe autem Duliam explicari abſque Latriâ prorſus ignoranter ſibi perſuadet Hailbrunner in ſuo Papatu Acatholico fol. 219. Etſi enim differentia inter Latriam, Hyperduliam, & Duliam ex corporis conſtitutione externâ & oculorum elevatione, manuum extenſione, genuum inflexione conjici non poſſit, nullus tamen hominum adeo craſſus & rudis eſt, quin advertat internum animi ſui ſenſum, & diſcrimen inter ſervitutis ſubjectionem, quam homo habet erga Deum: & quam habet erga Sanctos Deique amicos; quippe mens mea ſe Deo ſubjicit tanquam omnipotenti Numini, & Salvatori non æquè ulli Sancto aut Angelo, ſed ſolùm, ut dixi, tanquam DEI Amicis, qui interceſſione ſuâ adjuvare nos apud Deum poſſint, ut magis ex ſequenti Controv. conſtabit.

Ad 2. Negando iterum, nos Catholicos eundem honorem & gloriam exhibere DEO, & B. Virgini, ac cæteris Sanctis, dum ſimul DEUM, Beatiſſimam Virginem, ac cæteros Sanctos laudamus; aliàs Jud. 7. v. 28. Gedeon peſſimè feciſſet præcipiendo ſuis militibus, ut clamarent: *Domino & Gedeoni.* Laus & laudis paritas non conſiſtit in Verbis, Quando igitur iiſdem verbis

dicimus:

dicimus: *Laus DEO, & Beatæ Virgini*, damus laudem Deo, ut Deo: Mariæ verò tanquam Matri Dei & Creaturæ præcipuæ inter omnes Sanctos & Angelos in Cœlo.

X. Ad 3. Quando ſubinde eadem verba ergà B. Virginem adhibentur, quæ ad Deum uſurpantur, ſemper illa longè inferiore ſenſu & æſtimatione ſumuntur erga Beatiſſimam Virginem, quàm erga Deum; perinde ferè, ut David Pſal. 81. v. 6. etiam homines appellavit Deos: *Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes &c.* quæ tamen verba non ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm participationem intelligenda ſunt. Hinc diligentiſſimè iſta aurea verba S. Hilarij ad Conſtantinum Imperatorem obſervari oportet: *Senſus, non ſermo crimen eſt.* Hoc niſi obſervent Adverſarij, ſe ipſos ejuſdem criminis reos faciunt, cujus nos tam ſeverè accuſant. Nam Leonardus Coquæus in Examine Præfat. monitoriæ Jacobi I. Regis Magnæ Britanniæ teſtatur paginâ 210. edit. Friburg. Briſg. in folio Reginæ Eliſabethæ in Anglia hoc Carmen fuiſſe decantatum.

Salve Diva, tuæ Patriæ decus, optima ſalve:
Princeps Eliſabetha, tuis Dea magna Britannis.

Et mirum ſanè, titulum magnæ Deæ abſque injuria Dei tribui Reginæ Calviniſticæ; & ſi quis Catholicus eodem modo alloquatur Reginam Cæli, Deique Matrem Mariam talem fieri abominationem tantamque committi blaſphemam & idololatriam! Si dicant, nomen Deæ in carmine illo aliter ſumi, quàm communiter accipi ſoleat, vel in Scriptura vel apud Ethnicos. Hoc ipſum reſpondemus nos Catholici; aliter verba ſumimus de Deipara Virgine in Pſalterio Bonaventuræ: aliter de Deo ac Chriſto in Pſalterio Davidis. Similiter multi alij effectus gratiæ tribuuntur B. V. Mariæ; non quod per ſe ipſos efficiat, ſed quod Chriſtum omnium gratiarum Auctorem pepererit, vel quod per illum & ab illo eos nobis impetraverit, ut optimè notat P. Franciſcus Suarez. L. 2. defenſionis Fidei Cath. c. 6. n. 17.

XIII. Urget Pet. Molinæus in Neopap. fol. 585. Theodoretus lib. de divin. decret. Tit. de Spir. S. ut probet, Spiritum Sanctum eſſe DEUM, utitur hoc argumento, quod Dulia ipſi exhibeatur. Ergo etiam Sancti, & præcipuè B. V. Maria à Papiſtis pro Dijs coluntur; quia illis Dulia exhibetur. Reſpon. Theodoretū loqui de ſupremo cultu Deo ſoli convenienti ac debito, clarè ex ipſo textu patere; unde nomen Dulia non ſumit ſecundùm Eccleſiæ ſenſum pro cultu creaturæ competente, ſed juxta primam ſuam impoſitionem, ex qua denotat quemlibet cultum abſque diſcrimine; & ſolùm ex ſubſtrata materia determinatur, uti in præſenti accidit. Nam cum Theodoretus dicat, Chriſtum in terram veniſſe, ut differentiam inter DEUM & Creaturam doceret: & mox ſubjungat, eundem utique non iterùm præcepiſſe adorationem & ſervitutem creaturarum, non poteſt hoc niſi de ſola divina ſervitute intelligi; ſiquidem neque DEUS protulit, neque Theodoreto in mentem unquam venit, creaturis nullum prorſus cultum convenire. Solùm igitur Molinæus hoc evincit argumento ſuo, hîc loci Theodoretum non ſumpſiſſe duliam juxta communem & conſuetum Eccleſiæ uſum, ſed juxta primam ejus impoſitionem acceptiſſe, prout ſcil. ſignificat quemlibet cultum, ſive is Deo ſive creaturæ exhibeatur, quod ex ſubjecta materia diſcerni oportet.

CONTROVERS. XLIII.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Superfluum omninò cenſeri poſſet inter Chriſtianos controverti, num Beati in Cœlo Incolæ, atque eximij Dei Amici invocari à nobis in hac miſeriarum valle, & peti illorum apud Deum interceſſio licitè poſſit. Nam ex vario capite res hæc ita luculenter apparet honeſta ac laudabilis, ut dubitari poſſit, an inter homines ratione præditos ſit numerandus, qui id inficiatur. Nihilominus proh dolor! plurimi ſunt tantis mentis tenebris obruti, ut non ſolùm fulgentem hanc veritatis facem non videant, ſed errorem idololatricum proclament, eumque omnibus machinis oppugnatum, imò extirpatum eant. Hi ergo cæco ſuo impetu nos cogunt ad catholicæ veritatis fundamenta paulò pluribus promenda, ut, ſi illos indignos reſponſione cenſeamus, veritati ſaltem pro merito patrocinemur. Sit igitur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Sancti in Cœlo orant pro vivis in genere, & ad hoc etiam rectè à nobis invocantur. Ita certa Sententia. Probatur. Tum ex Sac. Scriptura Apoc. 5. v. 8. viginti quatuor Seniores dicuntur cecidiſſe *coram Agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Et L. 2. Machab. c. 15. v. 14. ubi dicitur: *hic eſt fratrum amator & populi Iſrael, hic eſt, qui multum orat pro Populo, & univerſa Sancta civitate Ieremias Propheta Dei.* Tum ex communione Eccleſiæ Triumphantis cum Militante ad Hebr. 12. & Symbolo Apoſtolico. In quo autem nobiſcum communicabunt, ſi non orent pro nobis?

II. *Doctrina ſecunda.* Beati in Cœlo Angeli & Animæ orant pro nobis etiam in particulari, & rectè piéque à nobis in hac vita invocantur, ut apud Deum pro nobis intercedant. Ita omnes Catholici, & in hoc verſatur cardo controverſiæ, pro quo Concilium Trid. Seſſ. 25. ad initium de invocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & ſacris imaginibus. hæc habet: *Mandat Sancta Synodus Epiſcopis & ceteris munus curamq; ſuſtinentibus, ut juxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, SS. Patrum conſenſum, & SS. Conciliorum decreta; inprimis de Sanctorum interceſſione, Reliquiarum honore, legitimo Imaginum uſu Fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum atq; utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia*

Digitized by Google

neficia impetranda à Deo per Filium ejus JESUM *Chriſtum D.N. qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum operam auxiliumq́; confugere: illos verò, qui negant, Sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis ac ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adverſariq́; honori unius Mediatoris Dei & hominum* JESU *Chriſti, vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare; impiè ſentire &c.* Et infra, *damnandas eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & etiam nunc damnat Eccleſia &c.* Hæc Concilium. Ex quibus haud obſcurè apparet, hunc fidei Articulum potiſſimùm Eccleſiæ traditione niti; quantumvis etiam ex Sac. Scriptura per bonam conſequentiam deduci poſſit, præſertim tribus argumentis, quæ paſſim afferunt Auctores.

III. *Primum.* Si licet SS. Angelos invocare, etiam licebit homines Sanctos jam cum illis in cælo commorantes invocare. Sed verum eſt illud. Ergo &c. Sequela Probatur. Tum quia Homines beati in cælis æquales ſunt Angelis Luc. 20. v. 26. Tum quia ſi Deus Angelis revelat ſecreta cordium, quæ univerſaliter non ſciunt, etiam Beatis revelabit. Tum quia ſi Angelorum patrocinium non repugnat divino honori, etiam non adverſabitur patrocinium Sanctorum. Minor probatur ex Geneſ. c. 48. v. 16. ubi Jacob Patriarcha Nepotibus ſuis filijs Joſeph benedicens ait: *Angelus, qui me eruit de omnibus malis; benedicat pueris iſtis &c.* Hic nomen Angeli ſumitur propriè pro uno ex cæleſtibus Spiritibus, non verò impropriè pro Filio Dei, Legato Dei Patris ad homines, ut his voluntatem illius aperiat, uti volunt Adverſarij; unde Cornelius à Lapide in cit. locum notat, poſt vocem Angelus ſubintelligendam eſſe particulam *quoq;*, ut ſenſus ſit: *Deus qui paſcit me ab Adoleſcentia mea, Angelus quoque Cuſtos, qui eruit me ex omnibus malis &c. benedicat pueris iſtis.* Scilicet ut Miniſter DEI. Non obſtat, Cyrillum L. 3. theſ. c. 1. & Athanaſium L. 4. contra Arian. oppoſitum tenere. Nam horum duorum Auctoritas non præjudicat communi ſententiæ aliorum PP. & DD. cum præſertim illorum interpretatio verborum proprietati ac rationi non ſatis congruat. Nam Miſſio in divinis præter proceſſionem unius Perſonæ ab alterâ etiam effectum temporalem deſignat, atque idcirco æterna eſſe non poteſt, ut cum S. Thoma P. 1. q. 43. a. 2. docent Theologi, è quibus Arriaga Diſp. 55. in 1. part. Miſſionem deſcribit *apparitionem perſonæ procedentis*, ubi temporalem effectum quaſi potiorem rationem Miſſionis ponit in recto. Cum ergo Filius Dei ante Incarnationem non potuerit Patris voluntatem annunciare, non potuit dici Angelus tempore Jacobi Patriarchæ. Confirmatur. Tobiæ 12. v. 12. ait Raphael: *quando orabas cum lacrymis & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas, ego orationem tuam obtuli Domino.* Hujuſmodi habentur Apoc. 8. v. 3. Cur autem Angeli orationes noſtras offerunt Deo? ut illas ſciat? minimè; cum prius habuerit eas perfectiſſimè cognitas; ideo ergo offerunt, ut cauſam noſtram apud Deum agant, & pro nobis intercedant; cur ergo ad hoc à nobis invocati nequeant? Certè de Angelis Cuſtodibus negare non audet Calvinus; par autem eſt ratio de alijs.

IV. *Secundum.* Si Deum licet invocare per merita Sanctorum, tunc licebit etiam ipſos Sanctos tanquam Mediatores adhibere. Sed verum eſt Antecedens. Ergo & Conſequens. Sequela Majoris probatur: Si enim DEUS acceptat merita Sanctorum ſibi propoſita, multò magis acceptabit ipſos Sanctos, ſe interponentes. Minor Probatur ex Exod. 32. v. 3. ubi orans Moyſes ait: *Recordare Domine Abraham Iſaac & Jacob Sanctorum tuorum.* Pſal. 131. v. 3. *memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Daniel. 3. v. 35. *neque auferas à nobis miſericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael Sanctum tuum &c.* Unde S. Auguſtin Q. 149. in Exod. circa illa verba Dei ad Moyſen: *dimitte me, ut conteram illos*, dicit: *ut eo modo admoneremur, cum merita noſtra nos gravaſſent, ne diligamur à Deo, relevari nos apud Deum eorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Non dicere poſſunt Adverſarij, verba Moyſis allegare ſolùm Dei promiſſionem. Nam imprimis hoc falſum eſt de Davide allegante ſuam manſuetudinem. Deinde promiſſio illa facta eſt propter merita, adeóque vis hujus allegationis tandem reſolvitur in merita; ſicuti Abrahæ dictum eſt Geneſ. 22. v. 16. *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi &c.*

V. *Tertium.* Si Juſtos in terris viventes eorúmque preces implorare licet, etiam mortuorum in Cœlis jam verſantium preces invocare licebit. Sed illud veriſſimum eſt. Ergo &c. Sequela Majoris probatur, quia Sancti illi ſunt perfectiores in charitate, & nos magis ac ſynceriùs amant, quàm quivis amicus in terris, eorumque preces habent plus momenti. Minor probatur ex Job. 42. v. 8. ubi ipſe Deus hujus vitæ mediatores adhibendos ſuadet: *ite*, inquit, *ad ſervum meum Job, & orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam.* Ex 1. Regum. 7. v. 8. ubi Iſraelitæ rogant Samuelem, *ne ceſſes pro nobis orare ad Deum Dominum noſtrum, ut ſalvet nos.* Ex Epiſt. ad Rom. 15. v. 30. *obſecro vos*, inquit Apoſtolus, *fratres per Dominum Noſtrum* JEſum *Chriſtum ut adjuvetis me in orationibus veſtris apud Deum.* Negant Adverſarij paritatem. tum quod de precibus vivorum petendis in Sac. Scriptura præceptum extet: non item de mortuis. tum quod viventium preces tantùm civiliter petantur, non religioſè, quaſi Religio DEI eſſet propria; & ſine idololatria alijs communicari non poſſet. Reſp. ad 1. ſufficere ſimilitudinem inter utraſque preces atque idcirco æquè has ac illas præcipi poſſe: multa etiam quæ præcepta non ſunt, laudabiliter fieri poſſe, abunde conſtat ex Controv. XXXIX. Ad 2. Religionem omnibus ſpiritualibus ſuum, ut merentur, tribuere cultum, adeóque non ſolùm Deo decernere proprium ac ſummum cultum; nempe Latriam, ſed etiam Angelis & Hominibus ſacrâ ac ſupernaturali excellentiâ v. g. Fidei, Gratiæ, Beatitudinis, Sacri Ordinis &c. præditis ſuum aſſignare cultum, licet multò inferiorem, nimirum Duliam.

VI. Porro Conciliorum decreta, & Patrum conſenſus, quorum ſupra §. I. doct. 2. meminit Conc. Trid. videri poſſunt apud Card. Bellarminum L. 1. cit. c. 19. Bernardinum Verweis fol. 243. in Spec. Eccleſ. Becanum in Manuali fol. 199. & alios. Pauca iſta nobis ſufficiant. In Conc. Chalcedon. art. 11. exclamant Patres: *Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis oret?* Synodus 7. generalis, quæ eſt Nycænum ſecundum, art. 6. in fine: *cum timore*, inquit, *omnia agamus poſtulantes interceſſionem Incontaminatæ Deiparæ: item SS. Angelorum:*

Digitized by Google

rum Omniumque Sanctorum. Quid clarius? S. Irenæus L. 5. contra hæreſ. ultra medium, ſic ait: *& ſicuti Eva ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hac* (Beatiſſima Virgo Maria) *ſuaſa eſt obedire DEO, ut Virginis Evæ Virgo fieret Advocata.* Baſil. orat. in quadraginta Martyres: *qui aliquâ premitur anguſtiâ, ad hos confugiat: qui rurſum lætatur, hos oret; ille ut à malis liberetur: hic ut duret in rebus lætis.* S. Hieron. in epitaph. Paulæ circa finem: *vale ô Paula, & Cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva! fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens faciliùs, quod poſtulas, impetrabis.* Quid clarius? D. Auguſt. Tract. 84. in Joan. *ideo*, inquit, *ad ipſam menſam non ſic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut ipſi pro nobis orent.* Item Sermone 17. de verbis Apoſtoli: *habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, ut non pro ipſis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur; injuria enim eſt pro martyre orare, cujus nos debemus precibus commendari.* Hos ſolùm ex quatuor primis ſæculis lubuit adducere, & tacere omnes ſequentium ſæculorum propè innumeros D D. verè Apoſtolicos, qui aut Sanctos invocârunt, aut piè atque utiliter invocari poſſe docuerunt. Et quid clarius deſiderari poteſt?

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VII. **E**Rror primus eſt, Sanctos non audire, nec intelligere preces noſtras. Ita Lutherani apud Gerhard. L. 2. P. 2. à fol. 554. & Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. fol. 205. impiè juxta ac ſcurriliter hac in re de Sanctis loquentes, quaſi longas aures habere deberent à Cœlo in terram porrectas, *quis*, inquit Calvinus L. 3. Inſtit. c. 20. §. 24. *eouſque longas illis aures revelârit, quæ quoad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris advigilent.* Probant ex his textibus Sac. Scripturæ 3. Reg. 8. v. 39. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Eccleſiaſt. 9. v. 5. *viventes ſciunt ſe morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* Job 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filij ejus ſive ignobiles, non intelliget* ſcilicet poſt mortem. Iſaiæ 13. v. 14. *Abraham neſcivit nos: & Iſrael ignoravit nos.* Hinc Adverſarij videntur aſſerere, nos eſſe idololatras, & Sanctos facere perinde, ut Deum, omniſcios: ſe verò hanc abominationem à ſe removere negando Sanctis notitiam noſtrarum precum, & interceſſionem pro nobis ad Deum. En radicem totius mali.

VIII. Errorem iſtum apertè reijciunt S. Auguſtinus Lib. 22. de Civit. Dei c. 29. Proſper Aquitanus L. 1. de vita contempl. c. 4. Gregorius M. L. 4. dialog. c. 3. Beda ad c. 16. Lucæ, & alij, quibus cum tenendum, Sanctos cum Chriſto regnantes in cœlo noſtras audire orationes. Tum quia Angeli cognoſcunt *noſtras orationes* Tobiæ 12. v. 12. *internam pænitentiam & converſionem peccatoris* Luc. 15. v. 10. *omnem cultum Deo exhibitum.* Pſal. 117. v. 1. Tum quia Sanctis in hac vita ſæpe conceditur, ut cognoſcant occulta aliorum etiam abſentium deſideria, machinationes, actiones &c. ut Samueli 1. Reg. 9. v. 19. Eliſæo 4. Reg. 5. v. 25. & ibidem c. 6. v. 9. Danieli 2. v. 26. S. Petro Act. 5. v. 1. & innumeris alijs Sanctis novi Teſtamenti, ut videre eſt in eorum vitis. Tum quia lex amicitiæ requirit, ut amicus amico manifeſtet ea, quæ ad ipſum pertinent juxta illud Chriſti Joan. 15. v. 15. *Jam non dico vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Cum ergo Sancti in cœlo ſint amici Dei, lex amicitiæ requiret, ut Deus manifeſtet illis orationes noſtras, quæ ad illos diriguntur. Unde ſupponere videntur Doctores perinde eſſe de Fide, Sanctos ſcire preces noſtras, ac eoſdem rectè invocari, atque utrumque eâdem antiquâ niti traditione; ſiquidem prius rectiſſimè infertur ex poſteriore. Bernardinus Verweis tamen in ſpeculo fol. 249. exiſtimat, non eſſe certum de fide, quod Sancti in particulari noſtras neceſſitates & orationes ſciant; quia, inquit, abſque hoc ſubſiſtere poteſt articulus fidei de Invocatione & auxilio Sanctorum, cum ſufficiat, quod generaliter Deum pro omnibus illis in particulari orent, qui illorum patrocinium implorant apud Deum omnia videntem & audientem. Verùm ex communi ſenſu Eccleſiæ & Patrum hæc duo inſeparabiliter connectuntur: *Sancti rectè invocantur. Ergo noverunt, quod poſtulamus.* Quid ni igitur eâdem fide utrumque tenendum? Quomodo autem Sancti preces noſtras agnoſcunt, non convenit inter auctores, pro quo.

IX. Advertendum ex communi ferè Theologorum Sententia cum D. Thom. 1. Q. 12. Beatos in Cœlo præter ea, quæ ſunt formaliter in Deo, videre de facto 1. myſteria, quæ hic crediderunt. 2. omnes ſpecies rerum naturalium, quibus hoc univerſum conſtituitur; eorúmque proprietates, & totum ordinem univerſi. 3. quaſdam ex poſſibilibus, plures tamen vel pauciores pro ratione meriti Sanctitatis & luminis gloriæ. 4. quæ ad ſtatum cujuſque pertinent juxta ordinem divinæ ſapientiæ, quæ pietatis & interceſſionis impetrandæ causâ ad quemvis illorum à viventibus diriguntur. 5. totum ordinem & ſeriem ſuæ prædeſtinationis, hoc eſt, quâ charitate motus Deus ipſos ab æterno elegerit, quem modum in tempore tenuerit, quæ media naturalia & ſupernaturalia adhibuerit &c. Franciſcus de Lugo D. 24. Tom. 1. c. 3. n. 20. & præter multos alios Card. Bellarm. L. 1. cit. c. 20. putant, omnia hæc videri formaliter in Verbo & in principio viſionis, quæ videtur fuiſſe opinio S. Gregorij loc. ſupra cit. ſic Scribentis: *quid eſt, quod neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt*, quaſi diceret: intuentes Deum vident omnia in ejus ſapientia quaſi depicta. Verùm probabilius exiſtimat Tanner Tom. 1. D. 2. Q. 6. dub. 10. Beatos in Cœlo ſucceſſu temporis aliqua contingentia ad ſe pertinentia v. g. preces Fidelium aliquando ad ipſos fundendas cauſaliter ſolùm cognoſcere, adeóque aliter, quàm in Verbo, nimirum per revelationem peculiarem ipſius DEI, vel Angelorum, pro quâ ſuâ ſententiâ affert n. 8. D. Auguſtinum & alios Auctores. Ratio eſſe poteſt, quia ſi S. Petrus v. g. ſtatim ab initio vi viſionis invariabilis videret omnia ad ſuum in terris Chriſti vicariatûs ſtatum pertinentia, ſciret etiam extremum judicij diem, quod eſt contra communem Theologorum ſententiam, & clara verba Chriſti Matth. 24. v. 36. *de die autem illa & hora nemo ſcit neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.* Nunc.

X. Reſpondetur *ad 1. textum Sac. Scripturæ ex 3. Reg.* multa ſoli Deo in Scriptura tribui, quæ etiam alijs conveniunt, ſed diverſo ſenſu; quæ enim Deus ex ſe & propriâ virtute habet, etiam alij habere poſſunt per participationem & conceſſionem à Deo. Sic igitur ſolus Deus ex ſe novit corda hominum, quorum tamen cognitionem etiam homines habere poſſunt à Deo per revelationem. *Ad 2. Eccleſiaſtæ 9.* Senſum eſſe, viventes, quia ſciunt ſe morituros, poſſunt agere pænitentiam, & proſpicere ſibi de remedio ſalutis, ne æternùm pereant: at mortui, qui hîc neglexerunt pænitentiam, nullum amplius noverunt medium, quod prodeſſe illis poſſet. vide Auguſt. in Enchir. c. 110. *Ad 3. Jobi 14.* Sermonem eſſe de homine carnali, qui in vita hac valdè ſollicitus eſt de ſuis filijs circa honores & divitias, & poſt mortem in inferno non prodeſſe illi hanc ſollicitudinem, quia neſciet, quid de illis agatur, & in quo ſtatu ſint. Ita Greg. L. 12. Moral. c. 14. *Ad 4. Iſaiæ 63.* Senſum juxta præcedentia verba: *tu enim Pater noſter &c.* eſſe hunc: Abraham & Iſaac non curant nos, ſed ſpernunt & abjiciunt nos, offenſi ſunt nobis; quia nos Te offendimus. Ita Hieronym. Cyrillus & alij Patres, apud Tirinum. Unde fatetur Calvinus, nihil hinc contra invocationem Sanctorum evinci. Sed demus locum hunc Iſaiæ intelligi debere, prout illum Adverſarij intelligunt, nihilominus nobis non officit; etenim licet Abraham & Iſrael tunc ignoraverint, quid in terris ageretur, non tamen modò ſimilis eſt ratio cum Sanctis; quia illi nondum viſione fruebantur, ideòque hæc terrena ignoraſſe mirum non eſt: Sancti verò cum nunc ipſum Deum & omnia in ipſo videant, aut certò ipſis revelentur, etiam quid nos agamus, ſcire poſſunt, ideòque meritò invocantur.

XI. *Error ſecundus eſt.* Sanctos non eſſe Religiosè invocandos. Ita Lutherani apud Gerhard. Lib. 2. Part. 2. à fol. 549. Calviniſtæ apud Ames. Tom. 2. fol. 203. è quibus catechiſmus Heidelbergenſis Q. 9. abſolutè pronunciat, Jnvocationem Sanctorum eſſe idololatriam. *Probant 1. ex S. Scriptura.* 1. ad Timoth. 2. v. 5. *unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus.* Ergo non poſſunt eſſe plures ſcilicet tot, quot Sancti, qui intercedere dicuntur. Actor. 4. v. 12. *Non eſt aliud Nomen ſub Cælo, in quo nos oporteat, Salvos fieri.* Ad Rom. 10. v. 14. *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt.* Ergo cum in ſolum Deum cerdamus, ſolum etiam hunc invocare debemus.

XII. *Probant 2. Ex Concilijs & Patribus* In III. Carthag. Concilio can. 22. ſic fuit ſtatutum. *Cum ad altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio.* Ergo non licet ad Sanctos dirigere. Jgnatius Martyr epiſtola ad Philadelphicos ſcribit. *vos virgines in veſtris orationibus ſolum Dominum Chriſtum & Patrem Domini Chriſti ante oculos habete* Origenes L. 10. contra Celſum. *omnes deprecationes & gratiarum actiones deſtinandæ ſunt ad Deum.* Chryſoſt. Hom. de profectu Evangelij. *non opus eſt Patronis apud Deum.* Et Ambros. in epiſt. 1. S. Pauli ad Rom. *ad Deum promerendum Suffragatore opus non eſt.* Tertull. L. 4. adverſus Martionem: *qui alium invocat, quàm verum Deum, non orat, ſed blaſphemat.* Et in Apologet. c. 30. *ab alio orare non poſſum, quàm à quo ſciam, me omnia conſecuturum, quoniam & ipſe eſt, qui ſolus præſtat,* & L. de Trinit. c. 11. *Jnvocatio hominum ad præſtandam ſalutem inefficaciam inducit.* Jrenæus L. 2. c. 57. *Eccleſia in invocationibus Angelicis nihil facit, ſed omnem orationem dirigit ad Dominum.* Lactant. L. 2. Inſtit. c. 18. *manifeſtum eſt, eos, qui vel mortuis ſupplicant, vel terram venerantur, impietatis ſceleris ſui ſupplicia penſuros.* D. Auguſtinus de vera Relig. c. 55. *non ſit,* inquit, *vobis Religio cultus hominum mortuorum; quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, nos meriti ſui eſſe conſervos. Honorandi agitur ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Demum Greg. Nazian. primus fuit ex PP. in cujus Scriptis invocatio Sanctorum reperitur, ſic tamen, ut ipſe dubitet, num Sancti preces noſtras audiant.

XIII. *Probatur 3. ex lege Naturæ*, cujus principijs & dictaminibus ejuſdem lumine cognitis repugnat. 1. horum eſt. Deus ſolus eſt fons & origo omnium beneficiorum. Ergo à nullo quàm ab ipſo bona petenda ſunt. 2. Deus Naturâ ſuâ adeo benignus & miſericors eſt, ut non egeat monitoribus, ac impulſoribus, proindéque ſignum eſt diffidentiæ de divinâ bonitate, alterius patrocinium & interceſſionem ſibi procurare & importare. 3. Quod fieri poteſt paucioribus, non debet fieri pluribus, ſed paucioribus aſſequi poſſumus beneficia divina, ſi ad ipſum Deum immediatè accedamus ad Hebr. 7. v. 25. *unde ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum ſemper vivens ad interpellandum pro nobis &c.* quid ergo circumcurrimus ad conſequenda Sanctorum ſuffragia? 4. Patrocinium Sanctorum ſapit aliquem Ethniciſmum; Nam Gentilibus pro varijs negotijs varij præſidebant Dij, alius pro pace, alius pro tempeſtate &c. ſic Pontificij credunt Raphaëlem & Jacobum præeſſe viatoribus. S. Nicolaum Navigantibus, S. Leonhardum captivis. S. Rochum peſtiferis. S. Sylveſtrum bobus. S. Antonium porcis. &c. 5. Experimur de facto, ſæpe fruſtra invocari Sanctos in morbis & alijs periculis. nec ullum ab illis ſuppeditari auxilium. Quid ergo fruſtra eosdem invocamus. 6 Sanctorum meritis debitam mercedem jam in ſolidum à Deo fuiſſe perſolutam. Quid ergo reliquum eſt, propter illorum merita poſtulandum? 7. Aliqui ex Sanctis, qui in Papatu invocantur, nunquam in rerum natura fuerunt, ut Georgius, Chriſtophorus, Longinus. Quid ergo ad iſtos Sanctos confugiamus, aut ab ijs ſperemus? Jnvehitur demum Molinæus fol. 586. in Legendas Sanctorum, & haſce ridiculas, ſtolitas, & fabulis ac figmentis plenas eſſe affirmat.

XIV. Non potuerunt hæretici noſtri temporis evidentiùs pervulgare, nihil ſibi ſuiſque commune eſſe cum Sanctis cæleſtiâ gloria fruentibus, quàm cum non ſatis haberent, Sanctos inſcientiæ notâ denigrare, atque idololatriæ accuſare omnem noſtram illorum venerationem & invocationem, niſi inſuper apertè propalarent ſuam à Sanctis animorum abalienationem uſurpantes communi ſenſu verba illa Calvini L. 3. Inſtit. c. 2. §. 24. *quos à noſtro contubernio, dum ſubduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac nec illis quidem nobiſcum.* Sed veri Domini noſtri JESU Chriſti Fideles ſtatim ab initio Eccleſiæ nihil penſius habuerunt, pluriſque fecerunt, quàm ut communionem Sanctorum conſtanter aſſererent, retinerent, atque exercerent, ſicuti conſtat

conſtat ex Liturgijs variarum Eccleſiarum non ſolùm Romanæ ſeu etiam Orientalium, ut Hieroſolymitanæ, atque Æthiopicæ ab Apoſtolis conſcriptis, in quibus frequenter fit mentio de oratione Martyrum, quorum precibus & interceſſione Deus dignetur Eccleſiam ſuam protegere &c. atque ita Eccleſiæ Orientales uſque in hunc diem obſervant, affirmantes ſe ab initio Eccleſiæ & à Sanctis Patribus ſic accepiſſe. Ubi hæretici prætendere nequeunt corruptionem, ſeu defectionem Romani Pontificis, utpote à cujus obedientia prædictæ Eccleſiæ ante annos 800. & ultra receſſerunt. Sufficiat unum alterumvè teſtimonium. Hieremias Patriarcha Conſtantiop. Anno 1580. in ſuo ad Acatholicos Germaniæ reſponſo c. 21. ſic pronunciat: *Mediatores facimus omnes Sanctos, imprimis autem & excellenter ante alios omnes ipſam Dei Genitricem Virginem Mariam: ſecundùm hanc autem honoramus Angelorum atque aliorum Sanctorum Choros templis, donarijs, ſupplicationibus: Sacris Imaginibus eorum non proprio Dei cultu, ſed relatè & conſideratione quâdam ad ipſa exemplaria honorem facimus, eiſq; advolvimur &c.* & Infra: *Nam & hæc Mediatio quædam eſt cum Angelis alijſque Sanctis, atque adeo non minùs ipſa mundi Domina pro nobis exorat.* Similiter Gabriel Alexandrinus annno 1595. in Epiſtola ad Clementem VIII. in hunc modum Eccleſiæ ſuæ ſenſum declarat: *Deum Altiſſimum rogamus, ut Eccleſia ſit unica, Catholica, & Apoſtolica ſine diviſione & ſeparatione precibus Sanctiſſimæ Dominæ Mariæ ſemper Virginis, & Optimorum Patrum noſtrorum & S. Apoſtolorum &c.* Hæc illi. Cæterùm Liturgias illas Apoſtolorum non eſſe fictitias, ſed genuinas oſtendit Card. Baronius Anno Chriſti 63. N. 17. Genebrardus L. 3. Chronici. Lindanus in Apologia. Franciſcus Turrianus L. 3. Characterum dogmaticorũ. Claudius Sanctes præfatione in Liturg. Sixtus Senenſis L. 2. Bibliothecæ. Card. Bellarm. L. 1. de Miſſa c. 18. Bernardinus Vetweis in Speculo veræ Eccleſiæ fol. 736. & alij, qui tamen fatentur, Apoſtolis quædam adjecta fuiſſe, ut nomina ipſorum Apoſtolorum, & aliorum Cœlitum Apoſtolis poſteriorum. Quare error iſte Sectariorum eſt contra Eccleſiam Latinam & Græcam, atque ab utraque rejectus & condemnatus. Quæ ab Adverſarijs pro hoc ſuo errore palliando allata fuerunt, nullius prorſus ſunt momenti, ſed meræ ignorantiæ, pravæ interpretationes, inania figmenta, & quæſita effugia, ut ex ſequentibus apparebit. Igitur.

XV. Reſpondetur 1. *ad probationem ex Sac. Scriptura.* Priore parte doctrinâ 1. jam dictum fuiſſe, hunc fidei articulum de Invocatione Sanctorum potiſſimùm Eccleſiæ Traditione niti, adeóque explicitè non eſſe præceptum in Sacris Litteris, uti rectè aſſeruit Eggius in Enchiridio c. 15. ſub finem, pag. 106. Intellige in communi; mandatum enim Jobi. 42. §. IV. cit. ſpeciale eſt ad tres ejus amicos. Quod etiam nec implicitè invocatio Sanctorum in S. Script. contineatur, ut ait Gerhardus fol. 508. apertè falſum eſt, cum illa per legitimam conſequentiam ex hac deducatur, ut oſtendimus; quod maximè fieri debet à Lutheranis, cum ipſi ex peculiaribus ſuis fidei articulis nec unicum in Biblijs oſtendere poſſint, ideóque ad conſequentias confugiunt, idque ſufficere aſſeverant. Longè etiam falſiſſimum eſt, prædictum fidei articulum Sacræ Scripturæ adverſarij. Nec hoc occlamitant Sectarij, niſi ex purâ ignorantia & perverſa ejus Scripturæ interpretatione, ut paſſim DD. noſtri oſtendunt, & ex ſequentibus reſponſis ad ſingolos, quos objecerunt, textus conſtabit. Itaque *ad 1. textum ex 1. ad Timoth. 2. v. 5. unus Mediator &c.* loqui Apoſtolum de Chriſto JESU, qui eſt unus Mediator primarius ac principalis inter Deum & homines, Creditorem & debitores, Offenſum & offendentes cum Auctoritate ſe interponens ſolvendo ex proprijs bonis omne pretium & litrum requiſitum, ut ex ſequentibus patet; tales autem Mediatores non ſunt Sancti, ſed tantùm ſecundarij, miniſteriales, & mediati intercedendo, ut merita Chriſti nobis applicentur, ac ſuppliciter orando, ut fructum Redemptionis percipiamus, quod non modò in nullam Chriſti injuriam, ſed ad ejuſdem gloriam cedit; ſic etiam Moyſes Deut. 5. v. 4. vocatur Mediator, ut ait Cyrillus L. 12. Theſauri. c. 10. *Ad 2. ex Actor. 4. v 12. non eſt aliud nomen &c.* Sermonem eſſe de Salvatore & Auxiliatore ultimato & primario, qualem ſolum JEſum Chriſtum D. N. confitemur. Interim non arceri mediatas aliorum interceſſiones; utpote nihil præjudicantes dignitati Salvatoris; ſiquidem Sancti nihil efficerent ſuis precibus, niſi Chriſti merita accederent. *Ad 3. ex epiſt. ad Rom. 10. v. 14. quomodo invocabunt &c.* agi ſolum de invocatione Dei à Gentibus (de his enim ſolùm loquitur Apoſtolus) quæ cum ignorent verum Deum, utique iſtum abſque fide, quæ primum eſt fundamentum, invocare nequeunt. Cæterùm credere in aliquem, & credere aliquem idem eſt apud Hebræos, quidquid ſecus diſtinguat D. Auguſt. Serm. 131. de tempore, qui epiſt. 131. de ſe fatetur, ignorare ſe linguam hebraicam, credere illis, qui eam probè callent.

XVI. Reſpon. 2. *ad probationem ex Patribus.* Sanctos Patres & antiquos Eccleſiæ Paſtores pro Sanctorum Jnvocatione ſtare, & hanc firmiſſimè aſtruere, adeo manifeſtum eſſe, ut ipſimet Adverſarij id inficiari non auſint, ſed illos venerandos Doctores in Calvinianæ fidei clypeo dialog. 8. pag. 254. hæreticâ inſolentiâ garrulos vocitent, & contemnendam eſſe eorumdem garrulitatem dictitent. videatur Jacobus Gualterus in tabula Chronographica, ubi omnibus retro Sæculis in Eccleſia Chriſti uſitatam fuiſſe Invocationem Sanctorum, luculenter demonſtrat. Nec ullius momenti ſunt, quæ in contrarium ex ijſdem afferuntur, ut ordine oſtenſum imus. *Concilium Carthag. III. can. 32.* non loquitur generatim de qualibet oratione, ſed tantùm de collectis Miſſæ, quæ ordinariè ad Patrem diriguntur, tanquam originem non ſolùm creaturarum, ſed etiam Filij, & Spiritûs Sancti, alias hæ ipſæ duæ divinæ perſonæ licitè invocari non poſſent, ſi ſolus Pater inuocari deberet. *Jgnatius M. in epiſt. ad Philadelphicos* cum grano ſalis intelligi debet, ne aliàs etiam Spiritus Sanctus ab adoratione removeatur. Dicere igitur nihil aliud vult, quàm Chriſtum velut principalem Mediatorem & Redemptorem ſuo modo: æternum Patrem verò veluti ſummum Bonum cultu Latriæ adorandum eſſe; per iſtud verò non reijcit cultum & venerationem Sanctorum cum minimè prohibitum ſit, etiam à viuentibus interceſſionem apud Deum flagitare. *Origenes, quando contra Celſum* ait, orationes eſſe ad Deum deſtinandas: aut Deum ſolùm eſſe adorandum; intelligi debet in priori loco ultimatè; in poſteriore verò de cultu latreutico,

Digitized by Google

tico, quia in diverſis alijs locis indubitatè Jnvocationem Sanctornm admittit, & nominatim Lib. 2. in Job ſic exclamat *ô Beate Iob, ora pro nobis miſeris*; *D. Chryſoſt. Hom. de profectu Evang.* aiens, non eſſe opus Patronis apud Deum, nihil aliud vult, quàm interceſſionem Sanctorum non eſſe ſimpliciter neceſſariam; ſiquidem poſſumus Deum ipſum immediatè accedere; interim non negandum, ad melius eſſe, & faciliùs impetrandum valdè prodeſſe interceſſionem Sanctorum. Vnde iſte Sanctus Pater Homil. 44. in c. 19. Genes. tam ſeriò exhortans ad illam ait: *confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus ut pro nobis intercedant, ſed non illorum precibus tantùm confidamus, ſed & ipſi noſtra, ut oportet diſpenſemus rectè, & ad meliora ſemper convertamus, ut locum demus orationi, quæ pro nobis funditur* plura pro Sanctorum invocatione habet alibi.

XVII. *S. Ambroſius non eſt Auctor. Comment. in Epiſt: S. Pauli*, ut oſtendit Bellarm. de Scrip Eccleſiaſt. v. Ambroſius; quiſquis autem ſit Auctor, erit ille contra Ethnicos Philoſophos fingentes adorari oportere Angelos Motores cœlorum; aliàs ad ſupremum Deum perveniri non poſſe: & docet ad promerendum verum Deum, ſuffragatore non eſſe opus, ſed mente devotâ; ubicunque enim talis locutus fuerit illi, reſpondebit ei. Quid hoc contra nos, & contra Jnvocationem Sanctorum? *Tertullianus contra Marcionem, & in Apologetico* loquitur de falſis Diis Gentium, & ait, Chriſtianos orare ſolere pro Jmperatoribus Romanis, non apud illa idola, à quibus nihil auxilij ferendum, ſed apud unum ſummum Deum, qui ſolus (primariò ſeu principaliter) auxiliari poteſt; quod nullus Catholicus negat ex doctrina S. Jacobi c. 1 v. 17. *omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre Luminum.* Quidquid igitur accipimus, id totum principaliter, primariò, & originaliter à Deo accipimus, & non à Sanctis, etſi per iſtorum etiam interceſſionem accipiamus; imò illud ipſum mediantibus meritis Chriſti accipimus; quippe omnium Sanctorum interceſſiones non forent ſufficientes ac conducibiles, ſi non tinctæ Sanguine Chriſti, & hujus meritis illitæ eſſent, quod bene notat Bellarm. L.1. cit. c. 17. his verbis. *Sancti non ſunt immediati Interceſſores noſtri apud Deum, ſed quidquid à Deo nobis impetrant, per Chriſtum impetrant.* Verba ex Lib. de Trinit allata non ſunt Tertulliani, ſed hæretici Novatiani. *Jrenæus. L. 2. c. 57.* ſcribit contra Gentes facientes ſubinde aliqua falſa miracula per invocationem ſeu adjurationem malorum Angelorum. Ait ergo S. Pater, Chriſtianos operari miracula ſua non per incantationes magicas & dæmonum adjurationes, ſed per invocationem Sanctiſſimi Nominis JEſu Chriſti; quod ipſum prius ſcripſit Juſtinus M. Apolog. 1. pro Chriſtianis. *Lactantius lib. 2. Inſtitut. c. 18.* loquitur de cultu Idololatrico, ut liquet ex totius capitis diſcurſu.

XVIII. *S. Auguſt. Tom. 1. de Vera Relig. c. 55.* expreſsè docet, creaturas non eſſe adorandas cultu Latriæ; patet hoc clarè ex eo, quod dicat, *Deum ſolùm adorari, ſoli illi templa erigi, ſacrificia fieri oportere*; quis Catholicorum hoc negat? Cæterùm ex Auguſtini indubitato teſtimonio plura habemus pro Sanctorum Invocatione. *S. Gregor. Nazianzenus* minimè dubitavit de Sanctorum invocatione; imò illorum etiam apparitiones clariſſimè affirmavit. orat. 1. adverſus Julianum his verbis. *Quibus* (Martyribus) *præclari honores & feſta conſtituta ſunt, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ Sanctæ, ſive tangantur, ſive honorentur: quorum vel ſola ſanguinis gutta, atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt, quod Corpora.* Hunc autem S. Patrem fuiſſe primum, in cujus ſcriptis invocatio reperiretur Sanctorum, eſt apertè falſum, cum antiquiſſimorum Eccleſiæ Patrum teſtimonia afferantur à Bellarmino, Verweis, Becano, ut ſuperius diximus. Non minus à veritate alienum eſt, quod Hailbrunner in ſuo novo Pap. pag. 18. ex Euſebio affirmare audet, nempe in primæva Eccleſia Sanctis Martyribus nullum fuiſſe honorem exhibitum. Nam ſcribit Euſebius, primos Chriſtianos primævæ Eccleſiæ collegiſſe oſſa SS. Martyrum, & ea in locum honoratum poſuiſſe. cur hoc? & cur fecerunt hæc? Audiamus cit. Auctorem de præpar. Evang. L. 13. c. 7. *Ad mortem*, inquit, *ſervorum Dei; quos ſi veros pietatis miniſtros, ſeu milites exiſtimaris, & dixeris, à verò minimè aberrabis; unde ad eorum ſepulchra ex more tranſimus, preces apud illa fundimus, & beatas illorum colimus animas; quæ ipſa non abſque recta ratione à nobis fiunt.* Ecce tria de Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ affirmantur ab Euſebio. *1. Chriſtianos viſitaſſe ſepulchra Martyrum. 2. Antiquos Chriſtianos oraſſe & invocaſſe Sanctos, eóſque honoraſſe. 3. Hæc bene piè ac laudabiliter fieri.* Nihil horum faciunt moderni Prædicantes, ut tempore, ita fide ab illis antiquis primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis remotiſſimi.

XIX. Reſpond. 3. *ad probationem ex lege Naturæ.* Cultum & Invocationem Sanctorum adeo Lumini & Juri Naturæ conſentaneam eſſe, ut oppoſitum potius Adverſariorum figmentum eidē Lumini, & Naturæ, ac ſanæ rationi repugnare videatur, ſcilicet 1. Dei Matrem non debere honore affici, nihilque ipſam apud Omnipotentem ſuum Filium impetrare nobis poſſe. 2. Maximos Dei Amicos ob dona ſua ſupernaturalia non eſſe colendos, quos tamen ipſe Deus nimis honorificatos eſſe prædicat. 3. Illos feliciſſimos cœli Incolas, qui Deum omnia videntem vident nihil ſcire eorum, quæ ad ipſos diriguntur. 4. homines adhuc in terris invocari poſſe, ut pro nobis ad Deum intercedant, eoſdem verò inter Sanctos in cælum aſſumptos invocari ſic minime poſſe. 5. Interceſſiones Sanctorum ſanguine & meritis Chriſti nixas derogare ipſis Meritis & Sanguini Chriſti. 6. idololatriam committi contra Deiparam & Sanctos, dum illis nec cultus Dei defertur, nec quidquam divini in illis agnoſcitur. 7. Omnes SS. Patres à principio Eccleſiæ per tot ſæcula erraſſe in cultu & invocatione Sanctorum, non videndo in hoc idololatriam, quam hallucinantes hodie Sectarij etiam palpare ſibi videntur. Hæc ſanè offuſam luci caliginem dixeris, quæ non niſi à tenebrionibus, & exoſis lucis veſpertilionibus provenire poſſunt. Ea, ex quibus cultus & invocatio Sanctorum lumini & juri naturæ repugnent, prorſus frivola & nullius momenti ſunt.

XX. Nam *primò* falſum eſt principium, nihil petendum, niſi à primo fonte & origine omnium bonorum. An non pauperes rectè petunt panem à ditioribus, filij à Parentibus abſque eo, quod recurrant ad Deum? Qui hoc tempore, quo iſta ſcribo, volunt ficus, plerique eunt ad forum, ubi vendun-

Digitized by Google

venduntur, non ad arborem, in qua creſcunt; ſic recurrimus ad Sanctos, non ut primos formaliter largitores beneficiorum, ſed tanquam ad Miniſtros & diſpenſatores. *Secundò* non repugnat infinitæ Dei Miſericordiæ adhibere aliquos Interceſſores apud ipſum; licet enim Deus paratus ſit, nos exaudire, quando ſoli illum accedimus, tamen non minùs paratus eſt, quando cum amicis ipſum accedimus, ut apparet ex eo, quòd Jobi 42. v. 8. cit noluerit Deus, ut amici Jobi ſoli ad ipſum venirent deprecaturi veniam; ſed id fieret per Jobum: *Ite*, inquit, *ad ſervum meum Job; & offeret holocauſtum pro vobis. Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam &c.* Neque petitio interceſſionis ſignum eſt diffidentiæ, quod Bonitati Dei diffidamus; aliàs diffiſus fuiſſet Paulus Deo, ejuſque Bonitati; quando ad Romanos 15. verſu 30. tam fervidè efflagitavit preces viventium in terra; imò dum deprecatores alios adhibemus, diffidimus potius de noſtra dignitate; cum ſciamus, nos eſſe peccatores ejus donis indignos; etſi enim Benigniſſimus ſit Deus, eſt tamen etiam Juſtus, & in pœnam ſcelerum non nunquam aures occludit, Sanctorum precibus reſerandas. *Tertiò.* Si aliquid tam commodè facilè ac ſecurè fieri nequeat paucioribus, tum illud non fruſtra fit pluribus. Atqui non tam commodè facilè ac ſecurè exaudimur ſoli, ac adhibitis deprecatoribus, cùm propter indignitatem, tum ob Dei decretum, quo deſtinavit quædam non dare niſi intercedentibus Sanctis, ut à poſteriori per experientiam & Patrum doctrinam conſtat. Certè nemo facilè dubitaverit, quin famoſus ille Theophilus infames hoſti infernali codicillos nunquam extorſiſſet, & JEſum in horrendi ſceleris condonationem flexiſſet ſi non Deiparam Virginem Patronam ac Deprecatricem adhibuiſſet, ut inſinuat Bernardus in Deprec. ad MARIAM.

XXI. *Quartò.* Diſpari valdè modo nos colimus Sanctos, à moribus Ethnicorum. Iſti namque certos Deos, quos cultu Latriæ affecerunt; certis rebus præfecerunt: Nos Sanctos nec pro alijs agnoſcimus, nec cultum ijs divinum deferimus, ſed ſolùm, ut deprecatores, apud DEUM adhibemus. Cur autem certos Sanctos in certis caſibus invocemus, fit illud, quia vel in vita ſimile patrocinium adhibuerunt, vel poſt mortem in hujuſmodi rebus ſpeciale auxilium præſtiterunt. Sic igne periclitantes D. Florianum implorant, quem in hujuſmodi caſu ſingulariter propitium eſſe primus omnium Carbonarius experimento didicit, qui ſuis, quos ſufflaverat, ignibus involutus Florianum appellavit, & integro corpore è rogo emerſit. Unde poſteris quoque mos traditus eſt, Floriani imaginem cum urna aquariâ in fronte ædium dedicandi. DEUS etiam ſubinde aliquid concedere vult per hunc, non per alium Sanctum. Videatur antiquus Papatus P. Forer Lib. 1. cap. 8. n. 5. Et cap. 21. num. 95. *Quintò.* Ex eo, quod poſtulata non ſemper impetremus per interceſſionem Sanctorum, non ſequitur, invocationem illorum eſſe illicitam & negligendam; nunquid ſemper annuit precibus noſtris ipſe Deus? an ab invocatione hujus propterea ceſſandum? minimè. Quando igitur pro bonis temporalibus oratur, ſemper tacitâ id fit conditione, ſi ad majorem DEI gloriam noſtrámque ſalutem conducant. Atque hoc modo, cum etiam pro nobis Sancti orent, nullam unquam ferunt repulſam; quia ſcilicet non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè à nobis rogantur, ſi nimirum ea, quæ petimus, ad Dei gloriam ac ſalutem noſtram conducant. *Sextò.* Quando Sancti apud Deum pro nobis intercedendo poſtulant beneficia, hæc non petunt à Deo concedi, tanquam mercedem meritorum ſuorum, ſed veluti ſignum amoris erga ipſos divini, quem ſuis meritis obtinuerunt. Cæterùm mercedem pro meritis ſuis acceperunt quidem, etſi nondum plenam; quia nondum acceperunt gloriam corporis, quam etiam ſuo tempore habebunt.

XXII. *Septimò.* Falſum eſt, & impium hæreticorum figmentum, aliquos ab univerſa Eccleſia proponi, & haberi Sanctos, & ut tales invocari, qui tamen nunquam fuerint in rerum natura. Sanctus Georgius, S. Chriſtophorus, S. Longinus à toto orbe Chriſtiano per tot ſæcula honorati & invocati fuerunt, ut mirum ſit, Sectarios adeò omnem frontem exuiſſe, ut in tanta veritatis luce tam ſpiſſa mendacia obtrudere audeant: Videatur Catholicus Papatus contra Hailbrunner Lutheranum Tom. 1. à fol. 298. & nominatim contra prædictum mendacium de SS. Georgio, Chriſtophoro, & Longino, fol. 357. *Demum quoad Legendas Sanctorum.* Sunt iſtæ duplices. Aliquæ ſunt ab Eccleſia approbatæ: aliquæ non; ſed abſque omni facultate & approbatione ſunt typo aut ſcripto editæ. Hæ poſteriores ab Eccleſia prohibentur, atque ex oculis ac manibus hominum removentur. Illæ priores immeritò ridiculæ ſtolidæ ac fabuloſæ ab hæreticis cenſentur: nec quidquam in ijſdem oſtendi poteſt à ſana ratione & divina Potentia alienum. Et profectò ſi in vitis Sanctorum ridicula ac fabuloſa ſunt, quæcunque Naturæ vires ac limites tranſcendunt, quomodo plurima; quæ in Sacra Scriptura referuntur, veritati conſentanea credi poſſunt? Ridet Molinæus, & fabuloſam cenſet, aſinum Sacræ conſecratæ Hoſtiæ pedes inflexiſſe, ut habetur in vita S. Antonij de Padua. Quomodo ergo ſeriò credere & verum eſſe cenſere poteſt, Aſinam fuiſſe locutam; ut habetur Num. 22. v. 28. Si enim Aſinus vi altiori loqui potuit, cur non pedes coram Venerabili eâdem virtute ſuperiore inflectere valuit? aut quæ major in hoc, quàm in illo impoſſibilitas? Ita ſcilicet Hæretici nec Deo nec Hominibus atteſtantibus fidem habent, ſed ſuo ſe inſtinctu & plus quàm aſinino impetu agi ſinunt.

CONTROVERS. XLIV.

DE CULTU SANCTARUM Imaginum.

S. Gregorius Magnus L. 9. Epiſt. 9. de Imaginum ſeu picturarum utilitate ſic ſcribit: *quod legentibus Scriptura: hoc & idiotis præſtat Pictura. Quia in illa legunt, qui litteras noverunt: in hac ignorantes vident, quid ſequi debeant.* Hinc fidei & pietatis hoſtes non ſolùm Scripturam Sacram infeſtârunt, ſed etiam Imagines Sanctas ac picturas impugnarunt, atque etiamnum iſtis à modernis hæreticis lis gravis intentatur hîc loci decidenda.

PARS.

Digitized by Google

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**Octrina prima. Imagines Sanctorum cultu dignæ ſunt, & piè rectéque à Fidelibus honorantur & adorantur. Ita omnes Catholici ex pluribus Concilijs. Speciatim ex Synodo VI. Can. 82. & Synodo VII. ſeu Nicæna II. quæ Anno 787. pro imaginum Sanctorum cultu fuit ex inſtituto celebrata, & poſt longam diſputationem tandem hæc deciſio facta Act. 7. *Nos SS. Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Eccleſiæ Catholicæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem obſervantes, definimus, ſanctas Imagines in templis Dei habendas, colendasq́; præſertim Domini, & Dei Servatoris noſtri JESU Chriſti. Deinde Intemeratæ Dominæ Noſtræ Deiparæ: venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum, quò ſcilicet per hanc Imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad Prototyporum memoriam recordationem & deſiderium veniant, illisq́; ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant. Imaginis enim honor in prototypon reſultat.* Quo decreto prælecto Sancta Synodus exclamavit: *omnes ſic credimus, omnes approbantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum: hæc eſt fides Patrum: hæc eſt fides Orthodoxorum: hæc fides orbem terrarum confirmavit. Qui ſecus agunt, anathemate percelluntur. Qui ſecus ſentiunt ab Eccleſia expelluntur.* Eadem Catholica veritas habetur ex Concilio Rom. ſub Greg. III. & Stephano III. & denique in Trid. Seſſ. 25. in proprio decreto his verbis: *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas & retinendas, eisq́; debitum honorem & venerationem impertiendam.* Probatur *primò ex Sac. Script.* Exodi 25. v. 22. & 37. v. 7. Num. 7. v. 89. Et 3. Regum c. 6. v. 23. ubi duo Cherubin in oraculo Arcæ ita poſiti fuerunt, ut adorantibus Deum in Arca præſentatum unà cum ipſo Deo objicerentur, adeoque ſimul quodammodo cöadorarentur. Videmus quoque in SS. Litteris omnes res etiam inanimatas ad Deum aliquô modo relatas in magnâ reverentiâ & honore habitas; Arcam fæderis nemo tangere audebat, niſi Levitæ. Laicis etiam appropinquare vetitum Joſue 3. v. 3. Ob ejus contactum Oza mortuus eſt. 2. Reg. 6. v. 7. Ob curioſum ejus aſpectum plurimi Bethſamitæ occiſi 1. Reg. 6. v. 19. Cur ergo imagines Deum vel Sanctos repreſentantes honorem non mereantur? Quare licet D. Damaſcenus L. 4. de fide. c. 17. dicat, doctrinam hanc S. Scripturæ verbis minimè expreſſam, tamen per bonam conſequentiam ex Scriptura valdè confirmatur, tum locis citatis, tum ex Pſal. 98. v. 5. *adorate Scabellum pedum ejus, quia Sanctum eſt.* Vbi per Scabellum deſignari Arcam, indicatur Paralip. L. 1. c. 28. v. 2. Hinc Nicephorus Patriarcha in Dialogo, cui nomen Orthodoxus, bene ait: *cum quærit Hæreticus, ubi ſcriptum ſit, de adoranda Chriſti imagine, reſpondendum, ubi ſcriptum eſt, adorandum eſſe Chriſtum? ſiquidem inſeparabilis eſt à Prototypo Effigies ejus.*

II. Probatur *Secundò ex perpetuo Eccleſiæ uſu* miraculis confirmato. Chriſtus ipſe Jmaginem ſuam ad Abagarum Edeſſæ Regem utique in honore habendam miſit, quæ poſtea miraculis corruſcavit, ut videre eſt apud Baronium Anno 545. 586. 610. 621. 678. 944. Jdem Dominus ac Salvator noſter ſuam Effigiem linteo impreſſit, ut in velo Veronicæ, & in ſyndone Veſontina, eáſque varijs miraculis cohoneſtavit; de quo citatus Auctor ad Annum Chriſti 43. Mulier à ſanguinis fluxu per Chriſtum curata Effigiem hujus ex ære fuſam erexit Panneadæ, quæ per 300. & amplius annos ad Juliani Apoſtatæ tempora conſervata omnis generis morbos depulit, ut teſtantur Euſebius L. 1. c. 14. Nicephorus L. 10. c. 30. & Sozomenus L. 5. c. 21. qui addit, *Jmperatorem in locum illius Jmaginis Chriſti ſublatæ ſubſtituiſſe ſuam, ſed ſtatim ignem vehementem cælitus delapſum ſtatuam illam Juliani circa pectus diſcidiſſe, & caput unà cum collo dejeciſſe, tellurique facietenus infixiſſe, quatenus media circa pectus fuerit diſrupta.* Ex hiſtoria Conſtantini Magni haud obſcurè idem antiquus uſus Sacrarum Imaginum conijcitur; Sic enim legimus in Edicto Conſtantini: *Tunc idem venerabilis Pater* (Sylveſter) *Imagines eorundem Apoſtolorum per Diaconum ſuum exhiberi præcepit, quas dum aſpicerem, & eorum, quos in ſomno videram figuratos in ipſis imaginibus cognoviſſem vultus, ingenti clamore coram omnibus Satrapis meis confeſſus ſum, eos eſſe, quos in ſomno videram.* Imagines autem illas utique honoris & adorationis causâ S. Sylveſter Papa apud ſe habuit. Item ex veteri uſu; etenim à S. Lucâ depictas fuiſſe Imagines tum JEſu Chriſti, tum B. V. MARIÆ, tum Principum Apoſtolorum præter alios teſtatur Nicephorus Lib. 2. c. 43. addens, *in omnem deinde habitabilem orbem tam venerandum & pretioſum opus fuiſſe illatum.*

III. Probatur *tertiò ex Patribus.* Apoſtoli in concilio Antiochiæ celebrato jubent fieri, & Judæis ac idolis opponi Imagines Dei veri, & Salvatoris noſtri Domini JEsu Chriſti, & Sanctorum, hæc illorum ſunt verba: *ne errent Fideles erga idola, ſed exprimant Divinam-Humanam, Immaculatam, Manufactam Imaginem veri Dei & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti, ac Servorum ejus ex Adverſo coram idolis & Judæis: neque amplius errent erga idola, aut Judæis ſimiles fiant.* Videri poteſt Jacobus Gualterius in tabula Chronograph. fol. 17. & 79. ubi hoc teſtimonium & allata verba ex græca verſione refert. D. Baſilius in epiſtola ad Julianum Imperatorem, quam adducit Adrianus I. Synodo VII. Act. 2. apertè confitetur: *Hiſtorias Imaginum illarum Chriſti, Deiparæ &c. honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum à Sanctis Apoſtolis non eſt prohibendum, ſed in omnibus Eccleſijs noſtris eorum hiſtorias erigimus.* Idem Adrianus Papa in epiſt. ſua ad Conſtantinum Imperatorem, & Irenem in Concilio Nicæno II. ex D. Chriſoſt. affert hæc verba: *Nonne injuriâ afficit Regem, qui regiam veſtem violat? non noviſti, quod is, qui injuriâ afficit Imperatoriam Imaginem, in Imperatorem ipſum veluti exemplar imaginis, ejuſque dignitatem injurius eſt? Neſcis illum, quicunque ex lingno & coloribus Imagini convitia dicit, non damnari, veluti in rem inanimatam, ſed contra Regem ipſum dixerit; judicatur enim occultè Regi injuriam intuliſſe.* Plura PP. Græcorum & Latinorum teſtimonia videri poſſunt paſſim apud Bellarm. Verweis & alios.

IV. Probatur *quartò.* Miraculis. D. Athanaſ. Libro 1. vel Sermone de Paſſione Chriſti Imaginis c. 2. & 3. teſtatur, Imaginem Chriſti Crucifixi à Nicodemo factam fuiſſe à Judæis per ludibrium

lanceâ

lanceâ transfixam, & ex ea copioſum ſanguinem fluxiſſe, quò multorum corpora & mentes ſanatæ fuerunt. Idem affirmat Gregorius Turonenſis de glor. Mart. c. 21. Sub Conſtantino Copronimo ſeu Caballino, qui ſacrarum cultores Imaginum diris vexavit ſupplicijs, à B. Stephano Monachorum Anteſignano in monte Auxentiano plures à varijs languoribus curati ſunt, poſtquam Sacras Imagines adoraverunt, aut colere ſe profeſſi fuerunt, ut refert Baronius Anno Chriſti 765. Plura etiam in particulari recenſet miracula D. Damaſcenus orat. 1. & 3. de Imag. Ipſemet Catholicæ veritatis irrefragabilis teſtis, dum manum juſſu Sarracenorum Ducis amputatam beneficio Deiparæ Virginis miraculosè reſtitutam accepit, ut ſcribunt Nicephorus & alij plures Authores.

V. Probatur *quintò*. Ratione. Imago dupliciter conſiderari poteſt; Materialiter, & Formaliter. Si ſpectetur materialiter quâ aurea, vel argentea, pulchrè vel inſcitè depicta, ſic non colimus imagines, utpote rationis expertes; atque hocipſo adorationis incapaces; & qui ejuſmodi imaginem amat v.g. quod aurea, vel affabrè picta ſit, non ob id amat rem ab ea repreſentatam v.g. Judam: ſi formaliter conſideretur, ſic eam omnino colimus, ſiquidem ſecundùm hanc acceptionem eſt idem omnino motus in Imaginem, & rem ſignificatam, ut docet Ariſtot. in L. de memoria; adeóque qui ſic honore vel ignominiâ afficit imaginem, afficit & rem ſignificatam; quod probè novit, & mundo oſtendit Theodoſius Imperator, cum enim Antiocheni imaginem ejus ac conjugis Placillæ dejeciſſent, & per plateas traxiſſent, injuriam hanc & ſui ipſius & conjugis ſuæ eſſe ratus univerſam Antiochiam vaſtitate damnavit, atque ægrè Flavianus Epiſcopus precibus ſuis eam ab interitu ſervavit, ut refert Niceph. L. 12. c. 43. Et quid in tali cultu mali? Sed de hoc ipſo cultu mox plura.

VI. *Doctrina ſecunda.* Imagines quoque ipſius DEI ac Sanctiſſimæ Trinitatis rectè conſtruuntur, & ad cultum ac venerationem proponuntur. Ita communis Doctorum ac Theologorum Cathol. ſententia. Probatur. Tum ex recepto Eccleſiæ uſu. Tum ex Concilio Trident. loc. cit. quod, licet circa imagines Dei nihil decernat, indicat tamen, illas non eſſe illicitas, ajens: *Quod ſi aliquando hiſtorias vel narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediat, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici vel coloribus aut figuris exprimi poſſit*; hæc enim eſſet hæreſis Antropomorphitarum. Et quamvis aliam cauſam, cur Sanctiſſima Trinitas ſub humana ſpecie pingatur, Concilium non exprimat, tamen facilè cogitavit, ideo illud fieri, ut inviſibilis Dei perfectio humanis figuris quaſi metaphoris, non nihil adumbretur. Unde doctrina noſtra ulterius probatur. Tum quia in veteri Teſtamento per varias corporearum rerum imagines Deus olim fuit repreſentatus. Tum quia ſpeciatim Dan. 7. v. 9. Deus ſediſſe & apparuiſſe dicitur *tanquam Antiquus dierum; cujus veſtimentum candidum quaſi nix, & capilli capitis quaſi lana munda*. Cur non ergo ita depingi poſſit? Interim pro hujuſmodi imaginationibus ſemper habemus correctivam cogitationem; quippe ſcimus, DEUM ita ſe non habere, ſed aliter concipere non valemus, ut indicat D. Dionyſius Ariopagita de cœleſt. hierarch. cap. 2.

VII. Porro de ratione & modo colendarum Imaginum ſpecialis eſt lis inter Auctores. Ad rem rite intelligendam diligenter notari & aſſiduè præ oculis haberi debet ex Suarez. Tom. 1. in 3. P. D. 54. ſect. 5. imaginem triplici modo ſpectari poſſe. *Primò* materialiter & phyſicè ſecundùm materiam, artem, figuram &c. abſtrahendo, ut jam diximus, à repræſentatine & relatione, ex qua res habetur ſacra. *Secundò* formaliter ſecundùm relationem repræſentationis, adeoque imaginem ut imaginem, ut itidem diximus, etſi non ut exercentem munus imaginis. *Tertiò* formaliſſimè ſecundùm relationem repræſentationis, adeoque imaginem ut imaginem in actu exercito, hoc eſt, prout non tantùm actualiter quocunque modò repræſentat prototypon, ſed quatenus ſecundùm repræſentationem vivam continet in ſe exemplar, adeóque eo velut animata eſt. Differt hæc conſideratio à priori, quod illic directè ſola conſideratur imago, tametſi indirectè & in obliquo ſimul cognoſcatur exemplar, tanquam alter terminus correlativus: hîc verò directè conſideretur tam imago quàm prototypon per modum unius adæquati objecti, quod dici poteſt imago exemplaris animata, ſeu prototypon imagine veſtitum non realiter, ſed per ſimplicem apprehenſionem ac vivam repræſentationem exemplaris in imagine, ac ſi adeſſet, quomodo Filij in imagine ſuos concipiunt Parentes. Hoc notato,

VIII. Certum eſt 1. Imagines ſacras rectè coli & adorari, quatenus coram illis & per illas colitur & adoratur exemplar inditio imaginis ad mentem revocatum. 2. Imagines, quocunque modo colantur, non colendas eſſe per ſe ultimatè, ſed propter prototypon, & hujus excellentiam tanquam rationem objecti formalem; unde communiter cultus imaginum dicitur reſpectivus. 3. Imagines nunquam ita licitè adorari poſſe, ut cultus in ipſis penitus & undequaque ſiſtat, ſed iſtum aliquo tandem modo ad exemplar referri debere, cum iſtud ſit objectum quô, ſeu ratio formalis propter quam imago colitur. 4. Denique certùm eſt, quaſdam eſſe externas adorationis actiones, quæ ipſis imaginibus, ſimpliciter loquendo, non exhibentur, etiamſi coram illis exerceantur v. g. Sacrificium, oratio, laus exemplaris: quia hujuſmodi actus præciſè reſpiciunt perſonam intelligentem, ut talis eſt, abſtrahendo ab his, quæ extrinſecus illi adjuncta ſunt. Hæc cum certa ſint, tam ex Concilio Trident. in decreto de ſacris imag. quàm ex 2. Synod. Nicena cit. Difficultas eſt. An imagines propriè, & quomodo colendæ ſint?

IX. *Doctrina tertia.* Imagines verè & propriè licet reſpectivè colendæ & adorandæ ſunt. Ita communis Theolog. contra durandum 3. Diſt. 9. Q. 2. n. 9. & 11. aſſerentem, imaginem propriè loquendo non adorari, ſed exemplar præſente imagine. Conſentit Durando Holkot, & præter alios fere Cajet. 3. P. q. 25. a. 3. & ſeq. ajens *imaginem eſſe tantùm conditionem adorandi exemplar, & honorem non exhiberi conditioni rei adoratæ, ſed rationi adorandi, quæ eſt exemplar.* Hanc Sententiam aliqui Theologi gravi cenſurâ afficiunt, à qua tamen eam Vaſq. L. 2. de Adorat. N. 390. vindicare conatur. Probatur doctrina noſtra. Tum ex Concilijs & Patribus qui planè utuntur oppoſito loquendi modo. In Concilio Nicæno 11. Act. 1. Baſilius in ſua confeſſione ait: *honorificè veneror venerandas imagines.* Euthymius Epiſcopus Sardenſium Act. 2.

 veneran-

Digitized by Google

venerandas imagines ex toto corde cum debito honore & ſalutatoria adoratione ſuſcipio. Act. 6. Epiphanius Diaconus damnat illos, *qui imaginum uſum ad memoriam ſolùm, non verò ad ſalutationem & venerationem admittunt*; quod velle videtur opinio iſta. Et Act. 7. in epiſt. Synodi dum explicatur, quid ſit προσκυνήσεις ſive adoratio imaginibus debita, dicitur, præpoſitionem πρὸ intentionem ſignificare deſiderij. Tum quia quod coram imagine honoretur prototypom, per hoc revera non honoratur imago, ſed ſolùm prototypon. Ergo ſi non aliter honoratur imago, realiſſimè negari poteſt, honorari illam, quod tamen nemo Catholicorum dixerit. Tum quia potiſſimum hæreticorum argumentum contra cultum imaginum eſt, quod ſint res mortuæ & inanimatæ. Ergo ſuppoſuerunt intentionem Catholicorum, ferri in imagines verè ac propriè colendas.

X. Vaſquez Lib. de Adorat. Diſp. 8. 9. & 12. fatetur quidam honorari imaginem, attamen majorem huic honorem non concedit, quàm externum v.g. oſculationes, genuflexiones &c. derivatum ab affectu ſervitutis ſeu ſubmiſſionis circa exemplar. Quare in opinione Vaſquezij actus internus totus quantus occupatur cum exemplari, nec ullo modo attingit imaginem, ſed colitur iſta ſolùm per ſignum externum cum ſimplici affectu, illum exhibendi. Vaſquezium ſequuntur Leſſius Turrian. & nonnulli.

Doctrina quarta. Non ſolùm externa ſigna honoris cum ſimplici affectu ea exhibendi, ſed ipſum etiam internum affectum reverentiæ & cultus ſeu adorationis verè & propriè ad imagines dirigi. Ita poſt S. Thomam & veteres Scholaſticos Suarez. D. 54. cit. Sect. 5. Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 2. dub. 5. n. 143. Bellarm. L. 2. de Imaginibus cap. 20. & alij Theologi communiter. Probatur 1. ex mente Conciliorum & Patrum approbantium cultum imaginum; quæ mens fuit, quod non ſolùm externa cæremona, ſed internus etiam animus ſubmiſſionis feratur in imaginem; dicunt enim ſimpliciter & abſolutè *imagines adorari*, & hoc contra Iconoclaſtas, qui illud maximè in cultu imaginum deteſtabantur, quod internus affectus manifeſtatus actu externo in imaginem tenderet. Speciatim autem obſervanda ſunt verba Synodi VII. aſſerentis, *imagines ex animi deſiderio, ex affectu, ex toto corde cum debito honore perfectè adorandas &c.* Probatur 2. à priori. Tum ex definitione adorationis ſupra allatæ ex D. Damaſceno Orat. 1. de imag. nempe, quod ſit nota ſubmiſſionis, & reverentiæ. Ergo illud, quod adoratur, debet terminare ſubmiſſionem & reverentiam; eſt enim nota reverentiæ illi exhibitæ, quod adorari dicitur. Tum quia repugnat externum cultum exhiberi imagini, quà tali, quin etiam internus affectus ſubmiſſionis feratur in imaginem; hoc ipſo enim quod velim flectere coram imagine, & illi exhibere reverentiam, jam adeſt actus, quo me volo collocare infra imaginem, & illi cedere locum meliorem. Probatur 3. ex Abſurdis: Nam ſi prædictus internus affectus non accedat, non apparet, quomodo Vaſquez reipsâ recedat à ſententia Durandi paſſim ab omnibus rejecta; quemvis enim dicat, in hoc ſe recedere, quod admittat imaginem verè adorari, eſto terminet ſolùm cultum externum, hoc tamen eſt ſolùm differre in modo loquendi, non in re ipſa; etenim Durandus non negavit imagini rectè figi oſculum, caput illi aperiri &c. ſed ſolùm negavit hæc ſufficere, ut imago adorari dicatur. Confirmatur & declaratur duplici inſtantiâ. 1. Si ad denominationem adorati ſufficiat, me coram imagine pileum aperuiſſe, tunc ſi in imagine dæmon eſſet depictus, diceretur iſte adoratus. 2. Quando coram Euchariſtia percuterem pectus, adorarem pectus, vel ſi oſcularer terram, adorarem terram. Videatur Tanner loc. cit, ubi hæc contra Vaſquez pluribus explicat, & hunc imaginum cultum, quem Vaſq. & nonnulli proprium dicunt, improprium duntaxat vocat. De proprio igitur imaginum cultu expreſsè loquendo. Sit.

XI. *Doctrina quinta.* Quando imagines formaliſſimè ſumptæ, ut ſcilicet exercentes munus imaginis propriò cultu adorantur, tunc non ſolùm externa ſigna, ſed etiam internus affectus ſubmiſſionis & reverentiæ verè circa imaginem ſimul & ipſum exemplar tanquam circa adæquatum terminum ſeu objectum *ut quod* verſantur, adeoquè utrumque verè & propriè eodem cultu colitur. Ita citati Auctores pro doctrina priore contra Vaſq. Et hæc planè eſt mens Angelici Doctoris in 3. Diſt. 9. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 2. Et 3. P. q. 25. a. 3. 4. & 5. cum expreſſis verbis repetat, *motum in imaginem, ut imago eſt, eundem eſſe cum motu, qui eſt in exemplar.* Probatur doctrina noſtra 1. ex Concilijs & Patribus, qui non ſolùm hunc adorandi modum indicant, ſed ſubinde etiam elegantibus exemplis & ſimilitudinibus eum declarant. Athanaſius Serm. 4. contra Arianos ait: *Regem ipſum inſpicere, qui regis inſpiciunt imaginem.* Leontius in Synodo XII. Act. 4. & apud Damaſcenum ita loquitur: *quemadmodum Jacob accipiens à Filijs veſtem ſangine conſperſam Joſephi, cum lacrymis oſculatus eſt, ſuiſq; oculis circumpoſuit, non ipſam veſtem* (ultimatè & principaliter) *diligendo aut honorando id fecit, ſed per eam arbitratus eſt, ſe Joſeph oſculari, & in manibus tenere, ſic etiam Chriſtiani omnes imagines Chriſti, aut Apoſtoli aut Martyris tenentes noſtrâ carne oſculantes animo videmur nobis Chriſtum aut Martyrem* (utique tamen ſimul imaginem & Martyrem) *amplecti &c.* Joannes Presbyter in eadem Synodo act. 7. dicit, *unde & Beatus Pater* (Baſilius) *indicavit, non eſſe duas adorationes, ſed unam ipſius imaginis & primi exemplaris.* Quibus alijſque locis indicatur, imaginem ſimul cum exemplari menti & affectui adorantis objici, ita ut unus idemque motus animi ad utrumque (ſed diverſo modo ut mox dicemus) referatur. Eundem modum adorationis apertiùs indicavit Concilium Trident. Seſſ. 25. de veneratione reliquiarum & imaginum, ubi ait *imaginum cultum referri ad Prototypon, ita ut per imaginem Chriſtum adoremus & Sanctos veneremur.*

XII. Probatur eadem doctrina 2. hâc ratione. Si poſſibile & licitum eſt, ut intellectus noſter prototypon ſimul & imaginem per modum unius objecti adorabilis directè apprehendat, tunc etiam voluntas uno quodam actu & affectu adorationis in utrumque tendere poteſt. Sed verum eſt antecedens. Major patet; quia voluntas proportionato modo cum intellectu procedit. Probatur Minor. Tum quia poteſt intellectus diſtincta objecta præſertim aliquo modo ſubordinata ſimul & per modum unius objecti totalis apprehendere v.g. Regem purpuratum. Tum quia quando exemplar eſt venerabile, tunc quidquid ſimul cum eo vel ſecundùm rem vel ſecundùm imaginationem convenienter junctum reperitur, rectè ſimul etiam

Digitized by Google

etiam ut venerabile ſaltem per accidens & propter exemplar cenſetur, ut patet in purpura Regis familiari Patribus & Theologis exemplo. Tum quia ſi idem affectus verſari poteſt circa Deum & hominem, cur non poſſit unus idémque affectus adorationis verſari circa exemplar & imaginem?

XIII. Interim fatentur omnes Doctores noſtri, etiamſi, ut diximus, imago ſimul ac eodem cultu cum prototypo colatur, ſemper tamen illam diverſo ac inferiore modo coli. Nam Prototypon tanquam ratio colendi imaginem eſt principale & formale *objectum quod*, talis cultûs: Imago verò ſecundarium & materiale, ac quaſi accidentaliter annexum. Illud non ſolum propriè, ſed etiã abſolutè & per ſe: Hæc propriè quidem, ſed non niſi relativè & propter illud duntaxat, adeoque, ut Bellarm. L. 2. c. 23. & alij non malè loquuntur, per accidens tantùm colitur eodem cultu cum prototypo, ſicuti purpura, quæ cum Rege eâdem adoratione colitur. Ob eandem cauſam, etſi veteres Theologi plerique imagines Chriſti latriâ coli dixerint, jam tamen ita abſolutè & ſine explicatione ſufficienti loquendum non eſt, ut monet Bellarm. L. 2. cit. c. 22. Suarez. D. 54. cit. Sect. 5. Baronius Anno Chriſti 787. Nam Synodus VII. Act. 6. expreſsè negat, imagines adorari latriâ: *modò*, inquit, *ſciamus, excludi latriam*; hæc enim eſt alia à ſimplici adoratione, ut ſæpe alibi dictum. Ratio eſt, quia cultus imaginis Chriſti, tametſi in noſtro caſu re ipsâ & materialiter idem ſit cum cultu prototypi, revera tamen, & formaliter non habet rationem latriæ, & perfectiſſimi cultûs, niſi prout ad exemplar tendit, ut dictum. Juxta quam tendentiam & reſpectum ad exemplar putandum, veteres Scholaſticos fuiſſe locutos. Hoc ipſum ſervatâ proportione dicendum de dulia & hyperdulia reſpectu imaginum, quarum exemplaria duliâ & hyperduliâ coluntur, ut rectè notant Bellarm. Tanner & alij.

XIV. *Doctrina ſexta*. Imagines Chriſti, Deiparæ, Virginis, ac cæterorum Cœlitum poſſunt etiam per ſe ac ſeorſim tanquam res ſacræ aliquomodo coli, & venerari, non adoratò directè exemplari & perſonâ, ad quam illæ pertinent, adeóque formaliter ſpectatæ, ut prototypo relativè opponuntur, juxta ſecundam conſiderationem imaginis ſupra §. VII. indicatam. Ita cum multis Suarez D. 54. cit. Sect. 5. ajens: *hoc tam certum eſſe, quàm quod imago aliquo tandem modo propriè adoretur*. Probatur doctrina noſtra. Tum Auctoritate. Nam Concilia & Patres hunc imaginum cultum paſſim inſinuant. 1. perinde loquendo de imaginibus, ac de reliquijs, ac alijs rebus ſacris. 2. docendo imagines honorari, ſive adorari propter prototypon; vocula enim *propter* in rigore ſolam rationem adorandi ſignificat. 3. ſpeciatim aſſerendo eundem honorem derivari ab imaginibus ad prototypon, vel contra, ſicuti in VII. Synodo Act. 7. dicitur: *imaginis honor in prototypon reſultat &c.* Tum ratione 1. quia imagines ſacræ annumerantur reliquijs & alijs rebus Sacris, quas per ſe colendas eſſe, ſequenti Controverſiâ dicemus. 2. imagines per ſe ſpectatæ objectum eſſe poſſunt contumeliæ, tametſi quis ipſum prototypon directè non cogitet dehoneſtare, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 3. Ergo per ſe ſunt capaces honoris. 3. imagines quando ſimul cum prototypo coluntur, in ſe capaces ſunt alicujus etiam interni honoris, ut ex dictis patet. Ergo etiam, quando ſeparatim ſpectantur, modò ſemper cum habitudine ad prototypon ſumantur; ſive illa habitudo ſub ratione ſpecifica apprehendatur, ſive tantùm ſub ratione generica, videlicet rei Deo dicatæ, vel ad divinum cultum pertinentis. Honorem autem, quo imagines coluntur, ſemper ac neceſſariò minorem eſſe, quàm ſit honor ipſius prototypi, omnes iterum fatentur; quia eadem ratio cultûs diverſimodè utrique ineſt. Uti ex dictis, & praxi Eccleſiæ conſtat.

XV. *Doctrina ſeptima*. Prædictus cultus pertinet ad eandem virtutem, quâ colitur ipſum prototypon, nec adeo ab alia diſtincta virtute procedit. Ita Suarez. D. 54. Sect. 5. & plures alij. Ratio eſt; quia eſt eadem formalis ultimata ratio cultûs objectiva, nempe eadem prototypi excellentia, etſi diverſa ſit applicatio, quæ ſufficere non videtur ad diverſum habitum ſpecificandum. Non obſtat, D. Thomam & veteres Scholaſticos ejuſmodi cultum Crucis & Imaginum vocare hyperduliam; nam hoc vocabulo hyperduliæ & duliæ frequenter ſignificant omnem cultum ſacrum, qui propriè non eſt latria, ſeu perfectiſſimus cultus, ut ex ſupra dictis conſtat. Ex his colligitur, univerſim cultum imaginum eſſe triplicem. *Primus* eſt, quo ipſa imago colatur per ſe directè: prototypon autẽ ſolùm indirectè, & ut ratio colendi, de quo doctrinâ 6. *Secundus*, quò per ſe ac propriè ſolùm colatur prototypon ab imagine repræſentatum; ipſa verò imago non niſi impropriè, de quo doctrinâ 4. Ubi ſententiam Vaſquezij ſolùm ut proprium cultum rejecimus. *Tertius*, quo utrumque ſimul, prototypon ſcilicet & imago unò ac eodem actu verè ac propriè colatur, de quo doctrina 5. Nunc videamus, quid hæretici contra doctrinas noſtras Catholicas moveant.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVI. Error primus eſt, nefas eſſe, Dei ac Sanctorum imagines formare: idololatriam verò eaſdem colere, & ad hunc finem in Eccleſia illas exponere. Jta Calvinus Lib. 1. Jnſtit. c. 11. ubi graviſſimè imaginum cultum condemnat. Unde Calviniſtæ, ubi ubi poſſunt, imagines non tantùm ex Eccleſijs amovent, ſed etiã deſtruunt, confringunt, ac comburunt. Præjvit in hac inſania & impietate primus Leo Iſauricus Imperator Anno 720. qui à Iudæis inductus omnes imagines ex Eccleſijs ejici & exuri curavit, idque Romano Pontifici, ut faceret, mandavit; qui tamen fortiter ſe impio mandato appoſuit, ut refert Paulus Diaconus de geſtis Lombard. Lib. 6. c. 14. Atque hic Leo Jmperator dictus eſt Jconomachus, cujus veſtigijs inſtitit filius ejus Conſtantinus Copronymus, & ambo diriſſimè propter imagines Eccleſiam perſecuti ſunt, quam devaſtationem ad annum uſque 800. continuarunt. Poſt hos venerunt Leo Armenus Jmperator, ejuſque ſucceſſores Michael Balbus, & Theophilus, quos impijſſimos fuiſſe, & quidem Theophilũ Necromantiæ & Iudaiſmi ſtudioſiſſimũ Hiſtorici Græci Zonaras, & Cedrenus teſtantur. Iſtos ſecuti ſunt Bogamoti, Waldenſes, & demum

Lutherani, qui concedunt quidem poſſe haberi Imagines tam extra, quàm intra templa, negant tamen eas religiosè coli poſſe abſque idololatria, ut videre eſt apud Jo. Gerhartum L. 2. P. 2. à fol. 680. Probant tum ex S. Scriptura. tum Concilijs. & Patribus. tum ex ratione.

XVII. Ex Sac. Scriptura. Imprimis promunt primum præceptum Decalogi Exod. 20. v. 4. & Deuteron. 5. v. 9. *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis &c.* ubi omnis generis imagines prohibentur. Et quoniam Decalogus eſt compendium Legis Naturæ, quæ ſemper durat, etiam Chriſtianos obligabit, ut ab omni imaginum factione ſe abſtineant. Deinde afferunt omnia loca Sac. Scripturæ, quibus idolorum cultus prohibentur, contendentes, omnes imagines eſſe idola ex Tertulliano de idololatria c. 13. dicente, *omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit.* Et Theodoro Siculo L. 2. Bibliothecæ ac Dionyſio Halicarnaſſæo L. 1. Antiq. ubi idem eſt *idolum & effigies*, ut conſtat ex Lexicis græcis. Confirmant ex Baruch Propheta c. 6. ubi deridet idola varios eis effectus exprobrans, nempe quod non poſſint *loqui, ſe movere, ſurgere, ſi in terram ceciderint, ſe defendere, abſtergere faciem pulvere, vel fumo*, quæ omnia etiam noſtris imaginibus conveniunt. Demum ex Sac. Scriptura eos locos adducunt, in quibus Judæi idola coluerunt, ajuntque: Sicuti Papiſtæ clamant ſe venerari in imaginibus Chriſtum aut Sanctos, quos illæ repræſentant, ſic Judæos idololatras veneratos fuiſſe unum Deum in idolis, quod oſtendunt exemplis. *Primum.* Michas ſculptile, quod formavit non Dæmoni, ſed Deo vero fabricavit; hoc enim facto lætabundus ait Jud. 17. v. 13. *Nunc ſcio, quoniam benefaciet mihi Deus. Secundum.* Dannitæ ſimulachrum illud per Levitam conſulentes, hoc reſponſum tulerunt à Levita Jud. 18. v. 6. *Dominus reſpicit viam veſtram. Tertium.* Exodi 32. Judæi vitulum formârunt, quem tamen non ut vitulum, aut Ægyptiorum Apin, ſed ut viſibile veri DEI ſignum adorarunt, ut patet ex his eorum acclamationibus v. 4. *Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Et clariùs ex verbis Aaronis v. 5. *Cras ſolennitas domini eſt.* Et cultus ille vocatur *cultus Jehova*, quod eſt veri Dei nomen.

XVIII. Ex Concilijs & Patribus nec paucas nec leves movent Sectarij difficultates. *Primam.* Ex Concilio Elibertino ſeu Eliberinenſi, quod in Hiſpania paulò ante Conſtantinum M. Anno Chriſti 305. celebratum can. 36. ſic ſtatuit: *Placuit picturas in Eccleſiâ eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Secundam.* Ex Concilio Conſtantinopolitano anno 730. celebrato, quod ſimiliter imagines damnavit. *Tertiam.* Idem factum in Concilio Conſtantinopolitano anno 754. & 55. habito. *Quartam.* Ex Frankofortenſi Anno 794. ſub Carolo M. Imperatore celebrato, in quo damnata fertur VII. Synodus Nicena II. ipſeque adeo cultus imaginum omninò fuit ſublatus. *Quintam.* Ex Concilio Pariſienſi, quod relatum in Libro 1596. Frankofortí edito docet, Crucis quidem imaginem colendam: cæteras verò ſolius memoriæ, non autem ullius cultûs causâ habendas ac retinendas eſſe. *Sextam difficultatem* movent ex D. Epiphanio, qui in Epiſtola ad Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcribit: *Se in villa Anablatha vidiſſe depictum habens quaſi imaginem Chriſti, vel Sancti alicujus, idq; ſe dilaceraſſe tanquam adverſum Scripturæ Sacræ. Septimam.* Ex Tertull. L. de idololatris dicente: *ne facias ſimulachrum aliquod, niſi tibi Deus juſſit. Octavam* ex Clemente Alexandrino in laude exhortatoria ad gentes ajente, *nobis apertè vetitum eſt, artem fallacem* (ſtatuariam) *exercere; ſcriptum enim eſt, non facies cujuſq; rei ſimilitudinem. Nonam* ex Lactantio L. 2. Inſtit. c. 19. ſcribente: *quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubi ſimulachrum. Decimam* ex Euſebio L. 17. hiſt. c. 4. narrante, *uſum imaginum ab Ethnicis confictum. Undecimam* ex S. Athanaſio contra gentes affirmante: *imaginum inventionem non à bono ſed à malo ſpiritu excidiſſe*; quod autem principium malum habet, non poteſt eſſe bonum. *Duodecimam denique difficultatem* movent ex libris Carolinis anno 1549. ſub Apocrypho nomine *Eli: Phili.* primùm in lucem editis, qui imaginum cultum & venerationem reprehendunt.

XIX. Ex Ratione demum 1. Imago cum ſit res inanima, non eſt capax honoris. 2. Imago non eſt ſancta ratione materiæ, quæ eſt aurum argentum, lignum, marmor &c. nec ratione formæ: quæ eſt figura accidentalis, opus hominis: nec ratione reſpectûs ad exemplar, qui eſt naturalis ad corpus alienum abſtrahendo à ſanctitate: nec ratione relationis ad ſanctitatem exemplaris, quæ eſt tantùm conficta per noſtram imaginationem: nec ratione alterius rei, quæ in ipſo ſit, cur ergò honoretur? 3. Homo eſt etiam imago Dei, & tamen non adoratur.

XX. Error iſte ab univerſa Romano-Catholica Eccleſia in diverſis Concilijs dirigente Spiritu Sancto damnatus fuit. Eidem perpetuus Eccleſiæ uſus: Unanimis Patrum conſenſus: Et gravia Rationum momenta adverſantur, ut ſuprà vidimus. Si Calviniſtæ, Lutherani, & alij Sectarij pro ſua miſerabili cæcitate hæc non vident, nec capiunt, agnoſcant ſaltem, quod ipſimet facere conſueſcunt. Ipſi magnis ſumptibus atque artificijs curant depingi, formari, ſculpi, exornari, & conſervari ſtatuas Regum, ac Principum: Imagines ſuarum Uxorum, Filiorum, Parentum, Auorum, etiàm Prædicantium. Quæ ergo inſania eſt, Imagines Chriſti, Beatiſſimæ V. Mariæ, & aliorum Sanctorum conſpuere, abolere, & exterminare? Nimirum pluris illos faciunt, quàm Chriſtum B. V. cæteróſque Sanctos infernalibus Spiritibus acti, qui cùm omni ſe honore per ſuperbiam ſuam æternùm ſpoliârint, eundem & Sanctis Dei ad ſuarum ruinarum complementum aſſumptis invidentes per hæreticos familiaria ſua inſtrumenta omnibus modis impedire nituntur. Sed irrito effectu. *Nimis enim honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* Pſal. 138. v. 13. Et *ſic honorabitur, quem Deus Rex* Cæleſtis *honorare voluerit.* Eſther 6. v. 9. fremant licet diabolus & omnes ejus miniſtri. Objectionum moles neminem terreat, elumbes ſunt omnes, non viribus & pondere veritatis ſed levibus mendacijs, calumnijs ac ignorantijs nixæ. Itáque.

XXI. Reſpondeo 1. *ad Teſtimonia ex Sac. Scriptura.* Exod. 2. *non facies tibi ſculptile* (quod repetitur Deuter. 5.) ſeptuaginta vertunt *idolum, imaginem Dei falſi & ficti.* Non ergo prohibetur hìc quævis imago, illa ſola prohibetur, quâ divina Natura ex ſe Incomprehenſibilis ad vivum repræſentatur (ut Idololatræ fingebant) idque ſive ea per ſe, vel in ſe repræſentetur, ſive per aliquam creaturam v. g. ſolem, lunam, vitulum &c. In hunc modum expli-

Digitized by Google

explicans ſe infra v. 23. Spiritus Dei, quid intelligat per ſculptile ait: *non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos.* Et patet clariſſimè in Levit. c. 26. v. 1. *non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Ergo ſecluſâ adoratione & periculo idololatriæ, non vetatur hic uſus imaginum, ſeu Dei veri, ſeu creaturarum, ut præter alios bene Tanner Tom. 3. D. 5. q. 2. n. 105. & ſequentib. Quomodo enim aliàs Deus ipſe poſt hoc præceptum juſſiſſet duos Cherubinos etiam in Sancto Sanctorum collocari? Judæi tamen maximè poſterioribus ſæculis conſcij ſuæ infirmitatis & pronitatis in idololatriam, quo remotiores forent ab omni periculo, omnem imaginum uſum ſibi ultro interdixiſſe videntur; & hoc eſt, quod Philo, Joſephus, Origenes, & alij apud Tirinum in cit. Tex. adducti ſubinde inſinuant, ſcilicet illicitum fuiſſe Judæis imaginum uſum non lege naturali, aut poſitivâ DEI, ſed proprio decreto & majorum traditione ubique recepta. Nihilominus cogebantur ſubinde imperio Tyrranorum nummos admittere Cæſaris imagine notatos, ut colligitur ex Matth. 22. v. 20. *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio? dicunt ei Cæſaris.* Nihil ergo hinc erui poteſt contra uſum vel cultũ imaginum inter Chriſtianos; quia apud hos nec tale periculum, nec talis lex exiſtit. Videatur Tanner loc. cit.

XXII. Quoad illa loca Sac. Scripturæ, quibus idolorum cultus prohibetur. Imagines non ſunt Idola; quantumvis enim Grammatici Græci non diſtinguant inter Idola & Imagines, Theologi tamen in materia de Fide non admittunt hanc etymologiam; alioquin etiam Chriſtus, qui eſt Imago Patris 2. ad Corinth. 4. v. 4. erit Idolum. Imago igitur eſt *veriſſima expreſſio alicujus rei*: ſic enim eam propriè SS. Patres deſcribunt. Greg. Nazianz. orat. 36. quæ eſt 4. de Thol. *hæc Imaginis natura eſt, ut exemplar ſuum imitando referat.* Auguſt. L. de Geneſ. ad Litteram: *omnis imago ſimilis eſt rei, cujus imago eſt.* Clariſſime Joan. Damaſc. orat 3. de imaginibus. *Imago ſimilitudo eſt, exemplum atque effigies, quæ illum in ſe, cujus imago eſt, exprimit.* Idolum viciſſim deſcribitur *falſa expreſſio alicujus rei.* Sicuti habemus apud Habacuc 2. v. 18. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile & imaginem falſam?* Ex hoc diſcrimine ſic concludere poſſumus. Idolum eſt falſa imago. Imagines Chriſti, Beatiſſ. Virginis, & Sanctorum non ſunt falſæ imagines. Ergo Imagines Chriſti, Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum non ſunt idola. Atque hoc argumento utitur Eutymius contra Bogomotos hæreticos in Panopl. P. 2. Tit. 23. c. 1. Baruch. c. 6. illas imperfectiones idolorum per ludibrium Gentibus objecit, qui ipſaſmet imagines pro dijs habebant; quod pleraſque Gentes feciſſe, teſtantur SS. Scripturæ & PP. paſſim Sapient. 13. v. 10. dicitur de illis: *Infelices ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt Deos opera manuum ſuarum.* Act. 17. v. 29. dicit Apoſtolus: *genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro & argento, aut lapidi aut ſculpturæ artis: & cogitationibus hominum divinum eſſe ſimile.* Videri poſſunt Chryſoſtm. hom. 38. in cit. locum Pauli. Athan. orat. contra Gentes, & alij; quod ſi tamen aliqui ex Gentilibus aliter ſenſerint, non ipſas Imagines pro Dijs habendo, ſed eos tantùm repreſentatos, contra illos non procedebant illa argumenta Baruch, ſed alijs telis erant oppugnandi, quæ minimè deſunt. Demum longè falſiſſimum eſt, Judæos in idolis perinde verum Deum coluiſſe, ac Papiſtæ in imaginibus clamant ſe Chriſtum venerari. quid clarius his verbis Pſalmiſtæ pſal. 105. v. 35. ſic de Judæis canentis: *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum, & immolaverunt filios & filias ſuas dæmonibus.* Et antea in eodem Pſal. v. 20. *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.* ſimilia habentur Deut. 32. v. 17. *Immolaverunt dæmonijs, & non Deo.* par eſt ratio de Gentilibus, qui in ſuis Idolis nunquam verum Deum adoraverunt Juxta illud Pſal. 95. v. 5. *dij gentium dæmonia.* 1. ad Corinth. 10. v. 20. *quæ immolant Gentes dæmonijs, immolant non Deo.*

XXIII. Exempla adducta nequaquam patrocinantur Adverſarijs. Michas Judic. 17. non ideo dixit, *nunc ſcio, quia benefaciet mihi Dominus*, quod habeat idolum, ſed quod in domo ſuâ habuerit Perſonam Levitici generis, propter cujus ſanctitatem ſperabat â Deo ſibi benedictionem largiendam, id clarè oſtendunt hæc ejus verba v. 19. *nunc ſcio, quia benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem.* De reliquo tam Micham, quàm Levitam ac Danniſtas ſimulachrum pro Deo habuiſſe, non obſcurè conſtat ex verbis Michæ ſic conquerentis contra Danniſtas v. 24. *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem & omnia, quæ habeo, & dicitis, quid tibi eſt?* Demum quod Judæi ante vitulum non vitulum, ſed verum Deum Jſraël adoraverint, manifeſtæ falſitatis convincitur â Scriptura, quæ apertiſſimè contrarium demonſtrat Deuteron. 37. v. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es DEI Creatoris tui.* Et Pſal. 105. cit. v. 19. *& fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile* ibidem v. 21. *obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos.* Jeremiæ 2. & alibi. Ergo alius fuit cultus, quem Judæi idolis ſuis deferebant, quàm ſit ille, quem nunc Catholici imaginibus exhibent; ſiquidem nos Catholici ſacras imagines non veneramur ut Deum, ſed Deum, quem illæ repræſentant, reſpectivè colimus, & adoramus.

XXIV. Reſpondetur 2. *ad difficultates ex Concilijs & Patribus. Ad 1. ex Concilio Elibertino.* Non abſolutè ab hoc prohibitum fuiſſe uſum & picturam imaginum; ſed ſolummodo, ne immediatè in ipſis templi parietibus depictæ extarent, & defluente cruſtâ parietum deformarentur, aut incurſibus & ludibrijs Ethnicorum eo tempore ante Conſtantinum M. graſſantium dedecorarentur; quâ ratione etiam olim prohibitum erat, Crucem in pavimento ſculpere, ne pedibus conculcaretur. Ita cum pluribus Vaſquez L. 2. de adoratione à n. 132. *Ad 2. ex concilio Conſtantinopolitano Anno 730. celebrato.* Iſtud Concilium ſub Leone Iſaurico non fuiſſe legitimum, eò quod nec Pontifex, nec ullus ejus Legatus interfuerit, imò nullus Epiſcopus; ſiquidem nullus Hiſtoricus alicujus Epiſcopi meminit, ſed tantum hominum profanorum. Videri poteſt Vaſquez D. 106. n. 40. *Ad 3. Ex Conſtantinop. Anno 754. & 55. celebrato.* Hoc quoque ſub Conſtantino Copronymo non fuiſſe legitimum, quandoquidem legitimus Patriarcha Conſtantinopolitanus nomine Germanus non interfuit, ſed eius loco intruſus Anaſtaſius. Unde acta ejuſdem pſeudoſynodi irrita ſtatim declaravit Stephanus Papa; quin & ipſi Patriarchæ Alexandrinus, Hieroſolymitanus, & Antiochenus

fortiter eidem reſtiterunt, ut refertur in Annalibus Eccleſiaſt. ad citatum annum.

XXV. *Ad 4. Ex Concilio Frankofortenſi damnante VII. Synodum.* Concilium hoc fuiſſe Nationale, quod non præjudicat Generali. Unde meritò plerique omnes Doctores negant, concilium Frankofortenſe aliquid contra VII. Synodũ, quod eſt Concil. Nicænum II. aut contra imagines ſtatuiſſe. Sanderus L. 2. de imag. c. 5. cum nonnullis putat, damnatam in eo fuiſſe Pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam contra imagines celebratam, quam Græci ſubinde VII. vocant. Bellarm. L. 2. de imaginibus c. 14. cum alijs exiſtimat, in Frankofortenſi concilio fuiſſe quidem damnatam Synodum Nicænam II. at errore non juris, ſed facti, eò quod falsò perſuaſum haberent Patres in ea decretam fuiſſe imaginibus adorationem Latriæ Deo propriam. Tanner Q. cit. n. 9. probabiliſſimè cenſet, nihil tale in concilio Frankofort. fuiſſe conſtitutum. Tum quia in authenticis Actis illius concilij nihil tale reperitur: novitia autem acta concilij Frankofort. quæ hoc nomine edita recèns à Sectarijs circumferuntur, nullam auctoritatem jure promerentur. Tum quia Adrianus Papa, cujus tempore illud concilium fuit celebratum, paulò poſt Iconomocho ſcribens, nullam illius decreti facit mentionem; neque Pontifex Romanum Imperium à Græcis Iconomachis in Carolum M. tranſtuliſſet, ſi iſte eodem cum illis vitio laboraſſet, ut bene notat Vetweis fol. 29 6. Multò minus Libri Caroli vel à prædicto concilio, vel ab ipſo Carolo M. conſcripti fuerunt, ut mox dicemus. Videri poteſt Nicolaus Schaten in Lib. cujus titulus: Carolus M. à fol. 595. quem ſupra de Concilijs in hanc ipſam rem citavi. Cæterùm Auctoritas Synodi VII. quam Calvinus & cæteri Sectarij adeo infringere laborant, conſtat 1. ex eo, quod legitimè fuerit celebrata ab univerſa Eccleſia Græca & Latina, & ex utraque 350. Patres convenerint. 2. quod in illa præſederint Legati Adriani Papæ, qui litteras Adriani ad Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum & concilium tulerunt in eodem deinde lectas & receptas. 3. Quod in omnibus Legati Pontificij veteris Romæ ante Patriarchas omneſque alios ſubſcripſerint. 4. Quod Patres illius nullo modo ea, quæ in libris Carolinis ponuntur, docuerint, ſed honorem debitum imaginibus ex Sac. Scriptura & SS. Patribus primævis probatum confirmarint. Ad 5. ex Concilio Pariſienſi. Hoc concilium nullius eſſe auctoritatis; quippe recèns editum non adſcripto codice; unde depromtum fuerit. Adhæc Concilinm iſtud nititur unicè epiſtola Græci Imperatoris Balbi, qui fuit omnium bipedum nequiſſimus, plus Judæis, quàm Chriſtianis addictus, riſit Prophetas & Apoſtolos, fornicationem approbavit, atque occidit multos Sanctos, ut ex Zonara & Cedreno, atque alijs oſtendi poteſt. Quale ergo concilium ex tali fundamento ſurgere potuit? Videri poteſt Baron. Tom. 9. Annalium Anno 700. n. 94. & Anno 800. n. 25.

XXVI. *Ad difficultatem 6. ex Epiphanio.* probabiliter cenſere Bellarminum L. 2. de imag. c. 9. aut totam hanc epiſtolam, aut ſanè verba illa eſſe ſuppoſititia: vero tamen ſimilius eſt, quod docent Suarez Tom. 1. in 3. P. diſp. 54. Sect. 1. & plures alij DD. Epiphanium locutum fuiſſe de imagine profani hominis in Eccleſiæ foribus ad appenſam lucenam dependente, cui imagini, quaſi foret Chriſti aut Sancti alicujus, ſacer cultus ſuperſtitiosè delatus videretur; quomodo enim credibile eſt, Epiphanium virum Sanctum & ſapientem imaginem Chriſti aut Sancti alicujus vocitaſſe contemptim imaginem hominis. *Ad 7. Ex Tertulliano.* Hic verbis iſtis: *ne faciatis adverſus legem ſimulachrum aliquod &c.* non allocutus eſt Chriſtianos, ſed Ethnicos, qui in tutelam ſuæ idololatriæ exemplum Judæorum proferebant cum æneo ſerpente Dei juſſu fabricato, quibus occurrit dicendo: ſi vultis imitari Judæos, etiam in hoc imitemini, ne ullum ſimulachrum ſine Dei mandato faciatis. *Ad 8. Ex Clemente Alexandrino.* Iſte Pater tam loco cit. quàm L. 1. ſtrom. allegatus à Petro Molinæo loquitur de idolis, quæ Gentiles pro veris Dijs habebant, & adorabant. Cæterùm hic diſcurſus magis ipſis Adverſarijs nocet. Nam Numa, Lycurgus & nonnulli ex Gentilibus ideo noluerunt idola Deorum ſuorum ante oculos populi, ut ſic faciliùs ipſos Deos ex animis ejuſdem eriperent ut advertit D. Auguſt. L. 4. de civit. DEI c. 31. Hoc ipſum ergo intendere videntur Calviniſtæ, ut ſublatis imaginibus ex oculis, citiùs Deum ex animis eripere, & ad Atheiſmum liberiùs tranſire poſſint. *Ad 9. Ex Lactantio*, fateri nos libenter, quod non ſit vera Religio, ubi ſimulachra habentur, & coluntur, quippe ſimulachra ſunt idola dæmonum. At verò imagines Sanctorum talia non ſunt. Aliàs quantis modis Lactantius extollat ſignum Crucis, & quanta miracula per id fieri teſtatur, videri poteſt ipſemet L. 4. Inſtitutionum c. 27. qui etiam in carmine de Beneficijs Chriſti ſic cànit: *flecte genu, Lignumque Crucis venerabile adora.*

XXVII. *Ad 10. Difficultatem ex Euſebio.* Scribit iſte L. 7. c. 14. cit. de imagine Chriſti Cæſareæ Philippi, & ſi totum hoc caput legatur, apparet, ipſum non improbaſſe, cum ibidem omnino certus affirmet, multa vera miracula apud illam contigiſſe; quomodo ergo adverſari nobis potuit? Adhæc ſi Euſebius noverit, gentiles cõſueſſe laudabilibus ſuis Majoribus pro memoria imagines conficere, & ipſi viſum fuerit, hunc morem retinuiſſe Chriſtianos erga Chriſtum & Apoſtolos, inde putari non poteſt, damnare Chriſtianos idololatriæ, ſiquidem multa fuerunt apud Gentiles, quæ retinuerunt Chriſtiani ſub altiore, Deoque placente intentione, ut pulchrè oſtendit D. Aug. L. 20. contra Fauſtum c. 23. & maximè Epiſt. 49. q. 3. Demum Euſebium Arianæ hæreſi addictum exiguum affectum erga Chriſti & Sanctorum imagines tuliſſe, oſtendit Actio 6. Synodi 7. ubi Epiphanius non obſcurè deſcribit, quæ pectore gerat Euſebius, de quo plura Jacobus Gretſerus in Syntagmate de imaginibus non manu factis c. 9. edit. Pariſ. Anno 1625. Quare Euſeb. in cauſa imaginum, quando Catholicis adverſatur, parvi eſt faciendus. *Ad 11. ex Athanaſio.* Allegatur iſte S. Pater infideliter; etenim non dicit, *imaginum*, ſed *idolorum inventio* conformiter alijs in eadem oratione, inter quæ leguntur hæc verba: *mira in hac parte ipſorum impietas, qui cum vera nativaque animantia, quatrupedia, volucria, reptilia deteſtentur, & exhorreant vel ab feritatem vel ob fœditatem, tamen horum ſpecies in lapidibus, & lignis, aut auro deſcriptas Deos eſſe volunt.* Ecce quàm apertis verbis S. Pater de Gentilium Idolis Lapideis, Ligneis, Argenteis, Aureis loquatur!

Ad 12.

XXVIII. *Ad 12. denique difficultatem ex Libris Carolinis.* Iſti Libri ex communi DD. ſententia non ſunt Caroli M. Imperatoris, ſed cujuſdam Sectarij, qui Prædicantium ſpiritu actus hæreticum ſuum venenum ſcripto rradere, ac diffundere fuit auſus. Verùm Carolus tanquam Sapientiſſimus Princeps mox eos per Engelbertum Capellanum ſuum tranſmiſit ſupremo librorum & doctrinarum Cenſori Adriano ſummo Pontifici, qui etiam cenſuram ac reſponſum de ijſdem dedit. Ex quo reſponſo liquet, prædictos libros neutiquam fuiſſe opus Caroli M. Imperatoris, ſed plurium hæreticorum, qui ad incudem ſuæ pravæ voluntatis & damnatæ doctrinæ illud fabricârunt. Nam inter alia Adrianus in refutatione c. 56. ita loquitur ad Carolum M. Imperatorem: *Ecce ipſum unum tenorem in hoc particulari ſæpius referunt*; nempe illi, qui libros hoſce ſcripſerunt, Diſcipuli ſcilicet Severi Epiſcopi Maſſilienſis Iconomachi. Et poſtea: *De verò veſtra protectiſſima à Deo excellentia, orthodoxæ fidei ſtabilitate roborata freti exiſtimus; quia radix ejus firmiſſima à pravis & infidelibus hominibus nuſquam concutitur & movetur.* Ecce Adriani Papæ judicio Carolus M. Imperator ita firmus eſt in fide Romano-Catholilca, ut non tam citò & facilè per talia hæretica ſcripta ſeducatur. Quomodo ergo eorundem Auctor vel Approbator fuerit? videri poteſt Jacob Keller in Antiquo Papatu Tom. 2. à fol. 242. Ubi pluribus demonſtrat, nec Synodum VII. Generalem Niceæ celebratam à Concilio Francfortienſi ſub Carolo M. damnatam, nec Libros Carolinos fuiſſe ejuſdem Imperatoris. Item Nicolaus Schaten in Lib. ſupra citato, cujus titulus: Carolus M. à fol. 595.

XXIX. Reſpondetur 3. *Ad argumenta ex Ratione deſumpta. Ad 1.* Imaginem non honorari propter ſe, & abſolutè, ſed propter prototypon adeóque reſpective. Inſtat Ameſius fol. 263. ſi imago non debet honorari propter ſe, tum non quia eſt imago; Si non, quia eſt imago, tum non relativè; etenim quà talis eſt reſpectiva. Reſpondeo, falſum eſſe priorem hypotheticam; cum vox imago diverſimodè ſumatur; primò ſecundùm inadæquatum: deinde ſecundùm adæquatum ſuum conceptum; nam imago cum ſit relativa, duo importat, fundamentum & terminum. Licet ergo honoris capax non ſit, quatenus ſolùm dicit fundamentum: eſt tamen quatenus cum termino ſuo ſumitur; ſic Legatus Principis non honoratur propter ſe, ſed propter principem, quem repreſentat. Ex quo tamen inferri non poteſt, Legatum non honorari, quia Legatus eſt; ideo enim ipſe honoratur, ut per ipſum honor in Principem transferatur. *Ad 2.* Ad honorem non requiri phyſicam objecti excellentiam, ſed ſufficere moralem ex communi hominum æſtimatione ortum. Nam aliàs nec Magiſtratus, nec Doctores forent honorandi, cum nec Juriſdictio in Magiſtratibus, nec Gradus Accademicus in Doctoribus aliquid phyſicum importet. Sufficit ergo moralis excellentia ex reſpectu exemplaris nata; ut patet ex eo, quod ſupra §. V. de Imperatore Theodoſio injuriam imagini ſuæ factam ulciſcente diximus. *Ad 3.* Deum in Sanctis & Hominibus coli poſſe, veluti in ſua creatura, & quidem cultu Latriæ. Verùm licet hic cultus, uti etiam in alijs rebus creatis per ſe & ex natura ſua non ſit illicitus, moraliter tamen & regulariter non eſt adhibendus, uti bene Tanner D. 5. q. 2. cit. n. 6. periculum enim foret, ne v. g. homo per ſe coli videretur; quia etiam propter ſe homo eſt capax honoris.

XXX. *Error ſecundus* eſt: Nullam SS. Trinitatis, Chriſti, & Crucis imaginem Dei eſſe pingendam, honorandam: & idololatras eſſe, qui iſtud faciunt. Ita ſingulariter Calviniſtæ ex ſuo Pſeudo-magiſtro L. 5. Inſtit. cap. 11. qui inde nos idololatriæ peculiariter incuſant. Ita Calvinus loc. cit. ſcribit de Catholicis: *tantùm abeſt, ut ab illorum* (Gentilium) *idololatria cauſam ſuam ſejungant &c. dum ſymbola, quibus Deum ſibi figurant, & ſuo ingenio ſibi comminiſcuntur, & ſuis manibus confingunt &c.* Beza in colloquio Mompelgartenſi auſus eſt dicere: *fateor me ex animo Crucifixi imaginem deteſtari.* horrenda blaſphemia! Paræus in epiſt. ad Rom. dub. 18. diſertè ſcribit: *Omnes eſſe idololatras, qui tuentur imaginem Chriſti non minùs, quàm qui colunt imagines ſerpentum, & aliarum beſtiarum.* His adſtipulantur moderni cæteri Calviniſtæ Molinæus in Neopap. à fol. 60. Ameſius contra Bellarm. Tom. 2. L. 6. c. 5. & 6. &c. Probant. 1. Vadiani, ſive Audiani pinxerunt Deum in humana forma, ut teſtatur Nicephorus L. 18. c. 53. quod Gregorins II. in epiſt. apud Baronium anno Chriſt 716. relata, damnavit, quamvis in margine ſubjungat, *hanc regulam in Eccleſia non amplius obſervari.* 2. Irenæus L. 1. c. 24. reprehendit Gnoſticos propter aliquas imagines Chriſti à Pilato, ut ajebant, factas. 3. Auguſtinus L. 1. de Confeſ. Evang. cap. 10. ſcribit: *Sic omnino errare potuerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos non in Sacris codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt.* 4. Ezechias Rex ſerpentem æneum confregit. 4. Reg. 18. v. 4. Ergo & imago Chriſti confringenda eſt. 5. Exterior pictura DEI & Chriſti facilè homines ſimpliciores ac rudes in errorem inducit, ut credant Deum attributis membris conſtare, Chriſtum purum hominem eſſe &c.

XXXI. Contra errorem iſtum ſuperiùs jam diximus, imagines ipſius Dei ac SS. Trinitatis rectè conſtrui, & ad cultum ac venerationem proponi. Nam quod Sacra Scriptura Deo tribuit, id homo etiam de DEO concipere ac pingere poteſt. Atqui Sac. Script. attribuit DEO Oculos Pſal. 10. v. 5. Aures Pſal. 5. v. 2. Faciem Pſal. 50. v. 1. Manus Pſal. 144. v. 16. Pedes Pſal. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus &c.* Quod autem Calviniſtæ adeo oderint imagines Dei, SS. Trinitatis, Chriſti, ac S. Crucis mirum minimè eſt, diaboli nihil etiam magis oderunt, quàm DEUM Trinum & unum, ac Sanctiſſimam Chriſti Crucem. Pro ſolutione argumentorum notandum ex Bellarmino L. 2. de Imag. c. 8. tribus modis poſſe aliquid pingi. 1. ad exprimendum perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ rei ipſius; & hoc modo res corporeæ ſolùm pinguntur, quæ lineamentis & corporibus præditæ ſunt, & ſi quis hoc modo Deum pingeret, verum idolum conſtrueret, 2. ad hiſtoriam aliquam exprimendam, quâ ratione, ſi quis pingere vellet expulſionem Adami ex paradiſo, proponeret Deum in forma hominis ambulantem, Adam verò & Evam inter arbores ſe occultantes, ac demum Angelum in forma adoleſcentis gladium geſtantem in manu atque Adamum cum conjuge ſua expellentem. Et hoc modo qui pingeret, non vellet repræſentare ipſam DEI vel Angeli naturam, ſed ſolùm

penicillo

penicillo per picturam exhibere oculis id, quod alius exhibet voce auribus, recitando Sacram Scripturam, atque hoc modo Deus pingi poteſt. 3. Pingi aliquid poteſt extra hiſtoriam ad explicandam Naturam rei non per immediatam & propriam ſimilitudinem, ſed per analogiam, ſive metaphoricas myſticáſque ſignificationes; quemadmodùm pingimus Angelos veluti formoſos pueros, nudis pedibus &c. ad ſignificandum, eos ſemper viribus pollere, moveri celerrimè, ſplendore gratiæ & virtutum præditos. item Chriſtum in forma Ovis, & Leonis, ad ſignificandum in illa manſuetudinem, in hoc fortitudinem illius, Hic tamen pictorum reſtringenda eſt licentia, ne limites rectæ rationis excedant, & pro libitu ſuo, neſcio, quæ monſtra fingant, quæ hæreticis occaſionem riſûs & contemptûs præbeant. hoc notato.

XXXII. Reſpondetur. *Ad 1.* Vadiani ſtolidè ſibi perſuaſerunt, Deum habere verum corpus, & per ſe eſſe formatum inſtar hominis. Jacobitæ etiam antiqui hæretici in Armenia, quorum meminit Nicephorus loc. cit. putârunt divinam Naturam eſſe commixtam cum humanâ, & ita ſimul crucifixam; & quia etiam credebant tres perſonas in una natura, conceſſerunt Patrem quoque & Spiritum Sanctum eſſe crucifixos. Conſtruxerunt igitur tres cruces, eaſque vocarunt Imagines Trinitatis. Gregorius II. Papa in epiſt. ad Leonem Iſauricum damnat meritò omnes tales abuſus, hoc eſt, imagines, quibus ipſa Dei ac Sanctiſſimæ Trinitatis Natura in ſe & veriſſimè exprimatur; non autem idem Papa reijcit imagines Deum ac Sanctiſſimam Trinitatem metaphoricè ſolùm repræſentantes, quæ etiam tunc temporis nondum in uſu fuerunt, ut ſumitur ex Baronio loc. cit. cujus hæc ſunt verba: *Poſtea uſu venit ut pingatur in Eccleſia Dei Deus Pater & Spiritus Sanctus, non quod ſub aſpectum cadant, ſed, uti apparuiſſe in divinis ſcripturis leguntur ſub forma Senioris, & ſub imagine columbæ; quod enim deſcribitur, idem & pingitur, cum ſit eadem ratio utriuſque, ſtili nimirum & penicilli.* Ita Baronius. Ex quibus manifeſtè apparet contra Petrum Molinæum fol. 60. falſum eſſe 1. Vadianos & Jacobitas eandem nobiſcum habuiſſe doctrinam de Imaginibus. 2. Gregorium II. Papam damnaſſe uſum imaginum, quia Deus ac SS. Trinitas impropriè ſolùm & metaphoricè pinguntur. 3. Cardin. Baronium aſſerere, regulam, ex qua Gregorius Imaginum uſum damnavit, non eſſe amplius in uſu, cum nec verbum de hoc reperiatur. Ad 2. Irenæus reprehendit Gnoſticos, non quod imaginem Chriſti habuerint, ſed quod iſtam imaginibus Ethnicorum Philoſophorum Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis &c. adjunxerint, quaſi illis parem, omnéſque ſimul clam eodem gentili cultu honoraverint, ut teſtatur Epiphanius hæreſi 27. quod ipſum etiam confirmat S. Auguſtinus in catalogo hæreſ. n. 7. loquens de Marcellina hæretica fæmina, quæ hoc etiam faciebat.

XXXIII. *Ad 3.* D. Auguſtinum agere contra illos, qui Eccleſiam Chriſtianam & Sacra Evangelia (quia à Chriſto non fuerunt ſcripta) reijcientes impiè ſparſerunt, Chriſtum Libros magicos, quibus prodigia operatus fuerit, in forma epiſtolarum ad Petrum & Paulum familiares ſuos miſiſſe; Ideo autem eos cenſuerunt familiares Chriſti Diſcipulos. tum quia in multis locis viderant imagines Chriſti, in quibus etiam Petrus & Paulus erant depicti. tum quia ijdem Apoſtoli Romæ etiam propter ſua merita & mortem, quam ibidem eodem die ſubjerunt, valdè fuerunt celebrati. Hoſce S. Pater arguit erroris, & ait: *Si Sacris Evangelijs, Actibus Apoſtolorum, & cæteris Sacris Scripturis credidiſſent, futurum fuiſſe, ut per imagines pictas non ita deciperentur, nec in eam ruerent opinionem, quaſi Paulus è familiaribus Chriſti in terra adhuc degentis diſcipulis fuiſſet, cum ex Actis Apoſt. c. 9. apertè conſtet illum poſt aſcenſionem Chriſti primùm fuiſſe converſum.* Itaque S. Auguſt. non damnat imagines, ſed pictorum errores, quibus non ſemper fidendnm. *Ad 4.* negando conſequentiam, quæ verè eſt Calviniſtica & non valet. Nam ſerpens, ceſſante fine, propter quem erat factus, cepit eſſe occaſio idololatriæ 4. Reg. 18. v. 4. & ex hoc etiam capite debuit confringi; imago autem Chriſti non eſt occaſio idololatriæ apud nos Catholicos, cum non alium ob finem eam retineamus, quàm ut nobis Chriſtum Salvatorem & beneficia ejus repræſentet. *Ad 5.* Nunquid ex magnitudine & excellentia Solis & Lunæ Gentes occaſionem ſumpſerunt illa aſtra colendi? & tamen Deus iſta creavit ob bonum finem, & homines illa licitè videre poſſunt, non autem ijſdem abuti. Item nunquid ex verbis Sac. Scripturæ oculos, manus pedes Deo tribuentis in errorem aliqui induci poſſent? & tamen placuit Spiritui Sancto in prædictum modum in Sac. Scriptura Deum deſcribere: Quare non erit etiam per ſe illicitum, Deum ſic depingi; præſertim ſi populus ſedulò inſtruatur, quod Deus non juxta naturam ſuam, ſed tantùm metamorphoricè ſic exprimatur, ut ejus memoria & beneficia ſumma ſæpius mentibus hominum objiciantur; fieri autem inſtructionem illam, indicant iſti verſus paſſim noti & tempore concilij Nicæni compoſiti.

Nam Deus eſt, quod imago docet; ſed non Deus ipſa
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa

Et clarius in his:

Effigiem Chriſti, cum tranſis, ſemper honora
Non tamen effigiem, ſed quem deſignat, adora.

XXXIV. *Error tertius eſt,* imaginem Chriſti & Sanctorum per ſe directè coli non poſſe abſque idololatria. Ita iterum moderni Sectarij, è quibus Ameſius fol. 236. confeſſionem idololatriæ vocat iſtam aſſertionem Bellarmini L. 2. c. 21. *Imagines per ſe coli poſſe.* Jacob Hailbrunner in Papatu non Cathol. fol. 248. hoc ipſum eidem imputat, ut alios Calviniſtas & Lutheranos taceam. Probant 1. ex Vaſquez, qui D. 108. in 3. part. D. Thomæ ait, *ſtultitiæ vel idololatriæ inſimulari poſſe, qui imaginem per ſe veneratur.* 2. quod hâc ratione idololatria cum Gentilibus introducatur. 3. creatura irrationalis non poteſt eſſe objectum cultûs, ita ſaltem, ut interior affectus ſubmiſſionis ad eam referatur, cum non poſſit apprehendi, ut ſuperior & injuriæ capax. 4. Concilia illum duntaxat cultum imaginum aſſerunt, quo in imagine directè colitur exemplar. 5. Speciatim S. Baſilius Lib. de Spiritu Sanct. c. 18. *unam, ait, eſſe glorificationem imaginis & exemplaris;* quod teſtimonium recitatur in VII. Synodo Act. 4. & ex illo Joannes Presbyter infert: *Unde B. Pater judicavit, non eſſe duas adorationes, ſed unam ipſius imaginis & exemplaris.*

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. Errorem hunc ſolis hæreticis adſcribimus, quatenus idololatriam vocant cultum imaginum directum ex pravâ perſuaſione, nullum cultum religioſum deberi imaginibus. Ex Catholicis enim, ſi qui directum cultum imaginibus negant, faciunt ad abſque cenſura, vel in alio prorſus ſenſu, quàm à nobis aſſeritur, ut videbimus. Itaque Reſpondeo ad 1. Vaſquezium loqui de imagine in ſe & per ſe nudiſſimè ſpectatâ, ut eſt ex tali materia & formâ; quomodo adorare illam, utique idololatria eſt. At verò nos non ita præcisè accipimus imagines, quando aſſerimus, illas directè coli poſſe, uti nobis Ameſius, Hailbrunner, & alij Sectarij falsò imponunt, ſed ſemper ſumimus illas etiam ſeparatim ſpectatas cum habitudine ad prototypon. Ad 2. hanc eſſe veterum Iconomachorum calumniam ad quam Tharaſius in Synodo VII. Act. 2. ait: *oportere impuras verborum vanitates reſpuere &c.* quid autem impurius ac vanoloquentius, quàm Chriſtianos dicere idololatriæ ſtudioſos &c. nempe quia manifeſtum eſt, maximum eſſe diſcrimen inter cultum imaginum Chriſtianis conſuetum, & inter idololatriam Gentilium; quemadmodum enim iſti ſemper adoraverunt aurum, argentum & id, quod non eſt Deus, ita nos nihil adoramus, niſi verum Deum, nihil colimus, niſi Sanctos Dei Amicos, & nulli rei qualemcunque cultum attribuimus, niſi propter Deum, & propter Sanctos DEI Amicos, ut ex hactenus dictis liquet. Ad 3. negando. Nam imago capax eſt honoris & injuriæ atque apprehendi à nobis poteſt, ut ſuperior & excellentior ratione Sanctitatis, quam ſuo modo participat; unde actus etiam honoris rationem non habet, niſi prout iſtam itidem à prototypo deſumit. Ad 4. Concilia rectè aſſerere illum cultum, quo imagines directè coluntur propter exemplaria; quia iſte fuit ſcopus contra Iconomachos; interea autem non negârunt alium adorationis modum; certè in contrarium nihil prorſus ex illis afferri poteſt. Ad 5. denique genuinum ſenſum eſſe, non quod nullus cultus eſſe poſſit imaginis, niſi quo ſimul directè etiam prototypon colatur; ſed quia nunquam coli ita poteſt imago, quin ſaltem indirectè ſimul exemplar colatur; unde veriſſimum eſt, quod *ſit glorificatio*, quod *non duæ ſint adorationes*; quia, ut ait Ariſtoteles, *ubi unum eſt propter aliud, ibi eſt unum tantùm.*

CONTROVERS. XLIV.

DE CULTU RELIQUIARUM.

NOmine Reliquiarum non tantùm intelliguntur corpora Sanctorum, vel partes eorum, ſed etiam veſtes, baculi, coronæ, & alia eorum uſu vel attactu ſacrata, ut inſtrumenta Martyrij, cruces, gladij, funes &c. per quæ glorioſum martyrium ſubjerunt, & amore Chriſti paſſi fuerunt.

***

IHS.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Reliquiæ Sanctorum cultu & honore dignæ ſunt. Ita Catholica Fides, quæ clarè proponitur à Concilio Trident. Seſſ. 25. Statim poſt initium his verbis: *Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritûs Sancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur. Ita ut affirmantes Sanctorum Reliquijs venerationem & honorem non deberi, vel eas aliáque Sacra monumenta à Fidelibus inutiliter honorari, atq; eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memorias fruſtra frequentari, omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Probatur 1. Ex *Sac. Scriptura.* 4. Reg. c. 13. v. 20. refertur, *hominem mortuum, cum projectus eſſet in ſepulchrum Eliſæi Prophetæ, & tetigiſſet oſſa ejus, revixiſſe & ſtetiſſe ſubitò ſuper pedes ſuos.* Actor. 5. v. 15. dicitur *D. Petri umbra ſaluti fuiſſe ægris*: item *ſudaria & ſemicinctia* D. Pauli Act. 19. v. 12. Quod ſi res externæ ſanctis adhærentes iſtud potuerunt, & propterea magnâ contentione à Chriſtianis quæſitæ fuerunt, cur non potius eorum oſſa & reliquiæ? unde præclarè D. Chryſoſt. Serm. 33. de virtutibus & vitijs ait: *Sicut virtus erat in veſte Pauli, & umbra Petri ad ſanandum ægros, ita in Sanctorum cineribus ad expellendum dæmones,* Pſal. 98. v. 5. *adorate ſcabellum pedum ejus*, id eſt, Arcæ, cui Deus propitiatorio inſidens pedes imponere videbatur, & propterea vocabatur *ſcabellum pedum ejus*. 1. Paralipom. 28. v. 2. Si autem ſcabellum pedum DEI adorandum eſt, cur non etiam aliæ reliquiæ, quas Deus ſuo tactu ſanctificavit, cum in terris eſſet. Exodi 13. v. 19. Moyſes ex Ægypto diſceſſurus honorificè ſecum aſportavit *oſſa Joſephi*. Et Actorum 8. v. 2. Stephanum poſt martyrium *curaverunt viri timorati*. Si autem Joſephi oſſa, & Stephani corpus ita curâ & honore affecta ſint, cur non aliorum etiam Martyrum & Sanctorum DEI Amicorum oſſa & corpora honorari poſſint? Certè ex Moyſis exemplo circa oſſa Joſephi infert Reliquiarum cultum S. Hieronymus in epiſt. ad Ripar. adverſus Vigilantium. Et de cura circa S. Stephanum ſic ſcribit Pius Papa antiquiſſimus Martyr ad Juſtum Epiſcopum Viennenſem: *Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, ſicuti membra DEI, quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum.*

II. Probatur 2. *Ex perpetuâ Praxi & Traditione Eccleſiæ*, Nam nullum tempus aſſignari poteſt, quo primùm cœperit hic cultus Reliquiarum. De Principibus Apoſtlorum Petro & Paula ſcribit D. Gregor. L. 3. epiſt. 30. poſt medium. *Fideles Orientis eo ipſo tempore, quo illi paſſi fuerunt, veniſſe Romam, & eorundem tanquam civium ſuorum reliquias poſtulaſſe. Verùm ubi eas extra urbem ad duo milliaria detuliſſent, divino fuiſſe miraculo prohibitos ne ulterius deferrent, adeo ut Fideles Romani eas tandem opitulante Deo receperint &* (uti addit Gregorius) *eo ipſo loco, ubi ipſius Gregorij tempore viſebantur, collocârint.* S. Oneſimi S. Pauli diſcipuli reliquias Româ Epheſum fuiſſe tranſlatas legitur in martyrologio Rom. 15. Febr. de S.

Digitized by Google

penſo, quantum corpora penderent, ſed faviſſe patriæ licet ingratæ Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves ſe præſtitiſſe, ut ex auro corrogato triens ſufficeret. Sed quid opus talia referre, cum pleni ſint miraculorum libri; quotidiana etiam experientia idipſum apud Sanctorum tumulos varijs in locis per univerſum orbem docet; quot ibi tabulæ, quot picturæ, quot anathemata videntur: tot argumenta receptarum ſanitatum, & aliorum beneficiorum meritis & interventu Sanctorum ad eorum Reliquias habentur. Unde jure meritiſſimo S. Damaſcenus L. 4. de orthodoxa fide c. 1. Sacras iſtas Reliquias vocavit *Fontes ſalutiferos, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuaviſſimúmque unguentum profluit.* Si igitur Deus adeo glorificare voluit Sanctos ſuos, & ad præſentiam illorum tot miracula perpetrare, an non hocipſo vult, ut & nos veneremur eoſdem?

VI. Probatur denique 6. Ratione. Tum quia Sanctorum Corpora fuerunt organa Spiritûs S. viva & voluntaria, in quibus & per quæ mirabiliter aperatus eſt: fuerunt ejus habitaculum, & eidem S. Spiritui ipſique Deo fideliſſimè ſervierunt. Tum quia habent relationem ad compartes ſuas Animas iam glorificatas, & in Cœlo poſitas, & hæ obtutum figunt in illa ſuo tempore reaſſumenda, ut ſicut olim in tribulatione, ita tunc in gaudio ſe mutuò comitentur. Cur ergo, ſicut Animæ jam glorificantur in cœlo, ita Corpora non honorificè habeantur in terra? Tum denique quia tali honore, quem Sanctis pro meritis eorum impendimus, nos ipſos admonemus ad inſiſtendum veſtigijs eorum, & imitanda heroica ipſorum facta. Nam dum eorum honorem intuemur, cogitare incipimus: Ecce iſti homines fuerunt varijs, ſicuti nos miſerijs ſubjecti, & tamen Deo auxiliante ad tantam Sanctitatem pervenerunt. Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? an verò iſti hoc in ſe potuerunt, & non potius in Domino Deo ſuo?

VII. *Doctrina Secunda.* Vera Crux, in quâ Chriſtus pependit, aliæque Reliquiæ tanquam res ſacræ poſſunt etiam per ſe, ac ſeorſim aliquo modo coli, & adorari, non adorato directè exemplari, ſeu perſonâ illa ad quam pertinent. Jta Adamus Tanner Tom. 3. d. 5. q. 2. n. 115. ubi 30. prope Authores pro hac ſententia affert, quibus meritò iungitur D. Thomas tum alibi, tum 22. q. 99. a. 1. & 3. ubi ait. *Ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultuus Dei, efficitur quoddam divinum, & ſic ei quadam reverentia debetur, quæ refertur in Deum.* Et inferius addit: *in eiuſmodi rebus Perſonas Sanctorum quodammodo venerari &c.* quæ ultima verba apertè indicant, eum loqui de honore, quo Deus ipſe & Sancti directè non coluntur. Probatur doctrina noſtra. Tum ex S. Scriptura. Ad Philippens. 2. v. 10. *Jn nomine JESU omne genu flectatur.* quod de ipſo etiam Nomine, non tantùm de ipſa re ſignificatâ ex communi quaſi fidelium ſenſu accipiendum eſſe bene notat Abulenſis in c. 20. Exodi q. 5. & 7. Tum ex Concilio Trident. Seſſ: 25. cit. ajente *Sanctorum Corpora, quæ viva fuerunt membra Chriſti, & templum ſpiritûs Sancti, veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur &c.* ubi loquitur planè de veneratione diſtincta ab ea, quâ directè coluntur ipſi Sancti, ſicut & ratio colendi diverſa aſſignatur. Tum ex communi Eccleſiæ praxi; videmus enim Reliquias, vaſa, & alias res ſacras inanimas frequenter ita coli, ut bene advertit Bellarm. L. 2. de Jmag. c. 21. ubi ait. *omnium ſenſu Evangelia ac Sacra vaſa per ſe ac propriè coli.* Tum quia res Sacra quà talis, poteſt aliquo convenienti modo coli ſeu adorari, ut conſtat. Reliquiæ & cætera, de quibus loquimur, ſunt res ſacræ (Sanctitate morali, & juxta humanam æſtimationem.) ratione habitudinis ad prototypon ſeu Perſonas, quas concernunt, etiamſi iſtæ cum alijs directè non apprehendantur. Ergo &c. Tum denique quia omni rei aliquo modo apprehenſæ, ut ſuperori, licet aliquo convenienti modo ſe ſubmitere. Atqui res ejuſmodi ſacræ, etiam ut diſtinguuntur à Perſonis, quas concernunt, poſſunt aliquomodo apprehendi ab homine, ut ſuperiores & excellentiores. Ergo &c. Maj. eſt evidens, cum utique per actum liceat homini ſuam de re aliqua æſtimationem veram, quam habet, conteſtari. Minor. Prob. quia ſi conſideremus res ejuſmodi non ſecundùm eſſe abſolutum, ſed ſecundùm habitudinem repræſentationis partis, inſtrumenti &c. jam hoc ipſo induunt aliquam rationem Sanctitatis, ut ſuperius ex D. Thoma retulimus; quâ ratione præcisè quiſque meritò in hac vita (ſaltem conſiderendo ſe ipſum, uti verè eſt, peccatorem) poteſt ſe inferiorem exiſtimare.

VIII. *Doctrina tertia* Ad cavendos errores falſarum reliquiarum, qui vel ex nequitia hominum interdum accidunt, vel ex errore aut ignorantia contingunt, ſtatutum eſt in Concil. Lateranenſi can. 61. Et in Trident Seſſ: 25. ut nullæ novæ Reliquiæ ſine approbatione Eccleſiaſticæ poteſtatis, publicæ venerationi exponantur hoc diſcrimine; ut ſi Reliquiæ ſint alicujus Sancti nondum canonizati, res ad Pontificem deferatur, cujus eſt canonizare: Si verò alicujus Sancti antiqui pridem Canonizati, ſed recèns inventæ, Epiſcopus cum viris doctris dijudicet. Quâ cautelâ adhibitâ Deus non facilè permittet fideles decipi falſis Reliquijs. Unde refert Sozomenus. L. 5. c. 8. Mulierem Chriſtianam oſſa Martyrum, quæ Gentiles camelorum & aſinorum oſſibus permiſcuerant, revelante DEO, diſcreviſſe.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XI. Error primus. Crucem Chriſti non eſſe venerabilem. Jta inimici crucis Judæi, Gentiles, Mahometani: Ex Hæreticis, Petrobruſſiani, Wicleffiſtæ, & Calviniſtæ cum ſuo Magiſtro L. 1. Jnſtit. c. 11. §. 7. ac Lutherani, qui licet non perinde ac priores crucem abominentur, evertant, & confringant, ei tamen cultum, quem S. Cruci Nos tribuimus, veluti ſuperſtitioſum negant, adhærentes ſuo Magiſtro Lib. de formula Miſſæ ſic ajente. *Feſta Sanctæ Crucis anathema ſunto. Moventur.* Tum quia crux dolorem & ignominiam attulit Chriſto, Tum quia filius non amat, aut honorat patibulum, in quo Pater ejus fuit ſuſpenſus. Tum quia hoſtes Chriſti

Digitized by Google

gaudebant de morte Chriſti, non amici qui lugebant. Tum quia ſi omnes cruces colendæ ſint, quia Chriſtus in cruce pependit, cur non etiam omnia præſepia, ſepulchra, columnæ, clavi, ſpinæ, imò aſini, quia Chriſtus aſino vectus eſt? Tum quia ſuperſtitio eſt, characteribus tribuere virtutem. Ita Ameſius Tom. 2. à fol. 267.

X. Error iſte ſemper Judæorum, Gentilium Turcarum fuit proprius; eundem Chriſtianos ad ſe traxiſſe, res planè pudore ac dolore pleniſſima eſt. Nam ab ipſo exordio Eccleſiæ, dum odio Gentilium & Judæorum Crux Chriſti latebat, Chriſtiani uſi ſunt imagine Crucis, ſive in materiâ ſtabili, ut ligno, lapide &c. ſive in ſigno manu formato in aëre, idque pluribus ex cauſis. 1. ut repræſentet Chriſtum Crucifixum. 2. ut in ſignum Chriſtianæ profeſſionis uſurparetur; & ideo Cruces erigebantur vel in proceſſionibus præferebantur, vel in fronte figurabantur, & fideles ſe in Cruce Chriſti gloriari profitebantur. 3. ſignabant ſe ſigno Crucis contra dæmonem. 4. pro obtinenda à Deo benedictione in operibus ſuis per merita Chriſti. 5. etiam in benedictionibus Sacris eadem de cauſa uſus ſigni Crucis erat. Poſtquam autem anno Domini 325: imperij Conſtantini 16. Helena Conſtantini Mater divinis monita viſionibus Beatiſſimæ Crucis Lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Jeroſolymam reperit, tantâ in veneratione Lignum habitum fuit, ut teſte S. Chryſoſtomo Hom. quod Chriſtus ſit Deus, qui parum ex illo habere poterant, auro includerent, & cervicibus imponerent, nempe veluti rem ſummâ admiratione & veneratione dignam. Nam ut Damaſc. L. 4. orthod. fid. c. 12. ſcribit, *hoc ingentis pretij Lignum ac venerandum, in quo Chriſtus ſe ipſum ſacrificij causâ pro nobis obtulit, ut ex Sancto Corporis & ſanguinis contactu ſanctificatum, optimo jure adorari debet.* Similia habent alij Patres Græci & Latini copioſè adducti apud Vetweis in Specul. Eccleſiæ fol. 288. qui omnes prædictis Crucis Chriſti inimicis adverſantur, & diabolicum ipſorum errorem deteſtantur. Pro ſolutione cavillorum potius, quàm argumentorum.

XI. Advertendum. Crucis conſiderationem poſſe eſſe triplicem; vel ut ipſa Crux, in qua Chriſtus pependit, ſpectetur: vel ut imago prædictam Crucem in lingno aut lapide repræſentans attendatur: vel ut pro ſigno Crucis manu in aëre aut fronte formato ſumatur. Porro ipſa Sancta Crux conſiderari poteſt vel quatenus attigit Chriſtum, & ejus ſanguine perfuſa eſt, quo modo inter ſacras reliquias præcipua reputatur: vel quatenus eſt imago Chriſti Domini Crucifixi, ſeu prout repræſentat Chriſtum Dominnm per modum Crucis in ipſa extenſum, quo modo dicitur Imago Chriſti. Rurſum ſpectari eadem Crux poteſt, 1. ut in opprobrium præparata fuit à Judæis juxta illud Sapient. 2. v. 20. *morte turpiſſimâ condemnemus eum.* Et ſic utique non eſt honoranda. 2. ut ex Dei electione & intentione fuit inſtrumentum redemptionis humanæ, per quod nos Chriſtus liberaret, & in quo veluti Altari de hoſtibus, diabolo, & peccatis triumpharet Sanctiſſimo ſuo Corpore illud tangens, & Sanguine perfundens; quo modo tam ipſam Crucem, quàm omnes ejus particulas, tanquam Sacratiſſimas Chriſti reliquias veneramur, & in illa gloriamur cum Apoſtolo ad Galat. 6, v. 14. *mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti.* Nunc.

XII. Reſpond. *ad 1.* Concedendo, attuliſſe Crucem Chriſto dolorem, ſed non tantùm, verùm & gloriam, atque exaltationem juxta illud ad Philipp. 2. v. 8. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod* (non conſecutivè, ut hæretici volunt, ſed cauſaliter ut Patres exponunt) *& Deus exaltavit illum &c.* nempe Cruci veluti currui triumphali dæmonem affigendo, ut ex Origine bene notat Cornelius à Lapide in cit. loc. *Ad 2.* verum eſſe, ſi pater culpâ ſuâ & invitus fuerit ſuſpenſus: at ſi innocens, & poſt ſuſpenſionem miraculorum gloriâ fulgeat in teſtimonium innocentiæ; cur lignum illud patrem repræſentans à pio filio honorari nequeat? Sic ergo hic ſentiendum, cum præſertim Chriſtus omne maledictum à cruce abſtulerit, & omnem ei gloriam ſuper omnia ligna in orbe contulerit. Unde etiam Conſtantinus poſt repertam miraculosè Crucem ab Helena Matre ſuâ, legem ſancivit, *ne Crux cuiquam deinceps ad ſupplicium adhiberetur;* à quo res, quæ ante hominibus probro ac ludibrio fuerat, venerationi ac gloriæ eſſe cepit. *Ad 3.* Hoſtes gaudere de Cruce & Paſſione Chriſti ob cruciatus & ignominiam eidem illatam: Amicos verò gaudere ob honorem & gloriam, quæ inde copioſiſſimè ad Chriſtum promanavit: item ob ingentia commoda, quibus Chriſti Crux totam Univerſitatem cummulavit. Nam, ut pulchrè Leo Papa de Paſſione ait: *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus dantur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

XIII. *Ad 4.* Omnes cruces eſſe imagines primævæ illius Crucis, & Chriſti in ea extenſi; præſepia verò, Sepulchra, columnas, clavos &c. non eſſe imagines præſepis, Sepulchri &c. Chriſti. Rationem dat S. Auguſt. L. 83. Quæſtionum Q. 73. quia ad imaginem non ſufficit ſimilitudo naturæ vel artis, ſed inſuper neceſſum eſt, ut imitatione quâdam unum ex altero repræſentationis causâ exprimatur. Hoc autem fit in crucibus, ſecus in præſepibus, ſepulchris &c. quippe Chriſtiani univerſim nec præſepia, nec ſepulchra fieri curant, ut per hæc præciſè repræſentent præſepe & ſepulchrum Chriſti; cum tamen apud eoſdem cruces non habeant alium uſum præter prædictam repræſentationem Crucis primævæ & expanſi in ea Chriſti Salvatoris. Ad id quod adjectum fuit de aſino reſpondet D. Athanaſ. Lib. quæſt. ad Antioch. q. 15. hiſce verbis: *Non per aſinum Chriſtus diabolum & peccatum devicit, neq; in eo ſalutem operatus eſt, ſed in Cruce; unde aſinum quidem ſi viderint dæmones, non horrent, neque metuunt: videntes verò Crucem terrentur, fugiunt, & evaneſcunt.* Ecce reſponſum Sanctiſſimi & antiquiſſimi Patris ad calumniam noſtrorum Sectariorum; quos certè minùs honoraveris, quàm ipſum Aſinum Chriſti. *Ad 5.* diſtinguendo; quam neque naturaliter neque ſupernaturaliter habent, conceditur: ſecus negatur; quamvis autem Crux ex ſe non habeat virtutem operandi mirabilia, habet tamen eandem ordinatione Chriſti, idque tum merito operantis eo modo, quo habet oratio; ſiquidem ſignum Crucis eſt quædam invocatio meritorum Chriſti, tum ex opere operato, cum etiam Judæi & Pagani more Chriſtianorum ſigno ſe Crucis munien-

munientes dæmones fugarint, teſte Gregorio Nacianzeno orat. 1. in Julian. Quia verò non habet effectum infallibilem, nec confert per ſe gratiam Sanctificantē, ideo Crux non erit Sacramentum.

XIV. *Error ſecundus.* Corpora Sanctorum ſepelienda, & in Sepulchris relinquenda eſſe, atque hunc unicum eis cultum convenire. Ita paſſim Calviniſtæ & Lutherani, ac nominatim ex his Meno Hanneken in ſuo Irenico fol 545. Probant 1. ex S. Script. Genes. 3. v. 19. *pulvis es & in pulverem reverteris.* Ergo corpora mortuorum debent in terram defodi, donec putreſcant, idque ex voluntate Dei, quæ indicatur Eccles. 38. v. 16. *Filij, in mortuum produc lacrymas, & ſecundùm judicium* (id eſt decenti more) *contege corpus illius.* Chriſtus etiam Joan. 5. v. 28. dicit. *omnes, qui in monumento ſunt, audient vocem Filij Dei.* 2. ab exemplis Antiquorum veteris Teſtamenti. Sic Abraham Gen. 23. v. 19. *ſepelivit Saram uxorem ſuam.* Sic Iſaac & Iſmaël *Abrahamum* c. 25 v. 9. ſic Iacob & Eſau *Iſaacum* ibidem c. 35. v. 29. ſic Moyſes Exod. 13. v. 19. *tulit ſecum oſſa Joſeph ex Ægypto iterúmque hæc terra mandârunt Filij Iſraël in Sichem* Joſue 34. v. 32. Atque ſic de alijs. 3. Ab exemplis primorum Chriſtianorum, qui præcipuis Sanctis Joanni Baptiſtæ, & Stephano nullum alium honorem exhibuerunt: quàm Sepulturam Matth. 14. v. 10. Actor. 8. v. 2. 4. ex Concilijs & Patribus. in Concilio Moguntino ſub Carolo M. anno 813. can. 51. prohibetur translatio corporum de loco in locum S. Cyrillus Alexandrinus L. 10. contra Julian. ait, *Sanctorum reliquias non circumferendas, ſed in ſinu Matris & profundis terræ collocandas.* S. Hieronymus licet contra Vigilantium Barcinonenſis Eccleſiæ presbyterum acriter ſcribat, fatetur tamen, reliquias Martyrum non eſſe adorandas.

XV. Error iſte multa abſurda complectitur. 1. Sanctum Ambroſium malè feciſſe, quod licet divino monitu edoctus fuiſſet, ubinam ſepulta jacerent corpora Sanctorum Gervaſij & Protaſij, confeſtim ea effodi juſſerit, & in publico templo collocârit, ut refertur in vita illius. 2. Sanctorum corporibus non plus honoris exhibendum, quàm impiorum; ſiquidem & hi ſepeliuntur, & ſæpe Splendidiùs, quàm Sancti 3. Corpora furum in Lutherniſmo & Calvianiſmo defunctorum non debere ſuſpenſa relinqui, ſed ſpeliri cum ſint Sancti; quippe in verâ fide mortui, in qua ſolâ illi omnem juſtitiam & Sanctitatē ponunt. 4. non licere mortuorum crania & oſſa in cæmeterijs ſpectanda exponere ad refricandam mortis memoriam. 5. peſſimè facere ipſoſmet hæreticos contra ſuammet doctrinam, quod reliquias ſanctorum, ſi quas in locis Catholicis vel ubicunque reperiunt, non piè ſepeliant, ſed contumeliâ affectas per terram raptent, pedibus conculcent, comburant, in aquas & ſordidos locos abijciant &c. uti Calvini ſoboles præſertim in Gallia egregiè præſtitit, & quid amplius Gentiles Turcæ Judæi facerent?

XVI Reſpond. *Ad 1. ex Script* Gen. 3. Deus indicare ſolùm vult, hominem, ſicut ex terra deſumptus eſt, ita iterum in terram convertendum; ſicut quælibet res in illas cauſas reſolvitur, ex quibus facta fuit. Si etiam prædicta verba ad ſepulturam accomodare velimus, accipienda ſunt ſecundùm ordinarium curſum Naturæ, niſi extra ordinem unguentis balſami, vel extraordinario Dei miraculo à putredine ſerventur. Eccleſiaſticus c. 38. loquitur de primo tempore ſepulturæ, etenim corpora putreſcentia, ſanie ac tabe fluentia, vermibus ſcatentia, tetrum fætorem exhalantia oculis exponere, injuria eſſet Sanctis, non decus: at verò exponere exeſa & ab omni fæditate purgata, ut oculos hominum non amplius offendant, ſed potius delectent, ſi præſertim accedant varia ornamenta, decorum ac honorificum eſt Sanctis, & Spectatoribus utile ad refricandam Sanctorum memoriam, & imitandi ſtudium. Ex Joan. 5. prorſus nihil ſequitur contra nos; quia alius verborum ſenſus non eſt, quàm mortuos ad vocem tubæ ſurrecturos, ubiubi priùs illorum oſſa extiterint. *Ad 2. ab exemplis Antiquorum veteris Teſtam.* hinc nihil etiam evinci; quia alia fuit ratio apud Sanctos veteris Teſtamenti, quàm novi; etenim antiqui Patres in limbo remanſerunt, & idcirco etiam non honorati aut invocati fuerunt, ſicuti Sancti noſtri Teſtamenti Novi, qui jam cum Chriſto in Cœlo æternâ beatitudine fruuntur.

XVII. *Ad 3. argumentum ab exemplo primorum Chriſtianorum deductum.* iſtud nobis non adverſari; quia & nos hoc ipſum ſolemus, & Catholico ritu corpora Sanctorum terræ mandamus, ſed poſt multos annos comprobatâ eorum Sanctitate per judicium Eccleſiaſticum refodimus & publico honori exponimus, ſicuti etiam olim Chriſtianis uſitatum fuit, & ad id faciendum ipſimet Sancti mirabilibus modis incitârunt odore, ſplendore, voce, ſomnijs, miraculis, quod multis hiſtorijs fide digniſſimis monſtrari poſſet. Videri poteſt apud Abrahamum Bzovium in Annal. Eccleſiaſt. Anno 1283. mirabilis relatio de Reliquijs S. Mariæ Magdalenæ. *Ad 4. ex Concilijs & Patribus.* Concilium Moguntinum tempore Caroli M. c. 51. prohibens, ne quis corpora Sanctorum de loco in locum transferat, non eſſe contra nos, cum ipſimet aſſeramus, nulli privatâ auctoritate id licere, ubi autem verbulo prohibet, ne illud cum conſenſu legitimo Magiſtratûs Eccleſiaſtici fiat? *S. Cyrillus* malè citatur, ſolùm enim dicit, reliquias occultandas eſſe, idque ex hac occaſione. Objecerat Julianus Apoſtata (quod ipſum hodie faciunt Sectarij) proſtrationem ante ſepulchra Sanctorum, quæ tamen, teſte Chriſto Matth. 23. v. 27. plena ſunt immunditiâ, cui reſpondet S. Pater, hanc immunditiam corporalem, quæ forſan in ſepulchris Sanctorum lateat, neque animo, neque corpori nocere, cum ſit occulta. Si ergo & cineres ſine omni ſpurcitia proponuntur, non refragabitur Cyrillus. *S. Hieronymus* rectè fatetur, Martyrum reliquias non eſſe adorandas, ſed neque nos Sanctorum reliquias, ut Deos adoramus, ſed tanquam Amicos Dei & Patronos noſtros, per quos omnis honor in Deum dirigitur; ut reſpondet S. Hieronymus Vigilantio, cujus ſpiritus hodie cernitur in Sectarijs, qui iiſdem cum illo argumentis contra nos & reliquiarum cultum utuntur.

XVIII. *Error tertius.* Cultum, quem Catholici Reliquijs impendunt, eſſe ſuperſtitioſum & idololatricum. Ita unâ voce omnes hodie Sectarij poſt veteres Hæreticos, quorum omnium communis hæc eſt ratio. Quia eodem modo Deum & Sanctos, eorúmque Reliquias veneramur. Nempe 1. *Templis & Altaribus.* 2. *Votis.* 3. *Feſtis.* 4. *Juramentis.* 5. *Thurrificatione.* 6. *Proſtratione.* 7. *Cereis accenſis.*

Digitized by Google

8. *Peregrinationibus.* 9. *Oratione Dominica.* 10. *Attactu Reliquiarum &c.* Pari fiduciâ confugimus in omnibus neceſſitatibus ad Hos, ſicuti ad Deum. Confirmant 10. ex Deuter. 34. v. 6. ubi dicitur, *Deum ſepeliviſſe corpus Moyſis, & non cognoviſſe hominem ſepulchrum ejus*; ne, inquiunt Sectarij, coli poſſet; etenim ex hac cauſa, cum diabolus ad ſuſcitandam idololatriam illud hominibus revelare vellet, S. Michaelem Eccleſiæ tutorem ei obſtitiſſe, ut in epiſt Cathol. fatetur S. Judas. 2. ex Matth. 23. v. 29. ubi Chriſtus reprehendens Phariſæos ait: *væ vobis, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta Juſtorum.* 3. Ad Coloſſ. 3. v. 22. damnatur omnis cultus arbitrarius à Chriſto non inſtitutus, qualis eſt Reliquiarum, ideóque ſuperſtitioſus & idololatricus.

XIX. Errori huic præter SS. Litteras Concilia & Patres etiam Ethnici ex naturali lumine adverſantur. Franciſcus Petracha de vulneribus c. 77. ſcribit de Cæſio Scæva miræ fortitudinis viro, ſed nullius juſtitiæ, quod iſtum mille lacerum perfoſſúmque vulneribus ipſi quoque hoſtes fuerint venerati: & propter unius virtutis admirationem vulnera ejus deoſculantes armorum fragmina & Sagittas recenti cadavere eductas Deorum templis ceu Sacrum aliquid affixerint. Quid de Sanctiſſimorum Martyrum vulneribus & corporibus tanta tormenta támque acerbam mortem paſſis ob amorem DEI, ſacræ fidei conſtantiam, & vitæ morúmque Sanctitatem ſentiendum? Si rectè pieque jam ante mille trecentos annos Conſtantinus Imperator in Concilio Nicæno Epiſcoporũ oculos in perſecutione effoſſos oſculabatur procerto perſuaſus, ut ait Theodoretus L. 1. c. 11. oſculo benedictionem ſe inde hauſturum. Quomojam cenſeri poteſt, Sacris Reliquijs oſcula figere, Templis, Altaribus, Feſtis, Proſtratione &c. venerationem honorémque deferre, eſſe ſuperſtitionem, impietatem, & idololatriam? aut dicant Adverſarij, quæ mens Conſtantini Imperatoris fuerit, cum veſtigia Sacra Chriſti Hieroſolymis adoraret, ut ſcribit Euſebius de vita Conſtant. L. 3. his verbis: *Poſtquam autem ſalutaria veſtigia competenter juxta propheticum Spiritum adoravit, nempe: adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, confeſtim pietatis ſuæ fructum etiam poſteris reliquit?* non mihi perſuadeo, Conſtantinum Veſtigia ſecundùm ſe præcisè adoraſſe, aut in hiſce ſolis efficaciam agnoviſſe, atque idcirco fiduciam in illa poſuiſſe, aliquod inde auxilium obtinendi; ſed totam ſpem in Chriſto collocaſſe, atque Iſtum in relictis ſuis Veſtigijs adoraſſe. Ita nos Catholici, ſi Sanctorum Corpora & Oſſa veneramur, recordamur ipſorum Sanctorum, & hos invocamus, ut apud Deum & Chriſtum Patronos noſtros agant, pro nobis intercedant, impetréntque nobis ſalutem Animæ & Corporis. Ex quo liquidò apparet, ſpem & fiduciam noſtram tendere quidem ad Sanctos tanquam Patronos & Interceſſores: in his autem non conſiſtere, ſed ultimò in Deo & Chriſto JEſu omnium bonorum fonte poni, figi, & collocari. O hæretici, quàm bene vobis dicimus, quod Chriſtus Phariſæis Joan. 17. v. 24. *Nolite judiare ſecundùm faciem: ſed juſtum judicium judicate*; juſtum autem judicium requirit, ut in actionibus humanis non ſolùm externa ſigna, ſed etiam interni affectus attendantur. Nunc ordine ad ſingula, quæ in probationem adducta ſunt.

XX. Reſpond. 1. *ad Templa & Altaria*, contra quæ Ameſius Tom. 2. à fol. 20. multa adducit, quæ cavillamenta quàm argumenta rectiùs dixeris. Templa ſtatim apud Chriſtianos fuiſſe, indubitatum eſt, & nullus ferè veterum Patrum legitur, qui eorum mentionem non faciat, qui videri poſſunt in Papatu Cathol. Tom. 2. à fol. 461. Imò ipſe Apoſtolus hoc affirmat 1. ad Corinth. 11. v. 18. ajens: *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio eſſe ſciſſuras.* Et hæc templa à privatis ædibus fuiſſe diſtincta, patet ex ſequentibus: *nunquid domos non habetis? ſi quis eſurit, domi manducet &c.* Horum templorum varij fuerunt fines. Primarius fuit Sacrificium Deo proprium. Nam ſi in Veteri Lege præcepit Deus pro Sacrificio illo typico conſtrui Tabernaculum, quod teſte Joſepho erat templum portatile, idque ſumptuoſiſſimum Exod. 25. vetuitque ſub pœna mortis ſacrificari extra illud Levit. 17. v. 4. ex quo principalis ejus finis conjicitur; quanto æquius eſt, ut verum & unicum Sacrificium Agni Imaculati Chriſtus offeratur in ejuſmodi Tabernaculo, quod ad hoc præcipuè & ſplendidè extructum ſit. Atque hoc fine non licet Sanctis templa conſtruere; quia non licet illis ſacrificare, cum Sacrificium ſit proteſtatio ſupremi Dominij in omnes creaturas, ut dicetur de Sacrificio Miſſæ. Quando igitur dicitur Miſſa de aliquo Sancto, non eſt ſenſus, quod illi ſacrificetur, ſed quod in accidentalibus precibus ac lectionibus peculiaris aliqua illius mentio fiat. Cæteri fines templorum v. g. ad Sacramenta adminiſtranda, ad Verbum DEI prædicandum, ad Euchariſtiam aſſervandam, ad orandum in ijs &c. ſecundarij ſunt. Quocirca ſicuti non eſt idololatria, populo ædificare Eccleſiam, ut ibi conveniat, Sacramenta percipiat, Deum oret &c. Ita non eſt idololatria, Sanctis erigere templa in hunc finem, ut illorum corpora decenter ibi aſſerventur, & ad congruum honorem populo proponantur. Confirmatur Catholica hæc veritas, tum ex 1. Regum 8. & 2. Paralip. 8. ubi Salomon affirmat, templum factum eſſe, *ut ſit locus orationis.* Et 3. Reg. 9. *Deus apparet Salomoni pollicens ita futurum, ut ipſe petierat.* Luc. 2. *Anna non recedebat à templo obſecrationibus ſerviens.* Ergò non eſt ſuperſtitio, aut idololatria templa ædificare, in ijs orare &c.

XXI. Objicit Ameſius triplicem Scripturæ locum. Primum ex Matth. 6. v. 6. *tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & ora Patrem in abſcondito.* Secundum. Joan. 4. v. 2. *venit hora, quando neq; in monte hoc, neque in Jeroſolimis adorabitis.* Tertium ex 1. ad Timoth. 3. v. 8. *volo viros orare in omni loco.* Reſpond. ad 1. non loqui Chriſtum abſolutè damnando publicam in Eccleſia orationem, ſed comparativè, quaſi diceret, potiùs, quàm videri velis orare & gloriolam inde captare, fugias teſtes, devites turbam, quæras ſeceſſum. Ad 2. ſenſum eſſe, adeſſe tempus, nempe Legis Evangelicæ, quo uterque cultus tam Samaritanorum in monte Garizim, quàm Judæorum in Jeruſalem tolletur, & novus multóque perfectior ſuccedet, qui erit in ſpiritu, & veritate, hoc eſt, non conſiſtet præcipuè in externis & umbraticis ceremonijs, ſed in ſpirituali cognitione & amore Dei, ita ut hunc non modo, uti ſervi dominum, ſed etiam uti filij Parentem colant. Ad 3. ſenſum eſſe, fideles Chriſti ad publicam orationem convenire debere non

in una

in una tantùm urbe (ut Judæi Hieroſolymis) ſed in omni loco precibus publicis dicato, id eſt, in Eccleſijs. Videri poteſt Tirinus in Triplici hoc loco, ubi etiam Patres pro hac interpretatione affert. Quæ porro calumniatur Ameſius de templorum conſecratione, atque in his aquæ, olei, aliarúmque rerum benedictione, infra reijcientur, ubi cæremonias Eccleſiæ ſtabiliemus, Nunc ſcire ſufficit, eas ſolùm cæremonias Judaicas per Chriſtum fuiſſe abrogatas, & improbatas, quæ inſtitutæ fuerunt ad figurandum aliquid in novo teſtamento, ut Circumciſio, Agnus paſchalis &c. ſecus eſt de cæremonijs, quæ fundantur in ratione naturali, adeóque non ad Legem Cæremonialem, ſed ad Moralem pertinent.

XXII. Altare ſive Ara propriè ſumpta eſt res illa, ſupra quam ſacrificatur, quæ inde Latinis dicitur Sacrificatorium, Græcis θυσιαστήριον, ut videre eſt in græco textu ad Hebr. 13. v. 10. impropriè & vulgariter accipitur Altare pro tabulis illis pictis & ſculptis ſuper aras erectis, quæ ſunt mera ornamenta Altarium, & non niſi per abuſum altaria vocantur. *Priori modo* ſumpta Altaria ſoli Deo ad Sacrificium dedicantur, & negamus, ita unquam Sanctis erigi Altaria. Et de hoc loquitur D. Paulus ad Hebr. loco cit: *habemus Altare de quô edere non habent poteſtatem* &c. Item S. Andreas Apoſtolus Ægeæ Præfecto dicens: *ego omnipotenti Deo immolo quotidiè non taurorum carnes, ſed immaculatum Agnum in Altari.* ut referunt Presbyteri in Achaia. D. Auguſtinus ſerm. 11. de Sanctis teſtatur, antiqui eſſe moris, reliquias Sacras inipſis altaribus condere, & Super eas celebrare miſſas; unde etiam putat, S. Joannem Apocal. 6. v. 9. ideo *vidiſſe animas occiſorum ſub altari.* S. Felix Papa & M. ante annos 1300. epiſt. 2. ſcribit: *ſtatuimus, vobiſq; & omnibus Eccleſijs tenendum, Ut ſuper memorias Martyrum miſſæ celebrentur.* Atque hinc eſſe videtur, quod neque hodie ſupra ullum altare celebretur, niſi reliquijs impoſitis. Videatur Bellarm. L. 3. c. 4. ubi ait, nullum eſſe ex veteribus Patribus, qui non meminerit Altaris Eccleſiæ. *Poſteriore modo* accepta Altaria Sanctis ædificantur, quæ ſupra priores aras ornatûs causâ ſuperſtruuntur, ac non niſi per abuſum â vulgo altaria dicuntur. Apud hæreticos nulla altaria reperiuntur, cum enim nullos legitimos Epiſcopos & Sacerdotes habeant, Sacramento quoque adeoque verò Altari, & Templo carent.

XXIII. Reſpondetur 2. *ad Vota.* Si hæc propriè ſumantur, ſignificant promiſſionem Deo factam, & ſic non quadrant Sanctis. Si autem latiùs accipiantur, indicant promiſſionem etiam Sanctis factam. Diverſitas inter has promiſſiones eſt, quod Deo aliquid promittatur in ſignum gratitudinis erga Principium primum omnium bonorum, & in recognitionem beneficij, tanquam à primo Autore accepti, ac proinde illa promiſſio eſt Actus Latriæ. At Sanctis promittitur aliquid in ſignum gratitudinis erga Patronos, & Interceſſores, per quos beneficia â Deo accepimus. Hæc igitur promiſſio non eſt actus Latriæ ſed Duliæ. Unde nulla per illam committitur idololatria, ut ſomniant Ameſius fol. 282. & Gerhard. L. 2. parte 2. fol. 736. Molinæus fol. 57. & alij Sectarij. Olim Sanctis fieri ſolitas eſſe promiſſiones, conſtat ex Euſebio Cæſarienſi, qui ante annos circiter 1300. de præparatione Evangelica L. 13. c. 7. ſcribit: *nobis in more poſitum eſt, ad eorum oculos accedere, & vota apud eos facere.* Similia habent Eucherius Hom. de S. Geneſio. Theodoretus L. 8. contra Græcos de Martyrib. & alij. Quare quando Nos Catholici aliquid vovemus B. Virgini, Sanctis Petro & Paulo &c. ſenſus eſt, quod Deo hanc rem voveamus ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli &c. idémque eſt, ac quando aliquis mille aureos vovet hoſpitali; etenim votum, quod fit Deo, cedit ad utilitatem hoſpitalis; ſic inquam, non rarò fiunt â nobis vota Deo ad honorem Sanctorum ſuorum. Atque ex his per ſe ruunt, quæ Adverſarij in oppoſitum afferunt. Cæterùm promiſſio hominibus adhuc in terra degentibus facta, etiamſi juſti ſint, non dici poteſt votum. Tum quia Sancti in cœlo jam ſunt re ipsâ Beati, & glorioſi, filijque Dei, ac veluti Dij quidam per participationem: At verò homines etiam juſti nobiſcum viventes magis in ſpe, quàm in re beati ac glorioſi ſunt, ac ſpe ſuâ adhuc excidere poſſunt. Tum quia promiſſio Sanctis cum Chriſto regnantibus facta ſimilior eſt promiſſioni, quæ fit Deo, quàm quæ fit mortali; ſiquidem illis ſola gloria & honor, nulla verò utilitas inde provenire poteſt, ſicuti hominibus in mortali adhuc corpore exiſtentibus.

XXIV. Reſpondetur 3. *ad Feſta.* Sanctorum Feſta nihil aliud ſunt, quàm memoria eorundem, quâ partim ipſos ob præclarum eorum agonem honoramus, partim nobis ad imitandum, vel ſaltem excitandum proponimus, partim Victoribus de parta ſibi gloria congaudemus, partim eos, ut pro nobis ad Deum intercedant, commonefacimus: ante omnia verò, ut Deum pro eorum exaltatione & glorificatione laudemus. Agere igitur Feſtum, & in honorem alicujus Sancti vacare ab opere, non eſt cultus divinus; cum etiam Regibus in Die coronationis præſtari ſoleat: atque olim Sanctis præſtitum fuiſſe, conſtat ex Clemente Conſtit. Apoſt. L. 8. c. 33. quibus diebus feriandum ſit famulis. *In diebus Apoſtolorum vacent &c. In die Stephani Protomartyris item vacent.* Ex S. Cyprian. epiſt. 34. de Celerino & cæteris Martyribus: *Sacrificia, ut meminiſtis pro ijs ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniverſariâ commemoratione celebramus &c.* Ex epiſt Smyrnenſis Eccleſiæ ad Ponti Eccleſias de S. Policarpo diſcipulo S. Joannis: *Dominus præſtabit, ut celebrem ejus Martyrij Diem inſtar Natalis feſti cum exultationis gaudio, quantum fieri poteſt maximo, recolatis.* Iſte autem honor eſt Religionis (ut eſt religio Nomen generale) ſoliûs tamen duliæ, non Latriæ, ideóque prorſus alienus ab idololatria. Quare ſicut Deus Exod. 20. præcepit Sabbatum: *memento ut diem Sabbati ſanctifices*, ita Eccleſia inſtituere poteſt Feſta Sanctorum, ad quorum celebrationem Fideles ſub gravi peccato obligentur. Quid enim huic præcepto obſtet?

XXV. Dicit Ameſius fol. 285. Qui non poſſunt facere diem feſtum non poſſunt auctoritate ſuâ obſervationem talis diei præcipere. Sed Eccleſia non poteſt facere diem eo modo feſtum; cum non habeat poteſtatem in dies, ut eorum naturam commutet: non in Sanctitatem, ut affigat illam, cui glebæ velit: non in animas hominum, ut imponat illis leges. Ergo &c. Reſp. hoc argumentum

tum

tum triplicem & gravem ignorantiam involvere. 1. eſt, quod facere diem feſtum ſit aliquis effectus phyſicus intrinſecus in ipſo die, cum dies feſti ac ſacratiores fiant à ſola deputatione extrinſeca, ſignificatione myſticâ, & ad cultum divinum obligatione, ſicuti Exod. cit. dixit Deus, *memento ut diem Sabbati ſanctifices.* 2. quod Sanctitas & Conſecratio nulla detur, niſi quæ phyſicè gratiam intrinſecam ſubjecto conferat contra frequentiſſima teſtimonia Sacræ Scripturæ, quæ loca, vaſa, tempora &c. divino cultui deſtinata extrinſecâ quadam & analogicâ ſanctitate aſperſa & conſecrata paſſim docet. 3. nullâ auctoritate, niſi divina immediatè præcipi ullum Feſtum poſſe, cum ſufficiat mediatè, quæ penes Eccleſiam cernitur. Et licet Sectarij itentidem jactent, nullum niſi in Verbo Dei dari præceptum expreſſum obligans in conſcientia, ijdem tamen rumpantur licet, oſtendere nequeunt, ubinam in univerſis Sacris Biblijs contineatur præceptum colendi diem dominicum, quem tamen ipſimet ex præcepto colendum fatentur. Quare apertè convincuntur, vel ad negandum, extare ullum præceptum colendi diem dominicum, vel ad concedendum, poſſe id ab Eccleſia præcipi.

XXVI. Reſpondetur 4. *Ad Juramentum.* Jurare per Sanctos non eſt idololatricum, uti ſibi Ameſius & Gerhardus locis cit. imaginantur. Nam teſte Chriſto Matth. 5. v. 34. per alias etiam creaturas juratur, ut per cœlum, terram, Sacra Evangelia &c. non tamen ipſæ creaturæ per ſe ſpectantur, ſed ſemper cum reſpectu ad Deum Auctorem ſuum, ut bene cum alijs Theologis Tanner Tom. 3. D. 5. Q. 5. n. 5. Si ergo juro per Evangelia, aut S. Petrum, ſenſus eſt, Deum invoco teſtem, qui Evangelijs divinam veritatem, qui Sancto Petro ſanctitatem & gloriam contulit; quod etiam indicat Chriſtus loco cit. jurari ſcil. per terram, quod ſit ſcabellum pedum ejus, vel per Cælum, quod ſit thronus ejus, vel per Jeruſalem, quod ſit ejus regia. Affert in rem præſentem Surius in vitis Sanctorum 15. Novembris pulcherrimam & fide digniſſimam hiſtoriam, quæ fuſè ab ipſo narrata breviter ſic ſe habet. Erat Edeſſæ vidua quædam Sophia nomine, & huic filia Euphemia, cujus pulchritudine captus Gothus miles præſidiarius in uxorem ſibi eam dari adeo deſiderabat, ut tandem conſentiret ſophia, ſi coram S S. Martyribus Samona Guria & Abibo (qui ſub Diocletiano Jmperatore pro fide Chriſti mortui magna ibi populi devotione colebantur) jurare vellet, eo loco habiturum ſe novam nuptam, quo ſocij tori fides juberet. Jurat Gothus, accipit in uxorem Ephemiam, & in Italiam ſecum abducit, ubi prima ipſius uxor peſſimè eam tractat, & filium ex eadem natum veneno tollit, cujus reliquias Euphemia ab ore filioli legens novercæ infantis præbet enecátque, ipſa utrique parentatura tumulo hujus à cognatis includitur, ſed adfuerunt tandem fidei Juſſores Gurias, Samonas, & Abibus, & Euphemiam ſomni beneficio tranſuectam patriæ & Sophiæ matri reddiderunt. Poſthæc Gothus iterum Edeſſam venit miraculi inſcius, atque à Sophia & Euphemia violati juramenti coram judice convictus capite plectitur, & in ignem abijcitur. Ecce ante 1000. & plures jam annos conſuetum fuit Chriſtanis jurare Sanctis, & juramentum coram ipſis exigere, atque hoc Deo non diſplicuiſſe, luculentum miraculum atteſtatur.

XXVII. Reſpondet. 5. *Ad ſuffitum, ſeu Thurrificationem.* Videtur iſta Dei propria; quia 4. Reg. 18. v. 4. de Ezechia dicitur: *Confregit ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, ſiquidem uſq; ad illud tempus Filj Iſraël adolebant incenſum*, ideſt, pro Deo colebant. Verùm in novo teſtamento mutata eſt ſignificatio Thurrificationis, ut etiam Sanctis conveniret; imò cunctis Fidelibus jam impendi ſolet in divinis officijs, uti videmus, ad ſignificandum bonum odorem gratiæ, & virtutum, quo fragrare debent, ut indicat D. Thom. 3. P. Q. 83. a. 5. ad 2. Prædictus Auctor in vitis Sanctorum 22. Januarij recenſet de Anaſtaſio Martyre, cum collum pedémque communibus cum neſcio quo ſcelerato vinculis ligatus dies noctéſque inter cantus Sacros traduceret, Cœlites ad ipſum advolaſſe, & unum ex illis majeſtate Pontificali, & inſolito ſplendore eminentiorem Martyrem odoribus veneratum fuiſſe. Ergo thurrificatio Sanctis impenſa Deo in novo Teſtamento non diſplicet.

XXVIII. Reſpondetur 6. *Ad Proſtationem.* Ex communi Theologorum apud Tanner. D. 5. cit. q. 2. n. 18. adorationem nullo certo motu ac geſtu corporis circumſcribi, ſed pleroſque omnes nominatim proſtrationem in terram eſſe communem Deo ac hominibus, atque æquè his ac illis tribui ſolere. Nam Gen. 43. v. 26. & c. 50. v. 18. Fratres Joſephi adoraverunt illum proni in terram. Num. 22. v. 31. *Balaam adoravit Angelum pronus in terram.* Ruth. 2. v. 10. *cadens in faciem ſuam & adorans ſuper terram dixit ad Booz &c.* Nulla igitur hinc convincitur idololatria.

XXVIII. Reſondetur 7. *Ad Cereos ardentes.* Iſti nihil ſignificant aliud, quàm eorum, quibus accenduntur, vitam & Sanctitatis ſplendorem, ac noſtram exultationem; ideoque Sanctis bene accendi poſſunt ſine ulla idololatria. Atque olim accenſos fuiſſe, teſtatur S. Paulinus ante Annos 1100. de cultu S. Felicis Presbyteri & M. Nolani, ita canens:

Clara coronantur denſis altaria lychnis
Limina ceratis adolentur ora papyris
Nocte dieque micant,

Theodoretus de translatione Reliquiarum S. Chryſoſtomi ſcribit: *Tum rurſus fidelis populus in navigijs pro terra uſus pelago fauces Boſphori juxta Propontidem lampadibus contexit.* Tomo 1. Bavariæ Sanctæ. Et Tomo 1. Annalium Boicorum refertur de S. Emmerano M. lampadum ignes, qui in ſolenni pompa, quâ Ratisbonam Sacra ejus oſſa advecta ſunt, incenſi fuerunt, inter omnes ventos, pluviáſque pertinaciter emicuiſſe; nec hoc mirum, cum DEUS ipſe vivorum Sanctitatem luminis ſplendore non rarò prodidit, ut in Moyſe, & Ignatio Societatis JESU Fundatore, cujus vultum cæleſti luce radiantem. S. Philippus Nerius alijque conſpexêre &c.

XXX. Reſpond. 8. *Ad Peregrinationes.* Approbant has Sacra Univerſalia Eccleſiæ Concilia ceu pia ac ſancta opera; ſicuti Concilium Cabilionenſe, quod ante 800. circiter annos Caroli M. tempore celebratum peregrinantium Romam verſus devotionem, ſeu ad alia ſacra loca pænitentiæ agendæ causâ ſuſceptum iter à quolibet laudibus extollendum docet, uti & à Sancto Generali Concilio Tridentino idem Seſſ. 25. declaratum ac ſancitum fuit. Non dubitum, peregrina-

grinationes piè, ritè, ac devotè inſtitutas cedere in gloriam Dei, & Sanctorum honorem non mediocrem; eſt enim ſignum manifeſtũ, Deum & Sanctos à nobis magni fieri, cum laborem & pericula itinerum ſponte ſuſcipimus, ut Sanctorũ Reliquias reviſamus: idque opus pænitentiæ, & Satisfactionis. Quare nihil in peregrinationibus apparet idololatricum, cum ipſi Adverſarij negare non poſſint, peregrinationem eſſe ex natura rei actionem indifferentem, & ſaltem in aliquibus eventibus laudabilem; ſiquidem ipſe Deus Deut. 16. v. 16. ordinavit, *ut omnes filij Iſraël ter in anno ad Tabernaculum vel Templum Domini peregrinarentur.* Deinde negare etiam nequeunt, Patribus quarti & quinti ſæculi valdè probatas & uſitatas fuiſſe peregrinationes ejuſmodi ad Martyrum Memorias, aliáque loca Sancta. Speciatim Eccleſiaſticæ hiſtoriæ docent, S S. Apoſtolorum Petri & Pauli ſacra pignora honorandi causâ Chriſtianos Romam fuiſſe peregrinatos. Nam Palladius inter cæteras Philoroni Presbyteri laudes hoc etiam poſuit, quod per eum promiſſum Hieroſolymam Romamque verſus ad Sanctorum Apoſtolorum reliquias completum redditumque ſit votum.

XXXI. Objiciunt hæretici 1. Peregrinationes eſſe cultum voluntarium. 2. Chriſtum prohibuiſſe peregrinationes Matth. 28. v. 23. & v. 26. illis verbis: *Si quis vobis dixerit, hic eſt Chriſtus, aut illic, ecce in deſerto eſt, nolite exire.* 3. Concilium Cabilonenſe adverſari etiam peregrinationibus. 4. Hieronymum, quamvis ipſe in terram ſanctam ſe contulerit, ſcribere tamen vehementer contra peregrinationes. Reſpondeo. Objectiones iſtæ tales ſunt, quas Adverſarij meritò erubeſcere poſſint: quivis autem alius jure inde conijcere valeat, quàm nihil habeant Sectarij, quod peregrinationibus opponant. Ad 1. igitur negamus, Peregrinationes eſſe cultum voluntarium, ſi accipiatur in eo ſenſu, quo Novatores communiter utuntur in illo decantatiſſimo ſuo axiomate: *Omnis cultus voluntarius*, id eſt, *non præceptus diſplicet DEO*; quippe in propoſito voluntas opponitur omnino rectæ rationi, quæ ſemper incidit cum voluntate Dei ſive præcipiente, ſive conſulente, ſive approbante. Cum igitur ex Sac. Scriptura conſtet, Deum apud Iſraëlitas peregrinationes ordinaſſe, & re ipsâ apud Sanctos homines in novo Teſtamento approbaſſe, apertè falſum eſt, peregrinationes eſſe in hoc ſenſu actum voluntarium, Deóque diſplicentem. Ad 2. Chriſtum apud Mathæum loqui de ſignis, quæ ante extremum Judicij diem præcedent, inter quæ etiam Anti-Chriſtus cum ſuis prophetis & aſſeclis erit, cui ne Fideles adhæreant, admonet illos Chriſtus, ut fidem non habeant illis dicentibus *hic eſt Chriſtus, aut illic.* Ita locum iſtum interpretantur Hieronymus in c. 24. Matth. Chryſoſt. Hom. 77. in Matth. Hilarius & alij. Videatur Cornelius à Lapide, & alij Interpretes. Ad 3. In Concilio Cabilonenſi agi contra illos, qui exiſtimabant, ſe Sanctorum locorũ ſolâ viſitatione à peccatis purgari. Dicimusne Nos Catholici aliquem à peccatis abſolvi ſolâ viſitatione Sanctorum locorum? Ad 4. S. Hieronymum apertè teſtari, ſe non loqui de Epiſcopis, de Presbyteris, de alijs Clericis: non carpit illorum peregrinationes multò minùs ſæcularium hominum: ſolùm oſtendit, non placere ſibi ita circumvagari quoſdam Monachos, qui meliùs in ſuis cellis ſtarent, quàm per orbem curioſè circum curſarent; ideo aſſerit: *Monachos debere in ſuis monaſterijs eſſe, ſicuti piſces in aqua, facilè illos in via in aliquod ſui Spiritûs impedimentum incurrere, occaſionem ſæpius Religioſis eſſe periculoſiorem, quàm ſæcularibus, locos, qui viſitantur, eſſe quidem ſanctos, non autem omnes in ijs commorantes, per quos tranſeundum; ſecuriſſimam eſſe victoriam contra mundum & peccatum, nullam quærere occaſionem ſui perdendi.* Si Sanctus Hieronymus peregrinationes improbaſſet, alibi quoque id manifeſtaſſet, quod tamen nullibi fecit. Videantur aliqua ipſius loca allegata in Papatu Catholico Tomo 2. fol. 477. Et in obitu Paulæ epiſt. 271. ubi ait: *Cujus enim gentis homines ad ſancta loca non veniunt?* Similiter Gregor. Nyſſenus, quem Magdenburgenſes centur. 4. c. 8. allegant, nõ quaslibet peregrinationes vocat vanas, ſed illas ſolùm, quæ cum debita intentione & pietate non ſuſcipiuntur, & peraguntur. Adhæc epiſt. illa non videtur eſſe hujus Patris, cum neque in Græcis, neque Latinis ejus operibus reperiatur. Plura de Sacris peregrinationibus P. Caſpar Loarde in Opuſculo ſuo, & P. Ludovicus Richeomo in Apolog. ſua Peregrin. atque alij.

XXXII. Reſpondetur. 9. *Ad Orationem Dominicam.* Cum alicui Sancto offertur Oratio Dominica, ut fit in corona B. V. non ad ipſum dirigitur, ſed ad Deum: illi verò quaſi libellus ſupplex Deo offerendus porrigitur. Sicuti Angeli noſtras preces Deo offerunt Tob. 12. v. 12. Apoc. 8. v. 3. Non quod palam faciant DEO preces noſtras, quem nihil latet, ſed quod juncta ſua deprecatione noſtrum deſiderium rurſus proponant. Cæterùm ipſimet Hæretici Orationem Dominicam ad pravum ſuum deprimunt ſenſum, corumpúntque cum hoc additamento: *Tuum eſt enim Regnum, tua Potentia, tuum Imperium in æternum*; quæ verba, utut in ſe ſint bona, ad Sacra tamen Biblia non ſpectant, ſiquidem nunquam eorum mentionem faciunt antiquiſſimi PP. Tertullianus & Cyprianus L. de Orat. Dominica. Item Hieronymus in c. 6. Matth. alijque, qui utique melius noverunt, quæ in Sacra Script. contineantur, quam iſti Navatores & heri nati ſcioli.

XXXIII. Reſpondetur denique 10. *Ad contactum Reliquiarum.* Devotio Fidelium conſueta tangendi Sacras Reliquias quaſi aliquã inde vim & Sanctitatem haurirent, non eſt inanis ſuperſtitio, aut idololatria, ſed Sacræ Scripturæ & Patrum nititur auctoritate. Levit. 6. v. 27. de Sacrificio dicitur: *quidquid tetigerit carnes ejus, ſanctificabitur* hoc eſt, Sanctum habebitur, ita ut veſtis poſt talem tactum non potuerit amplius ad uſum profanum converti, niſi prius lota, ut explicant Interpretes. Math. 23. v. 19. *quid enim majus eſt donum, an altare quod Sanctificat donum?* Si ergo munera & res aliæ tactu Altaris vel Sacrificij Sanctificabantur, cur non etiam Roſaria attactu Reliquiarum Sanctificentur? S. Baſil. Hom. in Pſal. 115. *in priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud, non contaminabitur ſuper ullo mortuo, & ſi quis tetigerit cadaver, immundus erit. Et hoc: lavabit veſtimenta ſua. Nunc è diverſo Martyris oſſa quiſquis tetigerit ob gratiam corpori inſidentem, fit quadantenus Sanctificationis particeps.* Supra autem jam dixi, hanc virtutem ſeu gratiam non eſſe potentiam, aut qualitatem (phyſicam), ſed tantùm moraliter in eo poſitam, quod Deus intuitu Sancto-

 rum,

rum, quorum Reliquiæ tactæ ſunt, rebus eo tactu Sacratis tanquam inſtrumentis ad mira patranda uti ſoleat.

XXXIV. Inſtant Hæretici apud Gerhardum fol. 862. ſi res quælibet attactu Reliquiarum vel viventium Sanctorum ſanctificantur, & honore dignæ fiunt, tunc ſequitur etiam Labia Judæ, quibus Chriſtum oſculatus eſt, fuiſſe veneranda, item dorſum aſini, cui inſedit, & vermes ex Sanctorum Corporibus natos, &c. quæ cum abſurda ſint, & indecentia, non poteſt dici, ullam rem cujuſcunque Sancti attactu Sanctificari, aut quandam virtutem divinam aſſumere. Reſp. non quaslibet res attactu ſanctificari, ſed quæ capaces ſunt moralis dignitatis, & debitâ religione ac fiduciâ applicantur ad Sanctorum Corpora & Reliquias, res verò malas ac ſordidas, ut labia Judæ, & dorſum aſini &c. nullo modo dignas: minûs Sanctitatis cujuſvis capaces eſſe. Urget Ameſius fol. 268. contactus ergo & ratio inſtrumenti ad paſſionem per ſe non inferunt adorationem v. g. in labijs Judæ, manu ſervi illius, qui Chriſto alapam inflixit &c. Reſp. negando illatum; quia attactus per ſe ſanctificat quamlibet rem moralis dignitatis capacem; labia autem Judæ, & manus ſervi Chriſtum percutientis ſunt hominum nequam, qui cum ex liberâ voluntate ſceleſtiſſimas illas actiones execucerint, non fuerunt ſanctificata propter attactum Chriſti. At verò inſtrumenta paſſionis inanimata ſunt quidem liberæ volitionis inexpertia, attamen innoxia, ideóque honoris aliquo modo capacia, ſicuti & quælibet aliæ Reliquiæ.

XXXV. Reſpondetur ad 1. confirmationem ſup. §. XVIII. allatam. Negando, Moyſis corpus ideo fuiſſe occultatum, ne illud Judæi colerent; ſed cum eſſent in idololatriam proni, ne id ipſum pro Deo haberent, & tanquam Deum adorarent, ut rectè Tirinus in cit. tex. ex Ambroſ. Chryſoſt. & alijs PP. quod periculum cum non ſit apud Chriſtianos, fit ut Reliquiæ ſecurè coli poſſint; quippe inauditum eſt apud Chriſtianos aliquem detuliſſe unquam Reliquijs cultum & honorem divinum. Ad 2. Phariſæos monumentis Juſtorum nomina ſua inſcribendo, inſignia appendendo &c. vanam vulgi gloriam captaſſe, quaſi Majores ſuos arguerent, à quibus Prophetæ occiſi fuerunt: interim illo facto homicidia à parentibus perpetrata obſcondere voluiſſe, uti ſolent filij latronum, qui occiſorum à parentibus cadavera, terræ mandant. Unde de hypocryſi reprehenſi fuerunt à Chriſto juxta illud Luc. 11. v. 48. *Teſtificamini quia conſentitis operibus Patrum veſtrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos verò ædificatis eorum ſepulchra.* Ad 3. Negando, cultum reliquiarum eſſe voluntarium in ſenſu Sectariorum, hoc eſt, rectæ rationi contrarium; eſto enim expreſsè non præcipiatur, habet tamen ſuum fundamentum in traditione & perpetua Eccleſiæ praxi, ut patet ex dictis.

XXXVI. *Error quartus.* Miracula per Reliquias patrata non probare licitum eorum cultum. Ita antiqui, novique Sectarij Hailbrunner fol. 260. Hanneken fol. 548. Molinæus fol. 166. Ameſius Tom. 2. fol. 213. &c. his inducti argumentis. 1. eſt. Miracula pleraque omnia vel delectandi animi vel popularis auræ aucupandæ causâ à Scriptoribus efficta eſſe. 2. S. Hieronymum epiſt 13. ad Paulinum vocare Vigilantium Sanctum, qui tamen miracula, quæ per Reliquias facta circumferuntur, rejecit. 3. Deum per Apoſtolos & Martyres miracula feciſſe, ut crederemus, Chriſtum poſt Reſurrectionem ſuam ſedere ad dexteram Patris ſui, gubernare omnia, ac eſſe Deum vivorum ac mortuorum. 4. per ſuſcitationem mortui attactu oſſium Eliſæi Prophetæ Deum confirmare voluiſſe vaticinia Regi Iſraëlitico Joas in ultimo morbo facta, quod aliàs per oſſa Sanctorum facere non ſolet. 5. Emorrhoiſſa Matth. 9. ſanatam fuiſſe non per merum attactum veſtis Chriſti, ſed per virtutem, quæ ab ipſo, non à veſte, exijt. 6. primos Chriſtianos Petri umbram & ſudaria Pauli non coluiſſe, ſed Deum in confirmationem doctrinæ iſtorum Apoſtolorum miracula operatum fuiſſe. 7. denique ſi propter acceptam ſanitatem Reliquiæ forent colendæ, pari ratione etiam medicinas & thermas venerandas, quibus non pauci ſanantur.

XXXVII. Error iſte inventorum ſuorum defectum in fide vera, & ratione recta prodit. Quis enim negare, & falſitatis incuſare auſit rem toti Chriſtiano orbi notiſſimam, qualia ſunt miracula ad Sanctorum Martyrum Reliquias patrata, ſi vel fidem ut dixi Sanctam, vel rationem ſanam haberet? unde meritò D. Hieronymus Vigilantium, qui miracula prædicta rejecit, & hæreticum & inſanum caput appellavit. Ita contra illum ſcribit: *Argumentatur contra ſigna atque virtutes, quæ in baſilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodeſſe, non credentibus; quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non quâ virtute fiant.* Et mox: *itaq; nolo mihi dicas, ſigna infidelium ſunt: Sed reſponde, quomodo in viliſſimo pulvere, & favilla neſcio quâ, tanta ſit ſignorum virtutúmque præſtantia. Sentio ſentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc cogit te ſcribere, ſæpe hoc viliſſimo tortus eſt pulvere; imò hodieq; torquetur, & qui in ſe plagas diſſimulat, in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem Gentilium impiorúmque Porphyrij, & Eunomij has præſtigias dæmonum eſſe fingas, & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. Do Conſilium, ingredere baſilicas Martyrum, & aliquando purgaberis, invenies ibi multos ſocios tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi diſplicent ſed flammis inviſibilibus comburêris, & tunc fateberis, quod nunc negas.* Hactenus D. Hieronymus. Vigilantio Succedunt hæretici noſtri, quos, uti palam eſt carere fide, ita nihil rationis eoſdem habere, oſtendunt argumenta homine ſani judicij planè indigna.

XXXVIII. Reſpondetur ad 1. Judicium hoc impium, injurioſum, temerarium, & longè falſiſſimum eſſe. Lubet afferre verba D. Auguſtini L. 9. Confeſſ. c. 7. quibus ſic Deum alloquitur: *In hoc tempore Domine revelaſti famulo tuo Epiſcopo (S. Ambroſio) quo loco laterent Corpora Gervaſij & Prothaſij, quæ poſt tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui reconderas, unde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, ſed regiam. Cum enim propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus, confeſſis iiſdem dæmonibus, ſanabantur: verùm etiam quidam plures annos cæcus civis civitatiq; notiſſimus, cum populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet, atque audiſſet, exilivit, eoquè, ut ſe duceret, ſuum ducem rogavit. Quò perductus, impetravit admitti, ut ſudario tangeret feretrum pretioſæ in conſpectu tuo mortis Sanctorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt. Inde fama diſcurrens, inde laudes tuæ ferventer lucentes: inde*

illius

illius inimica animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicatus, à perſequendi tamen furore compreſſus. Hoc D. Auguſtinus. Quis autem eò dementiæ venerit, ut dicere auſit, hunc talem ac tantum Patrem miraculum hoc vel delectandi animi, vel popularis aucupandæ auræ causâ ſcripto vulgaſſe? Eant igitur hæretici, quò illos cum Vigilantio Hieronymus ablegat, ſcilicet ad ſuos ſocios, quorum fuligo ferri poſſet, niſi calor inter illos foret intolerabilis. Ad 2. Fingere iſtud more ſuo Gerhardum fol. 679; cum in epiſt ad Paulinum non reperiatur; & cum S. Hieronymus vocet Vigilantium *inſanum caput*, *infeliciſſimum mortalium*, *blaſphemum*, *hæreticum hominem*, *ſocium dæmonum*. Quomodo eundem appellare poteſt *Sanctum*? ita ſcil. exverunt frontem Novatores, ut etiam palpabilia mendacia non amplius erubeſcant. Ad 3. Deum operari miracula, ut credamus, Chriſtum poſt Reſurrectionem ſuam ſedere ad dexteram Patris, & eſſe Deum vivorum & mortuorum, à nobis non negari, cum huc tandem omnia prodigia colliment, ut ſcilicet credamus; per hoc autem non tollitur, Deum operari miracula in præſentia Reliquiarum propter Amicorum ſuorum merita & interceſſionem, ad quos illæ Reliquiæ ſpectant; Et de hoc unicè hic agitur, ac reſpondere ad iſtud Adverſarij deberent. Ad 4. per hoc iterum non everti, quod nos hic aſſerimus, Deum ſcil. ad contactum oſſium Eliſæi ob hujus Amici ſui merita & ſanctitatem ſuſcitaſſe mortuum, de quô bene S. Cyrillus: *quod ergo non ſolùm anima ſanctorum ſit honorata, ſed etiam in defunctorum eorum corporibus credatur occulta quædam vis ac virtus reſidere, mortuus intra ſepulchrum quieſcens teſtatur Eliſæus, quando per ſui corporis contactum quidam revixit mortuus, atque ſic mortuum Eliſæi corpus in defunctum hunc viventis animæ exercuit operationem.* Hæc Cyrill. Hieroſ. Cathes. 18. Fruſtra autem laborant hæretici, Sancti hujus Patris ſcripta in dubium vocare; etenim Catecheſes eſſe Cyrilli, jam ante 900. annos agnovit Damaſcen. orat. 3. de Imag. Videatur Papatus Catholicus Tom. 2. à fol. 507. Ad 5. Non eſſe dubium, omnem virtutem & operationem miraculoſam à Chriſto provenire; per hoc autem non fuit Hemorrhoiſſa impedita, quominus in fimbria Chriſti moralem aliquam ſanctitatem agnoſceret, ſperarétque fore, ut ad hujus veſtis ſuæ contactum Chriſtus eam ſanaret. Ad 6. ipſum venerabilem attactum & fiduciam habuiſſe rationem cultûs. Numquid etiam Purpura Regis colitur, dum ſubmiſsâ reverentiâ tangitur? Ad 7. Denique, curationem medicinarum & thermarum eſſe naturalem, adeóque non mereri ſupernaturalem cultum Religionis, ſicuti Reliquiæ Sacræ per miraculoſam curationem merentur. Unde apparet, & hoc & reliqua argumenta eſſe prorſus vilia, & nihil evincere.

XXXIX. *Inſtant Adverſarij* 1. Illud non eſt recentis exempli, Divos confictis miraculis imperitæ multitudinis affectibus commendare. 2. Hieronymum non tam rationibus egiſſe contra Vigilantium, quàm convitijs. 3. Chriſtus non ſemper ſic nobis adeſt, ut eius veſtem tangamus. 4. Ex uno miraculo Eliſæi, Hemorrhoiſſæ &c. non eſt argumentatio ad plura, quia una hirundo non facit ver. 5. Nec umbra Petri, nec oſſa Eliſæi fuerunt in Monſtrantijs incluſa. 6. Sudaria Pauli, ſi aliquando profuerunt ægris, non ſequitur, eadem adhuc hodie eandem virtutem habere. 7. Chriſtum curando ægros veſtium ſuorum cultores, non approbaſſe illorum pietatem ſuperſtitioſam, ſed tantùm diſſimulaſſe, ne linum fumigans extingueret. Matth. 12. v. 20. Hæ Inſtantiæ nec hilo meliores ſunt prioribus, objectionibus, ſed ex ijs ſolùm pertinacia magis eluceſcit. Ad 1. eſſe calumniam Eraſmi hominis vaniſſimi in Eccleſiaſte pag. 336. quem Lutherus ipſe ἄθεον, Epicurum &c. appellavit. Ad 2. eſſe criminationem ejuſdem Eraſmi in argum. Epiſt Hieronymi contra Vigilantium, qui literatus quidem, nolens autem ſemper ſapere ad ſobrietatem meruit, ut Catholici averſarentur eundem vel uti Semichriſtianum Ad 3. etiamnum hodie extare multa, quæ Chriſtus Sanctiſſimi corporis ſui attactû ſacravit; vel nominatim Crucem, in qua Sanguinem ſuum fudit, & mortuus eſt. Cur ergo ad iſta haberi nequeat devotio, & pia affectio ſimilis illi, quam habuit Hemorrhoiſſa? Ad 4. quod ſemel factum eſt ad oſſa Eliſæi, ſudaria Pauli &c. potuiſſe aliâ vice ad aliorum Sanctorum corpora & Reliquias fieri; imò factum eſſe teſtantur SS. Patres & Hiſtorici. Inquiunt; una hirundo non facit ver. At verò ad unum miraculum, quod Deus apud Reliquias alicujus Sancti operatur, ruit tota ſecta Calviniſtarum & Lutheranorum. Ita vos Prædicantes tractatis ss. Scripturas, ſi nihil omnino reperiatis, vociferamini nihil inveniri in Scriptura: ſi reperiatis aliquid, recoctâ crambe clamatis: una hirundo non facit ver. Ad 5. non eſſe neceſſe, ut omnes Reliquiæ, ad quas Deus miracula facit, vel pluribus vel uni Monſtrantiæ includantur. Ad 6. recèns eſſe dictum, Deum ſæpius ad Sacras Reliquias vel eaſdem vel alias facere poſſe, quod ſemel fecit. Ad. 7. temerarium hoc eſſe judicium, & Chriſto injurioſum; quaſi verò iſte tantum ſcelus idololatricum fuiſſet diſſimulaturus, qui multa leviora delicta ſeveriſſime reprehendit.

XL. *Error quintus.* Eſt eorundem hæreticorum, tantam eſſe fallaciam Reliquiarum, ut nemo poſſit illis fidere. In his fraudibus & impoſturis oſtendendis prolixus eſt Ioan. Gerhardus. à fol. 666. L. 2. Par. 2. Redigi totum chaos ad triplcem probationem poteſt. *Prima* eſt ab Auctoritate eorum, qui fatentur has fraudes in Reliquijs inveniri, quibus annumerari poteſt S. Auguſt. qui L. de operat. Monachorum c. 28. cum dixiſſet, quoſdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrum, addit, *ſi tamen Martyrum*. *Secunda* ab experientia, quâ fallaciæ fuerunt deprehenſæ. Genevæ Catholici putarunt ſe habere cerebellum S. Petri. At Caliviniſtæ ſuccedentes, nihil aliud repererunt, niſi pumicem. Tigurini adhuc Catholici jactârunt, ſe habere Reliquias SS. Felicis & Regulæ. at ſuccedentes Zwingliani nihil repererunt, niſi laterem, funem, coſtas felis. Caſſander in Conſult. art. 21. c. de venerat. Reliquias. narrat, S. Martinum deprehendiſſe Reliquias, quos plebs veluti Martyres colebat, fuiſſe ſceleſti latronis. 3. à Ratione Tum quia eædem Reliquiæ in diverſis locis monſtrantur. v. g. Corpus D. Dionyſij Ariopagitæ Pariſijs, & Ratisbonæ. Similia plura coacervat Gerhardus loco cit. Tum quia tot particulæ Crucis hinc inde aſſervantur, ut ſi in unum colligerentur, multa plauſtra implerent, adeóque totius

Digitized by Google

Crucis magnitudinem multùm excederent. Similia plura nominatim de clavis, quibus fuit Cruci fixus, de dentibus S. Apolloniæ iterum cumulat Gerhardus. Tum quia nonnullæ reliquiæ ridiculo modo inventæ dicuntur, v. g. in monte Anthecenſi indicio muris ſchedam Altari imponentis, ut refert Heilbrunner in non cathol. Papatu fol 256. quæ pluraque alia apud Gerhardum valde ſuſpectam reddunt veritatem Reliquiarum.

XLI. Error iſte adeo abſurdus eſt, ut non tantùm ab omnibus Catholicis rectè reijciatur, ſed à nonnullis etiam hæreticis jure contemnatur. Dubitari non poteſt, apud ipſos dari aliquos filios ex adulterio natos, qui à matribus ſupponuntur maritis ſuis, & tanquam legitimi iſtorum filij paſſim honorantur. An idcirco omnes filij habeantur pro ſpurijs, nullóque digni honore cenſeantur? Negabunt omnes, qui ſanæ ſunt mentis, & ipſi in primis Prædicantes, utut aliàs ad hujuſmodi ſtoliditates proni. Sic ergo, etiamſi aliquæ Reliquiæ exmalitia hominum diabolicorum ſuppoſititiæ ſint, (quod nunc damus, non concedimus) ad lucrum faciendũ, vel quemcunque alium pravum finem, non propterea omnes aliæ tanquam tales ſunt putandæ contemnendæ, reijciendæ &c. Sufficiat nobis Inprimis, quod ex conceſſis Adverſariorum dentur veræ & approbatæ Sanctorum Reliquiæ, quæ in Romano-Catholica Eccleſia honore & reverentiâ ſingulari juxta antiquos Patres rectè coluntur, licet malè perſuadeant ſibi Novatores, inter illas eſſe nonnullas ſuppoſititias. Deinde ſi contingat ſubinde, Reliquias falſas exponi pro veris, id nihil officit intentioni Fidelium piè credentium, eſſe veras; quia intentio illorum tendit ad verum Sanctum, propter quem eaſdem Reliquias honorant, non honoraturi, ſi aliud ipſis conſtaret, adeoque tam parum hic committitur idololatria, quàm parùm committatur, ſi hoſtia tanquam conſecrata adoretur, & exponatur, quæ tamen ex malitia aut quocuuque Sacerdotis defectu non eſt conſecrata. Demum obeſum mendacium, & hæreticis familiarem in Catholicos columniam eſſe, exponi & coli falſas & ſuppoſititias Reliquias, ſi præſertim ſermo ſit de Reliquijs publicâ Epiſcoporum auctoritate expoſitis juxta decretum Concilij Trident ſeſſ. 25. Unde argumenta etiam levia ſunt & nullius roboris.

XLII. Reſpondetur *Ad 1. ab auctoritate petitum.* Nullum legitimum Concilium, nullum S. Patrem, nullum Catholicum Doctorem adduci poſſe, qui expoſitas publicè Reliquias dicat eſſe ſuppoſititias. Auctores igitur in oppoſitum apud Gerhardum adducti vel in malum ſenſum torquentur, vel ex hac ipſâ doctrinâ nullius eſſe fidei cognoſcuntur. S. Auguſtinus non dubitat de Reliquijs, quæ publicâ authoritate exponuntur: ſed de ijs, quæ privatim circumferuntur; ſi tamen S. Pater dicatur dubitare, & non ſolùm cautè prudentérque loqui. *Ad 2. ab Experientiâ ſumptum*, id nullam mereri fidem, utpote abſque dubio confictum ab hæreticis, & horum fautore Caſſandro, ſicuti multæ aliæ calumniæ contra Catholicos excogitatæ fuerunt. *ad 3. à ratione acceptum.* Ad 1. Si in diverſis locis ejuſdem Sancti Reliquiæ monſtrentur, vel ſunt tantùm diverſæ partes ejuſdem Corporis: vel plures Sancti ejuſdem Nominis fuerunt: vel alicubi tantùm res attactu Reliquiarum ſacratæ habentur. Bene etiam notat Jacobus Gretſerus L. 1. de Cruce c. 97. ſæpe ſacra pignora & lypſana ex imitatione aucta & ex prototypo expreſſa occaſionem dederunt poſteris, ut ſibi perſuaderent, ſe poſſidere ipſum exemplar, cum non niſi imaginem eiuſdem haberent. Temporis etiam diuturnitate evenire potuit, ut ſacra Lypſana permutarentur, alterúmque in alterius locum ſubſtitueretur, & id, quod non erat, eſſe cenſeretur. Quod ſi duo integra corpora diverſis in locis monſtrentur, neceſſe eſt, alterutrum locum errare, cujus erroris facilè convinci poſſunt. Ad 2. De particulis S. Crucis hoc ſingulariter dici poſſe, quod idem Gretſerus L. 10. de Cruce c. 66. ex S. Paulino & Cyrillo Hieroſol. tradit, *Lignum Crucis miraculosè creſcere*, ut mirum non ſit, ſi primam Crucem magnitudine ſuperet. Ad pluralitatem Clavorum Chriſti, & Dentium S. Apolloniæ quid dici probabiliter poſſit, jam conſtat ex reſponſione ab priorem rationem. Ad 3. denique rationem, nihil apparere abſurdi, ſi Sacræ Reliquiæ muris indicio fuerint manifeſtatæ, cum legamus in S. Script. aſini voce præſentiam Angeli Baalamo indicatam fuiſſe. Num. 22. v. 28. & ſequentibus. Per mures etiam cauſam pænæ Philiſtæis illatæ fuiſſe à Deo detectam, habemus 1. Reg. c. 5. v. 6. Ait Hailbrunner. Deum non conſueſſe, ſua myſteria per mures propalare. Sed caveat prædicans, ne diabolum faciat auctorem loquelæ aſini, & murium in agris Philiſtæorum. Videri poſſunt, quæ de Miraculis univerſim pro Fide Catholica diximus ſupra Controvers XXI. Finio hactenus dicta de cultu & invocatione Sanctorum. Item de imaginibus & reliquijs eorumdem verbis Davidis Pſal. 149. vers. 9. *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis Ejus.*

:o: IHS. :o:

PRIN-

PRINCIPIA BONORUM OPERUM

ID EST

LIBERTAS ET GRATIA.

FIDES Romano-Catholita, circa quam verſamur defendendam, non ſufficit ſola ad vitam æternam, ut in progreſſu patebit, ſed inſuper bona opera requirit. Ut igitur illius efficacia appareat, de his nunc agendum, atque inprimis ſtatuendum de iſtorum Operum principijs Libero ſcilicet Arbitrio & Gratia tam Actuali, quæ concurrit effectivè ad illa, quàm habituali, quæ dignificat eadem, ut vitam æternam mereantur. Et quia bona opera ad hominum juſtificationem comparandam: & ad æternam DEI ordinationem circa juſtificatos implendam tendunt, de hac quoq; Juſtificatione & Prædeſtinatione tractandum; cum hæretici circa utramq; nec pauca, nec levia moveant. Sit igitur juxta ceptum jam numerum.

CONTROVERS. XLVI.

DE VOLUNTATE HUMANA ſeu Libero Arbitrio.

Libertatem rectè dixeris Baſin Humanarum Actionum, ſeu laude ſeu vituperio dignarum. Unde DEUS *ab initio conſtituit hominem: & reliquit eum in manu conſilij ſui* Eccleſiaſt. 15. v. 4. Prius ergo, quàm ad Gratiam accedamus, de hac inquirendum.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

Libertas variè ſumitur 1. latè, prout idem eſt ac non coactio. 2. accipitur, prout opponitur ſervituti. 3. & propriè libertas opponitur neceſſitati, dicunturque verè liberi, qui ad opus aliquod non neceſſitantur phyſicè, ut ex communi D D. Catholicorum ſenſu oſtendit Cardin. Bellarmin. L. 3. de Grat. & Lib. Arb. c. 5. ubi c. 7. varias etiam opiniones refert circa explicationem Liberi arbitrij. Hoc promiſſo.

I. *Doctrina prima.* Liberum Arbitrium eſt Voluntas indifferens ad agendum, & à ſe ipſa determinabilis, in quam partem libuerit. Seu eſt potentia ad actus oppoſitos & incompoſſibiles, non quidem in ſenſu compoſito ſibi conjungendos, ſed in ſenſu diviſo, hoc eſt, quæ ex actibus oppoſitis quemlibet, excluſo altero, ſibi conjungere poteſt; ac proinde, quæ vel ex naturâ ſuâ, vel à cauſa ſunt ad unam partem objecti ita determinata, ut non poſſint ſe in oppoſitum flectere, libera non ſunt. Hinc ex communi Doctrina quos fusè adducit P. Didacus Ruiz D. 50. de Scient. Dei. Sect. 4. Liberum arbitrium, ſeu libertas, in actu primo definitur: *potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, vel non agere.* Unde faciiè apparet, Libertatem in actu ſecundo eſſe actionem ſeu actum voluntatis, qui ita eſt, ut potuerit non eſſe. Requiſita autem illa ſunt, quæ pro priori naturæ antecedunt operationem, nimirum cognitio indifferens, & paratus Dei concurſus per decretum indifferens alibi explicari ſolitum; quòdſi verò actus Supernaturalis eliciatur, habitus etiam ſupernaturalis præintelligitur, exceptis certis caſibus, requiritur enim carentia impedimentorum. Ex verbis iſtis: *poteſt agere, vel non agere*, triplex infertur libertas. 1. Contradictionis, quæ eſt indifferentia ad agendum vel omittendum v. g. in menſa non fuit alius potus, quàm vini, potes bibere vel obſtinere. 2. Specificationis, quæ eſt indifferentia voluntatis ad hoc vel illud agendum ex objectis ſpecie diſtinctis, ſed non contrarijs: v. g. ſi in menſâ apponantur diverſæ ſpeciei potus vinum, cereviſia, aqua, poteſt vel vinum, vel cereviſiam, vel aquam bibere, quod ex ijs malueris. 3. Contrarietatis, quæ eſt indifferentia ad unum ex duobus contrarijs v. g. ſi in menſa perponuntur vinum & venenum, potes alterutrum bibere, & ſic vitam ſervare vel perdere, quæ ſunt contraria. Idem accedit in moralibus, & electione ſtatûs. Triplex hæc libertas ſubdividitur in Directam & Reflexam; illa eſt reſpectu objecti: hæc reſpectu actûs, qui tendit in objectum. Rurſum alia libertas eſt Remota, alia Proxima; illa dicit ipſam potentiæ liberæ entitatem: hæc vero præter illam dicit prærequiſitas paulò ante conditiones, è quibus cognitio ad libertatem contrarietatis repræſentare debet rationem boni & mali: ad libertatem verò contradictionis ſufficit propoſitio boni, finiti tamen in objecto.

II. *Doctrina Secunda.* Homines habent liberum arbitrium. Ita omnes Catholici & definitur in Concil. Tridentino Seſſ. 6. Con 5. his verbis. *ſi quis liberum hominis arbtrium poſt Ada peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum demiq; à Satana invectum, in Eccleſiam, anathema ſit.* Probatur 1. ex S. Script. utriuſque Teſtamenti, quæ liberam electionem inter bonum & malum homini concedit. In vet. Teſtam. Genes. 4 v. 7. *ſub te erit appetitus ejus* (ſcilicet peccati.) *& tu dominaberis illius.* Ergo poteſt illum ſequi, vel non ſequendo reniti, quæ eſt libertas. Eccleſiaſt. 15. v. 18. *appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Ibidem. c. 31. v. 19. *beatus*

Digitized by Google

vir, qui potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala, & non fecit. Poteſtne certius aut clarius exprimi, aut magis conſpicuè depingi liberum hominis arbitrium? In novo. Teſtam. habemus S. Paulum Doctorem Gentium. 1. ad Corinth. 7. v. 37. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Et ad Philemonem. v. 14. *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, ut ne veluti ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.*

III. Probatur 2. Ex concordi Patrum aſſertione, quorum teſtimonia ordine refert Jacobus Gualterus in ſua Chronologia à Chriſto nato hucuſque per ſingula ſæcula ſub titulo 4. veritatis. 1. Jgitur Sæculo Clemens Romanus. epiſt. 3. ſic ſcribit. *Liberum eſt animo, in quam velit partem declinare judicium ſuum, & quam probaverit eligere viam; unde conſtat evidenter, ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* 2. Sæculo S. Juſtinus Martyr. Apolog. 2. ad Antoninum Jmperat. ait *genus humanum libero arbitrio liberaq; voluntate & rectè facere & peccare docemus.* 3. Sæculo S. Cyprianus in epiſt. ad Cornel. hæc habet, *homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio ſuo conſtitutus ſibimet ipſe vel mortem appetit vel ſalutem* 4. Sæculo S. Hieronymus L. 2. contra Jovinianum, liberi arbitrij, ait, *nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia trahimur.* 5. Sæculo S. Auguſtinus L. 2. de libero arbit. *habemus*, inquit, *liberum arbitrium voluntatis, & non niſi in eo peccamus.* 6. Sæculo S. Gregor. L. 13. moral. c. 6. *ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur.* 7. Sæculo S. Iſidorus L. 2. ſentent. c. 2. *homo liberoarbitrio conditus ſuâ ſponte divertit à Deo* 8. Sæculo S. Joan. Damaſcenus L. 2. de fide orthodoxa. c. 25. ſcribit, *hominem eſſe principium ſuorum operum, & poteſtate arbitrioq; liberum.* atque ſic in cæteris ſæculis doctiſſimorum hominum teſtimonia proferri poſſent. Videatur cit. Auctor. Card. Bellarminus hîc L. 5. a. cap. 13 & alij.

IV. Quia verò Janſenius Epiſcop. Iprenſis cum ſuis errorem ſuum tegere nititur Auctoritate S. Auguſtini, hæc illi non ſolùm eripienda, ſed etiam oppugnanda erit alijs inſuper teſtimonijs ex eodem S. Patre adductis. Jtaque L. de duabus animab. c. 12. ſic habet *quam ob rem illa animæ, quidquid faciunt, ſi naturâ non volluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique ijs abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato eorum teneri non poſſunt.* L. 3. de libero arbitr. c. 1. *ſi*, inquit, *naturâ aut neceſſitate motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo modo poteſt.* L. 12. de civit. c. 6. ſic diſcurrit, loquens de duobus habentibus eaſdem prorſus corporis & animi diſpoſitiones, *ſi unus tentationi cedat atq; conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeverat, quid apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere, unde? niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroq; corporis & animi affectio?* Hec aliaque teſtimonia, quamvis per ſe clariſſima vobur accipiunt ex omnibus diſputationibus, quas. S. Auguſt. adverſus Pelagianos inſtituit. Pelagius enim ex Libertate indifferentiæ in obſervatioue præceptorum, inferebat, poſſe hominem ſine gratia divinâ proprijs naturæ viribus ſervare peræcepta, & per conſequens ſuppoſitâ ſaltem promiſſione conſequi æternam vitam. Hunc errorem acerrimè impugnavit S. Auguſtinus, nunquam tamen in ſuis oppugnationibus aut reſponſionibus negavit fundamentum à Pelagio aſſumptum, nimirum libertatem indifferentiæ, ſed ſemper negavit conſequentiam, oſtendens cum libertate indifferentiæ ſtare neceſſitatem gratiæ; debuiſſet autem S. Pater negare Antecedens, ſi à Pelagianis diſſenſiſſet in conceptu libertatis, & non agnoviſſet libertatem indifferentiæ. Minor huius diſcurſûs probatur ex L. 2. de nupt. & concupiſc. c. 5. ubi reſpondens Juliano Pelagiano, qui obiecit, illos qui requirunt gratiam, negare liberum arbitrium. *Non eſt ita* inquit *ut loqueris, quæcunq; iſta dixiſti, non eſt ita, multùm falleris vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium*; qui ſi à Juliano diſcrepaſſet in acceptione liberi arbitrij, reſpondere utique debuiſſet, ſe negare quidem libertatem indifferentiæ, ſed cognoſcere libertatem à coactione, & non debuiſſes abſolutè admittere liberum arbitrium, probè gnarus, quo ſenſu adverſarius illud acciperet.

V. Probatur 3. Ratione, & quidem à priori ex natura intellectûs. Nam ſi intellectus varia ſimul objecta indifferenter proponit, aut unum idémque ſub diverſis rationibus boni & mali, conſequenter etiam voluntas indifferens eſſe debet ad eligendum, alioquin fruſtranea eſſet illa indifferens objectorum propſitio, perinde ac ſi varias vias alicui monſtrares v. g. per terrã & ærem, qui non poſſet per aëremingredi, inutilis eſſet demonſtratio, ſed intellectus indifferenter proponit objecta, ut cõſtat quotidianâ experientiâ, ideo quippe dubitamus, deliberamus, hæſitamus, quidnam eligere velimus. Ergo etiam voluntas eſt indifferens; alioquin propoſitio intellectûs potius foret illuſio, quàm beneficium Dei oſtendentis varia bona, quæ non poſſent apprehendi, perinde ac ſi apponerentur multa fercula, quibus tamen veſci non liceret. Dicit Guilielmus Ameſius Tom. 4. L. 4. n. 4. hinc falſum reddi id, quod ſtatim ab initio diximus, ad liberum arbitrium requiri libertatem ab omni omnino neceſſitate. Reſpon. Negando illatum. Nam hæc poſterior dependentia non infert ullam neceſſitatem determinatamque dependentiam ab hoc ſingulari judicio; ſiquidem liberum eſt voluntati, ex ut oppoſitis varijs rationibus non neceſſitantibus (quales ſunt omnes circa omnia bona particularia extra Deum clarè viſum) ſinat ſe pro libito moveri vel ab hac, vel ab illa. Aliud eſt de imperio ſeu judicio practico, quod teſte Suarez. D. 19. metaph. Sect. 6 ad omnem actum voluntatis prærequirunt Thomiſtæ; Nam hoc imperio poſito nulla relinquitur indifferentia in voluntate, cum ſit talis naturæ, ut non poſſit non conjungi cum actu, uti ex ipſis Adverſarijs fatetur Bartholomæus Medina 1. 2. q. 9. a. 1. dub. 2. Videatur Cardinal. Pallavicius in 1. 2. D. Thom. q. 2. a. 5. ubi eruditè oſtendit, voluntatem poſſe operari contra id, quod ex parte intellectûs etiam ut melius illi repræſentatur.

VI. Confirmatur igitur tertia noſtra probatio, & tota doctrina argumento à poſteriori. Quia ex negatione liberi arbitrij magna ſequuntur abſurda contra Deum æque ac homines. Contra Deum quidem, quia eius Sapientia & Juſtitia negatur. Nam ſi voluntas humana non eſt libera, ſed fatali neceſſitate ad unum determinata, fruſtra Deus monet, jubet, conſulit. &c. ac ſi ſurdoloqueretur, quod eſt inſipientiæ: nec delinquentes juſtè puniret ob peccata, quæ non poſſunt vitare, quod eſt injuſtitiæ. Unde S. Au-

guſtinus

Digitized by Google

guſtinus L. 5. de civit. c. 11. ait, *quis non clamet, ſtultum eſſe, dare præcepta ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere: & iniquum eſſe, eum punire, cui non ſit poteſtas, juſſa complere.* Hominibus quoque plurimùm nocet hæc liberi arbitrij negatio. Tum quia januam aperit omnibus flagitijs tanquam inevitabilibus. Tum quia omnem hominum ſocietatem diſſolvit, quia nemo poteſt alteri fidere, nec ejus dictis credere, ſi non poſſit fidem ſervare, nec promiſſa præſtare. Tum quia tolleretur omnis politia, leges, ac pænæ &c. Videatur Bellarm. loc. cit. L. 5. à c. 14. ubi hæc argumenta pluribus proponit, ac contra Calvinum defendit.

VII. Dicunt Adverſarij. Voluntas non eſt indifferens ad alterutrum ex æqualibus, cum nulla ſit ratio præferendi unum alteri. Ergo nec ad alterutrum ex inæqualibus. Ergo ad nulla duo extrema eſt indifferens. Ergo nec libera. Reſpondeo. Si Antecedens concederetur, aliud inferri non poſſet, quàm voluntatem non poſſe eligere minus bonum, ſi in meliore reperiatur omnis ratio bonitatis conveniens bono minori, & aliquid amplius. Sed negatur abſolutè Antecedens; quia voluntas manet libera, etiamſi duo æqualia bona proponantur. Ergo non debet in tali caſu ſuſpendere ſuum actum, ſed poterit unum ex illis eligere, quod voluerit, ſi præſertim judicetur expedire vel abſolutè, vel quoad aliquid, ut deligatur potius alterutrum, quàm ut prætermittatur utrumque. Videri poſt Eſparza. Lib. 3. de Act. hum. q. 12.

VIII. *Doctrina tertia.* Voluntas tamen, ſeu Liberum Arbitrium in ſuis actibus non ſemper eſt liberum, idque non tam proprio, quàm alieno defectu intellectûs, à quô dependet in operando. Eſt communis Doctorum. Nam voluntas per ſe eſt cæca, nec poteſt progredi, niſi intellectus præluceat juxta vetus proverbium: *Ignoti nulla cupido.* Si ergo intellectus rem non bene proponat voluntati, impedit ejus libertatem. Libera enim electio duo requirit. 1. oppoſitas rationes boni & mali in objecto relucentes. 2. facultatem magis deliberandi, & intellectum huc illuc flectendi ad melius inveſtigandam. Quando igitur intellectus objectum ſub unicâ tantùm ratione boni vel mali proponit, non eſt locus electioni. Similiter ſi intellectus quaſi pertinax non patitur ſe ad alias cogitationes inclinari, ſed in ſuo conceptu pertinaciter inhæret, ut fit in ſomno, ebrietate, mania &c. impeditur libertas voluntatis, quæ non ſtatim primas cogitationes ſequitur, ſed jubet intellectum magis examinare, an ita res ſe habeat, ut apparet. Unde ſi intellectus ſit inobediens, & voluntati non obtemperet, læditur voluntatis libertas. Porro illa inobedientia intellectûs oritur ex inobedientia phantaſiæ, à cujus concurſu intellectus in hac vita dependet; phantaſiæ autem pertinacia oritur ex mala diſpoſitione cerebri humoribus repleti, vel aliter læſi, ut ſpecies & Spiritus ad actum phantaſiæ neceſſarij communicari nequeant.

IX. *Doctrina quarta.* Liberum arbitrium eſt potentia non partim activa partim paſſiva, quaſi ab alio ad agendû determinata, ſed ſimpliciter activa Ita communiter Catholici Doctores. Probatur. Tum quia juxta S. Auguſtinum aliósque Sanctos Patres in voluntatis poteſtate eſt agere & non agere, velle & non velle. Tum quia actus voluntatis eſt vitalis & immanens, adeóque à principio intrinſeco, & vitali neceſſariò productus; poteſt quidem hinc liberum arbitrium etiam dici paſſivum patiendo ſcilicet ac ſuſtentando ſuum actum ſed de hac paſſivæ potentiæ ratione non eſt quæſtio, ſed de ea ſolùm, quam habeat ab extrinſeco determinante ad agendum, ut diximus. Tum quia ſi liberum arbitrium eſſet potentia paſſiva, falsò diceretur potentia libera; quippe non eſt in poteſtate patientis, quid in ipſo fiat, ſed in poteſtate agentis eſt, quid in alio faciat. Tum denique quia Concilium Trid. Seſſ. 6. c. 4. definit, *libertatem humani arbitrij non ſe paſſivè merè habere, ſed verè coöperari Deo vocanti.* De quo plura infra.

X. *Doctrina quinta.* Amor boni in communi non eſt liber, ſed neceſſarius. Ita communis Doctorum. Nam voluntas nihil poteſt velle, niſi quatenus bonum: nec bonum in communi odiſſet nec perfectum bonum ſeu felicitatem (ſiquidem eſt ex conceptu ſuo eſt omnium bonorum aggregatio) nec ullum bonum, quatenus bonum, reſpuere, ut rectè Eſparza loc. cit. q. 13. a. 2. Et ratione generalis hujus determinationis ad bonum in communi, quam Deus humanæ voluntati inſevit, dicitur ipſe Deus eſſe primus Motor omnis humanæ actionis; quia virtute hujus neceſſarij amoris poſtea liberè ſe determinat ad bona particularia; ſicuti fere fames eſt nativus appetitus cibi, cujus impulſu homo ſe determinat ad certum cibum. Dicitur autem voluntas reſpectu boni in communi non eſſe libera libertate ſaltem contrarietatis; quia non apparet, cur ea bonitas in confuſo cognita ad amorem ſui cogat, etiamſi eſſe nequeat objectum odij, ut rectè Arriaga Tom. 3. D. 7. n. 10. & conſequenter omnes, qui puram omiſſionem defendunt.

XI. *Doctrina ſexta.* Liberum arbitrium, in quo conditus eſt primus homo, per peccatum non quidem penitus in nobis eſt ſublatum, nonnihil tamen eſt imminutum ratione inclinationis in unam partem objecti. Ita Catholici, & habetur in Tridentino Concilio Seſſ. 6. c. 1. ubi *liberum arbitrium dicitur viribus attenuatum & inclinatum fuiſſe per peccatum.* Nam libertas eſt quædam indifferentia ſimilis æquilibrio ſtateræ in neutram partem magis propendentis. Sicut ergo æquilibrium imminuitur, ſi uni lanci plus ponderis imponitur, ut in unum latus magis propendeat, ita indifferentia voluntatis non nihil infringitur per inclinationem in unam partem objecti, quæ provenit vel ex inordinato ſui amore, vel ex amore ſenſibilium bonorum cibi, potûs, voluptatis &c. ſub quibus latet hamus peccati, vel ex malis habitibus per conſuetudinem introductis. Unde fit, ut voluntas tot ponderibus preſſa non abſque difficultate & violentia ad bona ſupernaturalia ſe erigere valeat; ijs tamen ſuperandis divina bonitas ſuccurrit per gratiam actualem, contrariam inclinationem ad bona ſupernaturalia infundendo. Hinc ſurgit illa pugna carnis & Spiritûs, de qua Apoſtolus ad Gal. 5. v. 27. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & Spiritus adverſus carnem*; hæc enim ſibi adverſantur, & qui in hac pugnâ vicerit, in cœlo coronabitur. Jacobi 1. v. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam ſi probatus fuerit, accipiet coronam &c.* Non obſtant Concilia Arauſicanum can. 1. & Trid. Seſſ. 5. can. 1. ubi dicitur, *totum hominem per offenſam prævaricationis Adæ fuiſſe in deterius commutatum.* Nam intelligenda ſunt de privatione & defectu doni extrinſeci, quod totam hominis naturam

turam

turam perficiebat: non intrinſecæ ac naturalis perfectionis naturam humanam conſtituentis; naturalia enim etiam in dæmonibus manſiſſe poſt peccatum integra, affirmat expreſſis verbis D. Dionyſius Areopag. c. 4. de divinis nominibus, à quo Scholaſtici deſumpſerunt iſtam ſententiam, quod ſcilicet *corruptio naturæ per peccatum inducta non conſiſtat in defectu alicujus perfectionis intrinſecæ ac naturalis, ſed ſolùm extrinſeci doni naturæ humanæ supernè attributi.* Videri poteſt Greg. de Valentia Tom. 2. diſp. 6. q. 15. puncto 1.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XII. *Error primus* eſt, Adamum & Evam in Paradiſo & in ſtatu innocentiæ habuiſſe quidem liberum arbitriū, ſed pecato perpetrato illud amiſiſſe, ut non ſolùm ipſi, ſed omnes etiam eorum poſteri fatali quâdam neceſſitate modò ad peccatum, modo ad bene operandum adigantur. Jta antiqui aliqui hæretici, ut Simon Magus & Manichæi, quos ſecuti ſunt Wicleffus, Lutherus & Calvinus, ut videre eſt apud Card. Bellarminum L. 3. c. 4. Et L. 4. c. 5. de gratia & libero arbit. Tannerum Tom. 2. D. 2. q. c. dubio j & alios paſſim. Quamvis autem iſti in eo conveniant, quod liberum arbitrium poſt lapſum Adami perierit, in modo tamen explicandi diſcrepant. Nam Stoici & Priſcillianiſtæ in neſcio quod fatum eam neceſſitatem reduxêre. Calvinus in Dei motionem refert eandem neceſſitatem; hæc enim ſunt ejus verba L. 2. Jnſtit c. 3. §. 10. *voluntatem mouet Deus, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ ſit electionis, motioni obtemperare, aut refragari, ſed illam efficiendo.* (ſeu, ut habet Gallica Editio, *ita movendo, ut ſequi neceſſe ſit.*) *Jllud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe ſit: quem trahit Deus, volentem trahit.* Lutherus pro more ſuo ſibi ſemper in inconſtantia conſtans aliter in alijs locis loquitur. Subinde enim videtur prædictam neceſſitatem refundere in corpus paſſibile, & interiores illius paſſiones: ſubinde illam neceſſitatem vult provenire ab intrinſeca natura voluntatis determinatæ ad unum. ita enim loquitur Art. 36. *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſuâ quidquam cogitare boni, aut mali, ſed omnia de neceſſitate abſoluta fiunt.* Subinde etiam ab hac neceſſitate hominis voluntatem ait exemptam (quaſi priori tempore nondum plenè fuiſſet illuminatus, ut ajunt hodierni Lutherani) in ſolis ſupernaturalibus DEO gratiâ ſuâ naturam corruptam ſananti omnia tribuendo.

XIII. Probant hunc errorem 1. ex S. Script. ad Rom. 6. v. 16. *Neſcitis, quoniam cui vos exhibetis ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis ſive peccati ad mortem. &c.* & v. 20. *cum ſervi eſſetis peccati.* vnde ſic argumentantur: nullus ſervus eſt liber, quia ſervitus & libertas opponuntur. Sed primi Parentes obediendo ſerpenti facti ſunt ſervi Dæmonis, teſte Apoſtolo loc. cit. & confirmat D. Petrus epiſt. 2. c. 2. v. 13. *reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*, Ergo tunc deſierunt eſſe liberi, ſicuti & nos peccata eorum hæreditantes. Alia præterea loca Sacræ Scripturæ afferunt, quibus innuitur, *in manu DEI eſſe corda Regum & vias hominum, omnaque in nobis DEUM operari*; ſic Jſaiæ 26. v. 12. & 1. ad Corinth. 12. v. 6. Jtem Jerem. 10. v. 23. *ſcio Domine, quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Et ad Rom. 15. v. 36. *quoniam ex ipſo & in ipſo & per ipſum ſunt omnia.* Rurſus Matth. 18. v. 7. ait Chriſtus: *neceſſe eſt, ut veniant ſcandala.* Ergo ſcandala ſunt neceſſariâ. non libera. Ergo nec alia hominis opera, cum par omnium ſit ratio. Probant 2. ex SS. Patribus maximè ex Auguſt. qui in Enchir. c. 30. ait, *hominem libero arbitrio male abutendo perdidiſſe illud.* & L. 6. de Genes. ad Litteram c. 15. & 17. ſic ſcribit: *Conditoris voluntas rerum neceſſitas eſt.* Jtem *hoc autem neceſſariò futurum eſt, quod Deus vult. & ea futura ſunt, quæ ille præſcivit.* S. Gregor. M. Lib. 3. in 1. Reg. c. 7. *omne*, *inquit, quod à nobis in omni vita noſtra proſperum geritur, divinæ gratiæ adſcribitur.* Similia plura S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum accumulat Gerhardus L. 2. Par. 3. a. 22. c. 4. Probant 3. Ratione. Tum quia non videmus apertè potentiam noſtram indifferentem. Tum quia, quod Deus, ab æterno præſcivit, nos facturos, omittere nequimus, cum non poſſimus eam ſcientiam reddere falſam. Ergo non habemus libertatem ad non faciendum id, quod Deus nos facturos prævidet. Tum quia certum eſt, Liberum arbitrium per peccatum fuiſſe paſſum; cum ergo in externis & politicis integrum ſit, in rebus, ad ſalutem pertinentibus ſubierit detrimentum oportet, ut ſcilicet ad gratiam ſe præparare, & oblato auxilio aſſentiri, coöperari, ac motus ſpirituales edere nequeat.

XIV. Error iſte lumini Naturæ repugnat, ex quo videmus peccata eſſe in mundo, & quilibet in ſe experitur, ſtimulat quippe eum conſcientia, indeque ſequitur dolor ac propoſitum illud de çætero non committendi. At ſi homo non eſſet liber, non poſſent eſſe talia peccata, quod enim homo vitare non poteſt, cur in eo reprehendatur, aut vituperio dignus habeatur. Aſſentiuntur doctrinæ noſtræ de libero arbitrio experientiâ hâc edocti & naturali lumine illuſtrati omnes Philoſophi Græcorum, Flamines Romanorum, Brachmannes & Bontij Jndorum, Rabini Judæorum, &, ſi interrogentur, non impietatis ſolùm, ſed & ſtoliditatis contrarium errorem damnabunt, qui homines facit aſinos; quid enim hominis in homine erit, ſi libertatem de opſeris? quid etiam virtutis & vitij, ſi arbitrium ſuſtuleris? Quare imprudens planè & impudens cenſendus eſt ille, qui ſine efficaciſſimo argumento ſe opponit omnium fere hominum præteritorum & præſentium judicio ex lumine naturæ & experientia profecto. Atqui ad negandam libertatem nullum, nec leve eſſe argumentum parebit ex ſolutione eorum, quæ adducta fuerunt.

XV Reſpondetur igitur 1. *ad S. Scripturam.* Ex illo ad Roman. 6. nihil penitus probatur. Tum quia illa ſervitus peccati per pœnitentiam deſinit, & reſtituitur libertas, ut ait Apoſt. loc. cit. v. 22. *nunc autem liberati à peccato ſervi autem facti Deo.* Ergo univerſim non eſt verum, homines juſtificatos carere libero arbitrio propter ſervitutem peccati. Tum quia ſervitus peccati non eſt perfecta, nec tollit omnem libertatem etiam peccatoribus, ſed tantùm eius vſum difficiliorem facit pro-

ſit propter rebellionem concupiſcentiæ. Tum quia peccatores ſunt ſervi diaboli, quamdiu manent in ſua mala voluntate, quam tamen cum divina gratia mutare poſſunt. Jtaque non eſt abſolutè ſervitus, ſed conditionatè ſub liberâ conditione, quamdiu volunt in ſuo malo propoſito permanere. Pro reliquis locis S. Spcripturæ. Quando inſinuatur *in manu Dei eſſe corda Regum, & vias hominum*, advertendum, non eſſe idem, liberam eſſe volitionem interiorem: & liberam eſſe executionem Nam actio exterior, in quâ conſiſtit executio, non eſt libera formaliter in ſe, ſed denominativè à volitione interriori, à qua imperatur; unde etiamſi actio externa impediatur à Deo, vel à quocunque alio, non propterea ullo modo putandum eſt, noceri libertati voluntatis, ſeu actûs interioris, in quo præcisè eſt libertas. Hinc loca aliqua S. Scripturæ, quæ hæretici pro ſe afferunt, facilè contra illos retorquentur v.g. Proverbior. 16. v. 1. dicitur: *hominis eſt, animam præparare* (ecce libertatem interiorem!) *& Domini gubernare linguam* (ecce impedimentum in actione exteriori!) Vnde ex hoc & ſimilibus locis aliud non habetur, quàm actiones externas hominum liberè propoſitas diverſis modis impediri à Deo poſſe, quod nihil prorſus contra nos. Quod autem Lutherus objiciat illud Jſaiæ 41. v. 22. *bene aut malè ſi poteſtis facite*, eſt prorſus abs re; quia Propheta non loquitur de hominibus, ſed de idolis, quibus exprobrat imbecillitatem ſuam. Porro quando dicitur Deus *omnia operari in nobis*, aliud non vult inſinuare S. Scriptura, quàm Deum concurrere nobiſcum tanquam cauſam generalem, à qua libertatem non lædi dicetur ſuo loco. Demum quando Mathæi. 18. ſcandala neceſſariò venire dicuntur, hæc. neceſſitas minimè repugnat libertati; quia non oritur ex cauſa efficiente, ſed finali, quaſi diceret Chriſtus, nemo miretur, Deum tot Scandala permittere (Siquidem facilè, ſi vellet, impedire poſſet.) quia hæc permiſſio eſt neceſſaria ad finem à Deo intentum, nimirum *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*, ſicuti Apoſtol. 1. ad Corinth. 11. v. 19. exponit.

XVI. Reſpondetur 2. *Ad Patres.* Allato teſtimonio ex Enchiridio S. Auguſtini opponimus aliud ex eodem contra duas epiſt. Pelagij. L. 1. c. 2. ubi hæc habet. *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, ſed ea, quæ in Paradiſo fuit, habendo plenam cum immortalitate juſtitiam; nam liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant*, Quibus verbis S. Pater & explicat locum ab hæreticis objectum, & veram inhomine libertatem adhuc remanere affirmat. In altero teſtimonio ex Geneſ. ad Literam non loquitur S. Pater de actibus noſtis liberis, ſed de operibus abipſo Deo immediatè liberè factis v. g. Mundi fabrica, animantium creatione &c. Nam eo ipſo, quod Deus talia velit, ſine dubio neceſſariò exiſtunt; quod ſi etiam loquatur de actibus liberis, ideo neceſſariò eſt futurum, quod Deus vult, quia ea volitio nititur futuritione conditionta eorum actuum: & omne, quod eſt ex ſuppoſitione, quod ſit, neceſſariò eſt, quæ neceſſitas non tollit abſolutam libertatem, ut oſtendunt Scholaſtici. Ad S. Gregorium dicimus, indubitatum eſſe, gratiæ adſcribendum eſſe, quidquid à nobis proſperum & ad ſalutem pertinens geritur, ut definit Arauſicanum can. 7. Jnterim non minùs certum eſt, eidem gratiæ liberè nos cöoperari. Vnde ut bene monet Becanus in Manvali L. 1. c. 15. diligenter diſtinguenda ſunt hæc tria. 1. Nihil boni operis, quod ad ſalutem conducit, facere nos poſſe ſine gratia Joan. 15. v. 5. & 2. ad Corinth. 3. v. 5. 2 Non eſſe in poteſtate noſtra, ut habeamus gratiam Dei prævenientem, quâ excitemur ad bene operandum ad Rom. 9. v. 16. 3. eſſe tamen in noſtra poſtate, ut, quando habemus gratiam Dei, cum illa cöoperemur; non enim gratia Dei neceſſitat, ſed uti acceptari poteſt, ita & repudiari. Hinc querela illa contra malè utentes libertate hac Actor. 7. v. 51. *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.*

XVII. Reſpondetur 3 *ad argumenta ex ratione.* Ad 1. Experientia hæc humanæ libertatis tam certa eſt, ut alio argumenro opus non ſit: rectèque dixit Scotus non rationibus, ſed verberibus refutandum eſſe, qui arbitrij libertatem negat. Et licet ita eſſet, certè neque in contrarium quidquam ratio, aut experientia oſtendit; Deus autem clariſſimè eam libertatē in Scriptura tradidit, omnéſque ſapientes & inſipientes agnoſcunt. Cur ergo vel ab auctoritate ſaltem non agnoſcit hæreticus? ſicut fatetur Verbum fuiſſe incarnatum, quamtumius nec rationem naturalem, nec experientiam habeat pro illa veritate, quæ attentâ ratione naturali multò minus oſtenditur, quam noſtra libertas. Ad 2. neceſſitatem hanceſſe ſolùm conſequentem, non antecedentem; iſta dicitur, quæ antecedit effectum futurum, nec illum præſupponit, ideóque libertatem tollit: illa vero dicitur, quæ effectûs futuritionem ſupponit, & idcirco libertati non repugnat; ſiquidem implicat, aliquid eſſe futurum, & non eſſe futurum ſimpliciter. Sicuti ergo Petrus non ideò ſe neceſſariò movet, quia ego moveri eum video: ita nec peccat neceſſariò, quia Deus illum peccare videt, ut mox magis conſtabit ex dicendis. Ad 3. Liberum arbitrium, quomodo fuerit paſſum, diximus ſupra ex Tridentino, nempe non eſt quidem extinctum, quia retinuit vires naturales, eſt tamen attenvatum, quia ſpoliatum donis ſupernaturalibus. Hinc apparet, nos ex parte noſtra diſſentire à Pelagianis & à Calvinianis; ill dicebant, liberum arbitrium nullomodo eſſe læſum: iſti clamant, omnino eſſe extinctum. Nos Catholici fatemur, labefactum eſſe quoad ſupernaturalia: integrum perſeveraſſe quod naturalia. Jta Eccleſia ſemper eſt media inter hæreticos, ſicuti Chriſtus inter duos latrones crucifigitur, ut iam olim aiebat Tertulianus. Cæterùm hæretici hodierni injuiriam fieri conqueruntur tam Luthero & Calvino, quàm ſibi, dum liberum arbitrium tollere dicuntur. Verùm quæ ſit Lutheri & Calvini atque ipſius Janſenij mens, luculenter perſpicitur ex illorum verbis in hunc finem ſupra allatis, & mox de Janſenio magis conſtabit.

XVIII. *Error ſecundus.* poſt peccatum Adami non dari in poſteris libertatem indifferentiæ, ſed ſolùm libertatem à coactione, atque hanc ſufficere ad actus morales: nec requiri liberum arbitrium in utramque partem. Ita Cornelius Janſenius non ille Flander Gandavenſium Epi-

Digitized by Google

ſcopus & celeberrimus Evangelicæ Concordiæ Scriptor, ſed Holandus ex Doctore Theologo Epiſcopus Jprenſis in opere ſuo in tres tomos diviſo, & Lovanij 1640. impreſſo, cujus titulus: Augustinus. Vbi ita ſcribit. Imprimis Tom. 3. L. 6. c. 12. col. 658. *nihil aliud libero arbitrio generaliter repugnat, quàm neceſſitatis illius prementis cogentiſque violentia.* Jbidem L. 8. cap. 19. col. 869. *Hinc nulla gratia efficacia, nulla neceſſitas actibus noſtris liberis formidanda eſt, ſed ſola vis coactionis, & neceſſitas violentiæ; reliquam verò quamcunq; & quantamcunq; neceſſitatem cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis?* Deinde poſtquam col. 866. communem libertatis definitionem rejecit veluti *gratiæ Chriſti inimicam*, addit eod. tom. & lib. 8. cap 20. col. 871.: *poſſe tamen liberum arbitrium etiam peccato originali læſum tam ante quàm poſt ſuceptam gratiam velle & nolle, agere & non agere &c. in ſenſu diviſo non compoſito; quia in eodem voluntatis arbitrio poteſtas peccandi, & gratia non peccandi ſimul conjungi poteſt.* Demum illo ipſo Tom. & lib. c. 19. col. 867. ſuam ſententiam & definitionem aperiens aſſerit, *libertatem arbitrij in hoc conſiſtere, quod homo agat, & non invitus, neq; coactus, ſed volens agat hoc modo*: in cujus probationem adducit D. Auguſt. L. 3. de libero arb. c. 3. docentem, *id nobis eſſe liberum, quod in noſtra eſt poteſtate: præterea id eſſe in noſtra poteſtate, quod ſi volumus, facimus: & ſi nolumus, non facimus; Ex quo conijcitur implicare contradictionem, voluntatem noſtram non eſſe liberam; etenim quando volumus adeſt volitio; aliàs vellemus ſine volitione: & quando nolumus, non adeſt volitio; aliàs nolentes vellemus. Si igitur de aliquo verum ſit, quod adeſt, dum volumus: & cum nolumus, non adeſt, maximè de volitione noſtra verum ſit, oportet.*

XIX. Non diſcrepat iſte error a priore Calviniſtarum & Lutheranorum, quidquid dicat Ameſius loc. cit. fol 68. conquerens per calumniam tribui ſuis, quod libertatem ſtatuant duntaxat à coactione, cum ſupponant libertatem voluntatis à neceſſitate naturalis determinationis ad unum. Sed frivola hæc eſt querimonia & evaſio; non enim eſt controverſia, an liberum arbitriũ habeat neceſſitatem naturalis determinationis ad unum, ut ſaxum determinatur à naturâ deorſum ad centrum, ignis ad calefaciendum, ſed an liberum ſit ab omni neceſſitate abſoluta extrinſecus illatâ abſque coactione ſeu violentiâ? Hic reſpondeant categoricè, quotquot ſunt Lutheri & Calvini non degeneres diſcipuli. Verane ſint ipſiſſima verba Lutheri & Calvini ſupra §. XII. fideliter relata: an falſa impia & blaſphema? Si vera; quomodo Calumniam patiuntur? ſi falſa impia & blaſphema, cur non ijſdem ſe opponunt, & omiſſis inutilibus verborum ambagibus mentem ſuam apertè exponunt, ſicuti nos facere vident? adhæc liberum hominis arbitrium vel eſt per peccatum omnino extinctum, vel non? ſi prius. Ergo nec in ſupernaturalibus nec in naturalibus liberè operamur, utpote libertate ſpoliati: ſi poſterius, in ſupernaturalibus æque ac naturalibus liberi remanemus; cum libertas non poſſit in illis eſſe ſublata & extincta, in his vero relicta.

XX. Porro Janſenius hiſce hæreticis conſentiendo probat opinionem ſuam tum ijſdem argumentis, quæ ſupra ſectarij retulerunt, & jam rejecta ſunt, tum ſequentibus ſparſim in opere ſuo indicatis. 1. D. Auguſtinus, totus quantus eſt, aſſertoribus bicornis indifferentiæ repugnat; omiſſis alijs ejus teſtimonijs, in Enchir. c 105. ait. *voluntatem illam eſſe liberam, quâ volumus eſſe beati,* quam tamen beatitudinem non poſſumus non velle. Et L. 23 de Civit. Dei c. vlt. *Beatos pronuncitat, non ideo liberum arbitrium non habere, quia peccare non poſſunt.* 2. S. Bernardus ſerm. 81. in Cantic. ſcribit: *ipſam ſibi voluntatem peccato neceſſitatem facere.* 3. D. Thomam in quæſt. decima de potentia a. 2. ad 5. docet, ſolam coactionem repugnare naturali libertati voluntatis. Et in 1. part. q. 83. a. 3. ad 3. per peccatum periiſſe libertatem gratiæ, ſed non libertatem naturæ, quæ eſt, inquit, à coactione. 4. Voluntas noſtra perinde ſeruit concupiſcentiæ imperio, ac voluntas Beatorum divinæ charitati. 5. omne illud eſt nobis liberum in actibus, quod eſt à noſtra voluntate abſque coactione & violentia. Sed quandocunque aliquid volumus non inviti et coacti, eſt id à noſtra voluntare abſque violentia, Ergo eſt liberum. 6. definitio illa liberi arbitrij, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere & non agere eſt veteribus incognita, Chriſti gratiæ inimica, Sacræ Scripturæ neceſſitatem gratiæ adſtruenti contraria. 7. Pelagianiſmum reſuſcitant, qui libertatem indifferentiæ propugnant.

XXI Error iſte manifeſtè contrariatur Sacræ Scripturæ Concilijs ac Patribus nominatim. S. Auguſtino, ac demum rectæ ſanæque rationi, imò & experientiæ, uti conſtat tum ex dictis parte priore, tum ex dicendis ſtatim magis conſtabit. Jtaque Libertas à Mag. Sententiarum in 2. diſt. 25. ex S. Script. & Patribus triplex diſtinguitur; una à neceſſitate: altera à peccaro: vltima à miſeria. Prima eſt naturæ. Secunda gratiæ. Tertia gloriæ; cùmque libertas Naturæ iterum ſit duplex; una quæ opponitur ſimplici coactioni: altera, cui non ſola coactio, ſed etiam neceſſitas quæcunque abſoluta repugnat; ad liberum arbitrium hanc poſteriorem libertatem indifferentiæ requiſivimus. ſupra §. 2. doct. 2. & ex iſta errorem præſentem nunc reijcimus. Primò. quia aduerſatur Sacræ Scripturæ, cujus clariſſima teſtimonia loc. cit. ſupra adduximus. Secundò. quia aduerſatur Concilijs & Patribus. Concilium Arauſicanum can. 25. ſtatuit, *poſſe hominem Baptizatum, ſi velit, bene vivere.* Experientia autem docet, poſſe eundem, ſi velit, etiam non bene vivere, ac proinde poteſt velle, & non velle, bene & malè vivere. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. definit: *hominem conſentientem gratiæ vocanti poſſe diſſentire, ſi velit.* Ubi expreſsè decernitur potentia ad utrumque oppoſitorum; qui enim conſentit, poteſt conſentie. Ergo ſi poteſt diſſentire, uti definitum eſt, habet ſimul potentiam conſentiendi, quam exercet: & potentiam non conſentiendi, imò diſſentiendi, quam non exercet; ac proinde Sacra Synodus tam impoſſibile cenſuit, conſentientem non poſſe conſentire, quàm conſentientem liberè non poſſe diſſentire, ſive etiam ſic non conſentire. Pius V. & Gregorius XIII. Summi Pontifices damnarunt hanc trigeſimam octavam propoſitionem Michaëlis Baij: *quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*; hæc autem etiam eſt propoſitio Janſenij. Patres & ſpecicatim S. Auguſtinum pro libertate indifferentiæ ſupra §. III. adduximus. Tertiò adverſatur rationi. Tum quia ſic Deus liberè geniuſ-

Digitized by Google

genuiſſet filium ab æterno, quia non coactè. tum quia ſic liberum arbitrium pecoribus competeret æquè ac pueris, furioſis, ſomniantibus. Tum quia ſic chymerica omnino eſt poteſtas electiva cum determinatione ad unum; etenim electio eſt inter multa, ideoque electionem præcedit conſultatio. At ſi neceſſe habeo, unum aliquid velle aut facere, ad quid conſultatio? ubi electio? Tum quia unus quiſque in ſe ipſo, ſi quidem ſe attentè reflectere velit, experitur, quod, quando quis ſibi imperat ambulationem v. g. quod, inquam, ipſa volitio ambulandi non prorumpat à potentia volitiva eâ neceſſitate (propoſitis motivis contrarijs tam ad ambulandum quàm ad non ambulandum.) quâ neceſſitate ſequitur ad volitionem ipſa externa ambulatio: Item experitur, imperium voluntatis non ſequi eâ neceſſitate ad ſimplicem complacentiam, quâ neceſſitate ſequitur ipſa ſimplex complacentia ad cognitionem bonitatis in objecto. Ergò hæc minor neceſitas arguit poteſtatem præſentem ad oppoſitum, ſive libertatem indifferentiæ.

XXII. Jtaque errorem hunc Sacræ Scripturæ Concilijs & Patribus rectæque rationi repugnantem meritò rejecit Jnnecentius X. Papa in Bulla Anno. 1653. ubi inter quinque propoſitiones Janſenij Epiſcopi Iprenſis damnâtas, cum tertiò loco poſuiſſet iſtam; *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*; mox ſubjungit Pontifex, *eandem propoſitionem hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Hoc Jnnocentij decretum confirmavit poſtea Alexander VII. Anno 1658. & prædictam Janſenij propoſitionem iterum rejecit ac damnavit. Argumenta, quæ pro ſe Janſenius attulit, nihil virium habent. Reſpondetur 1. Ex mente S. Scripturarum ac Conciliorum Patres tam Græci quàm Latini à primo Eccleſiæ exordio per ſingula ſæcula, atque in primis S. Auguſtinus ejusque Diſcipuli indifferentiam voluntatis ad utrumlibet expeditam vinculo neceſſitatis antecedentis ita agnovere, ut fateantur, *vitam nobis datam eſſe, cui vis illa non ſit aut impreſſa neceſſitas ad operandum, in manu noſtra eſſe eligere vel non eligere, parere & non parere Deo vocanti: neceſſitatem nos non habere, ſed poteſtatem Deum ſequendi: quocunq; voluntatem inflectere, quin & collatam gratiam negligere poſſe: illi impulſui ſine peccato cedi, cui reſiſti non poteſt.* Unde etiam D. Auguſt. L. 1. Retr. c. 22. & L. de Nat. & Gratia c. 65. & in Pſal. 134. dum gratiam cum natura conciliat, eò recurrit, *quod liberum ſit opus, quia non ex neceſſitate procedit actio.* Quare Janſenius D. Auguſtino injuriam facit longè graviſſimam, dum adeo præfractè & impudenter dicere audet, S. Patrem aſſertionibus libertatis indifferentiæ adverſari: errori autem ſuo eundem Patrem patrocinari, cum apertè plus quàm cœlum à terra diſtet doctrina S. Auguſtini ab errore Janſenij. In Enchirid. S. Pater loquitur vel de ſolo exercitio, vel etiam quoad ſpecificationem de alijs rebus felicitati non annexis. Quamvis enim voluntas noſtra non ſit libera in appetenda felicitate, ut dixi §. X. poteſt tamen ceſſare ab appetendo: multæ etiam ſunt res aliæ, quæ non ſunt neceſſariò cum beatitudine connexæ. Lib. 22. de Civit. ſolùm vult, ex eo non auferri in Beatis liberũ arbitrium, quod peccare non poſſint, imò illud potius confirmari, qui enim peccare non poſſunt, liberrimi ſunt in eligendo, & hoc vel illud bonum eligere valent; ſic etiam ipſe Deus non poteſt mori, falli, aliquid neſcire, ex quo tamen non adimitur ipſi libertas. Videatur Bellarm. L. 3. de gratia & Liber. arb. c. 6. ubi plura teſtimonia & ipſa verba S. Auguſt. affert, & juxta reſponſa noſtra explicat.

XXIII. Ad 2. S. Bernardum loqui de neceſſitata conditionata, quæ non repugnat libertati: non autem de abſoluta, quæ cum libertate conſiſtere nequit; utique enim homo neceſſariò peccat, dum pravum affectum ad peccandum non deponit, ſed ipſi cedit, quem tamen deponere deberet, & vincere poſſet. In quem ſenſum Paulus 1. ad Corinth. 11. v. 19 dixit, *oportet hæreſes eſſe*, ſuppoſitâ ſcilicet hominis infirmitate, inconſtantiâ, ſuperbiâ, & pronitate in novitates, à quibus vinci ſe ſinunt, non, ut poſſent, reſiſtendo. Cæterùm quæ ſit mens D. Bernardi, patet ex Lib. de gratia & liber. arb. ubi hæc habet: *eſt verò gratia data voluntati, ut inſtruat illam, non ut deſtruat; deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei ullam imponeret: quominus ſe pro arbitrio volueret, ſive in malum conſentiens appetitui, ſive in bonum gratiam ſequens.*

XXIV. Ad 3. S. Thomam in Q. 10. de Potentia loqui de voluntate ſimplici: non de voluntate determinante, ut eſt principium electionis, quæ ſola liberum arbitrium nominatur. In prima parte eumdem accipere coactionem pro neceſſitate ſive determinatione de unum; Nam in corpore articuli dixerat, liberum arbitrium non eſſe habitum, ſed potentiam, quia per habitum inclinamur ad unum: liberum autem arbitrium indeterminatum eſſe ad multa etiam oppoſita. De reliquo quid Angelius Doctor in re præſenti ſentiat, ipſemet apertiſimè declarat in diſputatis Q. Q. de malo q. 6 & unica. quæ eſt de electione humanâ. Ubi ſic ſcribit: *hæc opinio quâ quidam dicunt, voluntatem hominis ex neceſſitate moveri ad eligendum, nec tamen cogi, eſt hæretica; tollit enim rationem meriti ac demeriti, ſubuertit omnia principia philoſophiæ moralis; ſi enim ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, & præceptum, & laus & vituperium.*

XXV. Ad 4. Negando voluntatem noſtram neceſſariò ſervire concupiſcentiæ: & Beatos liberè diligere Deum. Nam tametſi admittenda in Beatis perfectiſſima libertas, quæ ſit immunitas à peccato, nulla tamen in illis datur libertas, quoad dominium actûs circa ardentem eorum amorem in Deum, & voluntatem non peccandi; quemadmodum enim in Beatis non datur libertas ad peccandum, quia neceſſe eſt, ob determinationem potentiæ ad oppoſitum beſſ peccatum, ita quia neceſſe eſt ſimpliciter, ab illis poni amorem ex determinatione potentiæ, non datur reſpectu horum actuum libertas. Aliter ſe habet concupiſcentia ad voluntatem, quæ iſtam nequaquam neceſſariò ad unum trahit, & determinat juxta illud Geneſ. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*; quaſi diceret Deus Caino mæſto vultu ob conſcientiam perpetrati fratricidij, & timorem inſtantis pænæ incedenti; facilè omnem evades pænam, ſi, ut liberi es arbitrij, volueris concupiſcentiæ & appetitui tuo tanquam mancipio rebelli dominari, & reſiſtere; etenim invitare te poſſunt paſſiones & appetitus tui ad culpam, ſed cogere non poſſunt. Quodſi concupiſcentia jam pro imperio in hominem agat,

Digitized by Google

ac in ſui ſervitium indeſinenter trahat, ut vult Janſenius: adeóque flexibilitas arbitrij in utramque partem, quæ fuit in Adamo, in nos transfuſa non ſit, extinctam prorſus corruptámque naturam, ac penitus omnem ſublatam fuiſſe libertatem, neceſſe eſt, prout contendunt Calvinus, Lutherus, Buzerus, & alij Sectarij. Quid enim ultra ad hoc, ut illa penitus ſublata ſit, exigitur, quàm ut nulla ſit indifferentia ad agendum bonum? ut voluntas concupiſcentiæ imperio ſerviat? ut non ſuppetat medium antiquam arbitrij flexibilitatem obtinendi? quæ aliáque cum admittat Janſenius, non apparet amplius, quomodo in nobis liberum arbitrium concedere queat.

XXVI. Ad 5. Negando Majorem. Nam omnis voluntas ex vi actûs primi determinata ad unum, ut habeat neceſſitatem operandi; eò ipſo deſinit eſſe libera, eâ libertate, quam Sacræ Scripturæ, Concilia, Patres & Theologi ad meritum & demeritum requirunt. Etſi enim fateantur omnes, quemvis voluntatis actum eſſe liberum libertate oppoſitâ violentiæ vel coactioni, non tamen eâ libertate, quæ laudem vel vituperium parit, & de qua ſolâ contenditur cum hæreticis, & quam agnoverunt Gentiles, contra quos efficaciter probat D. Auguſtinus, dari præſcientiam actuum futurorum, qui etſi prævisi maneant nihilominus liberi ex eo, quod omnia eo modo præſciantur eſſe futura, quo futura ſunt; cui nihil derogat, dari aliquem actum voluntatis non liberum. Unde infertur, eum ſolum actum eſſe liberum, quem voluntas poſitis omnibus ad agendum requiſitis efficere vel non efficere poteſt.

XXVII. Ad 6. eſſe decumanum mendacium. Nam quotquot ab exordio Eccleſiæ fuerunt Catholici Doctores, Sacris litteris inſiſtentes hanc liberi arbitrij definitionem, *quod ſit facultas quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, agere vel non agere poſſit*, aut apertè tradiderunt, aut ita ſuppoſuerunt, ut haud obſcurè ex illorum verbis conijci poſſit. Equidem video Janſenium in opere ſuo non paucos etiam Auctores pro opinione ſuâ allegare. Sed eos nolentes volentes ſibi ſervire facit. Plurium teſtimonia, quæ à vero ſenſu avulſa pro ſe adducit, ipſi non patrocinantur, ſed apertè adverſantur. Reliqui autem ferè omnes Auctores, qui vel obſcurè loquuntur, vel in ſpeciem Janſenio favere videntur, iiſdem aut vicinis locis tam diſertè & velut ex profeſſo docent libertatē indifferentiæ ad utrumlibet à Janſenio impugnatam, ut eoſdem vel non vidiſſe, vel malâ fide illos attuliſſe, haud immeritò cenſeatur. De reliquò Libertatem indifferentiæ Sac. Scripturæ omnino concordare, & gratiæ Chriſti nihil derogare, conſtat tum ex dictis, tum ex dicendis magis conſtabit.

XXVIII. Ad 7. Denique, eſſe calumniam graviſſimam, ac impudentiſſimam. Pelagius præter nudas liberi arbitrij vires, non niſi externam legis, & doctrinæ gratiam agnovit, nullam verò gratiam internam conceſſit, quæ à Spiritu S. profecta tum voluntatem intus moveat, ejúſque dejectas vires roboret., tum ipſam operationem conferat. Illi autem, qui libertatem indifferentiæ propugnant, omnem prædictam gratiam internam à Pelagio negatam, & contra iſtum à Concilijs Arauſicano, Milevitano, & noviſſimè à Tridentino aſſertam fideliſſimè tenent, apertiſſimè docent, & conſtantiſſimè defendunt. Quomodo ergo Pelagianiſmum reſuſcitant, dum, quam dixi, libertatem indifferentiæ, propugnant? Eandem libertatem indifferentiæ clarè aſſeruerunt antiquiſſimi Patres, ut ex ipſorum verbis patet apud Bellarm. L. 6. de Gratia & Lib. arbit. c. 11. Quàm parum autem iſti vetuſtiſſimi Patres per aſſertam Libertatis indifferentiam primò excitarunt errorem pelagianiſmi, tam parùm iſtum jam damnatum iterum reſuſcitant illi Auctores, qui ſæpe dictam libertatis indifferentiam propugnant. Patet igitur ex his, nihil argumentis Janſenij contra libertatis indifferentiam ſubeſſe, niſi injurias, calumnias, & mendacia, in Sac. Scripturam, SS. Patres, & in Catholicos Doctores ac Scriptores. De Pelagianiſmo autem plura in ſequentibus controverſijs.

CONTROVERS. XLVII.

DE GRATIAE ACTUALIS Naturâ.

GRatia hîc loci non eſt accepti beneficij recompenſatio: neque affectus benevolentiæ, quo quis alterum gratum habet, ſed potius donum & beneficium ex tali benevolentia profectum; quo ſenſu Gratia ſubinde accipitur latè pro quovis beneficio gratis conceſſo, & comprehendit creationem, conſervationem aliáque dona merè naturalia. Propriè autem ſumitur *pro dono divino naturæ ordinem aliquo modo tranſcendente, & ad ſupernaturalem beatitudinem conſequendam adjuvante.* Ita ſumpta inprimis dividitur *in Gratiam gratis datam: & Gratiam gratis facientem*; per priorem intelligitur illud duntaxat donum, quod à Deo gratis conceſſum eſt ad utilitatem aliorum, cujuſmodi ſunt gratiæ linguarum, curationum, prophetiæ, miraculorum &c. de quibus Scholaſtici cum S. Thoma 1. 2. Q. 111. a. 4. & 5. per poſteriorem intelligitur Gratia juſtificans & gratum faciens vel formaliter, ac permanenter, ut facit gratia habitualis, vel diſpoſitivè ac tranſeunter, ut facit gratia actualis; de hac nunc: de illa poſt agemus.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Gratia Actualis eſt bona cogitatio in humano intellectu divinitus excitata ad voluntatem à malo abſtrahendam & ad bonum inclinandam præſertim tempore tentationis. Explico ex Danielis c. 13. Cum Suſanna uxor Joachim à duobus impuris ſenibus ad adulterium ſolicitaretur cum mortis comminatione, ni voluntati eorum obſequeretur, cepit ejus voluntas metu mortis concuſſa trepidare. Tum repente Deus ſuggeſſit illi bonam cogitationem de ſua præſentia, & omnium ſcientia, quâ cogitatione voluntas roborata ſe reſolvit potius mori, quàm peccare, ut diceret v. 23. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Hæc cogitatio Dei præſentis & omnia vi-

Digitized by Google

nia videntis fuit Actualis Gratia, cujus virtute peccatum vitavit metu mortis ſuperato, & inſigni actu Charitatis exercito, quod mallet mori, quàm Deum offendere. Aliud pertinens ad deſiderium boni habemus in Davide. 1. Paralip. 17. v. 1. qui ſplendorem ſui palatij conſiderans, & Arcæ Dei ſub pellibus latentis vilitatem contemplans cepit cogitare de templo extruendo: *Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem fœderis Domini ſub pellibus eſt*; quaſi diceret, nonne hoc eſt turpe, me habitare tam ſplenditè, & arcam DEI tam abjectè aſſervari? quæ cogitatio de Majeſtate Dei fuit Gratia Actualis in ejus voluntate excitans reverentiam DEI, & deſiderium honoris ejus per extructionem magnifici templi promovendi.

II. Hujuſmodi cogitationes piæ ſeu Gratiæ Actuales in SS. Litteris appellantur varijs nominibus. 1. dicuntur Jlluminationes, quia ſpirituale lumen cognitionis intellectui humano impertiunt. Joannis 1. v. 9. *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. 2. Jnſpirationes, quaſi taciti ſuſurri in auriculam. Job 32. v. 9. *Jnſpiratio omnipotentis dat intellectui gratiam*. 3. Vocationes, quia, hominem ad Deum vocant. Proverb. 1. v. 24. *vocavi & renuiſtis* 1. Corinth. 1. v. 26, *videte vocationem veſtram*. 4. Locutiones Oſeæ. 2. v. 14. *loquar ad cor eius*. 5. Tractiones Ioan. 12. v. 32. *omnia traham ad me ipſum*. Joan. 6. v. 44. *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. 6. Excitationes quaſi dormientium. ad Ephes. 5. v. 14. *ſurge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*. 7. Jmpulſus Apocal. 3. v. 20. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi januam, intrabo per illam*; quem etiam impulſum Suarez Part. 2. de gratia L. 3. c. 7. n. 7. indicari ait à Tridentino Seſſ. 7. c. 5. ubi dicitur vocatio ad juſtificationem fieri *tangente deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem*.

III. Iſtas cogitationes bonas interdum Deus immediatè per ſe excitat non adhibitâ causâ ſecundâ: interdum mediatè per cauſas ſecundas, ſive per Angelos, qui ſpecies phantaſiæ commovent, & per naturalem ſympathiam intellectûs cum imaginatione etiã cogitationes excitant præſertim in Somnijs, ſicut Angelus dormienti Joſeph eſt locutus, Math. 2. v. 13. ſive per homines, Doctores, Scriptores, Monitores. &c. ſive per objecta ſenſibilia, v. g. conſpectum cadaver excitat memoriam mortis, & rerum humanarum vanitatem oſtendit, ex quo gignitur contemptus mundi &c. Ex ijſdem cogitationibus plerumque oriuntur indeliberati motus voluntatis, vel inclinationes ad bonum, vel retrahentes à malo; atque utroſque hoſce actus tam intellectûs ſcilicet, quàm voluntatis ſignificari nomine Gratiæ & Auxilij actualis, & illud per illos adæquatè conſtitui, communiter tenent Theologi, & apertè traditur à Concilio Arauſicano 2. Can. 7. ubi docet, *nullum poſſe conſentire prædicationi evangeliæ, neq; bonum aliquod eligere abſq; illuminatione & inſpiratione Spiritûs S. qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo*. Quamuis autem prædictos actus in nobis producat Deus, potentijs noſtris etiam phyſicè concurrentibus, hoc ipſo quod ſint vitales, rectè nihilominus dicitur Deus producere illos *in nobis ſine nobis*; ex qua etiam cauſa benè ab Arauſicano dicitur *homo eoſdem non facere*; quia cum de homine ſermo eſt, iſte operari & agere non dicitur, niſi agat humano modo, id eſt liberè.

IV. *Doctrina ſecunda*. Prædictæ Gratiæ & Auxilia divina non cogunt aut neceſſitant hominem ad aſſentiendum, ſed tantùm ſuadent & alliciunt, ut profuâ libertate vel acceptare poſſit conſentiendo, vel reſpuere negligendo. Jta Omnes Catholici Doctores Probatur 1. ex Sacra Script. Iſaiæ. 5. v. 4. *quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi, ut faceret vuas, & fecit labruſcas?* Pſal. 94. v. 8. *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Math. 22. v. 3. *miſit vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire*. 2. ad Corinth. 6. v. 1. *exhortor vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Probatur 2. ex Concilijs. Trident. Seſſ. 6. c. 5. *tangente Deo cor hominis &c. inſpirationem illam recipiens abijcere poteſt*. Jdem can. 4. *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum &c. non poſſe Deo diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Senonenſe Anno 1528. decreto fidei 15. *non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Probatur 3. ex PP. S. Auguſtinus L. de Spirit. & Litt. c. 34. *Miſericordia Dei prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab eadem diſſentire noſtræ voluntatis eſt*. Proſper L. 2. de vocat. gent. c. 12. *quod non poteſt*, inquit, *niſi coöperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputatur, quorum id voluntate potuit non fieri*. S. Anſelmus in c. 6. Math. *in Paulo* ait, *videtur cogens Dei voluntas, ſed non eſt, quia licet ſit percuſſus, tamen voluntate erat liberâ, ut reſiſteret, ſi nollet*. Similia teſtimonia plura ex S. Scripturis, Concilijs, & PP. habentur paſſim. Probatur 4. Ratione. Si nolle ac velle divinæ prorſus non humanæ eſt poteſtatis, & Deo adſcribendum, quod homo agat vel non agat, atque hoc potius, quàm illud præſtet. Ergo irrita erit omnis Dei per ſe ſuóſque Paſtores admonitio increpatioque. Nam quomodo monere poteſt Deus, ut nos ſalutem operemur, convertamur, aperiamus pulſanti, ſi ipſe ſolus in nobis operatur, convertit, aperit? quomodo increpare poterit his verbis: *volui, & noluiſtis: extendi manum, & renuiſtis: dedi ſpiritum, & reſtitiſtis*; cum illo per datam gratiam ſeriò volente, manum extendente, ſpiritum dante, nemo nolle, renuere, reſiſtere valeat? aut ſi iſtud fecerit, adeóque noluerit, certum ſit, Deum noluiſſe, & conſequenter (quod horrendum.) fallere & mentiri? quomodo dicimur *laborare cum gratia, cooperatores Dei eſſe, neceſſitatem non habere, ſed poteſtatem Deum ſequendi*, niſi liberè voluntas præſtet, quod potuit omittere, aut non præſtet, quod exequi potuiſſet.? ut jam diximus in priori controverſia,

V. Concedit Ameſius tom. 4. fol. 75. cum Calviniſtis, hominem in prædictis habere naturalem arbitrij libertatem: negat verò, eum abſque gratia regenerationis vires habere idoneas ad Spiritualia opera pietatis præſtanda. Ergo habemus intentum per illud prius; quippe aliud non contendimus, quàm in pijs operibus iuſtificationem præeuntibus nos habere libertatem; hoc ſi admittunt Calviniſtæ, quâ ratione negare poterunt iſtud poſterius, nos ante gratiam regenerationis non habere vires idoneas ad illa pia opera, quæ ad recipiendam regenerationis gratiam diſponunt? aut quomodo hæc duo ſibi cohærent? Gerhardus ſimiliter L. 2. Part. 3. fol. 538. cum Lutheranis concedit, libertatem in ho-

mine ad pia opera iuſtificationem antecedentia, qando Deus eidem contulit vires bene operandi. Ergo iterum habemus intentum; ſiquidem prædictis viribus ſupernaturalibus non dicimus ex natura noſtra ſuperaddi libertatem, ut nugatur Gerhardus, ſed ita gratiam ſeu vires ſupernaturales homini concedi aſſerimus, ut illa liberam huius voluntatem alliciat, ſuaviterque trahat, non autem ſupreſſâ aut ſublatâ libertate jta eandem neceſſitet ad conſenſum, ut iſte ſoli Deo ſit attribuendus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VI. Error *Primus eſt Pelagij*, qui præter nudas liberi arbitrij vires & externam legis & doctrinæ gratiam non admittebat ullam aliam gratiam internam, quæ intus illuminet, excitet, moveat, bonam voluntatem inſpiret, eámque in opere adjuvet, & cum ea opus bonum perficiat. Verùm de hoc errore pluribus infra agemus. Hoc obiter notaſſe nunc ſufficiat, graviſſimâ à Janſenio fieri inpoſturâ affirmante, omnem gratiam etiam internam, quàm admittunt Theologi Societatis JESU, non eſſe aliam, quàm qualem admiſit Pelagius, nec in modo operandi ab illius gratia differre. Nam Societatis Theologi mordicus quoad hoc punctum de gratiâ defendunt id omne & ſolum, quod concilia Arauſicanum, Milevitanum & Tridentinum; item SS. Patres tradiderunt, adeoque affirmant, hominem per vires naturæ id poſſe, quod Concilia & Patres affirmant, eundem per vires naturæ poſſe: negant verò hominem abſque gratia poſſe ea, quæ Concilia & Patres eundem ſine gratia poſſe negant. Aut proferat Janſenius unum ex omnibus Theologis Societatis, qui eandem cum Pelagio doctrinam contra Concilia & Patres tuetur. Quomodo ergo doctrina Theologorum Societatis non eſt alia, quàm qualem admiſit Pelagius?

VII. *Error ſecundus eſt* Cornelij Janſenij Epiſcopi Jprenſis, qui docet, non poſſe hominem gratiæ reſiſtere, ſi velit, adeoque abſolutè neceſſitari ſive ad bonum, ſi gratiam habeat, ſive ad malum, ſi illâ careat. Eſt iſte ipſiſſimus etiam error Calvini L.2. Inſtit. c. 2. §. 10. Rurſus in antidoto Seſſ. 6. §. porro, & in can. 4. ejuſdem Seſſionis. Jtem Lutheri de ſervo arbitrio, atque aliorum. Sic autem Scribit Janſenius Tom. 3. L. 2. c. 5. col. 103. *Nullum adjutorium gratia, cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur: ut illud amplectatur, aut deſerat: Ut illi conſentiat aut non conſentiat, ſi voluerit, ad medicinale adjutorium (hoc eſt veram gratiam Chriſti) ullo modo pertinere poteſt.* Et ibidem c. 4. col. 97. *Adjutorium gratiæ ante lapſum Adæ tale erat, ut ab ipſo libera voluntatis nutu penderet, ſalváque maneret illa libertatis in utramq; partem flexilis indifferentia: nunc verò tale eſt, quod ſuapte efficaciâ faciat influere facultatem, nec ipſius libero arbitrio ſubjaceat: ſed hoc ipſo, quo datur, ſimul uſus ejus & influxus detur, ſicuti hoc ipſo, quo adeſt juſtitia, ſit juſtus animus.* Probant iſti omnes communem ſibi errorem primò ex illo Ezechiel. 36. v. 26. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum &c.* ex quibus verbis ſic argumentantur. Cor lapideum non habet in poteſtate ſuâ fieri carneum. Sed voluntas hominis peccatoris eſt cor lapideum. Ergo non habet in poteſtate ſuâ fieri carnea, id eſt, ſpiritualiter bona per regenerationem. Confirmatur 1. homo non coöperatur ad illud, quod in ipſo creatur à Deo. Sed cor novum in homine creatur à Deo apud eundem Prophetam cap. 11. v. 19. 2. Peccatores in Script. dicuntur mortui in peccatis Joan. 5. v. 25. ad Epheſ. 2. v. 1. ad Coloſ. 2. v. 13. Ergo ut tales cooperari Deo nō poſſunt, ſed ut vitalem à Deo virtutem habent. 3. homo peccato depreſſus non attingit divina ac ſupernaturalia. 1. ad Corinth. 2. v. 4. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus.* Probant ſecundò ex Patribus. Cæleſtinus I. Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ ſcribit, *Ita Deum in cordibus hominum atque in ipſo libero arbitrio operari, ut Sancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonus voluntarius ex Deo ſit.* S. Auguſt. relatus capit. reſuſcitatus diſt. 1. dicit. *cum Deus ſit vita animæ: anima verò corporis, ſicuti corpus vivere non poteſt abſente anima, ita non niſi Deo præſente anima vivere valet.* D. Baſil. Homil. de humilit. pluribus oſtendit, *Deum gratiâ ſuâ omnia in nobis operari*, allegans in hunc finem illam ſententiam Pauli 1. ad Corinth. 4. v. 7. *quid habes quod non accepiſti?* Probant tertiò ratione. Tum quia liberum hominis arbitrium ſecus, atque ex oppoſito ſe habet ante lapſum, ac poſt iſtum. Ergo ſicuti gratia prius pendebat à nutu liberi arbitrij, ita iſtud nunc ſubjacet efficaciæ illius. Tum quia ſi libertati uſus & non uſus gratiæ ſubditur, non jam eſt adjutorij genus aliud, quàm poſſibilitatis, uti aſſerebant Pelagiani; unde Pontificij Doctores, inquit Hannecken, doctrinâ ſuâ validam manum Pelagianis porrigunt. Tum quia peccator non poteſt à ſe repellere gratiam, ſcilicet divinam, quam non habet in manu ſua. Plura argumenta ex Sac. Script. Patribus ac Concilijs accumulant Ameſ. Tom. 4. à fol. 80. Gerhard. L. 2. Part. 3. ſuæ Confeſſ. à fol. 542. Meno Hannecken in ſuo Iren. à fol. 796. & alij Sectarij, ſed quæ revera cum iſtis coincidunt, & ex reſponſionibus ad iſta ſolvi facillimè poſſunt.

VIII. Error iſte, in quem, ut diximus, præter Calviniſtas & Lutheranos olim, nunc etiam Janſeniſtæ præcipites eunt, ſatis rejectus vide in priore controv. part. poſter. Et cum Concilium Trident. (quod poſt cætera Concilia accuratiſſimè omnia ad auxilia gratiæ ſpectantia tradidit) definiat *hominem à gratia præveniente excitatum eidem gratia liberè aſſentiri, ac coöperari, ſic ut illam etiam abjicere poſſit, nempe non coöperando*, atque anathemate percutiat dicentem: *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil coöperari, neq; poſſe diſſentiri, ſi velit*, malè omnino Janſenius tale adjutorium à Gratia excludit. Cum Concilio Trident. ſtant orthodoxæ Eccleſiæ veteres Doctores ita apertè pro libertate voluntatis humanæ in actibus ſupernaturalibus etiam poſt lapſum Adami, ut ipſimet Proteſtantes fateantur, prædictos Patres ſibi in hoc articulo adverſari. Calvinus L. 2. Inſt. c. 3. §. 7. *hoc*, inquit *perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pediſſequâ voluntate obſequatur, ideo non rectè à Chryſoſtomo ſcriptum eſt, nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratiâ quidquam operari poſſe.* Centuriatores Magdenburgenſes in præfat. de 2. Sæculo Apoſtolis proximo ſic habent. *admiratione & deploratione dignum eſt,*

quod

Digitized by Google

quod tam citò magna obſcurationes magnorum articulorum facti ſenſim inciderint; *nam doctrina de libero arbitrio ſtatim hoc ſæculo cepit vitiari, nimiumq; viribus humanis tributum eſt.* Paræus in Comment. in Apocal. c. 6. v. 5. *quin*, ait, *& præcipui Patres Græci & Latini Ambroſius, Auguſt. Hieron. Chryſoſtomus aliquot exinde hauſiſſe errores de matrimonio, cælibatu, de gratia & liberô arbitr o &c.* Pro ſolutione argumentorum inoppoſitum adductorum. Revocandum eſt in memoriam id, quod ſupra jam inſinuavi, nimirum aliud eſſe, hominem non habere in poteſtate ſuâ gratiam vocantem ſeu excitantem ad operationes bonas: aliud eundem non habere in poteſtate ſuâ, ut oblatam à Deo gratiam reſpuat aut acceptet, eique coöperetur; prius concedimus, poſteruis negamus, utrumque conformiter S. Scripturæ, Concilijs, ac Patribus. Item aliud eſſe, hominem in peccato mortali conſtitutum poſſe facere operationes proprias filij adoptivi: aliud eundem cum auxilijs gratiæ poſſe per potentias ſuas vitales actus ſupernaturales elicere, ſeque ijs diſponere ad regenerationem filiationem adoptivam, atque hæreditatem Dei; prius negamus: poſterius affirmamus, utrumque iterum conformiter Sac. Scripturæ Conciliorum ac Patrum teſtimonijs. Hoc poſito.

IX. Reſpon. 1. *Ad 1. probationem ex Sac. Scriptura* 1. cor lapideum idem eſſe, ac durum, intractabile, ac inexorabile, adeóque per metaphoram cordis lapidei non accipi, niſi pro obduratione in peccatis, quæ ſine dubio voluntaria eſt, & volens coöperari gratiæ excitanti, & adjuvanti poteſt illud mutare in cor carneum, hoc eſt, molle, mobile ac flexile, ut locum iſtum interpretatur Tirinus ex S. Auguſt. Hieron. Theodoreto & alijs Patribus. 2. juxta ſenſum etiam Adverſatiorum ex prædictis verbis aliud non evinci, quàm, non poſſe hominem in mortali peccato conſtitutum abſque auxilijs gratiæ inde liberari & ad regenerationem aſpirare, cum his verò poſſe; ſiquidem peccator vires ad vitaliter operandum ſemper retinet. Ad 1. confirmationem concedimus totum de creatione, ſeu infuſione gratiæ habitualis ſeu juſtificantis, quod ſine dubio eſt ſolius Dei; quid verò hoc contra nos, qui dicimus, homines per opera pietatis auxilijs divinis adjutos diſponi congruè ad illam gratiæ juſtificantis infuſionem. Ad 2. diſtinguendo; ergo ut tales operari non poſſunt per principium habituale ſupernaturale actiones meritorias vitæ æternæ, concedimus: per principium actuale ſupernaturale opera pietatis congruè diſponentia ad juſtificationem, negamus conſequentiam; diſtinctio hæc ex infra dicendis conſtabit. Ad 3. Senſum eſſe Apoſtoli juxta Tirinum & alios, hominem, qui ſolùm animam ſeu animalem intellectum ductorem ſequitur, quique ſolius animæ naturali lumine nititur & ducitur, non capere & aſſequi poſſe, quæ ſunt propria Spiritûs DEI, id eſt, divina & ſpiritualia myſteria, quæ diſcutienda ſunt per rationes non à lumine naturali intellectûs, ſed fidei & Spiritûs Sancti ſubminiſtratas, quas idcirco homo animalis non percipit. Et quid inde contra nos, & coöperationem liberi arbitrij cum divinâ gratiâ?

Reſpon. 2. *Ad 2. probationem ex Patribus. Quoad Cæleſtinum Papam*, nulli dubium eſſe, Sanctam cogitationem, pium conſilium, omnémque motum bonum voluntarium ex Deo eſſe; ex hoc autem minimè ſequitur, Deum ita in noſtro libero arbitrio hæc operari, ut iſtud nihil coöperetur, nec reſiſtere poſſit, ſi velit; quod tamen erat probandum, & alieniſſimum eſt à Cæleſtino Papa. Ex capitulo *reſuſcitatus* non etiam inferri, hominem gratiâ juſtificationis, ſeu Spirituali habitatione Dei deſtitutum, deſtitui quoque viribus naturalibus liberi arbitrij, ut per has non poſſit auxilijs actualibus gratiæ excitantis & adjuvantis coöperari, aut reſiſtere, ſi velit. Itáque *S. Auguſtinus* in loco cit. aliud non intendit, quàm hominem gratiâ juſtificationis deſtitutum, hoc ipſo etiam deſtitui viribus ad functiones vitæ ſpiritualis, hoc eſt, operationes meritorias, quod non eſt contra nos. Quando verò idem S. Pater L. 2. de peccatoram meritis c. 5. dicit, *adjuvari non poſſe, niſi qui aliquid ſponte conatur*, non patitur ſe trahi in eum ſenſum, ut volunt Adverſarij, quaſi ſolùm velit, Deum bonam voluntatem in homine creare: non autem, ut liberè velit coöperari; nam eodem loco ait: *ſi non eſſet operator, ille non eſſet coöperator.* Et quia L. de Spiritu & Lit. c. 34. ſupra cit. ſcribit, *conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire noſtræ propriæ voluntatis eſt*, nihil clarius eſt apud S. Auguſtinum, quàm hominem in converſione ſua habere liberam voluntatem, & gratiæ Dei coöperari poſſe. *S. Baſilius* bene facit, omne bonum in nobis gratiæ Dei adſcribendo, idque conformiter D. Paulo 1. ad Corinth. 4. Sed ex hoc nequaquam ſequitur: Ergo hominis voluntas non concurrit liberè in converſione ſua cum gratia Dei vocante & excitante. De reliquo D. Baſilius expreſsè ait, *voluntatem hominis in converſione ſuâ non prorſus eſſe otioſam ſed aliquid operari*, ideóque hæc ipſius verba reijciuntur in Lib. Concord. Tit. de bonis operibus. & lib. arb. quem Lutherani pro fide ſuæ explicatione evulgarunt.

XI. Reſond. 3. *Ad 3. probationen ex rationibus.* Ad 1. Liberum hominis arbitrium poſt lapſum Adami non eſſe penitus in nobis deſtructum, ſed ſolùm imminutum ac deiectum, ut ſupra dictum. Ad 2. cum S. Tridentinum Concilium utiqne nobis Pelagianum errorem non obtrudat: non aliam autem deſcribat gratiam, quàm quâ Deus hominem præveniat, excitet, moveat, illuminet, cor tangat, & bonum inſpiret, atque de omnibus his dicat, hominem à Deo motum & excitatum *diſſentire poſſe, deeſſe poſſe, abijcere poſſe*, oportet planè, eam gratiam, quam abijcere, & cui diſſentire, ac deeſſe quis poteſt, veram Chriſti gratiam eſſe à S. Scriptura traditam, à S. S. Patribus aſſertam, ab univerſa Eccleſiâ (quæ columna eſt veritatis) omnibus retro ſæculis retentam, affirmatam, & approbatam. Vnde negamus, non jam aliud eſſe adjutorij genus, quàm poſſibilitatis. Et Meno Hanneken alijque Sectarij abſque fronte effutiunt, Pontificios Doctores hâc doctrinâ ſuâ validam manum porrigere Pelagianis. An etiam D. Paulus manum detendit validam Pelagianis, quando 2. ad Corinth. 6. v. 1. adhortatus eſt, *ne in vacuum gratiam Dei reciperemus*, id eſt, ſine effectu & fine, ad quem data eſt, careret? Item S. Stephanus Actor. 7. v. 51. cum dixit: *durâ cervice & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto*, id eſt, gratiæ *reſiſtitis*; quippe probè novit uterque, gratiam effectu carere, & reſiſtere illi nos poſſe? Ad 3. Loquendo de gratia actuali (de habituali non eſt in præſenti quæſtio) vocante, excitante, verum eſſe, quod homo

homo

Digitized by Google

homo non habeat eam in manu ſua, quaſi à Deo debitam; at ſi eandem gratiam Deus miſericorditer offerat, falſum eſſe, quod homo pro libertate ſuâ illam à ſe repellere nequeat. Quid enim aliud eſt, *gratiæ reſiſtere, non conſentire, deeſſe, diſſentire, eam abjicere, deſtituere ſuô effectu, non aperire pulſanti*, quæ in Sacris Litteris Concilijs, ac Patribus de gratia actuali toties affirmantur, quàm gratiam actualem à Deo conceſſam repellere à ſe?

XII. Ipſimet Sectarij inſuperabilem hîc habent difficultatem. Dicunt, peccatorem converti ac regenerari à Deo, niſi hujus ordinationi & operationi ille ſe malitioſè protervè & inſolenter ſe opponat, Deumque à ſe abigat, ſi in impœnitentia ac infidelitate ſua perſiſtat. Quæro igitur, habuitne peccator ille, qui non regeneratur & non convertitur, aliquando in manu ſua Dei gratiam, operationem, ac creationem novi cordis in ſe, vel non? Si primum. Ergo habuit voluntatem liberam, quâ hanc à ſe repulit, & culpâ ſuâ non eſt converſus ac regeneratus. Si alterum. Quomodo malitioſè Deum ejuſque gratiâ & operationem à ſe amovit, ſi non habuit illam unquam in manu ſuâ? poſſumnè id abjicere, ut inde malitioſus dicar, quod nunquam habui? Quare haud injuſtè talis peccator conqueri & dicere Deo poteſt: reijcis me, & damnas, quod me non converterim, non crediderim &c. & tamen hanc converſionem & regenerationem nunquam in manu mea habui; ſi enim habuiſſem, hoc ipſo jam converſus ac regeneratus eſſem; tu quippe totum in me operatus fuiſſes, ego verò tantùm paſſivè me habuiſſem, nec potenti tuæ motioni reſiſtere potuiſſem. Quis autem perſuadere ſibi poſſit, Deum ita vanè & illuſoriè peccatores ad pænitentiam, converſionem, ac fidem vocare, atque etiam impænitentes ac incredulos æternùm damnare, ut iſti juſtiſſimè conqueri de illo valeant? Sed de hoc plura infra.

CONTROVERS. XLVIII.

DE GRATIAE ACTUALIS *diviſione.*

NOn uno eodémque modo Deus hominibus ſuam elargitur Gratiam; licet enim omnibus bene velit, nullique deſit, dubitari tamen non poteſt, unum alio plus ab eodem diligi, majorique gratiâ donari, juxta illud Malachiæ 1. v. 2. *Jacob dilexi: Eſau autem odio habui*, hoc eſt, minùs dilexi.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Gratiarum Actualium, de quibus in priori controverſia, alia eſt ſufficiens: alia Efficax. Sufficiens tantùm eſt, quæ ſuo fruſtratur fine, & liberum conſenſum, quem petit, non impetrat, licet ad impetrandum ex ſuo nomine ſufficiat. Efficax eſt, quæ ſortitur effectum, & quidem non caſu, ſed infallibiliter v.g. plurimi auditores interſunt concioni, in quâ ſuadentur virtutes, & vitia diſſuadentur, DEO coöperante, & in animis eorum bonas cogitationes excitante, ſine quibus externa verba prædicationis nihil efficerent, ut ait S. Auguſtinus L. 15. Civit. Dei c. 101. & tamen non idem effectus apud omnes ſequitur, ſed aliqui ſine fructu abeunt, qui habent gratiam tantùm Sufficientem: alij verò dictis obtemperant, qui habent gratiam Efficacem. Unde fit

II. *Doctrina ſecunda.* Etiam poſt Adæ lapſum præparatur à Deo, & offertur omnibus hominibus Gratia verè ſufficiens, per quam infideles ad fidem converti, peccatores è ſceleribus reſurgere, præcepta ſervare, peccata vitare, & in juſtitia perſeverare poſſunt; ſi gratiæ ipſimet non deſint, quæ tamen efficax ſic non eſt, ut per eam ſe ipſi convertantur. Ita cum S. Thoma 1.2. Q. 106. art. 2. & pluribus alijs locis Theologi communiter. Probatur doctrina hæc catholica 1. ex Scriptura Iſa. 5. v. 4. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod exſpectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Ezech. 18. v. 23. & 32. *nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus: & non ut convertatur à vijs ſuis, & vivat? Quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini & vivite.* Rom. 10. v. 21. ex Iſa. 65. v. 2. *extendi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem.* In his & pluribus ſimilibus locis Sac. Scripturæ Deus conqueritur, quod peccatores ab ipſo vocati ad pænitentiam converti noluerint. Sed non juſtè quereretur de illis, niſi habuiſſent auxilium ſufficiens ad pænitentiam agendam. Ergo &c. Omitto innumeros alios locos, quibus DEUS dicitur lux, ſalus, & propitiatio omnium, ac nolens aliquos periere, ut ait S. Petrus epiſt. 2. c. 3. v. 9. ſed omnes ad pænitentiam reverti; quæ omnia teſtimonia gratiam ſufficientem omnibus omnino dari luculenter oſtendunt.

Probatur 2. ex Concilijs & Patribus. Arauſicanum II. can. 25. ſtatuit, *Omnes Baptizatos poſſe, quæ ad ſalutem pertinent, exequi, ſi velint.* Trid. Seſſ. 6. c. 5. & 14. item 29. ubi doctrinaliter ita univerſaliter ſtatuit, *Homines per peccatum à Deo averſos per ejus gratiam ad juſtitiam ſe diſponere: & gratiam per peccatum amiſſam recuperare: & poſt peccatum lapſos reſurgere poſſe.* D. Auguſtinus L. 83. QQ. quæſt. 68. ad *illam cœnam*, inquit, *nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt: nec illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocati: Itaque nec illi debent ſibi tribuere, quod venerint, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur; qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit.* Ita S. Pater; Sibi autem nemo tribuere deberet, quod vocatus non venerit, ſi gratia defuiſſet, per quam venire potuiſſet. Similia habent alia Concilia & Patres, quæ apertè ſupponunt gratiam ſufficientem. Probatur 3. Ratione. Tum quia, ut poſt lapſum etiam Adæ omnibus hominibus tam juſtis, quàm etiam injuſtis detur gratia verè ſufficiens, quâ & hi ad juſtitiam pervenire, & illi in eadem perſeverare poſſint, exigit Chriſti Redemptoris Mediatoriſque omnium Munus & Officium,

Digitized by Google

ficium qui ſanè Redemptor omnium non eſſet, niſi omnibus ſalutis media compararet. Tum quia niſi homo, qui non convertitur, haberet auxilium ſufficiens ad converſionem, non illi vitio verteretur, quod non convertatur; ſicut enim non computatur ad culpam, quod aliquis ex ignorantia invincibili aliquid omittat, ita nec ille culpandus eſt, qui ex impotentia non efficit id, quod illi præceptum eſt.

IV. *Doctrina tertia.* Illa ſolùm gratia dicitur abſolutè & verè ſufficiens, quæ ſufficit non tantùm, ut homo utcúnque operari poſſe dicatur, ſed etiam, ut actu operetur, ſi velit. Ita omnes Theologi præter Thomiſtas, qui admittentes prædeterminationem volunt auxilium illud eſſe verè ſufficiens ad operationem, quod tribuit poſſe operari, etſi neceſſariò requiratur aliud auxilium realiter à ſufficienti diſtinctum, ut quis actu operetur. Probatur doctrina noſtra. Tum quia cum potentia ordinetur ad operationem, & non niſi propter illam detur, ex communiſſimo hominum ſenſu & uſu ille non dicitur habere facultatem verè ac proximè ſufficientem ad aliquid agendum, qui caret principio aliquo prorſus neceſſario, ut actu operetur; ſic enim homo v. g. non aliter dicitur habere ſufficientem & proximam poteſtatem ad ambulandum, niſi quia habet, quidquid requiritur, ut actu ambulet, ſi ambulare velit. Tum quia illud aliud auxilium requiſitum vel habet adjunctam formam phyſicè prædeterminantem, vel non? Si prius, jam non eſt gratia ſufficiens, ſed proxima & efficax, quia infallibiliter ſecum trahit effectum: ſi poſterius nondum eſt verè ſufficiens, ſed iterum aliud requirit, de quò eadem redit Quæſtio &c.

V. Objici poteſt, Homo juſtus dicitur habere auxilium ſufficiens ad perſeverandum, ut ex Tridentino Seſſ. 6. c. 13. docent Theologi, & tamen ille non habet, quidquid ad perſeverandum actu præciſè ex parte principij requiritur, cum ſucceſſu temporis alia & alia auxilia ad perſeverandum exigat. Pro ſolutione ſupponendum ex communi Theologorum; auxilium actuale aliud eſſe remotè, aliud proximè excitans, & eâ proportione ſufficiens, ita ut ea gratia, quæ proximè excitat ad actum eliciendum, det etiam vires proximè ſufficientes ad eundem actum: quæ verò tantùm remotè ac mediatè ad opus aliquod excitat, ad illud ipſum etiam exequendum non niſi mediatè ac remotè conferrat. Nunc reſpond. ad objectionem, Juſtum tantùm habere auxilium remotè ſufficiens ad perſeverandum; Nos autem hic loquimur de gratia, quæ ſit proximè ſufficiens ad aliquem actum, & contendimus eam talem eſſe debere, ut nihil illi deſit ex parte principij ad agendum. Sed de hoc pluribus infra, ubi oſtendemus, quomodo Deus omnes velit ſalvos.

VI. *Doctrina quarta.* Gratia Sufficiens ad converſionem non datur quovis tempore: eſt tamen omnibus ſemper parata ad novum peccatum vitandum, quod ſine illa vitari non poteſt Ita Gregorius de Valentia, Vega, Triedo, Pererius, Vaſquez, Tanner, Tom. 2. diſp. 6. q. 2. n. 17. Bellarm. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 7. & communiter Catholici DD. Ratio prioris partis eſt, quia gratia ſufficiens conſiſtit aliquâ ſaltem ex parte in motibus indeliberatis gratiæ excitantis ſeu prævenientis, ut ſupra diximus; experientia autem conſtat, ejuſmodi motus non ſemper nobis adeſſe; ſiquidem Deus nôn continuò mentem noſtram Sanctis cogitationibus illuminat, affectúmque accendit per deſideria bona ad pœnitentiam de peccatis agendam; Ergo non quovis temporis momento gratia ad converſionem ſufficiens nobis tribuitur. Ratio poſterioris partis eſt; quia niſi haberent homines auxilium ſufficiens ad vitandum peccatum, non peccarent; nemo quippe peccat in eo, quod vitare non poteſt, ut docet S. Auguſt. L. de peccatorum meritis & remiſſ. c. 33. aliiſque in locis. Atqui homines etiam indurati & excæcati peccant liberè mandata Dei tranſgrediendo ut docet Apoſtolus ad Romanos 2. v. 5. *Secundùm autem duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicij Dei.* Ergo ſic auxilium ſufficiens ad vitanda peccata habeant oportet.

VI. Obſtare videtur Sac. Scriptura Matth. 26. v. 41. jubens nos orare; *ne intremus in tentationem.* Atqui hoc foret ſuperfluum, ſi gratia ſufficiens ſemper adeſſet ad ſuperandam tentationem. Reſpon. non obſtare: Nam peccatores, ut paulò ante inſinuavi, non ſemper habent gratiam ſufficientem proximam; cum Deus hanc non ſemper det, ſed offerat mediante remotâ, hoc eſt, det auxilium ad aliquod opus bonum v. g. orationem; cui auxilio ſi conſentirent, Deus gratiam proximam largiretur ad pœnitentiâ, converſionem &c. Quare minimè ſuperfluum eſt, orare, ne intremus in tentationem; quia per auxilium tale remotè ſufficiens, quod ſemper, dum tentamur, adeſt, obtinere poſſumus illud, quod ad ſuperandam tentationem & peccatum vitandum proximè & immediatè ſit ſufficiens.

VII. *Doctrina quinta.* Gratia Efficax, quæ, ut diximus, ſortitur effectum infallibiliter, varijs nominibus explicatur, & commendatur à S. Auguſtino. Nempe Primò appellatur *Vocatio alta & ſecreta* epiſt. 107. Secundò. *Vocatio, quæ ſic agit ſenſum, ut accommodet aſſenſum.* ibidem. Tertiò. *Magna & Efficaciſſima Vocatio.* L. de grat. & lib. arb. c. 5. Quartò. *Gratia Occulta, quæ à nullô durò corde reſpuitur.* Lib. de Prædeſt. Sanct. c. 8. Quintò. *Gratia, quæ ita ſuadet, ut perſuadeat.* Lib. de Spirit. & Lit. c. 34. Sextò. *Certa Scientia & Victrix tentationum.* Lib. 2. de Peccat. merit. & remiſs. c. 19. Septimò denique: *Gratia, cui nullum reſiſtit liberum arbitrium.* Lib. de correpṭ. & grat. c. 14. Ex quibus facilè apparet, Gratiam Efficacem in duobus conſiſtere; nimirum *in Vi effectiva, & infallibilitate*; illud prius commune habet cum gratia Sufficiente: iſtud poſterius autem pecculiare, ut proinde auxilium ſufficiens non quidem diſtinguatur realiter, ſeu quoad entitatem, aut vim agendi ab Efficaci, ſed tantùm moraliter, ſeu per ordinem ad operationem ſecuturam. Unde autem Infallibilitas iſta Gratiæ Efficacis deſumatur, gravis eſt inter Scholaſticos quæſtio non omnino hic prætereuda. Itaque

VIII. *Prima Sententia* M. Dominici Bannez. 1. P. q. 14. a. 13. & R R. Thomiſtæ conſtituunt divinæ gratiæ Efficaciam ſeu Infallibilitatem in prædeterminatione phyſica, quæ ſit qualitas ſeu forma his conditionibus prædita. 1. Eſt adæquatè intrinſeca operanti. 2. habens ſe ex parte actûs primi proximi; unde apparet ſimpliciter antecedens operationem liberam; quantumvis hoc non omnes Thomiſtæ concedere velint. 3. data à Deo ita gratuitò & merè ad beneplacitum, ut eam habere

Digitized by Google

nullo modo ſit in noſtra poteſtate. 4. Simpliciter neceſſaria ad operandum. 5. denique eſſentialiter eſt connexa cum noſtro conſenſu, ita ut non poſſit voluntas cum illa conjungere negationem conſenſûs. Iſta omnia à prædicto Auctore ad prædeterminationem requiri, teſtatur Suarez. L. 1. de auxilijs, & alij. Doctrinæ huic univerſim Patres Societatis noſtræ graviſſimè ſe opponunt, eámque non ita conſentaneam Concilijs, Patribus, ac nominatim S. Thomæ fuſiſſimè oſtendunt. Nos omiſſis cenſuris & Scholaſticis diſputationibus, breviter ſolumodo aperiemus quatruplicem certitudinem Fidei circa gratiam efficacem, & mox calamum reſtringemus; ne ulterius excurrat, id aliorum cogitationibus relinquendo. Itaque *Prima* certitudo Fidei eſt, Gratiam Efficacem non nocere libertati, ſive quoad potentiam, ſive quoad uſum, ut ex dictis conſtat. *Secunda* eſt, hominem poſſe Gratiæ Efficaci reſiſtere, eámque divinitus conceſſam à ſe repellere, ut itidem ex dictis patet. *Tertia* eſt, eum, qui non convertitur, adeóque qui caret Gratiâ Efficaci, poſſe converti, ac proinde habere Auxilium Sufficiens, ut convertatur, ſi velit, ſicuti iterum conſtat ex eis, quæ de Gratia ſufficiente paulò ante diximus. *Quarta* denique eſt, Lutherum, Calvinum, & poſt iſtos Janſenium Iprenſem erraſſe, quantum ad vim ineluctabilem, & fatalem neceſſitatem (tenentem ſe ex parte actûs primi, ſeu voluntatis ad operandum proximè expeditæ) quam tribuebant Gratiæ Efficaci; ſiquidem quoad hoc in Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 5. & can. 4. Item in Bulla Innocentij X. & Alexandri VII. damnati fuerunt.

IX. *Secunda Sententia* Maſcarenæ D. 3. P. 4. à n. 1. & aliorum apud Tanner Tom. 2. D. 6. q. 2. n. 54. ponit Gratiæ Efficaciam in determinatione quadam Morali, ſive tali gratiæ eum libero arbitrio congruitate, & cum certis ex parte ſubjecti affectionibus ac diſpoſitionibus attemperatione, ut voluntatis conſenſus poſitâ tali vocatione infallibiliter ſequatur. Verùm talis moralis connexio cum conſenſu non ſufficit. Tum quia prædeſtinatio habet metaphyſicam connexionem cum noſtra ſalute. Ergo ipſa quoque gratia ſimilem habebit; eſt quippe medium ad noſtram ſalutem, quod ſi deſtitui poſſet noſtro conſenſu, à quo dependet noſtra ſalus, etiam prædeſtinatio tandem in noſtram ſalutem per tale medium non foret infallibilis. Tum quia gratia moraliter neceſſitans vehementiſſimè ad conſenſum impelleret, cujus tamen oppoſitum experientia docet, ſiquidem honeſtè & maximè meritoriè multi cum magna repugnantia operantur.

X. *Tertia Sententia*, quæ apud Tanner Q. 2. cit. n. 76. tribuitur Molinæ, Vaſq. Leſſio & alijs, docet, Efficacem Gratiam eſſe illam, cui voluntas pro ſuâ libertate coöperatur: illam Jnefficacem, cui non coöperatur. Accipit ergò gratiam Efficacem, & Efficientem ſive actu coöperantem pro eodem. Addit Tanner, omnes iſtos Auctores loqui de coöperatione non ſub conditione futura, aut à Deo prævisâ, ſed de præſenti vel abſolutè futura. Sed contra hanc doctrinam eſt, quod gratiam efficacem explicet per ipſum actum ſecundum & actualem coöperationem, adeoque confundat Gratiam efficacem cum efficientia; etſi enim verùm ſit, Tò efficax ſignificare quandoque actum ſecundum, & idem eſſe, quod in actu ſecundo efficiens, ut cum dicitur oratio eſt efficax, quia de facto impetrat quod petit; proprie tamen & communiter tò efficax ſignificat virtutem; & aliquid habens ſe aliquo modo ex parte actûs primi. Sic dicitur medicina efficax, quæ licet neque ſumatur ab ægrô, neque quidquam actu operetur, eſt tamen potens & reipsâ conferet ſanitatem, ſi ſumatur; Hoc poſteriori modo & ſenſu proprio diſputatur, quid Gratia Efficax ex parte actûs primi importet, per quod à merè ſufficienti diſtinguatur? & ita ſumi à S. Auguſtino ex innumeris locis probari poteſt.

XI. Pro vera Sententia rite intelligenda ſupponendum ex communi doctrina maximè PP. Societatis, triplicem in Deo dari Scientiam; nimirum *Simplicis Jntelligentiæ*, quâ cognoſcit res poſſibiles: *Viſionis* quâ cognoſcit res pro aliquâ temporis differentia actu exiſtentes: *Mediam* ſeu *conditionatam*, quâ Deus cognoſcit res non merè poſſibiles, neque abſolutè exiſtentes, ſed exiſtentes ſub certâ conditione; quæ proinde Scientia ſemper duplex habet obiectum; unum ſe tenens ex parte conditionis, quod dicitur antecedens: alterum ex parte conditionati, & dicitur conſequens, quia infertur ex conditione ceu aliquo antecedente v. g. ad propoſitum noſtrum. ſi daretur Petro tale auxilium (& adeſſent cætera ad actum proximum.) conſentiret; ubi auxilium & totus actus primus proximus *erunt conditio*, & aliquid antecedens: conſenſus Petri conditionatus eſt aliquid conſequens. Hâc Scientiâ Mediâ ſuppoſitâ, quam ritè intellectam negare nemo poteſt.

XII. *Doctrina ſexta.* Prædicta Jnfallibilitas Gratiæ Efficacis deſumitur à Scientia Media, non excludendo per hanc imò includendo ipſum obiectum hujus, à ſcientia illa præſuppoſitum; ut proinde Gratia Efficax non ſit aliquid ſimplex, ſed compoſitum ex duobus conceptibus, quorum unus reſpectu alterius ſit extrinſecus; inprimis enim habet entitatem & vim effectivam phyſicam. deinde habet connexionem determinatam & infallibilem illius vis & entitatis cum noſtro conſenſu; quæ connexio non eſt intrinſeca illi entitati, ſed eſt quædam denominatio accidentalis, & extrinſeca proveniens à Scientia Dei Mediâ, quâ prævidetur auxilium habiturum operationem, ſi ponatur; adeoque ab ipſo ſimul objecto conditionatè futuro. Ita Patres Societatis Noſtræ, qui univerſim hæc tria in actu primo importari à Gratia Efficaci docent, ſic licet in Recto ipſam Entitatem auxilij ſupernaturalis: in Obliquo verò Conſenſum ſub conditione futurum à Sicentia Dei Media prævisum, & Decretum quoddam Benevolentiæ divinæ, ut mox patebit. Vnde facilè conijcitur, efficaciam auxilij divini melius dici efficaciam moralem, quàm phyſicam. Sic explicata doctrina probatur. Tum auctoritate SS. PP. Chryſoſtomi, Ambroſij, Origenis, qui apud Suarez. relati referunt efficaciam divinæ vocationis in præſcientiam Dei, & præſertim D. Auguſtinus L. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi, *cujus miſeretur*, inquit, *ſic eum vocat, quomodo ſcit, ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Tum ratione, quia Gratia Efficax ex communi DD. placito ita debet explicari, ut 1. diſtinguatur à merè Jnefficaci. 2. ut trahat ſecum conſenſum non quomodocunque, ſed infallibiliter. 3. ut non lædat libertatem operantis, 4. ut oſtendi poſſit, quomodo Gratia

Efficax

Digitized by Google

Efficax ſit ſpeciale beneficium Dei. Jſta omnia præſtat Efficacia Gratiæ, prout à nobis explicatur: & non prout eadem ab alijs exponitur. Ergo &c. Minor quoad poſteriorem partem ſatis patet ex prædictis: quoad priorem partem nunc oſtenditur.

XIII. Et *Primò* quidem clarum eſt, per hoc, quod Gratia Efficax includat Scientiam Mediam, vel effectum ipſum ſub conditione futurum, diſtingui eam à gratia merè ſufficienti, quæ, licet conferatur, nunquam cum conſenſu conjungitur. *Secundò* patet etiam, Gratiæ Efficaci ſummam & metaphyſicam ineſſe infallibilitatem. Etſi enim Gratia efficax ſecundùm ſe & virtutem ſuam operativam, quam dicit in Recto, ſit indifferens ad conſenſum & diſſenſum, atque potentiâ antecedenti cum utroque conjungi poſſit, quatenus tamen ſubſtat Scientiæ Mediæ, quam includit, vel ipſi conſenſui ſub conditione futuro, impoſſibile eſt, ut exiſtat, quin conſequatur effectus. *Tertiò* Libertatem non lædi à prædicta connexione, deſumitur ex generali illâ & receptâ regulâ, quod nihil impediat aut lædat libertatem, quamcunque habeat infallibilem connexionem, niſi ſe teneat ex parte cauſæ & actûs primi proximi; id quod non accidit in propoſito ratione eorum, quæ in gratia efficaci involui diximus. Nam auxilium ſecundùm ſe eſt planè indifferens, atque idcirco non præjudicat quidquam libertati. Conſenſus ſub conditione eſt quidem aliquid, ratione cuius Gratia Efficax neceſſariò conjungitur cum conſenſu, ſed non ſe tenet ex parte Cauſæ, neque conſtituit actum primum proximum, ſed ad illum conſequitur, ſicuti omnis effectus ad ſuam cauſam. Scientia verò Media eſt aliquid dependens abipſo conſenſu ſub conditione futuro, ac proinde ipſa quoque aliquid conſequens actum primum proximum, nullo modo autem illum conſtituens; quippe non ideo conſentio, quia Deus me videt conſenſurum, ſed Deus me videt conſenſurum, quia liberè conſentio. Hinc fieri poteſt ut ex duobus æqualem gratiam habentibus unus convertatur: alter non item, ut cummuniter tenent Theologi contra nonnullos; quia apud neutrum eſt principium intrinſecum neceſſitans. *Quartò* deniqun oſtenditur, Gratiam Efficacem, quà talem, eſſe ſpeciale Dei Beneficium. Nam cum Deus videat per ſcientiam Mediam, cum quibus auxilijs Petrus ſit cooperaturus, cum quibus non: habeat inſuper in ſua poteſtate dare auxilium, vel tale cum quo condicionatè prævidet Petrum coöperaturum, vel aliud, cum quô prævidet, eum non coöperaturum, maximum certè beneficium facit, ſi ex benefica Voluntate hujuſmodi det auxilium, quod non tantùm ſcit merè eſſe ſufficiens, & cum quô videt Petrum coöperari poſſe; ſed cum quô prævidet, illum actu & re ipsâ coöperaturum, & ita ſalutem æternam meriturum. Atque hoc non ſolùm intellgendum eſt de prima gratia, verùm etiam de quacunque aliâ, & maximè de perſeverantia juxta Trid. Seſſ. *6.* can: 22. quæ perſeverantia nihil eſt aliud, quàm unum vel plura auxilia efficacia, quæ Deus per ſcientiam Mediam prævideat congrua, quibus homo infallibiliter & liberè uſque in finem ſit perſeveraturus. Vnde gratia efficax eſt ſemper moraliter major, majuſque beneficium, quàm ſit merè ſufficiens non obſtante æqualitate phyſicâ. Pro cujus maiore declaratione.

XIV. Advertendum, Gratiam Efficacem dupliciter conſiderari poſſe; vel ut præcisè efficax, & infallibiliter operaturum; vel inſuper, ut ſpeciale Dei beneficium; priori modo tota ejus eſſentia videtur ſufficienter conſtitui per ſupernaturale auxilium in Recto, & conſenſum conditionatum in obliquo importatum, uti communiter jam docent Theologi: poſteriori autem modo, uti de facto eſt, ſemperque à nobis concipitur, dicit etiam ſcientiam Conditionatam, & Decretum quoddam beneficum, quô ideo confertur, quia ſub conditione viſum eſt habiturum effectum, & ſpecialiter nobis profuturum. Ratio eſt, quia ſine tali ſcientia, & tali decreto Benevolentiæ conferetur quidem beneficium majus à parte rei ac materialiter, non tamen formaliter; nec proinde debebimus ſpeciales gratias, niſi procedat ex notitia, quâ prævidetur nobis profuturum & ex ſpeciali voluntate, nobis faciendi bene, & quia nobis profuturum eſt. Eadem gratia ratione auxilij, quod, ut dixi, importat in recto, eſt prior phyſicè conſenſu noſtro, & naturâ fere præcedit operationem noſtram, ratione verò efficaciæ & ipſius conſenſûs ſub conditione futuri, eſt prior ſaltem logicè, & quoad ſubſiſtendi conſequentiam; ſicuti animal eſt prius rationali; quia ſilicet ex negata futuritione conditionatâ conſenſûs, rectè negatur conſenſus abſolutè futurus: non tamen è contra; ſiquidem non eſt verum dicere: nunquam exiſtet abſolutè hoc auxilium, & ab illo dependens conſenſus. Ergo neque ſi detur hoc auxilium, exiſtet conſenſus conditionatè.

XV. *Doctrina ſeptima.* Gratia Efficax ſubdividitur in Prævenientem, Concomitantem, & Subſequemtem; quæ diviſio non deſumitur ab intrinſecâ diverſitate gratiarum, ſed ab externis effectibus. Nam eadem pia cogitatio, quatenus voluntatem prævenit, & ad liberè conſentiendum allicit, dicitur Gratia Præveniens, vel Excitans, vel vocans, vel Operans: quatenus verò liberum voluntatis conſenſum iam excitatum morali concurſu adjuvat, dicitur Gratia Concomitans, Vel Adjuvans, vel Coöperans: quatenus denique voluntatem confirmat uſque ad operis executionem, dicitur Subſequens, perinde fere ut equi currui juncti, & ad vecturam parati, ſunt quaſi prævenientes: cum actu trahunt, quaſi comitantes: quando ad terminum pertrahunt, ſunt ſubſequentes. Sic ſuaviter equitat, quem gratia Dei portat. Dixi concurſu morali &c. juxta probabiliorem Theologorum Sententiam; etſi aliqui phyſicum requirant; præter moralem autem hunc concurſum Deus elevare debet potentiam, & unà cum hac influere in actum ſive conſenſum ſupernaturalem; quem inde ſimultaneum Dei influxum vocant etiam gratiam adjuvantem, diſtinctum quidem realiter à gratiâ excitante & præveniente: indiſtinctum verò à coöperante, & ſubſequente. De quo plura Scholaſtici.

XVI. *Doctrina octava.* Præter æternam illam diſcretionem ſeu prædeſtinationem diſcernit etiam Deus in tempore fidelem ab infideli, electum à reprobo per gratiam, dando illi gratiam efficacem & diſcretivam, actum ſcilicet primum ad bene operandum, imò ipſum actum ſecundum; quia

Digitized by Google

dando gratiam efficacem transfert conſenſum noſtrum ſcientiâ Mediâ jam ante præviſum à ſtatu conditionato ad ſtatum abſolutum. Etſi autem hæc diſcretio in genere dantis actum primum & ſecundum principaliter & à potiori rectè tribuatur Deo ſoli, certum tamen eſt ex dictis, in alio genere acceptantis ſcilicet illam gratiam, & liberè coöperantis, aliquo etiam modo eandem noſtram eſſe. Hoc ipſum tamen non obſtat, quò minus veriſſimè dixerit Apoſtolus ad Rom. 9. v. 16 Salutem & juſtificationem & cujuſvis *non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Nam licet homo coöperando, ut dixi, fecerit conſenſum, & ſic ad juſtificationem & ſalutem ſe diſpoſuerit, hoc tamen facere nec ſufficit ad ſalutem, nec comparabile, imò nihil eſt reſpectu eorum, quæ facit Deus; qui vel ſolus vel unà nobiſcum omnia præſtat, quæ ad ſalutis hujus initium, progreſſum, & ipſam tandem conſummationem ſunt neceſſaria. Loquimur autem de ſalute adultorum; parvulorum enim ſalus multò magis eſt miſerentis Dei; Secus ſe res habet in obduratione hominis ejuſque perditione, ad quam requiritur peccatum & malitia, quam facit ſolus homo, & nullo modo Deus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVII. Error primus eſt, nullam de facto dari Gratiam Sufficientem, quæ Simul non ſit Efficax. Ita Calvinus L. 2. Inſtit. c. 2. §. 5. & 6. Et L. 3. c. 24. §. 3. Item in Antidoto Trid. ad Seſſ. 6. §. porro & Can. 9. Petrus Molinæus in quadam epiſt. citata apud Malderum 1. 2. fol. 485. & præter alios hæreticos noſtri temporis Ameſius, qui licet Tom. 4. L. 3. fol. 43. dicat, partitionem gratiæ in Sufficientem & Efficacem ſe non omnino negare, id tamen reipsâ facit, & apertè fatetur fol. ſequenti circa medium ſic ajens: *negamus igitur auxilium Dei ſufficiens, quo poſſit homo, vel ſuâ intrinſecâ potentiâ, vel indifferentem Dei gratiam determinando converti, ab ijs recipi, qui nunquam re ipsâ convertuntur.* His accedit Janſenius Iprenſis Tom. 3. L. 3. c. 1. colum. 250. ubi hæc habet: *poſt lapſum Adæ nullum datur adjutorium merè ſufficiens, quin ſimul ſit efficax.* Et eodem Tom. 3. L. 2. c. 29. colum. 213. Et L. 3. cit. c. 1. col. 251. ſic ſcribit: *Qui aliam gratiam Chriſti, quàm efficacem aſſerunt, novum genus gratiæ procudunt, quod nec D. Auguſtinus nec ullus poſt illum Latinorum Patrum, nec S. Thomas, nec vetuſtiorum Theologorum aliquis agnovit, nec Eccleſia in ullis Concilijs generalibus aut provincialibus approbavit, nec verò agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres gratiam defendit, funditùs evertat.* Probant 1. ex Sac. Scriptura. Ad Rom. 10. v. 14. *quomodo credent ſine prædicante?* At multis non eſt prædicatum Evangelium. Ergo ijs omnibus non datur ſufficiens auxilium ad Salutem. Joan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire, niſi trahitur.* Non autem omnes trahuntur, quia non veniunt omnes. Ergo non omnes poſſunt venire. Ergo non omnes habent gratiam ſufficientem. Ad Ephes. 4. v. 18. ait. Apoſt. de Gentilibus: *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vitâ DEI per ignorantiam, quæ eſt in illis per duritiam cordis ipſorum.* Probant 2. ex SS. Patribus. S. Auguſtinus in expoſit. quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Rom. Propoſitione 62. ſcribit, *Pharaonem adeo fuiſſe obduratum, ut obtemperare non poſſet. Ergo non habuit auxilium ſufficiens ad obtemperandum*; quod confirmari poteſt ex Sac. Scriptura affirmante, quoſdam homines à Deo obcæcari & obdurari. S. Auguſtino in neganda gratia ſufficienti conſentire cæteros Patres, S. Thomam, & vetuſtiores Theologos, aſſeruit Janſenius ſupra relatus. Probant 3. ratione. Tum quia nomen Sufficientis Gratiæ non reperitur in Scriptura, Concilijs, Patribus, & Scholaſticis antiquioribus. Tum quia gratia ſufficiens cum Pelagianis, aut Semipelagianis plus æquò libertati, & viribus naturæ tribuere, ac Chriſti gratiæ derogare videtur. Tum quia auxilium, quod nunquam ad actum reducitur, eſt fruſtraneum; ſicuti potentia foret fruſtranea, quæ nunquam in actum educeretur. Tum quia Eccleſia nunquam petit à Deo filijs ſuis poſſe tantùm, ſi velint, ſed ipſum velle, converti, credere diligere &c. Ergo non agnoſcit gratiam merè ſufficientem, cujus proprius effectus eſſe dicitur, poſſe, ſi velis. Tum denique quia auxilium ſufficiens includit negationem actûs ſecundi. Sed æque impoſſibile eſt, operari cum eo auxilio, ac ſine motione DEI phyſica complente propriam actionem. Ergo &c.

XVIII. Errorem hunc validè reijciunt Scripturæ ſupra adductæ, quæ omnibus etiam poſt commiſſa ſcelera auxilium promittunt, & ad reditum maturámque converſionem omnes invitant, & vitio vertunt, ſi quis vocatus non convertatur & vivat. Quàm apertè eidem etiam adverſetur Iſaias ſupra relatus, patet ex ipſius verbis: *quid eſt, quod debui facere vineæ meæ &c.* Nam ſi DEUS non dedit gratiam ſufficientem, unde conquerendo exſpectavit uvas? Si dedit efficacem, quomodo vinea fecit labruſcas? Sacræ Scripturæ concordant Concilia, & Patres. Solùm igitur addo, per eum errorem abſurdiſſimè deſtrui ſtatum viæ; qui eſſentialiter poſtulat, ut homo in ea conſtitutus poſſit ad terminum pervenire. Sed abſque ſufficienti auxilio homo nequit ad terminum gloriæ, ad quem ordinatus & conditus eſt, pervenire. Ergo qui omni auxilio deſtitutus foret, non eſſet amplius in viâ, ſed potius in termino; unde nec peccata, quæ in hoc ſtatu committeret, ad pœnam illi imputarentur. Quare in quinque propoſitionibus Janſenij meritò etiam hanc opinionem damnavit Innocentius X. & hujus cenſuram Alexander VII. ejus Succeſſor confirmavit.

XIX. Reſpondeo ad 1. argumentum Scripturæ, unde hæretici errorem ſuum probare conantur: Ex illo ad Romanos ſolùm ſequitur, non adeſſe omnibus auxilium proximum & immediatum: non verò mediatum & remotum auxilium ſufficiens, ut dicemus infra. Videatur interea Bellarm. L. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 8. ad Epheſios non eſt ea mens Apoſtoli, cum ipſe alibi diſertè doceat, Gentiles eſſe inexcuſabiles, eò quod Deum non glorificaverint. Vult ergo ſolùm oſtendere, Infideles ſuis plerumque peccatis impedimentum afferre gratiæ ulteriori, quâ ad fidem & juſtificationem diſponi ac pervenire poſſent. Joan. 6. verba Chriſti rectiùs intelliguntur de tractione congrua & efficaci, quæ ſcilicet ita ſua-

ita ſua-

Digitized by Google

ita ſuadet, ut perſuadeat; dicitur autem non poſſe venire, qui non trahitur ita per gratiam congruam, non quod abſolutè non poſſit, ſed quia infallibiliter non veniet: ſicut etiam è contra, qui trahitur, poteſt abſolutè non venire, tamen infallibiliter venit. Unde falſa eſt Minor facti Syllogiſmi, ſi de tractione inchoata & ſufficiente accipiatur.

XX. Reſpond. 2. ad Auctoritatem D. Auguſtini Verba hujus S. Patris ſumenda ſunt in ſenſu compoſito, ſcilicet *Pharaonem, quatenus erat induratus adverſus motiones divinas, non potuiſſe earum impulſum ſequi*; quod non impediebat, quominus ſimpliciter ijs poſſet obedire, qui pravam illam animi obfirmationem abijcere poterat. Ex Scripturis in confirmationem allatis aliud non infertur, quàm non dari quibuſvis hominibus quovis momento ſufficientem gratiam; uti etiam ſi poſt gravem lapſum non ſupervivant pro notabili tempore. Dicunt Adverſarij, Sac. Scripturam hortari peccatores, ut quàm celerrimè ad Deum convertantur. Ergo contra reſponſum & ſuperiorem doctrinam ſemper adeſſe deberet gratia ſufficiens ad converſionem. Non ſequitur; ſiquidem Sacra Scriptura peccatores tantùm monet, ut inſpirationes divinas non negligant, & inutiles abire patiantur, ſed potius motionem ſequantur, quoties ijs pulſari ſe adverterint. Cæterùm D. Auguſtino utique conſentiunt reliqui PP. non autem in neganda, ſed aſſerenda gratia ſufficienti, ut ex dictis conſtat. S. Proſper dicit, *dividi opitulationem DEI in eam, quæ reluctantium nequitiâ refutatur: & eam, quæ ſuſcipitur:* quid autem hoc eſt aliud, quàm dividi in ſufficientem, quæ repellitur: & in efficacem quæ admittitur; hæc illius ſunt verba de vocat. Gen. L. 2. c. 26. *De ſuâ habens mutabilitate, ſi deficiat: de gratia opitulatione, ſi proficit; quæ opitulatio per innumeros modos ſeu occultos ſeu manifeſtos omnibus adhibetur; & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & eſt gratia divina & voluntatis humanæ.* Mirum etiam eſt, Janſenium poſſe pro ſe adducere D. Thomam, qui luce meridianâ clarius gratiam ſufficientem docet, tum alibi, tum 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. ubi: *Dicendum*, inquit, *quod gratia novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit. Et ideo, ſi quis poſt acceptam gratiam teſtamenti novi peccaverit, majori penâ eſt dignus tanquam majoribus beneficijs ingratus, & auxilio ſibi dato non utens; quia quantùm eſt de ſe (lex nova) ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* S. Thomæ adſtipulantur in hoc omnes Scholaſtici Catholici. Dicit Ameſius: Miſericordia & Induratio inter ſe opponuntur, ita ut ex uno affirmato alterum negetur. Rom. 9. v. 18. Ergo hoc ipſo, quod aliquis ſit induratus, miſericordiâ ſpoliatus eſt. Reſpon. diſtinguendo: induratio opponitur omni miſericordiæ etiam ſufficienti. Nego: magnæ illi miſericordiæ & efficaci, quæ à nullo durô corde reſpuitur. Concedo antecedens, & nego conſequentiam.

XXI. Reſpondo 3. ad tertium argumentum ex ratione. *Ad* 1. Sufficientis Gratiæ nomen ſi Janſenius in Auguſtino aut Patribus, Concilijs & Sclolaſticis antiquis non legerit, meminiſſe debet, Arianos olim in Scriptura nec legiſſe Trinitatis nomen, nec homouſion: nec modò tranſubſtantiationis nomen in ea repirire Calviniſtas, & tamen vtrique ut hæretici damnati ſunt, quod propter nomen non repertum negaverint rem ipſam; gratiam autem ſufficientem & in Scripturis & in PP. & in Concilijs quoad rem ipſam jam jam oſtendimus. *Ad* 2. quod gratia Sufficiens, prout à Catholicis DD. exponitur, Pelagianiſmum aut ſemipelagianiſmum ſapiat, aut ab iſtis erroribus ortum ducat, atque illa abſurda annexa habeat, non niſi falſis omnino principijs aſtrui, nec aliter Semipeligianiſmi damnari poſſe, quàm quomodo moderni hæretici huius erroris inſimulant omnes Catholicos, qui juxta Tridentini decreta gratiam cum libero arbitrio conciliant; ut bene advertit Stapletonus. L. 4. de Juſtific. Non ergo nos Catholici plus æquo cum Pelagianis aut ſemipelagianis damus libertati, aſſerendo gratiam ſufficientem, Sed Janſenius cum Calviniſtis iniquiſſimè ſtatum viæ è medio tollit, dum contra S. Scripuram, SS. Patres & rationem eandem gratiam ſufficientem negat. *Ad* 3. auxilium ſufficiens non eſſe potentiam aliquam, quæ poſita in homine nunquam ſit ad actum reducenda. Sed vitalem quandam excitationem, quæ ex ſuppoſitione liberæ non-cooperationis creaturæ dicitur carere actu ſecundo, cum tamen eadem excitatio alteri, vel eidem homini alio tempore data habitura eſſet effectum: nec eandem fruſtra poni, ſed neceſſariam eſſe, tum ut homo ſit ſimpliciter potens ad operandum, tum ut omiſſio actûs libera ſit, & ad culpam imputetur. Quare etiamſi gratia ſufficiens det homini poſſe, ſi velit: & non det velle, quod poteſt, non eſt tamen, ut nobis obganniunt hæretici, monſtrum gratiæ, ſed divinæ Bonitatis profuſio, quæ ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos; tametſi ſole injuſti malè ab utantur, quod peius eſt quàm non-uti. *Ad* 4. cum DEUS ſit, qui dat *velle & perficere* per gratiam libertati congruam, non-neceſſitantem: hanc autem congruam & efficacem gratiam non ſemper nanciſcatur homo, hoc ipſo quod non cooperetur, meritò pro illo orare Eccleſiam, ut Deus largiri dignetur copioſiorem gratiam, quâ facilius poſſit, & congruam quâ ſimpliciter velit, & agat, quamtumvis non ignoret, gratiam ſufficientem nulli deeſſe. *Ad* 5. *& vltimam probationem.* negando Minorem. Nam Motio divina per Adverſarios requiritur, ut phyſicum complementum actûs primi, cujus collatio pendet à ſolâ Dei voluntate: Negatio verò actûs juxta nos non coniungitur cum auxilio ſufficienti ex naturâ rei, quaſi ſit quoddam auxilium ejus naturæ, cui conjuncta eſt negatio actûs ſecundi, ſed dicitur talis negatio includi in tali gratia ex defectu ſolùm coöperationis humanæ, quâ ſuppoſitione factâ, impoſſibilitas tantùm conſequens ceu effectus ſequitur, quæ includit liberam determinationem creaturæ, ut cum tali auxilio homo non operetur.

XXII. *Error Secundus* eſt. Gratiam Efficacem ſine conſenſu liberi arbitrij ſolam in nobis omnia operari. Ita Calvinus L. 2. Inſtit. c. 3. §. 6. & 12. Item in Antid. Trid. Seſſ. 6. c. 6. Lutherus Tom. 1. in Reſolut. propoſit. Lipſienſ. conclus. 2. Kemnitius in examine Tridentini. Seſſ. 6. in can. 2. 3. & 4. &c. Ameſius Tom. 4. à fol. 74. Gerhard. L. 2. Confeſſ. P. 3. à fol. 536. & præter alios Janſenius Iprenſis, qui tom. 1. L. 5. c. 11.

Digitized by Google

colum. 269. ſic ſcribit : *Pelagiana phraſes ſunt gratiam provocare, allicere, coöperari voluntati.* Iſti ergo omnes tenent voluntatem noſtram inbonis operibus ſic agi à Deo, ut non poſſit non agere; & quamvis ipſa quoque creatura activè concurrat, attamen concurrere ut merum inſtrumentum Dei naturale, non ut cauſam liberam, & ut dominam ſui actûs, id quod clarè indicat Janſenius Tom. 3. L. 2. c. 23. colum. 193. his verbis: *laudem boni operis bonaq; voluntatis partiri cum Deo impium eſſe, ex eo patet, quod poſt lapſum hominis tota laus bonæ voluntatis atque operis in ſolam gratiam referenda ſit.* Probant 1. auctoritate S. Scripturæ. 1. ad Corinth. 12. v. 9 *Deus operatur omnia in nobis*, 2. ad Corinth. 3. v. 5. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ad Philipp. 2. v. 6. *Deus operatur in nobis velle & perficere.* Probant 2. ex teſtimonijs Conciliorum & Patrum. Concil. Arauſicanum II. can. 4. ſtatuit : *Deum non exſpectare voluntatem noſtram, ut à peccato purgemur.* Atqui illam expectaret, ſi ipſemet eam non determinat ad conſenſum. Innocentius I. Pontifex ad Concil. Milevit. ſic ſcribit: *in omnibus paginis voluntati liberæ non niſi adjutorium Dei legimus eſſe nectendum, eamq; nihil poſſe cœleſtibus auxilijs deſtitutam.* S. Auguſtinus ſæpiſſimè aſſerit, *Deum operari noſtras voluntates: flectere, quocúnque velit: facere ex nolente volentem: item collationem auxilij efficacis ad ſolam Dei voluntatem pertinere &c.* plura ſimilia Script. & PP. teſtimonia congerit Gerhardus loc. cit. Probant. 3. varijs rationibus & argumentis noſtram maximè ſententiam oppugnantibus; quæ enim pro ipſorum propriâ doctrina faciunt, priore controvers. §. VII. jam attulimus, & ſolvimus.

XXIII. 1. Igitur. In hac etiam ſententia noſtra non poteſt conciliari libertas cum gratiâ efficaci. Ergo &c. Antecedens probatur. Poſitâ ſcientiâ Mediâ & cæteris ad gratiam efficacem requiſitis, non poteſt homo non agere. Ergo non eſt liber. 2. Nec per nos datur auxilium purè ſufficiens. Ergo &c. Antecedens probatur. Tunc non datur auxilium purè ſufficiens, quando cum iſto ſine gratia efficaci nemo poteſt operari. Atqui cum auxilio purè ſufficiente, ſive ſine gratiâ efficaci nemo poteſt operari. Ergo &c. Minor probatur. Auxilium purè ſufficiens eſt, cum quo aliquis non operatur : & Auxilium efficax, cum quô operatur. Atqui eſt impoſſibile, ut aliquis operetur cum illo auxilio, cum quo aliquis non operatur, vel ut illud auxilium non ſit efficax, cum quo operatur. Ergo eſt impoſſibile operari cum gratia purè ſufficienti, vel ſine gratia efficaci. 3. In noſtra quóque doctrina homo non poteſt reſiſtere, aut diſſentire gratiæ efficaci. Ergo &c. 4. Si per conſenſum noſtrum vocatio & gratia redditur efficax, & verè trahens, tum quod Deus hunc trahat, non illum, pendebit ex mero libero arbitrio noſtro. Conſequens ſapit Pelagianiſmum. Ergo &c. Probatur ſequela. Quia ille trahitur, qui conſentit : ille non trahitur, qui non conſentit; conſentire autem eſt totum poſitum in libero arbitrio. 5. Initium juſtificationis noſtræ eſt gratia efficax. Atqui hæc eſt aliquid à nobis; quatenus ſcilicet dicit conſenſum noſtrum ſaltem conditionatum. Ergo ſimiliter initium juſtificationis, quod itidem ſapit Semipelagianiſmum, & eſt etiam contra Trident. ajens Seſſ. 6. c. 5. *Initium juſtificationis eſſe à gratia excitante & præveniente.* 6. Iſta cauſalis eſt vera : homo venit, quia Deus trahit. Hæc falſa : Deus trahit, quia homo venit. Ergo tractio per modum principij ſimpliciter antecedit noſtrum venire, ſive conſenſum. Ergo gratia Efficax non poteſt conſtitui per conſenſum. 7. Auxilium Efficax ante actualem operationem jam intelligitur aliquid eſſe utilius, quàm ſit inefficax. Ergo ante operationem actualem jam habet aliquid, quod non habet inefficax, & quidem aliquid diſtinctum ab operatione, utpote in ordine ad iſtam. Ergo tota efficacia à ſolo Deo provenit. 8. DEUS eſt cauſa prima. Ergo phyſicè determinat ſecundam ac creatam. 9. Si Gratia Efficax non neceſſitat aut determinat voluntatem ad actum, ſed potius voluntas abſque prævia determinatione agit, ſi velit : non agit, ſi nolit. Ergo non gratia ſibi ſubijcit voluntatem: ſed voluntas gratiam; quod iterum ſapit Semipelagianiſmum, & repugnat Concilio Arauſicano II. Can. 6. 10. Denique. Deus habet potentiam convertendi hominem metaphyſicè infruſtrabilem. Sed hoc ſalvari non poteſt abſque determinatione. Ergo &c. Probatur Minor. Efficacia gratiæ deſumitur à ſcientia conditionatâ. Atqui fieri poteſt, ut Deus non habeat ſcientiam conditionatam, quod homo conſenſurus ſit ulli auxilio; dato enim quocúnque auxilio ponitur homo liber, ut diſſentire poſſit; ſiquidem ex eo, quod primò diſſentiat, non ſit impotens ad diſſentiendum ſecundâ, ac tertiâ vice, & deinceps in omnibus. Ergo fieri etiam poteſt, ut non videat ullam gratiam, quâ hominem convertere poſſit.

XXIV. Error iſte totus in eo eſt, ut neget, liberé nos coöperari divinæ gratiæ, adeóque aliquid noſtrum eſſe in bono opere, & inde aliquid laudis ad nos referri; cujus oppoſitum cum omnibus Catholicis in priore parte hujus controverſiæ & explicatione Gratiæ Efficacis affirmavimus, idque in prioribus etiam duabus controv. jam probavimus. Damnatur idem error etiam apertis verbis à Tridentino Seſſ. 6. c. 7. can. 4. *Si quis dixerit, liberum arbitrium nihil coöperari aſſentiendo Deo excitanti, anathema ſit.* Et noviſſimè Innocentius X. & Alexander VII. Summi Pontifices contra V. propoſitiones Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis quartam ex his, nempe iſtam (*Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei : & in hoc erant Hæretici, quod vellent, eam gratiam eſſe talem, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*) falſam & hæreticam declarant, quæ propoſito eſt ipſus error, de quô agimus. Pro ſolutione argumentorum, quæ ex ratione deſumpta fuerunt, multùm juvabit, ſi ponamus Principem, qui prævideat Petrum ſubditum ſuum infallibiliter ſuperaturum hoſtem cum hoc gladio, cum alio verò caſurum : atque ideo Petro potius illum priorem det, quàm hunc poſteriorem; quantumvis Petrus cum utróque gladio & ſuperare & ſuperari poſſit. Quæ enim contra gratiam efficacem ab adverſarijs objiciuntur, ex hac inſtantiâ clariſſimè infringi poſſunt, ut conſideranti patebit. Itaque.

XXV. Reſpondetur *ad 1. probationem ex Sac. Scriptura.* Nuſquam in citatis locis dici, quod Deus ſolus ſine nobis hæc omnia operetur : ſed quod nobiſcum coöperetur. Quocirca citata loca non faciunt ad rem. Videri poſſunt priores duæ controverſiæ noſtræ.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Reſpond. 2. *ad probationem ex Auctoritate Conciliorum, & Patrum.* Concilium Arauſicanum ſtatuere, Deum non exſpectare voluntatem noſtram in ſenſu ſemipelagianorum, qui ibi damnantur; nempe antequam gratiâ ſuâ ipſe eam prævenerit: eundem tamen præventam expectare, ut ipſa ſe ad conſenſum liberum determinet, non quidem ſola, ſed ſimul cum divinô auxilio in ipſum conſenſum intimè influente. Jnnocentium Papam aſſerere quidem, voluntatem noſtram nihil poſſe ſine Dei adjutorio: minimè verò huic illam non liberè coöperari ad conſenſum producendum. S. Auguſtini allatos loquendi modos nihil nobis officere, quia cum his alijſque ſtat, quod dato tali auxilio ſit in poteſtate hominis conſentire vel diſſentire; unde quod Deus talibus ſuavibus, & alioquin repudiabilibus medijs obtineat id â voluntate creata, quod intendit, hoc certè majoris ſapientiæ & potentiæ opus eſt, quàm ſi illud per gratiam prorſus ineluctabilem aſſequeretur.

XXVII. Reſpondetur 3. *Ad probationem ex ratione*; quam multiplicem attulerunt. *Ad* 1. Negamus antecedens, cujus probatio diſtinguitur. Homo non poteſt non agere neceſſitate conſequente, conceditur: neceſſitas antecedente, negatur. Urgent. Tunc eſt neceſſitas antecedens; quando oritur ex aliquo antecedente in actu 1. Atqui hæc neceſſitas oritur ex Scientia Media antecedente. Ergo eſt antecedens. Reſp. diſtinguendo Majorem; quando oritur ex aliquo antecedente & inimpedibili ab actu conſequente, conceditur: quando oritur ex aliquo antecedente & impedibili ab actu conſequente; negatur Major. Diſtinctio hæc clareſcit ex dictis §. XIII. & exemplo dato §. XXIV. ad finem. Dicunt. Hæc propoſitio: *Quidquid ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, inimpedibile eſt.* Damnata fuit à Sixto IV. Anno 1476. inter alios propoſitiones Petri de Ruio Profeſſoris Lovanienſis. Atqui hæc propoſitio eſt fundamentum noſtrum, in quantùm inferimus; actus noſtros bonos ideo à nobis eſſe inimpedibiles, & conſequenter neceſſarios, quia ſequuntur ex determinatione inimpedebili à nobis per neceſſariam conſequentiam. Reſpond. cum Card. de Lugo, Tom. de Incarn. D. 26. Sect. 6. n. 72. hanc propoſitionem non fuiſſe prohibitam; ſed illam aliam: *quod neceſſariò ſequitur ex aliquô præcedente ordine ſucceſſivâ durationis, neceſſarium & inevitabile eſt*; ſic enim præcedit Revelatio de eventu alicujus futuri, & tamen illud, quod neceſſariò ſequitur ad talem revelationem, non eſt neceſſarium & inevitabile. Videatur cit. Auctor. Inſtant. Scientia Media eſſet, etiamſi ego nunquam exiſterem. Ergo non eſt à me impedibilis. Reſpond. diſtinguendo Antecedens; eſſet ſine ulla dependentia tam actuali, quàm habituali, negatur antecedens: eſſet quidem ſine dependentiâ actuali, non tamen ſine habituali & conditionatâ, conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Nam Scientia Media ita eſt conſtituta, ut licet, dum ego non ſum, non dependeat dependentiâ actuali à mea exiſtentiâ & libertate: attamen dependet depententiâ habituali, & conditionatâ, ita ut quandocúnque ego exiſto, actualem dependentiam nanciſcatur ex hac mea exiſtentia, & libertate; cùm Deus ſcientiâ mediâ non poſſit non videre, quidquid à voluntate ſub conditione futurum eſt.

XXVIII. *Ad* 2. Negando Antecedens, & in probatione hujus diſtinguendo Minorem poſterioris Syllogiſmi; eſt impoſſibile, ut aliquis operetur cum auxilio purè ſufficiente ſive abſque gratia efficaci, impotentiâ conſequente, conceditur: impotentiâ antecedente, negatur Minor &c. Nam hoc ipſo, quod aliquis elegerit actum malum, & conſequenter gratiam præcedentem fecerit purè ſufficientem, impoſſibile eſt, ut eligat ſimul actum bonum, & hinc ſine gratia efficaci non poteſt operari: ſive, ſi ipſe ſponte eligat, non-operari, eſt impoſſibile, ut ſimul eligat operationem, & conſequenter eſt impoſſibile, ut operetur cum gratia purè ſufficienti. At verò potentiâ antecedente eſt poſſibile, ut aliquis operetur cum gratiâ purè ſufficiente; quia ſi elegiſſet operationem bonam; quod in ipſius fuit poteſtate, potuiſſet facere, ut hæc gratia, quæ de facto eſt purè ſufficiens, fuiſſet efficax.

Ad 3. Non poteſt reſiſtere vel diſſentire entitati gratiæ, quæ eſt efficax, negatur antecedens: non poteſt reſiſtere efficaci; ut tali, ſubdiſtinguo; impotentiâ conſequente & dependente à noſtrâ liberâ electione, concedo: impotentiâ antecedente, nego antecedens, & conſequentiam; modô jam explicatô.

XXX. *Ad* 4. Negando ſequelam. Nam etſi ſuppoſitâ gratiâ conſentire vel non conſentire ſit in hominis poteſtate: non eſt tamen in poteſtate hominis habere gratiam, ſed eſt ſpeciale beneficium ſolius Dei, qui auxilium ad bene operandum dare voluit non qualecúnque, ſed ex ijs unum, ad quod prævidit conſecuturum conſenſum. Et hinc etiam debemus & agimus DEO grates ſpeciales; non quod ex ſuppoſitione gratiæ nos conſenſerimus; hoc enim verè eſt in poteſtate noſtra: ſed quod dederit tale auxilium trahens, cum quo prævidit nos conſenſuros; & re ipſa trahendos.

XXXI. *Ad* 5. Graciam Efficacem ſpecificè ſumptam, & quatenus dicit virtutem, eſſe initium juſtificationis noſtræ: non verò reduplicativè acceptam, & quà efficacem. Atqui non cauſat quà efficax & ſecundùm omnes ſuas partes, ſed ſecundùm virtutem operandi.

XXXII. *Ad* 6. Tractionem hanc conſiderari poſſe vel in actu ſecundo, vel in actu primô. Si accipiatur gratia ſeu tractio in actu ſecundo efficax, utramque cauſalem eſſe veram in genere cauſæ formalis; quia Tò trahere efficaciter in actu ſecundo reverâ adæquatè non ſubſiſtit, niſi homo veniat, & ipſum viciſſim venire hominis formaliter acceptum ac completum non eſt, niſi Deus trahat; quippe hoc venire hominis non eſt qualecúnque, ſed vocantem, præeuntem, trahentem &c. ſequi, quod intelligi non poteſt ſine vocatione, tractione, vel ſimili. Quòd ſi accipiatur tractio in actu primo, redit reſponſio ad præcedentem objectionem data; vera enim; & à priori erit cauſalis iſta: homo venit; quia Deus trahit, accipiendo tractionem iſtam ſecundùm virtutem operativam, quam dicit in Recto: non verò adæquatè, & ſecundùm idem etiam, quod dicit in Obliquo.

XXXIII. *Ad* 7. Diſtinguendo Antecedens; Intelligitur aliquid utilius phyſicè & quoad intrinſecam virtutem operandi, negatur: moraliter, conceditur; etenim propter connexionem infallibilem, quam habet cum conſenſu, in morali hominum æſtimatione æquivalet cuicúnque auxilio phyſicè determinanti.

XXXIV.

XXXIV. *Ad 8.* Negando ultimam conſequentiam. Nam dicitur Deus Cauſa prima; quia præcedit ordine dignitatis: quia agit prius quoad ſubſiſtendi conſequentiam: & denique quia dat prius omnibus cauſis alijs virtutem agendi, alijſque & quidem liberè offert ſuum concurſum, quo poſſint agere.

XXXV. *Ad 9.* Hinc tantùm ſequi, gratiam efficacem ſubijci voluntati quoad uſum, quod veriſſimum, neque hoc repugnare Concilio citato; ibi enim agitur contra Semipelagianos, ita ſubijcientes gratiam voluntati, ut vellent *liberum arbitrium proprijs viribus quærendo, pulſando poſſe advocare gratiam*; quod à Sententia noſtra alieniſſimum eſt. Ex hoc autem, quod homo à gratiâ præveniente allici ſe ſinat, eique cooperetur, aſſenſum eliciendo, ſuam ipſi laudem enaſci omnino concedendum eſt, nec curandum, quid impudenter contra effutiat Janſenius. Nam quemadmodum Catholicorum nemo ſic opus ſuum partitur cum Deo, ut partem ejus unam ſibi, alteram DEO tribuat, ita non niſi contra Sacram Scripturam, Concilia, ac Patres negari poteſt, quin ex eodem bono opere, quod divinæ gratiæ ut cauſæ principali cooperando facit Juſtus, & laudem & meritum habeat ac mercedem coronámque exſpectare debeat; Ad quid enim aliàs diceret S. Paulus 1. ad Corint. 4. v. 5. *Tunc laus erit unicuique à Deo?* & cap. 3. v. 8. *unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem, Dei enim adjutores ſumus*, græcè *συνεργοί*, cooperatores? Quomodo etiam SS. Patres docerent *virtutem, juſtitiam, merita, bona opera eſſe noſtra, de proprio ſervire nos Deo; noſtri laboris ac ſolicitudinis eſſe, cooperari gratiæ divinæ*, ſi poſt primas partes DEI adjutorio attributas, non aliquid etiam ex bono opere in nos redundaret? Hoc igitur ſentire non impietatis eſt, ut cum Calvino ſibi imaginatur, imo calumniatur Janſenius, ſed religioſæ gratitudinis ab omnibus hactenus Catholicis Doctoribus conformiter Sacræ Scripturæ aſſertæ.

XXXVI. Ad 10. denique argumentum. Arriagam tom. 1. in 1. P. D. Thomæ D. 31. n. 36. negare Majorem, ac dicere, moraliter quidem eſſe impoſſibile, ut homo repudiet omnia auxilia: metaphyſicè tamen vel etiam phyſicè id non repugnare: ſicuti in alearum ludo phyſicè non repugnat, jacere trecenties continenter eundem numerum, moraliter tamen fieri non poteſt, cui Auctori non dubito, quin alij conſentiant, tametſi nullum ipſe alleget. Ruiz. Diſp. 69. de Scient. DEI. Sect. 8. n. 98. Card. Pallavicinus in libel. de DEO. c. 42. & alij negant Minorem ſic in rem præſentem diſcurrentes. Ex una parte potentia reſtitiva in homine eſt limitata & finita, tum quod ſit creata, tum quod tendat adverſus naturalem voluntatis creatæ propenſionem in bonum; ſiquidem hæc voluntas eſt ſimilitudo quædam ac participatio Dei propendens in bonum: Ex altera verò parte auxilia ſupernaturalia, quæ latent in divinis theſauris, ſunt infinita & infinitis modis præſtabilia à DEO, uti dubitari non poteſt. Ergo fieri nequit, quin auxilia iſta divina plus virium ac ponderis habeant ad inclinandam humanam voluntatem, & faciendum effectum, quàm potentia illa limitata ac finita ad reſiſtendum. Alia eſt ratio in igne, qui alios & alios ignes in infinitum producere poteſt; quia eſt ex natura ad id neceſſitatus, & nullam in ſe habet propenſionem, per quam ab actione retrahatur. Videantur citati AA. qui hanc opinionem, quæ valdè probabilis eſt, Authoritate D. Auguſtini confirmant.

CONTROVERS. XLIX.

DE GRATIÆ DIVINÆ Neceſſitate,

PLurimum refert ad ſequentes controverſias ritè intelligendas, ut cognoſcamus, quid homo de ſe poſſit: quid per divinam gratiam valeat. Vnde Scholarum Coriphæi & antiquiores Magiſtri, quos ſecutus eſt Card. Bellarminus Lib. de gratiâ primi hominis nonnullas quæſtiones de varijs hominis ſtatibus moverunt, non curioſitate, ut hæretici calumniantur tracti, ſed rei tradendæ exigentiâ permoti, ut hæc exactiùs intelligeretur.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. STatus humanæ Naturæ univerſim nihil eſt aliud, quàm ipſa natura humana, prout conſideratur ſpeciali aliquo modo diſpoſita ad ultimum finem. Sunt, qui quatuor, qui ſex, qui Septem omninò diverſos ejuſcemodi humanæ Naturæ ſtatus enumerant; quatuor tamen præcipuè ad rem noſtram faciunt.

Primus ſtatus eſt pura Natura, quando ſcilicet crearetur homo cum potentijs rationalibus & ſenſitivis, alijſque perfectionibus naturaliter debitis: & cum defectibus naturalem corporis conſtitutionem conſequentibus, ut ſunt fames, ſitis, fatigatio, morbi, mors &c. neque haberet aliquid indebitum ſibi, ſive bonum ſive malum; adeoque neque peccatum ſaltem grave, neque gratiam aut aliud donum ſupernaturale. Vnde duo includit hic ſtatus, ut docet Suarez. Tom. 1. de grat. prologom. 4. c. 1. n. 3. poſitivum unum, nimirum perfectiones naturæ debitas: alterum quaſi negativum, ſcilicet imperfectiones naturaliter conſequentes præter generalem providentiam naturæ proportionatam. Hic ſtatus humanæ Naturæ in naturalibus neque dabitur, neque unquam datus fuit, tametſi gentiles Philoſophi, quibus melius fidei lumen nunquam affulſit, de facto hominem in tali ſtatu conditum putariût.

II. *Secundus ſtatus eſt Natura integra*, quem aliqui confundunt cum ſtatu iuſtitiæ Originalis, de quo alibi. Tanner tamen Tom. 2. D. 6. q. 1. dub. 1. n. 17. cum alijs putat, juxta D. Thomam 1. 2. q. 109. a. 2. ſtatum Naturæ integræ non dicere gratiam Sanctificantem, quam tamen certum eſt includi in Juſtitia originali, ſed tantùm alteram partam illius juſtitiæ, videlicet compoſitionem & ſubjectionem Naturæ, quâ appetitus inferior ſuperiori, & ſuperior rationi perfectè ſubijciebatur, ita ut à rationis imperio & præ-

& præſcripto nunquam diſcederet; dicitur autem iſtiuſmodi ſubjectio pertinere ad ſtatum naturæ integræ, non quod ſit illi debita aut connaturalis (damnata eſt enim propoſitio 26. Michaëlis Baij aſſerentis, quod talis integritas fuerit debita naturæ humanæ.) ſed quia hominem juvaret ad ſervandam integrè legem naturæ, & facienda omnia, quæ lumen naturæ dictaret facienda, ut explicat Granado in Præfat. de grat. c. 3. n. 10.

III. *Tertius ſtatus eſt Natura lapſa in peccatum originale vel perſonale mortale nondum recuperatâ gratiâ.* In hoc ſtatu Natura humana amiſit Juſtitiam originalem cum donis ſupernaturalibus, & ad ſummum eas animæ vires retinuit, quas habitura fuiſſet in puris naturalibus. Pro hoc ſtatu melius intelligendo duo adverte ex Suarez. Prolog. 4. *Primum*. etſi communiter homo in ſtatu Naturæ lapſæ accipiatur pro eo, qui fuit in peccato originali & perſonali mortali, & ideo caret integritate, quantumvis de facto gratiam juſtificantem habeat, hoc loco tamen accipi Naturam lapſam in peccatum, nondum recuperatâ gratiâ; unde hic ſtatus includet peccatum. *Alterum* eſt, quod homo in ſtatu naturæ lapſæ dicatur per peccatum ſpoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus; quod effatum venerabilis Bedæ in c. 12. Lucæ velut axioma receptum eſt ab omnibus Theologis, Teſte Tanner. D. 4. de peccatis Q. 10 dub. 1. n. 20. Porro per gratuita dona, quibus homo in hoc ſtatu dicitur ſpoliatus, intelligitur gratia Sanctificans, habitus Charitatis, alijque cum hoc neceſſariò connexi; vulnera autem homini in naturalibus inflicta ſunt quatuor. 1. Jgnorantia in intellectu, non quod nullam veritatem practicam agnoſcere amplius poſſimus, ut Sectarij volunt, ſed quod veritates has rariùs attingamus, eáſque non abſque difficultate comparemus. 2. Malitia in voluntate, quæ non eſt peccatū, ſed quædam ad peccatum proclivitas & horror ab oppoſito bono ſeu honeſto. 3. In appetitu concupiſcibili concupiſcentia, ſeu ad bona ſenſibilia & inordinatas delectationes propenſio. 4. denique in iraſcibili infirmitas, & ad pertumpumpendas difficultates in exercitio virtutum languor. His donis gratuitis ſpoliatus & iſtis inſuper vulneribus affectus homo habet ſe aliquomodo ſicuti in ſtatu puræ Naturæ; in illo autem ſtatu Naturæ lapſæ effectus potius & pæna peccati dicuntur.

IV. *Quartus denique eſt, Natura per Chriſti gratiam reparata*, qui dicit gratiam Sanctificantem & habitus ſupernaturales, quibus Natura per peccatum denudata erat, mediantibus uerò ſacramentis rurſus eiſdem donata. Quamvis autem hic ſtatus reparet in homine præcipuam partem juſtitiæ originalis, gratiam ſcilicet Sanctificantem cum alijs habitibus ſupernatutalibus, non tamen liberat hominem ab omnibus malis, quæ per peccatum contraxit; quippe manet adhuc illud ad Galat. 5. v. 17. *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*. &c. His præmiſſis.

V. *Doctrina prima*. Poſſibilis eſt ſtatus Naturæ puræ, adeóque Natura tam Angelica quàm Humana, potuit condi ſine ullo dono ſupernaturalis gratiæ in puris naturalibus. Ita Catholici Doctores. Probatur 1. Ex S. Script. Geneſ. 3. v. 19. dicitur Adamo: *pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et Eccleſiaſt. 17. v. 1. & 2. habetur: *Deus creavit hominem de terra, & ſecundùm ſe veſtivit illum Virtute*. Ubi Spiritus S. ex Patrum interpretatione duo innuit; unum, quod homo habet ex ſe, & vi creationis accipit: alterum, quod habet à Deo; & naturæ veluti veſtimentum ſuperadditum, nempe dona gratiæ ſupernaturalia. Et cur abſque his merè gratuitò ſuper additis creari non poſſit? In eundem modum parabolam Luc. 10 de eo, qui incidit in latrones explicant Patres Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, Bernhardus &c. Unde. Probatur 2. ex PP. S. Dionyſ. de divinis Nom. c. 4. p. 4. de dæmonibus ſic ſcribit: *nec angelica munera illis tributa aliquando permutata, ſed integra ſunt penitúſque conſtituta*. Ergo ſicuti in Angelis ſine gratia & peccato ſtat integra natura, ſic & in hominibus ſtare poteſt. S. Baſilius L. de Spiritu S. ad Amphilochium c. 16. ſcribit: *non enim naturâ Sancta ſunt cælorum virtutes*. Ergo indebita eſt illis ſanctitas, adeóque condi ab initiò ſine illa potuêre. S. Auguſtinus L. 12. de Civit. Dei. c. 9. *Simul*, inquit, *in eis* (Angelis) *& condens naturam: & largiens gratiam*. Ergo ſuperaddita gratia ad conditionem naturæ non pertinebat. S. Chryſoſt. hom. 19. ad populum Antiochenum ſub finem, *concupiſcentia radix*, ait, *habet à naturâ principium; concupiſcere enim naturale: male verò concupiſcere jam eſt voluntatis*. Similia habent alij PP. apud Bellarm. L. de gratia primi hominis c. 6. quibus conſentiunt S.Thomas & cæteri Scholaſtici. Probatur 3. ratione. Tum quia naturale eſt corpori animali ſenſu & appetitu prædicto concupiſcere bonum ſenſibile: naturale quoque Spiritui rationali concupiſcere bonum ſpirituale. Ergo ſi ex his una fiat natura, erit huic naturale habere diverſas intérque ſe repugnantes propenſiones; & quæ implicantia poſſibilitatis hujus? Tum quia cum creari in ſtatu puræ naturæ nihil ſit aliud, quàm creari cum perfectione ſua eſſentiali, omnibuſque facultatibus & accidentibus connaturalibus & concurſu divinæ providentiæ ac ſine bono & malò naturæ ſuperaddito, manifeſtum eſt; Deum potuiſſe creare hominem perfectum eſſentialiter, & reliqua, quæ diximus, præſtare ſine ſuperadditis bonis ſupernaturalibus & ſine peccato pæniſque ei debitis, uti magis patebit infra in refutatione oppoſiti erroris, & argumentorum, quæ pro iſto aſſeruntur, ſolutione.

VI. Cæterùm lis eſt inter Scholaſticos, utrum homo in ſtatu naturæ lapſæ debilior ſit ad bene operandum, quàm in ſtatu puræ naturæ? Affirmat Eſparza Tom. 1. de grat. actual. Q. 9. poſt Alvarez lib. 6. de auxil. Diſp. 45. & 47. ac non paucos Thomiſt. nixus maxime authoritate Concilij Tridentini Seſſ. 5. can. 1. in quo haberi arbitratur; hominem per peccatum incurriſſe moralem neceſſitatem peccandi ob vehementiam concupiſcentiæ incitantis & diaboli impellentis. Negat Suarez Tom. 1. Prolog. 4. c. 8. num. 2. cum Cajetan. Scoto, Vaſquez, Molina, Tanner & pluribus alijs. Tum quod in ſtatu Naturæ puræ lapſæ nulla facta ſit mutatio & imminutio virium, ex qua major illa debilitas proveniat. Tum quod actus primus præcedens actiones liberas ſit æquè bene conſtitutus in utróque ſtatu, eodémque modo fluant omnia tam ſalutaria quàm noxia, quæ ſunt extra hominem: quæ autem intra hominem ſunt, ut ſpecies, Spiritus vitales, humores &c. connaturaliter ab his extrinſecis dependeant, & ad illorum variatiorem varientur. Ad Trident.

Digitized by Google

dici poteſt, hominem in ſtatu naturæ lapſæ vehementius quidem à concupiſcentia incitari, & à diabolo ad peccandum impelli, quàm in ſtatu puræ naturæ; ſed non eouſque, ut moralis ſit neceſſitas peccandi; certè hæc ex Concilio Tridentino non evincitur. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed poſterior, uti communior, & Divinæ Bonitati conformior, ita omnino præferenda. Itaque in utroque ſtatu eadem eſt ratio hominis quoad facultatem bene operandi, & moraliter non peccandi interveniente quodam favore non debito homini, ſed quem DEUS præciſè ex Bonitate ſua præſtat, & prudenter ab iſto ſperari poteſt. Videantur cit. Authores, ad quos, ut dixi, lis hæc ſpectat.

VII. *Doctrina ſecunda.* Homo deſtitutus virtutibus ſupernaturalibus fidei, Spei, & Charitatis nullum actum ſupernaturalem poteſt elicere ſine auxilio gratiæ actualis, quæ ſuppleat defectum illarum virtutum. Ita Catholici & ſæpe doctrina hæc definita fuit in antiquis concilijs Palæſtino, Africano, Arauſicano, Milevitano, & noviſſimè in Tridentino. Seſſ. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit ſine prævenientis Spiritûs S. inſpiratione, atq; ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quod etiam conſtat ex Script. Joan. 15. v. 5. *ſine me nihil poteſtis facere.* 2. ad Corinth. 3. v. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid boni à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* Ad Philipp. 2. v. 13. *DEUS eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* Jacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre Luminum.* Hinc D. Bernardus Serm. 1. de Annuntiat. ait: *neceſſe eſt, primum omnium credere, quod remiſſionem peccatorum haberi non poſſis, niſi per indulgentiam DEI: deinde quod nihil prorſus habere poſſis boni operis, niſi & hoc dederit tibi ipſe.* Idem eſt ſenſus omnium cæterorum Patrum. Ratio hujus rei clara eſt ex ipſis verbis. Nam ſi actus eſt ſupernaturalis, non poterit ſolis naturæ viribus effici; alioquin non ſuperaret naturam: D. Thomas 1. 2. q. 62. a. 3. & q. 109. a. 5. in corp. ex eo probat doctrinam hanc, quod actus & media conducentia ad finem certum oporteat eſſe proportionata fini, eâ ſaltem proportione, ut non totis ac ſummis generibus diſtent. Cum ergo certum ſit, hominem eſſe ordinatum ad finem ſupernaturalem, ſcilicet Viſionem Dei, oportet dari actus & media, quibus perducatur ad finem illum, itidem ſupernaturalia; alioquin ſi eſſent merè naturalia, finis & media ſummis inter ſe generibus differrent. *Dixi deſtitutus virtutibus ſupernaturalibus.* Nam dubium eſt inter Scholaſticos, utrum homo prædictis illis virtutibus ſi legat vel audiat myſteria fidei, ſtatim elicere poſſit actum fidei v. g. abſque alia indeliberata cogitatione à Deo immiſsâ? Negant aliqui. Tum quod Sac. Scriptura Concilia & Patres univerſaliter loquantur. Tum quod potentia etiam elevata per habitum requirat auxilium adjuvans, quo ad agendum actu moveatur. Affirmant alij ex eo quod potentiæ naturales intellectûs & voluntatis habitibus ſupernaturalibus inſtructæ ſatis habeant virium ad actus ſupernaturales eliciendos. Addunt tamen Auctores iſti, ipſoſmet hos actus habituum ſupernaturalium auxilio elicitos meritò vocari poſſe gratias Dei, tum quia externa motiva per ſingularem Dei providentiam proponuntur, tum quia requirunt ſupernaturalem Dei concurſum, qui ſimultaneus & ſemper paratus eſt. Primam opinionem plerique Theologi vel apertè aſſerunt, vel tacitè ſupponunt, quam idcircò præferendam abſolutè cenſemus.

VIII. Ex hac doctrinâ & ijs, quæ ſupra jam diximus, inferuntur ſeptem propoſitiones fidei; ad quas reduci poteſt, quidquid de gratia Chriſti contra hæreticos docet Eccleſia, adque idcirco diligenter ante oculos ſunt habendæ. 1. *Liberum Arbitrium non evertitur, etiamſi ſummè indigeat adjutorio ad omne opus ſalutare.* 2. *Ad omne opus morale ſupernaturale ſive quocúnque modo conducens ad ſalutem æternam & finem ſupernaturalem præveniri nos divinâ gratiâ.* 3. *Initium noſtræ juſtificationis à DEI gratiâ per Chriſtum ſumendum eſt, quâ nullis omninò meritis liberi arbitrij præcedentibus vocamur.* 4. *Ad omnes & ſingulos actus bonos ſupernaturales ſive quoquo modo conducentes ad ſalutem indigere nos adjutorio divinæ gratiæ adjuvantis, quæ propterea ad ſingulos actus datur.* 5. *Omnes & ſingulas noſtras operationes & voluntates bonas quocunque modo conducentes ad ſalutem Deum in nobis, atq; nobiſcum operari gratiâ ſuâ omnino indebitâ gratiſque omninò datâ non noſtris meritis redditâ.* 6. *Hanc Chriſti gratiam non ſolum eſſe neceſſariam, ut facilè poſſimus, ſed ut ſimpliciter poſſimus; nam ſine illâ nihil prorſus boni ſupernaturalis, hoc eſt, quoquô modo conducentis ad vitam æternam & ſupernaturalem finem agere valemus.* 7. *Denique hanc DEI gratiam non dari propter merita noſtra antecedentia gratiam; imò prævenire omne qualecúnque meritum noſtrum, non ſolùm perfectum, ſed etiam initium: atque conatum dari propterea ſolùm, cuicunque datur, ex pura miſericordia DEI propter merita unius Redemptoris JESU Chriſti.*

IX. *Doctrina tertia.* Ad actus naturales eliciendos ſufficiunt vires Naturæ, nec indigent auxilio gratiæ. Ita plerique Theologi. Probatur 1. ex Sac. Script. Ad Rom. 2. v. 14. ait Apoſt. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* hoc eſt, Gentiles, licet Scriptæ legis Moſaicæ prorſus ignari, tamen quædam honeſta faciunt naturaliter, id eſt, ipſius naturæ ductu & viribus. Probatur 2. Ex Trident. Seſſ. 6. c. 1. ubi ait: *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per vires humanæ Naturæ vel per legis doctrinam fiunt abſque divinâ per JESUM Chriſtum gratiâ, poſſe juſtificari coram DEO, anathema* ſit; quibus verbis Concilium manifeſtè ſupponit quædam opera honeſta & moraliter bona fieri ſine gratia Chriſti, ſed ad ſalutem non ſufficere. Probatur 3. Auctoritate Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. qui condemnarunt hanc propoſitionem Michaëlis Baij Profeſſoris Lavanienſis 27. *Liberum arbitrium ſine gratiæ DEI adjutorio non niſi ad peccandum valet;* ubi manifeſtè ſupponunt contrarium, ſcilicet poſſe liberum arbitrium ſine gratia & DEI adjutorio ſupernaturali aliquid facere, quod non ſit peccatum, ſed honeſtum & moraliter bonum. Probatur 4. Ratione. Si ad omnes actus honeſtos etiam naturalis ordinis requireretur auxilum gratiæ, tum homo gratiâ deſtitutus non poſſet parentes, aut liberos, aut uxores, aut benefactores diligere, quod eſt incredibile; Sicut & illud incredibile eſt, DEUM omnibus alijs creaturis ſufficientes vires ſubminiſtraſſe ad actiones ſuæ naturæ conſentaneas, ſoli homini omnium viſibilium præſtantiſſimo tam debilem naturam tribuiſſe, ut nihil ſuæ naturæ congruum, id eſt, rationabile ac honeſtum moraliterque bonum efficere poſſit. Quapropter

homo

Digitized by Google

homo in ſtatu Naturæ lapſæ abſque ſpeciali gratia poteſt *primò* cognoſcere multas veritates ſpeculativas: non tamen omnes collectivè. *Secundò* multas veritates practicas ordinis naturalis: non tamen iterum omnes. *tertiò* efficere aliquod opus moraliter bonum, & leves ſuperare tentationes cum concurſu Dei generali. *quartò* diligere Deum aliquò modò. *quintò* amare Deum aliquò amore benevolentiæ, non tamen amicitiæ, aut ſuper omnia; illud enim requirit amorem mutuum: hoc verò importat obſervantiam totius legis naturalis, & firmam voluntatem ſuperandi omnes tentationes, & difficultates oppoſitas, quorum utrumque vires naturæ tranſcendit.

X. Hanc communem doctrinam omnibus machinis impugnat Vaſquez. 1. 2. D. 190. à c. 4. uſque ad 13. & conatur probare præſertim auctoritate Sac. Script. & Conciliorum univerſim aſſerentium nihil boni poſſe fieri ſine gratia abſque ullâ diſtinctione operum naturalium & ſupernaturalium Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*. 2. ad Corinth. 3. v. 5. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid boni à nobis*. Concil. Arauſ. can. 22. *nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*; ſi autem ſuis viribus poſſet aliquid naturaliter honeſtum agere, illud non eſſet mendacium & peccatum. Verùm quamvis Sac. Scriptura & Concilia citatis locis videantur univerſaliter loqui de omni bono opere etiam naturali, tamen juxta SS. Patrum interpretationem intelligenda ſunt de operibus ſupernaturalibus ad æternam ſalutem conducentibus, quorum reſpectu cætera omnia nihil æſtimantur juxta phraſin Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. v. 2. *Si charitatem non habuero nihil ſum*. Et niſi hoc modo explicentur ac limitentur, repugnabunt alijs locis in doctrina noſtra adductis. Nec aliquem terreat illa univerſalitas concilij Arauſicani, *hominem de ſuo nihil habere niſi peccatum & mendacium*, quibus etiam naturalis honeſtas videtur excludi; quia intelligenda ſunt illa verba de operibus in ſupernaturali materiâ verſantibus, de quibus agebat Concilium contra Pelagianos. Interim non negamus, ſi nomen Gratiæ latiùs ſumatur pro omni liberali & gratuito dono DEI, etiam opera naturalia egere gratiâ Dei, qui ſuâ providentiâ ſuggerit bonas cogitationes, quando non debet, aut fortiores, quam debet, & bonas occaſiones ſuppeditat, ac removet obſtacula. Plura de hac difficultate Scholaſtici.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XI. *Error primus eſt*, ſtatum Naturæ puræ impoſſibilem eſſe. Ita Lutherus in Geneſ. c. 3. Calvinus L. 1. Inſtit. c. 15. §. 1. & 4. Item L. 2. c. 1. & 6. alijque hæretici, quos ſequitur Janſenius tum alibi, tum tom. 2. L. 1. de ſtatu puræ Naturæ c. 3. col. 687. & 713. aſſerens, *ſine amore DEI & juſtitiâ creatura rationalis nec recta eſſe, nec condi poteſt*; quod idem eſt, ac implicare ſtatum puræ Naturæ. Probant 1. Authoritate S. Auguſtini, qui diverſis in locis apertè aſſerit, *concupiſcentiam eſſe malam, eſſe à peccato, à diabolo*. Quomodo ergo, inquit Janſenius eadem concupiſcentia, quæ eſt in natura lapſa, potuit creari à DEO in ſtatu puræ naturæ? Probant 2. Tum quia, ſi juſtitia originalis fuiſſet ſupernaturalis, ſequeretur concupiſcentiam fuiſſe naturalem & per ſe bonam, ac à Deo; ſed hoc negat Scriptura. 1. Joan. 2. v. 16. Et ad Rom. 7. v. 8. &c. Tum quia ſi crearetur pura Natura, omnia ejus peccata Deo Auctori, non creaturæ imputari deberent. Tum quia æterna beatitudo finis eſt hominis naturalis. Ergo homo debuit habere media naturalia ad finem illum conſequendum. Ergo juſtitia, quæ fuit neceſſaria ad beatitudinis conſecutionem, fuit homini naturalis.

XII. Errorem hunc unanimiter conſtantérque rejecerunt Catholici Doctores cum S. Thomâ & Scoto Angelico & ſubtili Scholarum Magiſtris, quorum ille P. 1. Q. 95. a. 1. in corp. ait: *Manifeſtum eſt, quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet, cum etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum permanſerint*. Iſte verò in 2. diſt. 28. q. unicâ ſcribit: *Potuit aliquis eſſe in puris naturalibus tam ſine gratia, quàm ſine culpa*. Equidem gravi cenſura Nos ferit Janſenius tom. 2. L. 3. de ſtatu puræ naturæ c. 25. col. 945. quaſi ex miſerijs puræ naturæ cogeremur ad diverſas impietates, blaſphemias in Deum &c. Sed ſi hæc Janſenij cenſura ſubſiſteret, obligaremur ad arguendum imprudentiæ, temeritatis, & erroris ſummos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. dum damnârunt præſentem errorem in hac damnata propoſitione 53. Michaëlis Baij: *DEUS non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Non igitur Nos, ſed Janſenium ferit cenſura Pontificia.

XIII. Reſpond. 1. *ad Auctoritatem S. Auguſtini*, agnoviſſe S. Patrem bene duplicem concupiſcentiam; unam in naturâ lapſâ opponentem ſe rationi tali vehementiâ, ut difficulter per vires naturæ reſiſti ei poſſit, niſi natura adjuvetur à gratiâ per Chriſtum: aliam verò in natura pura, quæ hominem ad peccandum ipſa quoque impelleret, ita tamen moderatè, ut homo ſuis viribus relictus haud ægrè vincere illam poſſet; priorem concupiſcentiam S. Doctor ait eſſe malam, à peccato, à Diabolo, & à Deo non niſi permiſſivè, ut qui creaturis ſuis vires dat ſufficientes abſque graviore difficultate ad finem ſuum naturalem conſequendum: poſterior verò concupiſcentia ſtatui naturæ puræ congruens cum mala non ſit, non eſt ratio, cur à Deo eſſe nequeat.

XIV. Reſp. 2. *Ad. 1. Rationem*. Concupiſcentiam carnis nunc quidem eſſe pænam peccati: at verò homini in puris naturalibus condito ſine dubio futuram fuiſſe naturalem, non quidem, ut bonum aliquod naturæ, ſed ut defectum & quaſi morbum quendam naturæ ex conditione materiæ conſequentem, Dicit Ameſius tom. 4. f. 6. concupiſcentia eſt propenſio carnis in bonum ſenſibile, in quod per ſenſum & appetitum fertur. Atqui propenſio rei in ſuum objectum naturale eſt bonum Naturæ, non defectus, non morbus ex natura dependens, ſed ex cauſa prima, quæ ſingulis facultatibus ſuas indidit propenſiones. Hæ aliæque inſtantiæ ejuſdam Puritani evaneſcent, ſi obſervetur, Concupiſcenciam ſumi tum pro potentia, tum pro actu: Et rurſus tam hunc, quàm illam accipi vel latè pro potentia & actu appetendi bona tantùm ſenſibilia, vel pro vi erumpen-

erumpendi, & ipſâ eruptione in actus malos ac turpes. Si igitur concupiſcentia ſumatur pro potentia, ſine dubio eſt naturalis perfectio à Deo nobis inſita, & bonum naturæ; quatenus eſt principium bonorum actuum: prout verò poteſt erumpere in actus malos & turpes, eſt defectus perfectionis; perinde ut defectus & imperfectio eſt, quod mori poſſimus; etiamſi perfectio ſit, quod vivamus. Atque de concupiſcentia hoc poſteriori modo locuti ſumus, quando eam in reſponſione diximus defectum, & quaſi morbum Naturæ: Scriptura allegata loquitur de eadem, ut modò in nobis ſe habet per peccatum deteriorata.

XV. Reſpon. 3. *Ad. 2. Rationem.* Cum etiam in ſtatu Naturæ puræ teneretur creatura rationalis conformare ſe rectæ rationis regulæ, nec ad hoc præſtandum denegaret Deus media illi ſtatui congruentia, non eſſe, cur in Deum, & non potius in creaturam defectus eius refunderetur, ſicuti nec fabro ferrario tanquam auctori imputatur contracta rubigo gladij ferrei; tametſi ille hunc cuderit. Taceo, rebellionem illam nec propriè peccatum eſſe, nec neceſſariò ad peccatum inducere.

XVI. Reſpond. 4. *Ad 3. probationem.* Beatitudinem, quæ in aliquâ Dei contemplatione & dilectione conſiſtit, eſſe duplicem; unam naturalem, alteram ſupernaturalem; priorem appetere hominem appetitu innato: ad poſteriorem habere ſolùm poteſtatem obedientialé, ideóque non appetere illá appetitu naturali. Debet autem homo appetitu elicito & actuali deſiderio rite ordinato appetere efficaciter illá beatitudinem, ad quam re ipsâ eſt ordinatus, quam tamen beatitudinem ſupernaturalem & ordinationem in iſtam non innoteſcere citra revelationem divinam ſupernaturalem, manifeſta docet experientia in Philoſophis, qui nec conjectando in aliquam ejus venerant notitiam; unde & in eis appetitus illius beatitudinis eſſe non potuit, niſi forſan & ad ſummum inefficax & conditionalis, ſi eſſet poſſibilis. Ad hunc ergo ſupernaturalem & indebitum finem, cum Deus merè gratuitâ liberalitate hominem ordinaverit, ut cum SS. Patribus & D. Thomo 1. P. q. 12. Scholaſtici communiter docent, potuit is ab eadem ordinatione abſtinere utpote ſibi libera, & hominem ad ſolam beatitudinem naturalem deſtinare.

XVII. *Error ſecundus eſt Pelagij.* qui Natione Britannus. Profeſſione Monachus. S. Auguſtino coætaneus ſuſceptâ humani arbitrij causâ docuit ſequentia. *Primum.* Vires naturales liberi arbitrij ſufficientes ſunt ad quodlibet bonum æquè ac malum: poteſt inſuper homo ſine ulla gratia ſuperaddita vel adjutorio indebito & ſine peccato vivere, & omnia Dei præcepta ſervare, ac tandem ad Dei gratiam atque amicitiam ſe ſe diſponere per merum bonum Naturæ uſum. *Secundum.* nomine Gratiæ divinæ, cui prædicta omnia in Sac. Scripturis imputantur, intelligi voluit potentiam ipſam liberi arbitrij rationalis. Verùm vel doctior vel callidior factus, adjunxit poſtea libero arbitrio aliam gratiam à Deo acceptam, nempe legem ac doctrinam, per quam ſcimus, quid Deus jubeat, quid vetet, & quid à libero arbitriô requirat. *Tertium.* argumentis Catholicorum præſertim S. Auguſtini oppreſſus admiſit aliam etiam in dies ſingulos nos accipere à Deo gratiam interiorem, quâ intellectus illuminatur, & torpens voluntas excitatur; ſed iſtam gratiam, quâ propiùs accedebat ad veram Chriſti gratiam, ajebat juvare ſolùm voluntatem; ut facilius faciat, quod ſola facere ſimpliciter poſſet. *Quartum.* gratiam ſemper ſecundùm merita dari, quod intelligendum eſt de iſta gratia ſuperaddita, ne ſcilicet Deus foret acceptator perſonarum; ſi æqualibus inæqualia dona divideret. Itaque hæreſiarcha iſte erraret aſſerendo, *Gratiam Dei non eſſe neceſſariam ad ullos actus ſalutiferos, ſed cum ſolis naturæ viribus poſſe hominem remiſſionem peccatorum obtinere; omnia Dei mandata obſervare; & vitam æternam promereri.* Videtur inductus hoc fere diſcurſu, quo veluti fundamento nititur. Natura humana ſecundùm ſe eſt capax legis & præceptorum. Atqui Deus non præcipit impoſſibilia. Ergo habet homo ex natura ſua vires ad illas leges ſervandas. Ergo non eſt illi ad eaſdem ſervandas neceſſaria gratia ſaltem diſtincta à dono creationis, promiſſionis vitæ æternæ, & legis ac doctrinæ, quæ oculos cordis aperiat atque illuminet oſtendens bonum & malum. Confirmant hoc fundamentum Pelagij Sectatores 1. ex Sac. Scriptura. Zachariæ 1. v. 5. *Convertimini ad me, & ego convertar ad Vos.* Proverb. 16. v. 1. *hominis eſt præparare animam, & Domini dirigere linguam.* 2. ex SS. Patribus nominatim D. Hieronymo aſſerente, *noſtrum eſſe velle, Dei autem implere.* 3. Ex communi axiomate: *facienti, quod in ſe eſt, DEUS non denegat gratiam.* 4. poteſt quis dolere de offenſa amici. Cur non etiam de offenſa DEI? 5. Dilectio Dei ſuper omnia eſt homini naturalis. Ergo viribus naturæ haberi poteſt. 6. Infideles credunt multa non minùs difficilia, quàm ſint fidei noſtræ articuli v. g. continuum eſſe diviſibile in infinitum &c. 7. *Teſtimonia DEI credibilia facta ſunt nimis.* Pſal. 92. v. 5. Ergo ſine auxilio ſpeciali elici poteſt circa illa actus fidei, quod idem proportionaliter de alijs actibus dicendum. 8. Homo juſtus elicere poteſt actus honeſtos naturales, qui tamen abſque gratia ſupernaturali conducent ad ſalutem, utpote dignificati extrinſecè per gratiam habitualem hominis Juſti. Ergo abſolutè non requiritur ad actum ſalutiferum auxilium ſupernaturale. 9. Denique quia Chriſtus L. 11. v. 9. ait: *petite & accipietis &c.* quibus verbis indicat, orationem & neceſſariam & efficacem eſſe ad operandum bona naturalia æquè ac ſupernaturalia. Atqui oratio iſta eſt naturalis; ſecus enim ſupponeret gratiam ſupernaturalem, & iſta aliam, atque ita in infinitum. Ergo univerſim actus naturalis poteſt eſſe ſalutaris.

XVIII. Hunc Pelagij & Aſſeclarum errorem vehementiſſimè impugnavit, & inſectatus eſt S. Auguſtinus, ut ex varijs ejus Scriptis patet, ac nominatim in Lib. de Prædeſt. SS. c. 5. ubi ait, *quod ad Religionem & Pietatem attinet, non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis juxta Apoſtolum 2. ad Corinth. 3.* Id ipſum alij etiam Patres egregiè præſtiterunt; & ut ſupra jam diximus, diverſa deinde Concilia eundem errorem rejecerunt; quorum quâ parte ad noſtrum inſtitutum ſpectant, ſumma hæc ferè eſt. A lapſu Adami nullum opus bonum, quod ad negotium juſtificationis & ſalutis quomodolibet per modum meriti ſeu condigni ſeu congrui, & per modū diſpoſitionis conducit, exerceri, ad quod non ſit ſimpliciter neceſſarium auxilium gratiæ per Chriſtum.

Et me-

Digitized by Google

Et meritò ſanè, tum propter apertos Sac. Scripturæ textus ſuprà allegatos, quibus hunc addo ex 1. ad Corinth. 12. v. 3. ubi, inquit, Apoſtolus, *nemo dicere poteſt Dominus JESUS* (credendo ſcilicet in eum) *niſi in Spiritu S.* tum quia implicat naturam habere vim naturalem ſufficientem in actu primo ad aliquem effectum intrinſecè ſupernaturalem. Unde.

XIX. Reſpond. 1. *ad fundamentum Pelagij*, Deum impoſſibilia non mandare, quin ſuam ſimul largiatur gratiam, quâ adjuti poſſimus præcepta ſupernaturalia v. g. fidei, Spei, & Charitatis obſervare, & actus elicere, prout ad ſalutem conducunt; quod adjutorium ſanè neceſſarium eſt; hoc ipſo enim, quod iſti actus in ſubſtantia ſupernaturales ſint, & naturæ vires ſuperent, abſolutè ſupernaturale principium exigunt, à quo producantur, adeóque vires merè naturales ad eoſdem non ſufficiunt.

XX. Reſpondetur 2. *Ad confirmationes Pelagianorum*, has fusè reijci à Scholaſticis, & Card. Bellarmino, nos breviter & ordine reſpondemus. *Ad 1.* cum S. Auguſtino epiſt. 8. ad Bonifacium hiſce Sac. Scripturæ textibus ſolùm commendari liberum arbitrium, cujus conſenſum ad converſionem Deus requirit: at non propterea gratiam prævenientem excludit. *Ad 2.* S.S. Patres ac nominatim D. Hieronymum L. 3. in Pelag. non excludere gratiam prævenientem à noſtro velle, ſed ſolùm intendere ac docere, nos poſſe multa velle cum adjutorio Dei, quæ ſine ampliore nequimus implere: Sed ſolius Dei eſſe efficere, ut aliquando illa, quæ volumus, impleamus v. g. volumus ſine omni peccato vivere, & nullum experiri rebellem motum, quod cum eodem adjutorio non poſſumus, donec advenerit redemptio corporis &c. Videatur Bellarm. De grat. & lib. arb. L. 6. c. 6. *Ad 3.* intelligi hoc axioma non poſſe de faciente, quod in ſe eſt ex proprijs viribus; quia ſic ut ſummum efficere poteſt actum aliquem honeſtum naturalis ordinis, qui defectu proportionis ad formam ſupernaturalem diſponere nequit. Itaque juxta S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & cæteros Theologos ſenſus eſt: facienti quod in ſe eſt ex gratiæ auxilio, DEUM non denegare ulteriorem gratiam. *Ad 4.* negando conſequentiam. Nam etiamſi agnoſcat homo ſumma DEI in ſe beneficia, non tamen rectà ad iſta conſideranda movetur, ut inde concipiat peccati odium, niſi à DEO præventus. Benè autem notat Bellarm. facilius eſſe diligere ſe ipſum, aut aliam creaturam ſuper omnia, quàm Deum; tum quia ſenſibilia melius cognoſcuntur, tum quia natura corrupta ſemper ad ſe inclinat. *Ad 5.* tranſeat antecedens. Negatur conſequentia cum Bellarm. Lib. 6. de Gratia & Lib. arbit. c. 8. & alijs; quia, inquit, poteſt aliquid eſſe naturale, non tamen obtineri abſque medio ſupernaturali, ſive, quod in idem coincidit, poteſt aliquid eſſe naturale quoad ordinem, non tamen quoad executionem.

XXI. *Ad 6.* & alias ſimiles objectiones advertè; aliud eſſe credere ſimpliciter articulos fidei: aliud credere, ſicuti oportet; prius non negamus viribus Naturæ haberi poſſe, ſed poſterius, cuius tres ſunt cenditiones. 1. rem credendam revelari indubitabiliter à Deo, atque ita credi. 2. adeo firmam eſſe fidem, ut omnibus præferatur ſupplicijs ac malis. 3. ut pio affectu in Deum credatur quô incipiat homo captivare ſuum intellectum in obſequium fidei. Hoc poſito. Dicimus, Philoſophos vel habere demonſtrationem rerum, quas credunt, ut diviſionis continui: vel non firmiter aut piô affectu adhærere iiſdem, ſicuti tamẽ articulis fidei adhærere oporteret. *Ad 7.* Res credibiles ſine aliâ gratiâ credi poſſe, ſed humanâ fide, nõ divinâ; argumenta enim, quæ articulos fide noſtræ credibiles faciunt, non talia ſunt, ut fidẽ omnino indubitatam faciant, niſi mens divinitus adjuvetur *Ad 8.* Negando antecedens. Nam gratia non dignificat opus, niſi quod ab illa procedit. Si ergo vel non detur intuitu gratiæ ſanctificantis auxilium aliquod actuale: vel illud detur quidem, modicum tamen, & bonitas objecti per tale auxilium propoſita non attendatur, ſed ab operante negligatur, tunc ſicut gratia non influit in ejuſmodi opus, ita nullam eidem dignitatem confert, quâ evadet poſitivẽ diſponens ad vitam æternam. *Ad 9. denique* cum Suarez. Tom. 2. De relig. L. 1. c. 8. ad orandum, ut oportet, haud dubiè neceſſariam eſſe gratiam ſupernaturalem, quod putat cit. Auctor ita in Concilijs & Scripturis expreſſum, ut veluti dogma fidei tenendum ſit; ſi enim neque cogitare aliquid ſumus ſufficientes ex nobis, quantò minùs orare, prout oportet, quod longè plus utilitatis habet ad ſalutem noſtram, quàm multa alia opera ſalutaria. Et hinc Arauſicanum II. ſicuti damnat dicentes *miſericordiam non conferri quærentibus, petentibus, pulſantibus*: ita ibidem definit, *per infuſionem Spiritûs Sancti in nobis fieri, ut hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus*; quæ eſt doctrina S. Auguſtini in omnibus libris contra Pelagium, ut idem Auctor teſtatnr. Proceſſus in infinitum facilè ſiſtitur dicendo, ad orandum ſæpe nos excitari per gratiam purè prævenientem, id eſt, quæ nullam ſupponat aliam noſtram orationem aut meritum; Deus quippè dat aliqua dona antecedenter ad orationem, inter quæ eſt gratia ad ipſam orationem, alia non niſi orantibus præparat.

XXII. *Error tertius* eſt eorum, qui ab urbe, in qua habitabant, Maſſileenſes, & ab eo, quod non totum errorem Pelagij, ſed reliquias quaſi aliquas ejus doctrinæ mordicus retinerent, Semipelagiani ſunt appellati. Hi ergo gratiam quidem agnoverunt, ſed quæ daretur conantibus nobis, & conatu naturali arbitrij noſtri merentibus, ut ſuperior gratia nobis opitularetur. Sed hunc errorem breviter indicatum commodius refellemus infra in controv. de Prædeſtinat. ubi etiam oppoſitam Catholicam doctrinam exponemus.

CONTROVERS. L.

DE VI ET POTENTIA GRATIÆ Actualis.

SEnſus propoſiti tituli eſt, Utrum cum auxilio Gratiæ Dei poſſimus ſervare omnia præcepta, & omnia peccata vitare: aut an eadem DEI mandata obſervatu impoſſibilia ſint? quod impingere Deo non fuit auſus Pelagius, ut priore controv. §. XVII. in ejus fundamento vidimus. Idem in epiſtola ad Demetriadem dicit: *Adſcribimus*

bimus iniquitatem juſto, & pio crudelitatem, dum Deum impoſſibile aliquid præcepiſſe conquerimur.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Cum Gratia Dei ſervare poſſumus omnia præcepta ſub mortali obligantia: & ſic vitare omnia peccata mortalia. Ita omnes Catholici. Probatur 1. ex S. Scriptura utriuſque Teſtam-Deuteron. 30. v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud.* Math. 11. v. 30. *Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve.* 1. Joan. 5. v. 3. *mandata ejus gravia non ſunt.* Ad Philippenſ. 4. v. 13 *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* 1. ad Corinth. 10. v. 13. *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Probatur. 2. ex Conciliјs. Arauſican. 2. Can. 25. *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati auxiliante & coöperante Chriſto, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi videlicet laborare velint, adimplere,* Trident. Seſſ. 6. c. 11. *nemo temerariâ illâ & â Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Jdem Can. 18. *ſi quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Rurſus. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis & adjuvat ut poſſis.* Probatur 3. ex SS. Patribus. D. Baſilius in orat. attende tibi: *impium* inquit, *eſt dicere, impoſſibilia eſſe ſpiritûs præcepta.* Jdem in Regul. brevior. Reſpons. 176. *ſine dubio autem non præcepiſſet hoc, qui bonus & juſtus eſt, niſi etiam facultatem, quâ id faceremus, fuiſſet largitus.* Chryſoſt. Hom. 8. de pænit: *nequaquam Dominum incuſes; haud mandat impoſſibilia, multi & ipſa ſuperant mandata.* Ergo ſi impoſſibilia fuiſſent, minus ſuâ ſponte ſuperaſſent. S. Auguſtinus Serm. 191. de tempore ſic ſcribit: *execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini â Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non â ſingulis ſed ab omnibus incommuni poſſe ſervari.* Similia habent alij. Probatur 4. Ex S. Thoma & Theologis. Angelicus Doct. de veritate q. 24. a. 14. ad primum ſic ſcribit; quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum, quia & ſubſtantiam actûs poteſt ex libero arbitrio ſervare, & modum, prout ſcilicet fit ex Charitate, poteſt ſervare ex dono Gratiæ. D. Thomæ conſentiunt reliqui Scholaſtici DD. ut opus non ſit ſingulos vel plures afferre. Solus contra Janſenium Epiſcopum Iprenſem melior audiatur Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis in Concord. Evang. c. 47. *legis,* inquit, *novæ præcepta commodiſſima, eò quod in nobis planè ſit eorum adimpletio, quid enim in nobis magis eſt ſitum, quàm credere & diligere.* Probatur. 5. tribus rationibus. 1. Si præcepta Dei eſſent impoſſibilia obſervatu, nemo peccaret illa tranſgrediendo, cum ad impoſſibilia nemo teneatur. 2. Quia nullum præceptum in ſperie poteſt oſtendi, quod ſit impoſſibilie ſervatu. 3. Quia de facto multi cuſtodiunt & cuſtodierunt omnia Dei mandata, ut ſaltem mortaliter nunquam tranſgrederentur. ſic affirmat Scriptura de Joſue c. 11. v. 15. *Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Joſue, & ille univerſa complevit, non præterijt de univerſis mandatis nec unum quidem verbum.* Lucæ 1. v. 6. de Zacharia & Eliſabeth dicitur: *erant juſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Dei ſine* quereta. Confirmatur Doctrina noſtra. Chriſtus paſſus eſt, *ut juſtificatio legis adimpleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum* ad Rom. 8. v. 4. *& factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ* ad Hebræos. 5. v. 9. At ſi lex impleri non poteſt, iſta omnia erunt fruſtrarea.

II. *Doctrina ſecunda.* Mandata Dei ſub veniali tantùm peccato obligantia cum ordinariâ Dei gratia non poſſunt omnia ſimul ſervari, ac conſequenter non poſſunt omnia peccata venialia vitari. Ita cum S. Thoma. 1. 2. Q. 109. cummunis Catholicorum DD. apud Tanner Tom. 2. D. 6. q. 3. cit. N. 172. Probatut 1. ex S. Scriptura. 3. Reg. 3. v. 49. *non eſt homo , non qui peccet.* Pſalm. 13. v. 3. *Dominus de coelo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.* Prov. 24. v. 16. *ſepties in die cadit juſtus* Jacobi 3. v. 2. *in multis offendimus omnes.* Nam *nihil omnino peccare proprium eſt Dei,* inquit Clemens Alexandrin. L. 1. Pedag. Chriſt. c. 2. Probatur 2. ex Concilijs Milevitanum expendens hæc verba 1 Joan. 1. v. 8. *ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* ait can. 6. *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportet dici, nos habere peccatum, non quia veritas eſt, anathema ſit.* Tridentinum Seſſ. 6. can. 26. ita ſtatuit. *Si quis dixerit, hominem poſſe totâ vitâ omnia peccata vitare etiam venialia, niſi ex ſpeciali DEI privilegio, quemadmodum de Beatiſſima Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Pro mente hujus Concilij rite intelligenda advertendum 1. Cum negat, omnia venialia poſſe vitari, non loquitur de ſingulis in ſpecie, ſed de omnibus collectivè ſumptis; etenim ſingula vitari poſſunt, ſed non omnia ſimul, quod inſinuat Concilium illis verbis: *in tota vita.* 2. non loquitur de poteſtate ſufficienti, quæ nulli deeſt ad vitandum etiam collectivè omnia venialia, ſed tantùm de efficaci, quæ in actum exeat; quia Concilium c. 11. eam impoſſibilitatem probat ex facto, quod nemo obſervet omnia: non quod nemo poſſit obſervare omnia, ſi velit. 3. loquitur de gratia ordinaria, quam Deus communiter hominibus largiri ſolet, non quam poſſit largiri; nam ſi vellet, poſſet omnibus ſemper dare gratiam efficacem ad vitanda omnia venialia, ſed non dat, niſi pauciſſimis ſingulariter dilectis, uti Beatiſſimæ Virgini. Cæteris hominibus magis expedit tum ad humilitatem, tum ad patientiam, ut quandoque in venialia labi permittantur. Unde S. Auguſt. L. de naturâ & gratiâ c. 6. *Cum de peccatis agitur, nullam prorſus,* ait, *ſe habere velle quæſtionem de Beatiſſima Virgine propter honorem Domini; excepta verò hâc, ſi omnes,* inquit, *Sanctos, ſi hic viverent, congregare & interrogare poſſemus, utrum eſſent ſine peccato, unâ voce clamarent: ſi dixerimus &c.* 1. Joan. 1. v. 8. Porro impotentiam hanc revocant Theologi potiſſimum ad duo capita. 1. eſt ipſius humanæ voluntatis volubilitas, quam experientia

oſtendit

Digitized by Google

oſtendit varietate gaudere, neque ita fixam manere circa idem objectum, vel in eodem operandi modo. 2. eſt. innumeræ peccandi tentationes ortæ ex appetitûs in objecta ſenſibilia propenſione, dæmonis infeſtatione, alijſque peccandi occaſionibus frequentiſſimis, quas omnes vincere & difficillimum, & conſequenter moraliter impoſſibile eſt. Hæ cauſæ probant, nec in ſtatu puræ naturæ adfuturam fuiſſe potentiam moralem vitandi totam collectionem venialium collectivè ſumtam per longum tempus, ut benè advertit Eſparza mox citandus.

III. Objicitur 1. Loca Sac. Scripturæ in priore doctrina adducta univerſaliter loquuntur de omnibus DEI præceptis, non excipiendo ea, quæ tantùm ſub veniali obligant. Ergo & hæc obſervari poſſunt. 2. Si venialia omnia non poſſunt vitari, non tenemur ea evitare, cum ad impoſſibile nemo teneatur; conſequenter non peccabit aliquis mandata tranſgrediendo, quæ tantùm ſub veniali obligant. 3. Nullum veniale in ſpetie aſſignari poteſt, quod vitari nequeat, ſicuti de mortalibus dictum. 4. vitare omnia venialia collectivè nihil eſt aliud, quàm vitare ſingula ſucceſſivè. Sed datur moralis potentia vitandi ſingula ſucceſſivè ſine ſpeciali privilegio. Ergo &c. 5. Oramus in Litanijs liberari ab omni peccato: & proponimus abſtinere itidem ab omni; id quod non faceremus, ſi evitatio omnium venialium collectivè eſſet moraliter impoſſibilis.

IV. Reſpond. ad 1. citata loca S.Scripturæ loqui de mandatis ad ſalutē neceſſarijs, uti ſunt ſub mortali obligantia. Ad 2. Ad peccatū ſufficere poteſtatē ſufficientem, quæ hic non deeſt. Tanner loc. cit. n. 179. putat, non extare præceptum omnia peccata venialia collectivè vitari jubens; ad hoc autem, ut nullum veniale licitè fieri poſſit, ſufficere, ut Deus jubeat vitari omnia diſtributivè, & quoad fieri poteſt collectivè. Ad 3. Nullum peccatum in ſperi eſſe inevitabile, ſed omnia ſimul ſumpta; ſicuti enim ex cumulo lapidum quemvis portare potes, ſed non omnes ſimul, ita collectio tot mandatorum DEI videtur humanæ mutabilitati importabilis. Inſtant. Quando in prima doctrina dictum fuit, omnia mortalia ſimul ſumpta poſſe vitari, vel intelligendum eſt de poteſtate ſufficienti, vel efficaci; ſi de ſufficienti, par eſt ratio venialium, ut modò dictum: ſi de efficaci nec de mortalibus eſt verum; quia plurimi homines non vitant omnia mortalia. Ergo non habent gratiam efficacem ad omnia vitanda. Dicimus, nec de efficaci ſolo, nec de ſufficienti accipiendam illam doctrinam, ſed mixtim de gratia moraliter efficaci; quæ licet non ſemper ſit efficax, tamen ſæpe & in multis ſaltem ad longum tempus eſt efficax; quia nonnulli tota vitâ nullum peccatum mortale committunt: multi etiam ad longum tempus abſtinent, quod non fit in venialibus, vix enim ullus eſt, qui vel unum diem ſine veniali tranſigat; unde multi Sancti & docti viri quotitie confiteri ſolent, imò nonnulli ſæpius in die. Ad 4. cum Eſparza de gratia actuali q. 14. ad 1. diſtinguendo Majorem; evitare omnia alia venialia collectivè nihil eſt aliud, quàm vitare ſingula ſucceſſivè ſucceſſione nunquam interruptâ, concedo: ſucceſione interruptâ, nego Majorem. Et ſimiliter diſtincta Minore, nego Conſequentiam. Si ergo ponamus decem venialia eſſe poſſibilia, & ſingula ex his ſucceſſivè eſſe obſervata abſque interruptione per aliquod veniale, tum evitanda etiam omnia collectivè: ſecus verò ſi ſucceſſio ſemel interrumpatur; quia interruptio quælibet per interpoſitionem alicujus venialis contradictoriè opponitur evitationi omnium collectivè venialium, ut per ſe patet. Argumentum probat ſolùm potentiam evitandi ſucceſſivè ſucceſſione interruptâ. Quando igitur dicitur, dari potentiam moralem ad vitanda ſingula ſucceſſivè, concedendum id eſt de potentia morali ad vitanda ſingula ſucceſſivè, ſucceſſione interruptâ: non ad vitanda ſingula ſucceſſivè ſucceſſione non interrupta. Vide citatum Auctorem. Ad 5. quemadmodum oramus, ut fiat Voluntas Dei ſicuti in cœlo & in terra non omnimodè, ſed quantùm humanæ naturæ imbecillitas & conditio patitur, ita nos orare, ut ab omni declinemus peccato, quantùm ſcilicet fieri poteſt, ut ſaltem pauciora & leviora committamus: item proponere, ut ab omni etiam peccato veniali abſtineamus, quantùm ſcilicet per humanam fragilitatem, & ordinario Dei auxilio fieri poteſt.

V. *Doctrina tertia.* Quamvis magna fiducia in auxilio divino ſit collocanda, tamen cavenda temeraria præſumptio, nec nimis ardua & extraordinaria ſine neceſſitate inchoanda. Nam tametſi Deo non deſit gratia ad quidvis perficiendum, non tamen cuilibet ad quidlibet datur; quippe *unicuiq; noſtrum datur gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti* ad Ephes. 4. v. 7. unde erraret, ſi quis ex ſpe divini auxilij vellet omnia imitari, quæ in Sacra Scriptura vel vitis Patrum leguntur v. 9. Solus aggrediendo totum exercitum hoſtilem, ſicuti fecit Jonathas 1. Reg. 14. atque exponendo ſe ultrò periculo martyrij & Judici ſiſtendo, ut de nonnullis SS. Martyribus legitur: incipiendo more veterum Eremitarum auſteriorem vitam, quàm corporis infirmitas ferre poſſit, Ne quis igitur ſub ſpecie boni decipiatur, accuratè inveſtigandum, unde proveniat inſtinctus ille, an à bono aut malo ſpiritu juxta regulas diſcretionis ſpirituum à S. P. Jgnatio Loyola Soc. JESU Fund. & alijs traditas, adhibito etiam prudentiorum conſilio & fuſis ad Deum precibus, ut voluntatem ſuam aperire dignetur.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VI. **E**Rror *primus eſt* Lutheri Tom. 1. Jen. fol. 427. Calvini L. 2. Jnſtit. c. 7. §. 5. & L. 3. c. 14. §. 9. Melanchthonis in Apolog. Tit de votis monaſt. Jacobi Hailbrunner in ſuo Papat. pag. 72. & poſt alios Janſenij, qui tom. 3. L. 3. c. 13. col. 325. ſic ſcribit: *ſunt quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibila: nec adeſt ſemper gratia, quâ præcepta illa implere ſufficiamus.* Et col. ſequenti: *illa impotentia non ſolùm reperitur in excæcatis, obduratis, & infidelibus, ſed etiam in Fidelibus, non tantùm, quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt.* & Tom. 2. de ſtatu Naturæ lapſæ. L. 4. c. 18. col. 631. & 632. *ita inducta eſt neceſſitas peccandi,*

peccandi, ut in omni actu, quo legem ſibi quis videtur vel ſervare, vel tranſgredi, reus alicujus peccati teneatur. Probare conantur ex Sac. Scriptura. 1. Actor. 15. v. 10. S. Petrus legem Moyſis vocat *jugum*, *quod nec Patres noſtri nec nos portare potuimus*; quod ſi Deus in veteri Teſtamento ſine tyranide potuit impoſſibilia præcipere, cur non etiam in novo? S. Paulus ad Rom. 7. v. 16. ait. *velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Et ad Galat. 3. v. 10. *quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt; ſcriptum eſt enim: maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*; qui diſcurſus tacitè ſupponit hanc minorem: *ſed nemo permanſit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in lege*, ut patet ex Pſalm. 13. v. 1. & tertio ad Rom. v. 10; quod autem nemo facit, cenſetur fieri non poſſe. Rurſus ad Rom. 8. v. 3. *quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabantur per carnem, Deus filium ſuum miſit.* Addunt Philippus, Kemnitius, & alij rationem. Chriſtus, inquiunt, ſemper eſt Mediator non ſolùm in prima reconciliatione, ſed etiam toto tempore, quò vivimus. Ergo ſemper egemus mediatione illius. Sed non indigeremus eâ ſemper, ſi legem aliquando poſſemus implere. Ergo ex eô, quod ſemper indigeamus, neceſſario ſequitur, quod ſemper contra legem agamus; aut certè primâ reconciliatione factâ Chriſtus otioſus foret. His fere argumentis inducti Lutherus, Calvinus, Melanchthon & alij abſolutè negârunt, legem obſervari poſſe, quam propoſitionem, cum nimis cruda videretur, alij deinde Sectatores mitigantes reſtrinxerunt ad legem, *quæ jubet nos Deum ex toto corde diligere, & non concupiſcere*; unde ſic arguunt: Dilectio, quæ in hac vitâ præcipitur, non poteſt eſſe tam perfecta, quàm in altera vita. Ergo legem hujus dilectionis nemo in hac vita implere poteſt. Item omnis actus legi divinæ oppoſitus eſt verè & propriè peccatum. Atqui ſenſus concupiſcentiæ eſt verè divinæ legi oppoſitus; ait enim Apoſtolus ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* hoc eſt, decalogo, ad cujus obſervationem vi ſuâ urget. Ergo ſenſus concupiſcentiæ eſt peccatum. Gerhardus ut prædictam Magiſtri ſui Lutheri cruditatem mitiget, aſſerit L. 2. P. 3. fol. 793. legem obſervari poſſe ſolùm imperfectè, & inchoatè: Ameſius tom. 4. fol. 168. audaciam Magiſtri ſui Calvini in eundem modum moderatur.

VII. Error iſte graviſſimam Deo infert injuriam, ideóque nullus unquam repertus eſt hæreticus ante Lutherum, qui eum Scriptis traderet; quippe nemo hominum uſque adeò tyrannus fuit, ut legem imponeret ijs, qui abſolutè ſervare eam non poſſent, & pœnam exigeret, ſi impleta non ſit; quam iniquitatem auget, ſi media ad præceptum implendum neceſſaria in ſolius præcipientis ſint poteſtate, & nihilominus dare nolit. Quâ ergo æquitatis ſpecie DEO juſtiſſimo & optimo adſeribi hæc poſſunt? Unde rectè D. Hierony. in explanatione Symboli ad Damaſum ita ſcribit: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à DEO præceptum eſſe, & madata Dei non à ſingulis ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Pulchrè etiam D. Auguſtinus Serm. 61. de tempore ſic loquitur: *nec impoſſibile aliquid potuit imparare* (Deus) *qui juſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt.* Quàm autem hæc aliena ſunt ab ijs, quæ ſupra ex Janſenio attulimus? & tamen homo veſanus ea tanquam Auguſtinianam doctrinam venditat, cum ſimillimum imò ipſiſſimum dogma ſit Calvini, qui in Antidoto Concilij Trident. Seſſ. 6. c. 12. effutijt, *legis mandatum eſſe Æthnâ gravius*; item *Prophetas Patriarchas & pios Reges utcunque Dei ſpiritu agitarentur, ferendo legis jugo, pares non fuiſſe.* Sed videamus quàm nullius momenti ſint allata argumenta ex Scriptura deprompta.

VIII. Reſpond. ad 1. ex actibus Apoſtolorum, Legem veterem fuiſſe importabilem non ſimpliciter, ſed difficillimam obſervatu propter multitudinem & gravitatem præceptorum. Nam Rabbi Moyſes numerat præcepta legis Moſaicæ affirmativa ducenta decem & octo, ſcilicet tot, quot membra ſunt in humano corpore: negativa verò trecenta ſexaginta quinque, tot nimirum, quot ſunt dies in anno ſolari, omnia ſub mortali, & quidem indiſpenſabiliter obligantia; nihilominus à quibuſdam obſervata fuiſſe, adeóque non fuiſſe propriè importabilia, ſupra oſtendimus exemplo Joſue, Zachariæ, Eliſabeth &c. Ad 2. ex epiſt. ad Rom. 7. Paulum ibi non locutum de præceptis Dei, ſed de concupiſcentia carnis, quam cupiebat extinctam, ſed non potuit obtinere, quia non erat voluntati ſubjecta, ne huic reluctaretur. Neque refert, quod illam concupiſcentiam involuntariam vocet peccatum; quia impropriè ſumit nomen peccati pro effectu & cauſa peccati; nam rebellio concupiſcentiæ carnalis ex peccato originali nata eſt, & inſtigat ad peccata actualia. Ad 3. ex epiſt. ad Gal. Minorem illam affingi Apoſtolo, cum ſic ſubſumi deberet: *Atqui nemo ſuis viribus ſine fide & gratia Chriſti ſervare poteſt totam legem.* Unde Cornel. à Lapide in comment. illius loci ita magis dialecticè diſponit argumentum Apoſtoli: Quicúnque violat aliquam legem, eſt maledictus à lege. Atqui omnes, qui ſub lege ſunt, ſecluſi à fide & gratia Chriſti, legem violant. Ergo omnes, qui ſub lege ſunt, ſub maledicto ſunt. Illi verò, qui ſunt in fide & gratia Chriſti, non ſunt ſub lege, ſed ſupra legem cogentem terrentem punientem &c. Cæterùm David Pſal. 13. (in quo fundatur diſcurſus Apoſtoli) dicens neminem à Deo in mundo repertum eſſe legis ſuæ obſervatorem, non locutus eſt de omnibus mundi ætatibus; ſed tantùm de ſui temporis corruptis moribus, alioquin ſibi contradiceret Pſal. 138. v. 18. admirans futuram multitudinem Sanctorum; *dinumerabo eos*, inquit, *& ſuper arenam maris multiplicabuntur.* Accedit, quod David & Apoſtolus ſigna univerſalia omnis, quicúnque &c. non ſumpſerint in rigore logico pro omnibus ſimpliciter, ſed in ſenſu morali pro pleríſque; etenim reſpectu tantæ multitudinis peccatorum pauculi Sancti quaſi non numerabantur. Similis phraſis habetur Gen. 6. v. 12. *Omnis caro corruperat viam ſuam*; & tamen Noë juſtus prædicatur. Ad 4. ex epiſt. ad Rom. 8. nihil hic dici aliud, quàm quod lex abſque Chriſti gratia & ſolis naturæ viribus impoſſibilis, inutiliſque ſit, id quod concedimus, ut ex recens dictis conſtat. At rationem adjunctam dicimus, ſemper nos Chriſti mediatione indigere. 1. ut gratiam nobis ſemper ſubminiſtret, quâ adjuti bona opera præſtemus, & peccata gravia fugiamus. 2. quia à peccatis noſtris quotidianis, quæ venialia vocamus, & non ſunt tam contra, quàm præter legem, ipſe nos ſuô ſanguine continuò emundat, ideóque Chriſtus nunquam otioſus eſt.

IX. Quod

Digitized by Google

IX. Quod attinet ad præceptum Dilectionis. Deus tripliciter diligi poteſt. 1. ita, ut totum cor noſtrum, quantum eſt, in eo ſolo diligendo totaliter occupetur, & abſorbeatur, nec quidquam extra illum ſolùm diligat. 2. ut, licet cor noſtrum totaliter in ejus dilectione non occupetur, ita tamen homo toto corde tantóque conatu Deum diligat, quanto poteſt. 3. toto corde Deum diligit, qui ſuper omnia eum diligit, & ita eum rebus omnibus præfert, ut nullius rei amorem DEI amori anteponat, & nullius creaturæ amore Deum offendere vel ab illius amore recedere velit. Primo modo Deum in hac vita diligi non poſſe fatemur cum S. Auſtguſtino tom. 7. Lib. de perfect. Juſtitiæ. ſed neque jubemur. Secundo quoque modo nullibi Deum diligere præcipimur, tametſi id non repugnet. Tertio itáque modo ſolummodo tenemur, hoc eſt, non obligamur Deum diligere amore ſummo neque intenſivè, neque extenſivè, neque continuè, ſed ſolùm appretiativè, vel comparativè, ut nempe Deum omnibus creatis præferamus, nihilque illius amicitiæ anteponamus, ut communiter Patres & Doctores docent; atque in hunc ſenſum ſcribit Apoſtolus ad Rom. 8. v. 39. iſtis verbis: *nulla creatura poterit nos ſeparare à charitate DEI*; imò ipſemet Chriſtus Matth. 10. v. 37. ſic dicit: *qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Atque hoc modo Deum à pluribus fuiſſe dilectum toto corde ex innumeris Sac. Scripturæ locis conſtat. Quare ad argumentum negatur ſuppoſitum Antecedentis, ſcilicet præcipi tantam in hac vita dilectionem Dei, quantam Beati in altera vita habent.

X. Circa Concupiſcentiam tria adverti oportet. 1. Concupiſcentiam quandam eſſe in actu primo, nihilque aliud, quàm pronitatem ad concupiſcentiam. 2. aliam eſſe concupiſcentiam in actu ſecundo, nempe motum quendam ad concupiſcendum, qui rationem prævenit. 3. eſſe conſenſum in eundem motum, quià liberà ratione provenit. Tria hæc, ajunt Sectarij, gravia eſſe peccata. Primum quidem volunt eſſe peccatum Originale: Altera duo peccata actualia gravia & lethifera contra præceptum, *non concupiſces*; unde inferunt, cum nemo abſque motibus his eſſe poſſit in hac vita, neminem ſervare poſſe præceptum de non concupiſcendo. Verùm contra 1. eſt. Tum quia concupiſcentia ſic ſumpta eſt pœna peccati originalis. Ergo non eſt ipſum peccatum; aliàs enim eſſet cauſa & effectus ſui ipſius, adeóque prior & poſterior ſe ipſà. Tum quia omne peccatum per baptiſmum tollitur. Ergo ſi concupiſcentia eſſet peccatum, per baptiſmum fuiſſet ſublata. Ergo nullum amplius eſſet peccatum. Contra 2. eſt. Quia concupiſcentia in actu ſecundo in pueris & amentibus peccatum non eſt, uti communiter tenent Doctores cum S. Auguſtino Lib. 10. confeſſ. c. 30. Atqui nec in poteſtate ſapientium virorum eſt, non habere illos motus rationem prævenientes. Ergo &c. 3. modo ſumpta concupiſcentia eſt quidem peccatum. ſed tale, quod homo poſſit non committere, adeóque præceptum de non concupiſcendo implere. Nunc ad argumentum ſupra §. VI. factum dicimus, omnem quidem actum divinæ legi formaliter oppoſitum, hoc eſt, voluntarium & humanum eſſe peccatum: non autem materialiter ſolùm oppoſitum, hoc eſt, qui non ſit voluntarius, qualis eſt in infantibus & amentibas, eſſe quoque peccatum; nam ſine voluntate non fit tranſgreſſio legis formaliter; quia leges pro ijs ſolùm feruntur, qui rationis & arbitrij uſum habent, non pro brutis & amentibus. Unde Apoſtolus cum ait: *concupiſcentiam legi mentis repugnare*, intelligit materialiter, ſuggerendo ſcilicet, & objiciendo materiam, quæ, ſi voluntas non abſtineat à conſenſu, in formale peccatum abeat.

XI. Ex adjecta mitigatione Gerhardi ſequitur Lutheranos ex propria ſententia non habere fidem vivam ſeu juſtificantem; ſiquidem nemo poteſt habere fidem vivam, niſi qui mandata Dei ſervat 1. Joan. 2. v. 4. *qui dicit, ſe noſſe eum* (ſcilicet per fidem) *& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt* Atqui Lutherani & Calviniſtæ mandata Dei non ſervant, upote quæ impoſſibilia ſervatu aſſerunt. Ergo non poſſunt habere fidem vivam. Si dicant, ſe mandata Dei ſervare imperfectè & inchoatè. Ergo etiam fidem imperfectam tantùm & inchoatam habere poſſunt. Atqui talis non eſt viva, nec juſtificat, ut ipſimet fatentur. Ergo nunquam habere poſſunt fidem vivam ſeu juſtificantem, & conſequenter juſti eſſe non poſſunt. Janſenio Imprimis adverſatur Concilium Tridentinum Seſſ. 6. ſupra relatum. Deinde Auctoritas Pij V. & Gregorij XIII. à quibus fuit hæc Michaëlis Baij propoſitio damnata ordine 52. *definitiva hac Sententia: Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò Auguſtino tribuitur, cum Palagij ſit.* Aſſerebat nimirum Bajus, Deum homini in Naturà lapſa præcipere impoſſibilia, quæ propoſitio cum ipſiſſima ſit Janſenij, jam antefuit damnata in Bajo. Demum adverſatur eidem Sententia Innocentij X. qui hanc Propoſitionem (*aliqua Dei præcepta juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quà poſſibilia fiant*) temerariam, impiam, blaſphemam, & hæreticam pronunciat. Et poſt iſtum Alexander VII. Papa confirmat prædictam ſententiam & damnationem.

XII. *Error ſecundus.* Neminem prorſus fuiſſe hominum, qui ita obſervaret univerſam legem, ut etiam non eſſet reus alicujus peccati, ipſam etiã Beatam Virginem Mariam non excipiendo, quæ inſtar aliorum hominum aliquando actualiter peccavit. Ita nominatim Calvinus in Harmon. circa c. 1. Lucæ. & in Antid. Concilij Trid. Kemnitius in Examine ejuſdem Concilij Seſſ. 5. Brentius in c. 12. Matth. & Centuriatores Magdenburg. in ſuà hiſtoria centuria 1. cum agunt de vita Deiparæ Virginis Mariæ, alijque hæretici communiter, qui cum alioquin ſentiant, nullum dari peccatum veniale, ſed omnia eſſe mortalia, ut infra videbimus, conſequens eſt, ut ſentiant non quomodocunque Beatam Virginem ſubinde peccaſſe, ſed etiam mortaliter deliquiſſe. Probant 1. ex Sac. Scriptura varijs in locis affirmante, omnes eſſe peccatores omnéſque dicere debere in oratione dominica: *dimitte nobis debita noſtra. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus* 1. Joan. 1. v. 8. Probant 2. ex eadem Sac. Script. haud obſcure colligi, Beatiſſimam Virginem in quibuſdam minùs rectè ſe geſſiſſe, adeóque peccatum commiſiſſe. 1. per curioſitatem, aut infidelitatem dubitando Lucæ 1. v. 38. *quomodo fiet iſtud.* 2. per incuriam amittendo filium Lucæ 2. v. 43. *& non cognoverunt Parentes ejus.* 3. per quandam deſperationis ſpeciem ibidem v. 48. *dolentes quærebamus te.* 4. per expoſtulationem cum divino Filio ibidem,

Digitized by Google

Fili, *quid feciſti nobis ſic.* 5. per ignorantiam; etenim Filio rationem reddente ibidem v. 49. *ipſi non intellexerunt verbum.* 6. per vanam gloriam, quando dixit Joan. 2. v. 3. *Vinum non habent.* 7. importunitate interrumpendo prædicationem Filij Matth. 12. v. 46. *ſtabat ipſa, & alij foris quærentes te.* Probant 3. Ex Sanctis Patribus itidem affirmantibus, omnes homines eſſe peccatores & neminem quantumvis juſtum ſine peccato vivere. Probant 4. nominatim ex S. Chryſoſtomo hom. 20. in Joan. & hom. 45. in Matth. item ex S. Auguſtino Q. 63. Novi Teſtam. dicente, *Beatam Virginem in morte Domini ſtupore quodam dubitâſſe.* Probant 5. ex Ratione. Tum quia non videtur negandum, Beatiſſimam Virginem habuiſſe ſubitos quoſdam motus rationem antevertentes. Ergo verò ſimile eſt, per talem non quidem plenam deliberationem, ſed tamen ſufficientem illam deliquiſſe. Tum quia B. Virgini, ut ait Auguſtinus Lib. de natura & Gratia c. 36. plus gratiæ collatum fuiſſe ad vincendum omni ex parte peccatum &c. Ergo, infert Kemnitius, B. Virgo non fuit expers peccati, aliàs opus non haberet gratia, quâ vinceret peccatum.

XIII. Errorem hunc, quatenus B. Virgo peccati actualis inſimulatur: (ad cæteros enim Sanctos privilegium hoc non extendimus) reijciunt omnes Catholici, idque jure meritiſſimo. 1. quia Sac. Scriptura in varijs locis indicat, B. Virginem fuiſſe prorſus puram, atquè ab omni maculâ immunem, utpote inter omnes Benedictam, & Gratiâ plenam, totam pulchram &c. 2. quia S. Tridentina Synodus ex communi Eccleſiæ ſenſu in Beatiſſima Virgine nullum peccatum agnoſcere vult Seſſ. 6. can. 23. his verbis: *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe &c. aut contra poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodùm de Beatâ Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* 3. quia Patrum luculenta teſtimonia oſtendunt, Beatiſſimam Virginem omnis peccati expertem fuiſſe. Videri illa poſſunt apud Valentiam Tom. 4. Diſp. 2. q. 1. punct. 2. & alios paſſim. Sufficiat nobis unus & alter. D. Auguſtinus Lib. de naturâ & gratia c. 36. tanquam de re indubitata concedit. Inprimis, quod Adverſarius (nempe Pelagius) dixerat, neceſſe eſſe pietati ipſam Dominam ac Salvatoris noſtri Matrem ſine peccato confiteri. Deinde ibidem ſubjungit: *exceptâ itaque S. Virgine Maria; de quâ propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo Quæſtionem &c.* D. Cyprianus in Sermone de Nativit. Chriſti. *Beata Virgo,* inquit, *à cæteris plurimùm differebat, quibus naturâ communicabat, non culpâ.* Et infra de eadem ait: *lex carnis legem mentis non infeſtabat, rebellio nulla quietem ſpiritûs affligebat.* 4. denique variæ id rationes perſuadent: quas affert S. Thomas 3. P. q. 27. a. 4. ductas tum ex Filij honore, tum ex obſervantia erga Matrem, quæ planè oſtendunt decuiſſe, omnino Beatiſſimam Virginem ab omni peccato præſervari. Confirmatur ex communi regulâ D. Auguſtini, quam L. 3. de Lib. Arb. c. 5. ſic proponit: *quidquid verâ ratione melius occurrerit, id ſcias feciſſe DEUM.* Atqui verâ ratione decentiſſimum fuit, Filium DEI Matrem habere puriſſimam; atque ab omni peccati labe immunem juxta illud Prov. 17. v. 6. *Gloria filiorum Patres eorum.* Ergo &c. Argumenta in oppoſitum futilia ſunt, & refutatione indigna. Nihilominus breviſſimè.

XIV. Reſpond. 1. ad authoritatem Sac. Scripturæ & Patrum. *Ad 1.* hæc omnia intelligenda eſſe juxtà legem ordinariam, ſpectato naturali & ordinario modo, quo poſteri Adæ deſcendunt ex iſto. Quòd nimine impedit, quin B. Virgo ab ejuſmodi lege per ſingulare Gratiæ privilegium eximi potuerit. *Ad 2.* in hiſce & ſimilibus nullum prorſus apparere peccatum. Nam 1. interrogatio nequaquam fuit incredulitatis, ſed piæ cujuſdam admirationis. 2. amiſſio Filij non contigit ex Matris negligentia, ſed ipſius Filij providentia, ut inciperet exercere, quæ ad gloriam Patris ſui ſpectabant, ut ipſemet in reſponſo innuebat. 3. Dolor Matris non deſperationem, ſed debitum Materni animi affectum prodidit. 4. quod B. Virgo tunc non intellexerit diſpoſitionem æterni Patris, quomodo & quandò filius eſſet docturus, & liberaturus mundum, non fuit culpa ſed humanæ intelligentiæ imbecillitas comparata divinæ. 5. Verba illa, *Fili, quid feciſti nobis ſic,* non ſunt increpantis ſed ſolicitè amantis Matris. 6. inſinuatio deficientis vini non fuit vanæ gloria ſed benigna compaſſio. 7. demum Mater ſtando foris non voluit Filij prædicationem importunè interrumpere, ſed tempus opportunum finitâ concione quærere, loquendi ei de re neceſſaria. Videatur P. Petrus Caniſius L. de B. Virgine, ubi per aliquot Capita de his omnibus fusè de Innocentia Deiparæ tractat. *Ad 3.* SS. Patres perinde ac Scripturam intelligendos eſſe, nempe ſecundùm legem ordinariam citra ſingulare divinæ gratiæ privilegium, quale habuiſſe Virginem affirmat clariſſimè ipſe Auguſt. L. de natura & gratia. c. 36. cit. *Ad 4.* D. Thomam a. 4. cit. dicere S. Chryſoſtomum in illis ſuis verbis exceſſiſſe; quidquid etiam ille ſenſerit, anteponenda eſt communis Sententiâ aliorum Patrum ſententiæ unius etiam veteris, ut bene docuit Vincentius Lirinenſis in Libello adverſus profanas hæreſum novitates. Ad Auguſtinum verò, vel quiſquis fuerit Auctor, reſpondet etiam D. Thomas loc. cit. intelligi eum debere de dubitatione non infidelitatis, ſed admirationis & diſcuſionis.

XV. Reſpond. 2. ad rationes. *Ad 1.* fomitem, quem Paulus ad Rom. 7. v. 23. membrorum legem appellavit, & ex natura ſua ad peccatum materiale inducit, illum in Beatiſſima Virgine ſtatim ab initio fuiſſe extinctum, uti communiter docent Patres turpe valdéque indecorum rati; Deiparam aliquid ejuſmodi habere, quod ipſam quomodolibet ad peccatum alliceret ſeu invitaret. *Ad 2.* ineptam prorſus & hæretico atque excæcato homine dignam eſſe hanc Kemnitij ratiocinationem; quis enim unquam ita deliravit, ut putaret ad vincendum hoſtem, neceſſe eſſe, prius eidem ſuccubuiſſe, adeóque prius ab illo victum fuiſſe? nonne longè præſtantior victoriæ modus eſt hoſti imminenti atque inſtanti ſic obſtare, ut prorſus arceatur? Hoc igitur præcellenti victoriæ modo per ſingulare gratiæ privilegium Beatiſſima Virgo peccatum omni ex parte (ut ait Auguſt. loc. cit. vicit, & à ſe priùs repulit, quàm accederet &c. Videatur P. Caniſius lib. cit.

***

:o: IHS. :o:

CON-

CONTROVERS. LI.

QUID SIT, ET QUOMODO fiat Juſtificatio?

HActenus de Gratiâ DEI Actuali. Nunc de Habituali, ſeu Juſtificante agendum eſt, quæ gratia Dei non eſt ſimilis gratiæ hominum; ſiquidem iſti præter extrinſecum favorem & benevolentiam nihil ponunt in homine, nec realiter illum immutant: Deus verò, dum aliquem in gratiam ſuam recipit, qualitate ſupernaturali veluti pretioſiſſimâ veſte eum exornat, aliámque quaſi reali ac intrinſecâ immutatione efformat, & juſtum ſeu juſtificatum conſtituit.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. D*Octrina prima* Juſtificatio fit de facto per Gratiam Juſttificato intrinſecè inhærentem. Ita omnes Catholici, & repetit ſæpius iſtud dogma Concilium Trident. Seſſ. 6. cap. 7. Exprimit verò maximè, dum ait: *unica formalis cauſa* (juſtficationis noſtræ.) *eſt juſticia Dei, non quâ ipſe eſt juſtus ſed quâ nos juſtos facit, quâ videlicet à Deo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti ſumus & nominamur juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſq; ſuam.* Idem haud obſcurè colligitur ex illo ad Rom. 8. v. 10. *Spiritus verò vivit propter juſtificationem*; quod clariùs mox v. 11. exprimitur his verbis: *vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis*; inhabitare namque ſpiritum ſanctum (quod ponitur convertibile cum juſtificatione) non contingit, nec dici poteſt, niſi ratione alicujus intrinſecè inhærentis in homine, in quo inhabitat. Eodem ſpectant varia nomina ac prædicata, quibus juſtificatio impij in Sacris Literis appellatur; nempe *Diffuſio in cordibus noſtris* ad Rom. 5. v. 5. *Participatio divinæ Naturæ.* 2. Petri 1. v. 4. *Filiatio Dei* 1. Joan. 5. v. 1. *Renovatio ſpiritûs* ad Epheſ. 4. v. 23. *Unicio, Signaculum, Pignus* 2. ad Corinth. 1. v. 21. &c. quæ & alia ſimilia aliquid juſtificato intrinſecum ſonant. Rationem pro hac doctrina affert D. Thomas. 1. 2. q. 93. a. 2. in corp. iſtam: Deo eſſe gratum & Sanctum eo modo, quo de facto homines juſti & Angeli ſunt grati, eſt eſſe amabilem Deo amore non quocunque, ſed veræ amicitiæ, & quidem in ordine ad conferenda dona ſupernaturalia. Atqui amor amicitiæ ſupponit in eo, qui amatur, proportionem & condignitatem, adeoque aliquod bonum ratione cujus, ſive ex cujus complacentia ſic ametur. Ergo ſi Deus amet homines, ut Amicos, aliquid videt in illis, ratione cujus ſint amabiles Ergo in illis videt pulchritudinem aliquam ſpiritualem, quâ interiùs in anima decori ſint, atque amabiles; nemo quippe pulchritudine alienâ pulcher eſt. Ergo eſt aliquid intrinſecum in homine, ratione cujus reddatur Deo gratus, atque amabilis. Non obſtat, quod Deus prius nos amet, quàm ulla in nobis videat bona, cum omne noſtrum bonum ſit à Deo, quia nos amat. Nam verum quidem eſt hoc de amore benevolentiæ, ſeu miſericordiæ, non autem de amore amicitiæ, quo homines amat ex complacentia bonitatis, quam in illis ſupponit.

II. *Doctrina ſecunda.* Juſtificatio, ut communiter eam ſumunt Theologi, eſt tranſitus de ſtatu peccati in ſtatum gratiæ. Sequitur hæc Doctrina ex antecedente. Diximus autem in priore doctrina *Juſtificatio de facto*; & in poſteriore, *ut ea communiter ſumitur à Theologis.* Nam ſecluſâ primorum Parentum, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Angelorum & Chriſti Domini juſtificatione, omnis alia ſupponit in ſubjecto peccatum habituale, adeoque fit, ſubjecto de extremo, hoc eſt, peccato ad extremum, id eſt, Dei gratiam tranſeunte. Gratiam verò illam, quam diximus juſtificantem, eſſe donum permanens præter alios Theologos latè probat. Suarez. Tom. 3. de grat. L. 6. c. 1. breviter ſuadetur hoc. Primò ex Script. aſſerente 2. ad Timoth. 1. v. 24. & 1. ad Corinth. 3. v. 16. & Joan. 14. v. 24. *ſpiritum S. habitare in nobis, & manſionem facere.* At Deus non poteſt habitare & permanere in hominibus, niſi per donum aliquod habituale & permanens. 2. Ex Patribus, quatenus de gratia Sanctificante loquuntur, ut de pulchritudine quadam eximiâ in anima habitualiter permanente. 3. ex varijs etiam nominibus, quibus in S. Scriptura afficitur; etenim vocatur *ſemen Dei, quod in nobis manet.* 1. Joan. 3. v. 9. *pignus hereditatis* ad Epheſ. 1. v. 14. *Signum, quò ſignantur credentes ſpiritu promiſſionis* ibidem v. 13. *Filiatio Dei.* 1. Joan. 3. v. 14. *Fons aquæ ſalientis in vitan æternam.* Joan. 4. v. 14. quæ omnia innuunt permanentiam 4. Ex ratione; quia per Baptiſmum juſtificantur non ſolùm adulti, ſed etiam infantes; hæc autem juſtificatio cum ſit vera & interna, fit per gratiam veram & internam, quæ cum nequeat eſſe actualis, ſiquidem infantes non ſunt capaces ullius motionis actualis in Deum, in aliquo permanente conſiſtere debet. Sed eſtne hoc de fide?

III. *Doctrina tertia* probabilius videtur, poſt Tridentinum de fide eſſe, dari in juſtificatis gratiam & charitatem per modum permanentis, & habitualis. Ita Arriaga Tom. 4. D. 43. n. 3. ex communi fere Recent. Nam Concilium Tridentinum per Spiritum S. inductum ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ ad probandam eam gratiæ habitualis exiſtentiam aſſerri ſolent, expreſsè definit, *nobis in juſtificatione infundi ſpem, fidem, & charitatem*; agens enim in Seſſ. 6. c. 6. & can. 11. cit. de juſtificatis univerſim, adeoque tam de parvulis, quàm de adultis gratiâ donandis ait: *unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorũ* (hoc eſt gratiâ juſtificante,) *hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JEſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem ſpem & charitatem.* Atqui hæc ſecundùm communem Uſum loquendi neceſſariò ſignificant vel actum vel habitum; in propoſito autem, ſi verba Concilij, ut oportet, propriè & ſecundùm communem uſum ſumantur, non poſſunt accipi de actu. Ergo de habitu. Accedit quod Catechiſmus ejuſdem Concilij Tract. de Baptiſmo declaret, à Tridentina Synodo definitum fuiſſe, gratiam divinam eſſe qualitatem in anima inhærentem; quod certè de actione aliqua intelligi non poteſt. *Dixi poſt Tridentinum.*

Digitized by Google

tinum. Nam ante Concilium iſtud non videtur de fide fuiſſe; quia non ſatis evidenter continetur in Scriptura, & aliunde à nullo unquam Pontifice aut Concilio fuit determinata hæc doctrina tanquam ex fide certa; profectò antiqui Scholaſtici non reprobant, ut hæreticam Sententiam Magiſtri, charitatem habitualem non eſſe aliquid creatum, & inhærens, ſed ipſam Perſonam Spiritûs Sancti.

IV. *Doctrina quarta* Gratia Sanctificans eſt habitus diſtinctus à virtute Charitatis. Probatur 1. ex Tridentino, quod de Gratia & Charitate loquitur, tanquam de diſtinctis; etenim Seſſ. 6. can. 3. definit, *non poſſe hominem credere ſperare ac diligere, ut ei juſtificationis gratia conferatur abſque Dei auxilio.* Et can. 11. damnat eos, qui dicunt *hominem juſtificari ſolâ peccatorum remisſione, excluſâ gratiâ & charitate.* Similia habent Concilia Vienenſe ſub Clemente V. & Moguntinum Anno 1594. celebratum. Ita PP. Dionyſius, Auguſtinus, & alij. Probatur 2. ex Sac. Script. ad Rom. 5. v. 5. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis?* Ergo ſi diffunditur per Spiritum Sanctum, ſequitur, prius dari Spiritum Sanctum, quàm charitas inde profluat; Spiritus autem Sanctus non datur niſi cum aliquo dono creato. Ergo datur aliquod donum Spiritûs Sancti prius charitate, ex quo illa profluat, quod non eſt aliud, quàm gratia ſanctificans. Probatur 3. ratione. Tum quia habitus Charitatis ſolùm habet ex ſe conſtituere potentem diligere DEUM; quod formaliter non eſt, hominem eſſe Sanctum, Filium DEI, Hæredem &c. Tum quia in ordine ſupernaturali vel datur Natura, vel non datur. Si datur, illa diſtinguitur à virtute Fidei & Spei. Ergo etiam diſtinguitur à virtute Charitatis; probatur conſequentia, quia eodem modo ſe habet Natura ad omnes virtutes, & virtutes in ordine ad Naturam. Sed illæ duæ Fides & Spes ſe habent, ut potentiæ ſuperadditæ Naturæ, aut, ut virtutes ſupponentes Naturam ſui ordinis perficiendam. Ergo etiam Charitas ad naturam ſupernaturalem ſe habet eodem modo, ſcilicet ut potentia ſuperaddita, & ut virtus perficiens Naturam, hoc eſt, primum eſſe ſive radicale principium ſui ordinis. Si autem non datur Natura ordinis ſupernaturalis, tunc omnes tres virtutes erunt gratia Sanctificans indiviſibiliter; ſiquidem ſingulæ ſunt in ſuo genere primũ principiũ operativum operationum divinarũ. Tum quia Gratia ſanctificans verè & propriè dici poteſt charitas. Nam donum profectum ab amico in amicum ex amicitia vocatur charitas. Ergo à fortiori vocatur charitas ipſum donum amicitiæ ſive amicitia, ut donum eſt, quo nobis infuſo Deus nos evehit in ſtatum Amicorum ipſius.

V. Huic doctrinæ D. Thomæ 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. & plurium Theologorum opponunt ſe Card. Bellarminus & nonnulli triplici maximè hoc argumento moti 1. eſt ex Scriptura, quæ aſſerit nos per charitatem juſtificari & filios DEI conſtitui 1. Joan. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij DEI nominemur & ſimus.* Ubi vocatur charitas forma illa, per quam filij DEI nominamur & ſumus. Reſpond. inde ſolùm probari, gratiam Sanctificantem eſſe verè & propriè charitatem à Deo nobis donatam, juxta id quod in fine prioris §. inſinuavimus: ſed minimè probari, gratiam Sanctificantem identificari cum habitu charitatis, qui eſt tertia virtus inter Theologicas, licet dignitate prima. 2. ex eadem Scriptura, quæ effectus formales gratiæ tribuit charitati, ut *remittere peccata* Luc. 7. v. 7. *facere DEO gratum* Joan. 14. v. 23. &c. Reſpond. incertum eſſe, an prædicta & ſimilia loca intelligantur de gratia habituali; de quâ ſola agimus; poſſunt enim commodè intelligi de actuali, eique tribui non ut formæ, ſed ut perfectiſſimæ diſpoſitioni. Sed eſto, quod de habituali intelligantur, dicimus cum Maldero aliiſque DD. prædicta charitati non competere præcisè ratione ſui, ſed quatenus cum ipſa gratia habitualis inſeparabiliter eſt connexa Atque hanc diſtinctionem damus etiam ad multa teſtimonia ex PP. afferri ſolita. 3. eſt ex ratione; quia ſi gratia & charitas poſſunt ſeparari, dabitur Juſtus non diligens: aut Diligens injuſtus contra Sacram Scripturam. Reſpond. ex Dei decreto Gratiam & Charitatem nunquam eſſe ſeparandas; ſi tamen ex hypotheſi alterutra in homine ſola relinqueretur, incertum quid futurum eſſet; in neutro caſu haberetur ſimpliciter inimicus Dei, ſi peccatum mortale abeſſet. Oviedo 1. 2. Tr. 8. Cont. 1. p. 8. n. 91. abſolutè concedit, hominem gratiâ Sanctificante deſtitutum, ornatum verò charitate propriè non habere jus hæreditatis ad regnum Cœlorum; quia non participaret divinam naturam, neque eſſet filius DEI adoptivus: item habitum charitatis in eo caſu proceſſurum ex amore Dei erga hominem, non autem ex amore amicitiæ; quia homo non eſſet dignus tali amore, nec particeps naturæ divinæ.

VI. *Doctrina quinta.* Gratia Sanctificans eſt participatio Naturæ divinæ, vi cujus homo fit Amicus Dei, Filius adoptivus, hæres regni cœleſtis &c. Ita conſtans Catholicorum Doctorum ſenſus, & loquendi modus Sac. Scripturæ & Patrum. Nam 2. Petri 1. v. 4. hæc habentur: *maxima & pretioſa promiſſa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes Naturæ.* S. Auguſtinus L. 1. contra epiſt. Pelag. c. 2. *Non vivunt,* inquit, *homines bene, niſi prius effecti ſint filij DEI*; quia nimirum filiatio Dei, quâ Naturam divinam participant, eſt radix bene vivendi. S. Leo Serm. 1. de Nativ. Dom. ait: *Agnoſce ô Chriſtiane! dignitatem tuam, & divinæ conſors factus Naturæ noli in veterem degeneri converſatione redire.* Supponitur hic ex 1. Part. D. Thomæ, Naturam divinam formaliter ſpectatam conſiſtere in Intellectione non quacunque, ſed Eſſentiæ divinæ, quæ Intellectio prædicatum Dei proprium per gratiam in ratione principij participatur, atque hinc iſta *ſemen gloriæ*, ſeu *Viſio Dei* appellatur. Quemadmodum igitur in Deo Intellectio ſeu Viſio Eſſentiæ divinæ eſt Natura & quaſi radix perfectionum divinarum, ita in Juſtis Angelis & Hominibus Gratia eſt veluti natura in ordine ſupernaturalium donorum, & radix omnium habituum ſupernaturalium, atque his mediantibus actuum inde elicitorum. Ut autem ea, quæ diximus, prædicata Gratiæ Habitualis veluti Naturæ divinæ participatæ diſtinctè explicemus. Inprimis habet iſta ex ſe vim ſanctificandi, & conſtituendi hominem Amicum Dei, ut tenet communis Scholaſticorum, teſte Ariaga Tom. 4. diſp. 44. n. 2. Nam Tridentinum & Patres, quando agunt de infuſione gratiæ, ſemper ſupponunt, illam eſſe, quæ reddit hominem DEO gratum, quæ facit Sanctum &c. Ex quo ſic argumentari poſſumus: Nulla forma poteſt à DEO aſſumi ad dandum effectum formaliter, quem ipſa formaliter non tribuit; cum effectus

ctus formalis nihil ſit aliud, quàm forma & ſubjectum ſimul unita. Atqui Gratia juſtificans eſt unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis. Ergo ad hunc effectum tribuendum aſſumi nequit à Deo, niſi illũ connaturaliter tribuat. Deinde eadem qualitas Gratiæ ſanctificantis conſtituit creaturã rationalem formaliter & realiter Filium Dei Adoptivum, ut habet itidem communis doctrina Scholaſticorum, & Patrum deſumpta ex S. Scriptura, quæ apertè tradit, nos conſtitui filios DEI. Joan. 1. v. 12. *dedit ejus poteſtatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus.* Tum nominatim conſtitui nos filios DEI Adoptivos ad Rom. 8. v. 15. *non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis in quo clamamus Abba* (Pater) Per gratiam autem non per charitatem hoc nobis tribui, facilè oſtenditur. Nam per illud homo conſtituitur Filius Dei, per quod participat Naturam divinam, quà natura eſt; hæc quippe participatio propriè filios gignit. Atqui hoc fit per gratiam, non per charitatem; cum charitas ſit principium divini Amoris, non Eſſentiæ quà talis. Demum illa ipſa qualitas Gratiæ juſtificantis confert Jus ad hæreditatem. Atqui per gratiam conſtituitur filius DEI adoptivus. Ergo & hæres Dei, quô modo argumentatur S. Paulus ad Gal. 4. v. 7. ubi ait: *quod ſi filius, & hæres per Deum.* Prædicta autem Gratia Sanctificans non eſt Natura *ut quod*, utpote accidens ſubſtantiæ, ſed *ut quo*, hoc eſt, eſt elevatio Naturæ rationalis ſecundùm quod formaliter Natura eſt cum proportione ad finem beatificum ſupernaturalem, de quo plura Scholaſtici.

VII. *Doctrina ſexta.* Effectus formalis intrinſecus, quem gratia Sanctificans, ut paulò ante diximus, confert, Amicitia ſcilicet, Sanctitas, Adoptio &c. in eo genere non poteſt præſtari ſine formâ intrinſeca; adeóque impoſſibile eſt, per juſtitiam alterius phyſicè nobis extrinſecam & moraliter imputatam nos reddi verè Juſtos, Hæredes, Amicos &c. Ita communiſſima Catholicorum ſententia. Probatur 1. Concilium Trident. Seſſ. 6. c. 7. verbis illis ſupra allatis: *unica & formalis cauſa juſtificationis noſtræ eſt juſtitia DEI, non quâ ille eſt juſtus, ſed quâ juſtos facit &c.* non tantùm affirmat modum juſtificandi per formam intrinſecè inhærentem, ſed ſimul negat, alium juſtificandi modum eſſe poſſibilem per formam ſcilicet ſubjectò extrinſecam & moraliter imputatam. Ergo dari iſta non poteſt. Probatur Antecedens, Concilium reprobat id omne, quod hæretici intendunt; hæc enim unica eſt mens Concilij, hæreticæ pravitati ſe opponere, omneſque ipſi vias præcludere. Sed hæretici non tantùm negârunt modum juſtificandi per formam intrinſecè inhærentem, ſed affirmarunt, poſſibilem eſſe alium modum juſtificandi per formam merè extrinſecam moraliter imputatam à priore prorſus diverſum: & ex hac poſſibilitate adſtruxerunt, illum de facto dari atque etiamnum adſtrunt, ut paſſim in eorum libris videre eſt. Ergo Concilium non tantùm affirmat modum præſentem juſtificandi intrinſecum, ſed ſimul etiam negat poſſibilitatem omnis alterius modi juſtificandi per formam nobis extrinſecam & moraliter imputatam. Confirmatur hæc probatio. Si Concilium non negat poſſibilitatem juſtificationis per formam extrinſecam moraliter imputatam, videtur nec ſatis firmare ſuam ſententiam & definitionem contra eos S. Scripturæ locos, quos hæretici in magna copia pro ſe allegant: nec ſufficienter in eodem dogmate tranquillare Catholicos adverſus occurrentes dubitandi rationes, nec hæreticos efficaciter refutare. Non ſi poſſibilis eſt alius juſtificationis modus, poterit ſanè moleſta tentatio pulſare animum, ne fortè prædicta teſtimonia de poſſibili illo juſtificandi modo intelligantur, eique innitantur, cum præſertim quoad litteram & nudum verborum corticem ſenſum illum præſeferant, idque Adverſarij obſtinatiſſimè defendant.

VIII. Probatur 2. ex eo, quod per juſtificationem dicatur non ſolùm Deus Amicus homini, ſed etiam homo Amicus DEO. Atqui homo non poteſt eſſe Amicus Deo amicitiâ ſupernaturali, niſi fiat objectum amoris divini & ſupernaturalis per donum aliquod ſupernaturale intrinſecum. Ergò &c. Major eſt Tridentini Seſſ. 6. c 7. cit. ubi docet hominem per juſtificationem fieri ex inimico amicum juxta illud Joan. 15. v. 15. *non dicam vos ſervos ſed amicos.* Minor probatur. Eſſe amicum alteri, eſt eſſe objectum mutui amoris amicitiæ erga ſe; etenim amicus dicitur, qui dignus eſt, ut ametur amore amicitiæ ab altero; Deus autem amat res juxta earum amabilitatem non plus, nec alio amore, quàm quo res ipſa amari poſtulat. Ergo ut amet creaturam amore amicitiæ ſupernaturali, debet in ea eſſe bonitas digna tali amore, quæ alia eſſe non poteſt, quàm participatio Naturæ divinæ, quæ fit per gratiam habitualem. Coincidit hæc ratio cum illa, quam ſupra §. 1. attulimus ex S. Thoma, eámque Theologi omnes admittunt. Non dici poteſt, rectè eos facere pro pulchritudne phyſica aſſerenda: at pro morali ſolùm ſufficere juſtitiam extrinſeam imputatam. Non, inquam, dici hoc poteſt; quippe probari priùs debet, dari hanc juſtitiam extrinſecam, quàm pro reſponſióne tanquam recepta doctrina obtrudatur.

IX. Probatur. 3. Ex peculiari denominatione Sancti, Juſti, in Sacris litteris uſurpari ſolita, quæ non poteſt deſumi ab extrinſeca juſtitia & Sanctitate alterius; Nam denominationes iſtæ non deſumuntur ab actu alterius circa ipſum tanquam objectum, uti ſunt denominationes amati, dilecti, accepti, ſed ab intrinſeca forma ſubjecti, quod Sanctum & juſtum denominatur; hoc enim fundamentum non eſt præcedens, ſed concomitans & ſimultaneum dilectionis & acceptationis DEI, qui ideo hominem diligit dilectione ſupernaturali amicitiæ, & ad gloriam acceptat, quia Sanctus & juſtus eſt. Quemadmodum igitur Deus facere non poteſt ſapientem abſque ſapientia, album ſine albedine intrinſecâ. Ita nequit facere Juſtum & Amicum ſuum, ſeu dignum amore amicitiæ abſque intrinſecâ forma juſtitiæ, ſeu gratia habituali, ut argumentantur Card. Lugo, Arriaga & cæteri Theologi, qui quæſtionem hanc (Num ſcilicet aliquis per extrinſecam alterius juſtitiam ipſi moraliter imputatam juſtificari vereque juſtus dici poſſit) in operibus ſuis propoſuerunt, & omnibus ritè expenſis univerſim concluſerunt, fieri id non poſſe in quacunque ſpecie etiam diverſâ ab ea quâ nunc nos juſti ſumus.

X. Dixi in doctrina priore *in eo genere*; ut inſinuarem, alio modo Deum homini tanta fere bona facere poſſe, quanta confert amico, Seclusâ

Digitized by Google

rum applicari. Ergò poſſunt etiam & multo magis merita & juſtitiâ Chriſti per fidem nobis applicari, alludit ineptus homo ad conſuetudinem piam, quâ Religioſi Ordines ſubinde meritorum ſuorum ſæculares faciunt participes in ſignum gratitudinis beneficiorum, quæ ab ipſis acceperunt. Tum quia poteſt alicui innocenti imputari injuſtitia alterius. Ergo etiam nocenti poteſt imputari alterius juſtitia. Hoc argumentum à prioribus non diverſum ſumitur ex illis verbis Apoſtoli 2. ad Corinth. 5. v. 21. ubi dicitur, *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, ut nos fieremus juſtitia per ipſum &c.* & eo utitur Jacobus Hailbrunner in Paparu Acathólico pag. 40.

XVII. Hanc monſtroſam Juſtificationem in priore parte jam rejectam adhuc tribus argumentis oppugno. 1. eſt. Si noſtra juſtitia nihil eſt aliud, quàm extrinſeca Chriſti juſtitia nobis imputata, tunc non poſſumus creſcere in juſtitia & Sanctitate, quia juſtitia Chriſti conſummata non non accipit incrementum. Conſequens repugnat Sacris Litteris hortantibus, ut indies magis ac magis creſcamus in juſtitia & ſanctitate Apoc. 22. v. 11. *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc.* 2. Si juſtitia hominum nihil eſſet aliud quàm Chriſti juſtitia ijs imputata, tum omnes Sancti forent pares; quippe eâdem juſtitiâ præditi: nec ullus alio eſſet Sanctior, quod repugnat Sac. Scripturæ atteſtanti, alios alijs in regno cælorum fore majores: Matth. 18. v. 4. *Quicúnque humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum.* 3. Si verè nobis imputaretur Chriſti juſtitia, ut per eam juſti haberemur ac cenſeremur, perinde ac ſi propria noſtra eſſet intrinſeca & formalis, profectò non minùs juſti haberi cenſerique deberemus quàm Chriſtus, ac proinde deberemus dici Redemptores & Salvatores mundi &c. quod eſt abſurdiſſimum. Scire etiam ex Adverſarijs aveo, an Chriſtus peccata noſtra in ſe recipiendo odio fuerit æterno Patri, vel non? Si primum; blaſphemant; quomodo enim oderit illum, de quo ait: *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. v. 17. Si ſecundum, ſi Chriſtus non fuerit odio Deo, quantumvis noſtra in ſe receperit peccata & delicta, quomodo nos Deo placere, & juſti coram eo eſſe poſſumus, ſi juſtitiâ ſolùm aliena nobis imputatâ coram illo compareamus? Probationibus non plus ineſt virium, quàm ſanguinis limacibus.

XVIII. Reſpond. 1. *ad Sac. Scripturam.* 2. ad Corinth. Chriſtum dici noſtram juſtitiam non formaliter, ſed cauſaliter; quia nobis promeruit gratiam juſtificantem, ſicuti 1. Corinth. 1. v. 3. dicitur, *noſtra ſapientia*; neque tamen formaliter per ejus ſapientiam cognoſcimus, ſed per aliam ejus meritò nobis infuſam. Itaque in forma diſtinguitur Major: Juſtitia formalis eſt forma juſtificans conceditur: cauſalis juſtitia eſt forma juſtificans negatur. Atqui Chriſtus non eſt noſtra juſtitia formalis, ſed cauſalis; eſt enim conſuetum hebræis, nomen effectûs tribuere cauſæ, ſicuti Apoſt. ad Philipp. 4. v. 1. fideles appellat gaudiū ſuum, id eſt, cauſam gaudij ſui. Simili modo Rom. 5. dicimur per obedientiam Chriſti conſtituti juſti non formaliter, ſed cauſaliter ſive effectivè; ſicuti per cibum dicitur conſervari vita, quia ſanguis ex cibo genitus conſervat illam. Adhæc retorqueo hunc utrumque Scripturæ locum: Sicut peccatum Adami non imputatur nobis ſolùm extrinſecè, ſed revera & intrinſecè ineſt unicuique noſtrum: ita quóque gratia & donum Chriſti non tantùm imputatur nobis ſed intrinſecè inhæret; alioquin efficacius eſſet peccatum Adami, quàm gratia Chriſti, utpote quæ non tolleret, ſed tantùm abſconderet peccatum, cum tamen peccatum verè tollat, & eliminet juſtitiam. Epheſ. 4. ninil prorſus nobis repugnare perhibetur, cum connaturale ſit diſcrimen inter animam & corpus, atque utriúſque indumentum. Itáque diſtinguitur Major. Indumentum corporale eſt extrinſecum concedo: ſpirituale nego. Omnes enim virtutes (quæ utique ſunt qualitates intrinſecæ) comparantur veſtibus ad Coloſſ. 3. v. 12. *Induite viſcera miſericordiæ, humilitatem, benignitatem, modeſtiam, patientiam.* Deus ipſe dicitur *indutus fortitudine.* Pſal. 32. v. 1. utique non extrinſecâ. Et univerſim notandum, in S. Litteris verba metaphorica non requirere omnimodam ſimilitudinem; alioquin ſicut veſtis uſu atteritur, ita gratia paulatim deficeret; Sufficit ergo ſimilitudo in eo, ſicut Veſtis ornat Corpus, ita gratiâ Animam.

XIX. Reſpondetur 2. *ad authoritatem Patrum*, hos adeo apertè ſtare pro ſententia noſtra, ut nec ipſi Sectarij hoc univerſim inficiari auſint. Calvinus L. 3. Inſtit. c. 11. §. 15. poſtquam D. Auguſtinum de juſtificatione loquentem præ Lombardo Magiſtro Sentent. probaſſet, dein ſubjicit, *ac ne Auguſtini quidem ſententia vel ſaltem loquendi ratio per omnia ſequenda eſt; tametſi enim eggregiè hominem omni juſtitiæ laude ſpoliet, ac totam Dei gratiæ adſcribat, gratiam tamen ad Sanctificationem refert, quâ in vita novitate per Spiritum Sanctum regeneremur.* Paræus L. 2. de Juſtif. *Fateor*, inquit, *in Patrum libris, quos habemus, nonnulla legi, quæ ſententia Bellarminianæ favere videntur.* Similia habent Centuriatores Cent. 3. c. 4. nec mirum, Hæreticos nihil invenire in Patribus extrinſecæ ſuæ imputationi favens, cum illi Sacræ Scripturæ inhærentes conſtanter ex hac tenuerint, regenerari ac renovari nos per effuſum in nobis Spiritum Sanctum átque hoc ſine intrinſeca illius receptione atque immutatione fieri non poſſe. Itaque nominatim S. Leo aliud non voluit, quàm cauſaliter per Chriſtum nos factos fuiſſe innocentes, utpote illius ſanguine mundatos & gratiâ renovatos, ſicut recèns diximus, per eundem nos à Scriptura dici juſtos, cauſaliter ſcilicet ſive effectivè, D. Bernardus rectiſſimè & pijſſimè ſenſit, non ſuis ſe meritis ſalvari poſſe, ſed gratiâ DEI, qui *ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per JEſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* ad Tit. 3. v. 6. &c. Sed quid inde contra nos? Eſtne hæc bona conſequentia: Chriſtus donavit mihi ſua merita. Erg ſuam juſtitiam mihi ita imputavit, ut per iſtam quantumvis mihi non inhærentem verè tamen & intrinſecè juſtus efficerer? Minimè profectò; allata enim verba Sac. Scripturæ plus innuunt, internam ſcilicet immutationem ac revocationem per gratiam Spiritus Sancti, quæ animæ inhæreat eam mundet, ſanctificet, amicam DEI efficiat ac jus eidem veluti cohæredi Chriſti ad regnum Cœlorum tribuat. Quæ adjecta ſunt de Cardinali Cantareno, Bigghio, Seripando, & alijs, talia non ſunt, quæ ullum Catholicorum moveant. Eſto enim iſti ante Tridentinum nonnihil errori huic adhæſerint, non tamen inde univerſalis Concilij defini-

Digitized by Google

definitioni derogatur; cum utique ipſi quóque huic acquieverint, ſuúmque errorem depoſuerint. Similiter Communi Catholicorum dogmati nihil decedit ex eo, quod poſt Tridentinum aliqui Pariſienſes Theologi Tractatnm Cantareni de Juſtificat. iterum ediderint erroribus non ſatis correctis. Videatur Card. Pallavicinus in Hiſtor. Concilij Trid. L. 3. c. 4. 6. 9. & 11.

XX. Reſpond. 3. *ad rationem*, quam quatruplicem attulerunt, quarum ſingulas ordine diſſolvemus. Ad 1. Negando paritatem. Quia non perinde, ut per conjunctionem & ſubordinationem voluntatum aliena voluntas cenſetur noſtra, ita poteſt aliena pulchritudo ſeu gratia nos facere pulchros aut amabiles; ſiquidem peccatum eſt actus moralis: & effectus formalis peccantis, quem ille nobis dat, eſt itidem moralis; at verò pulchritudo ſeu gratia non eſt ens morale; nec effectus illius moralis eſt, ſed phyſicus. Quare ſicuti per nullam transfuſionem fieri poteſt, ut Petrus ſit albus per albedinem Pauli, ita nec pulcher aut gratus per pulchritudinem vel gratiam alterius. Hæc reſponſio procedit non tantùm de facto, ſed etiam de poſſibili, ut facilè patet; quidquid autem de hoc ſit, certum eſt apud omnes Catholicos, juſtificationem noſtram de præſenti non fieri per extrinſecam juſtitiam Chriſti nobis imputatam. Quia noſtram voluntatem transfuſam fuiſſe in voluntatem Adami in ordine ad peccatum, conſtat ex Concilijs & Scriptura. Ergo etiamſi poſſibilis eſſet hic modus juſtificandi nos per ſanctitatem & juſtitiam Chriſti, de facto tamen ſic contigiſſe ex Sac. Scriptura non conſtat, nec ex Concilijs aut aliunde ullum eſt fundamentum hoc dicendi; ob quam eandem cauſam omnes negant, nobis ita profuiſſe pænitentiam Adæ, ſicut nocuit illius peccatum. Ad confirmationem ex illo ad Rom. 5. reſpondimus jam ſupra §. XVIII. Videatur Oviedo 1. 2. Tr. 9. pun. 4. n. 34.

XXI. *Ad 2.* Negando Conſequentiam. Diſcrimen inter Adoptionem divinam & humanam eruditè Card. Sfortia Pallavicinus L. 2. Aſſert. Theolog. c. 8. n. 134. ſic oſtendit: eatenus Adoptio humana poteſt fieri per extrinſecum favorem, quatenus homo optat alium ſibi eſſe filium, & non poteſt illi imprimere veram ſecum cognationem, idcirco Lex fingit, eſſe filium, qui revera filius non eſt, hoc eſt, decernit illi effectus filiationis in ordine ad bona extrinſeca, quæ ſunt in poteſtate Legislatoris. Atſi Pater illi poſſet dare veram cognationem intrinſecam, ratione cujus ille haberet jus naturale ad talia bona, & eam non daret, non diceretur is adoptari in filium, ſed tantùm in hæredem extraneum. Sed Deus poteſt dare aliquam qualitatem, ratione cujus creatura habeat ſpecialem ſimilitudinem cum ipſo DEO, & jus ad divitias divini patrimonij. Ergo quoties adoptat in filium, neceſſe eſt, ut tribuat ejuſmodi qualitatem; agens enim Omnipotens & Sapientiſſimus non adoptat, niſi quod faciat.

XXII. *Ad 3.* diſtinguendo. Poſſunt Monachorum merita applicari alijs efficienter, ut iſtis proſint, conceditur: formaliter, negatur. Nam aliud non intenditur in iſta meritorum comunicatione, quàm ut Deus intuitu famulorum ſuorum & operum bonorum, quæ ipſi Deo juxta ſtatum ſuum piè devotéque exhibent, velit benevolè & ſingulariter recordari eorum, & ſua ijs cæleſtia dona communicare, pro quibus ipſi preces cæteráque ſua pia opera pecculiariter offerunt, & ſic eoſdem iſtorum participes eſſe cupiunt. De reliquo hæretica eſt calumnia Gerhardi, quaſi Monachi per prædictam communicationem ſua apud Deum merita pro pecunia illis venderent, & impiam meraturam exercerent.

XXIII. *Ad 4.* rationem. Reſponſio 1. eſt. Ex hoc argumento & textu Sac. Scripturæ pravè intellecto Matthias Flaccus Illyricus in Confeſſ. Antuerp. c. 6. & in Apolog. ejuſdem eò dementiæ & impietatis venit, ut admitteret *Chriſtum veriſſimè dici peccatorem per potentiſſimam Patris imputationem, & voluntariam in ſe peccatorum receptionem*; quæ blaſphemia & ſacrilega impudentia toti Scripturæ repugnat. In idem deliramentum inſana hæc imputatio conjecit Lutherum, ut in c. 3. ad Galat. (ſicuti videre eſt Tom. 5. Witt. Anno 1554. fol. 348. col. 2.) impudenter æque ac impiè ſic ſcribere auderet: *Omnes Prophetæ viderunt hoc in Spiritu, quod Chriſtus futurus eſſet omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, ſacrilegus, blaſphemus &c. quod nullus unquam major peccator in mundo fuerit &c.* Dicunt Lutherani, hæc non propriè & abſque diſtinctione prolata fuiſſe. Sit hoc. Attamen perinde malè ſonant, ac verba Illyrici, quæ ipſimet Lutherani improbant. Reſponſio 2. Sicuti Chriſtus non eſt factus peccatum ſeu peccator ſic imputativè, quaſi ipſe illa fecerit, & iniquus haberi potuerit, ſed ſolùm imputantur illi quoad debitum ſatisfaciendi, quod ipſe ex nutu Patris ſpontè in ſe ſuſcipit; unde ille non peccator, ſed juſtus dici meretur: ita & nobis imputatur Juſtitia Chriſti quoad ſatisfactionem tantùm, quam pro nobis præſtitit, adeóque effectivè, ut ſæpe jam diximus. Quocirca formaliter mundi & immaculati haberi non poſſumus, niſi ſordibus peccatorum depulſis interius formoſa reddatur anima per donum illud pretioſum, quò divinæ ſimus participes Naturæ. Reſponſio 3. Ad locum Script. ex 2. ad Corinth. 15. Chriſtum vocari peccatum duplici ſenſu. 1. quia participavit carnem ſimilem carni peccati juxta illud ad Rom. 8. v. 3. *DEUS mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* 2. quia factus eſt hoſtia pro peccato, quò modo accipitur nomen peccati Oſeæ 4. v. 8. *peccata populi mei comedent*; loquitur Prophæta de Sacerdotibus qui comedebant hoſtias pro peccatis populi oblatas. Quemadmodum ergo Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, hoc eſt, aſſumpſit ſimilitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato, ſimili modo nos efficimur juſtitia DEI, quia ſcilicet accipimus juſtitiam inhærentem, quæ eſt ſimilitudo quædam & effectus juſtitiæ Dei, tollens à nobis peccatum animámque ſanctificans, ut exponit S. Auguſt. L. de Spirit. & Litt. c. 18. dicimur autem juſtitia potius, quám juſti, ut ſervetur antithesis. Reſponſio 4. Tranſeat Antecedens, diſtinguitur Conſequens. Poteſt juſtitia innocentis imputari nocenti, cauſaliter & effectivè, conceditur: formaliter ita ut peccator intrinſecè fiat, dicatúrque juſtus ab extrinſecâ alterius juſtitia, negatur Conſequentia. Ratio patet ex dictis: quod eſſe juſtum & pulchrum ſit effectus phyſicus meréque intrinſecus, qui per nihil extrinſecum poni valeat. Dixi, tranſeat Antecedens. Nam ex dictis quóque conſtat, per conjunctionem & ſubordinationem voluntatum, fieri quidem poſſe, ut ab alienâ phyſica voluntate reddamur moraliter mâli vel boni, hoc eſt, legis obſervantes vel.

tes vel.

tes, vel inimici; minimè verò juſti; amici DEI, hæredes regni cœleſtis; hæc quippe poſterior denominatio longè alia eſt, aliúdque importat, nempe intrinſecam animæ pulchritudinem & ornatum, qui nullâ voluntatum transfuſione per extrinſecam pulchritudinem & ornatum ac decorem alterius obtineri poteſt, ſicut nullus locus tenebricoſus fieri poteſt lucidus per lumen quod extra illum exiſtit; conſtat autem in Sac. Script. juſtos lucem, peccatores verò tenebras appellari; *eratis aliquando*, inquit Apoſt. ad Epheſ. 5. v. 8. *tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

XXIV. Re deſperatâ Sectarij ad nomen confugiunt. Juſtificare, inquit Ameſius fol. 125. ut ſemper fere in Scriptura ſic præcipuè, cum Deus dicitur impium juſtificare, accipitur ſignificatione forenſi pro juſtum habere, pronunciare &c. Reſpond. cum Tannero Tom. 2. D. 6. Q. 5. dub. 1. nihil inde contra nos evinci. Nam quicunque veraciter ab altero pronuntiatur juſtus, is verè habet juſtitiam aliquam internam. Sed homo veraciter & ſæpe à DEO pronunciatur juſtus. Ergo is habet verè inhærentem juſtitiam coram Deo. Major oſtenditur inductione; quippe ſemper tam apud Sacros quàm prophanos Doctores, adeóque communi loquendi uſu etiam forenſi, is qui juſtificat, ſeu juſtum pronunciat alterum, tribuit illi ſuâ æſtimatione juſtitiam internam ejus generis, quæ ad forum juſtificantis pertineat; ſic enim Judex politicus tribuit juſtificato juſtitiam, hoc eſt, innocentiam politicam & immunitatem ab imputato ſcelere. Neque prædictum vocabulum unquam aliter uſurpatur; hoc ſolùm diſcrimen eſt inter juſtitiam politicam & divinam; quod Judex in foro externo non primùm conferat juſtitiam ei, quem abſolvit, ſed ſolùm declaret in eſſe, & in hoc ipſo tamen nonnunquam fallatur: Deus autem abſolvendo ſeu juſtificando hominem & faciat juſtum, & in ſuâ ſententia aut judició nunquam fallatur. Videatur Bellarminus Lib. 2. de Juſtificat. cap. 9.

CONTROVERS. LII.

UTRUM IN JUSTIFICATIONE peccata verè tollantur?

SEctarij Juſtificationem ſuam in duas ſecant partes; primam volunt conſiſtere in tali peccatorum remiſſione, ut tamen iſta peccatori re ipsâ inhæreant, & ſolùm tegantur: alteram dicunt eſſe coöperculum quoddam ſupra peccata hominum tecta, nempe Juſtitiam CHriſti, non verò qualitatem quandam infuſam, quam nos Gratiam Sanctificantem appellamus. De hac parte diximus controv. priore. Nunc de illa agemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Gratia Sanctificans de ſe & naturâ ſuâ exigit expulſionem peccati. Ita cum S. Thoma 1. 2. q. 111. a. 2. plerique. Probatur. Tum quia hæc doctrina conformior eſt Tridentino Seſſ. 5. in decreto de peccato Originali aſſerenti *per gratiam in Baptiſmo collatam remitti reatum peccati originalis*, quod cauſalitatem formalem denotat. Tum quia Catechiſmus Romanus ait: *gratiam juxta Tridentinum eſſe qualitatem in animâ ſplendorem & lucem delentem omnes maculas animæ*, quod ſine dubio denotat vim naturalem ſufficientem ad eum effectum. Tum quia cum qualitas naturâ ſuâ expulſiva peccati non repugnet, conforme eſt Sac. Scripturæ Patribus ac Theologis, talem de facto eſſe gratiam; quippe affirmant paſſim, eam eſſe *pretioſiſſimum donum*, 2. Petri 1. v. 4. *Lucem*. 2. ad Corinth. 4. v. 6. ad Epheſ. 5. v. 9. *Vitam* 1. Joan. 5. v. 24. *Sanctitatem*. ad Epheſ. 4. v. 24. *Filiationem Dei* 1. Joan. 3. v. 1. *Juſtitiam* ad Epheſ. cit. & alibi &c. Atqui Lux naturâ ſuâ opponitur tenebris, Vita morti, Sanctitas iniquitati, Filiatio excluſioni à regno per peccatum &c. Si autem gratia nihil horum habet naturâ, quomodo maximum & pretioſum DEI donum diceretur? quomodo cæteræ dotes & prærogativæ ei tribuerentur? Ergo immerito de tali virtute dubitatur?

II. Oppoſitum tenent Nominales & nonnulli alij Theologi rati, ad hoc ut gratia ſanctificans deleat peccata, reddat Amicum, & Filium Dei &c. neceſſarium eſſe favorem Dei extrinſecum per modum formæ. Moventur maximè. Tum quod gratia non acceptetur à Deo propter ſuam perfectionem ſive naturalem ſive moralem. Tum quod aliàs juſtus non poſſet peccare ob impedimentum naturale, nempe gratiam impeditivam peccati. Tum quod gratia per abſolutam Dei potentiam poſſit ſtare cum peccato mortali, DEO conſervationem illius contra exigentiam continuante. Ergo ex ſe non facit Sanctum, ſed tantùm per extrinſecum Dei favorem: Hæc, inquam, omnia talia non ſunt, ut aliquid contra doctrinam noſtram perſuadeant. Reſpond. ad 1. gratiam acceptari à Deo propter perfectionem naturæ talis, quæ ſit quaſi obligatio & promiſſio Dei, ut proinde favorem DEI non negemus, ſed tali entitati affixum affirmemus. Ad 2. Juſtum non poſſe peccare ſimul & retinere gratiam impeditivam peccati: at bene peccare & per peccatum expellere gratiam; quia Deus hanc conſervans non prius ſe ad id determinat, quàm videat, eum hominem non determinare ſe ad peccatum; ideóque in illo priori, quo homo eſt liber ad peccatum & ejus carentiam, præſcinditur à gratiâ, ſicuti univerſim cauſa pro prior naturæ ſolùm concipitur cum neceſſarijs ex parte ſuâ ad operandum; ut docetur in Philoſophia. Ad 3. transeat Antecedens, negatur conſequentia. Nam ut aliqua forma dicatur verè & abſolutè habere aliquem effectum, ſufficit ut eam naturaliter præſtet, etiamſi divinitus impediri poſſit, uti patet in calore, qui utique nimius torquet hominem ex natura ſua, quantumvis tortura hæc divinitus impediri poſſit. *Dixi* transeat Antecedens; quia de hoc lis eſt inter Scholaſticos. Negant aliqui, poſſe etiam divinitus gratiam ſtare cum peccato mortali. Affirmant plures alij, quibus nos ſubſcribimus cum Card. Bellarmino L. 2. de Juſtif. cap. 16. Nam quando homo actu peccat, gratia non poteſt deſinere in eo eſſe, niſi per ſubtractionem concurſûs divini. At DEUS poteſt abſolutè con-

tinuare ſuum concurſum, non obſtante exigentiâ peccati, ut hunc deneget, & cum tali turpitudine non relinquat in eodem ſubjecto tantam pulchritudinem; ſi autem poteſt Deus conſervare gratiam in homine, dum actu peccat, quare idem non poſſit poſt peccatū actuale tranſactum? Ergo gratia divinitus permanere poteſt cum peccato tam actuali quàm habituali. Nec inde inferre licet, hominem fore converſum ad Deum, & ab eodem averſum, juſtum injuſtum &c. Nam ſimilia duo important; unum poſitivum, nimirum gratiam: negativum alterum, videlicet carentiam peccati. Utrúmque horum præſtat gratia etſi diverſo modo; etenim poſitivum per ſuam entitatem facit: negativum verò per connexionam cum eodem & exigentiam remiſſionis peccati, quam etſi ſuæ debitam naturæ non conſequatur abſque interveniente DEI remittentis voluntate, hæc tamen non obſtante intrinſecâ illâ gratiæ exigentia poteſt non eſſe; ſive non intervenire, utpote actus DEI liber. Cum ergo tunc non daretur ea carentia peccati, adeóque ſubjectum requiſitum, non etiam darentur abſolutè effectus, & eæ, quas diximus denominationes. Videri poteſt Oviedo 1. 2. Tract. de Gratia Contr. 4. pun. 3.

III. *Doctrina ſecunda.* Gratia expellitur per peccatum actuale & habituale non efficienter phyſicè, ſed moraliter. Ita ex communi ferè aliorum Theologorum Arriaga. Tom. 4. D. 45. n. 43. ubi bene advertit, efficienter deſtruere dupliciter accipi poſſe; nimirum vel immediate ceſſando à conſervatione rei, vel producendo aliquid, quod ipſam deſtructionem petat. Hoc ergo notato. Facile patet ratio prioris; quia peccatum tam actuale quàm habituale nihil phyſicum à ſe diſtinctum producit effectivè, quod ſit gratiæ contrarium, ſed immediatè per ſe ipſum expellit illam. Ratio poſterioris eſt; quia ille moraliter effectivè concurrit ad aliquid, qui ad hoc inducit alium, jubendo, ſuadendo, petendo &c. Atqui hoc facit peccatum & actuale & habituale demeritoriè gratiam expellendo, adeóque Deum quaſi inducendo, ne cum tali turpitudine pulchritudinem ſupernaturalem ſive gratiam conſervare pergat. Ergo &c. Hinc à fortiori peccator ipſe dici poteſt expellere gratiam efficienter moraliter; quatenus efficit peccatum actuale pugnans cum gratiâ. Habitus vitioſus non habet repugnantiam cum gratia, neque hanc formaliter ab anima expellit, ut patet in pleriſque juſtis, qui pravis habitibus affecti fuerunt. Quomodo autem viciſſim gratia expellat peccatum, ex his ipſis conſtat.

IV. *Doctrina tertia.* Remiſſio peccati, quæ in juſtificatione formaliter includitur, non eſt ſola occultatio, ſeu non imputatio, ſed vera abolitio & omnimoda peccati mortalis deletio. Ita omnes Catholici & definit Trident. Concilium Seſſ. 5. in decreto de peccat. orig. his verbis: *Si quis per JESU Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmo confertur, peccati originalis reatum remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed dicit, illud tantùm radi, tegi, non imputari, anathema ſit.* Et mox addit rationem inquiens: *in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè ſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſmum in mortem.* Idem dogma habetur in Sacr. Scriptura, quæ affirmat *omnia noſtra peccata projici in profundum maris.* Micheæ 7. v. 19. *deleri:* Actor. 3. v. 19. *tolli* Joan. 1. v. 29. *impium mundari, lavari, & ſuper nivem dealbari* Pſal. 50. v. 9. Si ergo peccata projiciuntur, tolluntur, delentur &c. quo pacto manent adhuc in homine juſto? Sacræ Scripturæ conſonant Patres, è quibus D. Auguſtinus L. 1. contra epiſt. Pelagij c. 13. cuidam aſſerenti, Baptiſma ſolùm radere, non auferre peccatum ſic reſpondet: *quis hoc niſi infidelis affirmat? dicimus enim Baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina non radere.* Idem ſuadet ratio. Nam Deus vel poteſt penitus auferre & abolere peccatum, vel non poteſt? ſi non poteſt, non eſt Omnipotens; quia omnipotentia omnia debet poſſe, in quibus nulla apparet implicantia contradictionis, ſicuti non apparet in hac abolitione peccati: ſi poteſt, quare non facit? an Chriſtus tantùm non meruit? an Deus ita eſt tenax, ut nolit penitus tollere? quæ omnia ſunt blaſphema & divinus perfectionibus repugnantia. Similiter tegendo peccata vel non deponit DEUS odium & iram erga hominem, ſed pergit illum odiſſe: vel ceſſat ab odió erga illa peccata, ita ut propter hæc homines illi non amplius diſpliceant ſed potius placeant, & amore amicitiæ amentur? prius apertè eſt falſum; innumeris enim locis Scripturæ dicuntur homines Deo placere, amici, & dilecti eſſe. Si ergo poſterius jam veriſſimè tolluntur peccata; etenim peccatum habituale, ut moraliter manens, nihil eſt aliud formaliter, quàm phyſica præterito; ut à Deo nunc odio habita, ſeu non condonata; unde ipſum ceſſare ab odio eſt tollere. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 488.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

V. **E**rror primus. Non datur Gratia Sanctificans, ſeu qualitas ſupernaturalis permanens, quæ in anima ſubjecta omne omnino peccatum radicitus in ea tollat. Ita Sectarij moderni Lutherani apud Gerhard. L. 2. Part. 2. à fol. 911. & eodem L. P. 3. fol. 681. Calviniani apud Ameſ. Tom. 3. à fol. 67. & Tomo 4. à fol. 113. probant. Tum quia nullum hujus gratiæ peccatorum delectivæ habetur fundamentum in Scriptura; Gratia enim, inquit Ameſius Tom. 4. fol. 115. apud Paul. ad Rom. 3. v. 24. & ubicunque agitur de Juſtificatione in ſcriptura nihil aliud ſignificat, quàm *gratuitum Dei in nos favorem actualem.* Tum quia etiamſi homini in juſtificatione dona infundantur, quibus formaliter ſit juſtus, & renovatus exiſtat; hæc tamen non ſunt juſtitia ut per illa conſtituatur juſtus; ſed illud fit prius per juſtitiam Chriſti imputatam, ad quod deinde ſequitur Sanctitas & renovatio, & quidem ſola imperfecta, & coram Dei tribunali noxia. *Etſi,* inquit Calvinus L. de verâ Eccleſiæ reformat. pag. 363. *nunquam reconciliemur DEO, quin ſimul donemur inhærente juſtitiâ, diſtingui tamen debent, quæ ſeparari nequeunt.* Dicere vult, duplicem eſſe juſtitiam, unam extrinſecam à Deo nobis imputatam, quâ reverâ juſtificamur: alteram inhærentem ac conſtantem fide ſpe & charitate atque operibus bonis. Tum quia communiter Doctores ac Patres

Ponti-

Pontificij ad vitam æternam referunt, quod in ea demum Sponſa Chriſti futura ſit ſine ruga & macula. Tum quia ejus rei, quæ gratis datur, non poteſt eſſe fundamentum in acceptatione. At juſtificamur gratis. Ergo non datur qualitas phyſica ſeu gratia in acceptatione, ob quam ceu cauſam meritoriam juſtificationem acquiramus.

VI. Hunc errorem ſatis jam rejecimus in priori Controv. Et manifeſtè repugnat Sac. Scripturæ, quæ diverſis in locis affirmat hominem *ablutum, Sanctificatum, renovatum, regeneratum*, imò *immaculatum*, ut Pſal. 118. *Beati immaculati in via.* & Cant. 4. v. 7. *tota pulchra es, & macula non eſt in te*, 1. ad Corinth 6. cum Apoſtolus graviſſimos peccatores retuliſſet, ſubjecit v. 11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati in nomine Domini JESU Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Item ad Epheſ. 4. v. 23. *Renovamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* 1. Petri 1. v. 3. *qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos* ſcilicet in Baptiſmo, ut patet ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis.* Hæc omnia intelligi non poſſunt abſque juſtitia homini intrinſecè infusâ, per quam abſolvitur homo à peccatis, juſtificatur, ſanctificatur, renovatur, & regeneratur, ut in ſe penitus novus exiſtat, qui prius formam Adæ geſſerat, per peccatum ſibi inhærens. Argumenta allata nihil perſuadent.

VII. Reſpondetur ad 1 Extra omne dubium eſſe, quod homo ex favore & miſericordia DEI juſtificetur; ſed præter hunc favorem & gratiam activam; quæ in Deo eſt, & ſe tenet ex parte efficientis, dari aliam gratiam à DEO creatam, & homini donatam, quam non malè dixeris *intrinſecæ in Deo ergo nos Benevolentiæ externam expreſſionem in anima noſtra exiſtentem*: falſúmque eſſe, abſque fundamento Scripturæ id à nobis aſſeri. Nam apertè habetur Joan. 1. v. 16. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia, quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Ubi gratia, quam accepimus, non poteſt intelligi, de gratia activa, ſeu Dei favore & benevolẽtia, quia illa non eſt facta, ſed eſt DEO intrinſeca. Omitto plura Scripturæ teſtimonia alibi jam adducta. Ad 2. negando, juſtos nos fieri per imputationẽ juſtitiæ Chriſti. Nam per charitatem & donum animæ intrinſecè inhærens, quæ eſt Juſtitia, formaliter nos juſtificari, clarè indicat Sac. Scriptura. Tum alibi. Tum ad Titum. 3. v. 4. ubi cum Apoſtolus dixiſſet: *Cum autem apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri DEI, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum.* ſubjungit: *ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ &c.* per Spiritum enim diffuſum, quô tanquam per cauſam formalem primò regeneramur & reformamur, intelligitur donum creatum, & animæ intrinſecè inhærens, quæ eſt juſtitia, ſeu gratia Sanctificans, ut communiter interpretantur PP. è quibus Auguſtinus epiſt. 106. ait: *antequam gratiâ juſtificetur, & juſtus efficiatur homo, quid eſt niſi impius?* Si autem homo antequam gratiam & charitatem accipiat, eſt impius. Ergo non fuit per extrinſecam imputationem Juſtitiæ Chriſti juſtificatus. Ad 3. Patres & Doctores nihil aliud per hoc indicare velle, quàm homines communiter in hac vita, quantùmvis juſtos, non eſſe abſque omnibus peccatis ſaltem venialibus ob humanam fragilitatem commiſſis, quibus tamen Sanctitas, Juſtitia, & Amicitia cum Deo non tollitur; *ſepties enim in die cadit juſtus, & reſurgit.* Prov. 14. v. 16. Ad 4. juſtificationis utique non dari cauſam meritoriam ex parte hominis, ſed merè per gratiam & miſericordiam DEI fieri, ut patet ex verbis Apoſtoli ad Titum cit. At Gratia Sanctificans eſt ipſa juſtificatio & Sanctitas, quæ animæ hominis infuſa eam à peccatis purgat, regenerat, renovat, & ſanctificat. Quod D. Auguſtinus indicat hiſce verbis notatu digniſſimis in Pſal. 89. *Laudemus & exaltemus illum, qui fecit ipſam juſtitiam, quam habemus; ipſe in nobis fecit; quis enim in nobis fecit juſtitiam, niſi qui nos juſtificavit? Nos ergo impij: ille juſtificator, quando & ipſam juſtitiam ipſe in nobis fecit, quâ illi placeamus.*

VIII. *Error ſecundus.* Peccata in Juſtificatione non verè tolluntur, ſed ſolummodo teguntur. Ita apertè delirant Sectarij hujus temporis. Lutherani apud Gerhard. L. 2. P. 2. fol. 513. Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 3. fol. 66. ima ſummis, cælum terræ, peccata Juſtitiæ ſociantes. Probant ex Pſal. 31. v. 1. (aliud enim argumentum peculiare apud cit. non reperio) malè intellecto: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ubi remiſſio explicatur per tegumentum; quod autem tegitur, inquiunt, non tollitur, ſed tantùm abſconditur; quia Deus diſſimulat, ſe videre peccata hominum, & non vult ea punire, quaſi non eſſent.

IX. Mirandùm planè eſt, hæreticos hoc unum vocabulum tegumenti in unico loco Sac. Scripturæ repertum præferre multis alijs clarè affirmantibus, peccata penitus tolli & elui, quæ loca Scripturæ ſupra adduximus. Arguent certè veſani iſti homines Joannem Baptiſtam, non rectè dixiſſe Joan. cap. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ſed dicere debuiſſe: ecce agnus Dei, ecce qui tegit peccata mundi; ſic nempe Agnus ſanguine ſuô Apoc. 22. v. 14. lavare ſtolas & emaculare non potuit, ſed ſordes tantùm obtegere juſtitiæ ſuæ ſtolâ, an non hæc aperta in ſanguinem Chriſti injuria? Adhæc ſi peccata manent in Juſtis, tunc etiam manebunt in beatis, adeóque falſum erit, quod ait Joannes. Apoc. 21. v. 27. de Cæleſti Jeruſalem: *Nihil intrabit in eam coinquinatum.* Falſum etiam erit quod ait Apoſt. Ad Epheſ. 5. v. 25. de Eccleſia: *Chriſtus dilexit eam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundaret lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & imaculata*; hoc inquam, falſum erit; etenim ſecundùm hæreticos eſt plena maculis & ſordibus peccatorum, inſtar leproſi pallio tecti, vel inſtar ſepulchri dealbati, ut ait Chriſtus Matth. 23. v. 27. *Erunt ſicut ſepulchra dealbata, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus autem ſunt plena oſſibus mortuorum.* Pluribus errorem hunc ſupra rejecimus

X. Ad fundamentum Adverſariorum reſpondemus, non tantùm dici id tegi, quod verè remanet & ſolùm occultatur, ſed etiam id, quod verè aufertur. Eleganter D. Auguſt. Tom. 8. Ennarrat. 2. in cit. Pſal. notat, vulnus aliter tegi à vulnerato, aliter à Medico; ille pallio occultat vulnus: iſte emplaſtro ſanat & aufert. *Sic nempe,* inquit S. Pater, *DEUS tanquam Medicus tegit pecca-*

 ta noſtra

Digitized by Google

ta noſtra & vulnera, id eſt, ſanando & illa auferendo. Similiter imputatur nobis non tantùm id, quod in ſe tale non eſt, ſed etiam, quod verè tale eſt, ſic peccata dicuntur nobis imputari, ac proinde non-imputatio, cujus fit mentio eodem Pſal. v. 2. ſignificat & id quod verè tollitur & deletur.

XI. Dicit Gerhard. L. 2. part. 2. cit. fol. 912. peccata in Baptiſmo & juſtificatione verè remitti, & calumniam Lutheranis fieri à Pontificijs, quando iſti ſpargunt, juxta illorum doctrinam peccata tantùm radi, tegi, & non tolli. Idem ſentit Hailbrunner in ſuo novo Papatu fol. 37. aſſerens hanc Lutheranorum doctrinam conformem eſſe Sancto Auguſt. Tom. 7. de Concup. & Nupt. L. 1. c. 25. ubi ait: *Concupiſcentiam carnis in Baptiſmo dimitti, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur.* Reſpondeo Gerhardum ludere in verbis, nec ſcire quid dicat. Nam ſi remittantur peccata in baptiſmo & juſtificatione, vel abſolutè adhuc aliquid peccaminoſum Deóque diſplicens manet, vel non? ſi manet. Ergo peccata non ſunt remiſſa: ſi non manet. Ergo peccata penitus ſunt ſublata, quæ Catholicorum eſt doctrina, & non merè non imputata. Audio illum loc. cit. diſtinguere, peccata deleri ſolùm, ut non amplius ad damnationem imputentur: non autem ut nullæ illorum maneant reliquiæ. Sed hoc eſt. quod dixi, neſcire Gerhardum, quid loquatur; implicat enim in adjecto, peccata deleri ſolùm, ut non amplius ad damnationem imputentur, & hoc ipſo non penitus tollantur, átque homo perfectè innovetur, ut expreſſis verbis docet S. Auguſt. Lib. 6. contra Julian. c. 5. ajens: *nunc autem gratia perfectè innovat hominem. quantùm ad liberationem ab omnibus omnino peccatis.* Quando igitur idem S. Pater L. 1. de Nupt. & Concupiſc. cit. ſcribit. *Concupiſcentiam dimitti, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur*, aliud dicere non vult, quàm id, quod in homine per concupiſcentiam: & in hac ſe ſingulariter manifeſtat, hoc eſt, peccatum originale dimitti, non quod ipſa concupiſcentia amplius non ſit, ſed quod non amplius nobis in peccatum imputetur; ſiquidem peccatum & culpa non amplius exiſtit; cum enim peccatum originale per concupiſcentiam, & in hac ſingulariter ſe prodat, idcirco hæc ipſa concupiſcentia appellatur peccatum. Atque hunc eſſe verum ſenſum S. Auguſtini, ipſimet etiam Adverſarij fatentur. Et idcirco Lutherus & Melanchthon corruperunt prædicta Auguſtini verba, loco *concupiſcentia* verbum *peccati* ponendo; Lutherus quidem in Aſſert. a. 2. Melanchthon verò in Apolog. §. de Juſtitia. ubi ita ſcribunt: *ad eundem modum loquitur Auguſtinus, qui ait: peccatum in baptiſmo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non imputetur; hîc palam fatetur, eſſe hoc, & manere peccatum, tametſi non imputetur.* Nunquid hoc eſt crimen falſi? abſque dubio; & quidem magnum & apertum; quid autem opus fuiſſet tali corruptione verborum, ſi iſta per ſe Adverſarijs patrocinata fuiſſent. Videri poteſt Jacobus Keller in Papat. Cathol. Tom. 2. fol. 17. Tanner Tom. 2. Diſp. 4. Q. 7. a. num. 80. Et infra Controverſia noſtra 60. §. XVIII.

***

:o: IHS. :o:

CONTROVERS. LIII.

DE DISPOSITIONIBUS Juſtificationis?

PLures Cauſæ concurrunt ad Juſtificationem Impij, quas omnes D. Paulus ad Rom. 3. v. 24. indicat his verbis: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, quem propoſuit propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Nam juſtificamur à DEO gratis, hoc eſt, ex merâ liberalitate, quantùm ad noſtra merita, & hæc Dei liberalitas eſt cauſa Efficiens. Juſtificamur autem per gratiam ipſius, hoc eſt, per Juſtitiam ab illo donatam & infuſam; & hæc eſt cauſa Formalis. Juſtificamur item per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, & hæc eſt cauſa Meritoria. Juſtificamur denique per fidem in ſanguine propitiationis, & hæc eſt cauſa Diſpoſitiva. Hæc expoſitio conformis eſt S. Auguſtino, alijſque Patribus; átque ipſa Apoſtoli verba, niſi contra nativam vim torqueantur, eam ſponte ingerunt. Hæretici tamen longè aliter eadem verba interpretantur, & graviſſimè tam contra Diſpoſitiones, quàm reliquas Cauſas errant. Unde de cauſa Diſpoſitiva præſens controverſia: proxima de reliquis cauſis inſtituetur.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Ad Juſtificationem impij aliqua eſt neceſſaria Diſpoſitio Moralis, quæ per unum aut plures actus bonos fiat. Hoc dogma habetur in pluribus Sac. Scripturæ locis, in quibus DEUS petit ab homine, ut agat pænitentiam, & convertatur ad Dominum, ad hoc ut ipſe in ſuam gratiam illum recipiat. Ezechiel. 18. v. 30. Joël. 2. v. 10. 1. Reg. 7. v. 3. Matth. 3. v. 2. *pænitentiam agite.* Eandem veritatem definit Tridentinum Seſſ. 6. c. 5. & 6. ac tradiderunt Patres, dum peccatores ad pænitentiam hortantur, ut ſuperfluum ſit eorum teſtimonia referre. Congruentia eſſe poteſt, quod planè oportuerit, ut prò tam ingenti beneficio ſe homo aliqualiter præpararet per actus bonos; quod quia homines inæqualiter faciunt, & unus agit pænitentiam, non alter, ideo remittit Deus de facto uni homini peccata, alteri verò non, abſque juſta cujuſque querela, quod damnatus ſit præ alio, qui non magis erat dignus veniâ; quippe reſponderi poterit, illum pænitentiam egiſſe: non item iſtum. Ergo non Dei, ſed hominis eſt cauſa. Imprimis autem ad Juſtificationem in adultis requiritur Fides. Nam clara ſunt verba Sac. Scripturæ ad Heb. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt, placere DEO; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Concilium etiam Tridenti Seſſ. 6. c. 6. cit. inter diſpoſitiones primo loco numerat fidem, utpote fundamentum vitæ Spiritualis. Præter fidem tamen ad juſtificationem

requi-

Digitized by Google

requiruntur etiam aliæ quædam diſpoſitiones & bona opera, ita ut illa ſola non ſufficiat. Nam Sac. Scriptura tribuit etiam alijs actibus noſtram juſtificationem, ut Spei Pſal. 36. v. 4. Proverb. 28. v. 25. Math. 9. v. 2. ad Rom. 8. v. 28. 1. Joan. 3. v. 3. *Omnes, qui habet Spem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille Sanctus eſt.* Charitati Lucæ 7. v. 45. 1. ad Corinth. 13. v. 1. & 2. ad Galad. 5. v. 6. *Nam in Chriſto JESU neque circumciſio, neque præputium aliquid valet, ſed fides quæ per Charitatem operatur.* Timori Pſal. 110. v. 10. Prov. 10. v. 17. Eccleſiaſtici 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Pænitentiæ Ezechiel. 9. v. 31. Luc. 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Hinc Sacrum Tridentinum Concilium Seſſ. 6. can. 9. & ibidem c. 6, damnans hæreticorum ſententiam enumerat prædictos actus inter primas diſpoſitiones ad Juſtificationem.

II. *Doctrina ſecunda.* Diſpoſitionum ad Juſtificationem alia eſt Remota: alia Proxima. Ita communiter Catholici Doctores. Nam aliqui ſunt actus, quibus in eodem inſtanti annexa eſt gratia, ut de Contritione etiam extra Sacramentum definit Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. & ante Sacramenta noſtra inſtituta ejuſmodi dolor omnino fuit neceſſarius ad juſtificationem; nunc autem cum Sacramento confeſſionis & baptiſmi proxima diſpoſitio dici poteſt Attritio, quæ in eo Sacramento habet annexam gratiam. Diſpoſitio Remota eſt illa, quæ præcedere poteſt tempore, & aliquo modo promereri à Deo novam gratiam excitantem ad obtinendam peccatorum remiſſionem; talis eſt eleemoſina, de qua Daniel. 4. v. 24. dicitur: *peccata tua eleëmoſinis redime*; tales ſunt actus aliarum virtutum, quibus ſolet Deus moveri, licet non ſemper & infallibiliter, ad conferenda auxilia efficacia pro contritione aut confeſſione. Rurſus hujus remotæ diſpoſitionis alia eſt per accidens, ut ſunt actus eleemoſinæ, humilitatis &c. etenim hi per ſe non ſunt neceſſarij, licet, quando exiſtunt, conducant eo, quem diximus, modo: alia per ſe, ut inprimis eſt actus fidei; hæc ſiquidem eſt initium omnis juſtificationis.

III. *Doctrina tertia.* In particulari loquendo, diſpoſitionum ad juſtificationem aliæ ſe tenent ex parte intellectûs: aliæ ex parte voluntatis. Explicatur. Ex parte intellectûs ſe habet fides, quàm Sectarij triplicem agnoſcunt. *Primam hiſtoricam*, quâ credimus omnia, quæ in Sac. Scriptura habentur, & hanc nos Orthodoxi vocamus Dogmaticam, Catholicam & Theologicam. *Alteram Miraculorum*, quam inter gratias gratis datas numeramus ab Apoſtolo 2. ad Corinth. 13. recenſitas. *Ultimam Promiſſionem* vel Generalem, quâ credimus promiſſiones ad omnes Chriſti fideles Spectantes; & hanc fidem nos Catholici non diſtinguimus à Dogmatica, quâ ſpeciatim etiam credimus, ritè pœnitentibus à Deo peccata remitti. Fides igitur, quam nos Catholici ad juſtificationem tanquam diſpoſitionē requirimus, eſt Dogmatica, ſeu Theologica. Sumitur hoc ex eo, quod S. Scriptura Concilia & Patres objectum fidei, quæ eſt neceſſaria ad juſtificationem, non dicant eſſe illam ſpecialem promiſſionem, ſed myſteria à DEO revelata, quæ ſunt objecta fidei dogmaticæ. Joannis 20. v. 3. *hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia JESUS eſt Chriſtus Filius DEI, ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.* Ad Rom. 10. v. 9. *ſi confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitaverit illum à mortuis, ſalvus eris.* Præterea ſymbola Apoſt. Nicenum & S. Athanaſij fuerunt conſcripta, ut Catechumenis & infidelibus in compendio proponeretur, quid credere deberent ad baptiſmum utiliter ſuſcipiendum, in quibus tamen nulla fit planè mentio illius ſpecialis fidei, ſed ſolùm proponuntur aliqui præſtantiores articuli, qui ſpectant ad fidem Dogmaticam. Sicuti remiſſio peccatorum, quæ eſt promiſſio quædam generalis. Demum S. Auguſtinus in Enchir. poſtquam c. 7. docuit, ſalutem fide, ſpe, & charitate aquiri, aſſerit c. 8. *illam fidem eſſe rerum præteritarum præſentium & futurarum; illâ enim credimus, Chriſtum natum, mortuum in Cruce, quod jam præterijt: credimus ſedere ad dexteram Patris, quod nunc eſt: credimus venturum ad judicandum, quod futurum eſt.*

IV. Ex parte voluntatis ſe habent Timor Domini, Spes, Amor Dei, Odium peccati, Propoſitum vitæ emendandæ; ut exprimit Tridentinum Seſſ. 6. c. 6, Timor Domini multùm quidem prodeſt ad juſtificationem, imò ordinariè eſt neceſſarius, abſolutè tamen nec ſervilem, nec filialem requiri, docent Valentia, Suarez, Granadus, & alij, quos refert & ſequitur Oviedo in 1. 2. Tract. 8. Controv. 2. n. 64. poteſt enim Deus immediatè excitare hominem ad generoſiſſimum actum maximè peccatores fideles, imò & infideles, quamvis id rariſſimè apud iſtos contingat, ut inſinuat S. Auguſt. L. de Catechiz rudibus c. 5. Spem theologicam requiri ad juſtificationem docent communiter Theologi ex pluribus Sac. Scripturæ locis. Ut ad Rom. 8. v. 24. *Spe enim Salvi facti ſunt.* Pſal. 34. v. 40. Salvabit eos, qui ſperaverunt in eo. Matth. 9. v. 2. *Confide fidi, remittuntur tibi peccata tua.* Ratio ſumitur ex S. Ambroſio L. 1. de pænit. c. 1. ubi ſic ait: *nemo poteſt agere pænitentiam, niſi qui ſperavit indulgentiam.* Amor alius eſt perfectus, alius imperfectus. Concilium abſtrahit ab utróque, ita ut ad juſtificationem extra Sacramentum requiratur perfectus Amor: in Sacramento ſufficiat imperfectus. Non obſtat, quod ea dilectio verſetur circa Deum, ut fontem omnis juſtitiæ, quod ad dilectionem Concupiſcentiæ pertinere videtur. Nam etiam Deus, ut fons omnis juſtitiæ, terminare poteſt amorem ſuper omnia; ſiquidem eſſe talem fontem eſt in ipſo Deo, & quaſi pro ipſo Deo maxima perfectio. Ergo amari poteſt amore in ipſo ſiſtente, ut contra Vaſq. rectè Arriaga. Odium quoq; peccati abſtrahit à perfecto vel imperfecto. Ita ut odium Attritionis in Sacramento ſufficiat: Contritionis verò extra id requiratur, uti Concilium ſub hac disjunctione intelligunt Card. Bellarminus L. de Juſtif. c. 13. & alij. Propoſitùm denique non peccandi de cætero in attritione & contritione includitur, ſi motivum etiam illius prioris ad omnia peccata ſe extendat. Ideóque non eſt neceſſariò actus diſtinctus ad juſtificationem, quô expreſsè id ametur, licet moraliter fieri nequeat, ut homo attendens ad tempus futurum, & ſeriò de peccato dolens non expreſsè concipiat propoſitum, impoſterum non peccandi. Præter hos actus non requiritur ullus alius.

V. *Doctrina quarta.* Juſtificatio per ſe fit in inſtanti. Ita docent Theologi communiter; quidquid ſecus putet Michaël Bajus ab omnibus rejectus. Ratio eſt, Quia per ſe loquendo juſtifica-

Digitized by Google

tio non includit, niſi ultimam diſpoſitionem, & formam cum ſuis effectibus formalibus, quæ omnia ſimul ſunt in inſtanti, ut docetur in Philoſophia. Dixi per ſe; non enim negaverim, per accidens ratione diſpoſitionum remotarum ordinariè juſticationem fieri in tempore. In illo autem inſtanti obſervatur iſte ordo. In primo inſtanti Naturæ adultis cogitatur ineſſe ultima diſpoſitio ad gratiam: in altero gratiæ infuſio: in ultimo peccati remiſſio. Nam ultima diſpoſitio ad gratiam neceſſariò ſaltem naturâ præcedit infuſionem gratiæ, quæ etiam præcedit remiſſionem peccati; veluti cauſa effectum ſuum formalem.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VI. ERror primus. Non dantur Actus Spei, Charitatis, Pœnitentiæ &c. quæ ad juſtificationis efficientiam prærequirantur. Ita ex communi Sectariorum Gerhardus L. 2. P. 3. fol. 623. ubi rationem dat. Quia ubicunque in Scriptura modus & ratio noſtræ juſtificationis deſcribitur, quantum ad applicationem ſeu inſtrumentum apprehendendi Chriſtum, ibi nominatur fides, nec quiquam aliud. Ergo Actus Spei, Charitatis, Pænitentiæ & aliarum virtutum nihil faciuut ad Juſtificationem; quod idem tradidit Lutherus in cap. 2. ad Gal. ubi ait: *Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, ut juſti ſimus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Idem *fides ſine, & ante charitatem juſtificat.* Hunc Errorem à Tridentino, ut vidimus, damnatum, nimis apertè reijcit Sac. Scriptura diverſis in locis, quorum aliquos jam retulimus. Lubet hic unum & alterum addere, ubi DEUS ſub horum actuum conditione veniam promittit, ut Deutr. 4. ubi cum Moyſes prædixiſſet, quod populus ex terra Sanctâ propter peccata diſpergendus eſſet, poſtea promittens veniam, dicit v. 29. *Cùmque quæſieris ibi Dominum, invenies eum, ſi tamen in toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Similiter Ezechiel. 18. v. 21. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt &c. vita vivet.* Ratio adducta nititur errore ſtatim pluribus refutando; ſcilicet ſolam & unicam fidem habere vim beneficia Chriſti in verbo Evangelij propoſita apprehendendi, & Chriſti juſtitiam ſibi applicandi.

VII. *Error ſecundus eſt.* Fides ſola tanquam inſtrumentum apprehendendi Chriſti juſtitiam juſtificat, & hæc unica ſufficit, ita ut aliud ad juſtificationem noſtram non requiratur, uti eum exponit Tridentinum loco mox citando; alij enim ſenſus hujus propoſitionis: *ſola fides ſufficit*, non reijcit Concilium, ut notant DD. à Walenburch. Tom. 2. fol. 473. Hunc errorem mox ab initio Eccleſiæ exortum & in inferno jam ſepultum excitarunt iterum hujus temporis hæretici ſoli Fidei juſtificationem attribuentes, pro quo multa Sacræ Script. Teſtimonia adducunt. Ex quibus triplex quaſi propugnaculum ædificant ad doctrinam hanc ſuam acerrimè propugnandam. *Primum* conſtruunt ex ijs locis, quæ fidei adſcribunt juſtitiam abſque ulla mentione aliorum operum? quæ utique non fuiſſent tacita, ſi forent neceſſaria, ne homines inani ſpe deciperentur, in ſola fide confiſi; hujuſmodi autem ſunt iſta. Luc. 7. v. 50. *Fides tua te ſalvum fecit*, Marci 16. v. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Joan. 3. v. 36. *qui credit in filium DEI, habet vitam æternam* ad Rom. 3. v. 36. *ipſe juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex fide JESU Chriſti* ad Gal. 3. v. 8. *ex fide juſtificat Gentes DEUS.* & v. 9. *qui ex fide ſunt benedicentur cum fideli Abraham.* *Alterum* erigunt ex ijs locis, quibus univerſim omnibus credentibus juſtitia & ſalus promittitur, quod verum non eſſet, ſi præter fidem alia bona opera requirerentur; hujuſmodi autem ſunt Act. 10. v. 43. *Quicúnque credunt in Chriſtum, accipient remiſſionem peccatorum.* Act. 13. v. 39. *in Chriſto omnis, qui credit, juſtificatur.* Ad Rom. 1. v. 16. *Evangelium virtus DEI omni credenti.* Ad Rom. 3. v. 22. *Juſtitia Dei per fidem JESU Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* *Tertium* ſive ultimum continet ea loca, quæ noſtra opera diſertè excludunt à juſtificatione, & conſequenter ſoli fidei eam adſcribunt, hujuſmodi ſunt Luc. 8. v. 20. *noli timere, crede tantùm, & ſalva eris.* Ad Rom. 3. v. 18. *arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Ibidem c. 4. v. 5. *ei qui non operatur; credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam.* Ad Gal. 2. v. 16. *non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JESU Chriſti* ad Epheſ. 2. v. 8. *gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis* ad Philip. 3. cap. 9. *inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt CHriſti JESU.*

VIII. Propugnaculis hiſce addunt Sectarij aliquot Patres, quos ajunt veluti generoſos Milites pro prædictâ ſua doctrinâ ſtare. 1. eſt Origines, qui in epiſt. ad Rom. c. 3. L. 3. ita ſcribit: *dicit Apoſtolus, ſufficere ſolius fidei juſtificationem, ita ut credens quis tantummòdo juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum.* 2. eſt D. Hilarius c. 8. in Math. *monet*, inquit, *Scribas remiſſum ab homine peccatum; hominem enim tantùm in Chriſto JESU intuebantur, & remiſſum ab eo, quod laxare non poterat, fides enim ſola juſtificat.* 3. Baſilius M. Epiſcopus Cæſarienſis Hom. de humilit. ait: *hæc eſt perfecta & integra gloriatio in DEO, quando nec ab juſtitiam ſuam ſe jactat, ſed novit quidem ſe ipſum vera juſtitia indignum, ſolâ autem fide in CHRISTUM juſtificatum.* 4. Nazianzenus in orat. 26. de moderatione in diſputando: *confitere* inquit, *JESUM Chriſtum, eumq; à morte ad vitam rediſſe crede; juſtitia eſt enim vel ſolùm credere.* 5. eſt Ambroſius qui in 1. ad Corinth. 1. hæc habet: *in Chriſto JESU data eſt gratia, quia hoc inſtitutum eſt à DEO, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere ſolâ fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum.* Idem ad Rom. 3. *Juſtificati ſunt Judæi & Græci gratis, quia nihil operantes neque vicem reddentes ſolâ fide juſtificati ſunt dono DEI.* Rurſus ad Rom. 4. *quomodo Iudæi per opera legis juſtificari ſe putant, juſtificatione Abraham, cum videant Abraham non ex operibus Legis, ſed ſolâ fide juſtificatum. Non ergo opus eſt lege, quando impius per ſolam fidem juſtificatur apud Deum.* 6. eſt Hieronymus in c. 4. ad. Rom. *Impium*, inquit ille, *per ſolam fidem juſtificat DEUS. Et paulo poſt: ſecundùm propoſitum gratiæ DEI, qui propoſuit gratis per ſolam fidem peccata dimittere.* Idem in c. 3. ad Gal. *Abraham credidit DEO &c. ita & nobis ad juſtitiam ſola ſufficit fides; quoniam in lege nemo juſtificatur.* 7. eſt Chriyſoſtomus Hom. de fide & lege: ſic ſcribens: *fidelem abſq; operibus poſſum monſtrare, & vixiſſe, & regnum Cælorum*

vum aſſecutum, nullus ſine fide vitam habuit; latro autem credidit duntaxat, & juſtificatus eſt à miſericordiſſimo DEO. Atq; hic ne dixeris mihi, defuiſſe ei tempus, quo juſtè viveret, & honeſta faceret opera, neque enim de hoc contenderim ego, ſed illud unum aſſeveraverim quod ſola fides per ſe ſalvum fecerit. 8. eſt Leo qui in epiſt. 7. habet: *ſola fides Catholicorum vivificat & ſanctificat.* 9. denique eſt D. Auguſtinus L. 1. contra duas epiſt. Pelagian. ita ſcribens, *quamvislibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit.* Idem in Pſal. 88. *quia ſola fides Chriſti mundat: non credentes in Chriſtum ſoluti ſunt à mundatione.* & L. de ſpirit. & Litt. c. 13. *non juſtificatur homo præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem JESU Chriſti, hoc eſt, non lege operum, ſed lege fidei, non litterâ, ſed ſpiritu, non factorum meritis, ſed gratuitâ gratiâ.* atque ſic arbitrantur Adverſarij propugnacula ſua non ſolùm militibus, ſed etiam tormentis ac armis efficacibus, ſcilcet rationibus, quæ in allatis textibus indicantur, eſſe abunde inſtructa.

IX. Errorem iſtum S. Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. & 9. jure meritiſſimo reijcit, & damnat, licet jam olim, ut diximus, fuerit damnatus, quià ſtant contra ipſum alia loca S. Scripturæ, quæ diſertè negant, ſolam fidem ſine operibus ſufficere ad ſalutem & juſtitiam Math. 7. v. 21. *non omnis, qui mihi dicit Domine Domine, intrabit in regnum Cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, intrabit in regnum Cælorum.* q. d. non omnis, qui credit, intrabit in regnum cœlorum, quia dicere Domine Domine eſt actus fidei juxta Apoſt. 1. ad Corinth. 12. v. 3. *nemo poteſt dicere Dominus JESUS niſi in ſpiritu.* Item Math. 25. v. 17. *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus; eſurivi enim & non dediſtis manducare,* quæ ſententia in extremo juditio proferetur contra credentes, ſed nihil boni facientes, quia contra infideles non inſtituetur tale examen, cum Chriſtus Joannis 3. v. 18. dixerit, *qui non credit, jam judicatus eſt.* 1. ad Corinth. 13. v. 2. *ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* 2. ad Corinth. 14. v. 7. *quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. ad Corinth. 5. v. 10. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum ſive malum.* Si ergo malè geſſit, ſola fides eum non juſtificabit, nec juvabit. Jacobi 2. v. 14. *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis habere dicat, opera autem non habeat, nunquid fides eum ſalvare poterit?* & v. 24. *ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm,* &. v. 26. *ſicuti corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Apocal. 2. v. 13. *Dabo unicuique juxta opera ſua.* Et ibid. c. 22. v. 12. *Ecce merces mea mecum eſt, dare unicuique ſecundùm opera ſua.* Adhæc ex eodem errore plura abſurda ſequuntur. Nam 1. non erit neceſſarius baptiſmus contra expreſſam ſententiam Chriſti Joan. 3. v. 5. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* 2. non erit neceſſarium ignoſcere proximo, qui nos offendit; reclamante Chriſto Matth. 6. v. 14. *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* 3. non erit neceſſaria mandatorum obſervatio, quidquid dicat Chriſtus Math. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* 4. non erit neceſſaria externa fidei profeſſio, quam Apoſtolus requirit. Ad Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* 5. non erit neceſſaria carnis mortificatio, quam toties inculcat Apoſtolus ad Rom. 8. v. 13. *Si ſecundùm carnem vixeritis moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 6. non erit neceſſaria dilectio proximi contra S. Joannem epiſt. 1. c. 2. v. 11. *Qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat.* & c. 3. v. 15. *qui non diligit, manet in morte.* 7. Denique ut alia taceam de quovis flagitioſiſſimo homine v. g. homicida, adultero, meretrice, ſaga &c. dicendum erit: hic eſt Sanctus vir: hæc eſt ſancta mulier, quia credit in Chriſtum, quidquid dicat Apoſtol. ad Gal. 1. v. 21. *qui talia agunt,* regnum DEI non conſequentur.

X. Quid ad hæc hæretici? Duo habent effugia. *Primum* eſt epiſt. S. Jacobi non eſſe Canonicam, cum olim Patres nonnulli de illius authoritate dubitaverint. Sed mirum eſt, quod in hac re tanti faciant quorundam Patrum auctoritatem, quos aliàs tanquam homines mendaces nihili pendunt. Deinde illa dubitatio Patrum non fuit diuturna, ſed tantùm uſque ad Concilium Carthaginenſe; ubi determinatus fuit numerus librorum Canonicorum, & inter eos Epiſtola D. Jacobi, cui decreto omnes Patres humiliter ſe ſubmiſerunt, ut videre eſt apud Bellarm. L. 1. de verbo Dei c. 18. §. 47. circa finem. *Alterum.* bona opera eſſe quidem ad ſalutem neceſſaria, non tamen, ut cauſas juſtitiæ, ſed ut ſigna veræ fidei, quia ubi deſunt opera; ibi non eſt vera fides. Ita molliores hodie paſſim Lutherani & Calviniſtæ illudunt plebi, quam alioquin trahere ad ſe conſueverunt conceſsâ carnis licentiâ; quod certò ſalvandi ſint, quidquid aliàs faciant: jam verò negant, eos habere veram fidem, qui malè vivunt. quomodo hæc duo cohærent? Deinde Sac. Litteræ loc. cit. ſalutem aſcribunt bonis operibus non tantùm, ut ſignis fidei, ſed ut cauſis operantibus ſalutem. 2. Corinth. 4. Et tanquam mercedi. Apoc. 22. cit. Eadem Sac. Scriptura paſſim non minùs aliarum virtutum actibus tribuit vim juſtificandi & remittendi peccata, quàm fidei. Lucæ 7. v. 47. *remittuntur ei peccata, multa quoniam dilexit multum.* Hic quæro, quare Magdalenæ remiſſa ſint peccata multa? an quod multùm crediderit? non negaverim; ſed tamen Chriſtus reſpondit, *quia dilexit multùm.* Apparet ergo, etiam dilectioni tribui, quod Sectarij ſoli fidei aſcribendum contendunt. Ergo non ſolâ fides juſtificat, ſed aliarum etiam virtutum actus idem, quod fides, præſtare ſolent.

XI. Porrò ad Propugnacula Adverſariorum diruenda, omnesque machinas eorum diſſolvendas diligenter advertendum, quæ mens fuerit D. Pauli in epiſt. ad Rom. & Galat. de fide loquentis, ex cujus verbis omnis ferè difficultas hic exſurgit. Cum igitur Apoſtolus Gentiles æque ac Judæos lucrari Chriſto laboraret, Hebræi parùm illum curarunt lege ſuâ cæremoniali gloriantes, quæ à Deo ipſis potiſſimum fuerat data, atque eam obrem Gentiles ad Chriſtum converſos contempſerunt. Viciſſim Gentiles eidem Apoſtolo inſultârunt, tanquam mundi ſapientes, qui ex lumine Naturæ bonum agnoſcebant & faciebant; atque ſe idcirco juſtos ex ſe ac viribus ſuis reputarunt. Utriſque hiſce opponit ſe D. Paulus affirmans neque opera ceremonialia Legis Moſaicæ,

qualia

Digitized by Goo

qualia ſunt circumcidere ſe, mundare ſe per repetitas ſæpius lotiones, Sacrificia offerre pro peccatis &c. neque opera bona moralia Gentilium juſtificare hominem, ſed neceſſariam eſſe ad Juſtificationem Fidem in Chriſtum; cum etiam Abraham aliique Patriarchæ Deo placuerint, & juſtificati fuerint per fidem in Chriſtum; ſiquidem in nullo alio invenire eſt ſalutem, quàm in Chriſto: *nec enim aliud Nomen eſt ſub Cœlo hominibus datum, in quo nos ſalvos fieri oporteat*, ut clarè aſſerit S. Petrus Act. 4. v. 12. Ex quo apparet, duas eſſe Juſtitias; unam operum; alteram fidei, inter quas hæc eſt differentia, quod juſtitiá operum obtineatur per vires naturales & exteriorem obſervantiam Legis Moſaicæ: at verò juſtitia fidei in Chriſtum, proveniat ex fide in Chriſtum & gratia Dei. Ambas iſtas juſtitias indicat Apoſt. ad Rom. 10. v. 3. affirmans de Judæis & Gentilibus: *ignorantes enim juſtitiã Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Videantur DD. à Walenburch Tom 2. fol. 484.

XII. Præclare etiam obſervat D. Auguſtin. L. 1. de bonis operibus c. 4. S. Jacobum Apoſtolum cum timeret, ne forſan aliquis ex epiſt. & doctrina D. Pauli hallucinatus arbitraretur, ſolam fidem juſtificare, ſcripſiſſe epiſtolam ſuam in eum finem ac ſcopum, ut clariſſimè omnibus conſtaret ad juſtificationem opera requiri. Quando igitur D. Paulus negat, opera juſtificare, intelligit opera Legis Moſaicæ & virium naturalium, hoc eſt, quæ fiunt per legem Moſaicam aut vires naturæ abſque fide & gratia Chriſti: viciſſim verò quando S. Jacobus affirmat ad juſtificationem requiri opera, loquitur de operibus Fidei & Gratiæ Chriſti, ſive quæ fiunt ex fide in Chriſtum & gratiâ Dei. Hoc ipſum indicat Auguſtinus L. 83. Quæſt. q. 76. ajens: *Paulus loquitur de operibus, quæ fidem antecedunt: Jacobus verò de operibus, quæ fidem ſequuntur.* Unde evidenter patet, peſſimè hinc inferri ab hæreticis, ſolam fidem juſtificare. Nam quamvis Apoſtolus & Judæorum & Gentilium opera reijciat, non tamen idcirco à juſtificatione univerſim omnia omnino opera arcet, ſed tantùm & ſpeciatim opera cæremonialia Legis & Naturæ, quæ abſque fide in Chriſtum fiunt, & de quibus Judæi & Gentiles vanè gloriabantur; præter iſta autem ſunt adhuc alia opera, quæ ex fide ſequuntur, atque iſtam fidem qualificant, & vivam conſtituunt, quæ idcirco non ſunt neganda, ſed neceſſariò requiruntur.

XIII. Nunc Propugnacula hæreticorum demolienda aggrediamur. Ad 1. quod attinet. Reſpon. 1. inanem eſſe hanc illationem: in quibuſdam Sac. Scripturæ locis, ubi de juſtificatione agitur, nulla fit mentio aliorum operum, ſed tantùm fidei. Ergo ſola fides ſufficit ad juſtificationem. Negamus conſequentiam; quia in alijs locis fit clara mentio aliorum operum; neque Deus uno loco dicit omnia, ſed oportet totam ſcripturam legere, & quod uno loco omiſſum eſt, ex alijs ſupplere. Hâc ergo regulâ generali ad explicationem ſingulorum locorum ſuppoſitâ. *In primo loco* S. Lucæ 7. non agitur de ſalute animæ, ſed corporis; ideo nihil facit ad rem, non enim ſequitur: ad miraculoſam corporis curationem ſola fides ſufficit. Ergo & ſufficiet ad ſalutem animæ. Sed eſto, agi etiã de ſalute animæ; fides illa Chriſto exhibita contritioni & charitati fuit conjuncta, ut bene advertit Tirinus ajens, S. Auguſtinum & Tridentinum inde colligere, non remitti peccata fide nudâ & ſterili, ſed eâ, quæ per charitatem operatur. *In ſecundo* Marci 16. diſtinguimus; ſi crediderit fidè perfectâ, quæ non ſolùm credat, vera eſſe Chriſti documenta, ſed etiam practicè adhibitis medijs exequatur, concedimus; Fide ſolùm ſpeculativâ negamus. *In tertio loco* Joan. itidem diſtinguimus; qui credit fide practica, & media per fidem oſtenſa adhibet, concedimus: aliàs negamus. Eodem modo cæteri loci limitandi ſunt de fide practicâ, & fide conjunctâ vitæ juxta ejuſdem fidei præſcriptum inſtituræ.

XIV Ad 2. Reſpondetur 1. Promiſſiones fidei factas cum conditione tacitâ intelligedas eſſe, nimirum, ſi credens illa media ſalutis exerceat, quæ fides demonſtrat; qualem conditionem ſaltem perſeverantiæ, nec ipſi hæretici negare poſſunt; quid enim, ſi quis fieret Turca, num ſalvaretur propter præcedentem fidem, in quâ fuit baptizatus? utique non; quia requiritur perſeverantia. Math. 10. v. 22. *qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Reſp. 2. Abſtrahendo ab hac conditione ſubintellecta, & promiſſiones abſolutè accipiendo, nomen fidei non ſumendum pro mortuâ, ſed viva; dicitur autem fides viva, quæ bonitate animata bonis operibus inſiſtit: mortua verò, quæ in ſolo intellectu conſiſtens non exit in opera bona; Sicuti ait D. Jacobus. 2. v. 20. *fides ſine operibus mortua eſt*; quomodo autem fides mortua poſſet hominem vivificare? Sic explicatæ promiſſiones conſentiunt cum alijs locis Scripturæ exprimentibus bona opera. Utraque reſponſio poteſt applicari ſingulis locis, ut opus non ſit, ſingillatim demonſtrare.

XV. Ad 3. propugnaculum. Reſpond. citatis locis non excludi Interna bona opera in ſtatu gratiæ cum DEI auxilio perpetrata, ſed tantùm externos ritus & cæremonias Legis Moſaicæ, in quibus Judæi ſuam juſtitiam collocabant. Item opera ſolius Naturæ viribus facta, ex quibus Gentiles juſtos ſe reputabant. Contra utroſque, ut ſuprà diximus, diſputat Paulus, cum oſtendit, veram juſtitiam non conſiſtere, nec in ſolis Naturæ viribus, nec in externis cæremonijs &c. *1. locus Luc. 8.* nihil facit ad rem; quia non agit de ſalute animæ, ſed corporis. Adhæc Chriſtus non fuit exhortatus patrem puellæ ad fidem nudam & ſterilem, ſed conjunctâ vitæ ex fidei directione inſtituendæ, ſicuti non ſolùm intendit corpus ſanare, ſed ſimul etiã animam ſalvare. *2. ad. Rom. 3.* duobus indiget limitationibus; una eſt, ut per fide non intelligatur ſolus aſſenſus intellectûs, ſed etiam voluntas fidei ſubjecta, & ejus præſcripta faciens: altera eſt, ut per opera legis non intelligatur obſervatio mandatorum DEI, ſed externæ ceremoniæ Judaicæ: item opera meræ Naturæ à Gentilibus facta. *In 3. loco ad Rom. 4.* per eum, qui non operatur, intelligitur ille, qui non operatur ex meris Naturæ viribus; item qui non obſervat legem Moſaicam per Chriſtum abolitam, ſed credit vivâ fide & practica, ut recens dictum. Ita D. Auguſt. & alij PP. apud Vaſq. in 1. 2. D. Thomæ. D. 210. c. 8. *In 4. loco ad Galat. 2.* per opera Legis rurſus intelliguntur ritus Judaici, quaſi diceret Apoſtolus: ad quid urgeamus Gentiles ad Chriſtum converſos, ut leges illas cæremoniales obſervent, cum ex ipſis, utpote à Chriſto abolitis, homo non juſtificetur. *In 5. loco ad Ephes. 2.* dicimur *gratis per Chriſtum ſalvari*, intelligendo de prima juſtifica-

Digitized by Google

ſtificatione, quam opera non merentur condignè, ſed tantùm diſpoſitivè, & non ex proprijs viribus, ſed cum auxilio gratiæ actualis, ut pluribus ſupra fuit explicatum: *In 6. Denuq;* ad Philip. 3. *juſtitia mea ex lege* intelligitur conſiſtens in ſolis viribus Naturæ, aut in externis cæremonijs lotionum, abſtinentiæ à certis edulijs &c. Dicere ergo vult. D. Paulus: inveniar juſtus; & non juſtitiâ. meâ, hoc eſt, ex meis viribus Naturæ, aut ex lege, id eſt ſolius legis doctrina abſque fide in Chriſtum & gratia DEI: ſed inveniar juſtus juſtitiâ Chriſtianâ, quæ fundatur in fide Chriſti, & eſt ex DEO ſive divina hujus gratia; ita iterum D. Auguſt. Tom. 10. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli.

XVI. Dicunt Adverſarij, D. Paulum non ſolum loqui de operibus Naturæ et legis Moſaicæ, ſed de lege univerſim, adeoque etiam de morali. Reſpond. Apoſtolum ad Rom. loqui quidem ſubinde de operibus in cummuni, ut apparet ex c. 3. v. 20. vbi ait, *per legen cognitio peccati.* Et ex c. 2. v. 13. ubi dicit, *non auditores legis juſtos eſſe apud Deum, ſed factores legis juſtificatum iri &c.* Nihilominus quando docet, nos juſtificari ſine operibus legis, intelligi potiſſimum opera cæremonialia (quantumvis etiam operibus Naturæ juſtificationem neget.) cujuſmodi opera legis ſunt circumcidere ſe, offerre Sacrificium &c. quippe loquitur de lege oppoſitâ fidei in Chriſtum, quæ non Decalogo aut Legi Naturæ, ſed cæremoniali opponitur, quæ erat figura, ſicuti fides eſt res ipſa figurata; quod ipſum clarius indicat Apoſtolus ad Gal. 5. v. 6. *In Chriſto JESU neq; circumciſio, neq; præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et ad initium capitis illis valdè ſerijs verbis: *ſtate, & nolite iterùm jugo ſervitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Urgent Sectarij ad Rom. 3. v. 31. ait Apoſtolus: *legem ergo deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtatuimus.* Ergo cum lex veteris Teſtamenti ſit antiquata per Chriſtum; utique non ſtatuitur per Paulum. Ergo Apoſtolus non de Lege cæremoniali veteris Teſtamenti, ſed Morali agit. Non apertiùs Prædicantes prodere ignorantiam ſuam potuiſſent. Neſciant iſti ſcioli, Apoſtolum ocurrere hìc objectioni Judæorum, contra ſuperius dicta in hunc modum? Tu Paule juſtificationem Legi Veteri negas; & iſtam Fidei attribuis, atque ſic per fidem deſtruis Legem. Ad quod Paulus reſpondens ait: abſit hoc à nobis procul; imò legem ſtatuimus. Nam lex ſtatuitur ac firmatur, dum res ab ea indicatæ ac promiſſæ per Evangelium (quod Apoſtolus hìc appellat fidem.) fuerunt impletæ; id quod factum eſt per Meſſiam, qui in novo Teſtamento implevit illas, & per hanc impletionem ſtabilivit & roboravit omnia, quæ per vetus Teſtamentum fuerunt præfigurata, ac per diverſos modos prænuntiata. Utitur Apoſtolus græcâ voce *ἱστῶ* hoc eſt: ſtatuo firmo, & eam opponit voci *καταργεῖν*, hoc eſt, diruere, deſtruere, q. d. per Evangelium adeo legem veteris Teſtamenti non deſtruo diruo, ut illam potius ſtabiliam ac roborem; ſiquidem Evangelium eſt approbatio, confirmatio, & conſummatio legis & Prophetarum. Dum autem lex cæremonialis ità fuit impleta, utiq; vim amplius non habet vel obligandi nos, vel ad juſtitiam promovendi. Rectè ergo dixit Paulus, quod legem cæremonialem ſtatuat, quantumvis ſimul ejus opera abijciat, utpote jam ad juſtificationem inutilia abſque fide in Chriſtum. Inſtant, Apoſtolus magnam Dei miſericordiam ac benignitatem erga Judæos & Gentiles extollit, dum utriſque gratias, àtque ex merâ ſuâ miſericordiâ tam fidem, quam gratiam ſuam elargiri cupit tum ad primam juſtificationem, tum ad ſecundam ſeu augmentum gratiæ in prima juſtificatione acceptæ. Ergo indicare per hoc vult, hominem coram Deo abſque ullo opere bono legis divinæ juſtificari. Reſpond. negando conſequentiam, quæ tum alijs Sac. Scripturæ teſtimonijs, tum nominatim D. Paulo & Jacobo adverſatur. Nam D. Paulus à juſtificatione ſola opera cæremonialia & naturalia arcet: Jacobus verò ſola opera ex fide & divina gratia requirit; hæc enim ad utrámque juſtificationem exiguntur, nec in re, ſed in modo ſolùm eſt differentia. Nam in prima juſtificatione opera ſolùm ad juſtificationem diſponunt: in altera verò ſeu augmento gratiæ eadem ſunt etiam meritoria, utpote ex fide & gratia provenientia. Atque hinc eſt, quod ſecunda æque ac prima juſtificatio dicatur gratis, & ex Dei dono fieri; quemadmodum enim gratis juſtificamur primó, ita etiam deinceps evadimus juſtiores, cum fidem & gratiam, vi quorum hæc opera bona exercentur, à Deo gratis accepérimus.

XVII. Demolitis ita propugnaculis, quæ hæretici ex varijs Scripturæ textibus ſibi erexerunt, jam facilè eſt oſtendere, quàm ijdem invitos SS. Patres ad ſe trahant, quaſi inſtar militum fortiſſimorum pro novâ ſuâ doctrina ſtarent, eámque propugnarent. Prius autem, quàm ad ſingulos reſpondeamus; pro omnibus in communi advertendum, vocem *Sola* germanicè Allein in hac propoſitione *ſola fides ſufficit*, multa excludere poſſe; nimirum primò opera, quæ ex ſolo Naturæ lumine proveniunt. 2. opera, quæ ex ſolâ lege Moſaicâ abſque fide & gratia Chriſti fiunt. 3. opera, quæ ex gratia Chriſti & fide proficiſcuntur; quamdiu ergo hæretici non probant, omnia iſta triplicis ſortis opera à juſtificatione arceri, & hoc à Patribus doceri, incaſſum agunt, nihilque penitus evincunt. Jam ad ſingulos procedendo. *Origenes* in cap. 4. ad Rom. Tom. 3. fol. 163. ita ſcribit: *puto, quod prima ſalutis initia, & ipſa fundamenta fidei eſt: profectus verò & augmenta ædificij ſpes eſt: perfectio autem & culmen totius ædificij charitas; & ideo major omnium dicitur charitas.* Ecce antiquus iſte Pater tria recenſet velut neceſſaria ad ædificium Spiritualis, & juſtificati hominis, ſcilicet fidem ſpem & charitatem, fieri ne igitur poteſt, ut ſentiat ſolam fidem ſufficere? cum etiam opera requirat, tum in iſto, tum in alijs locis, nominatim in cantica homil. 1. ubi hæc habet: *dupliciter conſtat ſalus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem.* Quando igitur Origines in c. 3. ad Rom. de juſtificatione latronis agens excludit opera, ſolùm intelligit opera Moſaica & Naturalia, quod haud obſcurè patet ex c. 4. ad Rom. Tom. 3. & fol. cit. ubi ait: *latronem legem antiquam néque in ſuâ crucifixione, néque poſtea obſervaſſe*; unde ex ſententia ejuſdem minimè conijci poteſt, latronem etiam opera fidei, ſpei & charitatis non exercuiſſe; imò apertè affirmat, latronem fuiſſe juſtificatum propter teſtimonium publicum Chriſto DEI filio redditum. *D. Hilarius* etiam per particulam *ſola* non niſi legem Moyſis, de qua loque-

Digitized by Google

batur, excludit, ideóque dixit, lex non juſtificat, ſed ſola fides. Quomodo aliàs cap. 7. in Matthæum dicere poſſet: *Salus Gentium omnis in fide eſt: & præceptis Domini vita univerſorum*; quæ verba vafrè tacent Sectarij. *S. Baſilius* excludit quóque per vocem *ſola* opera, quæ ſunt ſine fide & gratia Dei, ut pluribus oſtendit Bellarm. L. 1. de Juſtif. c. 25. & hanc mentem ſuam ſatis declarat in Serm. de fide, ubi poſtquam docuit neceſſitatem fidei, adjungit etiam neceſſitatem charitatis, idque probat, tùm ex Apoſt. 1. ad Corinth. 13. tum ex ipſo Domino, qui Joannis 15. non ex fide, ſed ex charitate diſcipulos ſuos cognoſcendos eſſe prædixit. S. Gregorius Nazianzenus itidem nobis non adverſatur. Nam credere in Chriſtum, inchoata juſtitia eſt; quia fides eſt initium ſalutis; quemadmodum etiam Theophilactus in c. 3. ad Gall. dixit: *fides ſola habet in ſe juſtificandi virtutem*. Quamvis autem fides ſit diſpoſitio & præparatio ad juſtificationem, adeóque inchoata juſtitia, attamen poſt factam juſtificationem non eſt otioſa, ſed exercet ſe continuò, donec ad claram Dei viſionem in cœlo perveniat. Aut certè utérque Theophilactus & Nazianzenus locuti fuerunt de fide perfecta ac formata. Nam Nazianzenus valde urget opera una cum fide. Orat. 40. de baptiſmo ſcribens: *ſuper hoc dogmatum fundamento bona operà exſtrue; quandoquidem fides ſine operibus mortua eſt, quemadmodùm & opera, ſi fides abſit.*

XVIII. *D. Ambroſius* (ſi tamen is eſt Author commentariorum in Paulum) per vocem *ſolam* non excludit niſi opera cæremonialia Legis Veteris. Nam idem Pater ſic loquitur ad 4. cap. ad Hebr. *magna res eſt fides & ſalutaris, & ſine hac non eſt ſalvari poßibile; ſed ſola fides non ſufficit, operari fidem per dilectionem, neceſſarium eſt, & converſari dignè DEO.* Idem L. 7. in c. 14. Lucæ ſic ſcribit: *nec hoc tamen plenum eſt, ut aliquis vocatus adveniat, niſi veſtem habeat nuptialem, hoc eſt, fidem habeat & charitatem.* S. Hieronymus haud aliud hìc dicit, quàm quod in c. 3. ad Epheſios; per ſolam ſcilicet fidem in Chriſtum dari nobis acceſſum ad Deum, quoniam fides eſt origo & initium juſtitiæ, ſine operibus legis cæremonialis, quæ per legem in Chriſto evacuata ſunt. Hanc ipſam ſuam ſententiam planiùs aperit in c. 4. Oſeæ his verbis: *per dulces ſermones decipiunt infelices; cum enim viderint aliquos deliquentes, ajunt, nihil aliud quærit Deus, niſi fidei veritatem.* Idem L. 1. in Jovinianum ſic ait: *circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum DEI, cum etiam fides, quæ propriè Chriſtianorum eſt, ſi opera non habuerit, mortua eſſe dicatur.* Antiquos hæreticos, quos Hieronymus refutat, imitantur noſtri Sectarij, juſtificationem dulcibus, ſed fallacibus verbis per ſolam fidem promittentes. D. Chryſoſtomus aliud non dicit, quàm ſolam fidem ſine opere externo interdum ad ſalutem ſufficere: opus verò externum ſine internâ fide nunquam ſufficere; ita ſi infans, ſi adultus poſt baptiſmum ſtatim moriantur, ſalvi erunt, etiamſi alia externa opera non faciant. Cæterùm Chryſoſtomus clariſſimè pro noſtra doctrina ſe explicat hom. ſeu Serm. 11. in epiſt. ad Philippenſ. ubi circa medium hæc habet: *vides, quod non ſimpliciter oporteat fidem habere, ſed quæ ſit per opera? nam iſte potiſſimum credit, Chriſtum reſurrexiſſe, qui ſui nullam habet rationem, periculis ſe ipſum tradens, illique in paßionibus communicans.* D. Leo Pontifex eô pronunciatô diſcernit Catholicorum fidem in genere ab hæreticorum fide, in quâ nec Sanctitas, nec ſpes ſalutis promittitur; perinde ut S. Athanaſius dixit in ſymbolo: *quam niſi quiſq; firmiter fideliterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit* &c. Denique S. Auguſt. aliud non docet, ut ſæpe jam hæreticis fuit reſponſum, quàm neminem ſine fide in Chriſtum ſaluari; proinde antiquos Juſtos neque per legem Naturæ, neque per Legem Moyſis, ſed per ipſam Fidem Chriſti eſſe ſaluatos. Idem Pater ubique fidem vivam urget, quæ per charitatem operatur. Unde Tract. 87. in Joan. *charitas ergo, inquit, eſt fructus noſter, quam definit Apoſtolus de corde puro & conſcientia bona & fide non fictâ, hâc diligimus invicem, hâc diligimus Deum.* Et infra. *quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? quis ſalubriter fidelis, niſi eâ fide, quæ per dilectionem operatur?* Adducunt hæretici nominatim Hailbrunner pag. 19. ſui novi Papatûs Georgium Caſſandrum præſtantem, ut ajunt Theologum Pontificium. Sed planè anſerem addunt oloribus. Nam bilinguis Caſſander minimè fuit Theologus Pontificius, ſed Luthero ejuſque effrænæ hæreſi magis, quàm Papæ ac bonis operibus addictus.

XIX. *Ex hactenus dictis clarisſimè apparet 1.* Tam S. Scripturam, quàm Patres alieniſſimos eſſe à juſtificatione hæreticorum per ſolam fidem. Quando igitur ex his Patribus & Doctoribus unus vel alter juſtificationem ſoli fidei adſcribit, mens illorum nòn eſt, ſolam fidem ſufficere, quantumvis operibus nudam, ſed dum juſtificationis fundamentum & radicem nominant, apprehendunt ſimul in ea cætera requiſita Spem ſcilicet, Charitatem, Pænitentiam &c. Aut ſolùm arcent à Juſtificatione opera Legis Moſaicæ & Naturæ ſine fide Chriſti & Gratia ejuſdem, ut conformiter D. Paulo & Judæos & Gentiles ſic compeſcant. Aut etiam excludunt omnes falſas ſectas, uti ſolemus dicere, ſolam fidem Catholicam ſalvare, non quod Beatitudinem afferat ſine charitate, ſed quod ſola fides catholica ſaluet, non Ariana, non Lutherana, non alia quæcunque; attamen cætera, quæ ad fidem neceſſaria ſunt, minimè arcent.

XX. Dicunt ſectarij & nominatim Meno Hanneken in ſuo Irenico fol. 46. falſum eſſe à Patribus adductis ea ſolum opera excludi à juſtificatione, quæ fidem præcedunt; tum quia loquuntur de operibus Legis in communi, tum quia teſtantur de peccatrice Luc. 7. etiam bona opera poſt fidem & juſtificationem facta ab opere juſtificationis & ſalutis fuiſſe excluſa. Reſpond. negando Antecedens; aut proferant Adverſarij vel unum ex omnibus Patribus ac Doctoribus Pontificijs, qui hoc clarè affimet: Ad 1. negamus, illos loqui de legè in communi. Nam Patres & Doctores inſiſtunt S. Paulo, de quo ſupra diximus, non loqui illum de lege in communi, quando de juſtificatione contra Judæos & Gentiles diſputat. Ad. 2. negamus iterum, teſtari Patres in juſtificatione mulieris peccatricis arceri bona opera, & ſolam fidem habere locum. Audiamus S. Ambroſium à quô utique ſinent ſe inſtrui Adverſarij. Iſte Lib. de Iſaac & Anima Tom. 4. p. 224. hæc habet: *anima noſtra induat charitatem & charitatē hujuſmodi, quæ ſit valida ut mors quia ſicut mors, finis peccatorum eſt, ita & charitas; quoniam, qui diligit Dominum, peccare deſinit.* Et paulò poſt; *eſt & mors illa* (charitas) *valida ad lavacrum, per quod peccatum omne ſepelitur,*

& culpa

& culpa dimittitur, talis erat charitas, quam deſerebat mulier illa, dequa Dominus ait: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Advertant Sectarij, quid iſte S. Pater hîc doceat, nempe primò. Evangelicam illam fæminam peccatricem attuliſſe ſecum charitatem. Secundò. ad charitatem ſecutam fuiſſe peccatorum Veniam. tertiò peccata remiſſa fuiſſe propter charitatem. Ergo prædicta fæmina fuit juſtificata per amorem. Ergo non ſola fides juſtificat. Ergo alia opera præter fidem à juſtificatione non excluduntur. In eundem modum ſcribunt alij Patres, qui etiam apud Bellarminum videri poſſunt.

XXI Iſtant, Patres loqui etiam de operibus, quæ Abraham aliquot annis poſt ſuam converſionem exercuit, quo tempore utique fuit fidelis & juſtus per fidem. Reſpond. verum eſſe, quod Abraham pridem ante fuerit juſtus; quippe fuit primò juſtificatus, cum è patrio ſolo egreſſus promiſſis DEI credidit fide non nudâ, ſed operibus ſpei, obedientiæ, & charitatis veſtitâ. Ex hoc autem, quod jam ante fuerit juſtus, aliud non infertur, quàm quod D. Paulus, ut probaret, nullum juſtificari per mera naturalia, aut ceremonialia opera ſine fide; aut gratia Chriſti, arguat à majore ad minus in hunc modũ. Si Abraham, quantumvis antea jam juſtus per uſum liberi arbitrij, ſive merè naturalibus aut cæremonialibus operibus cum augmento juſtitiæ non fuit juſtificatus, multò minùs peccatores per illa juſtificabuntur cum acquiſitione primæ juſtificantis gratiæ. Antecedens eſt verum, & probatur ab Apoſt. ex cap. 15. Geneſ. Ergo & Conſequens verum eſt. Quapropter loquitur quidem Paulus de Abrahamo jam juſtificato: & negat, illum accepiſſe augmentum juſtitiæ ex operibus, verùm agit ſolùm de Cæremonialibus, aut ex viribus ſolius Naturæ factis operibus ſine fide & gratia Chriſti; unde loquitur ſolùm conditionatè ſeu hypotheticè ad Rom. 4. v. 3. ajens: *Abraham credidit DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Atque hic fuit principalis ſcopus totius epiſtolæ ad Rom. & Gal. & ſemper atque conſtanter Apoſtolus juſtificationi per meritum operum oppoſuit juſtificationem per fidem & gratiam Chriſti, éſtque unum idémque apud illum *juſtificari per merita operum: ac juſtificari per opera Naturæ aut Legis Moſaicæ ſine fide & gratia Chriſti*; juxta quem ſenſum rectè dicitur per opera nos non juſtificari, ſive loquamur de prima juſtificatione, de qua præcipuè agit Paulus, ſive de ſecunda, de quâ Paulus per exemplum Abrahami ad Rom. 4. cit. ad primam juſtificationem de majore ad minus argumentatur. Fides autem illa reputata eſt ad juſtitiam, quâ Abraham reverâ juſtificatus fuit; DEUS enim nemini imputat juſtitiam, nec ullum reputat juſtum, niſi reipsâ talis ſit, vel talis fiat, cum judicium DEI ſit ſecundùm veritatem Rom. 2. v. 2. Videantur Cornelius à Lapide & Tirinus in cit. locum ad Rom. Item DD. de Walenburch Tom. 4. fol. 487. Coſterus de Juſtificatione &c.

XXII. *Apparet 2.* quid ſit apud Apoſtolum ad Rom. 3. v. 27. *Lex Factorum: & Lex Fidei.* Nam S. Paulus Legem Factorum vocat Legem veterem, quæ multa facienda præſcribebat, ſed gratiam, quâ ſola poteſt homo illa omnia implere, & ad veram juſtitiam devenire, non concedebat: Legem Fidei autem appellat novam legem Chriſti & Evangelium, quæ & jubet, & ſimul gratiam affert, quâ, quæcunque præcipiuntur, facilè exequamur. Ita S. Auguſtinus Lib. de Spirit. & Litt. c. 13. & alij P P. Unde per Legem Fidei nunquam arcet Apoſtolus opera ex fide & gratia Chriſti facta, quaſi hæc non ſint utilia aut neceſſaria ad juſtitiam aquirendam, augendam, faciendam &c. uti fingunt hæretici, ſed ſola opera Legis antiquæ facta ſine fide & gratia Chriſti, ut conſtat ex toto contextu Epiſtolæ.

XXIII. *Apparet 3.* quid interſit *inter Juſtitiam Legis: & Juſtitiam in Lege.* Nam Juſtitia Legis ſunt opera juſta, quæ lex facienda præſcribit: Juſtitia ex lege, ſive in lege ſunt illa opera, quæ homines faciunt ſine gratia fidei, ſolâ cognitione legis adjuti. Priorem juſtitiam Apoſtolus nunquam reijcit tanquam inutilem; quomodo enim aliàs ad Rom. 2. v. 13. dixiſſet, *factores legis juſtificatum iri.* At bene poſteriorem veluti inutilem reijcit, & opponit juſtitiæ fidei, hoc eſt, operibus bonis, quæ fiunt ex gratia & fide in Chriſtum.

XXIV. *Apparet 4.* quid intelligat Apoſtolus per Opera, cum ait ad Rom. 3. v. 28. *hominem ſine operibus juſtificari*; nempe intelligit obſervantiam Legalium cæremoniarum Circumciſionis, Sabbati, Nëomæniarum &c. Item Opera, quæ fidem præcedunt, quæque ſolis liberi arbitrij viribus fiunt; hæc enim vel maximè fidei opponuntur, & à juſtificatione excluduntur. Videri poteſt Bellarm. L. 1. de Juſtif. c. 19.

XXV. *Apparet 5.* quomodo ab Apoſtolo ad Rom. 3. v. 24. dicamur *juſtificati gratis per gratiam Chriſti.* Nam juſtificatio dicitur gratuita; non quod ſolâ fide fiat, ut ſibi malè imaginantur hæretici, ſed quod non mereamur illam per illa opera, ſive ipſius fidei, ſive quæ fidem præcedunt, ut conſtat ex Trident. Seſſ. 6. c. 8.

XXVI. *Apparet denique clariſſimè 6.* quàm immane crimen falſi commiſerit Lutherus, dum in ſuis Biblijs Germanicis illud ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis*, ita vertit Germanicè: Allein durch den Glauben / dolosè intrudens vocem: *ſolam*, quam Apoſtolus non habet. Conantur Prædicantes hanc fraudem Lutheri varijs coloribus oblinire, ut videre eſt apud Gerhard. L. 2. P. 3. fol. 666. Menonem Hanneken in Irenico ſuo fol. 36. & alios. Dicunt igitur *primò* in re idem eſſe, fidem ſine operibur, & fidem ſolam; Lutherum non verba, ſed ſenſum ſpectaſſe. Sed hæc excuſatio falſum aſſumit, eſſe ſcil. eundem ſenſum harum propoſitionũ; *fides ſine operibus.* Et: *ſola fides juſtificat*; prior non excludit omnia ſimpliciter opera bona, ſed tantùm ceremonias Legis Moſaicæ: poſterior verò excludit omnia. Dicunt *ſecundò.* licet Apoſtolus non addiderit hoc loco vocem *ſola*, tamen alijs locis expreſſit, ſcilicet ad Gal. 2. v. 16. *non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem.* ubi particula *niſi* idem ſignificat, quod *ſolùm, tantùm*, vel Catholicorum juditio, ut videre eſt in horum Biblijs tam Germanicis per Joannem Dietenberger verſis, quàm Italicis Venetijs impreſſis. Hæc quóque excuſatio non juvat; quia non eſt idem ſenſus harum propoſitionum; *homo juſtificatur per ſolam fidem.* Et: *homo non juſtificatur niſi per fidem*; poſterior enim ſignificat, nunquam ſine fide obtineri juſtitiam, quamvis alia plura requirantur: prior autem ſignificat, nihil aliud præter fidem eſſe neneceſſarium, quæ ſunt longè diverſa; quemadmodum ſi dicerem, mare non poteſt tranſiri, niſi tantùm navibus, non vellem dicere, ſolas naves

Digitized by Google

ſufficere ſine ventis, remis, velis, nautis: ſed ſine navibus tranſiri non poſſe, nec curribus, nec equis, nec natatione &c. Dicunt *tertiò*, etiamſi nunquam in textu inveniretur particula *ſola*, potuiſſe tamen explicationis gratiâ adjungi ab interprete, id quod exemplis Latinorum & Græcorum Interpretum oſtendunt. Nec tertia iſta excuſatio ſublevat. Tum quia quando Græci & Latini Interpretes textui hebraico addiderunt vocem *ſola*, non eſt immutatus ſenſus, nec aliquis inde error naſci potuit, ſicut ex hac additione Lutheri circa juſtificationem per ſolam fidem gravis error emerſit. Tum quia veteres illi Interpretes habuerunt textum hebraicum emendatiorem, quàm nunc ſit, & fortè in illo reperunt vocem *ſola*. Dicunt *quartò*. Confluentiæ in Collegio PP. Societatis JESU extare antiqua Biblia, in quibus hæc vox *Sola* rereperiatur ad locum Apoſtoli ad Roman. 3. v. 28. cit. Sed ſe & nos fallunt. Nam teſtatur Nicolaus Schaten in Lib. cujus tit. Carolus M. fol. 533. ſe excuſſiſſe iſtic omnes Bibliorum Codices, & in nullo textu reperiſſe hanc vocem *Sola*. Quare primi & ſolius Hæreſiarchæ Lutheri eſt hoc additamentum ſacrilegum & immane crimen falſi, quo hæreſis ſuæ principio intendit in Eccleſia ſúſque déque vertere omnia. Certè nihil iſto ad omnem vitæ licentiam, diſſolutionémque Chriſtianæ diſciplinæ pernicioſius ipſe diabolus excogitare potuiſſet; ut rectè prædictum iſtud principium non tam faſcinum dementiæ, quàm myſterium iniquitatis dixeris.

CONTROVERS. LIV.

DE CAUSIS JUSTIFICAtionis.

A Diſpoſitionibus progredimur ad Cauſas Juſtificationis. De quibus Scholaſtici aliquas ſubtiles movent quæſtiones, quibus miſſis ea ſolùm, quæ fori noſtri ſunt, tractabimus. Videri poteſt Diſputatio méa theologica de Juſtificatione Impij Friburgi Briſgoiæ 1659. impreſſa.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Cauſa Formalis Juſtificationis noſtræ eſt Gratia Sanctificans, quæ eſt Juſtitia DEI, non quâ ipſe DEUS juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit. Ita definit Trident. Seſſ. 6. c. 7. his verbis: *unica cauſa formalis eſt juſtitia DEI, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes &c.* Cæterùm quomodo ſe habeat iſta gratia Sanctificans, diximus ſupra Contrv. LI.

II. *Doctrina ſecunda.* Cauſa Finalis ejuſdem Juſtificationis noſtræ eſt inprimis gloria DEI: deinde gloria Chriſti: demum ſuprema noſtra beatitudo. Prima pars conſtat ex illo Prov. 16. v. 4. *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Altera ex illo Coloſſ. 1. v. 15. ubi Chriſtus vocatur Primogenitus omnis creaturæ. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, ſive viſibilia ſive inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus ſive poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes* (ſcilicet ſecundùm DEI intentionem.) *omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens*, nempe ut ipſorum Finis. Tertia pars patet ex illo Rom. 6. v. 22. *Nunc verò liberati à peccato* (hoc eſt per gratiam ſanctificantem.) *ſervi autem facti DEO habetis fructum veſtrum in ſanctificationem; finem verò* (veſtræ Sanctificationis.) *vitam æternam.* Triplex hoc menbrum definit etiam Trident. Concilium apertis verbis loc cit.

III. *Doctrina tertia.* Cauſa Iuſtificationis Efficiens principalis eſt Deus: Moralis verò ſeu meritoria ejuſdē noſtræ juſtificationis eſt Chriſtus. Ita itidem expreſſè definit Trident. loco recèns allegato. Et univerſim de omnibus gratiæ donis traditur Ephes. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto &c. in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus.*

IV. *Doctrina quarta.* Cauſa Efficiens principalis gratiæ juſtificantis eſt ſolus DEUS. Ita cum S. Thoma q. 112. a. 1. communiter Theologi. Probatur 1. ex Scriptura, quæ juſtificationem per gratiam fieri ſolitam uni DEO attribuit. Job 14. v. 4. *quis poterit facere mundum de immundo conceptum ſemine, none tu, qui ſolus es?* & ad Rom. 8. v. 33. *DEUS qui juſtificat &c.* Probatur 2. ex Tridentino, quod quandocunque loquitur de ea gratia ſanctificante, ſemper inſinuat, *eam à DEO produci, infundi*; quod haud dubiè non ſolùm denotat cauſalitatem generalem, quam DEUS habet in omnes alias res, ſed & proprium DEI influxum in eam gratiam. Probatur 3. ratione; quia non debemus vim productivam tam præſtantis entitatis tribuere ulli rei creatæ ſine fundamento, quale in præſenti nullum eſt reſpectu gratiæ; maximè cum producere in altero formam, quæ exitat amicitiam, ſolùm ad illum ſpectare videatur, qui in amicitiam acceptat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

V. *Error primus.* Fidem juſtificantem differre à fide Hiſtorica & Miraculorum. Ita Gerhard, L. 2. P. 3. à fol. 591. Meno Hanneken in ſuo Irenico à. fol. 11. & communiter alij Sectarij, diſtinguentes, ut ſupra jam vidimus, triplicem Fidem; unam Hiſtoricam, quâ credimus, vera eſſe, quæ narrantur in Scripturis: Alteram, quâ credimus, nihil eſſe, quod à DEO fieri non poſſit: Tertiam Promiſſionum, quâ credimus veras eſſe promiſſiones DEI, de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti. Addunt, nos nec primâ nec ſecundâ, ſed ſolùm tertiâ juſtificari, quam iterum ſubdividunt in generalem, quâ generatim credimus, promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum, aut ſingularem benevolen-

tiam

Digitized by Google

tiam ijs omnibus, qui in Chriſtum credunt: alteram ſpecialem, quâ unuſquiſque in particulari promiſſionem ſibi applicat, credendo, omnia peccata ſibi remiſſa eſſe, aut Deum erga ſe peculiariter benevolum extitiſſe; atque hanc ſpecialem Fidem ajunt eſſe illam, quâ propriè juſtificamur.

VI. Errorem hunc expreſsè reijcit S. Script. ad Ephes. 4. v. 5. affirmans, *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* Unde de hac triplici fide ſic pronunciavit Maldonatus in c. 9. Matth. *iſta triplex fides, quam iſti nuper invenerunt, figmentum eſt, ſomnium eſt, portentum eſt, chymera eſt. Si unam haberent fidem, omnem haberent, quia triplicem habent, nullam habent.* rectiſſimè. Tum quia fides illa ſpecialis abſque ullo fundamento fingitur, ut mox videbimus. Tum quia falſum eſt, fidem miraculorum non juſtificare, Certè fides illa, de quâ loquitur Chriſtus Marci 16. v. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit,* fides juſtificans eſt, & tamen eſt fides miraculorum, ut patet ex verbis ſequentibus: *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient &c.* Tum quia falſum quoque eſt, fidem hiſtoricam non juſtificare; an non fides hiſtorica eſt, Chriſtum eſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, reſurexiſſe à mortuis, & ad Cœlos aſcendiſſe? nemo dubitat; & tamen eadem illa fides juſtificans eſt, ut patet ex Symbolo fidei, & ex Script. ad Rom. 10. v. 9. *ſi in corde tuo credideris, quod DEUS illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* 1. ad Corinth. 15. v. 1. *notum facio vobis Evangelium, per quod ſalvamini, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die &c.*

VII. *Error ſecundus.* Cauſa Formalis juſtificans peccatores eſt Juſtitia Chriſti, quam velut manu apprehendimus per fidem ſpecialem, credendo per merita Chriſti, remiſſa nobis eſſe peccata, & ſic efficiendo, ut juſtitia Chriſti gratuita nobis imputetur, & velut noſtra reputetur nos juſtificans. Ita quoad rem Lutherani apud Gerhard. L. 2. P. 3. fol. 509. & Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 4. à fol. 131. quamvis quoad modum explicandi differant; quod Lutherani illam fidem ſpecialem conſtituant in quadam Fiducia, quæ eſt actus voluntatis: Calviniſtæ verò ponant in quadam firmâ & certa cognitionæ divinæ erga nos Benevolentiæ gratuitæ. Priores explicant ſimilitudine manûs. Nam, ut ait Melanchthon. in loc. com. tit. de bonis operibus. Sicut manus pauperis apprehendit eleëmoſinam à Divite porrectam, ita fides peccatoris apprehendit Juſtitiam Chriſti à DEO Patre oblatam. Poſteriores utuntur ſimilitudine ollæ. Nam ſicuti olla continet in ſe Theſaurū, & hâc ratione hominē locupletat, ita fides comprehendit juſtitiā Chriſti, & hominē juſtificat, ut ait Calvinus l. 3. Iuſtit. c. 3. §. 7. his verbis: *fides etiamſi nullius per ſe dignitatis ſit vel pretij, juſtificat nos Chriſtum adferendo, ſicut olla pecunijs referta hominem locupletat.* Calvini autem Sectatores volunt, fide comprehendere tam aſſenſum intellectûs, quàm fiduciam voluntatis, ut patet ex catechiſmo Haidelbergenſi & alijs. Ecce fidem pulchram Sectariorum; ſcilicet ollam fictilem, & ſcabioſam manum pauperis! Probant hiſce ferè argumentis. 1. *Gratiâ ſuâ nos gratis ſibi acceptos fecit in ſuo Dilecto* ad Ephes. 1. v. 6. 2. Fides facit, ut ſubſiſtant, quæ ſperantur ad Hebr. 11. v. 1. Ergo eſt fiducia, ſicuti etiam apparet ex ejuſdem vocis uſu. 3. Multa ſunt loca S. Scripturæ ubi ſenſus non poteſt ſubſiſtere, niſi per fidem intelligatur fiducia. 4. Fides non juſtificat nos 1. ut reſpicit in verbo DEI rerum geſtarum hiſtorias, aut comminationes pænarum, aut præcepta operum faciendorum, ſed ſolummodo ut reſpiciens promiſſionem gratiæ; nullum autem ſingularem reſpectum habemus ad promiſſiones ſupra cætera, niſi fiduciæ. Ergo hæc eſt, quæ juſtificat. 5. Si una tantùm ſit fides, eaque quovis reſpectu juſtificet, ſequitur, fidem hiſtoriæ de Tobiâ, ejuſque cane, eodem modo juſtificare, quò fides gratiæ in Chriſto promiſſæ &c. hujuſmodi autem dogmata non tam refutanda, quàm deteſtanda ſunt.

VIII. Error iſte novus eſt, & valde affinis errori Oſiandri, qui docuit, Deum nullam juſtitiam ut ſufficientem acceptare, niſi ſuam eſſentialem, adeoque nec juſtitiam Chriſti Hominis, quæ creata eſt, probavitque figmentum ſuum ex Scriptura allegando illud. 2. Petri. 1. v. 4. *efficiamini divinæ conſortes Naturæ*; unde intulit, hominem poſſe juſtitiam DEI eſſentialem accipere, ratus æquè fieri poſſe, ut homo per actum fidei apprehendat, ſibique uniat juſtitiam DEI eſſentialem, ac Juſtitiam Chriſti creatam; quæ tamen opinio meritò omnibus hæreticis cæteris diſplicet, adeo ut Calvinus L. 3. Inſtit. cap. 11. §. 5. ſcribat: *Oſiander monſtrum, neſcio quod, eſſentialis juſtitiæ invexit, ſcilicet ut homo formaliter per ipſam DEI juſtiam increatam ſit juſtus.* Quare etiamſi ſola fides juſtificaret (quod tamen jam negavimus.) nihilominus huic actui fidei ſpecialis vis juſtificandi concedi non poſſet.

IX. *Primò.* Quia hæc fiducia ſeu ſpecialis fides nullum habet fundamentum in S. Scriptura. Nuſquam enim dicitur, per talem actum juſtificari hominem, ſed longè alia fidei juſtificantis objecta proponuntur. v. g. Genes. 15. v. 16. *credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Quid tunc credidit Abraham? an ſibi remiſſa eſſe peccata? minimè; nulla illorum ſit mentio, ſed quod habiturus ſit hæredem, & ex illo copioſam propagationem, ſicut illi promiſerat Deus. Et Apoſtolus ad Coloſſ. c. 2. v. 2. ita fidem depingit: *in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem myſterij DEI & Patris Chriſti JESU.* Ecce plenitudo fidei attingit intellectum, ita ut fiducia ſolùm ſit fructus fidei. *Secundò.* Quia ut aliquid credatur fide divinâ, oportet illud vel expreſsè à DEO eſſe revelatum, vel ſaltem implicitè. Atqui non eſt revelatum expreſsè, Lutherum vel Calvinum eſſe in gratia, ut per ſe patet: neque incluſum in revelatis; licet enim revelata ſit hæc propoſitio univerſalis: *omnes qui ritè & debitè baptizantur, ex toto corde ad Deum convertuntur, Deum amant, pænitentiam agunt &c. peccatorum veniam aquirunt, ac juſtificantur.* At Minor, nempe Lutherus aut Calvinus hæc rectè facit, nullibi eſt ullo modo revelata. Ergo credere non poſſunt ſe juſtificatos, peccatorum veniam aquiſiviſſe &c. *Tertiò.* Rom. 8. v. 9 &. 1. ad Corinth. 15. v. 49. juſti ſunt conformes imagini Chriſti, & portant imaginem Chriſti. Iſte autem non eſt juſtus per imputationem juſtitiæ extrinſecæ, increatæ, & eſſentialis DEI &c. Ergo etiam nos habere debemus juſtitiam intrinſecam. veram, propriam inhærentem. Concedit. Ameſius fol. 117. concluſionem

cluſionem; at, ait, quia homo exemplar ſuum non exæquat, idcirco gratioſam requirit juſtitiæ imputationem, ut fundamentum tam donationis, quàm acceptationis coram DEO. Sed abſque ullo fundamento hoc aſſerit. Nunquid pari jure vel injuriâ poſſet aliquis Oſiandri Sectator explodere etiam Chriſti juſtitiam humanam, ac dicere, eam non adæquare ſuum prototypon divinum, ideóque debere illius defectum per hujus plenitudinis imputationem ſuppleri? eadem ſanè proportionaliter utrobique æqualis eſt ratio, ut conſideranti patebit. *Quartò.* Si actus illi fiduciæ ſemper & infallibiliter juſtificant, ſequitur omnes, qui illos eliciunt, ſemper & infallibiliter fieri juſtos. Atqui Calviniſtæ æquè ac Lutherani jactant ſe de hujuſmodi actibus elicitis. Ergo & hi & illi erunt juſti. Cur ergo ſe invicem tanquam hæreticos accuſant ac damnant? Non obeſt, quod utriq; alijs laborent erroribus; quia iſti omnes tolluntur; & per fiduciam illam vel fiunt juſti, & concludit optimè argumentum: vel non fiunt. Ergo ſola fiducia non juſtificat.

X. Reſpond. *adprimum in* oppoſitum. *Gratiâ ſuâ nos gratis ſibi acceptos fecit in Dilecto, id eſt Chriſto* Eph. 1. cit. & Verbum græcum ἐχαρίτωσεν ſignificare internè gratioſos, & formoſos facere; unde Interpretes in hunc locum communiter docent, per gratiæ Sanctificantis infuſionem nos gratioſos fieri, & quidem in Dilecto, id eſt, Chriſto nos debere, quod nō ſolùm à peccatis ſimus liberati, ſed etiam Amici Dei effecti. Hanc ipſam declarationē dat D. Chryſoſtomus doctrinæ Paulinæ, & textûs græci ſcientiſſimus. Et quis hujus expoſitioni non plus credat, quàm vaniſſimis gloſſatoribus hæreticis? *Ad ſecundum* diſtinguendo Antecedens. Fides facit, ut ea, quæ ſperamus & nondum exiſtunt in ſubſtantia ſeu à parte rei, ſubſiſtant in anima & intentionaliter, concedo Antecedens. Facit ut ſubſiſtant, id eſt, certò expectemus ea, quæ ſperamus, ſcilicet promiſſam Miſericordiam Reſurrectionem, Gloriam &c. negatur Antecedens. & Conſequentia; priori modo ſumunt vocem ὑπόστασις S. Chryſoſtomus cæterique Græci, qui optimè norunt illius vocis vim. *Ad tertium.* licet aliqui Catholici Doctores contendant, fidem in Script. nunquam ſumi pro fiducia: alij verò concedant, id ſubinde fieri, omnes tamen unanimi conſenſu negant, fidem juſtificantem eſſe illam fiduciam, ob argumenta tum hac, tum priori controverſiâ adducta. Hoc concedimus, fiduciam eſſe conjunctam fidei, ut manifeſtè apparet in Abraham; in quem modum explicari poſſunt plura exempla, quæ Gerhardus ex Sac. Scriptura affert. *Ad quartum.* abſolutè quidem & completè non diſponere ad juſtificationem, niſi fidem, quæ per dilectionem operatur; ſiquidem *omnis, qui non diligit, manet in morte* Joan. 1. c. 3. v. 14. inchoatè tamen, & incompletè ad juſtificationem diſponere fidem tum hiſtoricam v. g. mortis Chriſti, quia facilè avocat à peccatis, & ad ſpem erigit illa dilectio Chriſti erga genus humanum, tum comminationis pænarum ob ſimilem rationem, tum reſpicientem præcepta & leges operum faciendorum, quia excitat propoſitum bene agendi ſine quo nemo juſtificatur. De reliquo fidei juſtificantis munus eſſe reddere ſingulos abſolutè certos de remiſſione peccatorum, nimis falſum atq; hæreticum eſt, ut abunde conſtat ex dictis. *Ad quintum.* ſequelam hanc eſſe prorſus ſtramineam, cum nulli Catholicorum non conſtet, fidem explicitam non eſſe neceſſariam ad juſtificationem de Tobiæ cane, & innumeris ſimilibus, quæ non ſunt revelata, ut ſingulis innoteſcant, & explicitè credantur. Sed tamen, quia revelata ſunt ab omnibus fidelibus, ſaltem implicitè credi ea oportet. Cætera S. Scripturæ & Patrum teſtimonia, quæ hæretici pro ſe allegant, loquuntur vel de revelatione aſſiſtentiæ Chriſti generaliter in Eccleſia, vel de aliquâ certitudine Morali ex operibus accepta, ut ex Scholaſticis etiam oſtendit Arriaga Tom. 4. D. 49. de gratia à n. 4. qualis certitudo moralis non tollit, aut impedit orationem, Sacramenta, & alia pia opera, ut facit actus fidei, quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, ut mox in ſequenti Controverſ. dicemus. Videri poteſt Becanus in Manuali à fol. 429.

CONTROVERS. LV.

DE CERTITUDINE JUSTIficationis.

Mirè blandiuntur ſibi hæretici, quaſi certi eſſent de peccatis ſibi remiſſis, & inſultant Catholicis tanquam de ſuâ juſtificatione anxiè fluctuantibus. Pro rei igitur declaratione ſupponimus. Certitudinem eſſe firmitatem quandam, & immutabilitatem veritatis, eámque eſſe triplicem. 1. eſt Objectiva, quæ eſt connexio neceſſaria terminorum, ſive ſecundùm ſe, ut homo eſt rationalis, ſive ut ſubſunt principio infallibili, ut canis Tobiæ movit caudam ex hypotheſi, quod Deus revelaverit. 2. Formalis ſeu Cognitionis, quæ eſt neceſſaria veritas actûs ex certitudine objecti orta. 3. eſt Cognoſcentis, firma ſcilicet adhæſio intellectûs alicui objecto. Porro quædam certitudo eſt evidens, earum ſcilicet rerum, quæ aliquo modo videntur, ut principia prima rerum, concluſiones deductæ, res ſenſibus corporis perceptæ, quæ ultima etiam dicitur certitudo experientiæ; non eſſe autem certitudinem idem formaliter cum evidentia conſtat ex ſeparatione harum proprietatum; etenim in actu fidei divinæ reperitur ſumma certitudo cum obſcuritate veritatis, quantumvis cum evidentia credibilitatis. Demum objecti & cognitionis ſolet triplex aſſignari certitudo. Nimirum. 1. Moralis, quæ habetur ex motivis abſolutè quidem fallibilibus, moraliter tamen infallibilibus. 2. Phyſica, quæ naturaliter eſt infallibilis, miraculo tamen fallere poteſt, ſicut ignis in fornace Babilonicâ non uſſit tres pueros, licet abſque miraculo ex naturâ ſuâ id feciſſet. 3. Metaphyſica, quæ habetur ex objecto, quod nec divinitus aliter eſſe poteſt, ut certitudo de homine, quod ſit rationalis &c. his ſuppoſitis.

PARS

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Juſtificatus citra ſpecialem DEI revelationem non poteſt certitudine fidei ſcire, ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Traditur hæc veritas Catholica in S. Scriptura Prov. 20. v. 9. *quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* At ſi quivis fidelis fide divinâ credere debeat, ſibi peccata eſſe dimiſſa, omnes poſſunt affirmare illud, quod Scriptura negat. Eccleſiaſtæ 9. v. 1. & 2. *ſunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu DEI, & tamen neſcit* (ſcilicet juſtus.) *utrum odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſervantur incerta, eò quod omnia eveniant juſto atq; ac impio.* 1. ad Corinth. 4. v. 4. *neque me ipſum judico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me Dominus eſt.* Ad Philip. 2. v. 12. *cum metu & tremore ſalutem veſtram aperamini.* Fidei autem certitudo omnem timorem & tremorem arcet. S. Scripturæ adſtipulantur Concilia, & Patres. Tridentinum Seſſ. 6. c. 9. hæc habet: *Sed neq; illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè juſtificati ſunt, abſque omni dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos.* Et infra: *ſicut nemo pius de DEI miſericordia, de Chriſti merito, deq; SACRAMENTORUM virtute & efficatia dubitare debet, ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamq; propriam infirmitatem & diſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Ex Sanctis Patribus Hieronymus cit. locum Eccleſiaſtæ c. 9. ſic exponit: *porro hic ſenſus eſt, etiam in hoc dedi cor meum, & ſcire volvi, quos Deus diligeret, & quos odiſſet; & inveni juſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe & ambiguos fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient, & in vultu eorum ſunt omnia, id eſt antecedet eos, cum de hac vita diſceſſerint, notitia iſtius rei, quia tunc eſt judicium, & nunc certamen, & quicunque adverſa ſuſtinent, utrum per amorem Dei ſuſtineant, ut Iob, an per odium ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Hæc ille, quid clarius dici poteſt pro doctrina Catholicâ? S. Auguſtinus in Pſal. 149. circa verba *exultabunt Sancti in gloria*, agens de modo gloriandi in conſcientia, aſſerit, in ea poſſe conſiſtere peccatum occultum, allegans illud Prov. 20. cit. *quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato*, ita ſcribit. *Eſt ergo modus quidam in conſcientia gloriandi, ut noveris, fidem tuam eſſe ſynceram, noveris eſſe ſpem tuam certam, noveris charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione, ſed quoniam multa ſunt adhuc fortè, quæ poſſunt offendere oculos Dei; lauda eum, qui tibi iſta donavit.* Idem S. Pater L. 50. Homiliarum. hom. 35. tractans parabolam de decem virginibus ſic ait: *quid responderunt illis ſtultis, ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: quandò Apoſtolus dixit, ſed neque me ipſum judico. Si ergo conſcientia noſtra ſub examine judicij Dei trepidat, &, quamvis ſibi rectat putet, tamen timet, ne exeat juſtitiæ regulâ de theſauro illius, & inveniatur tortum, quod videbatur rectũ, quantò minus curare debemus aliena iudicia.* Et paulo poſt. *Quandiu autem vivimus hic, de nobis ipſis nos ipſi judicare non poſſumus; non dico quid cras erimus, ſed quid hodie ſumus, quantò minus debemus moveri judicijs alienis, quàm de conſcientia noſtra, quæ nobis perhibet teſtimonium; nam gloria noſtra debet eſſe conſcientia noſtra.* Plura P. P. teſtimonia videri poſſunt apud Bellarm. P. 3. de juſtif. c. 7. Vetweis in ſpeculo Eccleſiæ à. fol. 403. &c. Suadetur eadem Doctrina noſtrâ ratione, quam inſinuat Concilium Trident. verbis recèns allatis Quia licet generalis promiſſio nobis facta fuerit, illa tamen abſoluta non eſt, ſed requirit aliquas conditiones; nempe ex parte juſtificandi diſpoſitiones: ex parte miniſtri intentionem ritè conferendi Sacramentum; nemo autem circa ſpecialem revelationem ſcire poteſt, ſe rectè eſſe diſpoſitum ad gratiam. Miniſtrum Sacramenti requiſitam habuiſſe intentionem &c. Videantur DD. de Walenburch Tom. 2. fol. 500.

II Doctrina ſecunda. Nec certitudine Theologicâ poſſumus eſſe certi de propria juſtitia, multò minus certitudine evidenti phyſica aut metaphyſicâ Ita omnes Catholici DD. cum S. Thoma. 1. 2. q. 112. a. 5. Ratio prioris partis eſt; quia iſta certitudo Theologicâ deberet ex aliqua propoſitione revelata certò deduci, quod fieri nequit; tametſi enim revelatum ſit, Sacramenta eſſe efficacia, & ex ſe juſtificare; quia tamen requirunt in nobis aliquas conditiones; de quibus nihil conſtare poteſt, non poſſumus ex illa revelata certò & Theologicè inferre, nos eſſe juſtificatos per ſuſceptionem Sacramentorum, aut per aliquem actum Sacramentalem. Ratio poſterioris eſt; quia illa evidentia ex nullo effectu acquiri poteſt, multò minus ex aliquâ cauſa, & ipſum Tridentinum ſatis inſinuat illi cognitioni, quam de propria juſtitia habemus, poſſe ſubeſſe falſum, quatenus ait: *nos non poſſe ſcire certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, nos eſſe in gratiâ.* Comfirmatur utraque pars exemplis S. Scripturæ & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ docet Hilariones, Bernardos, alioſque viros integerrimos de ſua juſtitia aliquando formitaſſe; quomodo ergo credibile eſt, omnibus fidelibus certitudinem adeſſe de propria gratia, atque juſtitia, & ſimul inſtructionem & adhortationem quotidie orandi: *dimitte nobis debita noſtra*, quæ petitio foret prorſus fruſtranea.

III. Dicunt Sectarij. David certus fuit de remiſſione peccatorum ſuorum, teſtante Prophetâ Nathan. 2. Reg. 12. v. 13. quod *Dominus tranſtulit peccatum*, & tamen poſtea conſcripſit pſalmos pænitentiales, in quibus jugiter petebat remiſſionem peccatorum. Ergo certitudo veniæ non impedit ulteriorem ejus petitionem. Reſpond. duplicem eſſe remiſſionem peccatorum; unam quoad culpam, alteram quoad pænam, & priori remiſſione obtentâ plerùmque reſtare adhuc aliquas pænas temporales in hac vel alterâ vita luendas; inter quas etiam numeratur privatio ſpeccalis familiaritatis cum Deo, & inde omnimodæ ſuavitatis ac conſolationis. Licet ergo David per teſtimonium Prophetæ certus fuerit de remiſſa culpa, non tamen fuit certus de remiſſis omnibus pænis; etenim filium infantem morte ſublatum vidit, & ſe conſolationibus divinis privatum ſenſit. Has ergo pænas deprecabatur nominatim Pſal. 50. v. 14. *Redde mihi lætitiam Salutaris tui &c.* Nec hæretici hoc etiam modo reſpondere poſſunt, dicendo, ſe in oratione Dominica non petere remiſſionem culpæ, ſed tantùm pænæ. Quia ipſi totam remiſſionem peccati ponunt in condonatione pænæ, non in abſolutione culpæ. Si ergo

credunt

credunt illi, remiſſa ſibi peccata, tùm credunt condonatam pœnam, adeóque fruſtra ejus remiſſionem flagitant.

IV. *Doctrina tertia.* Nihilominus aliqui juſti poſſunt habere moraliter talem certitudinem, quæ licet abſolutè falſitas ei ſubeſſe poſſit, & conſequenter poſſint etiam humano modo dubitare, attamen ſimpliciter ita eos reddat ſecuros, ut regulariter non admittant eam formidinem. Ita Valenria. Tom. 2. D. 8. q. 5. punct. 4. Suarez. Vaſq. Vega, & teſte Tanner Tom. 2. q. 6. n. 120. communiter Catholici DD. Nam ſi ſupponamus aliquem, qui inprimis longo tempore varijs Sacerdotibus Confeſſus nullam de aliquo illorum dubitandi rationem habuerit tam circa ordinem, quám intentionem: atque ipſe inſuper ad maximum ſemper dolorem ſe excitaverit & bonâ fide omníque morali diligentiâ adhibitâ ſemper acceſſerit: abſque ullâ novâ mortalis conſcientiâ toto illo tempore venialia ſedulò confeſſus fuerit, cum propoſito millies moriendi potius quàm ullum mortale perpetrandi: magnam item animi pacem facilitatémque in vitandis etiam venialibus ex deliberatione expertus fuerit: deníque rebus divinis deditus in eis conſolationem ſenſerit; hic, inquam, homo tametſi reflexè diligenter hæc omnia ſigna conſiderando reperire poſſit aliquem formidini locum, attamen difficulter, ita ut ordinario modo, vel non poſſit haberi ea formido, vel certè facilè arceri. Atque in hunc modum loquuntur tum S. Paulus 2. ad Corinth. 1. v. 12. de ſe, & perfectis Chriſtianis ajens: *hæc eſt gloria noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et S. Joan. epiſt. 1. c. 2. v. 21. inquiens, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*; tum alique SS. PP. apud Tannerum loc. cit. relati. Videatur Bellarmin. Lib. 3. de juſtif. c. 3.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

V. Error primus eſt, doctrinam Pontificiam, quod quivis Fidelium in particulari de ſuâ juſtificatione & juſtitia certitudinem habere nequeat, eſſe aliquam hæreſin à Novato & hujus ſectatoribus Novatianis & Catharis excitatam. Ita præter alios ſectarios nominatim Hailbrunner in novo ſuo Papatu fol. 96. Errori huic S. Scriptura & S. S. Patres apertè repugnant. Afferatur vel unicus textus è S. Scriptura clarè affirmans, quod ex fidelibus quivis certó ſciat ſuam juſtificationem & liberationem à peccatis, ſicuti contrarium aſſerunt tum alij, tum illi textus, quos nos adduximus. Oſtendatur etiam vel unicus Pater, qui unquam pro hæreſi habuerit eandem doctrinam noſtram, imò hanc Scripturæ non conformem agnoſcat, & vel non tradat ipſe, vel ab alijs traditam non ſupponat? Audiamus modó unum S. Ambroſium, qui in Pſal. 118. Serm. 5. Scribit ſuper iſta verba: aufer opprobrium meum, quod ſuſpiciatus ſum: *pœnitentiâ licet abolitum, ſuſpectum tamen erat, ne fortè maneret adhuc ejus opproprium; & ideo Deum precatur ut illud auferat, qui ſolus novit, quod neſcire poteſt etiam, qui fecit.* Pulchra doctrina hujus S. Patris, ſanctè vivere, & non ſecurum ſe facere, quaſi à ſalute aberari non poſſet, ſed ſemper Dei gratiam implorare. Quæ Adverſarij de Novato ac hujus Aſſeclis afferunt, credo quod nec ipſi intelligant. Fuit Novatus, ut Scribunt Theodoretus L. 3. Hæreſ. & Cyprianus Epiſt. 2. L. 4. Rom. Eccleſiæ Presbyter, voluitque vehementer, ut illi Chriſtiani, qui in perſecutione propter multa probra, & tormenta fuerunt lapſi, fidem Catholicam abnegando, non amplius reciperentur in Eccleſiam nec ullum illis Spirituale auxilium porrigeretur, etiamſi ſupplices recipi poſtularent, & ad pœnitentiam agendam ſe offerrent; de quorum proinde ſalute extra Ecclæſiam, & abſque Spirituali auxilio præſtito morientium utique certitudo nulla juſtificationis & ſalutis haberi poterat; ſed quid hoc contra nos? oſtendant Adverſarij, nos idem docere, cum è diametro oppoſitum dicamus, quod lapſi ad pœnitentiam recipiantur, quod Spirituale illis auxilium præbeatur, quod ab Eccleſia non abigantur, ut clariſſimis verbis tradit Concilium Trident. Seſſ. 6. c. 4. quod videri poteſt.

VI *Error ſecundus.* Iuſtificatos fide divinâ certos eſſe de gratiâ ſuâ, & juſtitiâ. Ita paſſim Sectarij noſtri temporis, ut videre eſt apud Gerhard L. 2. P. 3. à fol. 726. & Ameſium Tom. 4. à fol. 145. atque alios aſſerentes: *hominem pœnitentem, ac verè in Chriſtum credentem poſſe ac debere eſſe certum, ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, ac ſe apud Deum eſſe ingratia.* Probant hanc ſuam opinionem ex varijs S. Scripturæ textibus. 1. habetur Joan. 5. v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo ſumus. & v. 10. qui credit in Filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe.* 2. habetur Rom. 8. v. 16. *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quod ſimus filij Dei.* 3. habetur Hebr. 6. v. 16. & ſequent. *Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſia eorum finis ad confirmationem eſt juramentum, In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationes heredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit juſiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt, mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam &c.* 4. habetur Joan. 5. v. 24. *amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſijt à morte ad vitam.* 5. habetur 2. Corinth. 1. v. 21. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* 6. habetur ad Epheſ. 1. v. 13. & 14. *In quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ) in quô & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis veſtræ in redemptionem &c.* Ergo fideles hoc ſignaculo ſunt omnino certi, ſe eſſe in fide & gratiâ. Confirmant ex dictis ſuam opinionem 1. hoc Syllogiſmo apud Ameſium fol. 144. unuſquiſque fidelis tenetur illud credere certitudine fidei, quod Deus fidelibus promiſit. Sed Deus fidelibus promiſſit, quod remittentur ipſis peccata Actor. 10. v. 43. Ergo unuſquiſque fidelis tenetur credere certitudine fidei ſibi remiſſa eſſe peccata. 2. Ex abſurdo quia perquam abſurdum, inquiunt, eſt dogma illud, quod perpetuam dubitationem hæſitationem & fluctationem aſtruit. Hanc confirmationem magni facit Hanneken in Irenico ſuo à fol. 19. ubi vanam ſuam ſpecialem fiduciam multis roborare laborat.

VII. Hunc errorem adeo dilucidè refellunt Sac. Scripturæ & Patrum teſtimonia, ut ad illa tenebris quibuſdam involvenda Adverſarij fruſtra omnes

omnes intendant nervos. Nam quomodo quis certus eſſe poſſit, præſertim certitudine fidei, ſe verè credere, pænitere, exiſtere in gratia? ex qua Scriptura hoc de ſe in particulari demonſtrabit? nunquid Lutherani crepant, ſe credere, &c. Nunquid idem de ſe jactant Calviniſtæ, Zwingliani, Schuſteriani, Menoniſtæ, aliique plurimi hoc ipſum clamitant, ac juſtos Deique amicos ſe eſſe gloriantur? Cum verò una tantùm vera fides eſſe poſſit: & fides eorum omnium ſint diverſiſſimæ, ſingulique, infallibiliter ſe veram fidem ac juſtitiam poſſidere credant, certiſſimum eſt, eos in hac exiſtimatâ fidei certitudine ſingulos errare. Ergo de ſuâ fide, pænitentia, gratia, perſeverantia, prædeſtinatione, æternáque ſalute certi eſſe nequeunt. Porro ſolutio omnium fere, quæ Adverſarij pro ſe afferre poſſunt, ex uno ſequentium capitum habetur. 1. quod ſermo ſit de remiſſione peccatorum in genere, non autem ſingulis applicata. 2. quod ſermo ſit tantùm de certitudine conjecturali, vel de illa, quam certam moraliter appellamus. 3. Quod ſermo ſit de quibuſdam certis perſonis tantùm, quibus ſpeciatim revelatio eâ de re facta ſit. 4. quod ſermo ſit de certitudine gratiæ, quantum eſt ex parte & efficacia mediorum, quæ à Deo ad conciliandam gratiam præſcripta ſunt. 5. quod ſermo ſit ex ſuppoſitione v.g. quod quis præſcriptis à Deo medijs legitimè utatur &c. Nunc ſingillatim ex allatis teſtimonijs.

VIII. Reſpond. Ad 1. vocem illam *ſcimus* non includere certitudinem Fidei divinæ, ſed tantùm conjecturalem; quippe rectè ſcire dicimur, quæ ex ſignis & conjecturis colligimus; & de hac ſolùm conjecturali ſcientia agere Joannem, patet inde, quod ex ſignis externis & affectu, qui eſt in voluntate, colligi velit, quod ex Deo ſimus, ideóque rationem ſcientiæ hujus addit; *quia diligimus fratres.* Ergo dilectio fratrum eſt illud ſignum; ex ſigno autem aliquid colligere, non eſt certitudo fidei. Adhæc in iſto & ſimilibus locis non eſt ſermo de fide & perſuaſione ſpeciali ſingulorum Fidelium, ut ſomniant Sectarij, ſed ſententiæ illæ omnes generales ſunt: neque affirmant de omnibus & ſingulis infallibiliter verum, quod in communi loquendo de fidelibus deſiderabat, & ſperabat Apoſtolus; ſicuti D. Paulus, cum loquitur de prædeſtinatis, fere ſemper ita loquitur, quaſi certus eſſet, non ſolùm ſe, ſed & illos omnes, ad quos ſcribit, in numero electorum fuiſſe; quia ſcilicet id cupiebat & ſperabat; ſive Apoſtoli ex ſpeciali privilegio infallibiliter fuerint certificati de ſuâ juſtitia, perſeverantia & prædeſtinatione, ſive non, de quô non omninò conſtat, etenim ex illo 1. ad Corinth. 9. v. 27. *ne cum alijs prædicavero, ipſe reprobus efficiar,* cum S. Gregorio & alijs probabiliter colligit Cornelius à Lapide, Apoſtolum non habuiſſe certitudinem infallibilem de ſua prædeſtinatione, & ſalute æternâ. Ad 2. aliud inde non ſequi, quàm Spiritum S. illud teſtari, quando, ut oportet, clamamus: *abba Pater*; at non eſt certum de fide, nos apponere conditionem his verbis ſubintellectam. Quare licet Spiritûs Sancti teſtimonium in ſe ſit infallibile, attamen conſtare nobis non poteſt, an illud teſtimonium, quod ſentimus in nobis, verè ſit Spiritûs S. an diaboli, vel naturæ, vel ſenſualitatis; certum enim eſt, in agnoſcendo Spiritu non rarò nos falli; unde dicitur 1. Ioan. 4. v. 1. *probate Spiritus, ſi ex Deo ſint*; quod fatetur Calvinus L. 3. Inſtit. c. 2. §. cum ſit. ſic ſcribens: *experientia oſtendit, reprobos interdum ſimili fere ſenſu átque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio quidquam ab electis differant.*

IX. *Ad* 3. Juramentum DEI, ut certum, nos utique admittere, quod tamen contra nos nihil facit; etenim ut probent Sectarij, hunc vel iſtum in particulari de juſtitia & ſalute eſſe certum, debent locum proferre, ubi huic vel iſti in particulari, daturum ſe hæreditatem, fuerit DEUS pollicitus juramento; aliàs enim ſemper incertitudo particularis eadem recurret. Quin imò, ut Apoſtolus oſtenderet, de hæreditate acquirendâ non poſſe haberi ſcientiam infallibilem, addidit (ad tenendam propoſitam ſpem) quaſi diceret, nos promiſſam hæreditatem ſperare tantùm non autem de ea certos eſſe poſſe; ſiquidem non poſſumus eſſe certi, an compleverimus, quæ à nobis, & prout à nobis requiruntur. *Ad* 4. eodem, quo prius modô, ſcilicet oportere Adverſarios oſtendere, hominem fidei certitudine certum eſſe poſſe, ſe in particulari verbum DEI aptè audire, præcepta debitè ſervare, & Deo ſufficienter credere &c. Hæc quia homo ſcire certò nequit, nec certus eſſe poteſt de ijs, quæ à DEO promittuntur. Bene etiam Tirinus in c. 3. Joan. verſum. 36. notat, ex S. Auguſtino Tract. 14. in Joan. in ſimilibus locis Tò habere vitam æternam, idem eſſe ac mereri vitam æternam, quod fieri poteſt, etiamſi id nos certò non ſciamus. *Ad* 5. in primis gratis dici, in hoc loco agi de fide, cum communiter Doctores aſſerant, agi hîc de ſignaculo Baptiſmi vel Confirmationis, quibus iſta propriè conveniunt. Deinde ſi de ſignaculo fidei ageretur, probaret contra Lutheranos, fidem amitti poſſe. Demum in particulari nemo certus eſſe poteſt, ſe habere talem fidem, ut ſæpius jam dixi, & conſequenter ſcire nequit, utrum ipſe unus ſit ex illis, quos ſignavit Dominus, & eiſdem ſpiritûs Divini pignus dedit. *Ad* 6. cum hoc ſignaculum non ſit eis impreſſum, ſed colligi tantùm debeat ex conjecturis & ſignis, certi eſſe nequeunt certitudine fidei, ſe hos ſignatos eſſe. Videri poteſt Cornelius à Lapide de his & alijs ſimilibus locis.

X. Reſpond. ad primam confirmationem. Negando Minorem, quæ falſa eſt, ſi abſolutè ſumatur; etenim promiſit tantùm remiſſionem adultis ſub conditione, ſi ſe converterint verè, & ſeriam egerint pænitentiam, de quâ conditione impleta non habetur à quovis, niſi probabilitas aut moralis certitudo, idemque eſt de remiſſione peccatorum per Sacramentum Baptiſmi, & Pænitentiæ cum imperfectâ dilectione vel contritione. Imò in hoc videtur ex duplici capite naſci eam, quam diximus, incertitudinem, nimirum ex parte conferentis & ſuſcipientis. Et roboratur hoc argumentum ulterius; quia ſi ejuſmodi articulum fidei haberemus, ſequeretur omnem hominem, qui peccat mortaliter, continuò fieri hæreticum; quippe non poteſt is, qui voluntariè peccat, credere ſe eſſe juſtum, niſi falſum de induſtria credere velit.

XI. Ad 2. fateri nos, abſurdum eſſe vi alicujus dogmatis aſſiduis dubitationibus & fluctuationibus ſubdi: attamen hoc fieri debere, non eſt doctrina Catholica, ſed aperta impoſtura hæreticorum, ut contra Menonem Hanneken oſtendi in Apologia Irenici Catholici contra eundem

Digitized by Google

Ait Ameſius, ſatis abſurditatis eſſe in eo, quod Pontificij doceant, perpetuò dubitandum eſſe de perſeverantia & electione, cum tamen Apoſtolus ad Ephes. 3. v. 12. dicat: per quem *habeamus fiduciam* vel audaciam *& acceſſum in confidentia per fidem ejus.* Sed & hæc obeſa eſt calumnia, quod Pontificij doceant, perpetuò dubitandum de gratia, perſeverentia &c. Scire etiam cuperem ex Ameſio, cum non habuerit infallibilem de ſuo patre, de fide ſuæ uxoris &c: Sed ad ſummum duntaxat moralem certitudinem, aut opinionem verò ſimilem, an idcirio perpetuò dubitaverit, & fluctuaverit, anxiuſque hæſerit ne forſam eſſet adulteræ filius, aut maritus? ſanè Catholici Sapientiſſimè faciunt, qui juxta monitum S. S. Apoſtolorum cum metu & tremore operantur ſalutem, eò quod, licet in divina miſericordia & auxilio certiſſimam ſpem collocent, attamen cum hæc noſtram coöperationem requirant, meritò ſolliciti ſint, ne forte divinæ gratiæ eò, quo oportet modo, non reſpondeant: idcoque *ſatagunt*, ut quotidie *per bona opera certam faciant vocationem & electionem ſuam.* Licet igitur hæc Catholicorum ſententia non omnem omnino formidinem tollat, aufert tamen anxietatem, imò & dubitationem illam propriè ſumptam; quâ neutri parti aſſenſus datur. Ad illud ex epiſt. ad Ephes. 3. dicimus, certitudinem gignere audaciam, ſed eam certitudinem non eſſe de juſtitia noſtra, ſed de veritate myſteriorum fidei. Habemus igitur confidentiam, audaciam, acceſſum ad Deum per fidem Chriſti, quia hâc (ſive divina à parte rei iſta in nobis ſit, ſive humana) animati confidenter accedimus ad thronum gratiæ Dei, ſicuti filius habens perſuaſum hunc eſſe ſuum patrem (etſi nec pater nec filius habent certitudinem infallibilem de ſuâ illa neceſſitudine) fiducialiter ad illum accedit & beneficia ſibi ab eo pollicetur. Quod addat Calviniſta fol. 149. Apoſtolum dicere, hanc certitudinem eſſe per fidem Chriſti: hanc autem fidem imputari ad juſtitiam, ab eodem Apoſtolo ubique doceri, eſt hæc quoque hæretica impoſtura quindecim Chriſtianis ſæculis ignota, ut ex dictis patet.

CONTROVERS. LVI.

DE AUGMENTO GRATIAE *Juſtificantis, & hujus Amiſſione.*

QUemadmodum ſtella differt à ſtella. 1. ad Corinth. 15. v. 41. ita Sancti gratiâ inter ſe diverſi ſunt, & hâc alius alio magis ſplendet. Item ſicuti ſtellæ de cœlo cadunt, vel cadere videntur Apoc. 8. v. 10. & Matth. 24. v. 29. ita juſti in gratia non ſunt ſtabiles, ſed excidere eâ poſſunt, utrumque autem horum cum hæreticis eſt controverſum, pro cujus litis deciſione:

PARS PRIOR
DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Gratia juſtificans augetur in juſtificatis per bona eorum opera. Hanc veritatem definit Tridentinum Concilium Seſſ. 6. c. 7. dum ait: *Infundi juſtitiam juxta cujuſque diſpoſitionem & coöperationem, & gratiam augeri per bona opera.* de quo c. 10. & Can. 24. & 32. Probatur 1. ex Sacra Scriptura. Eccleſiaſt. 18. v. 22. *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis uſq; ad mortem juſtificari.* Rom. 2. v. 13. *factores legis juſtificabuntur.* Apocal. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* 2. Petr. 3. v. 18. *Creſcite in gratia.* Epheſ. 4. v. 15. *veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* Coloſ. 1. v. 10. *Ambuletis digne Deo per omnia placentes in omni bono opere fructificantes & credentes in ſcientia Dei.* Sac. Scripturæ conſentiunt P P. è quibus D. Auguſt. Tom. 10. de verbis Apoſtol. Serm. 16. c. 5. *Juſtificati, inquit, ſumus, ſed ipſa juſtitia, cum proficimus, creſcit.* Ut autem Juſti ita creſcere ſemper in gratiâ poſſint, quamdiu ſunt in via, habent auxilia ſufficientia, ut novos & novos actus efficiant, ſicut definitur in Clement. ad noſtram. de hæret. cui conſentiunt paſſim Patres. Et ratio facilis eſt; quia cum gratia intendatur etiam per actus remiſſos, ut ſuo loco patebit, nec poſſimus dicere, Deum homini rationis capaci denegare auxilia ad bene operandum, non eſt, cur dicamus, eum non poſſe ſemper in gratia creſcere, & magis magiſque juſtificari.

II. Hinc tamen nunquam futurum eſt, ut homo proprijs actibus in gratia factis eò excreſcat, ut fomitem extinguere poſſit. Sumitur hoc ex verbis Pauli ad Rom. 6. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Ubi cum Apoſtolus ad ſummam gratiam elevatus dicat, ſe adhuc ſentire rebellionem appetitûs, manifeſtè inſinuat, eandem in cæteris manere. Idem dogma traditur à SS. Patribus, è quibus D. Hieronym. ex illo ad Gal. 15. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum* ſic infert: *Ecce Apoſtolus omneſque credentes, quod volunt implere, non poſſunt.* Ratio eſſe poteſt, quia Deus favorem ſpiritualem, quem exhibuit Beatiſſimæ virgini Mariæ, noluit præſtare cæteris hominibus; certè hoc abſque urgentiſſimo fundamento non facilè de ullo alio aſſerendum, cum miracula non ſine graviſſima cauſa ſint adſtruenda.

III. *Doctrina ſecunda.* Gratia ſanctificans in juſtificatis phyſicè augetur: & non dicitur homo ſolùm magis juſtificatus propter opera moraliter permanentia. Ita Catholici Doctores. Nam Trident. Concilium loco cit. ajens, *per bona opera nos mereri augmentum gratiæ*, ſupponit illud augmentum eſſe diſtinctum ab ipſis operibus, cum opera ſe ipſa non mereantur. Deinde augmentum, quod fit virtute Sacramentorum, ut eſt formaliter ex opere operato, non poteſt deſumi ex opere moraliter permanente, cum tale nullum adſit. Demum gratia cum ſit qualitas phyſica, capax eſt augmenti & intenſionis perinde ut cæteræ qualitates. Ergo cum per tale augmentum omnia optimè componantur, debet procul dubio illud admitti. Utrum autem gratia per quodlibet opus bonum quantumvis remiſſum augeatur, commodius infra de merito dicemus.

IV. *Doctrina tertia.* Prædictum gratiæ augmentum ſtatim confertur, dum fit actus. Ita Catholici Doctores conformiter Tridentino Seſſ. 6. varijs in locis. Ubi de augmento gratiæ & gloriæ ſemper loquitur cum diſtinctione; etenim gloriam docet, non dati niſi ſuo tempore, in fine vitæ &c. de gra-

Digitized by Google

de gratia verò nihil limitat; unde manifeſtè indicare videtur, hanc ſtatim concedi; exceptio enim, quæ in uno extremo ponitur, & non in altero, apertè firmat regulam in contrarium. Adhæc gratia non cauſatur phyſicè ab actibus, nec eos requirit tanquam diſpoſitionem ad ſui productionem; unde per Sacramenta ex opere operato cum remiſſiſſimâ attritione aut alia diſpoſitione v. g. in Euchariſtiæ ſumptione producitur, & quidem ſtatim. Cur ergo remiſſior actus, ſi eam gratiam mereatur, non ſtatim eandem accipiat? certè nulla poteſt hujus rei ſufficiens cauſa aſſignari. Etiamſi autem DEus ſemper det auxilia ad bene operandum: & augmentum gratiæ pro remiſſo etiam actu, ut dicemus, ſtatim concedat, nunquam tamen fiet, ut homo juſtificatus ad quamcumque intenſionem creſcat; quia DEus non dat auxilia ſummè intenſa, nec ad quamlibet poſſibilem intenſionem actûs, ut docent Scholaſtici.

V. *Doctrina quarta.* Gratia ſemel habita poteſt iterum amitti per peccatum mortale. Hanc Catholicam veritatem definit Trident. Seſſ. 6. c. 11.& conſtat in Adamo & dæmonibus, quos fuiſſe in gratia, adeo certum eſt, ut nec ipſi hæretici negare auſint. Eandem perſuadent omnia verba, quibus in Sac. Scriptura juſti monentur, ut attendant, ne cadant: & ut cum timore & tremore operentur ad Rom. 11. v. 20. Ad Philipp. 2. v. 21. Apoc. 3. v. ult. clariſſimè verò Ezech. 18. v. 24. *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur &c.* Ratio eſſe poteſt; quod etiam juſti teneantur præceptis divinis, & habeant libertatem ad transgrediendum illa, licet ſint gravia. Ergo poſſunt peccare mortaliter, Ergo gratiam amittere.

VI. Porro cum gratia perditur etiam amicitia DEI & habitus charitatis, ut definitur in Trident. Seſſ. 6. c. 15. imò omnes aliæ virtutes morales infuſæ. Nam ſi habitus oriuntur ex gratia, & ab ea naturaliter dependent. Ergo non conſervantur abſque illa. Non obſtat, quod fides & ſpes maneant in peccatore, ſcilicet propter actus, qui fieri etiam à peccatore poſſunt; & enim manent non præcisè quia poſſunt fieri tales actus fidei & ſpei, ſed ſimul quia Deus volvit eum favorem homini præſtare, ut per illos connaturaliter ad juſtitiam diſponere ſe poſſit; de quô favore conſtat nobis ex Concilijs & communi Patrum ac Theologorum conſenſu; ad dicendum autem velle Deum alios quoque habitus ſimiliter ſervare, non habemus ullum fundamentum. Cæterùm hos etiam duos habitus Theologicos ſemel acquiſitos iterum amitti poſſe, & quidem in perpetuum, indubitata eſt doctrina Catholicorum definita in Concilio Trident. Seſſ. 6. can. 15. ubi ait, *per infidelitatem amitti fidem*; quod idem proportionaliter de ſpe dicendum, cum eadem ſit ratio, imò abſque actu deſperationis per ſolam infidelitatem Spes amittitur, quia enim fides eſt fundamentum abſque hac fide ſubſiſtere illa ſpes nequit.

VII. *Doctrina quinta.* Ad gratiæ juſtificantis conſervationem requiritur ex parte hominis, ut non peccet mortaliter: ex parte verò Dei, ut det auxilium homini, ut non peccet. Ita Catholici Doctores. Ratio prioris eſt; quia ſi peccet homo mortaliter, eo ipſo gratiam expellet: ſi non peccet, non eſt, cur expellatur, cum non habeat contrarium, nec detur de facto ſtatus medius inter gratiam & peccatum. Quandocùnque ergo neceſſarium eſt, bonum opus poſitivum, eſt quóque neceſſarium tale opus ad gratiam conſervandam. Ratio poſterioris eſt; quia ſi homo non peccet, ſemper conſervat gratiam. Ergo ex parte DEI nihil aliud requiritur, quàm ut homini det auxilia ad non peccatum. Quale autem gratiæ auxilium ad diu non peccandum graviter, & ad perſeverandum uſque ad mortem requiratur, ad Scholaſticos ſpectat. Videantur Suarez Lib. 10. de conſervat. gratiæ cap. 2. Arriaga Tom. 4. Diſp. 52. à num. 21. & alij.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. **E**Rror primus. Peccator ſemel juſtificatus non poteſt evadere juſtior ex juſtitiæ augmento. Ita teſte Tanner Tom. 2. d. 6. q. 6. n. 184. Sectarij hujus temporis, qui cum juſtitiam noſtram formalem in juſtitia Chriſti imputata conſtituant, in omnibus juſtis æqualem juſtitiam eſſe opinantur. Unde impium illud & ſcurrile dictum Lutheri in Serm. de Nativit. Beatiſſ. Virginis: *Omnes Chriſtiani æquè magni ſumus, atque Mater DEI, & æquè ſancti ac ipſa.* Sequitur Magiſtrum ſuum Lutherum in impietate & ſcurrilitate diſcipulus Meno Hanneken in Irenicô ſuô fol. 382. ubi poſtquam retulit ipſiſſima verba Lutheri, ſubjungit iſta ſua: *hæc eſt divina veritas; cum noſtra Sanctitas perinde ac Sanctæ Virginis Mariæ & aliorum Sanctorum ſit ſanctitas Chriſti:* ſimilem errorem olim docuit Iovinianus, ut teſtatur S. Hieronymus Lib. 2. contra Iovinianum, ſed ex alio fundamento, ſcilicet quod virtutes & peccata ſint paria.

IX. Contra Jovinanum ſunt plura teſtimonia S. Scripturæ; ex quibus conſtat inæqualitas tum virtutum, tum præmiorum in cœlo Jobi 1. v. 8. *nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra?* 1. Reg. 9. v. 2. *non erat vir de filijs Iſraël melior illo.* Math. 11. v. 11. *non ſurrexit major inter natos mulierum Joanne Baptiſta.* Joan. 14. v. 2. *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* 1. ad Corinth. 15. v. 44. *alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellæ, differt ſtella à ſtella in claritate* &c. Lutheranos ſatis rejecimus, & falſitatem erroris eorum lux ſolis refellit; nunquid enim iſta non magis magiſque effulget, aut in ea perpetua aurora aut aſſiduus meridies eſt? cur ergo & juſtitia noſtra non poſſit ſimiliter incrementum ſumere, cum teſte S. Script. lux ſit. Prov. 4. v. 18. *juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem.* Adhæc certum eſt ex S. Scriptura, in charitate alium alio eſſe perfectiorem; quomodo enim aliàs Joan. ultimo v. 15. Chriſtus quærere ex Petro potuiſſet, *diligis me plus his?* Cum ergo charitas vel non diſtinguatur à juſtitia, vel huic ſemper conjuncta ſit, & Adverſarij non negent, diſparitatem eſſe charitatis in regeneratis, non poſſunt negare diſparitatem eſſe juſtitiæ. Videri poteſt Bellarm. Lib. 3. de Juſtif. c. ult. Ego ſolùm adhuc quæro, quando Scriptura de Job c. 2. v. 3. ait: *Job vir juſtus fuit rectus ac timens Deum &c.* utrum iſte cæteris fuerit

Digitized by Google

juſtior, an non? ſi fuit. Ergo juſtitia in eo creſcendo præcelluit: ſi non fuit, cur DEUS mox v. 5. ſubjunxit, quod non ſit ſimilis ei, Fundamentum, quo unicè nituntur, præterquam quod falſiſſimum ſit, non probat id, quod eruere ex illo Adverſarij volunt, nunquid enim unus Pauper plus pecuniæ ex eodem ſacco manu ſuâ magis avidâ & validâ apprehendere & extrahere poteſt, quàm alius? ſic quoque Chriſtiani inæquali fervore fidei Chriſti juſtitiam apprehendere & alius aliò per actum fidei ferventiorem eandem ſibi applicare poteſt. Blaſphemum ac ſcurrile illud dictum Lutheri ejuſque diſcipuli Menonis Hannekenij abunde refutant verba iſta Angeli Luc. 1. v 28. ad Beatiſſimam Virginem: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; quæ utique in aliam fœminam etiam Chriſtianam & juſtam cadere non poſſunt. Ergo ipſa ampliore gratiæ augmento eminuit inter univerſos Chriſtianos; quod unanimi conſenſu docent SS. PP. & DD. nominatim Andreas Cretenſis ſerm. de dormitione Deiparæ ubi ait: *qua habes cum alijs non comparabilem appellationem, qua excepto DEO ſolo es omnibus altior.* Si autem Beatiſſima Virgo Maria in gloria cunctis eſt eminentior. Ergo & in gratia, cum illa huic reſpondeat. Adhæc ſi omnes Chriſtiani æquè juſti ſint ac Mater Dei, quia æqualiter omnes apprehendunt totam Chriſti juſtitiam, tunc quilibet erit etiam æquè ac Chriſtus juſtus; & cum gratia juſtificans ſit ſemen gloriæ, quilibet homo Chriſtianus ac juſtus erit in gloria Chriſto æqualis. Quid autem abſurdius ſtultius & Sceleſtius cogitari poteſt?

IX. *Error ſecundus* eſt, juſtitiam ſemel aquiſitam amitti non poſſe. Ita poſt Manichæos, Pelagianos & alios hæreticos, Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 4. à fol. 156. quorum Magiſter Calvinus L. 3. de juſtit. c. 2. ſcribit: *nunquam diſperire ſemen vitæ electorum cordibus inſitum, & ita ſolidè Deum in ijs obſignare adoptionis ſuæ gratiam, ut ſtabilis ac rata ſit.* Probant ex varijs S. Script. teſtimonijs maximè ex D. Joan. Epiſt. 1. c. 2. v. 19. *ex nobis prodierunt. Sed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* c. 3. ejuſdem Epiſt. v. 6. *omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Ibidem v. 9. *qui natus eſt ex DEO peccatum non facit, quoniam ſemen illius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex DEO natus eſt.* Rurſus ex eodem c. 4. Evang. v. 14. *qui biberit ex hac aquâ non ſitiet in æternum, ſed fiet in eô fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Demum ex illo ad Rom 8. v. 35. & 38. *quis nos ſeparabit à charitate &c.* Addit Ameſius fol. 159. ſine ſumma vel ignorantia vel impudentia non poſſe affirmari, quemlibet actum infidelitatis excutere habitum fidei, efficere hominem Infidelem, & inimicum DEI ſecundùm Scripturam. quod probat exemplis Satæ Genes. 18. Moyſis & Aaron Num. 20. Zachariæ Lucæ 1. & Thomæ Apoſtoli Joan. 20. &c.

X. Hunc errorem abunde rejecimus parte priore: & hæretici egregiè refellunt ſuomet exemplo. Nam *oportet eſſe hæreſes.* 1. ad Corinth. 11. v. 19. Ergo gratia fidei amitti poteſt; ſi enim gratia Sanctificans amitti non poſſet, nulli unquam Nicolaitæ, Marcionitæ, Priſcillianiſtæ, Novatiani, Ariani, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, Lutherani, Calviniſtæ aut alij hujus ſortis homines extitiſſent, ſed in gratiâ & fide, quam in S. Baptiſmo acceperunt (& in hac deinde per aliquod utique tempus vixerunt) perſtitiſſent, & Romanæ Eccleſiæ tanquam obedientes filij matri ſuæ conſtanter adhæſiſſent. Argumenta etiam nihil prorſus evincunt. Itaque.

XI. Reſpond. ad 1. Apoſtolum agere in hoc loco de hæreticis, de quibus juxta expoſitionem Cornelij à Lapide & aliorum dicit: *non erant ex nobis*; quia aliquamdiu antequam exirent, publicè hæreſin ſpargentes jam occultè illam fovebant. Per quod minimè denotatur, quod ſemper eandem hæreſin foverint, ſicuti cum dicitur, Religioſus ille exivit à nobis, quia non erat ex nobis, non ſignificatur, illum nunquam vero animo Religioſum fuiſſe, aut bene ſe geſſiſſe, ſed aliquamdiu ante egreſſum ſic vixiſſe, ut partes Religioſi minimè faceret.

XII. Ad 2. 3. & 4. ex eodem Apoſtolo, agere D. Joannem in ijs quaſi in ſenſu compoſito, ut homo, quatenus manet in DEO, quatenus filius DEI, & natus ex DEO, quatenus bibit ex hoc aquâ, & utitur, retinétque gratiam Spiritûs Sancti, non peccet; & in hoc eodem ſenſu nec poteſt peccare mortaliter: uti è contrario is, qui peccat, tunc in actu exercito non rectè de DEO ſentit, per quod tamen non negatur, ullo modo, eundem antea noviſſe Deum &c. uti præter alios rectè hos textus explicat Tirinus. Eadem argumenta proſternuntur ab innumeris infantibus, qui à Lutheranis aut Calvinſticis prædicantibus baptizati ex eorum deinde grege ad Catholicam fidem ſe recipiunt. Nunquid infantes illi per lavacrum regenerationis acceperunt aquam illam juſtitiæ ſalientem in vitam æternam? nunquid nati ſunt ex DEO? & tamen (judiciô hæreticorum prædicantium.) peccant graviſſime tranſeundo ad idololatriam Papiſticam. Ecce quàm infantilia ſunt, quæ Catholicæ veritati obijciuntur.

XIII. Ad 5. Neque hoc argumentum ex Epiſt. ad Rom. 8. quidquam juvare Adverſarios. Nam etſi Apoſtolus habuiſſet pro ſe infallibilem revelationem de ſua perſeverentia, an ideo etiam omnes hæretici illam habere putandi ſunt? Sed nec Paulus de ſe ullam fidei certitudinem prædicat; nam ut optimè L. de morib. Eccl. c. 11. docet S. Auguſtinus, ita hic aſtruitur potentia & efficacia divini erga nos affectûs, ut tamen mens relinquatur propriæ malitiæ, ſocordiæ, & negligentiæ. Unde vocula: *certus ſum* non deſignat omnimodam & abſolutam certitudinem ſed ſolùm ex parte Dei, divinæque providentiæ: ex noſtra verò parte, non niſi conditionem, ſi Deo cöoperari, nec divelli ab eo velimus. Et hoc vult græcum πέπεισμαι quod tum hic, tum alibi ex mente Pauli idem eſt, quod perſuaſum habeo ſpero, confido, ut hic legunt S.S. Ambros, Hierony. Syrus. &c. imò & Eraſmus, Beza, Tremellius & plures alij heterodoxi, ut teſtatur Tirinus. Perinde ergo ſe habuit Apoſtolus, ac miles generoſus, qui ardore civitatis occupandæ incenſus ante aſſultum diceret: certus & reſolutus ſum, quod nec tela, nec ſaxa, nec ignes me à mænibus arcebunt, quin eadem conſcendam.

XIV. Quod ad ultimum ab Ameſio adjectum; patere ex hoc inſingnem in ejus ſcitiam, & eſſe eundem convitijs & mendacijs, quàm doctrinâ præſtantiorem. Eſt quippe certiſſimũ apud omnes Doctores

Doctôres formalem & completam infidelitatem (de qua in præſentiarum ſermo.) eſſe graviſſimum peccatum mortale; cum Deum mendacem faciat: eſſéque inter præcipua peccata, quæ ex malitia fieri dicuntur. Exempla non ſunt ad rem. Sara leviter hæſitavit, non obſtinatè, quod ad formalem completamque infidelitatem requiritur. Moyſes & Aaron ex nimia perturbatione non niſi venialiter peccârunt, ut diſertè affirmat S. Auguſt. q. 19. in libr. Num. Et L. 16. contra Fauſt. c. 17. atque plerique Doctores cum eo, quantumvis eorum incredulitatem DEUS morte temporali puniuerit. Zacharias non niſi leviter dubitavit abſq; pertinatia. Thomas Apoſtolus à mortifera pertinatia difficiliùs excuſatur, quàm cæteri Apoſtoli, quibus Marci ult. incredulitatem & duritiam cordis Chriſtus exprobravit. Hoc certum, illos non ex malitia, ſed ex perturbatione & humanâ fragilitate feciſſe. Videri poſſunt Cornel. à Lapite, Tirinus, & alij in cit. loc. Hæc de Juſtificat. Impij.

OPERA BONA: ET HORUM MERITA.

PRo hiſce intelligendis aliquid breviter præmittemus de differentia *Legis & Evangelij*. item *de Libertate Chriſtiana*, ex quorum prava expoſitione errores hæreticorum naſcuntur. Itaque Evangelium duobus modis ſumitur. 1. pro doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicâruut, & in Nova teſtamento cotinetur. 2. pro gratia Novi Teſtamenti, quæ *& Lex Scripta in corde, & Spiritus vivificans, & lex Fides* dici ſolet, quamtumvis nomen Evangelij in Scriptura nunquam accipi videatur, niſi priore modo, hoc eſt, pro doctrinâ. Unde in Evangelio non minùs quàm in Veteri Teſtamento continentur Leges propriè dictæ Math. 5. Comminationes ibidem. Et Promiſſiones cum conditione obedientiæ Math. 19. v. 17. *ſi autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; Et in quocunque ſtatu obligatio Legum divinarum principaliter intenta fuit, ut medium aquirendæ, retinendæ, ac recuperandæ gratiæ & amicitiæ divinæ; ſicut etiam eadem eſt ratio in quovis ſtatu comminationum & terrorum.

II. Sectarij ex comuni conſenſu inter Legem & Evangelium hoc diſcrimen ponunt, quod Illa proponat juſtitiam & ſalutem cum conditione totius legis implendæ; Iſtud verò promittat juſtitiam & ſalutem ſine ulla conditione, ſed abſolutè, vel cum ſolâ conditione Fidei. Hinc alterum deducunt diſcrimen, quod Lex terreat, Evangelium conſoletur. Sed graviſſimè hallucinantur, ut videre eſt apud Bellarminum, L. 4. de Juſtificat. c. 2. & ſatis ex dicendis conſtabit. Verum autem diſcrimen inter Legem & Evangelium eſt duplex. 1. quod Lex doctrinam inchoatam: Evangelium autem perfectam complectatur. Unde D. Thomas 1. 2. q. 107. & D. Auguſt. L. 6. de Civit. DEI c. 26. ajunt, Evangelium in Lege contineri, ut arborem in ſemine: Item Vetus Teſtamentum eſſe occultationem Novi: & hoc Novum Teſtamentum eſſe revelationem Veteris. 2. eſt, quod Lex per Moyſen data ſit, Evangelium verò per Chriſtum, qui non tantùm Legislatot uti Moyſes, ſed & Redemtor fuit; unde Lex venit in doctrina ſola: Evangelium inſuper cum gratia, ut, qui illud acceperunt, non modò per doctrinam inter virtutes & vitia diſcernerent, ſed etiam per gratiam diligerent juſtitiam, atque odio haberent iniquitatem. Aliæ differentiæ ſub utróque hoc diſcrimine involutæ videri poſſunt apud Bellarm. L. 4. de Juſtif. c. 4. Ex his apertè conſtat, uſque adeo operum neceſſitatem ab Evangelio non removeri, ut eam potius ad Evangelium pertinere demonſtretur.

III. Libertatem Chriſtianam Adverſarij in eo ponunt, ut nulli legi ſint ſubjecti in conſcientia ac coram Deo, Chriſtúmque habeant non pro Legislatore, ſed pro Redemptore. Nos autem eandem ex Evangelio & Apoſtolicis litteris aſſerimus, tribus in rebus eſſe ſitam. Nempe primò in libertate à peccato & morte, quæ ex peccato ſequitur, Joan. 8. v. 36. *Si ergo Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Secundò in libertate à jugo legis cæremonialis, & judicialis Hebræorum. Act. 15. v. 10. *Quid tentatu Deum, imponere jugum ſupra cervices, quod neque Patres noſtri, neque Nos portare potuimus.* Tertio in libertate à dominatu legis naturalis ſeu divinæ, & moralis, quâ fit, ut lex nobis non dominetur tanquam ſervis imminens flagello, ſed ut imperet liberis non adimendo legi vim obligandi, ſed addendo hominibus charitatem illam libenter implendi juxta illud Apoſt. Joan. 6 v. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratiâ.* Et 1. ad. Timoth. 1. v. 9. *Lex juſto non eſt poſita*; quippe ſub lege eſſe dicitur, qui à lege agitur ut ſervus: in lege verò eſt, qui ſecundum legem agit, ut liber. Videatur Bellarm. L. 4. cit. cap. 5. & 6. His promiſſis.

CONTROVERS. LVII.

AN DENTUR OPERA BONA meritoria in homino juſtificato?

GRatia Juſtificans non manet otioſa in homine, ſed inſtar bonæ ac fecundæ ſementis fructificat, idque efficit, ut opera hominis juſtificati fructum afferant in vitam æternam; quam gratiam ejúſq; effectum in tollendis penitus peccatis, quia negant hæretici, ipſa etiam opera bona ac meritoria inficiantur; unde iterum inter nos & ipſos ſurgunt graves fidei controverſiæ in præſenti decidendæ.

Digitized by Google

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**Octrina prima. Homo juſtus cum gratia Dei efficere poteſt opera verè bona. Ita Catholici Doctores Probatur 1. ex Sac. Scripura Job. 1. v. 11. dicitur : *In omnibus his non peccavit Job labijs ſuis.* Et ne de verbis ſolùm, non verò de operibus id accipiatur, ait de eodem Deus c. 2. v. 3. *vir ſimplex ac rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Non obſtat quod c. 3. v. 1. maledixerit diei ſuo ; nam ex eo non peccavit, ut contra quoſdam hebræos & noſtros hæreticos tenent Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hilarius, D. Bonaventura, Scotus & alij. quia id non fecit ex impatientia, ſed interni doloris externâ, ordinatâque oſtenſione. videatur Pineda in cap. 3. Job. Similiter David non ſolùm opera ſua juſtitiæ nomine ornanda cenſebat, ſed etiam in diverſis pſalmis confidebat, ea in judicio ſubſiſtere poſſe; alioquin pſal. 7. v. 9. petens *judicari ſecundùm juſtitiam ſuam* pro abſolutione damnationem quæſiviſſet. Matth. 6. v. 22. ait Chriſtus : *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit.* Et Lucæ 11. v. 36. *Si ergo corpus tuum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulguris illuminabit te* ; Ubi ſine dubio deſcribit opus perfectè bonum ex genere ſuo & intentione alijſque circumſtantijs, quale opus veritas pronunciat lucidum totum, nec habens ullam partem tenebrarum. Ad Galat. 5. Apoſtolus diſtinguit inter opera carnis, & fructus ſpiritûs ; & de illis dicit v. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, idolorum ſervitus, ira, rixa ; qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur: fructus autem Spiritûs eſt charitas, Gaudium, Pax, &c. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ; ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Si autem omnia opera juſtorum ſunt mala, quomodo ſunt fructus Spiritûs Sancti ? quomodo illi, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, ſi omnia ex concupiſcentijs fiunt, & vitia ſunt? Probatur 2. ex SS. Patribus D. Chryſoſt. Serm. in Beatos Job & Abraham dicit : *Dives erat Job ex benedictionibus, utebaturq; pro neceſſitate divitijs, ita ut ſatiando pauperes dæmonem mirum in modum contriſtaret; bona enim opera humana plagæ & vulnera ſunt dæmonibus &c.* quomodo autem plagæ ſunt dæmonibus, quæ illis placent ? D. Ambroſius in L. de Apolog. David. ſic ait : *Etenim quia ſine peccato non poteſt eſſe humana fragilitas, cavendum eſt, ne plura peccata ſint, quàm opera virtutum &c.* ubi loquitur de peccatis venialibus, & illa diſtinguit ab operibus virtutum, ut patet. D. Hieronymus in c. 22. per veſtem nuptialem intelligens internam juſtitiam, & bona opera ſic ſcribit : *Veſtis nuptialis præcepta ſunt Domini, & opera, quæ complentur ex lege & Evangelio, novique hominis efficiunt veſtimentum ; ſi quis igitur in tempore judicij inventus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtem nuptialem, hoc eſt, veſtem ſupercæleſtis hominis, ſed veſtem pollutam, id eſt veteris hominis exuvias, hic ſtatim corripitur, & dicitur ei, amice quomodo huc intraſti* ? plura Scriptura & Patrum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarm. L. 4. de Juſtif. à c. 15. & alij.

II. Probatur 3. Ex dictis de Juſtificatione controv. 52. doctrinâ. 3. nempe in juſtificatione penitus tolli omnia peccata, & infundi gratiam, ſeù juſtitiam inhærentem, quæ facit hominem Deo gratum, amicum, & ab omni contagione mundum ac liberum. Unde ſic argumentari poſſumus. Sicut ab homine injuſto & immundo ac peccatis obnoxio procedunt opera injuſta immunda & vitioſa, ita ab homine juſto mundo & interioris gratiæ donis ornato procedunt opera juſta munda & DEO grata ; quò ſpectat illud Chriſti Matth. 7. v. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere:* Et illud Joan. 15. v. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hinc Probatur doctrina noſtra 4. duplici hâc ratione. Prima. Arbor bona non poteſt facere fructus malos. Sed homo juſtus eſt arbor bona juxta illud Pſal. 91. v. 13. *Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Ergo homo juſtus non poteſt facere malos fructus. Quomodo ergo Sectarij dicere auſint, omnia ipſorum opera eſſe damnabilia. Altera. Omnis palmes, qui eſt in vite fæcunda facere poteſt fructum bonum. Atqui Apoſtoli omnéſque juſti quà tales ſunt palmites in Chriſto velut fæcundiſſimâ vite exiſtentes, & inde ſuccum humorémque divinij auxilij trahentes. Ergo Apoſtoli omnéſque juſti poſſunt facere fructum. Ergo horum opera non ſunt mala, ſed bona ; iſta enim dicuntur illorum fructus.

III. *Doctrina ſecunda.* Juſtificatis opera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem. Ita omnes Catholici Doctores. Probatur 1. ex ſac. Scriptura Math. 7. v. 21. *non omnis, inquit Chriſtus, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum Cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei &c.* Lucæ 10. v. 25. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo.* & mox v. 28. *hoc fac, & vives.* Iacobi 2. v. 14. *quid proderit, fratres mei, ſi quis fidem ſe habere dicat, opera autem non habeat nunquid fides poterit ſalvare eum?* Sac. Scripturæ conſentiunt P. P. è quibus D. Chryſoſt. hom. 30 in Joann ſic ſcribit: *qui credit in filium, habet vitam æternam ; nunquid ergo ſatis eſt ad vitam æternam credere ? minime. Namſi in Patrem & Filium & Spiritum S. rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad ſalutem utilitas.* Et mox : *qui credit in Filium habet vitam æternam, non tamen dicimus, ſatis eſſe ſolùm fidem ad ſalutem.* Hieronym. Comment in Jſaiam ad c. 26. *non ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.* S. Auguſtinus L. de dogmatibus Eccleſiaſtic. c. 32. *tanta eſt* inquit. *erga homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Jdem ſerm. 35. ſic ſcribit. *Filius hominis Venturus eſt in gloria ſua cum Angelis ſuis : & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua, Matth. 15.. Diligenter, quæſo attendite Fratres & mecum pariter paveſcite; quia non dixit quod reddet unicuique ſecundùm miſericordiam ſuam, ſed ſecundùm opera ſua, hic enim eſt Miſericors, ibi juſtus. Plura Scriptura &* Patrum teſtimonia adduximus ſupra. Contr. 52. quæ pro hac etiam doctrina militant Ratio eſt. Quia omnes Juſti tenentur obſervare legem Dei, hoc eſt operari, & gratiam per baptiſmum aut alio modo acquiſitam non amittere, adeoque cum mundo carne & diabolo certare; quod certamen cum ex una parte difficillimum ſit ; ex alterâ verò omnino neceſſarium, teſte Matth. 11. v. 12. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti*

lenti

lenti rapiunt illud. apertè ſequitur, ipſa quoque opera bona talis certaminis prorſus neceſſaria eſſe, quibus regnum illud cœlorum obtineatur. Per hoc tamen non negamus, aliquos non ſervatâ lege, aut nullo facto opere ſalvari, qui in fine vitæ credentes aut dolentes per Baptiſmum aut alium modum Chriſto verè reconciliati ſtatim moriuntur ſive illi ſint infantes ſive adulti; quia ſalus illis non, ut bravium vel corona, ſed ut gratia duntaxat, ſeu hæreditas contingit, ut docent Theologi de Prædeſtinat.

IV. *Doctrina tertia.* Juſtus ſeu Amicus DEI cum gratia divina efficere poteſt opera, quæ ſint meritoria, & mercede vel præmio digna. Ita omnes Catholici, & definitur in Tridentino Seſſ. 6. de Juſtif. c. 26. atque ex innumeris S. Scripturæ locis oſtenditur. Nam Inprimis Chriſtus *mercedem* Juſtorum in Cœlis copioſam aſſerit futuram Math. 5. v. 12. *gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*; & eam quidem pro *labore* noſtro dandam, tanquam in vinea ſudantibus denarium. Math. 20. v. 10. *acceperunt autem ſingulos denarios*: tanquam juſtitiæ *coronam* 2. ad Timoth. 4. v. 8. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ &c*: tanquam currentibus *bravium*. 1. ad Corinth. 9. v. 24. *omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium, ſic currite ut apprehendatis*: tanquam *mutuum*. Prov. 19. v. 17. *fænerentur domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei*: tanquam *depoſitum*. 2. ad Timoth. 1. v. 12. *potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Merces autem, Labor, Corona, Bravium, Mutuum, Depoſitum ſunt correlativa, quibus reſpondet meritum; quod enim immerito datur, donum eſt, non merces. Deinde totam cauſam, ob quam æterna vita tribuitur, Chriſtus plurimis in locis adſcribit bonis operibus per particulas *Enim, Quia, Ideo.* Math. 25. v. 35. *eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*; & ibidem. v. 23. *quia ſuper pauca fuiſti fidelis ſuper multa te conſtituam &c.* Apoc. 7. v. 15. *ideo ſunt ante thronum DEI.* Hiſce autem manifeſtè ſignificatur, labores toleratos ſeu bona opera eſſe cauſas retributionis aquiſitæ. Porro bona opera non ſolùm eſſe cauſam præmij, ſed ex juſtitia præmium æternum illis dandum, divinus Spiritus aſſerit 2. ad Teſſalon. 1. v. 6. & 7. *juſtum eſt apud Deum, retribuere vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum.* 2. ad Timoth. 4. v. 8. cit. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex.* Ad Hebr. 6. v. 10. *non enim injuſtus eſt DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri.* Quin imò ſic Chriſtus æternam vitam promiſit, ut promiſſio ab operibus dependeat, & ei qui opera implet, jus exigendi promiſſam mercedem competat. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* & ibidem v. 19. *omnis qui reliquerit domum fratres. &c. vitam æternam poſſidebit.* 1. ad Timoth. 4. v. 8. *pietas ad omnia utilis eſt promiſſiones habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Denique Juſtorum opera præmio æterno digna eſſe, aſſeruit apertè S. Scriptura Sap. 3. v. 8. *DEUS tentavit eos, & invenit eos dignos ſe* 2. ad Theſſalon. 1. v. 5. *ut digni habeamini regno DEI, pro quô & patimini.* Luc. 20. v. 35. *illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione.* Apoc. 3. v. 4. *& ambulabunt mecum, quia digni ſunt.* Cum ergo dignitas in Juſtis inveniri debeat, non poteſt eſſe alia, quàm paſſionum, teſte Paulo ad Theſſal. cit. ſive operum; ſi autem opera in ſe dignitatem habeant, meritum quoque habeant neceſſe eſt.

V. Confirmatur doctrina noſtra hâc ratione. Quia lumine naturæ agnoſcimus, DEUM eſſe, eumque eſſe Remuneratorem, quod ipſos etiam Philoſophos ethnicos non latuit, teſte Apoſtolo Rom. c. 1. v. 21. *Quia cum cognoviſſent DEUM; non ſicut DEUM glorificaverunt.* Atqui DEUS Remunerator maxime eſt, ut bonis Juſtorum operibus mercedem retribuat, ſicut malis impiorum pœnam, ut novimus ex Math. 25. Ergo ut mala opera habent ex demerito damnationem, ita bona opera ex merito ſuo remunerationem. Hoc non minùs Sectarij, quàm nos Catholici profitentur in Symbolo D. Athanaſij: *inde venturus eſt judicare vivos & mortuos: ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus, & reddituri ſunt de factis proprijs rationem; & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum. Hæc*, inquit S. Pater, *eſt fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Unde D. Auguſt. epiſt. 46. ad Valentin breviter & pulchrè ſic pronunciat: *ſi non ſunt merita, quomodo DEUS judicabit hunc mundum?*

VI. *Doctrina quarta.* In bonis operibus ac meritis, quæ verè talia eſſe compertum ſit, fiducia aliqua collocari poteſt. Probatur exemplis S. Scripturæ. Legimus enim L. 2. Eſdræ. c. 5. Nehemiam virum Sanctum eunmerare ſua opera bona, & dicere DEO v. 19. *memento mei Domine in bono ſecundùm omnia, quæ feci populo huic.* Item Davidem Pſal. 17. ſic v. 21. canentem: *& retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, quia cuſtodivi vias Domini.* Et Ezechiam orantem apud Iſaiam. c. 30. v. 3. *obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim* &c. S. Paulum. 2. ad Tim. 4. ſic ſua predicantem v. 8. *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ &c.* Ratio eſſe poteſt, quia ſicut miſericordia Dei, ita & bona opera meritoria ſunt vera cauſa ſalutis; licet autem confidere in cauſâ; neque hoc eſt confidere in propriâ virtute, ſed in DEO & ejus gratia, cujus ſunt munera omnia humana merita; aliud quippe eſt fiduciam (quæ ex 2. 2. S. Thomæ q. 129. a. 6. eſt perfecta quædam ſpes) naſci ex meritis: aliud fiduciam in merito poni debere; fieri quippe poteſt, ut quis exiguam aut bene nullam fiduciam in meritis ſuis ponat, eò quod non certò ſciat, an habeat merita, & tamen veris magniſque meritis abundet, & ex illis fiducia in ipſo erga Deum maxima oriatur.

VII. *Doctrina quinta.* Propter incertitudinem propriæ juſtitiæ & periculum inanis gloriæ tutiſſimum eſt, fiduciam totam in ſola DEI Miſericordia & benignitate reponere. Ita habeat uſus S. Eccleſiæ, quæ in can. Miſſæ poſt conſecrationem orat: *intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus Largitor admitte.* Ratio eſt, quia vel habet homo merita, vel non habet; ſi poſterius, pernitioſé fallitur: ſi prius, nihil perdit ex eo, ſi illa non intueatur, ſed in Deo ſolo confidat; etenim Deus eadem optimé novit & intuetur, nec inremunerata illa eſſe patietur; ex quô pulchre elucet, Miſericordiam & veritatem in negotio ſalutis noſtræ ſibi objuvare; Juſtitiam &

Pacem

Digitized by Google

quod peteremus. Deinde poſſumus omnino petere aliquid, quod jam habemus, nempe ejus conſervationem & incrementum juxta D. Cyprian. Serm. de orat. Dominicâ. ubi, *id*, inquit, *petimus & rogamus, ut qui in baptiſmo Sanctificati ſumus, in eo quod eſſe cepimus, perſeveremus &c.* Denique non pro omni opere noſtro (pro multis enim gratias agimus, non veniam petimus) ſed pro mortalibus aut etiam venialibus delictis, quæ bonis operibus miſcentur, dicimus: *dimitte nobis debita noſtra.*

XII. *Error ſecundus.* Opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem. Sequitur iſte error ex priori: item ex diſcrimine, quod faciunt inter Legem & Evangelium. Rurſus ex libertate, quam ponunt, in exemptione à debito legis implendæ. Denique ex impoſſibilitate legis implendæ; de quibus ſupra. Unde clarè conſtat, immeritò conqueri Confeſſionem Auguſtanam art. 20. item alios Sectarios in ſuis libris, injuriam fieri Lutheranis & Calviniſtis prædictum errorem illis adſcribendo, quem tamen ipſorum Patriarchæ apertè tradunt. Lutherus Serm. de piſcatura Petri: *Erga Deum*, ait, *non operibus, ſed nudâ fide indigemus; debemus enim cum ſolo Iſaac venire, id eſt, in Fide: ſervos & aſinos, hoc eſt opera deorſum dimittere oportet. Quantò ſceleratior es, tantò citius Deus ſuam gratiam infundit.* Similia habet in Lib. de libertate Chriſtianâ. In Serm. *Sic Deus dilexit mundum &c.* In Comment. ad Cap. 2. ad Gal. In Serm. de Miſsâ privatâ &c. Calvinus verò L. 3. Inſtit. c. 14. §. 11. *Duobus hic*, inquit, *fortiter inſiſtendum, nullum unquam extitiſſe pij hominis opus, quod ſi ſeverô DEI judiciô examinaretur, non eſſet damnabile.* Similia habet alibi. Quæ certè omnia ita aperta ſunt, ut excuſationi non relinquant locum. Hanc Lutheri & Calvini mentem, etſi Sectarij Recentiores nonnihil mitigent, minimè tamen errorem ſuum ex integro emendant. Nam fatentur quidem opera bona eſſe neceſſaria, ſed tantùm vel neceſſitate mandati cultûs Deo debiti, & officij proximo præſtandi: vel neceſſitate præſentiæ, ita ut non habeant efficaciam & relationem ad ſalutem, quaſi ſint merita, cauſæ, conditiones &c. Sed ſint meri fructus, vel indices fidei. Probant 1. quia oppoſita doctrina eſt Pſeudoprophetarum, qui præter fidem etiam opera exigebant. Act. 15. v. 1. & ſequentib. Probant. 2. quia eadem doctrina pugnat cum S. Scriptura ad Rom. 4. v. 6. *Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus.* Et ad Epheſ. 2. v. 8. & 9. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Probant. 3. quia ſequeretur inde, neminem, qui bona opera non egiſſet, in fine vitæ converſum ullo modo ſalvari poſſe.

XIII. Erroris hujus ineptia manifeſtè perſpicitur, & reijcitur ex ipſis Adverſariorum principijs. Nam volunt legis obſervationem eſſe impoſſibilem. Ergo bona opera non poſſunt eſſe neceſſaria ex neceſſitate mandati; quæ enim impoſſibilia factu, non poſſunt à Deo, ut neceſſaria, mandari. Deinde volunt etiam omnia opera noſtra eſſe meras ſordes, maculata, inſtar panni menſtruati, pernitioſa ad ſalutem &c. Ergo non poſſunt eſſe neceſſaria neceſſitate tranquillandæ conſcientiæ, aut officij charitatis proximis præſtandi, neque fructus boni, ac indices ſalvificæ fidei. Unde apparet, Sectarios merum facere fucum, & ſimplici plebi imponere velle; cum enim operum neceſſitas clariſſimè in Scriptura aſſeratur, ſolummodo fingunt alias neceſſitates, ne Sacræ Sciptura contradicere videantur.

XIV. Reſpond. ad 1. in oppoſitum; quod ex Act. Apoſt. 15. affertur, id nihil prorſus facere ad rem. Nam agitur ibi de operibus Legis Moſaicæ, quæ definierunt Apoſtoli, nihil amplius prodeſſe, ut patet ex iſtis verbis v. 1. *Niſi circumcidamini non poteſtis ſalvari &c.* ubi per Synecdochen ſub circumciſione intelligitur tota lex Moyſis. Ad 2. ex 4. ad Rom. velle Paulum nos juſtificari non ex proprijs naturalibus operibus, ſed gratis ex fide & gratiâ Chriſti, ut ex S. Auguſtino docet Vaſq. in 1. 2. Tom. 2. D. 210. cap. 8. in eundem ſenſum intelligendus eſt S. Apoſtolus ad Epheſ. loc. cit. Ad 3. ſupra jam dictum eſt §. 3. in fine, quomodo vitam æternam infantes vel homines adulti ſine ullo opere bono converſi & ſtarim morientes conſequi poſſint.

XV. *Error tertius.* Non dantur bona opera, quibus juſti apud Deum mereantur vitam æternam. Ita Lutherani apud Gerhard. in Confeſſ. L. 2. P. 3. à fol. 824. Calviniſtæ apud Ameſ. L. 4. à fol. 183. & cæteri hodie communiter Sectarij, quantumvis Confeſſio Auguſtana & Apologia art. 20. concedant opera juſtorum placere Deo, ex fide ſcilicet & indulgentia Dei. Item mereri præmia aliqua extra vitam, & ſalutem æternam; quia nimirum fide ſolâ homines juſtificari & ſalvari arbitrantur. Probant varijs argumentis *Primum*: Id quod datur gratis, non datur ex merito. Sed vita & ſalus æterna gratis dantur. Ergo non ex merito. Major patet per ſe, quia meritum & gratuitum invicem opponuntur. Minor probatur ex S. Scriptura ad Rom. 6. v. 23. *Gratia DEI vita æterna in Chriſto JESU Domino noſtro.* Ibidem c. 9. v. 16. *non volentis neque currentis, ſed miſerendis eſt DEI.* Rurſus c. 11. v. 6. *reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.* Si autem gratia, jam non ex operibus alioquin gratia jam non eſt gratia. 2. Ad Timoth. 1. v. 9. *DEUS nos liberavit & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto JESU.* *Secundum* hæreditas non datur ad meritum. Sed vita æterna eſt hæreditas 1. Petri 1. v. 4. Ergo &c. *Tertium.* Neceſſitas bonorum operum noſtrorum ad vitam æternam conſequendam derogat honori Chriſti, quaſi ipſe ſuis operibus non ſatisfeciſſet pro noſtris peccatis, nec gloriam nobis ſufficientem promeritus fuiſſet. *Quartum.* Omnia noſtra opera ſunt alioquin DEO debita varijs titulis, creationis, redemptionis, dominij, cöoperationis &c. Ergo nihil merentur; qui enim ſolvit debitum, nihil meretur; quod clarè expreſſit Chriſtus Lucæ 17. v. 9. per ſimilitudinem Domini & ſervi: *Nunquid gratiam habet ſervo illi, qui fecit, quod ei imparaverat; non puto. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta vobis ſunt, dicite, ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Imò Deus ipſe facit bona opera noſtra. Iſaiæ 26. v. 12. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis Dominus.* Ad Philip. 2. v. 2. *qui operatur in nobis velle & perficere.* *Quintum*: Noſtra opera nullo modo reſpondent gloriæ Cœleſti. Ergo illam de condigno non meremur. Antecedens probatur ex Apoſt. Ad Rom. 8. v. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* *Sextum.* Quo modo parvuli juſtificantur & ſalvantur, eo etiam modo adulti juſtificantur & ſalvantur; quia unus eſt juſtificatio-

nis & ſalvationis modus, & ratio in omnibus juſtificatis & ſalvatis; unde ait Chriſtus Marci 10. v. 15. *Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Atqui parvulis baptizatis vita æterna donatur ſolò jure hæreditatis. Ergo etiam adultis baptizatis & credentibus vita æterna datur ſolò jure hæreditatis. *Septimum* denique. Nomen meriti nuſquam reperitur in Sac. Scriptura, ſed ab hominibus eſt confictum. Ergo meritò reſpuendum.

XVI. Hunc Errorem ita apertè refellunt teſtimonia Sac. Scripturæ priore parte adducta, ut non niſi ex odio Catholicorum & pruritu contradicendi Eccleſiæ ortus eſſe videatur; quod non obiter inſinuat Calvinus in antidoto cum enim retuliſſet, Patres Concilij Tridentini, Seſſ. 6. c. 16. definiviſſe, juxta verba & ſenſum Scripturæ vitam æternam eſſe mercedem bonorum operum, ait ipſe non minùs impudenter, quàm audacter, *in eo ego diſſentio*; quaſi verò eandem authoritatem haberet, quod ipſe ex ſuo cerebro corrupto, ac SS. Patres ex SS. Litteris ſentirent. Moderatiores ſunt poſteriores Sectarij, qui fatentur quidem, vitam æternam eſſe mercedem, & dari intuitu bonorum operum (cum hoc clariſſimè aſſerat Sac. Scriptura) non tamen dari ex merito & dignitate ipſorum operum, ſed ex mera DEI promiſſione & liberalitate. Verùm & iſti errant. Nam ſi datur vita æterna intuitu bonorum operum, ſeu propter bona opera, certè datur ex merito bonorum operum, quod convincunt rationes à nobis propoſitæ. Argumenta in contrarium nihil evincunt.

XVII. Reſpond. *ad Primum.* diſtinguendo Majorem. Id quod datur gratis, non datur ex merito, ſi totaliter ſit gratuitum, concedo: ſi tantùm originaliter negatur. Nam quia gratia actualis eſt origo gratiæ ſanctificantis: hæc verò tribuit valorem operibus, quibus meremur vitam æternam, ideo vita æterna dicitur gratia. Unde etiam clareſcit, cur eadem vocetur corona Juſtitiæ & Miſericordiæ; illud 2. ad Timoth. 4. v. 8. hoc pſal. 102. v. 4. quia ſcilicet Paulus in priore ad merita: David in poſteriore ad gratiam illorum radicem reſpexit. *Ad ſecundum* negando Minorem. Nam beatitudo cœleſtis duobus titulis dari poteſt, hæreditatis ſcilicet & præmij; priore dat DEUS vitam æternam Juſtis tanquam Filijs Adoptivis per gratiam ſanctificantem: poſteriore tanquam Operarijs bene laborantibus in Vinea Domini ſeu Militibus præclarè pugnantibus & vincentibus; qui modus dandi eſt illis honorificentior, & jucundior; quamvis non ſolùm nudam æſtimationem adjungat, ſed eſt phyſicum augmentum; etenim adultis propter merita multò major gratia & gloria datur, quàm infantibus poſt baptiſmum morientibus, qui cæleſtem gloriam ſolo titulo hæreditatis accipiunt, ut diximus ſupra. *Ad Tertium.* noſtra merita nihil derogare honori Chriſti. Nam 1. gratia prima ſanctificans & gloria datur propter ejus merita, nos enim de condigno mereri illam non poſſumus, ut ex dictis patet. 2. etiam augmentum gratiæ & gloriæ ſæpe datur propter merita Chriſti, quando ſcilicet per uſum Sacramentorum confertur abſque noſtro merito condigno. 3. etiam merita noſtra condigna pendent ex meritis Chriſti propter quæ datur gratia actualis, & prima gratia Sanctificans. 4. noſtra merita non requiruntur ex defectu meritorum Chriſti, ſed ex ſpeciali decreto DEI, quod cedit in majorem gloriam Chriſti, quia demonſtrat ejus potentiam, & liberalitatem; potentiam quidem, quod tantùm nobis gratiæ contulerit, ut jam ipſi mereri poſſimus: liberalitatem verò, quia voluit nobiſcum communicare ſuam gloriam in merendo, ut præmium nobis honorificentius & amplius foret. Cum igitur operum noſtrorum merita non tendant ad aliquid novi promerendum, quod Chriſtus non promeruit, ſed ſolùm ad ejus ſatisfactionem nobis applicandam, ideo nequaquam illa honori hujus derogant; imò ſicut viti eſt honori palmitum fertilitas, ita Chriſto fœcunditas bonorum operum, à quo iſta præſtantiam ſuam trahunt, ſicuti palmides à vite.

XVIII. *Ad quartum.* diſtinguendo Antecedens. Omnia noſtra opera ſunt DEO debita, ſi velit uti ſuo jure, Concedo: ſi jus ſuum remittat, & nobis condonet, Nego. Nam benignus & liberalis Deus noluit ſummo jure nobiſcum agere, ſed actiones noſtro arbitrio & dominio ſubjecit, ac certo pretio nobiſcum eſt pactus; quæcunque enim agimus bona, potuiſſet nobis præcipere, ſed pauciſſima præcepit, reliqua verò tantùm conſulvit; & quæ præcepit, noluit gratis exigere. Cum ergo Chriſtus Luc. 17. dixit, nos eſſe ſervos inutiles, id eſt, pigros, qui nihil ultra debitum faciunt, intelligendum cum tacitâ conditione: ſi vellem jure rigido vobiſcum procedere, nihil mercedis vobis deberem, tanquam mancipijs, ſed ſponte me obligo ad remunerationem. Ita locum hunc exponit D. Auguſt. Serm. 3. de verb. Dom. Aliter eundem explicant D. Ambroſ. & V. Beda in commentar. qui itidem non ſunt contra bonorum operum merita, ut patebit legenti. Benevolus Lector obiter hic advertat, quomodo hæretici S. Scripturâ abutantur; paulò ante objecerunt, nos eſſe Filios, & vitam æternam deberi nobis titulo hæreditatis ſine ullo noſtro labore: Nunc objiciunt, nos eſſe ſervos inutiles, quibus nihil debeatur; ſcilicet hoc agunt, ut veritatem oppugnent, quocunque modo id fiat. *Ad quintum.* iterum diſtinguendo Antecedens. Noſtra opera non reſpondent gloriæ cæleſti, ſi ſpectentur phyſicè ſecundùm laborem & dolorem, quem in ſe continent, Concedo; quia gaudium cœleſte incomparabiliter majus eſt, quàm moleſtia & miſeria hujus vitæ, ut affirmat Apoſt. loc. cit: ſi verò ſpectentur moraliter ſecundùm dignitatem & valorem moralem, quem habent ex ſupernaturali gratia & ſanctitate. Nego. Sic enim acquirunt pretium gloriæ cœleſtis; perinde ut in rebus humanis moneta phyſicè conſiderata ſecundùm naturam metalli auri vel argenti nec minimam Aviculam adæquat; at ſi attendamus valorem moralem, quem habet moraliter ex hominum æſtimatione, non ſolùm æquat, ſed etiam ſuperat pretium quorumcunque animalium & hominum, ut patet in mancipijs, quæ paucis florenis veneunt. *Ad Sextum.* Argutationem hanc eſſe prorſus puerilem, in qua tot vitijs laborat unica Major propoſitio cum ſuis fulcimentis ficulneis. Si enim omnimoda paritas inter parvulos & adultos in diſpoſitione ad juſtificationem & ſalutem requiritur (de diſpoſitione enim, non de causâ formali, ea propoſitio loqui poteſt.) Ergo etiam Parvuli debent habere illam fidem actualem ſpecialem, quæ per dilectionem operatur, ſervat mandata &c. quæ ſunt

mera

Digitized by Google

mera deliria. Ratio, quâ fulcitur Major, eſt mera principij petitio aut variatio phraſis potius. Chriſti verba male in rem præſentem trahuntur; cum etiam juxta Gloſſ. Jenenſ. aliud ibi Chriſtus non doceat, quàm niſi converſi fueritis ab ambitione illa primatûs, & efficiamini ſicuti parvuli, id eſt, quales ſunt iſti per ætatem, vos per voluntatem reddamini, puta humiles, ſimplices, invidiæ & ambitionis expertes &c. Videatur Tirinus in cit. text. *Ad ſeptimum* denique negatur conſequentia. Non enim neceſſum eſt, hoc meriti nomen in Scriptura reperiri, modo res ipſa reperiatur alijs verbis expreſſa. Sicuti exprimitur nomine præmij, vel mercedis; alioquin etiam SS. Trinitas erit neganda; cum hoc nomen nunquam in Scriptura reperiatur. Deinde negatur Antecedens; legimus enim in Eccleſiaſt. 16. v. 15. *Miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum ſuorum operum.* Ad Hebr. 13. v. 16. *beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtijs promeretur DEUS.*

XIX. *Error quartus.* In operibus bonis ac meritis ſuis Juſti nullam fiduciam collocare poſſunt. Ita Lutherani & Calviniſtæ conſequenter ad alios ſuos errores. Probant 1. ex c. 10. Joan. ubi Chriſtus mercenarios reprehendit. 2. ex S. Bernardo in L. de diligendo DEO, ubi ſic ſcribit: *non ſine præmio diligitur DEUS, etſi abſq; præmij intuitu diligendus ſit; vacua nempe vera charitas eſſe non poteſt*, *nec eſt.* 3. ex S. Thomâ. qui 2. 2. q. 19. a. 4. ad 3. docet, omnem mercenarium cum verâ charitate conſiſtere non poſſe. 4. ratione. Tum quia ſervile ac ſordidum videtur, operari propter mercedem. Tum quia DEUS amore amicitiæ non concupiſcentiæ diligendus eſt. His Ameſius Tom. 4. fol. 494. adjungit quaſdem ſequelas ex noſtris doctrinis, quaſi agnoſceremus pernitioſam ac periculoſam eſſe doctrinam de juſtificatione ex meritis.

XX. Error iſte omni S. Scripturæ, Patrum, & Rationis ſuffragio deſtituitur; unde Ameſius more ſuô ad calumnias vertitur, & loc. cit. Card. Bellarminum confert Baalamo, qui poſt varias incantationes, quibus coactus eſt maledicere Iſraëlitis, divinitus tamen adigebatur, ut benediceret ipſis. Sic dicit, *Bellarminum poſtquam integris aliquot libris omnes nervos intendit meritis contra gratiam DEI propugnandis, ſubitò hîc in fine mutatum tollere omnem meritorum uſum, & ad ſolam gratiam confugere*; quaſi verò Cardinalis Bellarminus negaſſet merita, dum propter incertitudinem propriæ juſtitiæ utiliſſimum eſſe affirmavit, omnem noſtram juſtitiam in ſola DEI miſericordia & benignitate ponere. Ecce quomodo nugaciſſimus hic Sycophanta dum omnia alia illi deſunt, ad errorem ſuum tuendum & ad obeſa ſua mendacia convertatur. Argumenta futilia ſunt.

XXI. Reſpond. Ad 1. 2. & 3. Mercenarios propriè non vocari, niſi qui mercedem ſolam, aut præcipuè intuentur; iſti enim ſunt, qui ſi merces nulla preſto eſſet, Domino non ſervirent. Hos igitur Dominus, nec non D. Bernardus, & S. Thomas meritò reprehendunt; nos autem poſt Bellarminum non dicimus, in bonis operibus ſolùm vel præcipuè ſpectandam eſſe mercedem, ſed DEUM, ejuſque gloriam tanquam finem ultimum: mercedem autem tanquam finem ſecundarium, qui propter DEUM ejuſque gloriam expetatur; cupimus quippe DEUM videre, atque ex ejus viſione felices effici, ut tantò ardentiùs & teneriùs Dominum diligamus. Ad 4. Servile ac ſordidum eſſe, intueri mercedem opere ipſô ac labore viliorem, id quod faciunt mercenarij DEO præcipuè propter bona temporalia ſervientes: non juſti, qui ſpectant mercedem eminentiſſimam in ipſius DEI viſione conſiſtentem. Ad 5. Amorem concupiſcentiæ propriè dici, cùm quis alterum diligit potiſſimum propter ſe, non propter illum; ſi enim quis diligat amicum, præcipuè propter ipſum, etiamſi ſecundariò mercedem operis ab illo expectet, cenſet rectè Bellarm. L. 5. de Juſtif. c. 9. adhuc amori amicitiæ accenſeri poſſe. Adjectæ ſequelæ Ameſij digniſſimæ ſunt deſperato Lutheri & Calvini Evangelio, & ad nihil faciunt, niſi ad miſeram plebem deludendam.

CONTROVERS. LVIII.

DE NATURA ET CONDITIONE meriti, & quæ ſub hoc cadant?

MEritum eſt opus cedens in honorem ſive obſequium alterius, quatenus potens eſt movere ad illud munere aliquo compenſandum. Talia ſupernaturalia opera in Juſtis reſpectu DEI dari, hactenus ſtatuimus; quia verò non quælibet actio hominis juſti eſt meritoria, & capax hujus valoris à coexiſtente gratiâ recipiendi, nec quidlibet impetrari per illam poteſt; videndum nunc, quid ad meritum requiratur, & quæ ſub iſtud cadant, eâ tamen moderatione, ut ſcholaſticis diſceptationibus non ultra limites noſtros immoremur.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. CArdinalis Bellarminus L. 5. de Juſtif. c. 2. requirit Septem conditiones ad hoc, ut aliquod opus dici poſſit verè ac propriè meritorium. 1. ut ſit bonum. 2. ut fiat in obſequium Dei. 3. ut qui meretur, ſit viator. 4. ut ſit opus liberum. 5. ut qui meretur, ſit amicus ac gratus Deo. 6. ut intercedat promiſſio. 7. ut opus ex charitatis virtute procedat. Eſparza de Act. hum. q. 31. & nonnulli alij Recentiores addunt 8. Conditionem, ut opus ſit arduum. Statuamus de ſingulis breviter.

Doctrina prima. Opus Meritorium debet eſſe bonum, & virtuoſum, Ita omnes Catholici. Nam peccata pænam merentur, non præmium, nec quiſquam niſi extremè impius flagitia remuneratur. Nonnulli tamen Doctores exiſtimant ad temporale præmium ſufficere actum bonum ex objecto, licet malo fine aut aliâ circumſtantiâ vitiatum; quod probant aliquot exemplis S. Script. Exod. 1. v. 21. Obſtetrices ægyptiacæ ob infantes Judæorum ſervatas largam à DEO remunerationem acceperunt; *quia obſtetrices timuerunt DEUM,*

ædificavit eis domos, hoc eſt, prole & opibus locupletavit; quod factum ex objecto quidem bonum, ſed mendacio inquinatum fuerat; finxerunt enim fæminas Judæorum non uti operâ obſtetricum; unde S. Gregorius 18. Moral. c. 2. ait: *culpa mendacij terrenam mercedem accepit.* Ezech. 29. v. 19. Nabuchodonoſori Regi Aſſyriorum propter bellum Judæis illatum (licet injuſtum & malo fine) DEUS mercedis loco dedit ſpolia Ægypti, quod ſaltem materialiter divinæ voluntati obſecundaſſet puniendo ſcelera Judæorum. Hæc opinio jure reijcitur à Theologis. Tum quia *bonum eſt ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*; nec ſufficit objecti bonitas, niſi omnes circumſtantiæ ſint bonæ. Tum quia Deus non abſtrahit, ſed adæquatè ponderat hominum actiones; alioqui nullum fere peccatum foret, in quô non aliquid boni ex objecto & circumſtantia, præmio dignum reperiretur. Hinc infero, etiam actum indifferentem non poſſe eſſe opus meritorium. Nam DEUS nequit amare res aliter, ac ipſæ amari poſtulant; ſicut ergo amare non poteſt, quod peccatum eſt, ita ſimiliter, quod bonum non eſt. Ad contraria argumenta ex Scriptura adducta. Reſpond. obſtetrices Ægyptias à DEO mercedem accepiſſe non propter mendacium, ſed propter miſericordiam infantibus impenſam, qui fuerunt actus planè diverſi, unus malus, alter bonus; quin etiam mendacium ipſarum à culpa excuſari poteſt per invincibilem ignorantiam; quid enim mirum eſt, ethnicas mulieres putaſſe mendatium officioſum eſſe licitum, cum id etiam inter Catholicos magni quidam Doctores exiſtimarint. In Nabuchodonoſore quóque duo actus diſtinguendi ſunt; unus obedientiæ erga Deum, cujus inſtinctu ſe ad bellum Judæis inferendum impelli ſentiebat, ut ex S. Ambroſio refert Gratianus. cap. 23. q. 5. c. 49. alter malus avaritiæ & crudelitatis in bello gerendo exercitæ; priorem remuneratus eſt Deus: non poſteriorem.

II. *Doctrina ſecunda.* Opus Meritorium debet fieri in obſequium DEI. Nam meritum eſt correlativum ad mercedem ab alio accipiendam: & omnis, qui meretur, apud alium meretur. Quare etſi non repugnet, Deum tribuere ſuam gloriam, vel aliud donum creaturæ habenti talem vel talem perfectionem, aut exercenti talem & talem actum abſque reſpectu ad DEUM, ejúſque obſequium, talis tamen collatio non habebit rationem præmij, aut mercedis, ſed puræ donationis.

III. *Doctrina tertia.* Opus Meritorium debet eſſe liberum. Nam neceſſaria nihil merentur 1. ad Corinth. 9. v. 7. *Si volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio eſt mihi credita*, quaſi diceret, nihilominus debeo facere. Quod etiam SS. Patres tradunt S. Hierony. L. 2. contra Jovian. *ubi*, inquit, *neceſſitas, ibi nec damnatio nec coronatio.* S. Auguſtinus L. 2. de gratiâ & lib. arb. c. 1. *& pœna injuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam.* S. Bernardus Serm. 81. in Cant. *ubi non eſt libertas, ibi nec meritum.* Ideo creaturæ irrationales licet gnaviter DEO hominibúſque inſerviant, nihil tamen merentur, quia neceſſariò operantur. Confirmatur. Id tantùm cenſetur dignum remuneratione alterius, quod voluntate operantis in alterius obſequium dirigitur, ſi enim neceſſariò debet tale opus fieri, non tam cenſetur factum in obſequium alterius propriâ operantis voluntate, quàm naturæ neceſſitate; unde etiam libertas iſta debet eſſe actualis, & non tantùm potentialis; meritum enim cum ſit opus in alterius obſequium liberè impenſum, in actu eſſentialiter conſiſtit.

IV. *Doctrina quarta.* Opus Meritorium debet fieri in ſtatu viæ, hoc eſt in præſenti vita mortali. Ratio congruentiæ eſt; quia opera meritoria Deus non ſolùm requirit, ut honorifica ſibi, ſed etiam ut utilia nobis ad gloriam conſequendam Ergo conſecutâ gloriâ ceſſat ratio merendi, & univerſim finitò curſu hujus vitæ non amplius erit locus meritorum; id quod apertè docet Chriſtus Joan. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo poterit operari.* Et Apoſt. 2. ad Corinth. 6. v. 4. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Ad Gal. 6. v. 10. *dum tempus habemus, operemur bonum.* Ideo monet Eccleſiaſt. c. 9. v. 10. *quodcúnque poteſt facere manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas*; ubi per Inferos intelligitur ſepulchrum vel limbus Patrum. Idem tradunt SS. Patres Hierony. in 1. ad Corinth. 6. *Tempus ſementis eſt præſens vita, quam currimus, cum iſta vita tranſierit, operandi tempus auſertur.* D. Auguſt. c. 118. Enchirid. *hic omne meritum comparatur, quo poſt hanc vitam poſſit quis revelari.* S. Proſper L. Sententiar. ſent. 172. *fruſtra ſibi homo poſt hanc vitam promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit.* Quæ verò ſit cauſa hujus conditionis; an ipſa natura meriti eam requirat: an verò ex ſolâ DEI ordinatione proveniat, diſcrepant Doctores. Probabilius ſentire videntur, qui eandem ſoli DEI ordinationi adſcribunt, quæ certum tempus meritis ordinavit.

V. *Doctrina quinta.* Opus Meritorium de condigno vitæ æternæ fieri debet in ſtatu gratiæ. Ita communis Catholicorum. Probatur 1. Ex Sac. Scriptura 1. ad Corinth. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ad Rom. 8. v. 17. *Si autem Filij, & hæredes &c.* Probatur 2. ex Trid. Seſſ. 6. c. 16. maximè ex illis verbis, quibus aſſerit, *Chriſtum in ipſis juſtificatis jugiter influere virtutem, quæ bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine quâ nullo pacto DEO grata & meritoria eſſe poſſunt.* Probatur 3. Ratione. Meritum de condigno importat condignitatem valoris ac præmij. Sed ſine gratia habituali non habent opera noſtra condignitatem valoris, ac gloriæ. Ergo &c. Probatur. Opus extra ſtatum gratiæ, licet factum viribus gratiæ auxiliantis, & in entitate ſupernaturale ſit adeóque ex hac parte proportionem aliquam habeat, quia tamen eſt actus inimici, deficit à proportione ad meritum de condigno requiſitâ, quod debeat eſſe opus gratum præmianti, ut eo moveatur ad præmium merenti tribuendum; ut autem obſequium ſit acceptum præmianti, ſupponere debet perſonam, à quâ tale obſequium exhibetur, amicam; hinc Joan. 1. v. 16. *gratia pro gratiâ*, hoc eſt, gratia mercedis pro gratia meritorum, ſive charitas patriæ pro charitate viæ juxta S. Auguſtin. Lib. de gratia & Lib. arbit. c. 9. Atque hæc ratio procedit de merito gloriæ, & cujuslibet doni ſupernaturalis, ejúſque augmenti, ita ut juxta Vaſq. in 1. 2. D. 216. c. 1. alióſque nec de abſoluta Dei potentia poſſit creatura abſque gratiâ Sanctificante per opera in obſequium Dei exhibita de con-

Digitized by Google

de condigno vitam æternam, aut quodcunque aliud ſupernaturale donum promereri. Videri poteſt cit Author.

VI. *Doctrina ſexta.* Bona Juſtorum opera, ut ſint completè & proximè meritoria de condigno antecedere oportet aliquam ordinationem, ſeu promiſſionem DEI de retribuendo diſtinctam ab ordinatione in gratia eſſentialiter incluſâ. Ita S. Thomas 1. 2. Q: 114 a. 1. Card. Bellarm. L. 5. de juſtif. & plerique alij Theologi. Probatur 1. ex Concil. Senonenſi. decreto. 16. ubi ex illo Math. 20. v. 2. conventione autem factâ cum operarijs ex denario diurno &c. colligit, *promiſſionem divinam eſſe neceſſariam ad meritum de condigno ad vitam æternam.* Cæteri quoque Patres ſemper mentionem faciunt promiſſionis, quos vide apud Bellarminum loc. cit Probatur 2. Ratione: Tum quia, qui meretur aliquid de condigno, acquirit verum jus ad habendum præmium; *merces enim*, inquit Apoſt. ad Rom. 4. v. 4. *non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Atqui non poteſt homo verum aliquod jus acquirere in gloriam æternam, aut aliud donum ſupernaturale; quippe nequit operarius laborans in vinea Patris-famnlias habere jus ad obtinendam mercedem ex bonis illius, niſi promiſſio aliqua aut pactum inter illos interceſſerit. Ergo &c. Tum quia opera bona Beatorum in cœlo liberè facta: & animarum in Purgatorio elicita: item honeſta opera Enoch & Eliæ, quæ nunc ab ipſis exercentur, non ſunt meritoria vitæ æternæ, ſcilicet quia talibus operibus nulla facta eſt promiſſio. Si dicas, eos non eſſe in viâ, ſed in termino. Contra hoc eſt. Enoch & Elias non ſunt in termino: Animæ in Purgatorio ſunt adhuc in via ſatiſpatiendi, cur non & merendi? Item Beati cur non dici poſſint in via reſpectu ulterioris gradûs gloriæ, ſi promiſſio non requiratur, cum omnes alias conditiones ad merendum habere videantur. Tum quia nec ipſa opera Chriſti fuerunt meritoria citra pactum & promiſſionem DEI, ut colligunt Doctores ex illo Iſaia 53. v. 10. *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

VII *Doctrina ſeptima.* Ad meritum non requiritur, ut ſit opus à charitate elicitum vel imperatum. Ita contra Bellarminum Lib. 5. de Juſtif. c. 15. & nonnullos plerique alij Theologi. Probatur 1. ex S. Scriptura, quæ generatim tribuit meritum bonis Juſtorum operibus 1. ad Corinth. 3. v. 8. Jbid. c. 15. v. 58. *unuſquiſque autem propriam accipiet mercedem ſecundùm laborem ſuum abundantes in opere Domini ſemper ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Ad Hebr. 6. v. 10. *non eſt injuſtus Dominus, ut obliviſcatur operis veſtri.* Immeritò autem quis hæc & ſimilia reſtringet ad actus ſolius charitatis elicitos vel imperatos. Probatur 2. Ex Concil. Tridentino Seſſ. 6. c. 16. ubi ad hoc, ut ſit opus meritorium æternæ vitæ, requiritur ſolùm, ut ſit hominis juſtificati, & factum ex peculiari auxilio & influxu Chriſti Capitis. Non obſtat, ibidem requiri, ut in DEO ſit factum; id namquedixit, non quaſi requireret ad omne opus bonum charitatis imperium, ſed ut ſignificetur, ea opera eſſe vitæ æternæ meritoria; quæ ex peculiari virtute Dei procedunt; omnia autem, quæ ex peculari Chriſti Capitis influxu procedunt, dici poſſunt in DEO facta; Unde idem Concilium ibidem can. 32. indefinitè docet, *hominem juſtum bonis operibus per DEI gratiam & JESU Chriſti meritum factis vitam æternam promereri*; quibus opera virtutum ſupernaturalium procul dubio comprehendit; quippe loquitur de operibus, quibus præcepta divina ſervantur, quod æque fit per hæc, quàm per illa à charitate elicita vel imperata. Unde facilè ſolvuntur argumenta, quibus nititur Bellarminus; nullo enim illorum neceſſitas charitatis ad meritum pij operis evincitur, ut opus non ſit, ea ſigillatim referre.

VIII. *Doctrina octava.* Opus Meritorum per ſe non requirit contemptum arduum commodi temporalis fortiter ad ſe allicientis & retrahentis ab honeſtate virtutis propter incompoſſibilitatem talis commodi cum tali honeſtate. Ita videntur plerique Theologi ſupponere, dum de meritis agentes hujus arduitatis tanquam ſpecialis conditionis nullam mentionem faciunt. Probatur: Tum quia Angeli in via meruerunt beatitudinem ſupernaturalem patriæ per converſionem ſui ad Deum, à quô nullatenus retrahebantur commodo temporali ſibi propoſito, & fortiter allicienti, ſi Deum deſererent. Tum quia expreſsè docet id ipſum S. Thomas 1. P. q. 62. a. 4. non agnoſcens in Angelis aliam difficultatem, quàm quod illud bonum, utpote ſupernaturale, fuerit ſuper illorum vires. Tum quia Concilium Trident. priori §. cit. nullam facit mentionem arduitatis, dùm conditiones ad meritum requiſitas oſtendit. Tum quia ſi quis potum aquæ tribuit Diſcipulo Chriſti, meretur; & quæ rogo in iſto opere arduitas? Tum quia appetitus inferior non ſemper graviter vehementérque repugnat; etenim non repugnat cum honeſto præcisè, ſed quatenus incompoſſibile cum commodo temporali, ad quod ille inclinat, & ſubinde leviſſimum eſt, ut proinde ex ejus jactura non reportetur victoria ardua. Tum quia laudabilitas non unicè provenit ex difficultate ſuperanda, ſed ex liberâ electione magis conformi rationi; ſic reverâ licet Rex aliquis poſſit utrumque eligere ſine ullo ſuo incommodo & difficultate; ſi tamen eligat id, quod eſt honeſtius & magis decens, planè cenſetur ab omnibus laude digniſſimus, & à DEO præmium meritò exigere. Non obſtat illud Math. 11. v. 12. à diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum vim patitur. Nam Tò regnum cœlorum ſumitur pro Evangelio & Eccleſia: non pro gloriâ & beatitudine æterna, ut ſenſus ſit: Eccleſia à diebus Joannis Baptiſtæ vim patitur, & qui in illam intrant, violenter irruunt, hoc eſt, tot Gentiles ad fidem veniunt, prædicante Joanne, ut quaſi deturbare videantur Judæos à poſſeſſione veræ Dei Eccleſiæ, quam titulo hæreditatis hactenus tenebant. Videantur Maldonatus, & alij in cit. locum. item P. Eſparza de Actib. hum. q. 31. ubi hoc maximè textu Sac. Scripturæ nixus oppoſitum tenet.

IX. *Doctrina nona.* Ex his Meritum ſupernaturale definiri poteſt: opus ſupernaturale liberum in & ex gratia factum ad obſequium DEI, potens movere hunc ad illud munere aliquo compenſandum. Non diſcedunt ab hac definitione, qui meritum breviter deſcribunt: opus exigitivum compenſationis. aut: obſequium factum DEO, & ex ſe potens movere ad retributionem doni ſupernaturalis. Noſtra definitio ex ſingulis conditionibus hactenus explicatis abunde conſtat.

X. *Doctrina decima.* Præter iſtud meritum, quod vocant Theologi *de condigno* ſeu perfectum Filiorum DEI, datur aliquod meritum inferius illo, quod appellant *de congruo*; & licet Patres & Concilia hujus expreſsè non meminerint, re ipſâ tamen expreſſerunt. Probatur. Tum quia peccator poteſt mereri juſtificationem & remiſſionem peccatorum. Atqui non poteſt mereri de condigno. Ergo merito quodam inferiore ſeu de congruo. Minor conſtat ex Tridentino Seſſ. 6. c. 8. ubi ait: *gratis autem ideo juſtificari dicimur; quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, fides ſive ipſa opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur*; ſcilicet merito perfecto, ſeu de condigno; unde ſubditur; *ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſſet gratia.* Majorem tradit S. Auguſtinus epiſt. 105. *Neque ipſa remiſſio peccatorum*, ait, *ſine aliquo merito eſt, ſi fides eam impetret; neq; enim nullum eſt meritum fidei.* Item Epiſt. 106. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus*; loqui autem S. Patrem in his & alijs locis de merito fidei, quæ elicitur à peccatore, communiter fatentur Theologi, & eſt quaſi ſenſus totius Eccleſiæ. Tum quia Juſtus poteſt mereri alijs remiſſionem peccati, juſtificationem, & alias gratias. Atqui non meretur de condigno. Ergo de congruo. Major & Minor inferius probabuntur, Itaq; Meritum condignum eſt, quod adæquat præmium, ſive adſit, ſive non adſit promiſſio; hæc enim tantùm requiritur ad meritum de condigno proximo, & in actu ſecundo: Meritum verò de congruo eſt, quod eſt infra præmiū, ſivè adſit promiſſio ad præmium excedens, uti verè adeſt actui contritionis in ordine ad primam gratiam ſanctificantem & remiſſionem peccatorum, ſive non adſit. Licet autem deficiat ab æqualitate, habet tamen aliquam proportionatam dignitatem. Ita Juſtus in gratia conſtitutus operibus ſupernaturalibus condignè meretur gratiam & vitam æternam; quia bonitas illorum operum adæquat præſtantiam illorum præmiorum, præſertim adjunctis Chriſti meritis infinitis. At ſi peccator aliquid boni faciat, non meretur condignè gloriam cæleſtem ob defectum gratiæ ſanctificantis, unde valor operum præcipuè deſcendit; decet tamen divinam Liberalitatem & Beneficentiam, ut reſpectu talis operis plura auxilia gratiæ & media ſalutis impertiatur; unde experientiâ conſtat, peccatores eleemoſynis gratiam pænitentiæ impetraſſe. Non obſtat merito condigno, quod Deus ultra condignum remuneretur, uti multi Theologi docent ex illo Luc. 6. v. 38. *Menſuram bonam & confertam & coagulatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*; quia hic exceſſus præmij eſt gratuitus, & eo dempto per abſtractionem, reliquum præmium eſt æquale merito. Unde colligere licet, allatam definitionem meriti de condigno accommodari poſſe merito congruo ſi particulas illas *in gratia* tollas.

XI. *Doctrina undecima.* Præmia, quæ homo apud Deum condignè vel congruè meretur, ſunt duplicia; nimirum temporalia & ſpiritualia. Temporalia promiſit Deus Pſal. 33. v. 11. *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono*, id eſt, nihil ipſis deerit. Matth. 19. v. 29. *qui reliquerit domum, vel patrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Luc. 18. v. 30. *Multò plura recipiet in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam*, quæ tamen promiſſiones cum tacitâ conditione intelligendæ ſunt; ſi bona temporalia expediant ſaluti animæ, alioquin præſtat illis carere. Multi etiam Theologi negant, bona temporalia cadere ſub meritum condignum non defectu valoris, quaſi bona opera non adæquent eorum pretium, cum multò præſtantioribus bonis ſpiritualibus adæquentur, ſed quia Deus jam alia ſufficientia bona illis deſtinavit, quibus eorum valor exhauritur; unde malunt illa appellare additamenta gratuita; quæſtio eſt de nomine & exigui momenti.

XII. *Doctrina duodecima.* Spiritualia præmia ſunt triplicia, nempe Actualis Gratia, Habitualis, & Cœleſtis gloria. Ita omnes. Quod ad Gratiam actualem attinet, diſtinguendæ ſunt quatuor ejus ſpecies. 1. vocatur *Inchoativa*, quæ primum actum ſupernaturalem excitat. Iſta non cadit ſub meritum ullum etiam congruum, ſed purè gratis datur à DEO, ut docet Tridentinum Seſſ. 6. c. 5. & eſt receptum axioma Patrum *principium meriti non cadit ſub meritum.* 2. *Continuativa*, quæ ad ſequentia opera impellit. Iſta cadit ſub meritum congruum, ſed non condignum, ut patet experientiâ multorum Sanctorum, qui pluribus annis innocenter & piè tranſactis tamen permiſſi ſunt cadere in gravia peccata, ut David, Petrus &c. conſequenter aliquando caruerunt efficaci gratiâ, quam Deus non ſubtraxiſſet ſi eam condignè meriti fuiſſent. 3. Reparativa, quæ ad gratiam peccato perditam pænitenitâ recuperandam inſtigat. Iſta non cadit ſub meritum condignum, hoc eſt, nullus Juſtus condignè mereri poteſt, ut, ſi quando in peccatum mortale incidet, per pænitentiam reſurgat; quia tale meritum eſſet fruſtraneum, nec unquam ſuô præmiô potiri poſſet, ſiquidem per ſubſequens peccatum mortale omne meritum extinguitur. De reliquo certum eſt, juſtum orando impetrare poſſe gratiam pœnitentiæ, ſi quando inciderit in mortale, ut pulchro exemplo oſtendit Baronius Tom. 5. An. 424. num. 3. An autem etiam mereri congruo? quæſtio eſt de nomine, utrum idem ſit mereri de congruo, ac impetrare; quod negant aliqui: alij affirmat, res non magni eſt momenti. 4. *Terminativa*, quæ finalem perſeverantiam tribuit, & gratiam uſque ad mortem conſervat. Hæc etiam non cadit ſub meritum condignum Eſt de fide ex Conc. Trident, Seſſ. 6. can. 16, *ſiquis magnum illud uſque, ad finem perſeverantiæ donum ſe habiturum abſolutâ & infallibili certitudine dixerit; niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.* Conſtat etiam experientiâ, nonnullos vitam piè traductam malo fine clauſiſſe in deſperatione, vel ſuperbia. Videatur Tanner Tom. 2. diſp. 6. q. 6. a. n. 225. ubi doctrinam hanc ex Scripturâ, Patribus, & ratione confirmat; Utrum autem ſaltem de congruo mereri poſſimus, ut nonnulli volunt, aut ſolùm aſſiduis precibus impetrare, ſicuti pleriſque alijs placet, quæſtio eſt de nomine, & diverſâ acceptione illius meriti, ut paulò ante diximus. Videatur cit. Author, n. 228.

XIII. *Doctrina decima tertia.* Quod ad Gratiam Habitualem & Gloriam cœleſtem attinet. Primæ harum gratiæ habitualis acquiſitio non cadit ſub meritum condignum (hoc enim jam ſupponit gratiam acquiſitam) ſed congruum. Ita omnes. Nam præviæ diſpoſitiones eam congruè merentur, teſte D. Auguſtino epiſt. 105. cit. ubi ait:

neque

Digitized by Google

Neque ipſa remiſſio ſine merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus. Idem intelligendum de alijs diſpoſitionibus doloris, amoris &c. Augmentum verò gratiæ ſanctificantis cadit ſub meritum juxta deciſionem Trident. Seſſ. 6. can. 32. ubi anathema dicitur ei, *qui negaverit, juſtificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ.* Ratio eſt, quià opus hominis juſti poteſt habere omnes conditiones ad meritum requiſitas, nempe libertatem, honeſtatem &c. De gloriâ Cœleſti ſuprà jam diximus Controv. 57. §. 4. eàm cadere ſub meritum condignum. Confirmatur hic obiter. Gratia eſt ſemen gloriæ, & dignificat opera hominis Juſti ſupernaturalia, hoc ipſo, quod faciat ea opera Filij & Amici DEI. Ergo &c. Probatur Antecedens, quia opera Filij Dei merentur hæreditatem paternam: & opera Amici Dei vel maximè merentur conſpectum Amici. Utrum homo etiam primam gloriam mereri poſſit per actum illum, quo extra Sacramentum ultimatè ad gratiam habitualem diſponitur; Scholaſticis relinquimus.

XIV. *Doctrina decima quarta.* Quilibet actus ſupernaturalis bonus & liber Juſti, eſt meritorius augmenti Gratiæ & gloriæ. Ita D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. ubi ait: quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, ſicuti & gratiæ conſummationem, quæ eſt vita æterna. Item Scotus Diſt. 14. & 22. q. 2. quos Scholarum coriphæos communiter ſequuntur cæteri Theologi contra M. Bannez. 2. 2. q. 24. a. 6. docentem, non intendi gratiam, niſi per actus intenſiores ipſâ. Probatur doctrina noſtra 1. ex Scriptura. 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et infra v. 13. & 14. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperadificavit, mercedem accipiet.* Ex quibus verbis ſic ratiocinari poſſumus: omnia opera in judicio probata & manſura accipient mercedem. Sed opera remiſſa in judicio probabuntur & remanebunt; ſunt quippe argentum, aurum, gemma. Ergo mercedem accipient. Probatur 2. ex Trid. Seſſ. 6. c. 16. & can. 24. ubi ſine ullâ limitatione definitur, *juſtum mereri augmentum gratia per bona opera*; quæ verba ſine evidenti ratione vel auctoritate Scripturæ aut Conciliorum non debent detorqueri ad opus ſub tali & tali intenſione. Plura S. Scripturæ & Patrum teſtimonia affert Arriaga Diſp. 51. de augmento Juſtif. Sect. 2. Probatur 3. ratione. Tum quia DEUS non tantùm punit peccatum graviſſimum & intenſiſſimum, ſed etiam leviùs quoddam ac remiſſum. Ergo etiam præmiat non tantùm opera intenſiſſima, ſed etiam remiſſiora. Tum etiam quia univerſim novis facinoribus nova debentur, & verò etiam nova dantur præmia. Cum ergo Deus multò liberalior magiſque munificus ſit, quàm homines, utique novis quibuſvis operibus bonis, (eſto æqualia prioribus non ſint, aut etiam remiſſiora) debitorem ſe agnoſcet, & verò ſe etiam exhibebit. Argumenta, quibus nititur Bannez, ex Philoſophia petita & abſque robore ſunt, Videatur Arriaga loc. cit.

:o: IHS. :o:

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. **E**Rror primus eſt Michaëlis Baij, qui propoſitione 16. aſſerere fuit auſus, ſufficere ad meritum condignum vitæ æternæ obedire divinæ legi, etſi obediens non exiſtat in gratia. Probat. 1. Matth. 19. v. 17. ait Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; non autem dicit, ſi vis ad vitam ingredi, cura ut adopteris in filium; 2. DEUS non accipit perſonas, ſed gloriam & honorem tribuit omni operanti bonum. 3. Opus malum ex natura ſua meretur pænam. Ergo & bonum meretur præmium.

XVI. Error iſte damnatus fuit in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. Nam ex Sac. Scriptura conſtat, meritum ita fundari in amicitia cum Deo, ut ſimul ac Deum aliquis offendit, amittat omnia merita Ezech. 18. v. 24. *Si autem averterit ſe juſtus à juſtitiâ ſuâ, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitia ejus non recogitabuntur.* At ſi merita non penderent à ſtatu, & qualitate perſonæ, ſed à ſolâ obedientiâ legis, non deberet is, qui Deum offendit, amittere bona opera per obedientiam Legis antea parta; ſicuti qui laborat in vinea alicujus mercede conductus non perdit mercedem ſuam, ſi fortè inimicus fiat Domini vineæ; ſiquidem meritum illud non in amicitia, ſed in ſolo opere & labore fundatur.

XVII. Reſpond. ad 1. Scripturam aliter ad infideles: aliter ad fideles loqui, ut advertit S. Auguſtinus L. de natura & grat. apud illos fidem & baptiſmum prædicare: apud hos opera bona & obedientiam Legis commendare; in quem poſteriorem ſenſum intelligendus eſt Chriſtus loco cit. & Eccleſiaſt. c. 15. v. 15. ajens *ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Ad 2. acceptationem perſonarum eſſe vitium contrarium Juſtitiæ, non Miſericordiæ & Liberalitati; quam Deus exercet antecedenter ad opera bona. Adhæc accipere perſonam non eſſe attendere ad quamvis qualitatem perſonæ, ſed ad eam, quæ ad cauſam nihil pertinet; unde ſi judex præmia diſtributurus dignitatem perſonæ obſervet, non fit acceptator perſonarum; quia ex ipſa dignitate meritum dependet. Quare Deus nec ut Princeps, nec ut Judex accuſari poteſt acceptionis perſonarum, dum vel majorem gratiam liberaliter tribuit huic, quàm illi, vel majus præmium & gloriam habenti majorem dignitatem ex gratia intenſiore. Ad 3. facilius eſſe peccare, quàm bene agere; & ideo ad puniendum ſufficit libertas arbitrij; ad bonum opus autem requiritur gratia. Inſuper ut peccato debeatur pæna, nulla promiſſio eſt neceſſaria; etenim qui lædit alterum, juſtitiam violat, & ideo ex juſtitia ſatisfacere tenetur, etiamſi nulla interveniat promiſſio. At verò ut bono operi debeatur merces ex juſtitia, oportet intercedere pactum, quia ut diximus, non tenetur unus alterius obſequium acceptare, niſi conventio intercelleſſerit. DEUS autem non promiſit mercedem vitæ æternæ niſi per Chriſti gratiam renatis & adoptatis, ut paſſim Script. teſtatur.

XVIII. Dicit aliquis. Si meritum non pendet à ſolâ obedientiâ legis, ſed à ſtatu & qualitate per-

tate perſonæ, ſequitur etiam plus præmij pro æquali opere accipere eum, qui eſt ratione ſtatûs gratiæ ſanctior, ſeu plures habet gratiæ gradus, quàm accipiat is, qui eſt minùs ſanctus. Conſequens videtur abſurdum, & contra ſenſum communem. Nam ſequeretur, ſi quis valde Sanctus in fine vitæ eliceret actum tenuiſſimum meritorium, quod per illum actum tantùm præmij conſequeretur, quanta erat tota Sanctitas præcedens, quia à quovis gradu illius ſanctitatis dignificaretur ad novum gradum gratiæ & ſanctitatis. Reſpond. hanc difficultatem ſpectare ad ſcholaſticos, quorum plerique cum S. Thoma in L.2. Diſt.29. q.1. a. 4. concedunt ſequelam, & negant Minorem. Probationis itidem negant ſequelam. Nam gratia præcedens actum non dignificat iſtum ad majus præmium ſecundùm proportionem Arithmeticam, ſed ſecundùm Geometricam majoris ad minus, ut pluribus ijdem in materia de gratia oſtendunt.

XIX. *Error ſecundus eſt*, vitam æternam non poſſe deberi, ut hæreditatem & mercedem. Ita ex mente Lutheranorum Gerhardus L. 2. Parte 3. fol.828. Et ex mente Calviniſtarũ Ameſius Tom.4. L. 7. fol. 200. ubi ait, *hanc eſſe unam ex præcipuis profunditatibus Satanæ, quarum fit mentio* Apoc. 2. v. 24. Probationes iſtorum non ſunt aliæ, quàm meræ calumniæ. Contra promiſſionem tamen à nobis requiſitam poſſunt hæc objici. 1. Peccatum mortale pœnam æternam meretur, etiamſi non accedat pactum. Ergo & bonum opus meretur gloriam, etſi non adſit promiſſio. 2. Promiſſio Dei eſt extrinſeca operi. Ergo non facit, ut ſit meritorium, ſicuti neque ut ſit bonum. 3. Abſque ullâ promiſſione & filius per debitam obedientiam Patri dignè meretur hæreditatem: & ſubditus gratiam per obſequia Principi præſtita: & civis dignitatem publicam per labores Reipubl. impenſos. Ergo & Juſti per debitum cultum DEO exhibitum abſque ullâ promiſſione promereri poſſunt vitam æternam, ut filij hæreditatem Patris, ut ſubditi Principis gratiam, ut cœli Cives publicam laudem & honorem virtuti debitum. 4. Si Deus ex promiſſione ſeu pacto tenetur homini vitam æternam dare propter merita exhibita, ſequitur intervenire veram juſtitiam, & Deum homini obligari. Conſequens non poteſt dici. Ergo &c.

XX. Errorem hunc rejicit Tridentinum Seſſ. 6. c. 16. decernens, *vitam æternam proponendam eſſe fidelibus, & tanquam gratiam* (hæreditatem) *Filijs Dei per Chriſtum miſericorditer promiſſam, & tanquam mercedem bonis operibus à Deo juſtè fideliterque reddendam.* Nam cum ſimus omnes conditione ſervi & mancipia Dei, non poſſet eſſe juſtitia inter nos & Deum, niſi ipſe liberali conventione operibus noſtris alioquin debitis, etiamſi nulla merces ipſis reddenda eſſet, præmium conſtituere voluiſſet. Unde pulchrè S. Auguſt. Serm. 3. de verbis Domini: *ô magna bonitas DEI, cui cum pro conditione reddere debeamus obſequia ut ſervi Domino, famuli Deo, ſubjecti Potenti, mancipia Redemptori, placet, ut amicitiarum nobis præmia promittat.* Videri poteſt Bellarm. loc.cit. L.5. de Juſtif. capit. 15.

XXI. Reſpond. Ad 1. Negando conſequentiam, quia in poſteriori caſu homo acquirit jus ad bona divina, non in priori. Adhæc creatura eſt eſſentialiter ſerva Dei. Ergo magis eſt proportionata ad incurrendum reatum pœnæ, quàm ad obtinendam filiationem Dei. Ergo facilius eſt, & minùs requiritur ad inducendum reatum pœnæ, quàm filiationem Dei. Ad 2. Promiſſionem non tribuere operi dignitatem, attamen ipſam rationem meriti in eo complere; quatenus facit, ut operans habeat jus in præmium, quod aliàs non haberet. Unde bene advertit Tanner D. 6. q. 6. cit. n. 60. non dicendum, opera noſtra mereri apud Deum vitam æternam, ſeclusâ promiſſione, ſed habere tantùm condignitatem ad vitam æternam, & huic ſecundùm proportionem medij ad finem eſſe proportionata. Ad 3. Negando conſequentiam. Tum quia omnia noſtra obſequia plurimis alijs & ſtrictiſſimis titulis ſunt debita DEO, ut idcirco nullo debito nec gratitudinis quidem remunerari illa teneatur; ſiquidem ipſa exhibitio obſequij eſt magis donum DEI, quàm meritum noſtrum, cum in ratione condigni tota pendeat à gratia liberaliter nobis collata. Tum quia noſtris obſequijs nihil utilitatis accreſcit Deo, ſicuti ex obſequijs unius hominis accreſcit alteri, ut proinde præcisâ promiſſione, nullo debito Deus ea remunerari teneatur, ſicuti unus homo ſaltem debito gratitudinis propter utilitatem inde acceptam remunerari alterius hominis obſequia tenetur.

In 4. & ultimo argumento continetur graviſſima difficultas. Utrum inter Deum & hominem dari poſſit vera Juſtitia Commutativa: & ille huic propriè obligari? affirmant Thomiſtæ, Bellarm. Suarez, Valentia, Mendoza, Arriaga Tom. 1. de Deo D. 30. & 31. & Tom. 6. de Jncarn. D. 11. 12. & 13. atque alij multi apud hos relati. Nituntur maxime hoc argumento. Ille obligatus eſt ex juſtitia ad aliquid faciendum vel omittendum, qui ejus omiſſione committit injuſtitiam. Atqui Deus non acceptando merita aut non reddendo, quod promiſit bonis operibus, committeret injuſtitiam. Ergo &c. Major patet. Minorem ſumunt ex S. Script. ad Hebr. 6. v. 10. *non enim eſt injuſtus DEUS, ut obliviſcatur operis veſtri.* q. d. ſi obliviſceretur, injuſtus foret, ut apertis verbis aſſerit S. Auguſt. L. 4. contra Julian. c. 3. *Deus ipſe erit injuſtus, quod abſit, ſi ad ejus regnum non admittatur juſtus.* Negant Durandus, Vaſq. Amicus, Lugo, Eſparza & alij Recentiores, rati abſque imperfectione & imminutione perfectiſſimi dominij non poſſe Deum obligari homini. Quare ajunt, promiſſionem Dei eſſe formaliter ipſam Fidelitatem, & neceſſitatem inducere metaphyſicam, nec poſſe conjungi cum negatione rei promiſſæ: adeoque non eſſe voluntatem ſe obligandi ad alium actum reflexum, quo dicat Deus: quia hoc promiſi, & turpe eſt verba non conformare factis, ideo faciam: ſed eſſe voluntatem faciendi aliquid in favorem promiſſarij, & hoc ipſum revelandi ante executionem illius voluntatis, quæ revelatio fundat in homine promiſſario certam ſpem futuri eventûs &c. Deciſio hujus litis ad Theologiam Scholaſticam ſpectat, in quâ affirmativam ſententiam ſecutus ſum, & eandem hîc ut communiorem ſuppono. Videri poteſt Diſputatio mea de Incarnatione Friburgi Briſgoiæ anno 1661. impreſſa à fol. 304.

XXIII. Porro quæ Ameſius loc. cit. ex Durando affert, & inſolenter buccinat, à communi & veriſſima Theologorum ſententia exploduntur; quia æquè meritis Chriſti, ac noſtris adverſantur. Quamvis igitur abſolutè loquendo homo

etiam

etiam hypoſtaticè ſubſiſtens aliquid à Deo exigere nequeat, cum omnia ipſius ſint, tamen poſitâ hujus volitione & pacto, quô non vult opera noſtra à nobis gratis, ſed mercedem reddere juxta eorum proportionem, veriſſimè hanc mercedem ab eodem requirere poſſumus, ita ut illa opera ex juſtitia remuneretur.

XXIV. *Error tertius.* Non dari meritum aliud de Condigno: aliud de Congruo. Ita Hæretici communiter, ex quibus Ameſius fol. 196. ait: doctrinam hanc Pontificiorum de merito duplici nec veram eſſe, nec Theologicam dicendam; quia totam Theologiam evertit. Error iſte abundè rejectus eſt in ijs, quæ hactenus diximus. Et quamvis S. Scriptura Patres & Concilia non meminerint apertè meriti ſub his titulis: *de Condigno, & de Congruo*, re ipsâ tamen utrumque expreſſerunt, ut ſupra jam diximus, idque clarè perſpeximus. Ameſij Calumniæ & cavillationes non ſunt curandæ, nec dignæ, quibus refutandis amplius immoremur.

CONTROVERS. LIX.

DE AETERNA HOMINUM Prædeſtinatione, & Reprobatione.

MAteria hæc affinis eſt præcedentibus de Gratia, de Juſtificatione, de Operibus bonis, & horum meritis, ideoque his, utpote à quibus quàm maximè dependet, ſubnectenda, cum non minùs in illa, quàm in his graviſſimè à veritate aberrent Hæretici tam antiqui, quàm noſtrates, quorum erroribus refutandis unicè intendemus, ampliorem atque exactiorem tractationē Scholaſticis relinquentes, cum quibus hanc ipſam materiam de æterna hominum præteſtinantione ſat fusè explicatam vulgavi in Diſputatione Lucernæ Anno 1651. impreſſa.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. PRædeſtinationis vox dupliciter ab Eccleſiaſticis Scriptoribus accipi ſolet. 1. latè & generatim, pro quavis ordinatione divina, prout extendit ſe ad omnia, quæ Deus ab æterno ſtatuit; quo ſenſu Concilium Valentinum ſub Lothario III. ait: *confitemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* 2. Strictè & ſpeciatim pro æternâ deſtinatione ad vitam & ſalutem, quô ſenſu communiter Concilia & Patres ac Scholaſtici loquuntur, quoties hoc prædeſtinationis nomine abſolutè utuntur, quod & nos in præſenti faciemus, ſit igitur.

II. *Doctrina prima.* Prædeſtinatio eſt notitia Dei practica, quâ aliquæ creaturæ rationales efficaciter ordinantur ad vitam æternam per media conſequendam. Hæc definitio non differt ab iſta S. Auguſtini L. de bono perſever. c. 4. *Eſt præſcientia & præparatio beneficiorum DEI, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberatur,* Item ab iſta D. Thomæ 1. P. q. 23. a. 1. *Eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Dicitur in noſtrâ definitione 1. *notitia practica*, ut indicetur, ad prædeſtinationem inprimis actum intellectûs concurrere (qui eſt judicium quodam practicum libero voluntatis actu approbatum; ideoque ſcientia approbationis appellatum) tam de beatitudine homini & Angelo conferenda, quàm de medijs ad eam conducentibus. Dicitur 2. *creaturæ rationales*, ut indicetur objectum ſeu ſubjectum Cui, nempe Angelus & Homo; hi enim ſoli ordinari poſſunt ad vitam æternam. Dicitur 3. *efficaciter ordinantur*, ut indicetur prædeſtinationem ſupponere non tantùm ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quâ DEUS poſſibilia omnia, quà talia, cognoſcit, ſed etiam Mediam ſeu Conditionalium, quâ novit DEUS, quid ſub quavis hypotheſi ſit futurum; quia prædeſtinatio eſt efficax & infallibilis, adeóque circa media efficacia; hanc autem efficaciam, & ſpeciale per iſtam DEI auxilium ac beneficium abſque ſcientiâ Media explicari non poſſe, communiter docent Societatis noſtræ Doctores. Dicitur 4. *ad vitam æternam per media conſequendam*, ut indicetur terminus prædeſtinationis. Ex definitione ſic explicatâ duo colliguntur. *Primum:* Prædeſtinationem præter actum intellectûs, involuere etiam actum voluntatis, quô Deus efficaciter velit quoſdam ad beatitudinē perducere, & ijſdem media ad finem obtinendum ſubminiſtrare: atque utrúmque hunc actum tam intellectûs quàm voluntatis ſpectare ad rationem prædeſtinationis, illum tamen magis principaliter, quàm iſtum, ut tradit S. Thomas 1. P. q. 23. a. 3. cæterique Theologi. Nam Prædeſtinatio eſt maximum beneficium DEI. Sed ſola ſcientia non eſt beneficium, ut per ſe patet. Ergo illa ſola non eſt Prædeſtinatio. Ergo includere debet voluntatis actum; imò hic actus, quia formaliter prædeſtinatum à reprobo diſcernit, ac formale beneficium præſtat, idcirco ſæpe de eo quaſi ſolo aut potiſſimo actu Prædeſtinationis loquuntur Authores, cum tamen reverâ minùs principalis ſit, quàm actus intellectus inquirens & ordinans media ad ſalutem. *Secundum.* Terminum Prædeſtinationis nec ſolam gloriam eſſe, nec ſolam gratiam, ſed utrúmque ſimul; Nam hic habet locum illud axioma Ariſtotelis: *ubi unum eſt propter aliud, ibi eſt unum.* Atqui prædeſtinatio ad gratiam eſt propter gloriam: & prædeſtinatio ad gloriam eſt propter gratiam. Ergo completa prædeſtinatio utrúmque terminum complectitur.

III. *Doctrina ſecunda.* Datur in DEO Beneplaciti voluntas, quâ vult omnes homines ſalvos fieri. Ita omnes Catholici ex infinitis prope Scripturæ locis. Sufficiat nobis unicus, iſque clariſſimus 1. ad Timoth. 2. v. 1. ubi *Apoſtolus ſic loquitur: Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; hoc enim bonum & acceptum eſt coram DEO, qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Et infra v. 5. *JESUS Chriſtus, qui dedit ſemetipſum pro omnibus nobis,* Accedunt SS. PP. quos copioſè adducit Faſolus in 1. P. Q. 19. a. 6. à num. 3. unus omnium loco ſit S. Chryſoſt. nobilis S. Pauli Interpres, qui juxta ſenſum ſententiæ noſtræ homil. 7. ita Scribit: *Imitare Deum tuum; ſi omnes ille vult Salvos fieri, illius & tu concede voluntati*; ſubditque inferius: *hoc modo Paulum induxiſſe nos ad orandum pro Gentilibus & Hæreticis, & pro cunctis hominibus, ille-*

Digitized by Google

tùmque ſalutem deſiderare: quia, inquit, *per hoc illi evadimus ſimiles, dum, quæ ipſe vult, etiam volumus.* Congruentia eſt. Tum quia Deus reprobo ſufficientia dat auxilia, quibus ſi velit, pænam evadat, & ſalutem conſequatur. Ergo ſignum eſt, eum habere verum & proprium affectum, & quaſi deſiderium, ut talis homo non damnetur. Tum quia in DEO eſt vera & formaliter voluntas conditionata puniendi, & damnandi omnes homines, ſi in peccato deceſſerint, ut fatentur omnes Theologi. Ergo multò magis ponenda eſt in Deo vera & formalis voluntas ſalvandi omnes, cum utique magis propendeat in noſtrum bonum, quàm in pænam. Unde etiam diſcrimen eſt inter has volitiones. Nam Deus ita vult conditionatè omnes homines ſalvari, ut, quantum eſt ex ſe, optet id re ipſâ fieri; hinc hortatur nos ad media ſalutis: minimè verò ad media damnationis; quia hanc non procurat, ſed nollet. Quemadmodum ergo mercator ſic amat merces ſuas, ut eas libentiſſimè ſervare vellet, licet in periculo naufragij malit abjicere eaſdem, quàm perire, ita Deus quoque mallet omnes homines ſalvos, licet, cogentibus peccatis, aliquos damnet.

IV. *Doctrina tertia.* Prædeſtinationis totius ſeu adæquatè ſumptæ ex parte prædeſtinati non datur ulla cauſa, quæ ſit vel meritum, vel ratio, vel occaſio vel conditio ullo modo motiva; adeóque prædeſtinatio ſic ſumpta omnino gratuita eſt ex meriſſimo ſcilicet beneplacito Dei. Ita quoque omnes Theologi Catholici cum S. Thoma 1. P. q. 23. a. 5. Probatur 1. ex Sac. Scriptura, cujus plures locos paſſim afferunt Auctores, aiúntque idcirco, doctrinam hanc videri de fide. Sufficiat hìc unius S. Pauli locus ad Epheſ. 1. ubi loquens Apoſtolus de æterna hominum prædeſtinatione & temporali vocatione ad juſtitiam, hoc totum negotium ſemper refundit in DEI beneplacitum & propoſitum divinæ voluntatis, utique in gratiam DEI. Ita ait v. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Chriſtum, in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Et v. 9. *ſecundum beneplacitum ejus.* Et rurſus v. 11. *in quô etiam nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Ubi notanda eſt particula *ſorte*; ſicut enim ſors gratis & ſine ullo merito contingit ſortienti, ita gratis & ſine meritis ullis prædeſtinati beneficium prædeſtinationis & primæ vocationis ſortiuntur. Probatur 2. ex perpetua Eccleſiæ traditione, multiplici ſedis Apoſtolicæ definitione, & ex pluribus PP. apud Bellarmin. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 10. ſolùm S. Auguſtinum adducimus, qui epiſt. 105. ad Sixtum ſic ſcribit: *Quærimus meritum miſericordiæ, nec invenimus; quia nullum eſt, ne gratia evacuetur; ſi non gratis detur, ſed meritis reddatur.* Et in Enchirid. cap. 90. ait: *miſeretur Deus magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate, ut nec liberatus ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur; ſola enim gratia redemptos diſcernit à perditis.* Probatur 3. Ratione, quæ ex S. Thoma loc. cit. formari ſic poteſt. Prædeſtinatio eſt actus divinæ Providentiæ, quo Deus liberè præparat homini certa quædam media, quibus vitam æternam conſequatur. Sed hujus liberæ præparationis nulla datur cauſa ex parte hominis; hæc quippe foret aliquid conducens ad vitam æternam. Ergo jam non effectus, ſed cauſa prædeſtinationis.

V. Major inter Catholicos eſt difficultas, utrum Prædeſtinationis inadæquatè ſumptæ, nempe ad ſolam gloriam præceſſerint aliquæ cauſæ ex parte prædeſtinati; quam varij variè proponunt, & omnes ferè coincidunt in hunc ſenſum. Num detur in DEO voluntas abſoluta & efficax conferendi gloriam prædeſtinatis ante abſolutam præviſionem ſive præſcientiam gratiæ & meritorum?

VI. *Prima ſententia* eſt S. Thomæ 1. P. q. 23. a. 4. cum ſua Schola. Scoti in 1. diſt. 41. q. 1. itidem cum ſuis. Card. Bellarmini Tom. 3. L. 2. de grat. & lib. arb. c. 15. & plurium aliorum; qui omnes prædeſtinationis decretum prorſus abſolutum ponunt, hoc eſt, ſine ulla alligatione ad certa media, ſed vagum & adhuc præſcindens à medijs, quaſi Deus in primo ſigno dicat: volo Petrum ſalvare; adeo ut vi hujus decreti Deus fuerit neceſſitatus pro ſigno poſteriore ad procuranda Petro media efficacia, ac proinde ſi ea, quæ de facto accepit Petrus, fuiſſet præviſus reſpuere, Deus alia & alia eligere debuiſſet.

VII. *Secunda Sententia* eſt Vaſquetij in primam P. diſp. 29. Leſſij Diſp. de Prædeſt. Beccani in 1. P. c. 14. q. 4. & aliorum non paucorum, qui docent, eandem Prædeſtinationem reſpectu omnium poſt præviſa merita fuiſſe factam. Admittunt tamen iſti Prædeſtinationem virtualem ad gloriam ante præviſionem abſolutam meritorum. Unde communiter duplex ſtatuitur prædeſtinatio ad gloriam; una formalis, quæ explicatur per hunc DEI actum: volo ut hic homo re ipsâ & infallibiliter conſequatur ſalutem: altera Virtualis, quæ per iſtum DEI actum exponitur: volo Petro dare talia auxilia propter ſpecialem congruitatem, quam illis ineſſe video ad id, ut Petrus de facto ſalvus fiat. Hanc virtualem prædeſtinationem ante abſolutè præviſa merita admittere coguntur omnes, qui fatentur Deum non tantùm gratis, ſed etiam ex ſpeciali affectu prædeſtinare aliquos ad gratias congruas cum ſalute accipientium certo & infallibiliter connexas; ſiquidem impoſſibile eſt, ut Deus velit dare auxilium congruum, quà tale, & non velit hoc ipſo virtualiter ſalutem. Atqui hoc decretum antecedit Scientiam abſolutam meritorum, ut omnes fatentur. Ergo admittenda eſt aliqua virtualis electio ad gloriam ante abſolutè præviſa merita, ut re ipsâ eam communiter admittunt Authores.

VIII. *Tertia ſententia* eſt quorumdam Recentiorum, qui aſſerunt, Prædeſtinationem, realiter loquendo, nec ante nec poſt merita viſa factam eſſe, ſed voluntatem divinam dandi merita finalia eſſe indiviſibiliter voluntatem abſolutam & efficacem tum meritorum finalium, tum gloriæ in compenſationem eorumdem meritorum dandæ, adeóque ut Coronæ. Concedunt igitur voluntatem dandi gloriam; ſed negant, illam eſſe in aliquo priori ante voluntatem dandi merita, ſicuti vult Suarez: negant etiam eandem eſſe ſubſequentem, ſicuti placet Vaſquezio. In hac doctrina duo ſupponuntur. *Primum.* Prædeſtinationem (loquendo de ordinaria) fieri cum alligatione ad certa media, quæ ſi non fuiſſent præviſa fore congrua, ea nihilominus Deus dediſſet, & conſequenter ille, qui de facto prædeſtinatus eſt, ſi non fuiſſet per Scientiam Mediam præviſus uſurus bene hiſce medijs, fuiſſet reprobus: & è contra qui de facto reprobus eſt, ſi fuiſſet præviſus

bene

Digitized by Google

bene uſurus his medijs, ea nihilominus accepiſſet, & per illa prædeſtinatus fuiſſet. *Alterum.* Deum non intendere aliquem finem præſcindendo à medijs, ſed unico actu ſimul decernere finem per hæc media; quod ſic oſtendunt R R. illi. Quando in agente libero adeſt omnis ſcientia, quæ poteſt in conſultatione adhiberi circa electionem mediorum: nec adeſt ullum periculum errandi aut incurrendi aliud incommodum, tunc nemo prudens decernit finem determinatè, media verò indeterminatè, ita ut ſuſpendat determinationem mediorum, & primùm poſtea determinet media. Atqui in Deo ante primum decretum jam adeſt omnis ſcientia, quæ poteſt ſervire ad determinationem mediorum, nec eſt periculum ullius erroris, aut incommodi incurrendi ex aliquâ præcipitantia aut inconſideratione. Ergo in Deo non datur hujuſmodi intentio finis, ut præſcindat à determinatione mediorum, & horum determinatio in poſteriore ſigno ponatur, utpote prorſus fruſtranea. Interim, inquiunt, noſtro concipiendi modo bene poſſunt ſigna multiplicari pro actuum humanorum multiplicatione. Et quia in homine voluntas efficax rei præcedit cognitionem exiſtentiæ rei (volitio enim eſt cauſa rei exiſtentis: & res exiſtens eſt cauſa cognitionis) hinc fit, quod in Deo etiam concipiamus cum aliquâ prioritate decretum prædefiniens, & prædeſtinans ante cognitionem exiſtentiæ meritorum: & merita concipiamus prius extitura, quàm à Deo cognoſcantur. Et propter hunc concipiendi modum vocatur prædeſtinatio ante præviſa merita &c. Videatur Eſparza Tom. 1. Q. 30. & 31.

IX. *Doctrina quarta.* DEUS ſuppoſitâ ſcientiâ Mediâ prædefinire poteſt actus liberos ratione prius, quàm abſolutè futuros: & defacto etiá datur talis prædefinitio actuum ſupernaturalium &c. Ita communiter Theologi. Probatur 1. Pars. Inprimis ex Scriptura, in quâ hæc efficacia divinæ voluntati adſcribitur, ut poſſit inclinare vel movere humanam voluntatem, quò voluerit juxta illud Job. c. 12 v. 24. *qui immutat cor Principum.* Prov. 21. v. 1. *cor Regis in manu Dei eſt, & quocunque voluerit, inclinabit.* Deinde ex SS. Patribus, quos copiosè adducit Aldrete Tom. 2. Tract. 4. D. 3. Sect. 1. & 2. Sufficiat S. Auguſtinus de Geneſ. ad lit. & de corrept & grat. c. 14. ubi: *Deus*, inquit, *de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Facit ergo infallibiliter opus noſtrum liberum, quia vult ipſum. Idem relatus à S. Thomâ hic 1. P. q. 19. a. 8. ait, *Nullus fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvari, & ideo rogandus eſt, ut velit; quia ſi velit, neceſſe eſt fieri.* Demum ratione Tum quia actus ſupernaturalis ſufficientem habet honeſtatem & proportionem, ut Deus abſolutè illum velit, & amet, vel eligat tanquam medium aptum ad ſupernaturalem hominis finem. Ergo ex hac parte non repugnat illius prædefinitio. Tum quia quando quis habet in poteſtate ſuâ efficacia media ad aliquem finem, poteſt illum efficaciter intendere, atque abſolutè prædefinire. Atqui ſuppoſitâ ſcientiâ Conditionali Deus habet in ſuâ poteſtate media & auxilia efficacia ad hoc, ut fiat noſter actus liber. Ergo Deus poteſt hunc efficaciter & abſolutè prædefinire. Probatur 2. pars doctrinæ noſtræ. Quia melior eſt providendi modus, ſi Deus bona opera prædefiniat, quàm ſi primùm determinationem homini relinquat. Ergo de facto prædefinit illa, cum voluntas divina liberè ſaltem ſemper exſequatur id, quod eſt melius ad finem intentum. Probatur Antecedens 1. quia ſic Providentia perfectiùs elucet, hoc eſt, accuratior eſt, dum non ſolùm finem præſtituit, ſalutem ſcilicet æternam, ſed etiam omnia media præſcribit, bona nimirum opera. 2. quia ſic diſtinctior eſt; dum enim ſtatuit, neminem ex adultis niſi per bona opera ſalvari, hoc ipſo quod aliquem prædeſtinet, debet ſaltem in confuſo velle ei procurare quædam bona opera, quæ utique melius eſt diſtinctè & in ſpecie ei definire. 3. potentior eſt, dum Deus ſic omnium bonorum primam determinationem ſibi reſervando ſupremum ſuum dominium magis declarat: 4. admirabilior eſt, maximæ enim ſapientiæ eſt prædefinire, quod fieri debet, & nihilominus libertatem tueri, dum prædeſtinati actus ſalutiferos ſingillatim prædefinit. Addimus quod valde ad hominis humilitatem faciat, ſcire omnia bona, quæ agit, primordium habere non à ſuâ voluntate, ſed à gratuita DEI liberalitate. Pro ſolutione objectionum, quas fuſè aliqui necquicquam proponunt, tria hæc adverto. 1. ſi ex Patribus aliqui negare videntur prædefinitiones, loqui eos de prædefintionibus ante Scientiam mediam. 2. neceſſitatem ex prædefinitionibus inferri ſolùm conſequentem poſt præviſum noſtrum conſenſum. 3. DEUM producere aliquid in rerum natura poſſe abſque efficaci & abſoluta voluntate, adeoque prædefinitionem non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere voluntatem DEI indifferentem & conditionatam, ſicuti ad materiales actiones peccatorum ſufficit, conditionem purificari per determinationem creatæ libertatis &c.

X. *Doctrina quinta.* DEUS ex ſpeciali Benevolentiâ prædeſtinat homines ſimul ad gratiam finalem, & ad gloriam, ut coronam, antè præſcientiàm abſolutam meritorum in ſe ipſis. Prima pars de ſpeciali Benevolentia, quâ DEUS voluit prædeſtinatis congruitatem auxiliorum, eſt planè communis. Atque hâc voluntate diſcernit prædeſtinatos à reprobis diſcretione illâ ſublimi, ſecretâ, ac mirabili. Probatur 2. ex S. Scriptura. In epiſt. ad Rom. 9. D. Paulus totus eſt in commendanda & miſericordiâ & dilectione ſpeciali erga ſalvandos, quam potiſſimum declarat in exemplo Jacob & Eſau, adeo ut ſint è Theologis, qui putent de fide eſſe, hos duos Fratres typum geſſiſſe Prædeſtinatorum & Reproborum; ſic ergo num. 18. loquitur Apoſtolus: *Cum enim nondum nati eſſent, aut aliquid boni vel mali egiſſent (ut ſecundùm electionem propoſitum DEI maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odiô habui.* Idem Apoſt ad Ephes. 1. v. 4. *elegit*, inquit, *nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ, gratiæ ſuæ*; quem locum D. Hierony. interpretatur his verbis: *Non enim, ait Paulus, elegit nos ante conſtitutionem mundi, cum eſſemus Sancti & immaculati, ſed elegit nos, ut eſſemus Sancti & immaculati, hoc eſt, qui ſancti & immaculati non fuimus, utpoſtea eſſemus.* Joan. 6. v. 44. dicit Chriſtus, *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Tractio hæc eſt vocatio efficax, quod verò ex ſpeciali affectu tribuatur, expoſuit S. Auguſtinus aiens: *trahitur ergo miris modis, ut velit ba*,

tum tamen dandi gloriam ſequi: *non tamen electio*, inquit, *præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio; nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur; unde quod dictum eſt; qui elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo dictum ſit, niſi præſcientiâ*, hoc eſt, abſolutâ meritorum præviſione, ut ex ipſo contextu colligi facilè poteſt. Reſpond. 1. Cardin. Bellarm. L. de grat. & lib. arb. c. 15. cit. & plures alios Theologos velle, S. Auguſtinum Juvenem, licet jam Epiſcopum Scripſiſſe Libros ad Simplicianum, ſed poſtea ſenem aliter locum illum S. Pauli ad Rom. c. 9. v. 11. explicaſſe. Nam Epiſt. 105. ad Sixtum explanans verba illa, *ut ſecundùm electionem propoſitum DEI maneret*, vocat electionem, quâ eligendos facit ipſe, non invenit, ex vocante, non ex operibus, adeóque gratiæ, non debiti. Hæc reſponſio inde valde probabilis redditur; quod verba illa (nemo eligitur, niſi jam diſtans) ſi, ut ſonant, accipiantur, hæretica ſint; conſtat enim inter æquales electionem fieri juxta illud D. Pauli 1. ad Corinth. 4. v. 7. *quis enim te diſcernit?* quare prædictos libros S. Pater quoad omnia poſtea approbare non potuit. Nihilominus ſi cui hoc non placet, Reſpon. 2. breviter & conformiter ijs, quæ paulò ante in reſpon. ad 1. object. diximus, D. Auguſtinum loqui de executione ſolùm, prout voluntas illa DEI executioni dari à nobis concipitur. Card. Lugo, Eſparza, Petavius, & alij Sanctum Doctorem alter explicant, qui videri poſſunt.

XIV. Objicitur 3. Prædeſtinatio ad gloriam ante merita abſolutè præviſa in ſe ipſis videtur favere Calviniſtis, parere Scandalum, & præter alia abſurda cauſare deſperationem; unde vulgata illa tentatio & ſcandaloſa ratiocinatio: *aut ſum prædeſtinatus, aut non ſum*; Si ſum, nihil mihi oberit, quidquid peccem: ſi non ſum, nihil mihi proderit, quidquid boni agam. Liberè igitur vivam, qui perire non poſſum, aut ſalvari. Reſpon. Sententiam noſtram remotiſſimam eſſe ab his abſurdis, & nominatim nihil prorſus patrocinari Calviniſtis, ut in altera parte hujus Controv. patebit; neque ſcandalum præbere aut deſperationem aliúdque abſurdum invehere. Dilemmna illud dicimus. Inprimis eſſe impium; quia omni divinæ de nobis ordinationi repugnat; quæcúnque enim iſta ſit, ſemper occlamari illud poteſt. Deinde eſſe ſtultum; quia ſic ratiocinans projectæ vitæ homo in quælibet aperta pericula mortis ſe committet. Denique eſſe falſiſſimum: quippe falſa eſt utráque propoſitio; prior quidem: ſi ſum prædeſtinatus ſalvabor, quidquid egero; quia implicat, perinde ac ſi dicas: ſi homo ſum, nihil refert ſive habeam rationalitatem, ſive non ſicut enim repugnat iſtud, ita quóque repugnat, te eſſe prædeſtinatum, & non bene vivere ſaltem finaliter vi generalis decreti nòn ſalvandi, niſi bene morientes: poſterior verò: ſi non ſum prædeſtinatus, damnabor quidquid egero; quod itidem implicat, vi generalis decreti, qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Prædeſtinavit te DEUS, ô homo, ut per media pervenias; hæc ſi negligis, te prædeſtinatum non fuiſſe, magno tuo malo probas*, ut pulcherrimè & ſapientiſſimè diſcurrit S. Auguſt. de perſeverant. c. 15. & 16.

XV. *Doctrina ſexta.* Prædeſtinatio ordinaria facta eſt cum alligatione ad certa & determinata media, quæ Deus per communem providentiam ſolet offerre, cum quibus ſi homo non viſus fuiſſet coöperaturus, non propterea accepiſſet alia media, ſed accepiſſet hæc eadem, atque ex decreto permiſſivo lapſus & reprobatus fuiſſet. Ita Recentiores, quorum ſupra mentionem fecimus, & omnes, qui cum Vaſq. tenent, Prædeſtinationem fieri poſt abſolutam meritorum præviſionem. Probatur 1. ex Scriptura apertè & ſæpe affirmante, illos, qui de facto prædeſtinati ſunt, non habituros fuiſſe alia media ad ſalutem obtinendam, ſi hiſce oblatis non conſenſiſſent: item illos, qui modò reprobati ſunt, ſalvandos fuiſſe, ſi hiſce oblatis medijs reſpondiſſent; id quod eſt ipſiſſima mediorum alligatio, átque ex uno alteróque loco ſic breviter oſtendo. In epiſt. ad Rom. 8. cum Paulus de Prædeſtinatis diſputans dixiſſet, eos eſſe Filios DEI, hæredes regni, cohæredes Chriſti, ne hoc Romani laxiùs acciperent, mox addidit v. 17. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Scilicet ut indicaret, electionem noſtram non eſſe extenſam ad media, quæcunque tandem efficacia forent, præviſa, ſed reſtrictam ad iſta, quibus neglectis etiam ſalus æterna, reprobatione in vicem Prædeſtinationis ſubeunte, erit neglecta. Hoc ipſum apertiùs indicat eâdem Epiſtolâ c. 11. loquens de Gentilibus, qui in locum Judæorum propter eorundem incredulitatem ſunt electi. *Vide*, inquit v. 22. *bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excidêris: & illi rurſus, ſi non manſerint in incredulitate, inſerentur.* Quibus verbis apertè ſupponit S. Paulus, quod in noſtra poteſtate ſit, ut fuerimus vel non fuerimus inſerti, vel exciſi, de quo plura infra. Ergo ſupponit prædeſtinationem eſſe alligatam determinatis ac certis meritis. Clariſſimè in hunc eundem ſenſum loquitur D. Petrus in Epiſt. 2. c. 1. v. 10. *Satagite, Fratres, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, q. d. ſi cum gratijs de facto acceptis coöperabimini, facietis, ut fueritis electi. In oppoſita ſententia Suarezij & aliorum Chriſtiani per Græciam diſperſi, quibus Româ S. Petrus ſcribit, excipere & dicere potuiſſent, cur ſatagamus & ſoliciti ſimus? Deus vi ſui decreti primi & abſoluti tenetur nobis ſeligere gratias efficaces; quod ſi præſentes tales non ſint, alias dabit. Cura proinde certificandi noſtram electionem non ad nos; ſed ad Deum ſpectat. D. Petrus autem electionem vocavit incertam, non quod jam non ſit præviſa & decreta; ſed quoad nos, quatenus non coöperando facere poſſumus ut non præceſſiſſet talis electio.

XVI. Probatur 2. ex Patribus, maximè S. Auguſtino cujus eſſe dicitur notum illud effatum: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris.* id ipſum ſignificat Tract. 26. in Joan. *Si non traheris, ora ut traharis*; per tractionem autem intelligit prædeſtinationem. Rurſus Serm. 1. de S. Stephano pronunciat: *Quod ſi Stephanus pro lapidantibus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Ergo ſalus & gloria S. Pauli fuit alligata orationi S. Stephani. S. Proſper in reſponſ. 3. ad capitula Gallorum, qui vehementer urgebant illam objectionem contra gratuitam prædeſtinationem S. Auguſtini ſic ait: *Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt; quia prædeſtinati non ſunt; quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt?* Et Reſponſione 7. *quia illos ruituros propriâ ipſorum voluntate præſcivit, ob hoc à filijs perditionis nulla prædeſtinatio ſecrevit.* S. Damaſc. Dialog. contra Manichæos in fine: *quocirca*, ait, *bona*

Digitized by Google

bona agere & boni effici contendamus, ut in eorum numero ſimus, quos Deus fore bonos prænovit, atque ad vitam præordinavit. Probatur 3. ex communi fidelium ſenſu. Quoties enim dicimus, & nemo nos imprudenter loqui judicat: Si hic vel ille non fuiſſet factus Religioſus, perijſſet: ſi hic vel ille operarius non fuiſſet in Jndijs, multi infantes inibi ab eo baptizati non ſalvati, ſed ſine baptiſmo mortui fuiſſent: niſi hic vel ille hunc concionatorem audiſſet, non fuiſſet converſus: niſi factus fuiſſet æger, non reſipuiſſet: niſi hic factus eſſet reus capitalis ſupplitij, & ſic ad mortem diſpoſitus, in ſuis flagitijs perijſſet. In his omnibus ſupponitur ſalus determinatis medijs alligata. Probatur denique ex abſurdo, quod ex oppoſita ſententia deducitur, videlicet Deum perinde reprobare poſitivè à beatitudine æternâ, atque ad eam prædeſtinare. Quia Deus juxta Adverſarios vi primi ſui decreti ſalvandis deberet media efficacia ſtudioſè eligere, & reprobandis inefficacia. Nam ſi per ſcientiam Mediam vidiſſet Deus, auxilium, quod de facto Judæ dedit, fore efficax, vel iſtud nihilominus dediſſet, vel non? ſi nihilominus dediſſet. Ergo Judas futurus fuiſſet prædeſtinatus. Si non dediſſet, ſed aliud inefficax ſubſtituiſſet. Ergo de induſtria Deus Judæ medium inefficax, quà tale, quæſiviſſet; cur enim aliàs efficax ſubtraxiſſet? quid autem hoc eſt aliud, quàm poſitivè reprobare.

XVII. Dixi in doctrina prædeſtinatio ordinaria, ut indicarem, nolle me comprehendere quoſdam eximios Sanctos v. g. Beatiſſimam Virginem, Joannem Baptiſtam &c. quos Deus ducere voluit per extraordinaria media ad ſummam ſanctitatem, quibus concedunt Authores, quos ſequimur, Deum tanto affectu contuliſſe media, ut ſi cum his præviſi fuiſſent non cooperaturi, Deus alia & alia media adhibuiſſet.

XVIII. Objicitur 1. quicúnque vult efficaciter media propter finem, vult prius & principalius ipſum finem, ex vulgari illo effato; *propter quod unumquoque tale, illud magis tale.* Sed Deus vult auxilia efficacia propter gloriam. Ergo vult prius ac principalius magis gloriam. Ergo vult gloriam per decretum præſcindens à meritis. Reſpond. diſtinguendo Majorem. Loquendo de eo, qui habet omnimodam omnium mediorum notitiam, nullumque periculum errandi: item de medijs habentibus ſimul rationem finis, ſeu complementi finis, negatur Major: loquendo de eo, qui non habet evidentem omnium notitiam, ſed periculo errandi eſt expoſitus: item de medijs, quæ ſunt pura media, tranſeat Major, & negatur Conſequentia. Reſponſio intelligitur ex ijs, quæ ſupra diximus §. VIII. circa finem. Interim non negaverim, tendentiam Dei in gloriam juxta noſtrum concipiendi modum à tendentia in merita præſcindi, & illam in priori ſigno concipi poſſe; verùm ex hoc non ſequitur tendentiam in merita re ipsâ eſſe in poſteriori ſigno; aliud enim eſt, quod ego præſcindam unam tendentiam ab alia: & aliud quod ipſa tendentia Dei præſcindat unum ab alio; ſic poſſum ego intendere iter Lauretanum pedeſtre, quà tale, quia ſpecialiter placet iter pedeſte, quô caſu non intendo iter Lauretanum præſcindendo ab equeſtri, vel pedeſtri, quantumvis alius ab utroque ſic præſcindere poſſet.

XIX. Objicitur 2. Si prædeſtinatio eſt alligata certis medijs ad communem Providentiam ſpectantibus, ita ut in poteſtate reproborum ſit facere, ut fuerint etiam ipſi prædeſtinati: & è contra, non apparet amplius ulla ſpecialis benevolentia exercita erga prædeſtinatos, quam tamen ſupra docuimus. §. X. Probatur ſequela. Si Deus eaſdem gratias, quas de facto dat adhuc daturus fuiſſet, etiamſi viſæ fuiſſent non efficaces, argumentum eſt, illas datas non fuiſſe, quia ſunt efficaces. Sed ab hoc Deum abſtraxiſſe. Reſpond. Benevolentiam ſpecialem cum providentia generali conjunctam conſiſtere in hoc, quod DEUS ſuppoſitâ etiam ſcientiâ Media de horum & non illorum conſenſu ſub conditione futuro adhuc liberrimè ex mero beneplacito dederit, & elegerit hunc ordinem & ſeriem gratiarum, quam vidit profuturam nobis, & quidem ideo quia vidit profuturam nobis; cum tamen eâdem libertate potuiſſet aalium ordinem eligere, qui profuiſſet alijs & non nobis. Cur autem potius dederit hunc ordinem gratiarum, quàm alium, hoc enimvero eſt arcanum & inſcrutabile judicium DEI, qui potuiſſet dare talem ordinem gratiarum, quo vidiſſet omnes ſalvandos. Urgent. DEUS hunc ordinem daturus fuiſſet, etiamſi iſti ſalvati per ipſum non fuiſſent. Eſto hoc. Nam quamvis inde habeatur, adæquatum finem à Deo intentum non fuiſſe ſalutem horum præ ſalute illorum; cum hoc tamen ſtat; Deum intendiſſe verè & tanquam finem ſalutem horum. Porro quod benevolentia hæc ſit ſpecialis, ex hoc liquet, quod non ſit generalis, ſicut foret illa, quâ Deus ordinem gratiarum omnibus profuturum elegiſſet. At, inquiunt, D. Auguſtinus multò ſpecialiorem in DEO benevolentiam erga prædeſtinatos agnovit. Mentem S. Doctoris ſatis patere ex ijs, quæ recèns ab ipſo adduximus. Item ex D. Proſpero ſolertiſſimo ejus diſcipulo, qui utique ſenſum Præceptoris ſui optimè fuit aſſecutus. Si igitur ſpecialiſſimum Dei affectum erga prædeſtinatos agnoſcit, ut putant Suarez & alij, potuit de nonullis prædeſtinatis intelligi, ut ſupra nos conceſſimus, aut quod univerſim DEUS ita facere potuiſſet; certè tota noſtra doctrina ex ipſiſſimis D. Auguſtini principijs procedit, quomodo ergo à mente illius aliena eſſe poteſt?

XX. Objicitur 3. ex noſtra Doctrina ſequi, quod detur ex parte hominis totius prædeſtinationis cauſa, cum in poteſtate hominis ſit facere, ut fuerit prædeſtinatus, ſcilicet per conſenſum conditionatè futurum; hoc autem eſt contra id, quod ſupra ex communi Theologorum de cauſa videlicet Prædeſtinaitonis §. IV. docuimus. Reſpon. negando ſequelam. Nam nihil DEUS ex parte hominis videt, quod habeat rationem cauſæ motivæ per modum meriti, ut homo ad gratiam & gloriam prædeſtinetur. Cum hoc tamen bene ſtat, in noſtra eſſe poteſtate, facere ut factâ hypotheſi, quod Deus daturus ſit hunc ordinem auxiliorum, ſimus per illum prædeſtinati. Unde dæc duo in prædeſtinatione incluſa ſedulò diſtinguenda, ſcilicet *voluntas dandi hæc auxilia*: & *voluntas per hæc auxilia ſalvandi*; quippe primum poſſet eſſe volitum abſque ſecundo, ſi nimirum iſtis auxilijs non cooperaremur. In noſtra poteſtate non eſt facere, ut Deus decernat dare hæc auxilia, ut ſæpe jam diximus; quocunque enim

Digitized by Google

noſtro conſenſu ſub conditione prævíſo ut futuro, Deus adhuc ſummâ libertate potuiſſet nolle dare hæc auxilia ſed alia, quæ prævidit non fore efficacia. Quare abſolutè & illimitatè non eſt in noſtra poteſtate facere, ut fuerimus prædeſtinati. Attamen cum in noſtra poteſtate ſit facere, ut Deus hæc auxilia viderit fore efficacia, conſequenter in noſtra poteſtate eſt facere, ut DEUS per hæc auxilia prædeſtinare nos poſſit; ac denique ſuppoſito, quod velit dare hæc auxilia cum omni vi & congruitate ſuâ in bonum noſtrum, in noſtra eſt poteſtate facere, ut ea dando nos prædeſtinet. Atque in hoc poſteriore ſenſu & non in priore prædeſtinatio in noſtra eſſe poteſtate dicitur, ut infra magis conſtabit.

XXI. *Doctrina ſeptima.* Effectus prædeſtinationis eſt id, quod ad conſecutionem gloriæ infallibiliter conducens ex vi prædeſtinationis efficaciter producitur. Ita communiter Catholici Doctores. Talis effectus eſt 1. omnis gratia & vocatio in prædeſtinato. Item quilibet actus ſupernaturales, ſive ſint poſt illam, ſive ante: ſive ſint diſpoſitiones proximæ, ſive remotæ ad gratiam; ſive augmentum illius, dumodo de facto ferant fructum ſalutis æternæ. Sumitur ex illo D. Pauli ad Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit hos & glorificavit.* 2. Gratia habitualis & virtutes infuſæ, quæ ſine interruptione ei conjunguntur. 3. gloria cæleſtis, ut colligunt DD. hunc & priorem effectum ex cit. verbis Pauli, & quia univerſim effectus prædeſtinationis dicitur totum id, quod conducit vel formaliter vel efficienter ad ſalutem. 4. Naturalia dona, nempe productio hominis, ingenium, indoles, educatio & alia omnia, quæ prævidentur à DEO futura illi utilia ad ſalutem. Idem putandum de circumſtantijs & caſibus naturaliter occurrentibus, quibus prædeſtinatio juvetur v. g. quod Petrus caſu intret templum ad audiendam concionem, quâ movetur ad emendationem vitæ: quod interſit repentinæ morti: quod gravi adverſitate prematur &c. 5. denique mala pœnæ ſive plagæ, ut cœcitas, ſurditas, morbi &c. hæc poſſe & verò ſæpe eſſe effectus prædeſtinationis, communiter concedunt Scholaſtici Theologi, apud quos hac de re plura videri poſſunt.

XXII. Reprobationis vocem paſſim in Sac. Scriptura uſurpatam ad ſignificandum hominem peccatorem Theologi tranſtulerunt ad ſignificandum eum, qui damnatur pœnâ æternâ, ſive illa ſit ſolius damni, ut in decedentibus cum ſolo originali, ſive ea ſit etiam ſenſûs, ut in decedentibus cum actuali mortali.

Doctrina octava. Datur Reprobatio, quia ſunt aliqui prædicto modo reprobi. Et hæc duplex eſt; una Poſitiva: Negativa altera. Prima pars eſt certior, quàm quæ multis probetur; illos autem reprobos damnari à Deo in pœnam ſuorum peccatorum, eſt quoque certiſſimum; unde Paulus ad Rom. 9. v. 23. ſcribit; *DEUM eos ut vaſa iræ ſuſtinuiſſe, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* Alteram partem receptiſſimæ diviſionis nonnulli Recentiores nolunt admittere, meliùs eſſe rati, unam, quam duplicem aſſignare reprobationem. Sed quæſtio eſt de voce, an volitio, nec efficaciter eligendi ad gloriam, nec dandi gratiam congruam, dicatur reprobatio negativa?

Itáque Reprobatio prior ſeu poſitiva & ſimpliciter talis conſiſtit principaliter in judicio quodam practico, quô Deus poſt abſolutam prævíſionem peccatorum in reprobo uſque ad finem vitæ futurorum ſtatuit, illum eſſe dignum pœnâ: & connotat actum quendam voluntatis puniendi hominem talem. Unde definiri poteſt: Actus divinæ providentiæ, quô Deus poſt abſolutam prævíſionem peccatorum alicujus judicat, illum dignum eſſe pœnâ, & decernit, illum punire pœnâ æternâ, eâque vel damni ſolius, vel etiam ſenſûs pro ratione peccati, in quo quis decedit, ut hinc alio nomine non malè Punitiva dici ſoleat. Reprobatio poſterior ſeu Negativa, Permiſſiva, & ſecundùm quid talis conſiſtit etiam principaliter in quodam judicio practico, quô DEUS ſtatuit ante abſolutam prævíſionem peccatorum aliquos communi relinquere Providentiæ abſque peculiari benevolentia circa media procuranda, quæ noſſet congrua: & connotat voluntatis actum non providendi talia media congrua ad merita finalia & gloriam conſequendam. Unde definiri poteſt: Actus divinæ Providentiæ, quo DEUS ſtatuit, quibuſdam non exhibere ſpecialem benevolentiam, ac congrua media providere ad merita & gloriam conſequendam. Vocatur autem à Doctoribus Negativa, non quod ſit negatio actûs divini aut ſalutis abſolutè non conferendæ ſed quia, licet ſit actus poſitivus, tendit tamen in objectum negativum, ſcilicet in negationem benevolentiæ ſingularis erga alios exhibitæ, hoc eſt, vocationis congruæ; interdum enim denominantur actus à ſuis objectis. Et quamvis iſtæ voces non reperiantur expreſſæ in antiquis Authoribus, reperitur tamem res ſignificata per illas, & voces ipſas uſurpant jam graves & plures Theologi.

XXIII. *Doctrina nona.* Ante prævíſum abſolutè peccatum, non habuit DEUS decretum abſolutum, & efficax excludendi quemquam à gloria cæleſti. Hanc doctrinam apertè videtur tradere Sac. Scriptura ajens Sapient. 1. v. 13. *DEUS mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.* Ezechiel 8. v. 23. *Num voluntatis meæ eſt mors impij?* & cap. 33. v. 11. *Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat.* Quomodo autem hoc dicere Deus verè poteſt, ſi tam efficaciter velit mortem peccatoris, quàm vitam. Stabiliunt id S. Concilia & Patres paſſim, è quibus non prætermittendus hîc S. Auguſt. L. 33. contra Julian. c. 18. ſic pronuncians: *Bonus eſt DEUS, Juſtus eſt DEUS, poteſt aliquos ſine bonis operibus liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemdam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Ratio denique ſuffragatur. Tum quia contraria opinio repugnat Bonitati divinæ ex ſe tam inclinatæ ad benefaciendum: ad malefaciendum autem non niſi poſtulantibus peccatis Tum quia ſi DEUS antecedenter præconcepit eam volitionem efficacem damnandi, quomodo intelligi poteſt ſerius ejuſdem animus, omnes ſalvandi? Equidem non repugnat volitio DEI efficax alicujus rei cum inefficacia de ejuſdem carentia, quia ſcilicet una harum admixtum habere ſolet involuntarium. At Deum ex ſe omnes velle ſalvare: & à ſe efficaciter etiam velle damnare aliquos, hæc certè non videntur componi poſſe. Cum ergo priorem volitionem Sac. Scriptura apertè Deo attribuat, 1. Timoth. 2. v. 1. poſterio-

Digitized by Google

ſteriorem nos ab eodem arcere, & dicere debemus, nullum omnino ante præviſum abſolutè peccatum à Deo cœlis excludi, pœniſque æternis deputari.

XXIV. *Doctrina decima.* Reprobationis Negativæ non datur cauſa ex parte reprobi. Ita S. Thomas 1. P. q. 23. a. 5. ad 3. Bellarminus, Suarez, Vaſquez, cæteri omnes Catholici Theologi, qui admittunt reprobationis diviſionem in Negativam & Poſitivam conformiter Sac. Scripturæ: hoc enim intendit D. Paulus Rom. 9. v. 13. dum ait: *Eſau autem odio habui*, hoc eſt, minùs dilexi quàm Jacob. Item dum ibidem v. 20. comparat Deum figulo, qui abſque ulla præcedente cauſa vas aliquod facit in contumeliam, cum aliud ex eadem maſſa faciat in honorem. Conſentiunt SS. Patres & maximè S. Auguſt. de Prædeſtinat. SS. c. 9. ubi, inquit: *cur autem iſtum potius, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus.* Et alibi frequenter, cum quærit cauſam diſcretionis factæ à Deo inter prædeſtinatos & reprobos, recurrit ad divina judicia, ad voluntatem Dei &c. ac meritò. Nam vel ponimus prædeſtinationem & reprobationem factam fuiſſe poſt, vel ante præviſum Adami peccatum? ſi poſt, tum omnes erunt æquales, quia continebantur omnes in eadem maſſa perditionis, ut Apoſtolus & S. Auguſtinus loquuntur: ſi ante, tum iterum erunt omnes æquales in maſſa naturæ, ac proinde nec in hoc nec in illo caſu reperit Deus aliquam cauſam ex parte hominum, cur potius his velit gratiam & gloriam, quàm alijs, quos vult permittere labi, & in ſuo lapſu relinquere; ac proinde punire æternùm propter hunc lapſum.

XXV. *Doctrina undecima.* Effectus Reprobationis Poſitivæ eſt excluſio à gloria generaliter in omnibus: & in adultis deputatio ad ignem æternum. Negativæ verò Reprobationis effectus dici poſſunt prima permiſſio peccati nunquam remittendi, & cæteræ hujuſmodi ſubſequentes: Item dilatio mortis uſque dum reprobus cadat ex gratia, ſi illam habeat: vel anticipatio ejuſdem, antequam veniat ad occaſionem, in quâ, ſi viveret, converteretur. Ita quoad utramque partem Suarez L. 5. de Prædeſtinat. c. 7. & communiter Doctores. Ratio primæ partis eſt, quia pœna hæc eſt à Deo, cauſatur per reprobationem, & infallibiliter jungitur cum termino reprobationis, imò eſt ipſe reprobationis terminus. Ergo eſt effectus Reprobationis Poſitivæ; ſiquidem habet omnes conditiones requiri ſolitas. Ratio ſecundæ partis eſt. Tum quia hæc omnia ſuo modo conſequuntur ex negatione mediorum congruorum ad merita finalia & gloriam, in qua negatione eſſentialiter conſiſtit reprobatio Negativa. Tum quia modus iſte cauſalitatis non eſt poſitivus, ſed negativus, eo ſcilicet modo, quo negatio eſt cauſa negationis, quomodo affirmatio eſt cauſa affirmationis. Sicut ergo ſpecialis DEI benevolentia dandi media congrua eſt ratio conſecutionis gloriæ: ſic negatio talis benevolentiæ erit ſuo modo ratio non aſſecutionis ſalutis æternæ. Dixi prima permiſſio peccati nunquam remittendi &c. Nam permiſſiones eorum peccatorum, quæ delentur in reprobis vel per baptiſmum, vel per pœnitentiam, ita ut nullum ex eis debitum permaneat pœnæ in æternùm ſuſtinendæ, non eſſe effectus reprobationis, ſentiunt citati, qui ſimiliter ajunt, cum Deus ordinariè non damnet poſitivè niſi præviſâ morte; hanc etiam propter alias cauſas permitti poſſe.

XXVI. *Doctrina duodecima.* Secluſâ peculiari revelatione nemo poteſt infallibiliter cognoſcere, ſe eſſe prædeſtinatum, & in Libro Vitæ Scriptum. Ita definit Tridentinum Seſſ. 6. c. 12. ubi poſtquam omnes fideles monuit, ne quiſquam, dum in hac vita mortali verſamur, uſque adeo præſumeret, ut certò ſtatueret, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, ſtatim ſubdit hæc verba: *Nam niſi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos DEUS ſibi elegerit.* Nihilominus moraliter ex aliquibus indicijs poteſt homo vel ſuam vel alterius prædeſtinationem conijcere, quod teſte S. Bernardo Serm. 2. in Oct. Paſchæ innuere videtur Apoſtolus, cum ad Rom. 8. 16. dicit: *ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod filij DEI ſimus.* Indicia autem ejus modi varia conſtituuntur à Doctoribus, de quibus videri poteſt P. Jeremias Trexelius in Zodiaco. Dixi in doctrina *prædeſtinatum, & in Libro Vitæ ſcriptum.* Nam hæc duo ſumunt nonnulli pro eodem ex illo Danielis. 12. v. 1. *in illo tempore ſalvabitur populus tuus, qui inventus fuerit ſcriptus in libro.* Sed hæc mutua aſſociatio parùm probat. Melius igitur S. Thomas 1. P. q. 24. c. 1. ad 4. diſtinctionem rationis intervenire ſentit; quia Prædeſtinatio eſt prior Libro vitæ, & huic per modum objecti ſupponitur; etenim in Libro vitæ ſcribuntur, hoc eſt, in notitia DEI cognoſcuntur, qui prædeſtinati ſunt. Vnde Tanner 1. P. d. 3. q. 2. dub. 1. Librum vitæ propriè deſcribit: *Notitiam, quâ Deus firmiter retinet, & novit, ſe aliquos ad vitam prædeſtinaſſe.* Ex quâ deſcriptione majus diſcrimen inter prædeſtinationem & librum vitæ apparet, quod videlicet illa actum tam intellectûs, quàm voluntatis denotet: iſta verò ſolùm intellectûs innuat conformiter Scripturæ, in quâ Malach. 3. v. 16. vocatur *liber monimenti*, id eſt memoriæ, quæ eſt actus intellectûs.

XXVII. Ex dictis hactenus de Prædeſtinatione & Reprobatione clariſſimè *Perſpicitur* 1. quis ordo actum divinorum noſtro concipiendi modo tam circa prædeſtinatos, quàm reprobos conſtitui poſſit. Loquendo de prædeſtinatis. *Primus actus* eſt Voluntatis, quo conſtituit Deus omnibus decedentibus in gratia dare beatitudinē: & excluſionem à beatitudine omnibus decedentibus in peccato. *Secundus actus* eſt ſcientiæ Mediæ, quâ proponunrur DEO omnia media & combinationes circumſtantiarum poſſibilium omnes, & quidquid in unaquaque harum liberè ſit futurum à Jacobo v. g. prædeſtinato. *Tertius actus* eſt iterum actus voluntatis, quo providere DEUS Jacobo vult media determinata, quibus DEUS per ſcientientiam mediam novit, ſi dentur, Jacobum habiturum merita finalia, & gloriam à DEO promiſſam obtenturum; atque in hoc actu intelligitur duplex voluntas, vel una æquivalens duabus; nempe una quæ habeat pro obiecto rationem providentiæ ſufficientis: alia quæ habeat pro obiecto rationem prævidentiæ efficacis; quippe DEUS non ſolùm vult ea media prædeſtinato, quæ ſcit & videt eſſe efficacia, ſed ipſam etiam efficaciam intendit. *Quartus actus* eſt ſcientia abſoluta, quâ videtur abſolutè Jacobus auxilijs gratiæ bene uſurus perſeveraturus finaliter, & propterea dignus, cuj conferatur præmium, quod promiſſum eſt digno per media finalia. *Quin-*

Digitized by Google

lia. *Quintus actus* eſt iterum voluntatis largiendi præmium jam digno in præſcientia abſoluta. Loquendo de Reprobo v. g. Eſau *Primus & Secundus actus* ijdem ſunt, qui circa prædeſtinationem. *Tertius actus* eſt, quo DEUS elegit hæc determinata media etiam ſciens per ſcientiam ſuam Mediam, illis Eſau non uſurum, & pro ſuâ culpâ finaliter deceſſurum in peccato: Deus tamen, licet inefficaciam conceſſorum auxiliorum noverit, attamen neque vult neque probat, neque intendit eandem. *Quartus actus* eſt ſcientia viſionis, quâ invenitur tanquam minùs habens, & per inpænitentiam finaliter indignus beatitudine æternâ. *Quintus denique actus* eſt propoſitum exequendi ſupplicium, cujus jam dignus abſolutè apparet.

XXVIII. *Perſpicitur 2.* diſcrimen inter Jacobum prædeſtinatum, & Eſau reprobatum ante præviſa cujuſque merita & demerita. Nam in ſerie erga prædeſtinatum tertius actus non ſolùm eſt voluntas ſufficienter providens, ſed etiàm eſt actus ſpecialiter benevolus, electiuus ſingularis beneficij, atque ideo formaliter ſpectat ad ſpecialem beneficentiam majoris providentiæ, quàm communis: At verò in ſerie erga non prædeſtinatum tertius actus, qui eſt providentia, caret illis omnibus rationibus. Ergo ante præviſa merita & demerita finalia prædeſtinati Jacobi ac reprobi Eſau datur in divinâ voluntate diſcrimen inter eoſdem.

XXIX. *Perſpicitur 3.* quamvis ſimpliciter & abſolutè loquendo, atque ante omnem liberum divinæ Providentiæ determinationem prædeſtinari aut non prædeſtinari, ſed reprobari negativè non ſit in poteſtate hominis: attamen ex ſuppoſitione, quod DEUS elegerit hæc media, & non alia: item quod ille ordo mediorum homini ad ſalutem proviſorum habeat rationem prædeſtinationis, in hominis poteſtate eſſe tum Prædeſtinari, tum Reprobari. Prius patet. Nam utique nullus homo ſimpliciter & antecedenter ad omnem actum DEI liberum impedire poteſt Deum, quin, ſi velit, illum prædeſtinet, aut non prædeſtinet, & gratias efficaces vel inefficaces concedat; ſiquidem homo non poteſt aliquid ponere, DEUM neceſſitans, cum prima ſimpliciter libertas & exercitium DEI à nulla cauſa ſecunda prædeterminari valeat: nec tollere aliquid ex neceſſarijs requiſitis, cum nequeat DEO deeſſe modus, quo quemlibet poſſit prædeſtinare aut reprobare, ſi velit. Ratio poſterioris eſt, quia hunc ordinem prædeſtinationis aut reprobationis à Deo fuiſſe electum, eſt contingens à libero hominis arbitrio coöperaturi aut non coöperaturi liberè; ideoque homo acceptis à DEO his medijs & non alijs, poteſt ſimpliciter impedire, ne DEUS habeat actum primum proximum libertatis ad illum prædeſtinandum, aut reprobandum per hunc ordinem mediorum. Et hoc eſt, quod ſupra diximus, abſolutè non eſſe in poteſtate noſtrâ, ut fuerimus prædeſtinati, quia non eſt in manu noſtra, ut hunc vel illum ordinem mediorum DEUS conſtituat, atque has vel illas gratias nobis concedat: attamen ſuppoſito, quod DEUS dare velit hunc ordinem mediorum, atque hæc auxilia in bonum noſtrum, eſſe in poteſtate noſtra, facere, ut eadem dando nos prædeſtinet aut reprobet. Quare quando dicitur, in poteſtate noſtrâ eſſe perſeverare, aut non perſeverare, diſtinguendum eſt; per hunc determinatè ordinem mediorum, quem Deus ex ſola ſua libertate eligit, & poſtquam illum elegit, Conceditur: ante omnem electionem mediorum & per quemcunque ordinem mediorum, quem Deus eligere poteſt, Negatur. Hanc diſtinctionem cum S. Proſpero tenent Molina Valentia, Arrubal, Granado, Lugo, Pallavicinus, Eſparza, Aitrede & plerique alij Theologi.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XXX. **E**Rror *primus eſt*, Deum non velle omnes homines ſalvos fieri. Ita Calvinus L. 3. Inſtit. c. 24. §. 16. Et L. 2. c. 2. §. 4. Et c. 3. §. 10. Rurſum in 1. ad Timoth. 2. cit. Et poſt hunc Cornelius Janſenius Epiſcopus Iprenſis Tom. 1. L. 8. c. 15. colum. 514. ubi dicere tam impiè, quàm impudenter fuit auſus, *erroneam eſſe ſententiam Recentiorum, qui exponunt locum Apoſt. ad Timoth.* (quod velit Deus omnes homines ſalvos) *de voluntate ſalvandi omnes, quantum eſt in ipſo.* Unde alius gravis error, ut videre eſt apud Calvinum in 1. Joan. 2. v. 2. & in c. 17. Joan. Bezam in Theſ. de Sacrif. apud Malderum in Antiſynod. c. 7. *Chriſtum non pro totius mundi redemptione crucifixum & mortuum eſſe, ſed tantùm pro ijs, qui ſalvantur.* Quos iterum ſequitur Janſenius Tom. 1. L. 8. c. 26. colum. 546. Et Tom. 3. L. 3. c. 20. colum. 387. ubi ait: *Vanum & ſtultum eſt, pro talibus reprobis ſalvandis Chriſtum ſeriâ voluntate pati ac mori: vanum eſt prò talibus à perditione decreta liberandis offerri Patri vita, preces, ac ſanguinem ſuum; mortis enim & ſanguinis oblatio eſt quoddam efficaciſſimum rogandi genus.* Inducti videntur in pravas has opiniones. Inprimis authoritate D. Auguſtini, qui locum illum Pauli 1. ad Timoth. 2. longè aliter explicat Lib. de corrept. & grat. c. 14. ſcilicet de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum. *Alioquin*, inquit, *nullus excluderetur è cœlo; cum nemo illius poſſit reſiſtere voluntati.* Deinde ratione; quia multi moriuntur non adipiſcentes gloriam, nec penes illos ſtat, ſed præciſè per Deum, ne eam aſſequantur v. g. infantes, qui in materno utero aut inter Gentiles ante uſum rationis moriuntur, aut qui à nativitate amentes ſunt, & baptiſmi copiâ carent. Ergo his Deus, quantum eſt ex ipſo, non voluit gloriam. Tum quia, ut argumentatur Janſenius, loc. cit. Chriſtus pro illis mortuus eſt, oravit, & ſanguinem fudit, quibus ſanguis, oratio, & mors ejuſdem prodeſt. Atqui reprobis non prodeſt mors, oratio, & ſanguis Chriſti. Ergo &c.

XXXI. Errorem hunc geminum ſufficienter ſupra §. 3. rejecimus, quem utrumque etiam apertè reijcit Tridentinum Seſſ. 6. c. 3. ubi ait: *etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ij tantùm, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.* Ubi vides, numero eorum, pro quibus Chriſtus oravit, Sanguinem fudit, & mortuus eſt, comprehendi etiam eos, qui mortis ejus beneficium non recipiunt; Si autem pro omnibus mortuus eſt, utique voluit omnes ſalvos; ad quid enim ſanguinem effunderet, preces offerret, & mortem ſuſtineret pro ijs, quos vellet nullum in-

lum inde fructum ferre, & non ſalvari? Unde ipſemet Matth. 18. v. 14. ait. *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Et à S. Petro Epiſt. 2. c. 3. v. 9. dicitur Deus *nolens aliquos perire.* Item à Leone Papa Serm. 1. de Nativit. *Chriſtus veniſſe dicitur omnibus liberandis,* Quod etiam Chriſtus pro omnibus in Cruce oraverit etiam reprobis, apertè docent S. Scripturæ & Patres. Joan. 17. v. 20. *non pro eis* (diſcipulis) *rogo tantùm, ſed etiam pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* 1. Joan. 2. v. 1. & 2. *Advocatùm habemus apud Patrem JESUM Chriſtum Juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* S. Hieronymus in illud Iſaiæ 27. v. 9: idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Jacob, cauſas reddit, cur poſtquam Judæi in Dominum miſerunt manus, veniam conſequantur, ſi voluerint agere pænitentiam, ut compleatur Salvatoris oratio: Pater ignoſce illis, quod enim faciunt, neſciunt: *Propterea,* inquit, *dimittetur iniquitas domui Jacob, ut mereatur benedictionem Dei, qui ſibi maledictionem fuerat imprecatus dicens: ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Sac. Scripturæ Concilijs & Patribus inſiſtentes Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. In Bulla contra 5. propoſitiones ex opere Janſenij excerptas hanc ex illis quintam (*ſemipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe &c.* declarant *falſam, temerariam, ſcandaloſam: & intellectam hoc ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus fuerit, tanquam impiam blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam, atq; ut talem damnant.*

XXXII. Reſpond. ad primum ex Sac. Scriptura. Quâ voluntate Deus velit omnes ſalvos fieri, id unanimi conſenſu Patres deducunt ex eo, quod ſubjungit: Apoſt. v. 5. *Unus enim omnium Deus, unus Mediator, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Quemadmodum ergo omnium ſine exceptione eſt DEUS, Mediator, Redemptor &c. ita omnium vult ſalutem; Voluntas enim mediorum per ſe arguit voluntatem finis. Veteribus hâc in parte conſentit D. Auguſtinus qui non modò ingeminat, Chriſtum omnium Salvatorem & pro omnibus mortuum, quia omnes mortui, ſed ſolenne illud Patrum Græcorum, atque ex Latinis Cypriani, Ambroſij &c. *Myſticus iſte Juſtitiæ Sol omnibus venit,* ſic admittit, ut omnes indiſcriminatim poſſe Dei præcepta ſervare, ſi modò velint, ſæpius inculcet; cujus rationem reddit, quod *illud Lumen illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ut hic Auguſtinus veteribus opponi non poſſit, niſi novitatis nota illi inuratur. Quare ſi Auguſtinus dictum illud Paulinum aliter explicavit, non propterea negavit eum, quem dedimus, ſenſum. Imò hunc apud Franciſc. de Lugo in 1. P. d. 37. n. 20. apertè diverſis in locis aſſeruit, retractando, quas prius inſinuaverat alias interpretationes, ut ait Ariaga itidem in 1. P. D. 25. n. 30. Unde Juſtinianus, Cornel. à Lapide, Tirinus, aliique Sac. Scripturæ Interpretes affirmant, unicam hanc illius loci Paulini genuinam eſſe expoſitionem, & quaſuis alias veluti à mente Apoſtoli alienas reijci oportere.

XXXIII. Reſpond. *ad 1. rationem.* Deum, quantùm eſt ex ſe, omnibus hominibus verè velle & gloriam, & media ſufficientia ad illam. Ita, ut niſi per ipſos vel per concurſum cauſarum naturalium impediatur, ea auxilia infallibiliter conferat, conſentientibus in hoc omnibus fere Theologis, quorum viginti novem nominat & præter Patres adducit Faſolus in 1. P. q. 19. a. 6. à n. 3. quibus non contrariatur S. Thomas eadem Q. & Art. ad 1. volitionem illam DEI conditionatam & inefficacem vocans velleitatem; non enim id fecit eo ſenſu, quaſi DEUS non actu velit noſtram ſalutem, ſed tantùm voliturus eſſet impletâ conditione, ſed quia voluntas hæc non eſt abſoluta, ſed conditionata conditione afficiente objectum, non ipſam voluntatem. Ad argumentum igitur negamus conſequentiam; quod enim impediatur proxima potentia habendi talia media, & multi de facto illis careant, non provenit id ex defectu Dei, ſed ex concurſu cauſarum naturalium, quibus Deus violentiam inferre, ne malum illud invehant, nec vult, nec tenetur. Reſpond. *ad 2. rationem.* Sanguinem Chriſti pro illis etiam effuſum, preces factas, & mortem ſuſceptam fuiſſe, quibus nullo modo prodeſt, teſtari Tridentinum citatis verbis iſtis: *Etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt*; quod ipſum Concilium c. 2. & 3. verba etiam cit. ex Joan. *ipſe eſt Propitiatio pro peccatis noſtris &c.* accipit ſub diſtributione generica, & non ſolùm quoad ſufficientiam pretij, quod omnibus applicari poſſet, ſed ex ſyncera voluntate, ut omnibus, quantum eſt ex parte ſua, paſſionis ejus fructus proveniat. In quem ſenſum apertiſſimè etiam Leo Papa epiſt. 83. ad Epiſcopos Paleſtinæ ſic ſcribit: *Effuſio pro injuſtis ſanguinis Juſti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyranica vincula retinerent; quoniam (ſicut Apoſtolus ait) ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia: & cum ſub peccati præjudicio nati poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi validius factum & donum libertatis, quàm debitum ſervitutis.* Atque hic eſt Sanctiſſimus Pontifex, qui ſolo Xixto mediante Pontificibus illis ſucceſſit, qui Pelagium & Semipelagianos damnarunt. Quis Catholicus ſuſpicari audebit, illum fuiſſe ab eorum ſenſu alienum?

XXXIV. *Error ſecundus* apud Tanner Tom. 1. Diſp. 3. q. 4. dub. 4. eſt Pelagianorum, & Semipelagianorum qui prædeſtinationis adæquatæ voluerunt aliquod eſſe in prædeſtinato meritum; nempe bonas Naturæ & Liberi Arbitrij operationes ac conatus ſaltem præviſos à Deo; adeóque dixerunt, præviſa bona opera elicienda per vires Naturæ eſſe rationem prædeſtinandi tam ad gratiam, quàm ad gloriam, quod ita univerſim tenuerunt, ut etiam infantes ante baptiſmum & rationis uſum decedentes aſſererent judicandos à Deo ex operibus, quæ facturi prævidebantur, ſi ad activam vitam perveniſſent. Videatur citatus Auctor ubi à n. 8. fusè utrorumque errores ex S. Auguſtino, Proſpero, Hilario, Arelatenſi exponit. Nituntur maximè hoc triplici fundamento 1. Quod Deus aliàs videretur perſonarum acceptator 2. quod juxta receptum axioma apud Theologos: *Facienti quod eſt in ſe, Deus non deneget ſuam gratiam*; ex quo inferunt; Ergo ſi homo viribus naturæ ſervet legem, quantùm poteſt, diſponet ſe ad gratiam, & per conſequens eſt cauſa totius prædeſtinationis. 3. quod aliàs homines redderentur pigri ſuæque ſalutis negligentes, fruſt a fieri ar-

Digitized by Google

ri arbitrati, quidquid egerint, cum primum prædeſtinationis effectum mereri non poſſint.

XXXV. Ex hoc errore infertur 1. initium ſalutis non eſſe à ſolo Deo, ſed à nobis contra illud Oſeæ 13. v.9. *Perditio tua Iſraël tantummodo in me auxilium tuum.* 2. Prædeſtinationem non eſſe Miſericordiæ, ſed Remunerationis, contra Apoſt. ad Rom. 9. v.16. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis DEI.* 3. hominem ſe ipſum diſcernere per opera ſua naturalia contra illud 1. ad Corinth. 4. v.7. *Quis te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 4. In rebus ad ſalutem pertinentibus poſſe hominem ſolis naturæ viribus aliquid præſtare contra illud 2. ad Corinth. c.3. v.5. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 5. Exordium juſtificationis in adultis non eſſe à gratia præveniente contra multa Concilia; & noviſſimè contra Tridentinum Seſſ. 6. c.5. ubi apertè definit, *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per JEſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe*, hoc eſt, ab ejus vocatione; quia nullis eorum præcedentibus meritis vocantur. Quare errorem hunc damnarunt Concilium Arauſ. II. approbatum à Leone I. & Tridentinum Seſſ. 6. c.5. cit. Oppugnârunt SS. Patres & acerrimè S. Auguſtinus paſſim. Rejecerunt conſtanter Theologi inter meritum & præmium requirentes proportionem aliquam; quæ autem proportio inter vires Naturæ & Gratiam? Benevolus Lector revideat, quæ diximus ſupra controv. 49. de Gratiæ divinæ neceſſitate, & ſtupeat, quomodo Novatores aliqui hæreſin Pelagianorum & Semipelagianorum Patribus Societatis impingere auſi fuerint, cùm inter hos & illos in doctrina de Prædeſtinatione Gratiâ, & Viribus liberi arbitrij tantùm intercedat diſcrimen, ut è diametro, quod Pelagiani & Semipelagiani affirmant de viribus Naturæ, negent Patres Societatis: & quod iſti Patres tribuunt divinæ gratiæ, demant eidem Pelagiani & Semipelagiani. Ipſi potius Lutherani inter ſe & ſuos exortas de Prædeſtinatione lites & contentiones componant; nominatim inter Ægidium Hunnium & Samuelem Hueberũ, qui poſterior ſicuti illi priori viſus eſt hac in re calvinizare, ita ille prior huic poſteriori viſus eſt Pelagianizare. Qualis controverſia magnâ contentione agitatur etiamnum hodie inter Holandorum Doctores Calvinianos, Demonſtrantes ſcilicet & Contrare monſtrantes; adeo ut iſti poſteriores dicant titulo de Gratia divinâ, ovum ovo vix magis eſſe ſimile, quàm illorum priorum doctrinam Pelagianorum erroribus.

XXXVI. Reſpondetur *ad 1. in oppoſitum*, acceptionem Perſonarum, uti ſupra jam inſinuavimus, accidere poſſe vel in donis gratuitis, ſicuti eſt Prædeſtinationis gratia: vel in debitis juſtitiæ Diſtributivæ, quando alicui plus vel minus tribuitur quàm ejus conditio aut meritum ferat, ſolùm ideo, quia eſt amicus, inimicus &c; tunc ſiquidem non attribuitur ei res propter cauſam, quæ facit dignum, ſed ob aliud motivum non faciens ad rem; unde Perſonæ conceditur. In hoc poſteriore ſolùm objecto (quale utique non eſt gratia, de qua agitur) vitioſa perſonarum acceptatio propriè incurritur, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 63. a.1. ad. 3. quam idcirco tam aſſeveranter arcet à Deo S. Petrus Act. 10. v.3. inquiens: *in veritate comperi, quia non eſt Perſonarum acceptor DEUS*; quia ſcilicet æqualiter ex gratia merentibus ſemper æqualia præmia tribuit. Acceptatio in priore ſenſu non eſt propriè acceptatio perſonarum; unde ſic impropriè eam accipiendo nihil DEO derogat. Ad 2. negando illatum, quia axioma illud intelligendum de homine faciente cum auxilio gratiæ prævenientis jam exhibito, quod in ſe eſt, uti poſt S. Thomam ſupra jam controverſia 49. §. 30. in expoſitione hujus ipſius axiomatis adductum explicant valentia, Vaſquez, Medina Tanner Tom. 2. Diſp. 6. Q. 3. num. 217. & hoc teſte alij RR. communiter. Videantur Franc. Lugo 1. P. Q. 40. c. 8. & Ariaga Tom. 4. D. 41. ubi aliam quidem explicationes afferunt, non tamen ita receptam, nec Adverſarijs faventem. Ad 3. etiamſi non poſſimus primum prædeſtinationis effectum mereri, ad hoc tamen, ut non reddamur pigri & ſalutis procurandæ negligentes, ſufficere, nos certò ſcire, gratiam nobis paratam eſſe, ſi ſolummodo cooperari velimus, DEUM ſtare ad oſtium ac pulſare; unde fruſtranea minimè eſt oratio; licet enim orare non poſſimus, niſi præventi gratiâ, ut docet Arauſicanum, attamen ubi præventi ſumus, orandum eſt, ut ſubſequentes ac uberes gratias accipiamus, ad quod aliaque ſimilia pia opera facienda impellimur concionibus, exhortationibus, lectionibus libellorum Spiritualium &c.

XXXVII. *Error tertius* eſt Joannis Calvini, Deum æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam æternam ordinaſſe: alios verò abſque reſpectu ad peccata ſeu demerita deſtinaſſe ad æternam damnationem. Hic error, quia longè graviſſimus eſt, pluráque in ſe complectitur. Ut ejus crudelitas, impietas, blaſphemia & falſitas luculenter oſtendatur, ſimúlque manifeſtè appareat toto cælo ab eo diſtare ſententiam Catholicorum, idcirco ſingula ejus membra ordine proponemus, & reijciemus. Itáque.

Primò docet Calvinus, Deum æterno ſuo decreto aliquos homines abſque ullo merito ſolùm, quia ita illi placet, ordinare ad vitam æternam ſic gratis in tempore accipiendam: alios verò abſque ullo etiam illorum demerito deſtinare ad mortem ac pœnas æternas ſuo quoque tempore infligendas. Ita Scribit L. 3. Inſtit. c. 21. n. 1. poſt initium: *Palam eſt, Dei nutu fieri, ut alijs ultro offeratur ſalus: alij ab ejuſdem aditu arceantur.* Et c. 23. n. 2. itidem poſt initium: *homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternum mortem prædeſtinantur.* Similia habet alibi, nullam præviſionem meritorum aut demeritorum, nullam diſtinctionem inter intentionem & executionem ſive in voluntate divinâ ſive in ipſâ ſaltem re admittens. Nititur maximè verbis D. Pauli. In epiſt. ad Rom. c. 9. v. 11. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum DEI maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau odio habui. v. 16. Igitur non eſt volentis neque currentis ſed miſerentis DEI. v. 17. In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam. v. 18. Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat. v. 21. An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.*

XXXVIII. Error iſte, aliquos ſcilicet ante præviſum peccatum ad mortem fuiſſe deſtinatos. In primis repugnat Sac. Scripturæ & Deo, qui ex

Bonitate ſuâ *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* 1. ad Timoth. 2. v. 4. Et ideo Chriſtus JESUS *dedit in redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis.* ibidem v. 5. Ex juſtitja verò ſua non damnat, niſi mortis reos, ut perditio noſtra non ſit ex Dei voluntate, ſed ex culpa noſtra, provocante juſtam Dei jram & damnationem juxta illud Oſeæ 13. v. 9. *Perditio tua Jſraal, tantummodo in me auxilium tuum.* Deinde repugnat Doctrinæ S. S. Patrum, ex quorum omnium mente D. Auguſtinus hunc articulum (Deus majorem partem hominum ad hoc creat, ut illam perdat in æternum.) à Semipelagianis falſò ſibi impoſitum hiſce verbis reijcit: *omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ideo creatus eſt, ut pereat quia alia cauſa eſt naſcendi alia pereundi, ut enim naſcerentur homines, eſt beneficium, ut autem pereant, prævaricationis eſt vitium.* Hoc beniſſimè & eloqentiſſime expreſſit Tertullianus L. de reſurect. carnis, cum ait: *Deus de ſuo optimus: de noſtro juſtus.* Explicari idem ſolet exemplo Judicis, qui voluntate primaria, quâ vir bonus eſt, vult omnes cives ſalvos & incolumes vivere: at ſi videat quenquàm peccare, voluntate ſecundariâ & conſequente, quia juſtus eſt, vult illum punire. Demum repugnat communi Catholicorum ſenſui, & apertam deſperationem ingerit, dum quiſque ſibi inde dilemma fabricat, & velut ferreis compedibus ſe conſtringit. Vel ſum prædeſtinatus, vel reprobatus; ſi ſum prædeſtinatus, certiſſimè ſalvabor; quomodocunque tandem vixero: ſi reprobatus, neceſſariò damnabor, quocunque me vertero. Fruar ergo voluptatibus, quamdiu licet; quia non obeſſe poſſunt prædeſtinato: & reprobum ſolari poſſunt ſaltem in hac vitâ. Refert. D. Auguſtinus L. de bono perſeverant. c. 15. quendam Monachum ſui monaſterij eò fuiſſe deductum hâc argumentandi ratione, ut tandem desertâ vitâ religioſâ ad ſæculum reverteretur, & periret; ſcilicet iſte eſt fructus veterum hæreticorum, quos imitatur Calvinus, & in eandem miſeriam infelices Homines conijcit. Quare jure meritiſſimo pridem jam damnatus eſt error iſte in ſynodo Valentina III. anno Chriſti 855. can. 4. his verbis: *aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe divinâ poteſtate, ſcilicet ut quaſi aliud eſſe non poßint, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantùm malum credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſicana Synodus, illis anathema dicimus.* Eadem verba videre eſt in Concil. Arauſ. II. c. 25.

XXXIX Erubeſcunt crudelem hanc Magiſtri ſui blaſphemiam molliores hodie Calviniſtæ. Zacharias Vrſinus, David Parcus, Guilielmus Ameſius, Andreas Rivetus, & univerſa Synodus Dordracena. Sed revera nihilo ſunt meliores. Nam 1. nullum ipſi quoque faciunt diſcrimen inter intentionem & executionem, ſive in voluntate divinâ, ſive in ipſa rei quia nimirum beatitudinem abſque ullis proprijs Electorum meritis non minùs re ipſa dari, quàm in propoſito divino intendi arbitrantur, contra clara S. Scripturæ teſtimonia & communem Orthodoxorum ſenſum, è quibus nullus contra ipſos nobiſcum non ſentit. 2. Urſinus in explicatione catechetica, & Pareus in recognit. ejuſdem parte 2. q. 3. apertè docent *reprobationis cauſam eſſe merum Dei arbitrium*, quod ipſum ex communi hodie Calviniſtarum doctrina ſentit Rivetus in ſumma controverſiarum Tract. 8. q. 9 n. 9. ajens: *ſi ergo quæratur cauſa, cur Deus hunc vel illum hominem voluerit deſtinare ad perditionem, nulla alia dari poteſt præter Dei voluntatem* Quid autem hoc eſt aliud, quàm Deum ante prævisa abſolutè peccata, & finalem impænitentiam aliquos poſitivo actu è regno Cælorum excludere? nolle illos ſimpliciter & abſolutè ſalvare? velle in mortem æternam efficaciter deſtinare, inque eum finem neceſſaria media procurare, ſceleratas ſcilicet actiones &c. ut aperté admittit Beza in Actis colloquij Mombelgartenſis parte 2. paſſim, & eſt ipſiſſima mèns atque impijſſima blaſphemia Calvini.

XL Allegat quidem Rivetus num. 10. aliquos Romanæ Eccleſiæ Theologos, quaſi ſuæ impietati adſtipularentur, dum ajunt, *Deum quoſdam velle ſalvos: quoſdam non,* Jtem *poſſe Deum abſolutè aliquos ex ſolâ ſuâ voluntate æternis cruciatibus mancipare* &c. Sed homo ſine fronte per apertam hanc calumniam ſimul prodit nequitiam & inſcitiam ſuam inſigniter quod Authores noſtros legat, & non intelligat, & ita quid pro quo ſcribat, cartas impleat, fumos vendat. Nam quando Theologi Catholici ab ipſo relati aſſerunt, Deum velle quoſdam ſalvos, quoſdam non, per iſtud poſterius minimè volunt Deum habere actum poſitivum, illos excludendi à beatitudine ante prævisam ipſorum inpœnitentiam finalem, Sed aſſerunt, Deum eoſdem non efficaciter velle ſalvos, hoc eſt, non tam congrua & efficacia media ſubmittere, quibus illos noverat conſenſuros, ſi darentur; licet ſufficientia media eis nunquam deneget, ſemperque optet, ut iſtis, ſicuti poſſunt, utantur & ſalventur; atque ita ex mente Theologorum tò *non velle quoſdam ſalvos*, nihil eſt aliud, niſi hos minùs, quàm illos amare; in quem modum comuniter exponitur illud Malachiæ 1. v. 3. *Jacob dilexi, Eſau odio habui.* id eſt minus dilexi; etenim phraſi Scripturæ odio haberi dicitur, qui alteri poſtponitur, hoc eſt non ita vehemenrer, ſed minùs diligitur. Sic Lucæ 14. v. 26. ait Chriſtus: *ſi quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & Matrem ſuam &c.* hoc eſt, qui amat Patrem & Matrem pluſquàm me, ut declaratur Matth 10. v: 37. Rurſus quando ijdem Doctores noſtri aſſerunt, Deum poſſe aliquos ex ſolâ ſua voluntate æternis cruciatibus addicere, loquuntur non ſtrictim de hoc ſtatu & præſentibus decretis, ſed abſolutè de perfectiſſimo Dei dominio: hec de cruciatibus, qùa pænæ ſunt, & culpam ſupponunt, ſed qùa præcisè cruciatus ſunt, quamvis etiam juxta hunc ſenſum plerique alij contrarium teneant, quæ lis huc non ſpectar. Videri de ea poteſt Tanner Tom. 2. Diſp 4. Q. 10 dub. 6. Cæterum nos priore parte jam diximus, Deum inprimis velle omnibus decedentibus in gratia dare beatitudinem: excluſionem verò ab iſta decedentibus in peccato mortali. Deinde omnibus providere media ad beatitudinem obtinendam: aliquibus ramen conferre etiam congrua quibus novit illos conſenſuros, & merita finalia habituros; cum interim videat, alios auxilijs illis merè ſufficientibus non uſuros; unde illos ſecernit & prædeſtinat: non iſtos, ſed permittit labi in peccatum, & tandem in hoc finaliter diſcedere, quod eſt permiſſivé ſeu negativè reprobare. Demum viſis per ſcientiam abſolutam prædeſtinatorum meritis in ſeipſis ſtatuere in executione iſta præmiare: reprobatorum verò finalia peccata

itidem per eandem Scientiam punire pœnâ æternâ damnationis. Ecce quantùm diſtet hæc Catholica noſtra doctrina ab impia & hæretica opinione Calviniſtarum.

XLI. Reſpondetur nunc ad fundamentum Calvini, Scripturam ſcilicet, quæ c. 9. epiſt. ad Rom. impiæ ipſius doctrinæ nihil prorſus favet. Tum quia adducta loca agunt de homine corrupto per peccatum originale, ut omnes Patres explicant: Calvino probatio incumbit, DEUM reprobaſſe quoſdam ante præviſum peccatum originale. Tum quia agunt de reprobatione à gratia: at Calvinus intendit probare, quoſdam reijci à gloria ante præviſa peccata, quod falſiſſimum eſt, nec ex dictis Apoſtoli erui poteſt. Nam DEUS vult omnes homines ſalvos, providetque illis ſufficientia media, ut diximus, quibus ſalutem, ſi velint, conſequi poſſint; quia verò nolunt reprobi, Deus permittit illos cadere, perſeverare & mori impœnitentes. Atque ita diſcedentes ex hac vitâ excludit à beatitudine, ac pœnis æternis adiudicat. Quæ hujus ultimi actûs ſeu damnationis eſt cauſa? nequaquam mera DEI Voluntas, ut blaſphemè fingit Calvinus, ſed peccatum, in quo reprobi moriuntur, & ita propriâ culpâ impœnitentes diſcedunt. Loquendo de argumento ejuſdem epiſtolæ juxta Patrum & Interpretum ſenſum. Scribit D. Paulus ad Romanos, qui mixti erant ex Judæis & Gentibus. Judæi efferebant ſe propter Legem & Circumciſionem. Apoſtolus conatur eos retundere. Itaque c. 9. 10. 11. oſtendit, Judæos in novâ Lege excludi à gratia Evangelicâ: admitti verò Gentes. Et quia Judæi objicere poterant, quare nos repellimur, & gentes admittuntur? Nobis facta eſt promiſſio, non illis. An promiſſio DEI ſemel facta poteſt iritari? Reſpondet D. Paulus, promiſſionem firmam eſſe, ſi rite intelligatur. Abraham credidit DEO aſſerenti, fore ut in ſenectute ſuâ acquireret filium, propter hanc fidem facta eſt illi promiſſio, Meſſiam ex ipſo naſciturum. Hæc promiſſio ſicuti facta eſt Abrahamo propter ſingularem ipſius fidem, ſic etiam pertinet ad filios Abrahæ, qui Patris ſui fidem ſunt imitaturi. At Judæi, quando jam natus erat Meſſias ex Poſteris Abrahæ, noluerunt credere in Chriſtum Meſſiam, & ideo non pertinet ad eos promiſſio. Ergo poſſunt ſalvâ promiſſione excludi à gratiâ Evangelicâ propter incredulitatem. Ecce D. Paulus cit. locis loquitur de Judæis repulſis à gratiâ Evangelicâ: Calvinus de reprobatione à gloriâ. Paulus loquitur de Judæis reprobatis ob incredulitatem: Calvinus de reprobis ex ſolâ DEI voluntate ſine præviſis peccatis. Quomodo ergo mens Calvini non alieniſſima eſt à ſenſu S. Scripturæ & D. Pauli?

XLII. Reliqua in eodem c. 9. ad Rom. eò tendunt, ut oſtendat Apoſtolus, DEUM pro ſuo arbitrio inæqualiter diſtribuere ſua dona; quia verò dicere poterant Judæi, non ſolùm ſe, ſed etiam Gentiles eſſe peccatores, ac proinde parem eſſe utrorumque cauſam, nec ſe magis quàm illos excludendos fuiſſe, occurrit illis D. Paulus, DEUM in pari duorum cauſâ poſſe uni plus largiri, quàm alteri. Par erat cauſa Jacob & Eſau, & tamen DEUS unum allteri prætulit non ſolùm in benedictione temporali, ſed etiam cæleſti; etenim ſupra §. X. jam diximus, eſſe Theologos, qui velint de fide eſſe, hos duos fratres Typum gere re prædeſtinatorum & reproborum. Unde ſenſus verborum Apoſtoli redigi poteſt in iſtam formam. Quemadmodum olim DEUS ſe habuit ad Jacob & Eſau, ita ſe habuit ad Gentes & Judæos. Sed Jacobum præ Eſau elegit non ex operibus, utpote cum non dum nati eſſent &c. Ergo etiam Gentes elegit præ Judæis non ex operibus, ſed ex mero beneplacito. Si ergo quæſtio fiat comparatè, cur è duobus ſive ſolo peccato originali, ſive etiam actuali infectis DEUS uni majorem exhibeat miſericordiam, quàm alteri? cauſa alia aſſignari non poteſt, quàm Voluntas DEI, ad quam nihil poſſumus dicere, niſi exclamare cum Apoſtolo c. 11. v. 30. *ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia DEI*, &c. Si rurſus quæſtio inſtituatur abſolutè, cur DEUS hunc vel illum repellat à juſtitiâ & gloriâ? vera cauſa allegatur, quia peccator & impius eſt. In reſponſione ad priorem quæſtionem non contendimus cum Calvino: in reſponſione vero ad poſteriorem ab eo recedimus. Inprimis adhærentes Apoſtolo affirmanti, Judæos repulſos eſſe à gratia Evangelica propter incredulitatem eorum. c. 11. v. 20. Deinde D. Auguſtino aſſerenti, Eſau odio habitum propter peccatum, DEUS, inquit L. 1. ad Simplicanum, non odit Eſau hominem, ſed odit Eſau peccatorem. Demum & præcipuè ipſi Chriſto arcenti reprobos à cælo, & ableganti hos in ignem æternum, quia *eſurienti non dederunt manducare &c.* Math. 25. v. 35.

XLIII Dilemmati ſupra adducto Calvinus L. 3. c. 23. §. 12. nequicquam mederi ac ſatisfacere conatur, dicendo, prædeſtinatos excitare ſe debere ad Sanctitatem, quæ eſt ſcopus prædeſtinationis, reprobos verò mentiri, dum prætendunt, operam ſe perdituros, ſi ſtudeant bene agere. Verùm cur prædeſtinati ſe excitent ad ſanctitatem, ſi ſola eorum electio ad ſalutem ſufficiat, & abſque ullo reſpectu ad bona opera ſit facta? quomodo etiam reprobi non perdunt operam, ſi bene ſtudeant agere, ſi illis neceſſariò pereundum eſt? Expedita ſolutio eſt apud nos Catholicos; ſic enim quiſque ſecum diſcurrere poteſt. Si prædeſtinatus ſum, ideſt, ſi à DEO ordinatus ſum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea ſunt poteſtate, conſequendam, certò conſequar vitam æternam, modò illa media adhibuerim. Rurſum ſi ſum reprobus, id eſt, ſi à DEO deſtinatus ſum ad perpetuos cruciatus propter mea peccata, quæ liberè commiſſurus ſum, certò damnabor, ſi illa peccata committam, & ab ijs non abſtineam; ut igitur melius ſperare valeam, melius me geram. Hæc ſolutio reddit animum tranquillum & paccatum; quippe nec eum, qui in peccatis eſt, facit deſperare: nec ei, qui juſtus eſt ſecuritatem promittit, quin potius ambos hortatur ut cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur. Quid veró abſoluté de hoc dilammate ejuſque duplici propoſitione cenſendum ſit, diximus §. XIV. circa finem.

XLIV. *Secundò docet Calvinus*, decretum divinum de prædeſtinatis ac reprobatis adeo eſſe fixum & imobile, ut tollat omnem in eis libertatem, ut ineluctabili quâdam neceſſitate illi ſalventur: pereant iſti. Ita Scribit L. 3. Inſtit l. c. 21. n. 7. paulo ante finem: *Dicimus ergo æterno & ineluctabili conſilio Deum conſtituiſſe, quos olim aſſumere vellet in ſalutem: quos rurſum exitio devovere.* Et c. 23. n. 8. poſt initium:

Digitized by Google

um: *non dubito ſimpliciter fateri, voluntatem DEI eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſariò futurum eſſe, quod ille voluerit.* Impiam hanc blaſphemam & hæreticam opinionem abunde ſupra Controv. 46. §. 10. rejecimus. Et certè ſi omnia fiunt neceſſariò, quæcunque fiunt; quia DEUS ita fixo & immobili decreto ſtatuit, ut operibus iſtis ſalventur prædeſtinati: illis pereant reprobati; quorſum præcepta Dei & hominum? Fruſtra Imperatores Reges & Principes figunt mandata: fruſtrà inhibentur ſcelera: fruſtra Parentes jubent natos ſtudioſos ac ſubiectos eſſe: fruſtra Calvinus & alij Miniſtri aſcendunt pulpita, populum hortantur, fidem excitant; quid enim ſperare, aut exſpectare poſſunt? Si DEUS jam ab æterno decrevit, quid ab unoquoque fieri velit, & hoc neceſſariò eventurum ſit. Profectò quidquid agas aut moliaris, impedire non potes. Nec ſolùm in Superioribus & Prælatis inanis erit labor mandandi, prohibendi, increpandi, ſed etiam in ſubditis concidat omnis ſolicitudo, & bene agendi ſtudium, neceſſe eſt Quis etiam audiat, æterno ac immobili DEI decreto ſibi fixam eſſe vitam aut mortem, quin protinus in mentem veniat, nihil intereſſe, quomodo ſe gerat, ſiquidem ſuo opere nihil aut impediri, aut promoveri queat DEI prædeſtinatiò. Ita omnes proijcient ſe, & deploratum in morem, quoqunque libido tulerit, præcipites ibunt. Adhæc ſi ita ſe res habet, cur puniuntur adulteria, furta, quæ evitari non poſſunt? Et cur ea vitia hominibus imputantur, quorum neceſſitatem DEUS ſuâ prædeſtinatione impoſuit? quid enim facerent miſeri? an cùm decretis DEI luctarentur? At fruſtra id facturi ſunt, ſi omnino facere non poſſunt. Ecce ad quæ abſurda devolvantur Calviniſtæ ex hoc ſuo errore, quem etiam à S. Scriptura & Patribus apertè reijci & damnari oſtendimus loc. cit.

XLV. Nos libertatem minimè violamus, hoc ipſo quod ex ipſo liberi arbitrij motu per Scientiam Mediam præviſò dicamus, primò Prædeſtinationem non eſſe ſimpliciter antecedentem. ſecundò eam inducere neceſſitatem ſolùm conſequentem. tertiò poſitâ gratiâ, quæ nulli denegatur, in manu ac poteſtate eſſe etiam reproborum ſuam ſalutem. Non poſſunt autem Calviniſtæ ad ſimilem & conſequentem duntaxat neceſſitatem confugere, cum nec in explicatione catecheticâ Vrſini & Parei, nec in Summa controv. Riveti, nec in ipſorum alijs libris conditionalium eventuum & liberorum motuum prænotio & obſervatio aſſignetur, ut ita ſalvâ libertate creatâ ab æterno omnia conformiter rerum naturis ſuaviterque ſtatuantur & ordinentur; ſed eorum tantùm operum ſcientia admittatur, quæ poſito jam decreto prædeſtinatorum ac reproborum, ipſe Deus in eis efficere ſtatuit; ut in terminis docent Urſinus, & Pareus locis cit. quibus conſentit Rivet. Tract. cit. q. 6. paſſim. Dicunt Veteres in negotio de Prædeſtinatione & Reprobatione Præſcientiam DEI non admiſiſſe. Reſpon. hoc eſſe falſiſſimum, ut oſtendunt omnes Patres Societatis noſtræ, ac nominatim Altrede in 1. Part. Diſp. 29. ſect 4. & ſeqq. D. Auguſtinus Lib. de Prædeſt. & gr. cap. 19. ſic ſcribit: *Si dicitur jam, Pharaonem non potuiſſe mutari, quia eum praſciverat DEUS, non eſſe mutandum. Reſpondetur, DEI praſcientiam non cogere hominem, ut talis ſit, qualem præſcivit Deus: ſed praſcire talem futurum, qualis futurus eſt; quamvis illâ non ſic fecerit Deus.* Huic loco Calvinus ſolùm opponit hæc impudentiæ ſuæ Verba: *Ne Auguſtinus quidem illâ ſupreſtitione interdum ſolutus eſt; quemadmodum ubi dicit, indurationem & obcæcationem non ad operationem DEI: ſed ad præſcientiam ſpectare.* Calviniſtæ Recentiores ſi contra Magiſtrum ſuum citatum librum nolunt agnoſcere eſſe S. Auguſtini, non idcirco ictum effugiunt; quippe fatentur eſſe vel Caſſiani vel Fulgentij, quorum ille fuit diſcipulus S. Chryſoſtomi, iſte verò ſub Traſimundo Rege Wandalorum circa annum Chriſti 500. floruit. Adeóque ſi prædictus liber non eſt S. Auguſtini, eſt ſaltem antiquorum & catholicorum Doctorum, à quibus ſuam habet Authoritatem.

XLVI. *Tertiò docet Calvinus,* DEUM reprobis negare fidem & omnem gratiam. Sic ait L. 3. Inſtit. c. 24. n. 2. ſtatim poſt initium: *quos in vita contumeliam & mortis exitium (DEUS) creavit, ut irâ ſuæ organa forent, eos ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat: nunc ejus prædicatione magis excæcat & obſtupefacit.* Et n. 13. ad ipſum initium: *cur ergo gratiam illis largiendo hos prætermittit? De alijs cauſam reddit Lucas, quia ad vitam ſunt ordinati: De alijs verò, quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam.* Adſtipulatur Magiſtro ſuo Ameſius Tom. 4. contra Bellarm. L. 3. c. 2. fol. 44. ubi ex communi aliorum Calviniſtarum ſenſu ait: *negamus auxilium DEI ſufficiens ab ijs recipi; qui nunquam re ipsâ convertuntur.* Errorem hunc non reijcimus hic loci pluribus, cum id ex S. Scriptura, Patribus Concilijs & Ratione abunde factum ſit ſupra Controv. 48. de Gratiæ Actualis diviſione in Sufficientem & Efficacem. Solùm addo pulcherrima verba D. Chryſoſtomi ad Rom. 9. Serm. 16. ita ſe habent: *Unde igitur alij vaſa ſunt iræ: alij verò miſericordiæ? ex propriâ voluntate. DEUS enim quoniam vehementer bonus eſt, ergà utroſq; bonitatem ſuam declarat. Nec enim eorum duntaxat, quos ſalvabit, ſed &, quantùm in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt. Quòd autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit; ità ut quantùm ad eum attinebat, nihil ab illis, qui ſalvati ſunt, minus habuerit.* Ecce Pharaoni indubiè reprobo ex mente San. Chryſoſtomi non defuit gratia. Idem affirmat expreſſis verbis S. Auguſtinus Lib. de prædeſt. & grat. c. 15. Et habetur cap. Nabuchod. 23. q. 4. Nos reprobis concedimus Fidem & Gratiam ſufficientem, & hanc quidem ad finalem etiam converſionem, quâ DEUS illos prævenit, & cum ea gratia vocante offert etiam gratiam adjuvantem; ſi modò iſtam velint, ſicuti velle poſſunt; quam proinde gratiam (& conſequenter ſalutem ſuam) etſi re ipsâ reſpuant reprobi, rectè tamen habere dicuntur, quia poſſunt accipere; nihil quippe magis habere dicimur, quàm quod in noſtrâ eſt poteſtate. Unde Apoc. 3. v. 20 dicit Chriſtus ad hominem perinde quemlibet etiam reprobum: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Huc faciunt omnia ea, quibus DEUS omnes ad converſionem & pænitentiam hortatur, & exprobat, non peractam pænitentiam, ideòque varias pænas intentat. Exprobrare autem non poſſet apud Iſaiam 5. v. 4. *quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei,* ſi non ſufficientia media omnibus etiam reprobis ſuppeditaſſet.

XLVII. *Quartò docet Calvinus,* DEUM impellere reprobos ad peccandum. Ita ſcribit L. 1. Inſtit,

Digitized by Google

lib. c. 18. n. 3. circa medium agens de peccatis, quæ Catholici docent fieri à DEO permittente: *Jam ſatis apertè oſtendi, DEUM vocari omnium authorem, quæ iſti volunt otioſo ejus permiſſu contingere.* Hanc Calvini eſſe mentem, Calviniſtæ fatentur, & aliqui ipſum ſequuntur, inter quos eſt Hieronym. Zanchius L. 5. de natura DEI. cap. 2. & alij, & ſatis conſtat ex decreto ſtatuum Hollandiæ Anno. 1660. In quô latinè reddito hæc verba leguntur: *Cum plures lites & diſſenſiones in Eccleſijs harum Provinciarum cauſatæ fuerint ſuper diverſis expoſitionibus de quibuſdam S. Scripturæ locis, de æternâ DEI prædeſtinatione, & quæ inde dependent, unde graves diſputationes ſecutæ, imò tantæ, ut aliqui juxta verba illorum directè vel indirectè doceant, quod Dominus DEUS aliquos homines creârit ad damnationem: homines ad peccata neceſſitet &c.* Errorem iſtum Calvini commodiùs in ſequentibus controverſijs, de peccatis ex inſtitutò refellemus. Nunc ſufficit, quod ipſi StatusHallandiæ in prædicto decreto opinionem hanc vocent *abominabilem & deteſtandam*, & in hoc Eccleſiæ RomanæCatholicæ conſentiant, quæ talem doctrinam ſemper damnavit. Nos à graviſſimâ hac blaſphemia longiſſimè abſumus hoc ipſo, quod libertatem creatam non lædamus, & gratiam reprobis concedamus, quibus peccata quævis evitare & poſſint & debeant, ut proinde ſi nihilominus ab ipſis committantur, DEO non poſſint niſi permiſſivè adſcribi; & iſte jure meritiſſimo ad illos dicat, quod olim Judæis Oſeæ 13. v. 9. *perditio tua Iſraël, tantùmodo in me auxilium tuum.*

XLVIII. Dicunt Calviniſtæ, ſe quoque non niſi permiſſivè DEO peccata tribuere. Sed quomodò hoc verum? Tum quia eorum Magiſter Calvinus DEO peccata tanquam authori adſcribit, & nomen permiſſionis ridet. Tum quia Urſinus & Pareus in explicatione catechetica fol. 190. & Ameſius Tom. 4. fol. 25. apertiſſimis verbis loquntur de permiſſione voluntatis eventum ipſum præveniente, quod ipſum etiam facit Rivetus allegans confeſſionemEccleſiæ Gallicæ & Belgicæ; ac tandem. n. 15 ait: *verum eſt, poſitâ DEI providentiâ vel effectivâ vel permiſſivâ, neceſſariò ſecuturum effectum, qui in ſe non erit neceſſarius; quia, etſi cum talis ſit, qui impediri poſſit, non impedietur tamen, quia DEUS aliter diſpoſuit, per voluntatem ſcilicet efficacem, ut paulo ſupra dixerat.* Unde ſic argumentari poſſumus. Quidquid DEUS ex ſe efficaciter vult, diſponit, ac prædefinit, illius eſt Cauſa & Author. Sed DEUS ipſa etiam peccata ita ex ſe efficaciter vult, diſponit, ac præfinit. Ergo illorum eſt Cauſa & Author. Concluſio eſt bona. Minor eſt ipſorum Calviniſtarum. Majorem nemo negare poteſt, qui non juravit omnem DEO effectum denegare; cujus enim rei Cauſa & Author erit DEUS, ſi illius non eſt, quam ex ſe efficaciter vult & præfinit? At, inquiunt Adverſarij, Deus præfinit cauſas liberas. Et quid tum poſtea, ſi libertatem illis non relinquat. An non prædicansCalviniſticus verè eſt cauſa furti, mendacij, adulterij, blaphemiæ &c. alterius hominis, quando iſtũ inducit certis modis, ut furetur, mentiatur, adulteretur, blaſphemet &c? quantumvis hæc ille liberè faciat. Cur ergo non etiam DEUS ſit Cauſa peccati; cum in iſtud inevitabili præfinitionis ſuæ neceſſitate hominem impellat? Certè ſi per impoſſibile DEUS ex inſtituo hominem vi quadam impulſivâ trahere ad peccatum vellet; non aliâ id ratione meliùs quàm efficaci ſimili volitione & liberum arbitrium antecedente præfinitione præſtare poſſet. Quod ſi ex Catholicis Doctoribus extra Societatem Jeſu nonnulli Calviniſtis adſtipulari videantur, quos ſuis nominibus citat Rivetus, illis ſui defenſionem relinquo, quæ ijſdem non deerit, aliter principia doctrinæ ſuæ explicando, quàm ab hæreticis apprehendantur & aſſumantur, quibus pronum eſt, doctrinam Catholicorum in ſiniſtrum ſenſum interpretari, ut mox etiam conſtabit.

XLIV. Hactenus de ſententia Calvini, quam Joannes Gerhardus (Lutheranus ipſe.) L. 2. Confeſſ. Auguſt. à fol. 500. referendo ingentem ſeriem ſtruit Authorum Pontificiorum, quaſi iſti omnes Calvino adſtipularentur idémque cum ipſo aſſererent, Sed homo hæreticus, dum fraude & dolo actus Catholicis Doctoribus calumniam parat, ſuam ipſius inſcitiam manifeſtat apertiſſimè. Nam tametſi aliqui ex Catholicis Doctoribus etiam ex Societate Noſtra velint, DEUM prædeſtinatis in primo ſtatim ſignô intendere gloriam ante præviſa abſolutè eorum merita; ab eadem tamen gloria non docent ſic poſitivè ullum arceri: nec ajunt, DEUM velle gloriam illam dare in tempore abſque ullis meritis, ſed in poſteriori cum ſtatuere, quomodo velit gloriam intentam conferre, conformiter, ut putant, Scripturæ, D. Auguſtino, & S. Thomæ. Addunt etiam, DEUM per Scientiam Mediam ſciviſſe omnia media, quibus, ſalvâ libertate, prædeſtinatorum, & ſalute reproborum, poſſit illam intentionem ſuam deſtinatæ gloriæ executioni mandare. Itaque ingens & multiplex eſt diſcrimen in negotio prædeſtinationis & reprobationis inter Calviniſtas & Pontificios. *Primò Calviniſtæ docent,* Deum ſtatim intendere gloriam hominibus gratis, & abſque ullis meritis re ipsâ aliquando dandam. Catholici intendunt quidem gloriam etiam omnibus prædeſtinatis, ſed in hoc ſigno abſtrahunt à modo executionis, quẽ poſtea ajunt à Deo determinari, ut ſcilicet adultis non detur gloria, niſi per merita propria: infantibus autem per aliena merita Chriſti. *Secundò dicunt* Calviniſtæ Deum intendendo prædeſtinatis gloriam excludere poſitive reprobos, eóque in Infernum deſtinare: Catholici docent nullum poſitivè repelli à Beatitudine, ſed Deum ſynerè omnibus hanc velle, idéóque media illis providere talia, ut in eorum manu ſit, ſalutem æternam conſequi, ſi modò conceſſis auxilijs uti velint; quos tamen ijſdem non uſuros novit, & permittit, atque ſic permiſſivè ſive negativè reprobat. *Tertiò Volunt Calviniſtæ* independenter ab ulla ſcientia præviſionis motuũ libertatis creatæ ſtatuere ac diſponere Deum omnia media, & prout ipſe ordinavit, executioni dare, atque homines ad eadem inſtigare: Catholici docent, dari in Deo ſcientiam Conditionalium, quâ omnes motus libertatis creatæ ſub quâlibet conditione Deus prævidet futuros, & conformiter huic libertati media ordinare, atque executioni mandare. Manent igitur hæc tria firma atque inconcuſſa. 1. Sententia Calvini eſſe impiam crudelem, ac blaſphemam 2. Sententiam illorum Catholicorum, qui in primo ſtatim inſtanti dicunt, Deum intendere gloriam abſq; ullis præviſis meritis: & in poſteriori primùm propter hæc præviſa eandem gloriam decerni dandam, nihil penitus notæ gravioris mereri: ideóq; Gerhardum facere his injuriam, dum illos comparat Calviniſtis & pro

& pro iſtorum opinione refert: falſiſſimum quoque eſſe, quod injurioſè jactant nonulli Recentiores Calviniſtæ, in quæſtione de Prædeſtinatione, ſe ſtare Bellarmini calculo; Cum iſte ſequatur Sententiam D. Thomæ ſupra §. 14. relatam, quæ utique remotiſſima eſt à blaſphemia Calvini. 3. Doctrinam noſtram de Prædeſtinatione, prout à nobis in hac Controv. §. VII. fuit explicata, ita eſſe Conformem Sac. Script. Concilijs & Patribus, ut neque Gerhardus alijque Adverſarij reperiant, quod huic objiciant, in eâque reprehendant.

L. *Error quartus.* Reprobatio poſitiva ſeu damnatio non electorum ad pœnam gehennæ facta fuit poſt ſolum peccatum originale prævisum. Ita Janſenius Iprenſis Tom. 3. Lib. 10. cap. 3. col. 1021. ubi ſic ſcribit: *Manifeſtiſſimum eſt, non aliam cognoſcere D. Auguſtinum Reprobationis cauſam, niſi maſſæ perditæ meritum ſeu peccatum Originale, quo tota maſſa perijt: & hanc eſſe cauſam non tantùm negativæ reprobationis ſeu non-prædeſtinationis, ſed etiam poſitivæ.* Hæc eadem ſæpius in cit. Tom. & Lib. repetit, ſolâ authoritate Auguſtini pravè intellecti nixus. Error iſte eſt ipſius Calvini L. 3. Jnſtit c. 22 §. 11. Et c. 23. §. 1. Item c. 24. §. 12. atque aliorum hæredicorum, quem Sac. Scripturæ, San. Patribus, Scholaſticis, & ſanæ rationi luculenter contrarium ſatis jam rejecimus Cont. hâc §. 23. Et Cont. ſequenti §. 2. iterum pluribus explodemus. Solùm hîc adverto, per eundem errorem præcipua Catholicæ Juſtificationis capita evelli, ſi Juſti non perſeveraturi adhuc pro illo ipſo tempore, quo juſti ſunt, hæreant in perditionis maſſa æternæ damnationis rei, atque actuali ſententiâ Judicis perſtricti, quam evadendi non ſit penes ipſos poteſtas. Non enim Finalis cauſa Iuſtificationis erit vita æterna: nec erunt ſignati & uniti Spiritu, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ contra Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. Non vera eſſe poterit renovatio mentis: nec Juſtitia vera, aut adoptio in Filios, ac jus regni. Non poterant ſemel juſtificati cum auxilio DEI in accepta juſtitia perſeverare. Non demum erunt Juſti omnes perfectè uniti Chriſto, aut Corporis ejus viva membra; ac proinde neque in Chriſto JEſu. Nam *nihil damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto JESU* Rom. 8. v. 1. plurimum autem damnationis; imò tota damnatio ijs, qui actuali ſententiâ damnationis perſtricti, deleti de libro vitæ, imò mortis inſcripti ſunt. Sanctus Auguſtinus (quando ex duobus, quorum uterque originali culpâ maculatus eſt, DEUS unum aſſumit, alterum relinquit) per hanc relictionem neutiquam intelligit poſitivam reprobationem ad pœnam gehennæ: ſed ſolummodo non-electionem & prædeſtinationem ad talia efficacia media ad vitam æternam obtinendam, qualia habet is, quem aſſumit. Hoc clariſſimè apparet. 1. Quia in reddenda ratione, cur hic aſſumatur, iſte relinquatur, unice ſemper recurrit ad inſcrutabilia DEI judicia. 2. Quia, cur aliquis fuerit factus reprobus, cauſam aſſignat, quod vocationem divinam contempſerit, quod certè ad actuale peccatum pertinet. Sic L. 1. ad Simplicianum q. 2. poſt medium de Eſau (reproborum typo) ſcribit: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, DEI adjutorio perveniſſet, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret.* 3. Quia lib. de Nat. & Grat. c. 126. ſic ait: *Cum (DEUS) impium ad perfectam vitam juſtitiámque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtéque vivatur.* Similia habent alij Patres Cyprianus, Proſper, Bernardus &c. Ergo DEUS ſemel juſtificatos poſitivè reprobare non poteſt, niſi ob peccata actualia conſequentia juſtitiam ſemel habitam, adeóque non ob peccatum Originale; ſiquidem reprobari non poſſunt, ſi in juſtitia perſeverent; perſeverare autem poſſunt, quamdiu non deſerantur à DEO, quòd fit per ſubtractiorem auxilij Gratiæ,

LI. *Error quintus.* Homo Fidelis de electione ſuâ æterna eſt certus. Ita Calvinus Lib. 3. Jnſtit. c. 2. §. 16. aſſerens, *quemlibet Chriſtianum poſſe ac debere eâ ipsâ certitudine fidei, quâ credit Chriſtum Hominem ac Deum eſſe, etiam credere, ſe habiturum beatitudinem æternam.* Subſcribunt cæteri Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 4. fol. 154. Item Lutherani apud Kemnitium in Exam. Concil. Trident. Seſſione 6. c. 12. & apud Gerhard. L. 2. confeſſ. Auguſt. Part. 3. à fol. 509. Ubi tamen addit, certitudinem hanc electionis non eſſe abſolutam, hoc eſt, ab abſoluto Dei decreto dependentem, ſed ordinatam, hoc eſt, dependentem à DEI propoſito per Chriſtum in Evangelio nobis manifeſtato. Fundamentum omnium ſunt certa quædam Scripturæ teſtimonia pravè intellecta. Primum eſt. 1. Joan. 5. v. 13. *Scribo vobis, ut ſciatis, quia vitam habebitis, qui creditis in Nomine Filij Dei.* Secundum ad Rom. 8. Apoſt omnium Prædeſtinatorum nomine à v. 36. ſic loquitur: *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti &c. certus ſum enim, quod neque mors, nec vita poterunt non ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Tertium ibidem v. 16. *ipſe Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quod Filij Dei ſimus. Si autem Filij: & heredes.* Quartum. ex eodem c. 8. ad Rom. v. 30. *quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Hoc teſtimonium ait Ameſius fol. 155. eſſe unicam cauſam opinionis ſuæ; & quamvis nemo unus poſſit ſcire omnes, tamen efficaciter vocatos poſſe ſcire, ſe vocatos eſſe ſecundùm propoſitum DEI: nec Bellarminum hoc auſum fuiſſe negare: atque Apoſtolum tam clarè id docere, ac ſi ſolis radio id ſcripſiſſet.

LIII. Errorem hunc damnat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. pluribus capitibus, & canonibus, nominatim c. 12. ubi expreſſis verbis ſtatuit, *neminem, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debere, ut certò ſtatuat, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, cum non niſi ex ſpeciali revelatione ſciri poſſit, quos Deus ſibi ſelegerit.* Et juſtiſſimé fit hæc damnatio. Nam primò repugnat prædictus error Sac. Scripturæ. Eccleſiaſt. 9. v. 1. *neſcit homo, utrum amore aut odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta;* quod ad divinam prædeſtinationem ac reprobationem imprimis teferunt S. Auguſt. Lib. de Spiritu & anima c. 59. & S. Bernardus Serm. de Septuag. Item Proverb. 27. v. 1. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid ſuperventura pariat dies.* Ibidem c. 28. v. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et ad Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide ſtas, noli altùm ſapere, ſed time.* Et v. 22. *Vide ergo Bonitatem & ſeveritatem DEI; in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem DEI, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Demum Sacra Scriptura nihil crebrius & ſtudioſius inculcat, quàm Timorem DEI, & ut *Salutem noſtram cum metu & timore operemur* ad Philipp. 2. v. 12. Unde omnes Sancti cum Jobo *quaſi tumentes ſuper ſe fluctus ita DEUM timebant,*

Digitized by Google

timebant, ſe cum eodem interrogantes: *Quid faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Dominus? & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* Job. c. 31. v. 14. & 23. Secundò repugnat SS. Patribus præſertim D. Auguſtino L. de corrept. & gratiâ c. 13. ubi ait: *quis ex multitudine Fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut etiam per Satanæ angelum tantus colaphizetur Apoſtolus.* His aureis & clariſſimis verbis, quibus S. Pater hanc præſumptuoſam ſecuritatem proſtravit, conſentit Hieronymus in illud cit. Eccleſiaſtæ 9. nemo ſcit, utrum odio &c. *hic*, inquit, *eſt ſenſus. Inveni juſtorum opera in manu Dei eſſe, & tamen, utrum amentur à DEO, an non, nunc eos ſcire non poſſe; & in ambiguo fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent: an ad ſupplicium: in futuro igitur ſcient &c.* Idem D. Gregorius hom. 38. in Evangel. non peſſime, ut impudenter calumniatur Calvin. L. 3. Inſt. c. 24. §. 8. ſed optimè tradidit ajens, *vocationis tantum noſtræ conſcios nos eſſe: & electionis incertos; Nam etiamſi quales hoc die ſimus, ſciamus, quales tamen ſimus futuri, neſcimus.* Tertio repugnat rationi. Tum quia prædeſtinatio & reprobatio ſpectant ad occulta DEI conſilia ſoli DEO cognita; *quis enim conſiliarius ejus fuit?* Ad Rom. 11. v. 14. Tum quia nemo ſcit ſe eſſe in gratia, ut diximus Controv. 55. multò minùs, ſe eſſe perſeveraturum in gratia, ut itidem diximus Controv. 56. §. 5. & 9. Tum quia ex Sectarijs nonnulli ſubinde vel ad Catholicam fidem convertuntur, vel ad manifeſtam impietatem deficiunt. Quomodo ergo priùs certitudinem prædeſtinationis ſuæ habuerunt? Tum quia promiſſiones DEI, quæ in Evangelio habentur, varijs ſunt affectæ conditionibus, ut mox dicemus. Itaque

LIV. Reſpond. ad Fundamentum. Ad primum locum, intelligi hunc univerſim de ijs, qui vivâ fide credunt in nomine Filij Dei, ſi tàmen in hac fide perſeveraverint uſque ad mortem, ut bene explicat D. Thomas eundem text. Sed cum hac ſcientia & certitudine univerſali ac conditionatâ conſiſtit ignorantia & incertitudo particularis, an hic vel ille habeat aut habiturus ſit talem fidem vivam cum perſeverantia conjunctam. Ad ſecundum: iſtum locum intelligendum vel de morali quadam certitudine, non tamen abſque omni formidine, quam certitudinem moralem conceſſimus cum viris doctis §. 26. & indicat S. Bernard. Sermon. 2. in Octau. Paſchæ: vel de abſolutâ etiam & firma certitudine reſpectu eorum, qui habuerunt ſpecialem revelationem de ſua prædeſtinatione, atque ita intelligit hunc locum S. Auguſt. L. de grat. & Lib. arb. ajens, *Paulum loqui de ſe ipſo & alijs, quibus ſua prædeſtinatio divinitus innotuit.* Ad tertium. hoc teſtimonium ſpectare ad omnes juſtos adultos; quibus etſi Spiritus per internum ſolatium & illuſtrationem mentis ſubinde teſtimonium reddat; quod ſint filij DEI, ac proinde ſecundùm præſentem ſaltem juſtitiam hæredes regni, non tamen præſtat ea res infallibilem certitudinem; non quod teſtimonium Spiritus S. incertum ſit, ſed quod ipſi infallibiliter non ſciant, teſtimonium ſeu inſpirationem illam à Spiritu S. eſſe, cum & Satanas transformare ſe ſoleat in Angelum lucis; unde etiam probare jubemur Spiritus, ſi ex DEO ſint. Interim conceſſerim, probari ex illo loco juſtos ſæpe habere conjecturalem quandam, aut etiam quaſi moralem certitudinem de ſuâ ſalute, cui tamen ſubeſſe poſſit falſum. Videri de hoc poteſt Tanner Tom. 2. D. 6. q. 4. dub. 5. Ad quartum, conſtare ex verbis adductis S. Gregorij, ſcilicet poſſe nos quidem eſſe conſcios vocationis noſtræ, non autem electionis & glorificationis; Nunquid enim ipſius Chriſti teſtimonio multi ſunt vocati, pauci verò electi Matth. 20. v. 17. Unde Ameſius palpabile commiſit mendacium, idque geminum; 1. Apoſtolum citatis verbis tam clarè docere, efficaciter vocatos ſcire ſe ſecundùm propoſitum DEI vocatos: ac ſi ſolis radio ſcripſiſſet: alterum, Bellarminum non eſſe auſum negare efficaciter vocatos fuiſſe ſecundum propoſitum vocatos, atque idcirco glorificandos, cum iſtud Cardinalis tanquam hæreſin reijciat. videri ipſe poteſt L. 3. de Juſtif. c. 14. & 15. ô Lutharani & Calviniani! *ô ſeductæ columbæ Ephraim!* Oſeæ 7. v. 11. Timorem Domini revocate ab exilio, quò eum Seductores veſtri Lutherus, Calvinus &c. ſuavi hoc dementiæ faſcino fugavêre; aut malè vobis erit in extremis. Nam non niſi *Timenti Dominum bene erit in extremis*, Siracide teſte, c. 1. v. 13. qui autem *ſine timore eſt; non poterit juſtificari.* ibid, v. 28. nec igitur glorificari, & coronâ Salutis beatificari.

PECCATA.

Quemadmodum apud Prædeſtinatos ex hac vitâ diſcedentes bona opera reperiuntur, quibus deſtinatam ſibi à DEO gloriam veluti Corronam adipiſcuntur, ita & apud Reprobos in fine vitæ peccata mortalia inveniuntur, propter quæ à Beatitudine arcentur, & in ignem æternam diſcedere jubentur. Cum igitur de bonis operibus ſupra egerimus, nunc de Peccatis aliquid ſubjungemus, cum hæretici in his quoque aſſerendis à veritate Catholicâ aberent.

CONTROVERS. LX.

DE PECCATO ORIGINALI.

Peccatum juxta Ariſtotelem & S. Thomam eſt triplex Naturæ, Artis, & Moris. De hoc poſtremo & theologico inpræſenti controvertitur; quod peccatum in genere definiri poteſt, Forma denominas Naturam intellectualem DEO diſplicentem, inducénſque reatum alicujus pœnæ. Dividitur in Originale, & Perſonale: & hoc iterum in Actuale, & Habituale.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Peccatum Originale vocatur defectus ille, qui derivatur in poſteros ab Adamo primo omnium parente. Dicitur Originale; quia in primâ origine

origine ſeu conceptione contrahitur. Et conſtans ac conſentiens eſt in Eccleſia Romano catholica doctrina, omnes naturâ ſuâ ſic eſſe (abſque ſpeciali privilegio) filios iræ, ut verè aliquod peccatum generatione contrahant.

Doctrina prima. Datur peccatum originale verè hominem DEO exoſum reddens, & ab æterna beatitudine, niſi expietur excludens: idque reperitur in poſteris omnibus naturali generatione ab Adamo deſcendentibus, niſi exceptio aliqua ſpecialis probari poſſit. Eſt omnium Catholicorum, & de fide certa. Pro hac veritate quinque textus ex veteri: totidem ex Novo Teſtamento adducit Valentia Tom. 2. q. 6. d. 11. punct. 1. nobis unus aut alter ſufficiat. Genes. 17. v. 14. dicitur: *Maſculus, cujus præputij caro præciſa non fuerit* (ſeptuaginta Interpretes vertunt infans, qui octavo die circumciſus non fuerit) *delebitur anima illa de populo ſuô, quia pactum meum irritum fecit*; quod teſtimonium videtur præ cæteris clarum; cum enim parvuli diſtantiam boni & mali ignorent, ut ipſe DEUS Deuter. 1. v. 39. teſtatur, ideoque propriâ voluntate peccatum nullum committere poſſint, ſenſus eſſe nequit, perituras animas puerorum illorum, quod ipſi propriâ voluntate præceptum commiſſionis violaverint, ſed quia illo remedio circumciſionis deſtituti peccato originali inquinati manent: & quia in Adam, in quô teſte Apoſtolo omnes peccaverunt, DEI pactum & teſtamentum diſſipaverunt, uti interpretatur S. Auguſtinus L. 16. de civit. DEI c. 27. Huic valde congruit illud Oſeæ c. 6. v. 7. *ipſi autem* (id eſt Poſteri Adæ) *ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi* (id eſt in Paradiſo, ut D. Hieronymus exponit) *prævaricati ſunt in me.* Luculentum etiam teſtimonium eſt illud Pauli ad Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt.* ubi Apoſtolum velle, omnes nos eſſe peccatores naturâ, non ſolùm imitatione, ex ipſomet conſtat ad Ephes. 2. v. 3. ubi ait: *nos eſſe naturâ filios iræ.* Probatur 2. ex Autoritate Concil. Milevit. Araus. Florentini & plurium aliorum, atque ipſius denique Tridentini Seſſ. 5. can. 2. his verbis: *ſi quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à DEO Sanctitatem & juſtitiam, quàm perdidit, ſibi & non etiam nobis perdidiſſe: aut inquinatam illam per inobedientia peccatum mentem & pænas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quód mors eſt animæ, anathema ſit.* Probatur 3. ex SS. Patribus. S. Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſ. c. 10. *manifeſtum eſt,* inquit, *alia eſſe cuiq; propria peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata ſunt: aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, in quo omnes illi unus homo fuerunt.* Hoc ipſum S. Pater ſæpius alibi repetit, ſcilicet quod Parvuli fuerint unus homo cum Adamo, & ſic in illo peccaverunt. S. Baſilius hom. de Laud jejunij ait: *quia non jejunavimus in primo parente, ideo exulamus à paradiſo.* S. Ambroſius de fide reſurrect. ſcribit: *Lapſus ſum in Adam, ejectus de Paradiſo, mortuus in Adam.* Similia habent alij P P. Probatur demum 4. ex perpetuo Eccleſiæ uſu. Ad quid enim alioquin in veteri Teſtamento circumciſionionis: in novo baptiſmi infantibus moribundis conferendi tanta fuiſſet ſolicitudo, ſi infantes in nativitate nullam peccati labem per hæc remedia eluendam contraxerunt?

II. *Doctrina ſecunda.* Peccatum Originale eſt verum & propriè dictum peccatum. Eſt itidem certum ex Sac. Scriptura Patribus & Concilijs, ſpeciatim ex Tridentino Seſſ. 5. c. 5. ubi difinitur, *in baptiſmo tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet.* Unde reprehenditur Durandus, tanquam minùs cautè locutus, dum peccatum actuale magis propriè peccatum dixit, quàm originale, ita ut originale ad actuale relatum nõ habeat propriam rationem culpæ. Oviedo tamen in 1. 2. Tract. 6. c. 9. puncto 7. n. 7. fatetur, peccatum originale inter mortalia minimum eſſe propter imperfectionem voluntarij, cum à voluntate poſterorum procedat tantùm moraliter, non phyſicè, ſicut peccata mortalia perſonalia &c. Cæterùm difficile intellectu, quomodo nos una cum Adamo peccaverimus, cum eo tempore nondum in natura rei fuerimus: Item quare nobis peccatum illius imputetur, cum nihil de eo ſciverimus; qui autem de peccato nihil ſcit, quomodo conſentit? Pro determinatione ſit.

III. *Doctrina tertia.* Peccavimus in Adamo, quatenus ipſe tanquam Caput totius generis humani omnium noſtrum perſonam ſuſtinuit, & eâ ratione præceptum à DEO accepit, abſtinendi fructibus certæ arboris, ut ſi ſervaret, non ipſe modò, ſed etiam omnes poſteri (nullo horum interveniente peccato perſonali) gratiæ & gloriæ compotes forent: ſi verò tranſgrederetur, non ſolùm ipſe, ſed etiam poſteri ejus gratiâ exciderent. In quo pacto nulla eſt injuria. Nam homines idem obſervant in Feudis, quæ Parentibus eo pacto conceduntur, ut ſi fideles permanſerint, non ſolùm ipſi, ſed etiam Filij & Nepotes eorum in perpetuum feudo fruantur: ſi verò infidelitatem commiſerint, tam ipſi, quàm poſteri eorum feudo excidant; quæ eſt quaſi donatio conditionata: hoc tibi do pro te, & poſteris tuis eâ conditione, ut te mihi fidelem exhibeas, quâ conditione violatâ donum redit ad donantem ſine ullâ injuria poſterorum, quibus nihil debebatur. Ita Deus gratiam & gloriam ſuam voluit donare Adamo & Poſteris ejus omnibus, ſi unicam legem abſtinentiæ ſervaret; quia verò tranſgreſſus eſt, nos una cum illo dicta bona perdidimus. Quod ſi nos homines unanimi conſenſu Adamum noſtro loco conſtituiſſemus, ut quidquid ille faceret, nos ratum haberemus; certè illius peccatum nobis meritò imputaretur nóſque in illo ſeu per illum peccaviſſemus. Atqui Deus poteſtatem habuit, illum ſine noſtro conſenſu quaſi Vicarium generalem totius generis humani conſtituendi, ſicuti Magiſtratus pupillis ratione carentibus conſtituit Tutores, & horum geſta illis imputantur. Hoc vel ſimile quaſi implicitum pactum interveniſſe Deum inter & primum hominem, confirmat Authoritas non ſolùm S. Auguſtin. L. 16. de Civit. c. 27. & S. Hierony. in c. 6. oſeæ pluriumque graviſſimorum Theologorum, quos nominatim allegat Tanner Tom. 2. D. 4. de peccatis. q. 7. n. 16. Sed ratio ipſa & neceſſitas ad hoc concedendum urget. Nam ex una parte Fides & Scriptura ad Rom. 5. cit. & alibi docent, omnes nos in Adamo peccaſſe: ex alia verò parte ad hanc peccati transfuſionem non ſufficit, Adamum eſſe principium naturale & parentem omnium (aliàs & ipſius & proximorum etiam parentum noſtrorum omnia peccata ad nos trafirent) neceſſe igitur omnino fuit, aliquod ejuſmodi pauló ante deſcri-

ptum

Digitized by Google

ptum pactum vel decretum divinum acceſſiſſe, quò voluntates filiorum in voluntatem parentis transfunderentur, & vi cujus deinde Adæ obedientia aut prævaricatio ad omnes poſteros pertineret. Neque hæc transfuſio voluntatum Adami Antecedenter ad caſum eventualem poterat non eſſe optabilis, & expediens generi humano; quippe Adamus immediatè à DEO accepit optimam corporis animique diſpoſitionem, unde probabiliſſima reddebatur obſervantia legis: poſteros autem relinqui oportuit communi providentiæ, adeoque ſæpe defectuoſæ, ex quo nequivit ea probabilitas ac ſpes legis obſervandæ affulgere, quæ affulſit ex alligatione voluntatum ipſorum arbitrio & electioni Adami. Quia verò pactum ex parte Adami non fuit arbitrarium, ſed neceſſarium, & ſic à rigore pacti deficit, idcirco non fuiſſet neceſſaria illius decreti divini manifeſtatio, quamvis de facto manifeſtatum fuiſſe, minimè dubitetur, ut inde Adamus ſpeciale motivum ſervandi illud præceptum haberet. Videri poteſt P. Martinus Eſparza Tom. 1. Theolog. Scholaſticæ Lib. 5. Quæſt. 6. Ubi hæc pluribus explanat.

IV. Contra iſtud pactum inter DEUM & Adamum opponit ſe Cornelius Janſenius tom. 2. L. 1. de ſtatu Naturæ lapſæ c. 5. & ſequent. colum. 207. ubi ſic ſcribit: *Recentiores pleriq; ex eo, quod originale peccatum ſit primi parentis voluntate voluntarium, occaſionem ſumpſerunt excogitandi neſcio cujus pacti, quo DEUS omnes poſterorum voluntates in primi parentis voluntate collocaverit, ita ut quemadmodum ejus futura eſſet voluntas omnium in transfundenda juſtitia, ita etiam prævaricatio ejus omnium cenſeatur; quod nihil ab Auguſtini mente alienius &c.* Fundamentum, quò nititur, indicat L. 1. cit. c. 12. colum. 228. ajens: *pactum hoc affingere non eſt aliud, quàm purgare parentes, & culpare DEUM, qui peccatores propriâ voluntate conſtituat. Hinc eſt, quod nec Auguſtino, nec ulli veterum uſque ad tempora Scholaſticorum ullius pacti venerit in mentem.* Sed hæc opinio, quæ eſt etiam Lutheri in pſal. 50. ad verba illa: in iniquitatibus conceptus ſum, & Calvini Lib. 2. Inſtitut. c. 1. §. 8. & 9. planè adverſatur Sac. Scripturæ Gen. 2. v. 17. *in quocunq; die comederis ex eo, morte morieris.* Et ad Coloſſ. 2. v. 14. *delens, quod adverſum nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci*; nempe Adamus & ſe & nos veluti chirographo dato adeóque aliquo pacto morti, ſicaderet, obligârat. Unde Chryſoſt. hom. 6. in cit. locum ad Coloſſ. *quodnam*, inquit, *chirographum Author intelligit? quod ad Moyſen* (populus Iſraeliticus) *dixerat, quæcunque dixit DEUS, faciemus; aut id, quod fecerat ad Adam dicens, quocunque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Et Theophilactus in prædictum locum ad Coloſſ. *chirographum autem intelligimus vel confeſſionem, quam populus Iſraeliticus ſcripſit, cùm diceret ad Moyſen: omnia quæ dixit DEUS, faciemus, vel fœdus, quod pepigit Dominus cum Adam: quocunque die comederis, morieris.* Omitto alia Scripturæ & PP. teſtimonia Anaſtaſij de Incarnat. Verbi initio. Anſelmi de concept. Virgin. c. 7. Ruperti L. 5. in geneſ. c. 33. ubi breviſſimè dicit: *primus homo pactum DEI in paradiſo prævaricatus eſt.* & aliorum. Ratio etiam convincit, quia ſecluſo tali decreto ſeu pacto ex ipſa rei natura nullum ex Adamo, quantumvis divinæ legis violatæ reo, peccatum ad poſteros pervenire potuiſſet, ut pluribus explicat Tanner Q. 7. cit. n. 16. Ad fundamentum reſpond. nec purgari parentes, nec DEUM culpari. Quia illi liberrimè peccârunt, cum potuiſſent & debuiſſent non peccare, ſed obedientiam DEO præſtare abundantibus ad hoc medijs inſtructi: Iſte verò non culpatur, quia nulla injuſtitia intervenit, tum ob æquitatem pactionis æquali felicitatis & infelicitatis ſorti expoſitæ, tum ob præcepti levitatem, nullamque erga homines obligationem. Aut DEO ſupremo omnium Domino non licuit, quod licet homini v. g. Principi in ſimilem modum cum Subditis paciſci, ut ſuprà jam diximus. D. Auguſtino iſtud pactum nunquam in mentem veniſſe, apertæ falſitatis convincunt hæc ipſius verba Lib. 16. de Civit. Dei c. 27. in illud Genes. 17. v. 18. quia pactum meum irritum fecit: *refert ad pactum cum Adamo initum, & dicit, nulla appellantur teſtimonia DEI, exceptis illis magnis Vetere & Novo. Teſtamentum autem primum; quod factum eſt ad hominem primum, profectò illud eſt: Quo die ederitis, morte moriemini.* Credo autem non ignorare Ianſenium, Teſtamentum & Pactum Scripturæ phraſi eadem eſſe: atque ita pactum cum Adamo initum & in Auguſtino repertum Auguſtino non repugnare. Similiter nulli veterum uſque ad tempora Scholaſticorum pactum illud in mentem veniſſe, apertæ falſitatis arguunt adducta SS. Patrum teſtimonia. Quodſi nonnulli Doctores negârint prædictum pactum, negarunt ſolùm propriè dictum pactum inter DEUM & Adamum, & exigens utriuſque paciſcentis conſenſum; in quem modum Scotum intelligit Arriaga D. 51. num. 24.

V. Unde conſtat, peccati Originalis cauſam eſſe ipſum primi parentis peccatum, cum teſte Apoſtolo ad Rom. 5. v. 15. & 19. cit. *Unius delicto mortui ſint multi, & per inobedientiam unius hominis peccatores conſtitui ſint multi.* Fuit autem Adam, ut diximus, cauſa noſtri peccati non phyſica, ſed moralis, quatenus ex ejus voluntate pendebat transfundere juſtitiam in filios, DEO ita ſtatuente. Diſſentit iterum Cornelius Janſenius Tom. 2. L. 1. de ſtatu Naturæ lapſæ colum. 209. ubi ait, *peccatum originale per libidinem ſeu concupiſcentiam tanquam veram cauſam transfuſionis, atque ita ex natura rei propagari.* Concedimus ad traductionem peccati Originalis requiri veram & carnalem ex Adamo generationem; quæ cum poſt ejus lapſum ſine concupiſcentia & ardore libidinis non fiat, ſequitur quidem, illud abſque ipsâ hac re non trajici, atque adeo hanc illius evidens eſſe argumentum, non tamen veram & naturalem cauſam. Nec aliud ad Catholicam doctrinam à D. Auguſtino rectè defenſam requiritur; quam aliàs vanam & falſam fore, ſolùm Janſenius ſibi imaginatur, & fruſtra oſtendere conatur cit. Lib. cap. 11. 12. & 14.

VI. *Doctrina quarta.* Peccatum Originale eſt ipſa actualis Inobedientia Adæ, quà præceptum non edendi de fructu arboris vetito tanquam morale omnium noſtrum Caput eſt transgreſſus, prout hæc moraliter perſeverat in poſteris in ordine ad reddendum nos rationabiliter DEO exoſos quomodò tam diu perſeverat, uſque dum per condignam ſatisfactionem vel per condonationem deleatur. Ita in readmodùm difficili probabilius ſentire videntur Card. Toletus in cap. 5. ad Rom. Card. Lugo de Incarn. D. 9. Sect. 3. n. 26. Cornel. à Lapide in eundem locum ad Rom. 5. n. 289. & 292. Granadus Contr. 6. Tract. 8. diſp. 3. Sect. 1. ubi S. Thomam & plurimos alios in hunc ſen-

 ſum

ſum interpretatur, idque merito. Nam certum apud omnes habetur, poſteros in Adamo peccaſſe, ita ut ejus actuale peccatum ad nos ſuo modo pertineat, veluti peccatum noſtrum; id enim expreſsè aſſerunt Sac. Scripturæ Concilia & Patres, ut videre eſt apud Card. Bellarm. L. 5. de Amiſſ. gratiæ c. 17. & ſequentibus. Ex quò ſic argumentari poſſumus. Peccatum Adæ, quod in filijs reperitur, non eſt actuale, ſed potius ſpecies quædam habitualis peccati. Ergo debet ipſi definitio peccati habitualis convenire. Ergo ſicuti ex communi jam Doctorum ſententia apud Card. de Lugo diſp. 7. de pænit. Sect. 5. Arriagam, Oviedo, & alios peccatum habituale perſonale conſiſtit in eo, quod quis in propria perſona actualiter peccârit, & peccatum illud tam diu moraliter perſeveret, donec per gratiam condonativam remittatur, ita etiam peccatum originale habituale conſiſtet in eo, quod quis in perſona Capitis peccârit, & peccatum illud nondum ſit per gratiam remiſſum, ſed moraliter perſeveret in ordine ad reddendum illum DEI inimicum. Confirmatur; quia ſecluſis omnibus, & ſolo hoc poſito, quod infans in Adamo verè peccaverit, & hoc peccatum moraliter perſeveret, denominabitur verè peccator. Ergo in hoc conſiſtet ratio peccati.

VII. Huic doctrinæ obſtare videntur. 1. quod Concilium Tridentinum. Seſſ. 5. in decret. de peccat. orig. num. ſeu can. 2. peccatum originale vocet *mortem animæ*. 2. quod idem peccatum ex communi D. D. poſt S. Anſelmum Lib de concept. Virgin. nihil ſit aliud, quàm nuditas juſtitiæ Originalis, quæ principaliter ſita eſt in gratia ſanctificante. 3. quod peccatum originale Petri aliud ſit à peccato originali Pauli; cum tamen Peccatum præteritum Adæ reſpectu utriuſque ſit idem 4. ſi Adæ Peccatum, licet poſteris extrinſecum, poteſt tamen illos reddere intrinſecè peccatores & inimicos Dei, tum etiam juſtitia & ſanctitas Chriſti poterunt nos facere iuſtos & Sanctos. conſequens non poteſt dici. Ergo &c. His multi & graves Theologi perſuaſi fuerunt, ut eſſentiam peccati originalis in gratiæ privationem conijcerent verùm rem planè non evincunt, ut mox patebit. Itaque ad 1. reſpond. peccatum originale dici à Concilis mortem animæ, non idcirco, quod conſiſtat in privatione gratiæ, ſed quod ſit offenſa Dei. reddátque hominem indignum gratiâ & gloriâ: dignum odio divino &c. adeóque cauſaliter non formaliter, Ad 2. idem originale non conſiſtere in nuditate ſeu privatione juſtitiæ originalis habitualis, quæ præcipuè importat gratiam ſanctificantem; ſed in privatione juſtitiæ originalis actualis; vel potius in ipſamet injuſtitiâ, hoc eſt, iniquitate vel inobedientia actuali Adæ, ut moraliter perſeverante in poſteris. Atque in hunc ſenſum intelligendi Scholaſtici, & S. Anſelmus. Ad 3. peccatum Petri originale aliud eſſe à peccato originali Pauli phyſicè & inadæquatè: non autem adæquatè & moraliter. Sed nunquid peccatum Adæ jam pridem eſt illi condonatum? Ita eſt, & idcirco non amplius etiam perſeverat in ordine ad reddendum Deo exoſum Adamum, cui eſt condonatum, in quantum fuit perſonalis illius & propria culpa At perſeverat in ordine ad reddendos exoſos ejus poſteros, quibus nondum eſt condonatum; cum enim moralitas in uno phyſico actu ſit multiplex, poteſt tolli una, & relinqui aliæ; ex quo apparet, tres ad minimum moralitates in hoc Adami peccato reperiri, dum videlicet reſpectu poſterorum eſt quid phyſicè extrinſecum, alienum, & in ſe unicum: moraliter tamen Intrinſecum, Proprium, & Multiplex, hoc eſt, in ordine ad inficiendos ſingulos, perinde ſe habens ac ſi phyſicè & quidem numero diſtinctum eſſet comiſſum. Ad 4. abundè conſtare ex ijs, quæ ſupra de Juſtif. formali & intrinſeca diximus Contro. 51. ubi diſparitatem aſſingnavimus, quæ ſi bene expendatur cuilibet ſatisfacere poterit.

VIII. *Doctrina quinta.* Omnis & ſolus homo, qui ſeminali & ordinariâ generationis viâ ab Adamo deſcendit, eſt ſubjectum Remotum originalis peccati, Prior huius doctrinæ pars eſt de fide ex Apoſt. ad Rom. 5. ſæpe cit. v. 12. *in quo omnes peccaverunt.* Intellige, niſi aliquis ſingulari Dei benevolentiâ, à pacto inito, ſaltem quoad odioſam hujus partem fuerit exceptus, ut eatenus, lex aut pactum illud nullâ ratione ad eum pertineret uti mox de Beata Virgine dicemus. Poſterior pars, quod ij ſolùm, qui viâ naturali generationis ab Adamo deſcendunt, peccatum originale contrahant, conſtat ex Tridentino ſeſſ. 2. c. 3. cit. ubi apertis verbis infantes, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcituros injuſtos affirmat. Proximum ſubjectum peccati originali, ſi iſtud ſpectetur, ut moraliter nobis intrinſecum, eſſe ipſam ſubſtantiam Animæ, indubitatum videtur, & apertè traditur à S. Anſelmo lib. de concept. Virginis; cum enim peccatum hoc traducatur origine ſeu generatione, illud erit ſubjectum ejus immediatum ac primarium, quod eſt primarius, & immediatus terminus generationis. Sed compoſitum conſtans corpore & animâ eſt immediatus terminus generationis. Ergo & ſubjectum peccati originalis. Atqui non eſt ſecundùm corpus. Ergo ſecundùm animam, quia licet in corpore ſint effectus originalis peccati, ut rebellio carnis, aliqui motus inordinati concupiſcentiæ, vera tamen ratio culpæ non niſi ad animam ſpectare poteſt; unde & infantes in limbo coinquinat. Dixi ſi moraliter ſpectetur ſive ſecundùm ea, quæ phyſicè & à parte rei importat, eſt partim in ſubſtantiâ animæ velut ſubjecto: partim involuntate; quia ſecundùm actualem culpam præteritam phyſice fuit in voluntate Adami, pro ut hæc erat moraliter noſtra, At ſecundùm negationem ſatisfactionis & condonationis nunc partim manet in Anima, partim in voluntate, ſuppoſitâ probabiliore ſententia Theologorum; quam ſupra dedimus, quod gratia realiter à charitate differat.

IX. *Doctrina ſexta.* Beatiſſima Virgo & Admirabilis Mater Dei Maria, non fuit concepta in peccato originali, ſed ab hac labe contrahenda ex ſpeciali Dei privilegio præſervata. Probatur ex S. Scriptura Geneſ. 3. v. 15. *Dixit Deus ad ſerpentem: inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Ubi per mulierem intelligi Beatiſſimam Virginem minimè dubitandum, & ideo in feminino *ipſa* legerunt olim S. Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ. Ambroſ. de fuga ſæculi. Auguſtinus L. de Geneſ. c. 10. & plerique omnes Catholici, nec repugnat textus hebraicus, qui ambignus eſt ut bene oſtendit Bellarminus in Controv. de verbo Dei L. 1. Unde apparet, ita olim etiam in Septuaginta lectum fuiſſe, cum iſti Patres non ſint uſi alia verſione; & licet nunc in recentioribus editionibus Septuaginta Interpretum habeatur maſcu-

Digitized by Google

maſculinum *ipſe*, ſubintellige filius mulieris, tamen in idem recidit, ut bene oſtendunt Tirinus alijque Jnterpretes. Si autem aliquando Beatiſſima Virgo in peccato originali fuiſſet concepta, non contriviſſet Serpentis caput, ſed potius ipſa fuiſſet contrita. & præda illius facta. Cantic. 4. v. 7. dicitur : *tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quem locum etiam intelligi de B. V. & non tantùm de Eccleſia, eſt receptiſſimum apud Patres & doctores. Cum ergo dicatur, eam non modò totam pulchram eſſe, ſed etiam in illa non eſſe maculam, ſequitur planè, labem peccati originalis in illius anima locum nunquam habuiſſe, ut ſapienter concludit Jdiota in contemplat. Virg. c. 3. in Luc. 1. v. 28. *Salutatur B. V. ab Angelo, diciturque gratiâ plena &c. Atqui non fuit gratiâ plena intenſivè. Ergo extenſivè, id eſt, quidquid gratiæ & privilegiorum ſtatum B. V. decet, totum ei fuit conceſſum.* Si enim humani favores juxta Utriuſque juris Regulam, quantum verborum proprietas patitur, ampliandi ſunt, quantò magis Dei liberaliſſimi ergo hanc Virginem gratiæ & favores extendendi ſunt. Atqui negari non poteſt, decere quàm maximè ſtatum B. V. ut ſtatim ab omni peccato immunis fuerit, ne dicamus Matrem Dei fuiſſe aliquando diabolo ſubjectam, inimicam Dei &c. Ergo fatendum eſt, eam ſine originali conceptam. Plura S. Script. loca afferunt alij, ſimúlque varias figuras veteris teſtamenti Jmmaculatam Virginis Conceptionem præſignantes.

X. Probatur 2. Authoritate Sac. Conciliorum, Patrum & Doctorum. Concilium Tridentinum Seſſ. 5. de peccato originali can. 2. & 4. cum de de finiviſſet, omnes homines ab Adamo naturaliter deſcendentes contrahere maculam peccati Originalis, ſtatim ſubjunxit Can. 5. *ſuæ intentionis non eſſe ſub hoc decreto Deiparam comprehendere*: Pius V. & Gregorius XIII. damnârunt in Speciali bullâ. propoſitiones Michaëlis Baij, inter quas 69. eſt hæc : *nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adamo contractum, omneſq; ejus afflictiones in hac vitâ, ſicut & aliorum, fuerunt ultiones vel peccati actualis vel originalis*; damnarunt, inquam, ſaltem ſcandaloſam vel offenſivam piarum aurium. Plura Concilia & Pontificum decreta referunt alij. Patres in magno numero ſententiam iſtam tenent, ſicuti videre eſt apud Suarez Tom. 2. in 3. P. diſp. 3. ſect. 5. Vaſquez tom. 2. in 3. P. diſp. 117. c. 3. & 4. Ferdinand. Quirinum de Salazar in defenſ. Immac Concept. c. 42. Sedecim ſæcula eruditè percurrentem. Et apud Joannem Perlinum in Apologia pro magnæ Matris Immunitate ab originali peccato, & debito, totâ diſt. 10. ubi fusè oſtendit, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Patres hanc nobiſcum ſententiam tenere. ſufficiant. hic unus aut alter. S. Hieronymus maximus Eccleſiæ Doctor ad illa verba Pſal. 77. v. 14. deduxit eos in nube diei; ſic ſcribit: *nubes eſt Beata virgo, quæ pulchrè dicitur nubes diei; quia non fuit in tenebris. ſed ſemper in luce.* Ergo nunquam in peccato originali. D. Hieronymo conſentit S. Auguſtinus unus pro millè citandus; qui L. de natura & grat. c. 36. hæc habet: *exceptâ Virgine Matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorſus habere volo quæſtionem; inde enim ſcimus, quod plus gratiæ ei collatum eſt ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, quem ſcimus nullum habuiſſe peccatum.* Non loqui autem S. Patrem de ſolo peccato actuali, ſed etiam originali inde patet; quia ibi contra Pelagianos dicit, neminem eſſe ſine peccato ne quidem infantem unius diei, exceptâ Virgine Matre &c. Quoad DD. Scholaſticos pleræque Religioſorum Familiæ Jmmaculatam Virginis Conceptionem defendunt: plurimæ item Academiæ voto ac juramento ad id ſe obſtringunt, nec prius ulli acceſſum ad Doctoratum Theologiæ concedunt, ac illud præſtet.

X. Probatur. 3. Ex communi fidelium ſenſu. Nam incredibile dictu eſt, quantò ſenſu & animi firmitate teneant Immaculatam Virginis Conceptionem, & quali affectu in eandem ferantur tam Summi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Prælati Eccleſiaſtici, & omnes DEO ſacrati homines, quàm Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles atque omnis ſtatûs ſæcularis perſonæ Viri ac Mulieres, Juvenes & Senes. Unde ſub titulo B. V. ſine labe Conceptæ tot Monaſteria, Congregationes, tot Templa, Sacra Altaria, ſtatuæ erectæ, & Imagines hujus myſterij vulgatæ.

XII. Probatur 4. Ratione. Tum quia B. V. immunis fuit ab omni actuali peccato etiam veniali, ut cum S. Thomâ 3. P. q. 27. a. 4. omnes tenent Catholici. Ergo etiam multò magis à peccato Originali. Tum quia B. V. communiter prædicatur immunis à fomite peccati, à dolore partûs, à ſordibus puerperij, à corporis corruptione, à poteſtate, quam vir in uxorem exercet. &c. Quid ni ergo dicemus, eam fuiſſe præſervatam à peccato originali? an non magis indecorum erat, quod Dei Mater ſubjacuerit dæmoni, quàm pænis præfatis? Ita certè quiſque æquior rerum arbiter cenſebit. Tum quia quicunque naſcitur in peccato originali, verè eſt à DEO maledictus. Sed non decebat, B. V. fuiſſe ſub maledictione Filij. *Nam qui maledixerit patri ſuo, & matri, morte moriatur.* Exod. 21. v. 19. Et Math. 15. v. 4. ipſe Mariæ Filius hæc repetens univerſim jubet honorare Matrem. Cùm ergo legem hanc dederit omnibus obſervandam, non decebat illum inhonoraſſe Matrem, maledixiſſe ipſi; & ſubjeciſſe jugo peccati & diaboli. Scilicet pulchrum hoc illi ac decorum coram Cælitibus & Angelis fuiſſet dicere, hanc ſuam eſſe matrem, quam illi ſcirent diabolo aliquando ſubditam, & Deo odibilem fuiſſe: & quam illis Reginam ac Dominam præfeciſſet, eam olim tam immani infamiâ laboraſſe (nihil enim apud Angelos infame magis, quàm peccatum præſertim mortale, qualo etiam eſt originale) & cum illi nullâ fuiſſent infecti, Reginam ſuam eâ fuiſſe fœdiſſimè deturpatam. Nec refert, quod tunc, quando fuit concepta, non eſſet Mater DEI. Quia ad prædictam indecentiam ſufficit, quòd futura eſſet Mater DEI. Et ſicut indecens foret, ſi Calix & Corporalia, quæ continere debent corpus & ſanguinem Chriſti, turpiſſimo alicui miniſterio inſerviſſent, ſic indecens valde foret, eam, quæ futura erat DEI Mater, prius maledictam & exoſam fuiſſe Filio. Certiſſimò ergo quiſque Chriſtianus, & Beatiſſimæ Virginis amans ſibi perſuadeat, divinum Filium, qui ſecundùm Perſonam ante Matrem fuit, atque hanc in Genitricem ſponte ac liberè elegit ac condidit, prius illam odio capitali perſecutum non fuiſſe, ac diabolo, ut ſub jugo hujus gemeret, non permiſiſſe, & poſtea primùm habere Matrem ſuam voluiſſe; quomo-

Digitized by Google

do enim ſic & ſuæ & Matris ſuæ dignitati ſatis conſuluiſſet? Unde eandem Beatiſſimam Virginem, quæ Mater DEI erat futura, nec pacto, quod Deus cum Adamo inijt, includi oportuit, ut majoribus donis cumularetur, & ad omnes operationes præveniretur, quàm vllus Angelus & primus homo. Videantur Salazar, & plures alij Authores. Item Diſputatio mea theologica, cujus titulus: Immunitas B. V. Mariæ ab ipſo etiam originalis labis contrahendæ debito, quam Lucernæ anno 1652. typo vulgavi.

XIII. *Doctrina Septima.* Per originale peccatum privati ſumus originali juſtitiâ. Ita omnes Catholici, ſive eo nomine intelligamus dona omnia, quibus Adam in ſtatu innocentiæ ſupra naturæ debitum ornatus fuit, ut gratiam Santificantem, habitus ſupernaturales fidei & charitatis, aliarumque virtutum. Item ſcientiam infuſam, ſubjectionem appetitûs ſub rationem, immortalitatem, impatibilitatem &c. ſive ſumanus ea tantùm quæ à gratiâ ſantificante diſtinguuntur. Colligitur ex Arauſicano Concilio II. can 1. ubi per hoc peccatum dicitur *homo totus ſecundùm animam & corpus in deterius immutatus.* Per idem peccatum inflicta nobis eſſe quatuor animæ vulnera, videlicet ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu iraſcibili, & concupiſcentiam in concupiſcibili, docent cum S. Thomâ 1. 2. q. 85. a. 1. & 3. cæteri Theologi, idque ſupra jam inſinuavimus, & colligitur ex Tridentino Seſſ. 6. c. 1. ajente, *tametſi in hominibus per peccatum minimè extinctum ſit liberum arbitrium, tamen viribus attenuatum & inclinatum fuiſſe.* Unde & Pſalmiſta conqueritur Pſal. 37. v. 4. inquiens, *non eſt ſanitas in carne mea.* Eodem adduci ſolet parabola de peregrino Ierichuntino fœdè à latronibus vulnerato Luc. 10. à v. 30. Prædictis quatuor vulneribus accedunt innumeræ pænæ corporis v. g. mors, brevitas vitæ, morbi, fames, ſitis, labor &c. uti præter S. Scripturam nimis conſtat ex quotidianâ experientiâ.

XIV. *Doctrina octava.* Per primam Juſtificationem in Baptiſmo vel Martyrio vel Contritione acceptam, deletur quidem peccatum originale quoad eſſentiam: at non ſtatim quoad omnes pænalitates. Prior pars clara eſt; quia per Juſtificationem accipitur gratia ſanctificans, quæ tollit peccatum, ut definitur in Tridentino Seſſ. 5. decreto 5. ubi ſic ait, *ſi quis per JESU Chriſti gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit radi tantùm, aut non imputari, anathema ſit.* Poſterior pars experientiâ patet; remanent enim pæna morti omnibus ſubeunda, & conſequenter morbi ac dolores & labores corporis: Remanet concupiſcentia ad peccatum inclinans, & rationi rebellans; quæ in ſtatu innocentiæ per juſtitiam originalem ita fuiſſet domita & rationi ſubjecta; ut eâ invitâ nunquam ſe commoviſſet, ut nihil dicam de ſcientijs, quæ, niſi infundantur, tantò ſudore comparari jam debent, & de fertilitate terræ, quæ ſponte omnia protuliſſet, nec tanto labore colenda. Dixi has pœnas non ſtatim tolli, quia poſt mortem in altera vitâ tollentur. Interim DEUS relinquit potius ex miſericordia, quàm ex juſtitia: Magis ad noſtram utilitatem, quàm nocumenta; quia hæc incommoda corporis proſunt animæ; mors abſterret à peccatis, labor corporis & animæ impedit otium omnium vitiorum ſementem, concupiſcentia præbet occaſionem pugnandi & vincendi, ideóque Tridentinum loc. cit. dixit: *Manere autem in Baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur & ſentit; quæ cum ad agonē relicta ſint, nocere non conſentibus, ſed viriliter per Chriſti JEſu gratiam repugnantibus non valent; quin imò, qui legitimè certaverit, coronabitur.*

XV. *Doctrina nona.* Qui cum ſolô peccato originali moriuntur, uti Infantes ſine baptiſmo decedentes, in alterâ vitâ nullam pænam ſensûs patientur, ſed duntaxat damni, hoc eſt, carentiam æternæ beatitatis. Ita omnes Catholici, & apertè exprimit Innocentius III. cap. Majores de Baptiſmo ubi ait: *originalis peccati pænâ eſt carentia viſionis Dei: actualis verò gehennæ cruciatus.* Conſentiunt PP. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Lavacrum ante medium de Infant. *qui ſine baptiſmo moriuntur, ſic,* inquit, *nec cœleſti gloriâ, nec ſupplicijs à juſto Judice afficiuntur.* S. Ambroſ. in illud ad Rom. 5. v. 12. proterea ſicut per unum hominem. &c. ſic ſcribit: *eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur, in gehennam, quam non peccato Adæ patimur, ſed ejus occaſione proprijs peccatis acquiritur.* Auguſtinus L. 5. contra Julian. 8. aliàs 11. hæc habet: *non dico parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tantâ pænâ eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret;* Et infra: *quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium leniſſima futuros, quibus, quæ, & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potius expediret.* Atqui damnatis omnibus, qui ſenſibilibus pænis torquendi ſunt, æquè ac Iudæ proditori convenit pronunciatum illud Chriſti Math. 26. v. 24. *melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* ut Auguſtinus ipſe ſupra obſervat. Adſtipulantur DD. Scholaſtici. D. Thomas de malo q. 5. a. 2. in corp. dicendum aſſerit, quod ſicuti communiter dicitur, peccato originali non debetur pæna ſensûs, ſed ſolùm pæna damni, ſcilicet carentia viſionis divinæ. D. Bonavent in 2. diſt. 23. a. 3. q. 1. parvuli, ait, decedentes in peccato originali & non cum actuali crimine nullam habent pænam ſensûs in corpore aut ſenſu exteriore. Scotus in 2. diſt. 33. q. 1. ſcribit: videtur Magiſtrorum eſſe ſententia, quod damnati pro ſolo peccato originali nullam habebunt pœnam ſensûs exterioris, puta ignis. His Scholarum Coriphæis conſentiunt reliqui Theologi.

XVI. Ratio eſſe poteſt. Quia Pæna ſensûs non convenit, niſi illi, qui propter delictū eſt reprehenſione dignus; quippe pæna eſt quædam exprobratio & vituperatio, ſicuti quando quis cæditur; exprobratio verò & vituperatio non convenit niſi illi, cui à fortiori convenit reprehenſio verbalis, quæ hujus loco ſubſtituitur. Atqui parvuli non ſunt reprehenſione digni, ſiquidem propter illud non poteſt quis jure reprehendi, de quo non poteſt habere dolorem retractativum. Sed parvuli non poſſunt retractare per propriam voluntatem, quod non niſi per alienam commiſerunt, ut patet. Ergo parvulis pæna ſensûs non convenit. Ex Minore hic inferunt Theologi, quod adultus antequam perſonaliter peccet, non poſſit habere formalem contritionem, quâ deleat peccatum originale; cujus ratio à priori eſt, quia retractatio ſupponit fuiſſe in mea poteſtate, ut non poneretur ille actus quem deteſtor. Non fuit autem in poteſtate talis hominis, impedire peccatum Adami, aut ne ipſi

incli-

Digitized by Google

includeretur in ejuſdem voluntate ſeu pacto, aut ne ab eodem deſcenderet. Ex quo etiam ſequitur, non triſtari illos, qui hanc damni pœnam ob peccatum originale luunt, ſive quod prorſus ignari ſint rerum ſupernaturalium, adeóque neſciant, quid perdiderint; ſive quòd hanc jacturam ſuâ propriâ culpâ non accidiſſe noverint, ideóque optimè contenti ſint ſupremi Domini diſpoſitione, qui ſua bona dare poteſt, cui vult; ſicuti Beati non curant aut ægrè ferunt, alios ſibi in gloriâ prælatos, ſive ob alium mirabilem modum, quo divina providentia in hujuſmodi hominibus triſtitiam impedire poteſt. Si inferas, ex allatâ ratione parvulos nec potuiſſe propter peccatum originale puniri pœnâ ſenſûs temporali v. 9. purgatorij; cum tamen quælibet pœna ſenſûs ſit levior, quàm pœna damni. Tranſeat illatum. diſtinguo id, quod fuit adjectum: pœna damni eſt gravior, quàm quævis pœna ſenſûs, ſi ſpectetur materialiter & in ratione mali, prout malum eſt mera privatio boni, conceditur. ſpectando formaliter, in quantum pœna eſt afflictiva & vexativa negatur, quo ſenſu dixit S. Auguſt. in Enchir. c. 93. *pœnam damni eſſe omnium mitiſſimam.*

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. *Error primus eſt.* Non dari aliquod peccatum originale. Ita pelagius, ut teſtatur S. Auguſtinus Lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. c. 6. & 7. Et Lib. de hæreſibus. n. 88. ubi hunc errorem vocat Pelagianorum proprium, ſed eundem etiam hodie tenent Anabaptiſtæ Zwingliani, & alij hæretici apud Tanner Tom. 2. diſp. 4. q. 7. n. 4. Adſcribitur etiam Iacobo Fabro Stapulenſi in c. 5. Epiſt. ad Rom. & non alienus ab illo eſt Eraſmus Annot. in prædictum locum, ut refert Bellarm. de ſtatu Peccati L. 4. c. 2. nituntur unicè Authoritate Ezechielis proph. c. 20. n. 20. dicentis: *filius non portabit iniquitatem Patris*; quod verum non eſſet, ſi peccatum Adami Patris noſtri nobis imputaretur. Errorem iſtum D. Auguſtinus contra Pelagianos ex inſtituto multis alijs Libris, tum etiam L. 1. & 2. contra Julian. reijcit, ac multa S. S. Patrum antiquorum teſtimonia pro veritate Catholicâ ſtabilienda adducit ut Jrenæi, Cypriani, Atticij, Olimpij Hilarij, Ambroſij, Nazianzeni, Jnnocentij, Chryſoſtomi, Baſilij & Hieronymi. Nos eundem ſupra jam abunde rejecimus, ut ſuperfluum foret plura afferre. Quoad dictum Ezechielis (filius non portabit iniquitatem Patris) iſtud non reſpicit præteritum peccatum, præſertim Adami, qui ex ſpeciali ordinatione divinâ omnium hominum perſonam repræſentavit, ſed futura tempora poſt Ezechielem, ubi quia parentes ſuos liberos non repreſentant, ideo iſti non contrahunt illorum culpam. Itaque ſenſus eſt: deinceps filij non punientur propter iniquitatem parentum, niſi eis expediat ad ſalutem animarum, cujus clara exempla habemus in S. Scriptura. Danielis, v. 14 tres pueri in Babylonicam captivitatem ducti ſunt propter peccata Ezechiæ Patris, cui Deus id comminatus fuerat 4. Reg. 20. v. 8. *De filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt Eunuchi in palatio Regis Babyloniæ*, quod tamen in illorum bonum egit, ut patet Danielis cap. 3. Matth. 2. v. 16. Jnfantes Bethlehemitici ab Herode occiſi ſunt propter inhoſpitalitatem erga Chriſtum exercitam; at ſic effecti ſunt martyres, quia propter Chriſtum occiſi ſunt, qui ad necem quærebatur. Omitto plura, quæ tum in Sac. Scriptura, tum in hiſtoriâ Eccleſiaſtica habentur.

XVI. *Error Secundus eſt* Matthiæ Flacci Illirici, qui eò uſque deliravit, ut diceret, peccatum originale eſſe ipſam ſubſtantiam Naturæ, vel potius formæ humanæ; hanc enim poſt peccatum actuale ait à Diabolo transformatam, ut cum antea eſſet eſſentialis Imago Dei, nunc ſit viva & eſſentialis imago diaboli, & ipſum peccatum originale. Errorem hunc ſeu potiùs inſaniam pluribus, quàm mereatur refellit Valentia Tom. 2. D. 6. q. 12. Sufficiet unam alteramvè ex eô abſurdiſſimam ſequelam oſtendere. 1. Subſtantiam aliquam eſſe per ſe malam, quæ eſt damnata hæreſis Manichæorum. 2. Chriſtum contra S. Scripturam Concilia & Patres non aſſumpſiſſe ejuſdem rationis Naturam cum noſtrate 3. Non tolli peccatum originale, vel ſi illa forma diabolica tollatur, & alia in ejus locum ſubſtituatur, hominem baptizatum à ſe ipſo non baptizato plus quàm ſpecie differre: item non eandem naturam olim reſurrecturam. An pluribus opus ad monſtrum iſtud opinionis reijciendum?

XVII. *Error tertius eſt* Lutheranorum & Calviniſtarum, ut videre eſt apud Ameſium Tom. 4. contra Bellarminum. à fol. 29. Et Gerhardum in Iſagoge fol. 885. Item in Confeſſ. Auguſtan. L. 2. P. 3. à fol. 434. peccatum originale nihil eſſe aliud, quàm concupiſcentiam rationi rebellem, quæ cum ſemper etiam in juſtis maneat (ut conqueritur Apoſtolus Rom. 7. v. 23. *video aliam legem in membris meis &c.*) aſſerunt conſequenter, peccatum originale nunquam deleri, ſed tantùm tegi. Nituntur autoritate Apoſtoli, qui pluribus in locis concupiſcentiam vocat peccatum, præſertim ad Rom. 7. v. 3. *ſi, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Atqui concupiſcentia non eſt peccatum actuale (cum non ſit actus, ſed potentia) ergo originale. Confirmant ex D. Auguſtino L. 5. contra Julian. Pelag. c. 3. ubi concupiſcentiam non ſolùm dicit eſſe cauſam, & effectum peccati, ſed ipſam etiam per ſe eſſe peccatum. Error iſte apertè reijcitur in S. Scriptura ad Rom. 8. v. 5. ubi dicitur: *nihil ergo nunc damnationis* (id eſt dignum damnatione) *ijs, qui ſunt in Chriſto JESU*, id eſt, per baptiſmum *renati*: Et 1. Joann. 1. v. 7. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Item in Tridentino Loc. cit. ubi ait, *tolli non radi peccatum originale*; certum autem eſt, non tolli concupiſcentiam ſeu fomitem peccati. Ergo concupiſcentia ſeu fomes non eſt peccatum originale Ad fundamentum oppoſitum reſpondet Tridentinum Seſſ. 5. decret. 5. *hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* quaſi diceret

Digitized by Google

diceret, concupiſcentiā non eſſe formaliter, & propriè dictum peccatū, ſed impropriè, partim ut illius effectum, partim ut cauſam peccati actualis; quod ſuadetur illis verbis ex epiſt. D. Jacobi c. 1. v. 15. *concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*; Ergo peccatum eſt illius partus & effectus; neque inuſitatum eſt in alijs ſcripturæ locis, peccatum impropriè ſumi. Deut. 9. v. 21. vitulus aureus, quem adoraverant Judæi, vocatur peccatum, hoc eſt, objectum & cauſa peccati. Zachariæ ult. v. 19. ſterilitas terræ ex defectu pluviarum cauſata vocatur peccatum, id eſt, effectus & pæna peccati. vulgò etiam dicitur ſcriptura manus, per quàm ſcripta fuit. Ex hoc jam patet, quid ad confirmationem ex D. Auguſtino dicendum; ſcilicet S. Patrem vocem peccati itidem uſurpaſſe latius, ſivè prout quælibet vitioſitas Naturæ à præfixa regula aliquo modo deficiens dicitur peccatum: ſivè prout etiam objectum peccati ſubinde peccatum objectivè ſcilicet & materialiter dicitur, ſi ei non conſentiatur; etenim ſi conſenſus accedat, tunc utique fit formale peccatum. Videatur Contraverſia LII. §. XI.

XVIII. Urgent Adverſarij, quod repugnat legi divinæ, eſt proprium & formale peccatum. Atqui concupiſcentia repugnat Legi divinæ dicenti: *non concupiſces* &c. Ergo eſt proprium & formale peccatum. Hujus argumenti tam Maj: quàm Minor diſtinguenda eſt: Major quidem, quia id, quod formaliter repugnat legi divinæ tanquam actus prohibitus, eſt formaliter peccatū, conceditur: quod repugnat efficienter cauſando peccatum, vel ad id incitando, illud eſt formaliter peccatum, negatur; aliàs ipſe homo, qui facit peccatum, eſſet peccatum, Minor autem ſic diſtinguitur: concupiſcentia repugnat legi divinæ, ſi ſumatur pro potentia appetitûs, negatur; quia hanc potentiam DEUS ipſe creavit, qui tamen facere non poteſt peccatum: ſi verò ſumatur pro appetitu, & quidem libero, conceditur, eſſe peccatum & repugnare divinæ legi; ſecus verò, ſi fuerit actus præveniens rationem & liberum conſenſum voluntatis, quam Theologi morales vocant motum primo primum; etenim peccatum non eſt, niſi liberum; alioquin & bruta peccarent appetendo alienum pabulum. Joannes Gerhardus lib. 2. Confeſſ. part. 3. c. 5. de peccati originalis natura adducit prò hæreſi ſuâ antiquos aliquos Theologos, qui putarunt peccatum originale eſſe morbidam qualitatem à morbo & corruptione carnis in animam derivatam, & excitantem in nobis omnis generis prava deſideria & concupiſcentias. Fateor hanc opinionem, ut proponitur, non longè recedere ab errore præſenti Lutheranorum, & Calviniſtarum; quia identificat peccatum originale cum concupiſcentiâ & inclinatione illâ in malum, quæ tamen manet etiam poſt baptiſmum, & deletum jam totum peccatum originale quoad reatum culpæ. Tanner tamen D. 4. q. 7. cit. n. 97. putat planè, authores hos aliud non intellexiſſe per qualitatem illam, & concupiſcentiam quàm materiale, & effectum peccati originalis, non verò eſſentiam ipſam; Unde erraſſe potius in philoſophia, quàm in fide cenſendi ſunt.

XIX Occaſionem videtur dediſſe S. Auguſtinus, quando L. 1. cit. de nupt. & concup. c. 23. & alibi contra Julian. peccatum originale conſtituit in reatu pænæ æternæ. Item c. 25. ibidem, quando peccatum originale vocat affectionem quandam malæ qualitatis inſtar languoris. Sed intelligendus S. Pater in priore quidem loco de reatu radicali, & dignitate fundamentali ad pænam æternam, quæ eſt ipſa culpa peccati originalis, ut paulò ante eundem explicavimus: vel dicendum, S. Auguſtinum deſcribere peccatum originale per effectum notiſſimum, non verò per prædicatum eſſentiale, & primò conſtitutivum peccati originalis. In poſteriore verò loco D. Auguſtinus intelligi debet de concupiſcentia, quæ tamen non ſit ratio formalis ipſius peccati originalis, ſed aliquid duntaxat materiale reſpectu illius, ſic dictum, quod ſit effectus quidam peccati originalis, ſicuti Sanguis efferveſcens eſt effectus & dicitur materiale quid reſpectu iræ, ut vult Tanner n. 116. vel dicitur materiale, quia illa concupiſcentia durat ante & poſt juſtificationem, manente & ſublato peccato originali, Sicuti corpus manet in homine vivo & mortuo, quæ indifferentia eſt propria materiæ, & ita S. Patrem explicat Eſpazza Tom. 1. Lib. 5. q. 6. ad 1. & 5.

XX. Dicunt Sectarij imperceptibile eſſe, quomodo peccatum hoc traducatur in animam, mediante corpore abſque hoc, quod ſit in corpore, & talis qualitatis derivatio ex carne in animā interveniat. Reſpon. peccatum originale, ſicuti alia peccata, recipi in ſolâ anima, ceu proprio ſubjectô, nullâ autē ratione in corpore; dici tamen hoc peccatum traduci in animam, mediante corpore, quia Adam peccavit, & ſuo & poſterorum nomine; per corpus autem ſeminali generatione ab Adamo deſcendens conſtituuntur poſteri in ratione poſterorum. Itaque licet corpus & ipſius unio cum anima, neque in genere Cauſæ efficientis, longè minus formalis, aut finalis originaliter inficiat animam, eſt tamen quoddam applicans peccatum originale ad animam, & conditio, ſine qua anima juxta præſens Dei cum Adamo pactum, nunquam contraheret peccatum originale. Exiſtente autem illâ conditione ſtatim in ipſo conceptionis inſtanti intelligitur infans jam pridem peccaſſe, tunc ſcilicet, quando Adam peccavit; quippe ſubſiſtit hæc denominatio: infans nunc conceptus peccavit in Adamo, etiamſi non omnia fuerint tunc: ſicuti enim peccatum habituale, quia eſt forma tantùm moralis, per aliquid præteritum conſtituere poteſt peccatorem de præſenti, ita originale ſimilter forma moralis per aliquid futurum denominare poteſt peccantem de præterito.

XXI. *Error quartus eſt.* Contra S. Scripturam errant Pontificij, aſſerentes B. Virginem Deiparam fuiſſe ſine peccato originali conceptam. Ita hæretici communiter, ut videre eſt apud Joannem Gerhardum in Iſagoge ſua à fol. 888. Et in Confeſſ. Evangelicâ L. 2. P. 3. à fol. 412. Et apud Guilielmum Ameſium Tom. 4. à. fol. 20. & alios. Probant 1. quia S. Scriptura univerſaliter pronunciat, omnes in Adamo peccaſſe ad Rom. 3. v. 23. *omnes enim in Adam peccaverunt, & egent gloria Dei.* 2. ad Corinth. 5. v. 15. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, Ergo omnes mortui ſunt*, ſcilcet in Adamo propter illius peccatum. Atqui, inquiunt, ab his & ſimilibus univerſalibus locis non habetur ſufficiens fundamentum excipiendi B. Virginem. Fatendum ergo, culpam originalis labis ipſam

ipſam incurriſſe. Probant. 2. ex Patribus & Scholaſticis. SS. PP. ſæpe pronunciant univerſim omnes in Adamo peccaſſe, & exceptionem ſolius Chriſti eſſe peculiarem affirmant. Probant 3. quia Si Beatiſſimâ V. non peccaſſet in Adamo, ſive ſi non contraxiſſet in Adamo & debitum & peccatum, non fuiſſet à Chriſto redempta, neque Chriſtus pro eâ dici poſſet mortuus. Conſequens eſt abſurdum. Ergo &c Minor patet; quia de fide eſt, neminem è poſteris Adæ dari, pro quo Chriſtus mortuus non ſit. ut docet S. Auguſtinus L. de peccatorum meritis c. 24. & 28. Et contrarium ſentiens derogat dignitati Chriſti, cui omnes Gentes dicuntur ſubjectæ ratione mortis & paſſionis. Sequela Majoris probatur. Quia omnis redemptio ſupponit peccatum, & multo magis debitum incurrendi peccatum, ut ait S. Auguſt. 157. *nullus redimitur, niſi qui ſub peccato fuerit*, quæ verba neceſſariò ſubintelligenda ſunt ſub iſta disjunctione vel in ſe, vel in Adamo. Probant 4. B. U. obnoxia ſunt pænalitatibus. Ergo vi proprij peccati originalis; aut ſi hoc & peccato actuali non fuerit inquinata, ſaltem vi debiti ejus peccati originalis contrahendi.

XXII. Error iſte non conſiſtit in eo, quod hæretici aſſerant, B. Virginem Mariam cum peccato Originali conceptam fuiſſe; cum hoc etiam aliqui Catholici teneant: & Eccleſia nihil adhuc in hoc puncto tanquam fide tenendum determinaverit. Sed in hoc, quod ijdem hæretici obſtinatè affirment, *ex Sac. Scripura apertum eſſe Articulum Fidei*, quod Beatiſſima Virgo Maria concepta fuerit *in peccato mortali, & nullo modo in hoc puncto ſit excepta*, in quo eiſdem nullus Romano-Catholicus adſtipulatur, eſtque illud nihil aliud, quàm condemnare Eccleſiam Catholicam apertæ falſitatis & erroris; quæ tamen *eſt Columna & fundamentum veritatis* 1. ad Timot. 1. v. 15. Cum ergo Eccleſia Catholica nihil adhuc determinet circa Scripturæ intelligentiam, miſſis Catholicis Doctoribus (cum quibus negotium & lis nobis hic non eſt) contra ſolos hæreticos agimus, & hoſce temerario ſuo judicio errare, & demonſtrare non poſſe, Baetſſimam Virginem in peccato fuiſſe conceptam, ſolutione argumentorum, quæ ex S. Scriptura afferunt, manifeſtè oſtendemus. Itaque

XXIII. Reſpond. *Ad 1. probationem ex Scriptura.* Ab his, & quibuslibet alijs ſimilibus S. Scripturæ generalibus propoſitionibus eximendam ſemper eſſe B. Virginem Mariam; idque non fieri abſque ſufficienti firmóque fundamento. *Suadetur. 1.* Ex ipsâ S. Scriptura vniverſales leges non univerſaliter accipiente. Eſther 15. v. 12. Aſſverus ſic alloquitur Reginam Conjugem ſuam Eſther, quæ coram illo contra legem latam comparverat non vocata: *noli timere, non morièris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Verùm ſi pro omnibus, quomodo non etiam pro Eſther? quia nimirum illa non debuit in omnium cenſum communi æſtimatione referri; quod multò melius in Mariam quadrat, ut, quàm DEUS adeo ſuper omnes creaturas evexit, nullis harum legibus, pactis, ac juribus illius perfectio menſurari debeat. *Suadetur 2.* Ex Concilio Tridentino in decreto de peccato originali. Cum præmiſiſſet, Adamum peccatum in omne genus humanum transfudiſſe: & rurſum cum dixiſſet, peccatum propagatione transfuſum omnibus ineſſe, mox adijcit, *ſuæ intentionis non eſſe, B. Virginem in eo decreto comprehendere.* Si ergo S. Concilium univerſales propoſitiones non vult in ſua univerſalitate accipere, quatenus B. Virgini aliqua inde labes peccati aſpergi videtur, An non firmum fundamentum eſt, negandi univerſalitatem quibuſvis alijs propoſitionibus, ex quibus aliquid peccati & turpis notæ (quale eſt peccatum originale & proximum ejus contrahendi debitum) eidem Virgini inuri conſpicitur. *Suadetur 3.* ex Patribus & Scholaſticis, quos copiosè adducunt Perlinus & Salazar, ſufficiat nobis unus D. Auguſtinus de Virgin. aſſumpt Ser: 3. ita loquens: *non immeritò Maria excipitur à quibusdam generalibus verâ æſtimatione, quam tanta ſervat gratia, & extollit prærogativa.* Ne Scholaſtici hic deſiderentur, pro mille unus ſtet D. Thomas, qui 3. P. q. 27. a. 1. ad 2. apertè docet, legi communi non ita Deum alligare potentiam ſuam, quin aliquos ex ſpeciali gratia ſubinde excipiat. Quos autem potius, quàm Beatam virginem Matrem ſuam? *Suadetur* demum 4. ex receptiſſimo illo axiomate: *leges univerſales non excludunt privilegia particularia.* Quamvis igitur in multis offendamus omnes, & univerſi naſcamur filij iræ, ut loquitur S. Scriptura; id tamen non impedit, quin omnium conſenſu B. V. Maria fuerit divinitus præſervata à peccato actuali, & ante Nativitatem ſanctificata. Cur ergo non potuerit a pacto inter DEUM & Adamum inito eximi, & ſic ab omni omninò labe contrahenda præſervari?

XXIV. Reſpond. *Ad. 2. ex Patribus.* hos ex omnibus ſæculis ſurgentis Eccleſiæ apertè pro noſtra ſententiâ ſtare, ut ſupra jam diximus. Quando ergo aliqui ex PP. aſſerunt, ſolum Chriſtum fuiſſe immunèm à macula originali, loquuntur de imunitate vi Conceptionis, abſque viro ſcilicet factæ; B. Virgo autem non fuit libera ex vi præcisè conceptionis, ſed ex ſpeciali Chriſti gratiâ, ac privilegio; quâ eadem gratiâ ſubinde quoque latiore loquendi modo dicitur ab ijſdem mundata, purificata, & purgata ab omni contagione etiam peccati originalis, id eſt, præſervata ab illa ſorde. Alij, quando verbo ſignificant, B. Virginem contraxiſſe originale peccatum, loquuntur non de actuali contractione, ſed aptitudinali ſeu debito contrahendi, & quidem remotè ſolùm. Quo modo etiam intelligendi ſunt, qui B. Virginem dicunt obnoxiam fuiſſe peccato originali: item qui ajunt, eandem habuiſſe carnem peccatricem, id eſt, aptam peccato contrahendo. Epiſtolam inter opera S. Bernardi 174. ad Canonicos Lugdunenſes, quæ incipit: inter Eccleſias, & reprehendit Canonicos iſtos, quod Immaculatæ Conceptionis celebritatem inconſulto Romano Pontifice invexerint, non eſſe D. Bernardi, ut ſibi Salazar c. 35. n. 42, & multi alij perſuadent, ſed cujuſdam Nicolai hominis ſubdoli, qui ipſi ab Epiſtolis fuit: neque iſtum S. Patrem à vera noſtraque ſententiâ unquam diſſenſiſſe, fusè oſtendit P. Joannes Perlinus diſt. 10. c. 12. Et. Diſt. 12. c. 5. Sufficiat hic unicus ejus locus Sermone dè verbis Apocal.. ubi de B. V. ſic ſcribit: *candidiſſimus ſanè & calidiſſimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in eâ non dico tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem aut minus lucidum, ſed ne tepidum quidem aliquid, aut minùs ferventiſſimum liceat ſuſpicari.* At quomodo B. Virgo non fuiſſet minùs lucida, imò tenebroſa, ſi unquam peccato originali ſubfuiſſet; cum de

ijs, qui aliquando in peccato fuêre, Paulus dicat ad Eſphes. 5. v. 8. *eratis aliquando tenebræ, nunc autem Lux in Domino.*

XXV. Quando demum Patres univerſim pronunciant, omnes in Adamo peccaſſe, & exceptionem ſolius Chriſti eſſe peculiarem affirmant, hoc ipſo quod ab univerſalibus propoſitionibus exceperint explicitè Chriſtum, exceperunt ijdem implicitè B. Virginem, quia quodammodo Mater & Filius una ſunt caro ad eum modum, quo SS. Auguſtinus, Hieronymus & alij Patres ajunt, pleraſque ſententias ex his, quæ genes. 2. & 3. de viro dictæ ſunt, ad mulierem extendi, & ampliari; nimirum illas: *ad ſimilitudinem Dei fecit illum: in ſudore vultûs tui veſcêris pane tuo: pulvis es, & in pulverem reverteris &c.* Cum ergo ille primus Adam fuerit umbra ſecundi: & Evæ quoque Maria ſimilitudinem geſſerit, haud à verò alienum eſt dicere, in Chriſto excipi ſimul & excludi Mariam ab univerſali lege & pacto, quæ reliquos homines ſub peccato concludunt. Quod ſi nonnulli ex Patribus & Theologis antiquis aliqua dixiſſent, quæ mitiorem explicationem non facilè paterentur; doctrina, quam tot hodie Sanctitate & ſapientia viri tradunt, & amplectuntur, non idcirco reijcienda eſt. Quis enim dicat, Veteres omnia ſciviſſe, nec quicquam ampliùs è ſecretioris doctrinæ fundamentis erui poſſe, quod mirabilem DEI providentiam, altiſſimamque rerum diſpoſitionem apertiùs declaret? quod infinitam paſſionis meritorúmque Chriſti vim & efficatiam clariùs oſtendat? Quod incredibilem DEI Genitricis Puritatem ſanctitatémque amplius manifeſtet? Aut divina Sapientia omnes ſuos theſauros in veteres effudit nihil poſteris reſervando? multa veteribus planè ignota, hodie per Eccleſiam certa & definita ſunt. Unde pulchrè S. Gregorius Hom. 16. in Ezechiel. ait: *per intervalla temporum crevit ſcientia Patrum.*

XXVI. Reſpond. *Ad 3.* Negando ſequelam Maioris cum Salazar c. 24. à n. 115. Perlino diſt: 12. c. 1. & alijs. Nam non deſunt graves Theologi, qui velint ad veram & genuinam redemptionis proprietatem univerſim neque peccatum originale, neque debitum hujus contrahendi eſſe neceſſarium; ſiquidem neutrum illorum Adamus & Eva habuerunt, & tamen verè & propriè à Chriſto redempti ſunt; quatenus ab actualibus expiati & mundati fuerunt. Atqui in redemtione hominum ab actualibus culpis ex communi omnium Theologorum conſenſu excellentior & dignior eſt redimendi modus, qui à lapſu præſervat, quàm qui ab hoc jam facto iterum erigit. Ergo licet B. Virgo Maria non habuerit originale peccatum, nec debitum hujus contrahendi utpote in pacto DEI cum Adamo non incluſa, fuit tamen verè redempta, nempe ab actualibus & perſonalibus, in quæ incidiſſet, ſi ex Chriſti paſſione ac meritis non fuiſſet præſervata. Imò cum B. V. Maria vi naturæ & originis ſuæ habuerit aptitudinem originalis labis contrahendæ, ab ipſo etiam originali peccato fuit redempta, rigoroſè hanc vocem accipiendo, non quaſi in iſtud fuiſſet lapſa, ſed ne laberetur in illud; quam præſervativæ redemptionis formam D. Dionyſius de diu. Nom. ſic exprimit: idcirco eam redemptionem etiam appellant Theologi ex eo, quod non ſinit ea, quæ ſunt, ad id cadere, ut non ſint. Plura de hoc in Diſput. mea cit.

XXVII. Reſpond. 4. *Ad 4. probationem.* Negando Antecedens, fuiſſe ſcilicet B. Virginem Mariam obnoxiam pænalitatibus, quà talibus. Pro cujus intelligentiâ advertendum ex communi Theologorum. Famem, ſitim, mortem, & ſimilia dupliciter ſpectari poſſe. 1. prout ſunt naturales quædam naturæ humanæ affectiones; hoc ipſo enim, quod homo ex contrarijs inque ſe mutuò agentibus rebus & virtutibus conſletur, oportet ipſum famere, ſitire, male beneque habere, ac tandem corrumpi. 2. prout eædem naturæ humanæ fragilitates poſt violatum pactum & culpam commiſſam à Deo toti humanæ naturæ in pœnam & maledictionem aliquam determinatæ ſunt; ſic etiam reptare ſupra pectus, & comedere terram, erat naturale ſerpenti, hoc ipſum tamen in maledictionem ei eſt verſum poſtquam Evam decepit, ut ex communi Patrum ſententia tradit Cornelius à Lapide c. 3. Genes. v. 14. priori modo ſenſit B. V. fragilitates humanas mortem ſcilicet, famem, ſitin &c. non poſteriore, hoc eſt, quatenus erant pænalitates quædam peccato originali à DEO inflictæ. Hinc SS. Patres quoties Beatiſſimam Virginem affirmant mortis legi obligatam, non culpæ, ſed naturæ tantùm meminerunt. Videri poſſunt apud Salazar c. 47. n. 8. Sufficiat nobis S. Damaſcenus in orat. 1. de dormit. Virginis, ubi quærens, *quo pacto*, inquit, *quæ in partu naturæ leges exceſſerat, nunc ipſius legibus ſubeſt, atq; immaculatum corpus morti ſubijcitur*; reſpondet mox in hæc verba: *oportebat illud exutâ mortalitate induere incorruptionem, præſertim cum nec ipſe quidem Dominus mortis periculum facere recuſârit.* Ecce ſolius naturæ, non culpæ fit mentio. Hiſce obſtare viderut S. Auguſtinus, qui in Pſalm. 34. ſic ſcribit: *etenim ut celeriùs dicam, Maria ex Adamo mortua eſt propter peccatum Adæ, Adam mortuus eſt propter peccatum. Et caro Domini, ex Maria mortua eſt propter delenda peccata.* Verùm non obſtat. Nam dicitur B. Virgo non ideo mortua propter peccatum, quaſi peccati rea fuerit, atque inde neceſſitatem moriendi incurrerit, ſed quia cum peccatum omnibus hominibus eripuerit remedium, quo vitam perennem ducere poſſent; nempe Arborem vitæ, ipſa quoque Virgo ex hominibus & inter homines nata remedio illo caruit, atque idcirco, ex naturali ſuâ conditione morti ſubiacuit; in quem ſenſum ipſe S. Pater ſe explicat Serm. 3. de Aſumpt. B. Virginis aiens, *memores enim conditionis humanæ mortem illam ſubiiſſe temporalem dicere non metuimus, quam idem certè ejus filius, qui & DEUS & homo, lege ſortis humanæ ſuſtinuit: & hoc quia homo de ejus ſuſceptus & profuſus eſt utero.* Eſt tamen ingens adhuc diſcrimen inter Beatiſſmam virginem, & Chriſtum Dominum; quia hic licet mortale corpus induerit, ejus tamen anima erat Beata, atque ideo animæ beatitudo connaturaliter poſcebat, ut corpus illud inter alias gloriæ dotes immortalitatem capeſſeret; quia ſimul DEUS erat & homo, atque adeo poterat ſuam ipſe vitam tueri, ac in æuum producere ſolus inter mortuos liber; ſiquidem nulla illum lex, nullum jus ad mortem ſubeundam adigebat, ſed ipſi mori liberum æque ac voluntarium erat. Quæ alia objiciuntur contra Immaculatam B. Virginis Mariæ Conceptionem aut nullius ſunt momenti, aut certè ex dictis facillimè ſoluuntur. Faceſſant igitur hæretici, ſeſeque erroris & peccati accuſent, dum aſſertam B. V. Mariæ Immaculatam

Concep-

Digitized by Google

Conceptionem temere velut errorem contra S. Scripturam proclamant. Non habet puriſſimum; ſed oſtendit maculas, Speculum.

XXVIII. *Error* (juxta pleroſque DD. Cathol.) *ſextus eſt*: Parvuli abſque Baptiſmo ex hac vitâ decedentes pœnis non tantùm damni, ſed etiam ſenſibilibus ignis æterni tormentis plectuntur. Ita moderni hæretici Lutherani & Calviniſtæ apud Gerhardum L.2.part.3. à fol.455.&Ameſ. Tom.4. à fol.29. quos ſequitur Cornelius Janſenius Iprenſis. Tom. 2. L. 2. de ſtatu Naturæ lapſæ. c. 25. colum. 420. ubi ait: *longè ab Auguſtini & Eccleſiæ mente fortaſſis receſſerunt Scholaſtici, qui parvulis ſine Baptiſmo morientibus immunitatem à ſenſibilibus pœnis ignis æterni tribuerunt.* Probant. Tum quia parvuli iſti ſunt verè damnati, juxta illud ad Rom. 5. v. 18. *per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Tum quia Concilium Florentinum in decreto unionis dicit, *illorum animas, qui cum ſolo peccato originali decedunt, mox in infernum deſcendere.* Tum quia S. Auguſtinus Serm 14. de verbis Apoſt. dixit: *parvulos ituros in ignem æternum & combuſtionem æternam*, Tum quia parvuli non intrabunt in beatitudinem æternam. Ergo in ignem æternum; etenim in has ſolùm duas claſſes Chriſtus in Evangelio dicitur aliquando diviſurus univerſum genus humanum.

XXIX. Errori huic apertè adverſatur Innocentius III. ſupra §. 15. adductus, ubi planè definire videtur, *pœnam peccati originalis ſolam eſſe carentiam viſionis DEI.* Et certè non videtur divinæ bonitati conſentaneum, eos æternis cruciatibus addicere, qui nullum actuale peccatum commiſerunt; cum pœna ſenſûs juxta D. Thomam converſioni ad creaturas principaliter reſpondeat: & ideò delinguenti infligatur, ut ordo per peccatum læſus reſtauretur, dum invitus ſentire cogitur ordinem naturæ ſuæ perturbari, qui ordinem univerſæ naturæ debitum peccando violavit. Adhæc pœna ſenſûs in inferno infligitur ad puniendà illicitè percepta & quæſita gaudia in hac vitâ; ſecundùm illud Apocal. 18. v. 7. *quantùm glorificavit ſe, & in delitijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* Atqui infantes cum ſolo originali decedentes nulla gaudia in hac vitâ illicitè quæſierunt, aut perceperunt. Ergo &c. Unde communis etiam PP. &c. DD. ſententia prædictos infantes à pœna ſenſûs eximit.

XXX. Reſpond. Ad 1. parvulos puniri pœnâ damni, hoc eſt, privatione viſionis DEI, quâ pœnâ poteſt affligi ille, qui ſolùm in alienâ voluntate peccavit; quia eſt mera ſubtractio, & denegatio alicujus boni abſolutè non debiti: nec infantes in aliam niſi in hanc pœnam in Scripturâ damnati leguntur. Dicunt Adverſarij, privationem boni indebiti non eſſe ullo modo pœnam. Reſpond. eſſe pœnam; quando quis erat proximè ad illud bonum deſtinatus; per hoc enim privatio ejuſmodi boni poteſt eſſe materia triſtitiæ, niſi hæc per accidens impediatur. Ad 2. Concilium Florentinum nomine *inferni*, non intelligere locum damnatorum, ſed Limbum puerorum. Nam Hebræi omnem locum ſubterraneum etiam ſepulchrum vocant infernum. Sunt autem intra terram tres cavernæ; prima & infima circa centrum caverna eſt infernus, & locus damnatorum: ſecundus & remotior locus eſt purgatorium: tertius & altior eſt limbus non baptizatorum; ubi tamen non in perpetuum manebunt, ſed poſt finem mundi ex illa ſpecu extrahentur ſupra terram, ubi vitam felicem agent in perpetuum immortalitate donati; ſcientijs infuſis illuminati, & contemplatione perpetuâ occupati, in quâ Philoſophi naturalem beatitudinem collocabant. Ita P. Didacus Ruiz, de voluntate DEI diſp. 61. Sect. 4. n. 3. Quamvis alij aliter nonnihil ſentiant, quos alibi adduxi Ad 3. D. Auguſtinum apertè ſtare pro nobis L.5. contra Julianum, cujus verba ſupra §. 15. retulimus. Unde ex ſerm. 14. itidem citato plus non convincitur, quàm S. Patrem aliquando dubium hæſiſſe; quandoquidem in epiſt. 28. ad Hierony. ita ſcribit: *cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magis, mihi crede, coarctor anguſtijs, nec, quod reſpondeam, prorſus invenio. Doce ergo quid ſentire, quid dicere debeamus.* Sed hoc dubium S. Pater poſtea depoſuit, & ſi etiam in eo perſtitiſſet, alios ipſi P.P. quos ſupra adduximus, opponimus. Ad 4. hæc & ſimilia fuiſſe à Chriſto dicta & intellecta de adultis, quibus tunc prædicabat, ut colligitur ex adiectis: *eſurivi enim, & non dediſtis mihi &c.* quod utique parvulis non poteſt objici. Et hæc de peccato originali.

CONTROVERS. LXI.

DE PECCATO ACTUALI.

Diximus ad initium prioris Controverſiæ, peccatum eſſe triplex Naturæ, Artis & Moris, atque de ſolo poſtremo nos hic agere. Et quamvis Malum, Peccatum & Culpa inter ſe differant, velut ſuperius & inferius, eo quod Malum ſignificet defectum in quacunque re: Peccatum verò defectum in quavis operatione: Culpa denique defectum in Actione morali. In præſenti tamen, ubi de malo & peccato morali agitur, hæc tria inter ſe convertuntur, ſi modò de malo morali formaliter loquamur, etenim aliàs ſæpe aliquid dicitur moraliter malum aut effectivè ſolùm, uti vitium: aut objectivè ſeu materialiter, uti motus turpis indeliberatus; quæ tamen propriè culpæ & peccata non ſunt.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

Doctrina prima. Peccatum Actuale eſt actus moralis malus. Ita S. Thomas 1. 2. q. 71 a. 6. ubi ait, peccatum nihil aliud eſſe, quàm actum humanum malum. *Dicitur 1.* Actus moralis, ſeu humanus, id eſt, intrinſecè & formaliter liber, elicitus cum advertentia ad dictamen rationis ſeu prudentiæ. Debet autem omne peccatum eſſe actus liber, quia partim peccanti imputatur ad vituperium & pœnam, partim quia omne peccatum eſt contra conſcientiam rectam, & dictamen conſcientiæ diſſuadens peccatum, & ſuadens oppoſitum tanquam melius & debitum fieri. Si autem peccatum eſſet neceſſarium, & oppoſitum eſſet impoſſibile, ratio ſuadens unum fieri & alterum omitti, eſſet non recta, ſed ſtulta, idemque faceret, quod

Digitized by Google

is, qui ægroto non potenti ſe juvare diſvaderet morbum, & ſuaderet ſanitatem. Dicitur 2. Malus; eſt enim peccatum dignum odio Dei, & hominum; de Deo patet ex illo Sapient. 14. v. 9. *ſimiliter odio Deo ſunt impius & impietas ejus*; quod autem eſt dignum odio tanquam rationabili averſione præſertim Naturæ ſapientiſſimæ, & res omnes juxta meritum æſtimantis, non poreſt non eſſe ſummum malum. Patet idem etiam in hominibus, ex quibus vix ullus eſt vitæ tam perditæ & profligatæ, quem non ſtatim atque peccavit, ſubeat dolor aliquis ac remorſus conſcientiæ. Hujus autem ratio à priori conſtat ex eo, quod peccatum ſit ſemper aut fere ſemper aliquo modo involuntarium, & ortum ex ignorantia, quæ ſi poſtea per clariorem cognitionem tollatur, & ſic perpetrati malitia peccati meliùs detegatur; dolor inde & pænitentià exnaſcitur.

II. Objici poteſt. Jllud non habet veram malitiam, quod etiam à Deo eſt eligibile. Sed peccatum eſt tale; quia unum peccatum poteſt eſſe pæna alterius, teſte S. Auguſtino, pœna autem poteſt eligi & intendi à Judice. Reſpond. propter hanc ipſam rationem; & quia pæna à Judice verè intenditur: peccatum autem à Deo intendi nunquam poteſt, ſed ſemper fit contra voluntatem illius, negari, quod unum peccatum poſſit eſſe pæna alterius. Et ita docet Card. Pallavicinus 1. 2. diſp. 3. q. 2. a. 4. n. 2. ubi S. Auguſtinum explicat de peccato habituali præſertum originali; cujus perſeverantiam in pænam actualis DEUS aliquo modo cauſat; volens negationem auxiliorum, quibus mediantibus peccator reſpiſceret, & ita peccatum habituale tolleret.

III. Cæterùm propter multiplicem reſpectum peccati ad finem, à quô deviat: ad principium, à quô producitur: ad legem, quam tranſgreditur: ad DEUM, quem offendit, variæ adhuc aliæ definitiones peccati dantur, ut videre eſt apud Authores paſſim. Una eſt reliquis celebrior, quâ peccatum commiſſionis (aut omiſſionis additâ particula non) definitur à S. Auguſtino L. 22. contra Fauſtum c. 17. *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Eſt autem Lex æterna juxta eundem S. Patrem Ratio divina, vel Voluntas DEI ordinem rationalem conſervari jubens, perturbari vetans, ut refert Joannes Amicus de peccatis D. 7. Sect. 1. Non obſtat, quædam fieri contra leges poſitivas & mutabiles. Nam extat lex æterna, ut obediamus præceptis quibuſcumque à legitimo magiſtratu in tempore & pro tempore latis; poſitô ergo præcepto humano jam ponitur materia Legis æternæ; quia ponitur aliquid contentum ſub illo genere Hinc deducitur, malitiam formalem peccati conſiſtere adæquatè in ſolo actu libero, & ne quidem compleri per privationem ſubſequentem actûs oppoſiti debiti, quidquid jam ſit, an detur hujuſmodi privatio. Nam prædicta malitia formalis non eſt aliud, quàm contrarietas ad legem obligantem. Atqui hæc contrarietas formaliter conſiſtit in actu poſitivo; quippe dum peccatur per actum poſitivum, ſemper lex immediatè præcedens obligat ad talem actum non ponendum: & tota obligatio formaliter ſemper cadit ſupra liberam determinationem legi conformem. Ergo libera omiſſio talis actus eſt formaliter contrarietas ad legem. Sed privatio actûs debiti (ſi hæc diſtinguatur ab actu poſitivo) non eſt formaliter determinatio libera. Ergo omiſſio libera, prout eſt formaliter contrarietas ad legem, conſiſtit in actu poſitivo, ut pluribus oſtendunt Scholaſtici, ad quos hæc quæſtio pertractanda ſpectat.

IV. *Doctrina ſecunda.* Non omnia hominum opera ſunt peccata, ſed aliqua ſunt Sancta bona ac laudabilia. Ità omnes Catholici & eſt de fide ex Trident. Seſſ. 6. can. 25. ſic loquente: *Si quis in quolibet bonô opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri &c. Anathema ſit.* Hanc doctrinam ſatis probavimus ſupra Controv. 57. §. 1. & 4. de operibus bonis & horum meritis. Confirmatur hic breviter ex Sac. Script. Math. 5. v. 16. *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona &c.* Atqui peccata non lucent coram hominibus, nec illos incitant ad DEUM glorificandum, ſed potuis ſcandalizant. D. Paulus. 1. ad Timoth. 6. v. 17. hortatur divites bene agere, *& divites fieri in bonis operibus &c.* Pſal. 17. v. 21. David gloriatur: *retribuit mihi dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuit mihi.* Atqui peccatum non eſt juſtitia, nec puritas, ſed maculat manus & animum. Accedit multiplex ratio. 1. ſi omnium hominum opera ſunt peccata, etiam fides juſtificans erit peccatum, quô nihil abſurdius dici poteſt. 2. Concionari, Baptizare, Euchariſtiam ſumere, dare Elemoſinam erunt peccata. Ergo vitamda; ad quæ tamen nos DEUS hortatur. 3. perinde erit orare ac blaſphemare, pejerare, & debitum ſolvere; quia utrumque æquèmalum & peccaminoſum eſt, quæ ſunt abſurdiſſima.

V. *Doctrina tertia.* Non omnia peccata hominum ſunt mortalia, ſed quædam tantùm venialia, ſic dicta; quod facile à DEO veniam obtineant. Eſt de fide ex Tridentino Seſſ. 6. c. 11. dicente: *licet in hac mortali vita, quantumvis ſancti & juſti, in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti; nam juſtorum illa vox eſt & humilis & verax, dimitte nobis debita noſtra.* Idem diſcrimen peccatorum mortalium & venialium deſignat S. Iacobus c. 1. v. 15. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cum conſumatum fuerit, generat mortem.* Ergo cognoſcit aliquod peccatum nec conſummatum, nec generans mortem, adeóq; non mortale. Item S. Paulus. 1. ad Corinth. 3 dicit: quædam hominum delicta igne punienda, ſalvâ tamen æternâ ſalute, ſic enim loquitur v. 15. *ſi cujus opus arſerit* (ſcilicet in judicio DEI.) *detrimentum patietur*, id eſt, punietur, ipſe verò ſalvus erit, quæ eſt manifeſta deſcriptio venialium peccatorum. Sac. Scripturæ conſonant Patres apud Valentiam Tom. 2. D. 6. q. 18. Sufficiat nobis S. Ambroſius Lib. 2. de pænit. c. 10. *Sicut baptiſma, inquit, ita una pænitentia, quæ tamen publicè agitur; nam quotidiani etiam nos debet pænitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Et D. Auguſtinus in Enchir. c. 71. ubi ait: *de quotidianis, levibúſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit &c. delet omnino hæc oratio (Dominica) minima & quotidiana peccata.* Accedit ratio, quæ ſumi poteſt ex humana amicitia rectè inſtituta; eſſet enim ſeveriſſimus is, qui quovis Amici peccato ſic offenderetur, ut amicitiam diſcinderet. Itemque ſeveriſſima eſſet ea amicitiæ lex, contra quam non poſſet peccari leviter, ſalvâ ipsâ amicitiâ. Quare minimè conſentaneum eſſet divinæ

Digitized by Google

divinæ Benignitati, quovis hominis peccato ita DEUM offendi, ut propter illud privet hominem gratiâ & amicitiâ; quod ſi alienum eſt à Bonitate DEI, ut ob quodcunque peccatum arceat hominem à ſua gratia; certè quædam peccata naturâ ſuâ non ſunt talia, ut id mereantur.

VI. Porro quædam peccata dicuntur venialia ex genere ſuo, illa ſcilicet, quorum malitia ex objecto deſumpta adeo ex naturâ ſuâ eſt levis, ut nunquam fieri poſſint mortalia, niſi per acceſſum alicujus circumſtantiæ novam ſpeciem conferentis, uti verbum otioſum, prodigalitas, mendatium &c. è contra ax genere ſuo mortalia dicuntur detractio, furtum; quia manendo intra Speciem, & per ſe loquendo, ſunt peccata mortalia; licet ob parvitatem materiæ vel imperfectam deliberationem fieri poſſint venialia. Unde patet, præter venialia ex genere ſuo dati etiam, venialia per accidens ex levitate materiæ vel libertatis imperfectione, quam ſufficere ad excuſandum à peccato mortali, certum eſt apud Theologos omnes. Qualiacunque autem ſint peccata venialia per ſe, vel per accidens. Conveniunt tamen cum mortalibus 1. quod ſint actus moralis malus, & offendant DEUM 2. quod neutra ſint idonea, ut aſſumi poſſint tanquam media ad obtinendum finem, qualemcunque bonum, juxta illud ad Rom. 3. v. 8. *non ſunt facienda mala ut veniant bona.* 3. quod ad neutrum DEUS poſſit concurrere ſpeciali concurſu per ſe, & ex intentione. 4. denique quod utriuſque ſubjectum proprium & unicum ſit voluntas. Nam ſenſus internus, à quo dirigitur appetitus ſenſitivus, non agnoſcit bonum honeſtum, neque oppſitionem actûs vel obiecti cum DEO, aut illius lege. Ergo capax non eſt alicujus actûs, vel leviter peccaminoſi. Differunt autem 1. quod peccatum mortale ſit materia Sacramenti Pænitentiæ neceſſaria: non item veniale. 2. quod mortale trahat ſecum reatum æternæ pænæ: veniale tantùm temporalis per ſe. 3. Quod mortalia gratiam ſanctificantem, charitatem, alióſque habitus ſupernaturales tollant: non item venialia; ſicuti etiam illa à viſione perpetuò excludunt: venialia tantùm ad tempus. Verùm hæ & plures aliæ differentiæ accidentales tantùm ſunt. Eſſentialiter igitur & intrinſecè peccatum mortale differre videtur à veniali quod illud planè ſit: deliberata & affectiva averſio à DEI voluntate graviter obligante: non iſtud; unde peccatum Mortale breviter & clarè definiri poteſt: *gravis DEI offenſa*: Veniale verò *levis offenſa*; quænam autem mortalia ſint, colligendum eſt vel ex S. Scriptura, vel comuni ſenſu Doctorum & Eccleſiæ, vel ex gravitate materiæ præceptæ ſimul cum intentione Legislatoris, aut modo præcipiendi & prohibendi, vel ex gravi oppoſitione cum charitate erga DEUM, vel proximum, aut ſe ipſum &c.

VII. *Doctrina quartà* Non omnia peccata mortalia ſunt in malitia æqualia, ſed alia alijs deteriora. Ita omnes Catholici & clarè aſſeritur à Chriſto Joan. 10. v. 11. *qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, utique tam Pilati quàm Judæ fuit peccatum mortale, & tamen Judæ fuit gravius. Jdem declarat Matth. 5. v. 22. in ſpeciali peccato iracundiæ, cujus tres gradus ponit. 1. *omnis, qui iraſcitur Fratri ſuo,* (ſcilicet in animo mortem, vel aliud grave malum deſiderans.) *reus erit judicio qui autem dixerit fratri ſuo racha* (id eſt ſtupor inſipiens) *reus erit conſilio: qui autem dixerit fatuè* (& ſi graviorem illi contumeliam intulerit ex illa lethali iracundiâ) *reus erit gehennæ ignis.* Ubi alludit ad civilia Judæorum tribunalia, in quibus leviores culpæ à communi Judicum conſeſſu agitabantur: graviores autem referebantur ad concilium ſeptuaginta duorum ſeniorum: graviſſima verò extra urbem puniebantur in valle, quæ vocabatur geheña, id eſt, vallis triſtitiæ; Nam illic olim infantes in cultum dæmonum igne cremabantur; in cujus flagitij deteſtationem ille locus proſupplicio ignis deſtinatus fuit, adeóque ſignificat Chriſtus, illum quidem graviter peccare, qui in animo continet lethalem iram: gravius verò illum delinquere, qui inſuper in verba contumelioſa erumpit: graviſſimè verò, qui ſummam contumeliam in alterum effundit. Idem diſcrimen peccatorum docet Chriſtus Marc. 3. v. 24. indicans quædam peccata facilè à DEO remitti, alia difficillimè & rariſſimè; ſic enim loquitur: *amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blaſphemiæ. quibus blaſphemaverint; qui autem blaſphemaverit in Spiritum S. non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æternùm delicti.* Scilicet ſecundùm legem ordinariam, rariſſimè enim peccantibus in Spiritum S. conceditur gratia pænitentiæ; quamvis enim omnia peccata totam S. S. Trinitatem conſequenter etiam Spiritum S. offendant, tamen illa dicuntur ſpecialiter repugnare ſpiritui S. tanquam amori divino, quæ directè adverſantur divinæ miſericordiæ contemptim & pertinaciter reſpuendo omnia media, quæ Spiritus S. ad inpetrandam remiſſionem peccatorum inſtillat, cujusmodi media ſunt fides, ſpes, pænitentia &c. ſic enim occluditur via divinæ miſericordiæ. Conſentit etiam S. Ioannes Epiſt. 1. c. 5. v. 16. dicens: *qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem; non pro illo dicò, ut roget quis.* Ubi nomine peccati ad mortem non intellexit quodlibet mortale, ſed quod cum tantâ pertinatia comittitur, ut uſque ad mortem continuandū ſtatuatur; quod maximè contingit in apoſtaſia à fide, ubi Chriſto perpetuò renunciatur & ejus gratia contemnitur; pro his autem apoſtatis non vetat orare S. Joannes, ſed non audet promittere exauditionem.

VIII. *Doctrina quinta.* Non ſola incredulitas aut illa tantùm peccata, quæ fidem excutiunt, ſunt mortalia, ſed inſuper etiam alia plurima: nec viciſſim omnia ſunt venialia, quæ cum fide juſtificante conſiſtunt, ſed ex his quædam etiam mortalia. Eſt de fide ex Trident. Seſſ. 6. c. 15. can. 27. ubi dicitur: *ſi quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum niſi infidelitatis, aut nullo alio quovis, quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato ſemel acceptam gratiam amitti*, *Anathema* ſit. & Can. 28. *ſi quis dixerit, amiſſâ per peccatum gratiâ ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem &c.* Anathema ſit. Jdem habetur in S. Scriptura Matth. 25. v. 41. ubi Chriſtus. ait: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus; eſurivi enim &c.* ex quibus verbis manifeſtè patet, non ſolam infidelitatem, ſed alia etiam longè plura eſſe Peccata mortalia, Non ſola autem eſſe peccata mortalia, quæ fidem auferunt, indicant illa Scripturæ loca, ex quibus conijcitur peccatores etiam graves eſſe in Eccleſia; v. g. ex ſimilitudine areæ, in qua ſunt paleæ & triticum Matth 3. ex ſimilitudinè Sagenæ, in quâ piſces

Digitized by Google

boni ſunt permixti cum malis Matth. 13. ex ſimilitudine decem virginum, inter quaſquinque prudentes, & totidem fatuæ. Ex quibus omnibus clarè infertur, etiam graves quoſdam peccatores eſſe poſſe in Eccleſiâ, adeòque retinere fidem, ac proinde non omnia peccata, quæ mortalia ſunt, tollere ab homine fidem; quod ſignatè tradit Paulus 1. ad Corinth. 13. v:2. ajens, *ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuerò, nihil ſum.* Ubi apertè ſignificat, poſſe fidem eſſe ſine charitate, adeoque cum peccato mortali, ſine quo nunquam abeſt charitas. Conſentiunt Patres apud Bellarm. L. c. de amiſſ. grat. c. 8. Accedit ratio; quia nō omnia peccata gravia adverſantur fidei, ſed tantùm infidelitas; inauditum autē eſt in Eccleſiâ, adulterum, homicidam aut alios graves peccatores, hoc ipſo, quod hujuſmodi peccata committant, fidem amittere, & infideles fieri. Hinc ipſimet Lutherani impium illud pronunciatum Lutheri, *ſolam incredulitatem eſſe peccatum mortale*, reijciunt, ac damnant.

IX. *Doctrina ſexta.* Non omnia peccata Infidelium ſunt mortalia, Sed quædam ex his etiam venialia Ita Catholici Doctores, & habetur ex Tridentino Seſſ. 6. can. 7. ubi dicitur, *ſi quis dixerit, opera omnia, quæ ante Juſtificationem fiunt, quâcunq; ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, anathema ſit.* Probatur. Tum quia ex Scriptura conſtat, quædam peccata ex naturâ ſuâ & objecto eſſe venialia, ut diximus ſupra §. 3. Tum quia in ſcripturâ etiam peccata eadem infidelibus minùs imputantur ad culpam & pænam, quàm fidelibus, in quibus tamen nemo negat, peccata venialia eſſe poſſe. ità Lucæ 12. v. 45. dicitur: *ille autem ſervus, qui cognovit voluntaten Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis; omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendarunt multum, plus petent. ab eo.* Tum quia infideles facere poſſunt quædam opera moraliter bona; cur non etiam peccata quædam ſolùm venialia? Tum quia infidelitas non afficit vel inficit omnia opera infidelium; neque enim omnia opera infidelium, quæ faciunt, ex infidelitate faciunt, cujus ſæpe non ſunt memores, ut alibi docetur.

X. *Doctrina ſeptima.* Non omnia, & ſolùm reproborum Peccata ſunt mortalia, ſed etiam quædam electorum. Ita Catholici D. D. communiter. Prior pars conſtat ex §. 3. cit. ſolùm addo, etiam reprobis quædam peccata tàm mortalia, quàm venialia per pænitentiam remitti poſſe, quæ ante finem vitæ habuerunt. Quo fit, ut in eis etiam venialia eſſe poſſint, quæ talia dicuntur ab effectu ſeu eventu. Poſterior pars eſt de fide, & oſtenditur pluribus Scripturæ exemplis. Nam Adam prædeſtinatus erat; cùm Jrenæus L. 1. c. 31. Tertul. L. de præſcript. adverſus hæretic. Epiph. hæreſ. 46. Auguſt. de hæreſ. c. 25. inter hæreticos numerent Tatianum, qui id negabat; nec tamen dubitari poteſt, Adamum comedendo cibum vetitum, mortaliter peccaſſe, ut conſtat ex Geneſ. 2. v. 17. *quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et ad Rom. 5. v. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt.* David utique prædeſtinatus & juſtus fuit juxta illud Actor 13. v. 22. *ſuſcitavit illis David Regem, cui teſtimonium perhibens dicit; inveni David filium Ieſſe, Virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*; & tamen conſtat, Davidem graviſſimè peccaſſe 2. Reg. c. 11. & 12 & Pſal. 50. ubi ipſemet David deflet adulterium occaſione Bethſabeæ commiſſum.

XI. *Doctrina octava.* Deus verè ac propriè loquendo, nullo modo eſt Cauſa vel Author peccati. Ità omnes Catholici & definitur in Concilio Tridentino Seſſ 6. can 6. his verbis: *ſi quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus, nō minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema ſit.* Probatur ulterius 1. ex S. Script. Sapient. 11. v. 25. *nihil odiſti eorum quæ feciſti*: & Sapient. 14. v. 9. *odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Ex his teſtimonijs ita argumentari licet cum S. Auguſtino L. 1. ad Simplicianum q. 2. DEUS nihil odit eorum, quæ ipſemet operatur. Sed DEUS odit peccatum; Ergo DEUS non operatur peccatum. Pſal. 5. v. 5. dicit David de DEO: *quoniam non DEUS volens iniquitatem Tu es*, Eccleſiaſt. 15. v. 12. *non dicas*, inquit Siracides, *ille*, (DEUS) *me implantavit*, id eſt errare, peccare fecit à ſapientiâ; *non enim neceſſarij ei ſunt homines impij* 1. Joan. 3. v. 8. *qui facit peccatum ex diabolo eſt; quoniam ab initio Diabolus peccat, In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli. omnis qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit*, & v. 10. *omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex DEO.* Plura ejuſmodi teſtimonia videri poſſunt apud Tanner, Tom. 2. D. 4 q. 9. n. 58. Probatur 2. ex Patribus, quorum teſtimonia paſſim obvia ſunt, & copiosè adducuntur à Suarez. in 1. 2. D. 6. n. 9. de peccat. S. Jrenæus integrum opus adverſus hanc hæreſin ſcripſit, teſte Euſebio L. 5. hiſtor. c. 19. Similter D. Baſilius ſcripſit integram homiliam, cujus titulus eſt: *DEUS non eſt Author peccati.* D. Auguſt. tres Libros ſcripſit de Liberô arbitrio, eâ potiſſimum de causâ, ut oſtenderet, DEUM, non eſſe Cauſam peccati, Cæteri Patres fere omnes idem tradunt. Inter quos Chryſoſtomus hom. 23. in Act. Apoſt. *nullus*, inquit, *dicat, DEUS nobis autor eſt malorum.* & infra: *Satius fueris ſexcenties defodi, quàm DEUM audire talia per nos.* Optimè etiam Patres Concilij Arauſicani c. 23. *ſuam*, inquiunt, *voluntatem homines faciunt non DEI, quando id agunt, quod DEO diſplicet.* Rationem aſſignat D. Thomas 1. 2. q. 79. a. 1. quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in DEUM, ſicut in finem. Deus autem omnia inclinat & convertit ad ſe ipſum, ſicuti in vltimum finem. Unde impoſſibile eſt, ut vel ſibi vel alijs ſit cauſa diſcedendi ab ordine, qui eſt in ipſum, adeoquè ut ſit directa cauſa peccati. Rurſus etiamſi DEUS aliquibus non præbeat auxilium, quod ſi præberet, non peccarent; attamen totum hoc facit ſecundùm ordinem ſuæ divinæ Sapientiæ & Juſtitiæ; undè non imputatur ei ut cauſæ peccati, quod alius peccet; ſicuti gubernatur non dicitur cauſa ſubmerſionis navis ex hoc, quod non gubernet navem, niſi quando ſubtrahit gubernationes potens & debens gubernare. Et ſic patet, DEUM neque eſſe indirectè cauſam peccati. Probatur 3. doctrina noſtra ex ipſis hæreticis, qui deteſtabilem ſuam opinionem retractârunt, ut oſtendit Tanner n. 54. Unde Calvinus in admonitione adverſus Libertinos longâ diſputatione probare nititur, DEUM non eſſe cauſam peccati. &c. Theodorus Beza in reſpon. ad Heshuſium, tum in alia ad Caſtalionem diligenter

genter purgat ſe & ſuum Magiſtrum Calvinum ab illâ notâ. Philippus Melanchthon autem Lutheri aſſecla: *crudelis* inquit, *opinio eſt, quæ fecit Deum Authorem peccati, à quâ auribus & animis abhorrere debemus.* Vide Tannerum cit. dub. 4. ad initium. Hic ſcilicet eſt verſipellis hæreticorum genius, ut affirment, negent, prout volunt, & non prout rei veritas, ſed eorum perverſitas dictat.

XII. Cæterùm variæ ſunt cauſæ peccatorum. 1. Voluntas humana, quæ per modum Cauſæ efficientis & materialis ad actum peccaminoſum immediatè cócurrit. 2. ex parte intellectûs ignorantia rerum, quarum cognitio nos à peccato retraheret; unde S. Thomas ait, eſſe tantùm cauſam per accidens, ſeu removentem prohibens. 3. Appetitûs ſenſitivi & paſſionum inordinatio, quæ hominem ad amandum objecta delectabilia impellunt; non obſtante, quod ſint inhoneſta, prohibita &c. 4. Suggeſtiones à diabolo: excitatio ſpecierum in phantaſia: commotio appetitûs: apparitio aliquando viſibilis, propoſitis minis aut præmijs. 5. unum peccatum ad aliud diſponens. 6. Homo exemplo & conſilio &c. ad peccatum inducens, & præſertim aliorum nomine peccans, uti primum parentem feciſſe, conſtat ex dictis de peccato originali; quæ omnia latius explicata videri poſſunt apud. S. Thomam 1. 2. à. quæſt. 75. & alios Scholaſticos.

XIII. *Doctrina nona.* Effectus peccati tam mortalis quàm venialis eſt Reatus pænæ. Ita omnes Catholici D. D. cum S. Thoma 1. 2. q. 87. a. 1. Intelligitur autem per Reatum pænæ non ſolùm obligatio ad pœnam, quæ ex ipſa ſententia & decreto ſupremi Iudicis immediatè oritur, ſed etiam dignitas pœnæ, quæ immediatè in ipſo peccato fundatur. Atquè utroque modo nihil eſt aliud, quàm relatio rationis, ſeu potius denominatio extinſeca. Pœna, generatim loquendo, duplex conſtitui poteſt. Hujus & alterius vitæ; quæ poſterior rurſus eſt duplex damni & ſenſûs. pæna in hac vita ſunt mala tum temporalia, quæ Deus ſecundùm arbitrium ſuum infligit, præcipuè ob peccata publica, & communia totius communitatis. v. g. bella, fames, peſtis &c. tum Spiritualia, quæ conſiſtunt in ſubtractione gratiæ ſeu habitualis ſeu actualis. Item in excæcatione, & induratione; de quibus videri poteſt Leſſius de perfectionibus divinis L. 13. à c. 12. Peccatum mortale perſonale in altra vita inducit reatum pœnæ æternæ tam ſenſûs, quàm damni; quarum illa in privatione viſionis DEI: hæc in cruciatu inferni conſiſtit. Vtramque eſſe æternam docet fides Catholica; nam de priori dicitur 1. ad Chorin. 6. v. 9. *iniqui regnum DEI non poſſidebunt:* de poſteriori verò Matth. 25. v. 41. *ite maledicti in ignem æternum.* Imò illud *ite* ſeu *diſcedite* denotat quandam ejectionem à viſone DEI: Quemadmodum peccati mortalis ita etiam venialis pæna vna eſt hujus vitæ propria, altera alterius. Et quidem pæna in hac vitâ temporalis eſt afflictio varia: Spiritualis verò ex communi Sententia Theologorum eſt imminutio fervoris charitatis, & diſpoſitio ad peccatum mortale. In alterâ vitâ certum eſt duplicem quidem pænam peccato veniali à DEO decretam, nempe pænam damni & pænam ſenſûs, ſed utramque per ſe loquendo ſolùm eſſe temporalem non æternam; pæna damni conſiſtit in dilatione viſionis DEI poſt egreſſum animæ: pæna verò ſenſûs in doloribus, quos animæ perpetiuntur in igne purgatorio, ut tenent omnes Catholici, de quo nos ſupra Controv. 40. fusè egimus. Rationem pro doctrina noſtra aſſignat S. Thomas 1. 2. q. 87. art 1. Quia videmus in rebus naturalibus & humanis quidquid contra aliquem ordinem inſurgit, ab eo ordine & principe ordinis deprimi. At verò, qui peccat, agit contra triplicem ordinem Rationis, Legis humanæ, & divinæ; unde triplicem pænam incurrit, unam quidem à ſe ipſo, quæ eſt Conſcientiæ remorſus, aliam ab Homine, tertiam denique à DEO.

XIV. *Doctrina decima.* Peccata etiam poſt pænitentiam non ſemper ita remituntur, ut nulla amplius vel in hac, vel in altera vitâ reſtet pæna temporalis luenda. Ità omnes Catholici, & habetur in concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 14. & Can. 30. ubi dicitur: *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti, & reatum pænæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exſolvendæ vel in hoc ſæculô vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit, anathemà ſit.* Quemadmodum ergo Rex aliquando reo condonat offenſam, & pænam capitis, quam meritus eſt: & tamen ne videatur omnino neglecta Juſtitia publica, vult illum per aliquod tempus exilio vel carcere puniri, ita DEUS poſt remiſſa peccata ſeu mortalia ſeu venialia quoad culpam & pænam æternam non nunquam reſeruat aliquam pænam temporalem vel in hac vel in alterâ vitâ ſolvendam. Id quod Suadent varia Scripturæ Exemplâ v. g. Moyſis, & Aronis, qui propter peccatum incredulitatis jam jam ipſis remiſſum adhuc puniti ſunt morte corporali Num. 16 v. 12. & Deut. c. 33. v. 48. Item Davidis, qui poſt impetratam veniam adulterij & homicidij punitus eſt morte Filij 2. Reg. 12. v. 13 &c. Eandem doctrinam tradunt Patres, qui ob hanc ipſam etiam cauſam tum Miſſæ Sacrificium tum Satisfactionis uſum commendant, ipſiuſque etiam purgatorij fidem adſtruunt. Unde commodius infra poſt pænitentiæ Sacramentum pluribus hanc doctrinam probabimus, & oppoſitum errorem refutabimus.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. *Error primus.* Omnia hominum opera ſunt peccata, quamtumvis bona videantur. Ita Cornel. Janſenius Iprens. Tom. 2. de ſtatu Nat. Lapſæ. L. 4. c. 18. col. 632. ubi ait: *ita inducta eſt peccandi neceſſitas, ut in omni actu, quo quis legem ſibi videtur vel ſervare vel tarnſgredi, rem alicujus peccati teneatur.* Probat 1. Pelagiani doctrinam ſuam, quod poſſint fieri opera Naturæ moraliter bona, fundant in loco Apoſtoli ad Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent &c. naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* 2. Libertas arbitrij ad faciendum bonum in peccato prorſus perijt, nec ad unum reſtat. 3. Nullum omnino fieri poteſt opus bonum, hoc eſt, ſine peccato, niſi in DEUM propter ſe dilectum referatur: alioquin neque rectè fit, neque bonum opus eſt, ſed verè peccati contaminatione pollutum

tum. Error iſte vix differt ab illis erroribus, quos ſupra Controv. 46. & 47. rejecimus. Item à nonnullis propoſitionibus Michaelis Baij damnatis in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quam recitat Suarez. Tom. 1. de Grat. Prolog. 6. c. 2. Reſpond. ad 1. Cenſuram illam Ianſenij à prædictis Pontificibus damnatam eſſe Propoſit 43. Et interpretatio illius loci D. Pauli, quam Pelagianiſmo accenſet, omnium ferè eſt Sanctorum Patrum, Interpretum, ac Scholaſticorum; utriſque igitur Ianſenius graviter eſt injurioſus. Ad 2. Cum D. Auguſtino de Spiritu & Litt. c. 27. non uſque adeo in anima humana imaginem DEI terrenorum affectuum labe detritam eſſe, ut nulla in eâ veluti extrema lineamenta remanſerint. Non igitur ita extincta cenſeri poteſt libertas arbitrij, ut in nullo prorſus opere poſſit ſe rectæ rationis & legis regulæ conformare. Videri poſſunt, quæ ſupra Controv. 46. cit. dedimus. Ad 3. apud omnes Theologos hactenus indubitatum fuiſſe, dari tam Theologicarum, quàm moralium virtutum actus nullo charitatis motivo informatos; ac proinde ex charitatis defectu nihil obſtat, quominus intra Naturæ limites actus moraliter boni dentur. Varia loca S. Scriptuæ Concil. & Patrum, quibus naturæ hominis negari videtur poteſtas bene operandi, intelligenda ſunt de operationibus ad ſalutem & pietatem Spectantibus. Videatur Tanner Tom 2. diſp. 6. q. 3. dub. 3. Dicent Adverſarij ſi factores Legis juſtificantur, ut aſſerit Paulus in probat. 1. allegatus: Et Gentiles ſolo lumine & vi naturæ faciunt legem, ut idem affirmat. Ergo Gentiles ſolo lumine & vi naturæ juſtificantur; quod eſt Pelagianum. Scrupulus iſte olim inceſſit D. Auguſtinum. Sed facilè eximitur diſtinguendo Majorem: factores enim non partium aliquarum, ſed totius legis juſtificantur. Iam verò Gentiles ſolis naturæ viribus non totam legem naturalem, ſed ſolùm aliquas ejus partes faciunt aut facere poſſunt.

XVI. *Error ſecundus.* Omnia peccata eſſe Mortalia. Ita poſt antiquos aliquos hæreticos noſtri temporis Sectarij Calvinus L. 2. Inſtit. c. 8. §. 58. & 59. & L. 3. c. 4. §. 28. Ameſius tom 4. contra Bellarm. à Fol. 9. cæterique Calviniſtæ, Lutherus aſſert. articuli. 32. & Lib de Captivit Babyl. tit. de baptiſ. tom. 1. Wittenb. pag 78. Melanchthon in loc. com. tit. de peccat. actual. Kemnit. in Exam. Trid Seſſ. 6. c. 11. q. 3. de bonis operib. & Seſſ. 14. ubi de pænitentiâ agitur, Gerhardus in Jſag. à fol 912. Qui tamen, uti in hac re omnes contra Catholicam doctrinam Sentiunt, ita diſſentiunt inter ſe. Lutherani peccata mortalia cenſent eſſe non ſolùm infidelitatem, ſed etiam peccata, quæ admittuntur contra conſcientiam, hoc eſt, apertè contra legem divinam, aut etiam ex craſsâ ignorantiâ: venialia verò appellant in primis ea, quæ ob corruptionem, ut ajunt, & infirmitatem neceſſariò admittuntur, ut ſubitæ dubitationes de Deo, & motus ſubiti ſenſualitatis, atque omnia demùm opera Juſtorum, quatenus perfectione integræ juſtitiæ deſtituuntur, ut videre eſt apud Melanchthonem & Kemnitium loc. cit. Calvinus autem peccata mortalia abſolutè ſolùm vocat peccata reproborum, propter quæ damnantur: venialia verò prædeſtinatorum, quæ illis condonantur ſaltem poſt fidem, ut colligitur ex eodem Calvino L. 3. Juſtit. c. 2. §. 11. cui conſentiunt Calviniſtæ apud Ames. loc. cit. & videtur etiam adſtipulari Gerhardus fol. 613. Jſagogæ, ubi ait, venialia ſolùm dari in renatis, non autem in non-renatis, per quos nonrenatos utique intelligit reprobos. Probant 1. per ea Scripturæ loca, in quibus peccatum quodvis ſignificatur morte dignum. Ezechiel. 18. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* ad Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors*; ubi Apoſtolus ſine ulla exceptione de peccato loquitur. Jacobi 2. v, 10. *qui offenderit in uno factus eſt omnium reus.* 2. Ex illo Math. c. 5. v. 18. *qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Ubi, inquit Gerhardus fol. 917. taxat hunc errorem; quod ſint præcepta quædam minima, quorum tranſgreſſio non mereatur æternam mortem, eique opponit allatam deciſionem. 3. Deuteron. 27. v. 26. *maledictus, qui non permanet in ſermonibus Legis hujus.* Ex quo colligitur, omne peccatum, cum ſit contra legem divinam, maledicto divino adeóque morti obnoxiam eſſe. 4. SS. PP. vehementer exaggerant malitiam peccatorum venialium, utique hoc non facturi, niſi in his *per ſe mortalem culpam agnoſcerent.* 5. Peccatum veniale offendit infinitam DEI Majeſtatem. Ergo infinitam malitiam habet; cum ex dignitate perſonæ offenſæ creſcat malitia offenſæ, ut etiam docent Theologi Pontificij. 6. Peccatum veniale poteſt à Deo nunquam remitti, adeóque ſemper puniri; imò juxta D. Thomam. 2. 2. q. 83. art. 5. peccata venialia ante mortem non deleta in damnatis ſempiterno ſupplicio reipsâ afficiuntur, cui conſentiunt non pauci Theologi Pontificij. 7. DEUS ob ſolum etiam peccatum veniale abſolutè poteſt hominem, quantumvis juſtum, æternùm damnare; cum ſeclusâ promiſſione poſſit innocentem etiam æternis ſupplicijs addicere, ut itidem aliqui Pontificij DD. tenent. Ergo peccata ſolùm ſunt venialia ex DEI miſericordiâ, non naturâ ſuâ. 8. minima opera bona ex ſententia multorum Pontificiorum merentur vitam æternã. Ergo & minima peccata merentur mortem æternam. 9. Malum culpæ etiam leviſſimæ majus eſt quolibet malo pænæ; potius enim ſubeunda eſt quævis pæna, licet graviſſima, quàm peccatum etiam leviſſimum perpetrandum. Ergo juſtè poteſt quælibet culpa puniri à DEO quâlibet pænâ etiam mortis æternæ. 10. aliqui etiam Pontificij DD. nullum peccatum ex naturâ ſuâ veniale agnoſcunt, ut Joan. Gerſon 3. P. operum de vita Spirit. Lect. 1. Almain, Roffenſis &c. 11. Incredibile eſt, inter duo furta ſolius nummi diſcrimine diſtantia unum eſſe mortale, alterum veniale; & tamen volunt Theologi ex mille v. g. furtis unius numi pleraque antecedentia eſſe ſolùm venialia peccata, tandem verò deveniri ad furtum mortale ex uno nummo.

XVII. Errorem hunc damnârunt Pius V. & Gregorius XIII. Summi Pontifices in Bulla contra Michaelem Bajum Anno. 1579. edita. ubi inter alios recitatur & damnatur hic articulus: *nullum eſt peccatum ex naturâ ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pænam æternam*; & jure meritiſſimo damnatur. Nam lumine Naturæ perſpicuum eſt; inter optimos etiam amicos nonnunquam intercedere aliquas leves offenſiunculas, quas tamen amicus non poſſet rationabiliter ita graviter apprehendere, ut propterea diſſolveret amicitiam; imò ipſa amicitia ſemel inita requirit, ut hujus modi offenſiunculæ moraliter vix evitabiles

facile

Digitized by Google

facilè remittantur. Atqui DEUS eſt amicorum ſynceriſſimus, & moraliter eſt impoſſibile, nihil nos illi diſplicens committere juxta illud Iacobi 3. v.2 *in multis offendimus omnes.* Et Ioan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt.* Adhæc amicitia Dei moraliter debet obſervari poſſe, aliàs in effectu proinde foret, ac ſi eſſet impoſſibilis. Ergo ex naturâ rei debent etiam reſpectu DEI eſſe quædam offenſiunculæ leves, quæ cum ejus amicitia conſiſtere valent. Plura contra hunc ipſum errorem diximus ſupra §. 4. Argumenta in oppoſitum produnt magnam ignorantiam apud hæreticos Scripturæ & doctrinæ Patrum & Pontificiorum. Itaque

XVIII. Reſpond. *ad 1. Argumentum in oppoſitum.* Ex Ezechiele & ad Rom. &c. Hæc & ſimilia loca intelligenda eſſe de ſolis gravioribus peccatis, & de præcipuo analogato peccati, nempe de peccato mortali: non veniali; quod etſi peccatum quoque abſolutè dici poſſit, eſt tamen in genere peccati & cùm mortali comparatum quiddam imperfectum, ſicut ferè accidens reſpectu Subſtantiæ eſt ens quoddam imperfectum. *Ad 2.* D. Chriſoſtomum & Theophilactum in cit. locum Matthæi intelligere ea mandata Chriſti, quæ iſte ſupra juſtitiam Scribarum & Phariſæorum adjecerat; nempe non concupiſcendum, non iraſcendum, non fatuum appellandum proximum, non odio habendum inimicum &c. Et quia Phariſæi & Scribæ internum conſenſum in adulterium &c. minimi faciebant, Chriſtus ex opinione iſtorum eadem mandata vocat minima, etſi in ſe ſint maxima, maximique facienda: At tranſgreſſores eorundem dicit minimos, id eſt, ultimos viliſſimos ac nullos; quia in cælo nullus eſt ultimus, nullus vilis; unde notat Tirinus in cit. loc. Chriſtũ luſiſſe amphibologicè in voce *minima* & appellaſſe mandata impropriè minima, cùm reverà in ſe magna eſſent: tranſgreſſores verò propriè minimos, id eſt, viliſſimos, ultimos, imò nullos, cum in cælo nullus ſit vilis &c. *Ad 3.* Inde ſolùm colligi, divinam maledictionem incurri per omne illud peccatum, quod ita eſt contra divinam legem, ut ſit etiam contra finem legis, qui eſt charitas; qualia tamen non ſunt peccata venialia. Ait Ameſius; Apoſtolum ad Galat. 3. v. 10. extendere maledictionem & Benedictionem legis ad opera etiam leviſſima. Sed probet hoc Puritanus; ubi enim fit mentio in univerſa lege de verbo otioſo, gloriolâ inani, mendatiolo levi. &c.

XIX. *Ad 4.* Meritò à SS. PP. magni æſtimari peccata venialia, Tum quia reverà per ſe magna ſunt, ita ut ne quidem pro totius mundi lucro ſint committenda. Tum quia diſponunt ad mortale; in quem ſenſum D. Baſilius in Quæſtionibus compendio explicatis quæſt. 4. dicit, *peccatum etiam veniale eſſe ſtimulum mortis.* Et Auguſt. Epiſt 108. ad Seleuc. docet, *multis venialibus peccatis in unum collatis perinde nos gravari poſſe, ſicut per unum aliquod grande peccatum*; non quaſi ipſa per ſe venialia peccata, quantumvis multiplicata, mortale peccatum conſtituere poſſint, ſed quia diſponere ac inducere tandem ad mortale valent. Quando verò D. Baſilius quæſt. 239. ait, nullam in lege nova inveniri differentiam, aliud dicere non vult, quàm in lege nova, Interprete Chriſto Mathæi 5. nullum eſſe peccatum non prohibitum, ac interdictum, cum ex falſa interpretatione Scribarum multa peccata in lege antiquâ non cenſerentur interdicta. *Ad 5.* Negando conſequentiam. Nam etſi DEUS infinitus offendatur; attamen offenditur finitè; neque enim ſemper offenſa tantam habet malitiam, quantam dignitatem habet iſte, qui offenditur e. g. offendi poteſt Regia dignitas omiſſione alicujus obſequij, neque tamen neceſſe eſt, ut quanta dignitas ſit Regis, tanta ſit offenſæ gravitas, ut ſatis patet ex dictis. *Ad 6.* Peccatum veniale juxta ſententiam S. Thomæ per accidens ſolùm nunquã remitti, atque æternùm quandoque puniri ob adjunctum ſcilicet peccatum mortale; non autem per ſe, & merito ſuo; ac proinde nec per ſe ac naturâ ſuâ dignum eſſe æternâ pænâ. Dixi juxta ſententiam S. Thomæ, mitiorem enim opinionem dedimus in Controv. 40. de Purgatorio ex Scoto, Bellarmino, Arriaga & alijs. *Ad 7.* Negando conſequentiam. Nam ſi DEUS id faceret, non faceret id præciſè, ut Judex ac vindex peccati, nec adeo ex natura & merito ipſius peccati ſed ut abſolutus Dominus, qui re ſuâ uti poteſt, ut lubet, uti aliqui ſentiunt. Et licet alioquin Deus ſuo arbitratu cujuſvis peccati materiam, quantumvis per ſe exiguam, juſta de cauſâ præcepto poſitivo vetare poſſet ſub peccato mortali, uti patet in præcepto dato ipſi Adamo, non tamen convenienter rerum naturis; ac præciſè, ut Judex legem ferre poſſet, quâ peccatis venialibus, quatenus talibus præſertim ex ſubreptione ac imperfectione actûs, pæna æterna per ſe decerneretur.

XX. *Ad 8.* Conceſſo Antecedente; negatur Conſequentiam. Nam inprimis dare minimo operi maximum præmium ingens liberalitas & miſericordia foret: dari autem minimo peccato pænam maximam Injuſtitia & Crudelitas foret. Deinde dare calicem aquæ frigidæ ex charitate Dei non opus minimum, ſed magnum valde eſt & meritorium vitæ æternæ; huic autem operi bono non eſt opponendum peccatum veniale, quod ſimul cum charitate conſiſtit, ſed mortale, quod charitati repugnat. *Ad 9.* Negando Sequelam. Nam licet malum culpæ majus ſit, quàm malum pænæ (pæna quippe eſt propter culpam) attamen cùm veniale peccatum ſit levis culpa, ex juſtitia etiam levi pænâ plecti debet, Punire autem pænâ æternâ in genere mali pænæ majus eſt malum, quàm peccatum veniale in genere culpæ; ſiquidem culpa venialis in ſuo genere eſt levis & exigua; punire verò pænâ æternâ in genere mali pænæ eſt ſummum malum. Quare juſtitiæ conveniens non eſt, ut tantilla culpa tam gravi pænâ plectatur. *Ad 10.* Hos Authores ſine dubio à communi Catholicorum ſenſu turpiter deflexiſſe, hæreſis tamen non damnari à pleriſque Theologis, ſiquidem Subſtantia, inquiunt, dogmatis Catholici eſt; quod diſtinctio ſit inter peccatum Mortale & Veniale; qualis autem illa ſit, ad fidem non pertinet, Itaque etiam iſti Catholici differunt adhuc ab hæreticis. Tum quia concedunt, aliqua eſſe venialia peccata abſolutè & ſecundùm ſe abſque ullo reſpectu ad certas conditiones, ad certas perſonas, fidei prædeſtinationis &c. Tum quia fatentur peccata venialia re ipsâ & ſecundùm præſens decretum DEI pænam ſolùm venialem mereri, quantumvis æternâ etiam pænâ puniri à DEO potuiſſent. tum quia nulla alia annectunt corollaria de incredulitate; non imputatione, reprobatione &c. ſicuti hæretici faciunt, qui idcirco recedunt non ſolùm à comuni ſententia Scho-

Digitized by Google

tia Scholaſticorum, ſed etiam à fide, abſolutè & univerſim affirmantes, omnia peccata ex ſe, & naturâ ſuâ eſſe mortalia. *Ad* II. & ultimum, nihilomagis hoc apparere incredibile, quàm hominem uno tandem vitro exhauſto fieri ebrium, ac peccare eum mortaliter, qui prius plura ſimilia vitra ſobriè, & abſque peccato ſaltem graviore ebibit. Quemadmodum igitur hoc ultimum vitrum, quô inebriatur homo, non ſpectatur ſolùm ſecundùm ſe & præciſè, ſed ut complementum omnium priorum, & ut iſta in ſe quaſi complectitur, ita ultimus numus conſtituens gravem materiam & peccatum mortale non ſpectatur ſolumodo ſecundùm ſe & præciſè, ſed ut complementum omnium priorum numorum furtim ablatorum illos in ſe quodamodo comprehendens; quâ ratione utique differt à ſingulis nummis ſecundùm ſe præciſe ſumptis. Videatur in Centurijs meis Cas. Select. Cent. 1. Cas. 32.

XXI. *Error Tertius eſt* Stoicorum, & Joviniani hæreticorum, de quo errore Joviniani S. Auguſtinus L. de hæreſ. c. 82. ita Scribit: *hic omnia peccata paria dicebat, ſicuti ſtoici Philoſophi.* Fundamentum Stoicorum eſt, quòd omnia peccata committantur exorbitando à recto rationis tramite: Joviniani verò, quod in ſcriptura duo tantùm ordines hominum conſtituantur, bonorum ſcilicet & malorum Math. 22. v. 33. *ſtatuet oves à dextris, hædos verò à ſiniſtris.* Error iſte eſt contra expreſſam Chriſti doctrinam aſſerentis quædam peccata gravius puniri, adeóque graviora in ſe eſſe. Lucæ 12. cit. v. 47. *ille ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et ſanè lumini naturæ contradicit, qui aſſerit, ejuſdem eſſe criminis nec plus mereri pænæ homicidium, quàm colaphum, furtum mille florenorum, quàm unius &c. Ad fundamentum Stoicorum dicimus, peccata omnia eſſe paria ſecumdùm comuniſſimam generis rationem, non ſecundùm rationes proprias. Ad Joviniani verò nihil impedire, quo minùs ſub utróque illo ordine bonorum & malorum hominum variæ reperiantur differentiæ, cum diſcrimen etiam ſit inter pecus & pecus, & unum pingue, alterum macilentum &c.

XXII. *Error quartus* eſt, DEUM eſſe cauſam peccati. Ita Calvinus, qui L. 1. Inſtit. c. 17. §. 5. ſic ſcribit: *ego plus concedo; fures & homicidas & alios maleficos divinæ eſſe Providentiæ inſtrumenta, quibus Dominus ipſe ad exequenda, quæ apud ſe conſtituit, judicia, utitur* Et c. 18. §. 1. *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipſe, DEUS tamen clavum tenet.* Et ibidem §. 3. *Et jam ſatis oſtendi, DEUM vocari omnium eorum Authorem, quæ iſti Cenſores volunt otioſo tantùm conſenſu contingere.* Hauſit doctrinam iſtam Calvinus à Zwinglio, Luthero, Melanchthone. Nam Ewinglius Serm. de provident. ad Cattorum principem c. 6. ait; *quando facimus adulterium, aut homicidium, Dei opus eſt Motoris Authoris, Impulſoris.* Lutherus ſcripſit hæc verba: *mala opera in impijs Deus operatur;* quæ verba, inquit Becanus in Manual. L. 3. c. 5. q. 5. n. 2. ejus diſcipuli eraſerunt. Philippus Melanchthon præ omnibus à Luthero laudatus ad c. 8. epiſt. ad Romanos Editione 1. ait: *adulterium Davidis, & proditio Judæ eſt propriè opus DEI, ſicut vocatio & converſio Pauli.* Ante omnes autem hos prævierunt Simon Magus, ut refert Vincentius Lirinenſis in ſuo comment. c. 34. Et antiqui Hæretici Cerdoniſtæ. Marcioniſtæ, Priſcillianiſtæ, Albigenſes, Florino & alij. Calvinum autem ſecuti fuerunt Libertini, & nonnulli (inter quos eſt Hieronymus Zanchius L. 1. de Nat. DEI c. 2.) in Holandiâ, licet alij adverſentur, ut videre eſt in decreto DD. Generalium Statuum Holandiæ, quod Anno 1660. Hagæ-Comitis in Holandiâ idiomate Germanico-Belgico fuit impreſſum. Probant 1. ex Sac. Scriptura. Pſalm. 104. v. 35. ait David, *DEUS convertit cor eorum (Ægyptiorum) ut odirent populum ejus, & dolum facerent in ſervos ejus.* Exod. 10. v. 1. *Ego (Dominus.) indurabo cor Pharaonis & Servorum ejus.* 2. Reg. 24. v. 1. *addidit furor Domini iraſci contra Iſraël commovitque David in eis dicentem: vade, numera Iſraël & Judam;* quæ numeratio ex Superbia orta graviter offendit DEUM & peſte mulctata eſt. Eodem L. c. 16. v. 10. *dimitte eum (Semei.) ut maledicat; Dominus enim præcepit, ut malediceret David? & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Genes. 45. v. 8. Joſeph injuriam illatam à Fratribus DEO adſcribit: *non veſtro Conſilio, ſed DEI voluntate huc miſſus ſum.* & c. 50. v. 19. addit: *non DEI poſſumus reſiſtere voluntati.* Ad Romam. 1. v. 28 Apoſtolus pravos mores Gentilium DEO attribuit, *tradidit illos DEUS in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Amos. 3. v. 6. *non eſt malum in civitate, quod non fecit Dominus.* Demum Math. 6. v. 13. Chriſtus nos docuit ſic orare: *& ne nos inducas in tentationem,* undeſic argumentantur. Si Deus inducit in tentationem, tunc eſt cauſa peccati. Sed inducit in tentationem, alioquin fruſtra deprecaremur. Ergo eſt cauſa peccati; quemadmodum ſi nauta nos induceret in gurgitem, ubi ſubmergeremur, eſſet cauſa noſtræ mortis, neque noſtro liberò arbitrio adſcribi poſſet interitus.

XXIII. Probatur 2. ratione. 1. DEUS impellit & cogit ad peccatum. 2. Idem jubet Impijs & Satanæ, ut maleficia concipiant. 3. Impij, dum peccant, ſunt inſtrumenta DEI primarij Authoris. 4. DEUS procurat & quidem efficaciter, ut aliquis peccet. Ergo ejus peccati veriſſimus eſt author & cauſa. 5. DEUS ad eundem planè actum malum concurrit per eandem indiviſibilem actionem cum cauſa creata. Ergo non minùs erit cauſa phyſica illius, quàm homo. 6. DEUS eſt cauſa per ſe & author cogitationum illarum, quæ ſuadent & alliciunt ad objectum delectabile prohibitum. Ergo ſaltem erit cauſa moralis, ſcilicet ſuadens, conſulens &c. 7. Omne bonum eſt ens participatum à DEO, & conſequenter etiam volitio tendendi in obiectum prohibitum. Ex hoc autem videtur omnino conſequens eſſe, quod Deus ſit principium & cauſa volitionis. Si autem Deus eſt cauſa volitionis, quomodo non erit etiam cauſa malitiæ peccaminoſæ, cum hæc etiam in Theologia aliquorum Pontificiorum cum actu poſitivo ejúſque bonitate phyſicâ ſit adæquatè identificata, & ex certa philoſophia impoſſibile ſit, aliquid eſſe cauſam alicujus effectûs, quin pariter ſit cauſa omnium eorum, quæ cum eôdem realiter ſunt identificata. 8. Quidquid DEUS efficaciter vult fieri, id neceſſariò ſit neceſſitate antecedenti; & conſequenter DEO adſcribitur, tanquam cauſæ & Authori. Sed quidquid ſit, Saltem quoad materiale, id DEUS efficaciter vult fieri. Ergo quidquid, quoad materiale ſaltem, ſit, neceſſariò ſit neceſſitate antecedenti quæ repugnat libertati adeóque non poteſt non fieri ſic volitum, niſi à DEO tanquam cauſa, juxta illud Iſaiæ. 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas*

Digitized by Google

luntas mea fiat. Et Eſther 11. v. 9. *Domine* DEUS *omnipotens, in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* Hanc autem neceſſitatem eſſe antecedentem, inde patet, quod non præſupponat effectûs futuritionem, ſed eam cauſet. Minorem ultrò concedunt Theologi graves aſſerentes, non ſolùm omnia opera bona, ſed etiam mala ſaltem quoad materiam, ſeu materialiter, prius quàm fiant, & antequam futura prævideantur, prædeterminari, & prædefiniri à Deo per efficacem voluntatem, quâ ea vult fieri; quid ni igitur ſit omnium author & cauſa?

XXIV. Pro diſſolutione argumentorum in oppoſitum, & declaratione doctrinæ Catholicæ; quomodo DEUS non ſit Author peccati. Advertendum, hæc duo, tametſi apud multos idem ſignificent, diverſa tamen eſſe, & plus dicere: eſſe Authorem, quàm Cauſam. Nam Author non tantùm eſt principium influens, ſed etiam alia comprincipia ad operandum dirigens & ſuâ directione determinans quaſi ad productionem talis effectûs. Ita Franciſc. Oviedo in 1. 2. Tract. 6. Contr. 7. n. 17. à quo non videtur recedere Card. Pallavicinus. L. 1. c. 17. n. 214. ubi, ille, inquit, eſt propriè author alicujus effectûs, qui vel determinat contingentiam illius ad unam partem, vel ponit media, ex quibus ſequitur iſta determinatio, eum intendendo; ut proinde eſſe authorem videatur principium intellectuale includere: non verò eſſe cauſam per ſe, quæ nihil eſt aliud, quàm principium influens in effectum ex intentione; ex cujus defectu neque natura dicitur cauſa partialis monſtrorum, neque potentia Locomotiva cauſa per ſe claudicationis, quæ exempla affert S. Thomas, quia licet influant in tales effectus, non tamen ex intentione, vel ulla ordinatione ad illos.

XXV. Hinc *infertur 1.* & oſtenditur, cur Deus neque Author, neque Cauſa dici poſſit ipſius peccati. Nam quantumvis influat in entitatem actûs peccaminoſi, hoc tamen præcisè facit ex officio Cauſæ primæ, & univerſalis, atque ex debito juſtitiæ gubernatricis, quæ conformiter Infinitæ Sapientiæ & Bonitati ſubvenit cuique cauſæ, juxtà exigentiam ſuam. De reliquò neque determinat effectum peccaminoſum, utpote offerens concurſum prorſus indifferentem, & hunc ipſum tantùm ideo, quia oblatio iſta eſt neceſſaria ad actum moraliter bonum, & liberam ac laudabilem abſtinentiam à malo actu: neque ponit ullum medium vel cauſam eâ intentione, ut ſequatur iſta determinatio. Eſt quidem Author & Cauſa voluntatis cogitationum allicientium, ac totius actûs primi ad peccatum præſuppoſiti, per hæc tamen non intendit peccatum, ſed actum bonum oppoſitum, idque non tantùm intentione elicitâ, quâ unicè optat prodire actum bonum, propoſitis etiam præmijs ad illum alliciens, & graviſſimis pænis à contrario malo obſterrens, ſed etiam intentione innatâ, ut docet citatus Cardinalis, quâ ipſius omnipotentia eſſentialiter eſt inclinata ad bonum. *Infertur 2.* Cur DEUS non tantùm boni operis & actûs honeſti, ſed etiam omnium aliorum effectuum, ſolo peccato excepto, ſit Cauſa per ſe, & propriè; quia ſcilicet ad omnes concurrit vel immediatè & ut Cauſa particularis, vel remotè per cauſas ad hunc finem à ſe ordinatas & ad tales effectus producendos inſtitutas, uti eſt voluntas, & totus actus primus liber, ex quo volitiones bonæ, & aggregatum illud, ex quo monſtra, claudicationes & ſimilia procedunt. *Infertur 3.* Cur, licet omnis bonitas phyſica ſit quædam participatio, ſeu ſimilitudo bonitatis Divinæ, DEUS tamen Author & Cauſa eſſe non poſſit, quotieſcunque eſt identificata cum malitia morali. Quia videlicet talem bonitatem neque determinat, neque ponit quidquam ex intentione cauſativum talis bonitatis, quæ moraliter & identicè ſit malitia moralis & peccaminoſa. Unde Eſparza de Actibus hum. q. 28. ad 2. categoricè pronunciat, DEUM non eſſe Authorem malitiæ peccati, ne identicè quidem, aut materialiter, aut ſub quacunque aliâ limitatione, quod præter Molinam Suarez. & alios amplectitur Tanner loc. cit. n. 98. qui plures modus loquendi minùs tutos ibidem affert & reprobat. Quamvis autem DEUS non ſit propriè Cauſa etiam indirecta, quatenus per ſuas inſpirationes & gratias efficaces non impedit peccatum; quia ad hoc requiritur, ut non ſolùm potuerit ſed etiam debuerit impedire peccatum, ut indicat & explicat S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 1. in corp. exemplo Navarchi, quin tamen DEUS ſit cauſa peccati indirecta, hoc eſt merè permiſſiva, non eſt negandum, & ex communi aliorum concedit Arriaga Tom. 3. diſp. 8. n. 45.

XXVI. Cæterùm quodnam ſit objectum hujus decreti divini, videri poſſunt Scholaſtici, à quibus plerique docent, illud eſſe disjunctivum quoad ſpecies actuum; determinatum verò quoad ſingula individua cujuſque Speciei. Offert videlicet Decretum prædictum DEI concurſum vel ad determinatum individuum actûs boni, vel ad determinatum individuum actûs mali, cujus tamen mali actûs DEUS non eſt cauſa, quia indifferenter ad hunc vel oppoſitum actum bonum ſe habet. Sed his tria maximè obſtare videntur 1. quod Patres dicant, *quidquid* DEO *volente fit, id fieri, Authore* DEO. 2. Si decretum illud disjunctivum dicat: volo ut Petrus vel amet, vel non amet, non eſt liberum; ſiquidem ex duobus contradictorijs unum neceſſariò ponitur. 3. qui vult aliquid disjunctivè, adhuc verè illud vult, & eſt cauſa illius; unde non licet ſuadere bellum juſtũ vel injuſtum. Ergo DEUS per disjunctionem hanc nec dum eximitur à ratione cauſæ ſimpliciter dictæ. Verùm nihil horum obſtat; ut citati Authores pluribus oſtendunt, quibus cum breviter Reſpond. *Ad 1.* Patres intelligendos eſſe voluntate aliquâ determinatâ, & poſitivâ inclinatione. Videri poſſunt apud Card. Pallavicinum in Libell. de Act. hum. n. 119. *Ad 2.* amare & non amare eſſe quidem contradictoria disjunctivam neceſſitatem habentia: non verò amare liberè, & omittere amorem liberè; etenim inter hæc duo datur medium, ſcilicet amare neceſſariò; quod tunc fieret, ſi DEUS offerret concurſum determinatum ad ſolam v. g. omiſſionem amoris liberi *Ad 3.* negando paritatem. Nam ſuaſio disjuncti tunc ſolùm habet locum, quando utrumque membrum disjuncti omitti poteſt; unde malè utique ſuadetur bellum juſtum, vel injuſtum; cum unum ex iſtis fieri non debeat. DEUS autem concurſum ſuum indifferentem ita ad utrumque offert, ut tamen bonum ſuadeat, malum diſſuadeat. Intereſt autem Naturæ rationalis habere hunc concurſum indifferentem, ſine quo laudabili-

Digitized by Google

dabiliter operari non poteſt. Nunc ad argumenta Adverſariorum ſupra §. XXII. allatorum.

XXVII. Reſpond. 1. *ad S. Scripturam.* Generatim verba activa hîc non ſumenda propriè pro actione & impulſu, ſed impropriè pro permiſſione ſeu non impeditione; eſt enim conſueta phraſis S. Scripturæ, ut DEUS dicatur ea facere, quæ ſinit fieri, cum facilè poſſet impedire, ſed ob certas cauſas & bonum finem inde ſecuturum non vult impedire, ſed ſinit fieri. Homo quidem non impediens peccatum proximi, cum poſſet, peccat; quia tenetur impedire ex lege Naturæ; DEUS autem non tenetur impedire, ideo non peccat permittendo. Quod ſi verba Scripturæ ſemper in rigore ſumere vellemus, infinita abſurda ſequerentur, & tota DEI Natura inverteretur, quoties enim membra humana, pedes, caput, manus, illi tribuuntur, cum tamen ſit Spiritus? quoties paſſiones humanæ illi adſcribuntur ira, pænitudo &c. cum tamen ſit immutabilis. Malach. 3. v. 6. *Ego DEUS & non mutor.* Itaque Interpres Scripturæ non debet nimis inhærere Gramaticæ, ſed conſulere rationem, quid DEUM deceat. Cum ergo DEUS vehementiſſimè oderit peccata, ut conſtat ex cit. S. Scripturæ locis, non eſt credibile, Deum homines impellere ad peccatum. Ergò iſtorum horror benigniore quâdam interpretatione mitigandus eſt. Atque hic eſt captialis error hæreticorum, quod S. Scripturam nimis literaliter intelligant, ut verba ſonant, cum tamen Apoſtolus 2. ad Corinth. v. 6. moneat: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Hæc reſponſio generalis facilè in ſpecie accomodatur ſingulis locis in contrarium allatis.

XXVIII. *Pſalm 104.* dicitur Deus convertiſſe cor Ægyptiorum in odium Judaici populi, quem ante dilexerunt, id eſt, permiſiſſe illam animi mutationem ex inſtinctu diaboli, & malevolorum ſuſuris exortam; ſicuti aliquis dicitur vinum convertere in acetum, ſi permittat ardentes prunas in vinum incidere, à quibus in acetum convertatur. Exod. 10. dicitur Deus induraſſe cor Pharaonis, ut Judæis nihil concederet; quia permiſit hanc voluntatis pertinaciam, ſicuti exponens panem ſoli dicitur illum indurare. *2. Reg 24.* dicitur Deus commoviſſe David ad numerationem populi ex ſuperbiâ natam, quam Deus non inhibuit, ſicuti nauta ſolvens funem nauticum, quo navis litori affigebatur, dicitur navem commovere, quia permittit fluctibus hinc inde jactandam. *Eodem L. 2. Reg. c. 16.* dicitur Deus præcepiſſe Semei, ut malediceret David, quod eſt paulò difficilius explicatu; quia præceptum plus importat, quàm permiſſionem, ſeu non impeditionem. Sed dico 1. in textu hebraico non haberi verbum præcepit, ſed dixit, quod etiam de permiſſione accipi poteſt 2. Deum verè præcepiſſe ſemei, & inſpiraſſe, ut Davidem probris inceſſeret propter peccata adulterij, & homicidij, ſed tantùm in genere non præſcribendo certa convitia: illum autē exceſſiſſe limites, falſas calumnias objectando. Videatur Tirinus in cit. loc.

XXIX. *Geneſ. 45.* dicit Ioſeph, ſe Dei voluntate in Ægyptum fuiſſe miſſum, cui nemo poterat reſiſtere; qui locus etiam difficultatem habet, quia ſoli permiſſivæ voluntati DEI poſſumus reſiſtere. Ergo non tantùm peccaminoſa venditio fratris in Ægyptum à DEO permiſſa, ſed præcepta fuit. Sed dico cum cit. Authore in hunc loc. Molinâ & alijs DD. in illa venditione duo diſtinguenda, ſcilicet profectionem in Ægyptum, & medium illius profectionis, nempe venditionem; etenim Deus omnia ſtatuerat, & immutabiliter decreverat, Ioſephum mittere in Ægyptum, ut tempore famis poſtea ſecuturæ juvare poſſet ſuam familiam; medium autem illius profectionis noſtro concipiendo modo non determinâſſe, ſed cum videret fratres odio inflatos cupere illum vendere, non præcepit, ſed permiſit illorum malitiam; eſt enim proprium linguæ hebraicæ carentis comparativo, ut eum per negationem circumſcribant, cujus rei exemplum eſt Oſeæ 6. v. 7. miſericordiam volo, & non ſacrificium, id eſt magis volo miſericordiam: quam Sacrificium; cum tamen Sacrificium præceperit in lege Moyſis, adeóque non penitus noluerit, ſed minùs voluerit. Ita verba Ioſephi fratres alloquentis: non veſtrô conſilio ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, non negant etiam fratrum conſilio illuc veniſſe, ſed magis voluntate Dei. q. d. vos inſcij ſubſerviſtis divinæ voluntati, quæ pridem ſtatuerat, me huc mittere, & habuerat varios mittendi modos, ſed viſo veſtro odio, Deus illo tanquam medio uſus eſt.

XXX. *Ad Rom. 1.* Apoſtolus malos Gentilium mores Deo tribuit, qui eos tradiderit in reprobum ſenſum, id eſt, permiſerit, eos ſequi ſua mala deſideria, ſicuti Medicus inobedienti agroto curam ſuam & medicinam ſubtrahens, dicitur eum tradere morti. *Amos 3.* dicens, nullum eſſe malum in civitate, quod non fecit Dominus, nihil facit ad rem; quia non loquitur de malis culpæ, ſed pænæ q. d. Propheta ſine Dei nutu, qui Creator ac Rector eſt univerſorum ac Judex & Vindex omnium, nullus ſeu hominum ſeu Dæmonum poteſt vel manum movere vel verbum effutire, quô quis lædatur, aut triſtitiâ afficiatur. *Mathai demque 6.* cum oramus Deum, ne nos inducat in tentationem, non intelligitur inductio poſitiva & activa, ſed negativa ſeu permiſſiva, ut ſenſus ſit, ne deſtituas nos tuô auxiliô, nec ſinas nos incidere in peccata; quemadmodum ſi obſeſſi cives à Principe ſubſidium flagitarent, ne tradat eos in manus hoſtium, non intelligerent poſitivam traditionem; ſed negativam; ne ſuum ipſis auxilium ſubtraheret, ut hoſtibus tradantur. Alioquìn S Iacobus. c. 1. v. 13. non ſcriberet: *nemo cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur; DEUS enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*; hoc eſt, nulli intentat mala, nullum activè excitat aut impellit ad peccandum.

XXXI. Reſpondetur 2. *ad probationes ex ratione §. 23. adductas.* quæ pleræque omnes ex recèns dictis corruunt. *Ad quatuor igitur priores.* Negamus Deum impellere, & cogere ad peccatum: jubere Satanæ, & impijs, ut maleficia concipiant: uti impijs, dùm peccant, tanquam inſtrumentis: procurrare efficaciter, ut aliquis peccet &c. hæc quippe uti impia & blaſphema, ita à Deo remotiſſima ſunt juxta hæc Scripturæ loca Pſal. 5. v. 5. *quoniam non Deus volens iniquitatem Tu es.* Sap. 4. v. 9. *odio ſunt DEO impius, & impietas ejus* Habaucc v. 13. *mundi ſunt occuli tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Jerem. 19. v. 5. *ædificaverunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Omiſſis alijs 1. ad Theſſalon. 4. v. 3. *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Expendantur iſta, an, ijſdem ſalvis, DEUS impellere ad peccatum, jubere peccatum, deſiderare ac procurare peccatum poſſit. *Ad 5.* negamus Conſequentiam. Nam Deus, etſi ad actum illum concurrat, non tamen efficit actionem illam, ut cauſa parti-

cula-

ticularis, ſed ut cauſa univerſalis, præbens vim & influxum quendam indifferentem, & communem ad illam actionem, atque ad contrariam, qui à concurſu cauſæ ſecundæ limitatur, & determinatur, ut ex dictis patet. Hoc autem minimè eſt novum commentum Jeſuitarum, ut calumniatur Ameſius fol 28. prope finem, ſed eſt communis ſententia Catholicorum D. D. & præſertim D. Thomæ tum alibi, tum q. 3. de malo. a. 7. ad 13. ubi dicit, *Deum agere cum omnibus cauſis ſecundis, ſed cum liberis ita agere, ut eas non determinet ad unum, ſed relinquat determinationem in poteſtate liberi arbitrij.* Quid clarius dici potuiſſet pro allato reſponſo noſtro. Non ergo novum eſt hoc Jeſuitarum commentum, ſed in illo Jeſuitæ genuinos ſe Angelici Doctoris diſcipulos oſtendunt.

XXXII. Argumentum, quod Ameſius fol. 29. contra indifferentem Dei concurſum objicit, nimis tritum, & ſæpius jam ſolutum eſt; quippe tunc ſolùm concurſus indifferens ad peccatum & virtutem eſt peccaminoſus, quando ille, qui præbet prædictum concurſum, tenetur impedire malum, quod eventurum ſciverat. Deus autem non tenetur ad mala impedienda, quæ certò novit eventura. Tum quia ſummus Proviſor eſt. Tum quia poteſt è malis elicere bona. Tum quia æquum eſt, ut naturas conſervet, neque eis deneget auxilium, ſine quo operari nequeunt. Tum denique ſi Deus omnia mala impedire vellet, plurima mundo deeſſent, cum nihil fere ſit in rebus creatis, quo non aliqui abutantur.

XXXIII. *Ad 6.* Negamus Deum inde eſſe Cauſam & Authorem peccati, ſiquidem per iſta DEUS non intendit peccatum; ſed actum bonum oppoſitum, ideòque non tantùm intentione elicitâ, quâ unicè optat prodire actum bonum propoſitis etiam præmijs, ad illum alliciens, & graviſſimis pænis à contrario malo abſterrens, ſed etiam intentione innatâ, quâ ipſius omnipotentia eſſentialiter ad bonum eſt inclinata. Ut diximus ſupra. *Ad 7.* Itidem ex dictis conſtare, Deum non eſſe Authorem & Cauſam peccati, quantumvis bonitas phyſica (quæ eſt participatio ſeu ſimilitudo quædam bonitatis divinæ) ſit identificata cum malitia morali peccati; ſiquidem Deus talem bonitatem neque determinat, neque ponit quidquam ex intentione cauſativum talis bonitatis, quæ moraliter & identicè ſit malitia moralis peccaminoſa. *Ad 8.* denique inprimis aliqui Authores negant Minorem, quod ſcilicet Deus prædefiniat bona opera, ſuffragante S. Damaſceno L. 2. fidei orthodoxæ c. 30 ubi ait: *omnia quidem Deus pranovit, non omnia tamen præfiniti pranoſcit enim ea, quæ in noſtrâ ſunt poteſtate, non tamen ea præfinit.* Alij conceſsâ Minore, negant Majorem, eò quod decretum DEI præceſſerit conditionata Præſcientia noſtri conſenſûs, quæ conditionata futuritio tollit neceſſitatem antecedentem; prius enim, quàm Deus abſolutè aliquid prædefiniat, prævidet, quid futurum ſit poſitâ tali vel tali conditione v. g. ſi darem huic homini talem cogitationem, tunc me diligeret &c. Poſtea decernit efficaciter, volo ut me amet, & conſequenter volo illi dare talem cogitationem, cui prævidi liberè eum coöperaturum. Ad S. Damaſcenum ſuprà allegatum dici poteſt, eum loqui de præfinitione ante ſcientiam conditionatam. Nam præfinitiones ab eò non abſolutè negari, conſtat ex orat. 1. de Jmaginibus, ubi hæc habet: *omnia enim ab illo Præfinita, & ſine ulla commutatione futura in ejus conſilio non aliter antequam fierent, erant expreſſa, quàm ſi quis velit domum ædificare, prius imaginem ac formam ipſius in anima effingit cogitationéque complectitur.* Videantur, quæ diximus Controverſ. 59. §. 9.

XXXIV. Ex hactenus dictis, & probationibus tam S. Scripturæ quàm rationis rejectis luculenter apparet, eum, quem diximus, errorem, quod ſcilicet Deus ſit Cauſa & Author peccati, eſſe prorſus impium & blaſphemum, majorémque, quàm aures Chriſtianæ ferre poſſint? quid enim reſtat amplius? nihil niſi ut dicatur Deus non eſſe Deus. Unde ipſemet Ameſius Tom. 4. fol. 18 Gerhard. L. 2. part. 3. fol. 475. alijque Sectarij deteſtantur impiam hanc opinionem, & negant ac pernegant, eam ſe tenere & docere, nec niſi per gravem calumniam à Papiſtis eandem ſibi imputari. Verùm eſt, illos in terminis non dicere, Deum eſſe Cauſam & Authorem peccati, attamen talia aſſerere, atque in probationem adducere, ex quibus prædictus error legitimè & manifeſtè deducitur. Nam dicunt, Deum impellere & cogere alium ad opus, quodcunque malum faciendum: efficaciter procurare, ut aliquis peccet: uti impio, dum peccat, tanquam inſtrumento: jubere Satanæ & impijs, ut maleficia concipiant &c. Ex his Zwinglij Calvini, Bezæ aſſertis ſic concludimus. Quicunque efficaciter procurat, ut alter peccet: utitur impio, dum peccat, tanquam inſtrumento: jubet ſatanæ & impijs, ut maleficia concipiant: impellit ac cogit alium ad opus quodcunque etiam malum faciendum. Quicunque, inquam, hoc præſtat, ille eſt cauſa & author peccati. Atqui juxta Zwinglium, Calvinum &c. DEUS hæc omnia facit, ut ſupra oſtendimus ex ipſorum verbis, & liquet ex probationibus illorum, quas itidem ſuprà adduxerunt. Ergo DEUS juxta eoſdem eſt Cauſa & Author peccati. Quæ eſt extrema impietas & blaſphemia.

XXXV. Ameſius omnibus modis à tam horrenda improbitate Calvinum ſuum defendere nititur. Dicit itaque 1. Calviniſtas non aliter loqui, ac ſentire, quàm Brodwardinum Doctorē profundum, qui ante aliquot ſæcula ſcripſit contra Pelagium L. 1. c. 33. item Thomiſtas, quorum doctrina apud Pontificios eſt approbata. Dicit ſecundò efficacem volitionem, uſurpationem inſtrumenti, procurationem &c. eſſe tantùm ordinationis & gubernationis exiſtentiam rei inferentis: non autem effectionis rem vi ſuâ producentis. Dicit 3. phraſes iſtas imperandi, impellendi, & cogendi ad maleficia rarò adhiberi, nec unquam in propriâ & rigoroſâ ſignificatione; in quem etiam modum Gerhardus Lutherum ſuum explicat, & propugnat.

XXXVI. Sed hæc frivola ſunt, & meriſſima effugia. Nam inprimis nemo ex Catholicis loquitur ac ſentit, ſicut Calviniſtæ. Quis unus ex omnibus docet, Deum impellere, & cogere ad malum: efficaciter procurare, ut aliquis peccet &c. omnes etiam hoc ipſo quod ſint boni Catholici, conſentiunt Eccleſiæ, ex cujus mente verba & doctrinas ſuas intelligi volunt. Thomas Brandwardinus Anglus communiter reprobatur à Catholicis, idque propterea, quod Calvino ſatis præluſerit in argumento de gratia, libero arbitrio, & decreto divino abſoluto &c; quamvis verba illius facilè etiam in meliorem ſenſum trahi poſſint. Thomiſtæ, quibuſcunque verbis utantur, aliud non volunt intel-

 ligi,

ligi, quàm DEUM malas etiam volitiones infallibiliter præordinare ad finem ſuum ſalvâ omni arbitrij creati libertate, ſimulque ſuam doctrinam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ humillimè ſubijciunt, Ejus judicio ſtaturi, quidquid ipſa circa ſanam doctrinam & Sanctæ Fidei myſteria ſtatuerit. Deinde ex mente Adverſariorum DEUS non ſolùm permittit, atque ordinat; & ſic utitur impiis, ſed etiam determinatè imperat, ac neceſſitat ad actum indiſpenſabiliter malum; eſtò ulteriorem aliquem finem bonum intendat; quis autem ſani cerebri dubitare poſſit, quin talis actio ſit flagitioſa Deóque indigna? aut fingi poteſt efficacior procuratio criminis, quàm velle, prædefinire, intendere, imperare, neceſſitare phyſicè ad actum, cui indiſpenſabiliter annexa ſit culpa? Demum ſi omnia impropriè intelligenda velit Ameſius, rectiùs dixiſſet, hanc non eſſe amplius ſententiam modernorum Calviniſtarum & Lutheranorum, ſed Calvini, quàm verbis clarioribus expreſſit cum Zwinglio, & Beza; quàm ut ullâ tergiverſatione eludi queat. Et qui nihil blaſphemiarum apud hos hæreſiarchas odoratur, obeſæ nimium naris eſt.

SACRAMENTA.

EA eſt hæreticorum in erroribus ſuis inſtabilitas, ut non ſolùm à vera Romano-Catholica Eccleſia doctrina diſcedant, ſed inter ſe etiam ſemper diſſideant ex aliis in alios errores delabentes. Et quamvis hanc animi levitatem in omnibus Fidei dogmatibus, quæ in Controverſiam trahunt, ſatis clarè oſtendant, in Sacramentis tamen eam vel maximè produnt, ubi nec in nomine, nec in Eſſentia, nec in virtute, nec in effectu, nec in numero &c. Conveniunt vel cum Romana Eccleſia, vel inter ſe ipſos; ſuum quique placitum ſequentes, ut planè Propheticum illud Iſaia 19. v. 2. in eis impleatur: concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, & civitas adverſus civitatem; & regnum ad verſus regnum. *Econtra apud Romano-Catholicos in Fidei articulis una eſt omnium ſententia ac doctrina, idémque ſemper animi ſenſus. Conſtabunt hæc ex ſequentibus Controverſiis de Sacramentis, ad quæ poſt bona opera, tanquam iſtorum ſubſidia, progredimur pertractanda, atque eadem more noſtro in plures Controverſias ita diſpertiemus; ut in ſingulis primo ſemper doctrinam catholicam proponamus, tum ex iſta hæreticorum errores refellamus, continuato, quem cepimus, illarum numero.*

CONTROVERS. LXII.

DE ESSENTIA SACRAMENTORUM.

NOmen Sacramenti apud Latinos ſumitur pro juramento. In Sacra Scriptura accipitur ſubinde pro myſterio ſeu re occulta ac ſecreta maximè ſancta aut in Similitudinem ſacrorum occultanda: ſubinde pro ſigno rei occultæ præſertim ſacræ. Ex communi Eccleſiæ, Sanctorum Patrum, & Theologorum uſu magis contrahitur & determinatur ad certa quædam & Spiritualia ſigna ſenſibilia rei ſacræ, ut proinde nomen Sacramenti hodie per antonomaſiam non pro quocunque ſigno rei, ſed pro certis tantùm accipiatur, nempe pro iis, quæ rem ſacram homines Sanctificantem denotant modo infra explicando. De re loquendo, vera ac propria Sacramenta in utraque lege fuiſſe, indubitatum eſt, quia Concilia & Patres abſolutè affirmant, ea in Antiqua etiam Lege extitiſſe. Videndum igitur, quomodo ſe habeant.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. D*Octrina prima.* Sacramentum in communi eſt cæremonia ſacra, ſenſibilis, ſtabilis, in pignus gratiæ inſtituta. Sumitur hæc definitio ex D. Thoma 1. 2. q. 101. art. 4. Et q. 102. art. 5. ubi eam haud obſcurè tradit. Eadem eſt ex mente cæterorum Theologorum non tam reipſâ, quàm verbis diſſentientium. Expreſsè illam tradit Arriaga de Sacramentis in communi Diſp. 1. num. 44. Explicatur & *dicitur 1. Cæremonia ſacra*; nam omnes homines nomine Sacramenti intelligunt aliquod ſignum, cujus ſignificatio vel inſtitutio proveniat à DEO: aliquo modo tamen debeat exerceri vel recipi in homine ipſo, atque idcirco ſit cæremonia, quâ homo ipſe ejus uſu aliquo modo ſcil. exterius ſanctificetur. Duplex autem eſt ſanctitas, quam tribuunt Sacramenta; una interna & perfecta per infuſam gratiam ſanctificantem: altera externa & imperfecta, nempe legalis, quâ olim Judæi liberabantur à nonnullis immunditiis & quaſi legalibus irregularitatibus: nec conſiſtebat in dono ſupernaturali animæ infuſo, ſicuti gratia juſtificans, ſed tantùm erat immunitas quædam ab omni legali impedimento cultûs divini, ut homo cenſeretur dignus communione Fidelium in publicis precibus & ſacrificiis &c. *Dicitur 2. ſenſibilis*; quam particulam omnes Theologi admittunt cum Trident. Seſſ. 13. c. 3. ubi Sacramenta dicuntur *inviſibilis gratiæ forma viſibilis*; hoc eſt, ſenſibilis, poſito ſcil. præcipuo ſenſu pro quolibet alio; cum enim Reſpub. humana non niſi ſenſibiliter gubernetur, oportuit pro ipſa cæremoniam hanc eſſe externam ac ſenſibilem. *Dicitur 3. Stabilis*; loquimur enim hîc de Sacramentis legalibus pro tota aliqua communitate inſtitutis, qualia de facto probabiliter fuerunt omnia etiam legis veteris. Quodſi abſtrahamus à Sacramentis legalibus & non legalibus, poteſt æquè Sacramentum pro uno & altero homine & uſu inſtitui, ac ſacrificium.

II. *Dicitur 4. in pignus gratiæ.* Nam omne Sacramentum etiam Veteris Legis ſignum eſt gratiæ ſanctificantis: item aliquam Sanctitatem reipſâ cauſat. Prius ſumitur ex Concilio Florentino in decreto unionis, ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legis multùm differunt à Saramentis antiquæ legis; iſta enim nec cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per Paſſionem Chriſti dandam figurabant: illa verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè Suſcipientibus conferunt.* Poſterius inde habetur, quod omnes

Autho-

Digitized by Google

Authores Vocem illam Sacramentum uſurpent pro cœremonia ſacra, quæ hocipſo, quia eſt ſacra, tribuit Suſcipienti ſanctitatem; cum exercere cæremoniam aliquam, & ipſo illius uſu Sanctificari ſaltem exterius, ſint formaliſſimè loquendo idem. Sacramentum igitur in Communi aſſerimus pingnus gratiæ Sanctificantis, ut per hanc vocem excludamus propriam cauſalitatem propter Veteris legis Sacramenta, quia in DEO non omnis promiſſio cauſat propriè rem promiſſam, quando ſcilicet jam Supponitur ante eam promiſſionem res illa futura; nec tamen vetera Sacramanta merè ſpeculativè gratiam ſignificabant, ſed erant aſſecurationes Chriſti futuri, & gratiæ per eum promiſſæ; atque ideo vocantur promiſſiones ac repromiſſiones, non aliter ac chirographum dicitur obligatio, licet formaliter non ſit obligatio, ſed ſignum & aſſecuratio factæ obligationis, & qui exhibet chirographum, dicitur exhibere obligationem, tametſi de novo non ſtipuletur. *Dicitur 5. inſtituta.* Nempe à Deo, & quidem propriâ authoritate, à quo ſolo vetera Sacramenta fuiſſe inſtituta docent communiter Theologi: de Noſtratibus verò ſic definit Tridentinum Seſſ. 7. de ſacram. can. 1. *ſiquis dixerit, non omnia Sacramenta novæ legis fuiſſe à Ieſu Chriſto inſtituta, anathema ſit.* Sed eſtne hoc de fide; Reſpond. affirmativè poſt valent. Bellarm. Vaſquez, Coninck, Lugo, Dicaſtillo D. 3. de Sacram. in communi n. 9. & alios. Nam quamvis Tridentinum in ſua illa generali definitione non expreſſerit particulam immediatè; attamen clarum eſt, ibi ſermonem eſſe de immediata inſtitutione. Chriſtus quà homo non quidem inſtituit Sacramenta poteſtate authoritatis: inſtituit tamen poteſtate cujuſdàm excellentiæ, ut habetur in Tridentino Seſſ. 13. c. 1. & 2. ajente, *Chriſtum diſceſſurum ex hoc Mundo ſuis verbis inſtituiſſe Sacramentum Evchariſtiæ.* Atqui diſceſſurus erat, ut homo. Quemadmodum ergo Chriſto, ut Deo, competebat poteſtas authoritatis, ita humanitati, quà inſtrumento conjuncto, competebat quædam poteſtas tantæ excellentiæ ſuper omnem puram creaturam poſſibilem, quanta alij convenire non poteſt; etiamſi aliàs non videatur repugnare, etiam puræ creaturæ dari poteſtatem dependentem & delegatam inſtituendi Sacramenta infallibiliter ex opere operato gratiam conferentia. Sed de hoc Scholaſtici.

III. Ex definitione Sacramenti in communi ſic declaratâ hæc tria apertè inferuntur. *Primum.* Noſtra Sacramenta univocè conveniunt cum antiquis, ut habet Communis Sententia Theologorum cum S. Thoma 3. part. q. 60. art 2. ad 2. Ratio eſt, quia antiqua æquè ac noſtra propriè & in rigore participant definitionem Sacramenti à nobis traditam; ſiquidem utraque ſunt cæremoniæ ſacræ in pignus gratiæ à Deo inſtitutæ. Non obſtat, quod noſtra ſint perfectiora antiquis; etenim etiam homo eſt multò perfectior, quàm cætera animalia. *Secundum.* Per hanc definitionem clarè excluduntur à ratione Sacramenti, quæcunque Sacramenta non ſunt. v. g. Cruces, imagines, prima Tonſura, Aqua benedicta, Profeſſio Religionis, Conſecratio Abbatum, Abſolutio ab ex communicatione, tranſitus Maris rubi, aqua è petra ſcaturiens, Manna, ſerpens æneus, Lectio & Cantus Evangeliorum, Verba Chriſti Mathæi 9. v. 2: remittuntur tibi peccata tua, Inſufflatio ejuſdem in diſcipulos Ioan. 20. v. 22. Sacrificium, Martyrium, Chriſma, Sal, Saliva, quæ ultima tria ſignificant gratiam ſanctificantem & dona ſpiritûs ſancti in baptiſmo dari ſolita &c. Hæc, inquam, omnia & ſimilia excluduntur tum ob alias rationes in definitione Sacramenti requiſitas. tum maximè quia nõ ſunt pignus ſeu arrha à Deo nobis data gratiæ concedendæ &c. *Tertium.* Hæc definitio noſtra Sacramenti in communi meritò anteponitur cæteris. D. Thomæ q. 60. cit. art. 2. quod ſit ſignum rei ſacræ hominem ſanctificantis. Scoti in 4. Diſt. 1. q. 2. quod ſit ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans. Suarezij in 3. part. tom. 3. D. 1. ſect. 4. quod ſit ſacra & ſenſibilis cæremonia homines aliquo modo ſanctificans & veram aliquam ſanctitatem ex inſtituto ſignificans. Eſparzæ de Sacram. q 1. quod ſit ſignum ſymbolicum ſanctitatis practicum à Deo pro hominibus inſtitutum. Et aliorum. Tum quia aliquæ non ſatis arcent ea, quæ cõmuni ſenſu ſunt è numero Sacramentum excludenda. Tum quia non requiritur neceſſariò illa ſimilitudo naturalis; ſiquidem Deus quamcunque rem in pignus gratiæ accipere poteſt, etſi congruum videatur, ut quæ aliquam ſimilitudinem præſeferunt, præ alijs diſparatis aſſumantur. Tum quia pleræque tollunt vnivocationem Sacramentorum in cõmuni. Tum quia omnes ſuis laborant nævis; niſi in ſenſum noſtræ definitionis explicentur, ut conſideranti patebit.

IV. Videtur nonnullis Auctoribus pignus iſtud, cujus mentio ſit in definitione, fictitium. Sed planè immeritò Nam hoc nomine utitur Catechiſmus Romanus cap. 7. aiens, *Sacramentis quaſi pignoribus nos Chriſtum habere obligatum ad promiſſa ſua.* Eodem utitur Oecumenius, qui explicans illud 1. Petri 3. v. 21. *quod & vos ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma non carnis depoſitione ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in DEUM.* Vocat baptiſma expreſsè *pignus*; quaſi diceret Petrus: Baptismus, tanquam pignus promiſſionum DEI, vos in anima purgavit, ut bonâ conſcientiâ DEO appropinquare, rogare &c. poſſitis. Eo ipſo etiam nomine utuntur Patres dum teſte Bellarmino Lib. 1. de Sacrament. cap. 17. non raro Sacramenta vocant ſigilla, vel ſignacula, quibus perinde ac pignoribus aſſecuravit nos de ſuis promiſſionibus DEUS. Inprimis igitur pignus provenit ex voluntate DEI, à qua unicè dependet; quibus autem ratio pignoris de facto conveniat, quibus non, docemur ab Eccleſia affirmante tot & non plura eſſe Sacramenta. Deinde cum omnia Sacramenta ſint Actiones Chriſti, haud ægrè intelligitur, quomodo illa ſint pignus ſeu promiſſio tenens ſe ex parte DEI de gratia nobis danda; omnis enim promiſſio ſeu pignus tenet ſe quodammodo ex parte promittentis. Demum ſi omnia Sacramenta, ut non pauci volunt, aut Saltem pleraque poſſint eſſe valida & informia, melior & univerſalior omnibus Sacramentis conceptus non occurrit, quàm quod ſint gratiæ pignora ſeu promiſſiones, hoc eſt, aſſecurationes DEI de ſeria voluntate dandi gratiam omnibus, qui eas actiones rite cum debita ſcil. diſpoſitione exercent, adeóque non in ſenſu compoſito cum ipſo obice, ſed quando iſte vel non adeſt, vel iterum remotus eſt, ut bene Arriaga Diſp. 1. cit. n. 49. Non obſtat, hæreticos etiam hâc vel ſimili voce uti. Nam iſti volunt quidem Sacramenta eſſe quædem ſigilla, ſed non quatenus

Digitized by Google

quatenus ſignificant vel conferunt gratiam ſanctificantem internam, quam ipſi abſolutè negant; ſed quatenus fidem juſtificantem & juſtitiam Chriſti oblatam & collatam obſignant, atque ita certitudinem aliquam Securitatémque Salutis præſtant, ſicuti expreſsè tradit Gerhardus Lib. 2. Part. 2. de Sacramentis in communi fol. 810. quod & falſum eſt, & à noſtra ſententia maximè alienum. Plura de hoc mox in altera parte hujus controverſiæ. Solùm nunc addo, videri hanc noſtram doctrinam perquam commodam ad refutandos hæreticos; quia ex una parte admittimus promiſſiones, quas ipſi adeo urgent, & planè ab iſtis abſtrahi in Sacramentorum explicatione non poteſt: ex altera verò parte faciliùs illis errorem ſuum oſtendimus, quod prædictas promiſſiones malè intelligant, explicent, & ad cæteros ſuos errores detorqueant.

V. *Doctrina ſecunda.* Nova Sacramenta ſtatûs gratiæ conſtant omnia rebus & verbis: Vetera autem non conſtabant verborum formulâ. Sumitur ex Concilio Florentino, quod Seſſ. ultima decreto Eugenij IV. hæc habet de Sacramentis novæ Legis: *Hæc omnia tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam formâ, & Perſonâ Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Ubi cum pro ſolis Novæ Legis Sacramentis hæc requirat Concilium, hoc ipſo innuit pro veteribus verba non fuiſſe neceſſaria. Ex eodem Florentino ulterius habetur, Sacramenta Novæ Legis (ſaltem quæ in uſu conſiſtunt) ita rebus tanquam Materia, & verbis tanquam Formâ conſtare, ut intrinſecè & eſſentialiter has partes includant, quod communiter etiam tradunt Authores, vocantes has partes Materiã & Formam. Quemadmodũ igitur materia & forma phyſicè unitæ pertinent ad eſſentiã compoſiti, ita Materia & Forma Sacramenti moraliter & ſufficienter unitæ pertinent ad eſſentiam Sacramenti. Dixi conſiſtentibus in uſu; quod additur propter Euchariſtiam, ubi eſt ſpecialis difficultas, ob quam forma videri poſſit non pertinere ad eſſentiam Sacramenti; quandoquidem illud in eſſe Sacramenti longo tempore perſeverat, poſtquam forma conſecrationis omnino perijt. Verùm etiamſi forma conſecrationis poſt confectum Sacramentum ſtatim phyſicè pereat; moraliter tamen adhuc manet, quamdiu manent ſpecies conſecratæ Chriſtum continentes, ut bene Valentia, Suarez, Tanner, Lugo, Arriaga D. 8. n. 15. & alij, qui idcirco rectè tenent, verba etiam in Euchariſtia eſſe formam & partem Sacramenti intrinſecam. Cæterùm in Sacramento duplex reperitur compoſitio; una ex Sacramento & Sacramentalitate, hoc eſt, vi ad ſignificandum proveniente ex Chriſti inſtitutione: altera antecedens ex materia, & forma Sacramentum conſtituens. De hac poſteriore compoſitione procedit doctrina noſtra, quàm ex mente Florentini dedimus; prior enim compoſitio conſtat ex hoc Sacramento tanquam parte materiali, & totum conflatum ex materia & forma tanquam ſubjectum & determinabile ſubſternitur Sacramentalitati ſeu ſupernaturali ac totali ſignificationi veluti formæ ac determinanti; ut proinde eadem materia & forma diverſo reſpectu ſint & faciant totum, & partem duntaxat ſubjectivam; prius reſpectu Sacramenti ſeu compoſiti phyſici: poſterius reſpectu Sacramentalitatis, ſeu compoſiti artificialis.

VI. *Doctrina tertia.* Materia & forma eſt aliquo modo a Chriſto determinata atque deſignata, ut ſit invariabilis ab Eccleſia. Ita omnes tenent Catholici. Nam Chriſtus deſignavit quædam prædicata rerum, ſecundùm quæ & per quæ eſſent legitima materia: & ſine quibus prædicatis non forent: v. g. pro Baptiſmo aquam naturalem. Sunt quidem aliqui caſus, in quibus videri poſſit Eccleſia mutare materiam; at reverâ non mutat, ſed facit tantùm, ut aliquid habeat, vel non habeat illud prædicatum, quod Chriſtus deſignavit. Sed hoc fuſius declaratur à Scholaſticis, & ſufficienter conſtabit ex dicendis de materia & forma ſingulorum Sacramentorum.

VII. *Doctrina quarta.* Sacramentum redditur nullum, quando forma aut materia ſubſtantialiter aut eſſecialiter eſt mutata: ſecus quando tantùm accidentaliter. Ita communiter Catholici Doctores. Cenſetur materia Sacramenti ſubſtantialiter mutata, quando juxta communem uſum & hominum æſtimationem non manet ejuſdem nominis & rationis cum materia à Chriſto inſtituta: Forma autem, quando legitimus ejus ſenſus à Chriſto intentus non manet. Ratio prioris eſt; quia materiæ iſtæ non tam phyſicè quàm moraliter in ordine ad uſus humanos conſiderantur: prioris verò; quia ſenſus eſt quaſi anima verbi, quod non propter ſonum, ſed propter ſenſum profertur; ut proinde manente eodem perfectò ſenſu cenſeatur eadem forma manere. Porro Legitimus ſenſus tunc non manet, quando nec ſecundùm communem uſum, nec prout hic & nunc verba proferuntur; cenſetur idem cum illo, quem Chriſtus intendit. Varijs autem modis mutari poſſunt formæ Sacramentorum; de quibus ſingulis agere non eſt hujus loci. Videri poſſunt tam Scholaſtici, quàm Morales Theologi, qui plures caſus proponunt & diſcutiunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. *Error primus.* Nec nomen Sacramenti in Scriptura habetur pro ſigno rei, nec res ipſa, ſive Sacramentum eſſe ſignum gratiæ interioris, vel cauſam hujus. Ita Lutherus lib. de Capt. Babyl. c. ult. cui omnes moderni hæretici conſentiunt aliàs inter ſe minimè convenientes, quid ſit, & quomodo definiatur Sacramentum. Lutherus loc. cit. definit, *eſſe promiſſionem ſigno externo annexam.* Melanchthon in Apolog. Confeſſionis Auguſt. *eſſe ritum, qui habet mandatum DEI, & cui addita eſt promiſſio gratiæ.* Gerhardus L. 2. P. 2. fol. 810. *eſſe ſigillum promiſſionem Evangelicam obſignans.* Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 15. §. 1. *eſſe ſymbolum externum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientijs noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei imbecillitatem, & quo nos viciſſim pietatem erga eum noſtram teſtamur.* Fundant ſe Sectarij in S. Scriptura, ex qua univerſim conſtare ajunt, promiſſiones DEI ſæpe obſignatas fuiſſe per externa ſigna vel ſymbola v. g. iridem fuiſſe ſignum fœderis inter DEUM & Noë Gen. 9. v. 12. Rorem & Vellus fuiſſe ſigillum promiſſionis à DEO factæ Gedeoni de Victoria contra Madianitas Jud. 6. v. 17. Umbram horologij retrocedentis 10 gradibus promiſſi-

Digitized by Google

promiſſionis à DEO factæ Ezechiæ Regi de Sanitate 4. Reg. c. 19. v. 30. Specialim verò Lutherani afferunt pro ſe illud Pauli ex epiſt. ad Roman. 4. v. 11. *Et ſignum accepit* (Abraham) *circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*: Calviniſtæ verò illud ex Genes. 17. v. 7. *Et ſtatuam pactum meum inter me & te, inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, ut ſim DEUS tuus, & ſeminis tui poſt te &c.* Confirmat Gerhardus loc. cit. fol. 812. ex eo, quod ſibi perſuadeat, Papiſtas nihil aliud velle per pignus, quo vocabulo utuntur in definitione ſua Sacramenti, quam quod ipſi Sectarij per ſigillum.

IX. Hunc errorem reijcit ac damnat Concilium Tridentinum Seſſ. 7. can. 5. ubi ſic decernit: *ſiquis dixerit, Sacramenta Novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre; quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ; & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur Fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Ubi clarè apparet, nomen Sacramenti uſurpari pro ſigno rei hominem ſanctificantis: & ipſum Sacramentum non eſſe merum ſignum & ſigillum promiſſionum, ſed verè continere ac conferre gratiam in Novo Teſtamento, niſi obicem reperiat. Sed de hoc Sacramenti effectu infra ex inſtituto. Nunc de ſolo Nomine & Definitione Sacramenti agendo.

X. Reſpon. 1. falſum eſſe, nomen Sacramenti non reperiri in Sacra Scriptura in hac ſignificatione, nempe pro ſigno rei. Danielis 2. v. 19. dicitur: *Tunc Danieli myſterium per noctem revelatum eſt.* Ephes. 5. v. 12. dicit Apoſtolus: *Sacramentum hoc magnum eſt; Ego dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Et Apocal. 17. v. 7. *En Angelus dixit, quare miraris? ego tibi dicam Sacramentum mulieris.* In quibus locis ſomnium Nabuchodonoſoris, Matrimonium Adæ & Evæ, Mulier fornicaria dicuntur Sacramenta ſeu myſteria, hoc eſt, ſigna rerum arcanarum ac latentium. Nam ſomnium Nabuchodonoſoris ſignificabat ſucceſſiones quatuor regnorum, quorum ultimum erat regnum Chriſti: Matrimonium Adæ & Evæ conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: Mulier fornicaria Romanam idololatriam. Atque hæc eſt etiam doctrina noſtra; nempe Baptiſmum, Euchariſtiam, & ſimiles cæremonias à Chriſto inſtitutas eſſe Sacramenta ſeu myſteria, ideſt, ſigna rei ſacræ, arcanæ, & latentis, nempe gratiæ ſeu ſanctitatis & Juſtitiæ inhærentis. Si etiam nomen Sacramenti in hac ſignificatione non eſſet in Scriptura, num idcirco eſſet in eadem Scripturà prohibitum? minimè ſanè, ut ipſe Lutherus reſpondet Coroloſtadio hujus Nominis hoſti.

XI. Reſpon. 2. ex definitionibus allatis nullam ſubſiſtere; ſed aliam ab alia deſtrui. Contra primam Lutheri eſt, quod nimis ſit nuda, & non explicet, cujus rei ſit promiſſio; ſi ſubintelligat gratiam, mox ex dicendis refutabitur. Contra ſecundam Melanchthonis eſt. Tum quod deſtruat definitionem Lutheri, non enim Sacramentum vocat promiſſionem, ſed ritum. Tum quod ad rationem cujuſque Sacramenti requirat mandatum divinum, & quidē ſingulos obligans ad uſum ejuſdem Sacramenti, quod abſq; ullo fundamento aſſeritur. Tum quod nomine gratiæ cum Luthero nō intelligat gratiam ſeu juſtitiam inhærentem, ſicuti nos intelligimus, ſed gratuitam peccatorum remiſſionem, quam putat in eo conſiſtere, quod Deus non imputet nobis peccata noſtra, ſed quaſi pallio tegat, & diſſimulet, quem errorem jam ſupra rejecimus. Contra tertiam Gerhardi eſt. Tum quod deſtruat definitionem Apologiæ Confeſſ. Auguſtanæ; non enim requirit mandatum. Tum quod non explicet, cujus rei ſit promiſſio, & ſigillatio, ſupponens utique eſſe de venia peccatorum & reconciliatione cum DEO, quod mox refutabimus. Contra quartā Calvini eſt. Tum quod omnes priores definitiones evertat, & Sacramentum velit eſſe ſignum non gratiæ, & reconciliationis, ſed divinæ & æternæ prædeſtinationis. Tum quod ſic omne Sacramentum foret ſignum rei præteritæ ſeu æternæ, ſcilicet gratuitæ prædeſtinationis, & conſequenter nunquam afferret primam juſtificationem, quod apertè eſt falſum & contrà ſacram Scripturam, & Patres ac Doctores. De reliquo omnes iſtæ aliæque Sectariorum definitiones in hoc conveniunt, quod Sacramenta ſint promiſſiones & ſigilla, hoc eſt, ut ipſi pluribus explicant, ſint ſigna externa promiſſionum (ſecundùm Lutheranos) de venia peccatorum ſeu reconciliatione cum DEO, quæ habetur per meram non-imputationem: aut (ſecundùm Calviniſtas) de ſpeciali benevolentia & æterna prædeſtinatione, ita ut in uſu Sacramenti per verba concionatoriè prolata excitetur in illis fides, quâ actu & firmiter credant; Lutherani quidem reconciliationem ſui cum DEO per apprehenſam eodem fidei actu juſtitiam Chriſti: Calvinſtæ verò æternam erga ſe benevolentiam ac prædeſtinationem: atque hanc æquè ac illam erga quemvis in particulari ipſis Sacramentis eorúmque uſibus quaſi ſigillis confirmari & obſignari perinde, ac ſi promiſſor ad confirmandam ſuam promiſſionem alteri manum porrigat. Quapropter utens Sacramento v. g. communicans ſic quaſi fatur: Quàm certò ego hunc bolum comedo, tam certus ſum mihi (Lutherano) remiſſa eſſe peccata, & juſtitiam Chriſti imputatam: mihi (Calviniſtæ) DEUM ab æterno ſuam exhibuiſſe benevolentiam & prædeſtinationis gratiam.

XII. Reſpond. 3. in hac doctrina diverſos involui errores, qui alibi ex inſtituto refutantur: huc peculiariter ſpectare; quod Sacramenta dicantur prædictæ promiſſionis ſigna, & ſigilla promiſſionem hanc obſignantia, quorum utrumque hiſce argumentis reijcimus. *Primum.* In ſacra Scriptura nuſquam dicuntur Sacramenta promiſſionum teſtimonia, ſeu meræ promiſſiones, ſed ubique deſcribuntur, ut inſtrumenta juſtificationis v. g. baptiſmus tanquam regenerans Ioan. 3. v. 3. Ephes. 5. v. 27. Ad. Titum 3. v. 6. Euchariſtiâ tanquam nutrimentum vitæ æternæ Ioan. 6. v. 5. Non poſſunt autem niſi abſurdiſſimè iſta ita exponi, ut Sacramenta regenerare, mundare, dare vitam æternam nihil ſit aliud, quàm teſtimonium dare divinarum promiſſionum. Hinc etiam in expoſitione definitionis noſtræ diximus, Sacramenta eſſe pignora & aſſecurationes gratiæ; quam antiqua ſignificabant dandam per Chriſtum: noſtra verò actu tribuunt non ponenti obicem. *Secundum.* Si Sacramenta ſolùm eſſent teſtificationes promiſſionum, fruſtra baptizarentur infantes & amentes, cum certum ſit, eos non poſſe credere. Fatentur etiam Adverſarij tam Lutherani, quàm Calviniſtæ, baptiſmum à Romanocatholicis collatum eſſe validum, ideóque non

rebaptizant illos, qui à nobis ab ipſos deficiunt. Quomodo autem ſic vel valorem vel neceſſitatem Sacramenti tuebuntur, ſi infantes ſine actuali fide nihil percipiunt de promiſſione illa tam reconciliationis, quàm benevolæ prædeſtinationis? aut abſque perceptione iſtorum nihilominus ipſa promiſſio confirmabitur & obſignabitur, adeóque ſigillum ei apponetur? *Tertium.* Sigillum notius eſſe oportet ſigillato; ideo enim appenditur litteris Regis ſigillum, ut iſto viſo omnibus innoteſcat Regis authoritas & voluntas in illis litteris expreſſa. Atqui Lutherani & Calviniſtæ tam Sacramenta quàm promiſſiones depromunt ex S. Scriptura imediatè & æqualiter ab hac dependentia. Ergo unum nõ eſt notius altero, & conſequenter rationem ſigilli habere nequit. Nec ad rem facit diſtinctio illa Calvini; verbum DEI in ſe non eſſe certius: at verò Sacramentum quoad nos certius eſſe ad ſtabiliendos nos in fide. Nam ſignum illud eſt planè nudum ac naturale, nec dare nobis poteſt certitudinem, niſi ex verbo DEI. *Quartum.* Si Sacramentum v. g. Baptiſmi eſt tale infallibile ſigillum, tunc omnes, quotquot baptizantur, vel certiſſimò juſtificantur, & ſunt prædeſtinati: vel DEUS eſt inſtitutor falſi ſigilli. Hoc poſterius eſt impium; & tamen neceſſariò ſequitur ex doctrina Sectariorum, qui tenent illud prius, & dicunt, aliquos baptizatos eſſe coram DEO reprobos, nec poſſe juſtificari. Adhæc Novatores iſti non admittunt doctrinam noſtram, quod Sacramenta conferant gratiam infallibiliter, niſi reperiant obicem, ſed abſolutè Sacramento tribuunt, quod confirmet, obſignet, ſigillet, atque infallibiliter teſtetur, ſuſcipientem v. g. Baptiſmum jam per fidem juſtificatum eſſe, aut juxta Calvinum ab æterno prædeſtinatum fuiſſe. Unde Melanchthon in loc. de Baptis. verba iſta Miniſtri baptizantis: Ego mandato & loco Chriſti baptizo te, ſic exponit: hoc ſigno teſtificor, ablui peccata tua, & te conciliatum eſſe Deo; Juxta Calvinum: te ab æterno prædeſtinatum fuiſſe; cum tamen ſectarij negare non poſſint, quàm plurimos ritè baptizatos non juſtificari, & non ſalvari.

XIII. Reſpon. nunc 4. ad fundamentum ex Scriptura. Inprimis exempla illa, quibus promiſſiones obſignari dicuntur per ſigna externa, nihil facere ad rem; quia promiſſiones illæ ſpeciatim olim huic vel illi factæ multùm differunt à promiſſionibus, quæ in Evangelio generatim fiunt omnibus; priores enim proponebantur per Angelos in humana ſpecie apparentes, & ideo debebant aliquos efficaci ſigno vel miraculo confirmari, ut à DEO fieri crederentur, & non ab homine vel diabolo in Angelum lucis ſe transfigurante: poſteriores autem proponuntur nobis per S. Scripturam, quam agnoſcimus eſſe infallibilem, & à DEO inſpiratam, ideóque aliâ confirmatione opus non eſt. Deinde ad id, quod ſpeciatim tam Lutherani, quàm Calviniſtæ pro ſe afferunt.

XIV. Reſpon. 5. explicationem prioris loci ad Rom. 4. pendere ab expoſitione poſterioris ex Gen. 17. ubi agitur de pacto inito inter Abraham ejuſque poſteros & DEUM. Quod pactum ex parte Abrahami & poſterorum ejus requirit, ut Dominus perpetuò ab ipſis pro DEO habeatur & colatur: ex parte DEI verò, ut hæc tria Abrahamo ejuſque poſteris præſtet. 1. ut in immenſum multiplicentur 2. ut terram Chanaan accipiant poſſidendam. 3. ut ex ſemine Abraham Meſſias procreetur. Hujus pacti ſignũ eſt circumciſio, quæ idcirco à Paulo vocatur ſigillum, quo DEUS firmavit, & voluit, fore rata ea, quæ promiſerat. Hinc Patres & Doctores deducunt 1. Circumciſionem fuiſſe ſignum Rememorativum pacti hîc ab Abrahamo cum DEO initi. 2. Eandem fuiſſe etiam Repræſentativum veræ Fidei & Religionis propriæ in adultis, alienæ in infantibus. 3. Demonſtrativum ſimul & Purgativum peccati originalis in Poſteris Abrahæ. 4. Diſtinctivum populi DEI ab omnibus alijs. 5. denique illam ipſam Circumciſionem fuiſſe ſignum Præfigurativum Baptiſmi Chriſtianorum, ut dicemus ſuo loco, ubi etiam diſcrimen inter iſta oſtendemus. Ex his clarè patet, falſum ſupponere hæreticos, Circumciſionem excitaſſe fidem in Abraham; non excitavit, ſed fuit ſignaculum fidei jam ante habitæ, ut enim habetur Gen. 15. v. 6. & c. 17. v. 24. prius Abraham *credidit DEO*, ac deinde *circumciſus eſt.* Si etiam Baptiſmus inſtitutus eſſet, ut excitaret fidem, & hujus actum, non prodeſſet infantibus, quia in illis non poteſt excitari actus fidei propter defectum rationis. De reliquo, quantumvis DEUS circumciſione velut ſigillo toti orbi teſtificari voluerit, certam legitimámque eſſe Abrahæ juſtitiam prius per fidem acceptam, cum adhuc in præputio eſſet; hoc tamen privilegium ſolius Abrahæ fuit, ac proinde circumciſio in alijs quibuſvis non erat teſtificatio juſtitiæ, ut volunt Adverſarij; reliquis autem Iudæis circumciſio erat quidem ſignum quoddam, quod ſcilicet eſſent filij Abrahæ: ſed non erat illis ſigillum juſtitiæ fidei, ſicuti non erant omnes Patres credentium, uti Abraham fuit Pater omnium Fidelium tam præputiatorum, quàm circumciſorum. Videri poteſt Bellarmin. lib. 1. de Sacrament. in com. Cornelius à Lapide in citatos Sac. Scripuræ locos, & alij.

XV. Reſpon. 6. ad confirmationem Gerhardi, aliud longè Romano-Catholicos Doctores intelligere per pignus, quàm hæreticos per ſuum ſigillum. Nam nos Catholici ſupponimus, à Deo fuiſſe nobis promiſſum Chriſtum, & gratiam per hujus merita dandam, quâ juſtificemur & ſalvemur. *Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ioan. 3. v. 16. Et *benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus in Chriſto.* Ephes. 1. v. 3. Hanc igitur promiſſionem utpote rei longè præſtantiſſimæ ut plurimi faceremus, animiſque noſtris piâ gratáque recordatione frequenter obijceremus, voluit DEUS, ut indicat Catechiſmus Romanus de Sacram. quaſdam ejus aſſecurationes dare, & inſtituere Sacramenta, hoc eſt, ſacras cæremonias, atque his, dum eas exercemus, veluti arrhis ac pignoribus ſe nobis obligare ad gratiam conferendam vel ſtatim, quando illæ ceremoniæ uſurpantur, uti nunc contingit in noſtris Sacramentis, vel poſt aliquod tempus, uti accidebat in Sacramentis antiquis, per quæ indicabatur gratia hoc tempore danda, nempe per Novæ legis Sacramenta. Unde manifeſtum eſt, tam vetera quàm nova Sacramenta non eſſe propriè promiſſiones, hoc eſt, obligationes primitus factas, ſed aſſecurationes obligationis jam ante contractæ, adeóque arrham & pignus gratiæ per Chriſti merita dandæ.

Nec ali-

Nec aliud volunt Romano-catholici Doctores, ſi ſubinde Sacramenta vocant promiſſiones, quibus promittebat & repromittebat DEUS mundo Chriſtum venturum ad ſalvandos homines; & ſic Card. Lugo de Sacram. in communi D. 1. Sect. 2. n. 17. ait, eadem Sacranemta paſſim à D. Paulo vocari repromiſſiones, ut ad Heb. 8. v. 6. & cap 11. v. 9. atque alibi. S. Auguſtinus quoque lib. 19. contra Fauſtum ſcribit, *antiqua Scaramenta omnia fuiſſe gratiæ futuræ promiſſiones*; & ibidem cap. 13. hæc habet: *prima Sacramenta, quæ juxta veterem legem uſurpabantur, fuerunt annuntiationes venturi Chriſti, quæ, poſteaquam adventu ſuo implevit, antiquata ſunt, & alia inſtituta virtute majora, utilitate meliora, factu faciliora, numero pauciora.* Sectarij verò, dum Sacramentum vocant ſigillum, volunt per iſtud confirmari promiſſiones; Lutherani quidem factas à Chriſto in Evangelio de venia peccatorum & conſecutione ſalutis æternæ excitando ac roborando fidem juſtificantem: Calviniſtæ verò factas à DEO de benevolentia & gratia prædeſtinationis, & cum hæc eadem DEI promiſſio non applicetur & profit, niſi mediante fide, ut hæc firma ſit, & non vacillet, ajunt, promiſſionem illam per Sacramenta confirmari & obſignari, ut itidem certi ſint divinæ erga ſe Benevolentiæ & Prædeſtinationis; quaſi verò divina promiſſio talis ſit, quæ ut plenam fidem faciat, externo teſtimonio indigeat, aut quaſi externa illa ſigna & ſymbola clariora ſint, & notiora: quàm ipſa divina verba ſive Promiſſio.

XVI. Ex dictis quatruplex & luculentum diſcrimen apparet inter Romano-catholicos & hæreticos Lutheranos ſcilicet & Calviniſtas. *Primum.* Catholici Sacramenta appellant pignora fœcunda gratiæ, ſeu aſſecurationes ex liberali DEI voluntate conceſſas: hæretici verò eadem dicunt ſigilla ſeu nudas confirmationes promiſſionum, quaſi hiſce aliàs inſufficientibus diffiderent. *Secundum.* Catholici concedunt gratiam intrinſecam & ſanctificantem ex meritis Chriſti dandam: hæretici verò pertinaciter illam negant, rati, per ſolam fidem ſpecialem nos juſtificari & ſaluari. *Tertium.* Catholici volunt, Sacramenta eſſe aſſecurationes divini promiſſi, & pignora gratiæ dandæ: hæretici verò ajunt, Sacramenta eſſe ſigilla remiſſionis peccatorum obtentæ, & benevolentiæ de gratia prædeſtinationis ab æterno factæ. *Quartum.* Catholici nullam inde infallibilem certitudinem acceptæ gratiæ affirmant, quia Sacramenta vetera illam ſolùm ſignificabant aliquando dandam: nova autem certas diſpoſitiones in ſuſcipiente requirunt, de quibus nemini ordinariè conſtat, an ſecum illas afferat: heretici autem ſecuros ſe inde iactitant; Lutherani quidem de venia peccatorum accepta: Calviniani verò de benevolentia Prædeſtinationis exhibita. Ex his Gerhardus, niſi cæcus ſit, infirmam ſuam confirmationem facilè perſpiciet.

XVII. *Error ſecundus.* Ad Sacramentum requiri neceſſariò ſignum viſibile, nec ſufficere aliud alio ſenſu perceptibile. Ita ex communi aliorum Sectariorum Ameſius tom. 3. fol. 5. Probat. Tum quia omnia Sacramenta veteris Teſtamenti ex viſibili ſigno conſtabant. Tum quia ſi aurium perceptio ſufficeret, tum nulla differentia foret inter Sacramentum & Evangelij prædicationem. Tum quia Chriſtus hâc ratione, cum paralytico dixit Luc. 5. v. 10. *remiſſa ſunt tibi peccata tua*, adminiſtraſſet ipſi Sacramentum. Tum quia omnes ſcholaſtici ad exiſtentiam Sacramenti requirunt elementum à verbo diſtinctum (illud ut materiam, hoc ut formam) juxta illud S. Auguſtini tract. 80. in Ioan. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Errorem iſtum apertè reijcit Tridentinum, Seſſ. 13. c. 3. ubi Sacramenta dicuntur *inviſibilis gratiæ forma viſibilis*, id eſt, ſenſibilis, poſito ſcilicet præcipuo ſenſu pro quolibet alio, ut jam diximus ab initio, & conveniunt in hoc omnes Theologi, nec Ameſius diſſentiret, n iſi in ipſo pruritus contradicendi prævaleret, uti leviſſimæ ejus probationes oſtendunt. Reſpon. ad 1. vetera Sacramenta non præjudicare Chriſto, quò minùs aliter ſignum in novis Sacramentis inſtituere valeat. Ad. 2. prædicationem Evangelij nec pignus eſſe gratiæ, nec inſtitutam fuiſſe ad ſignificandâm & efficiendam gratiam juſtificantem. Ad 3. Chriſtum pro poteſtate ſua agere, nec dependere à ſignis ad remittenda peccata, quibus tamen ſignis opus habent ejus Miniſtri. Ad 4. ſpiſſum eſſe mendatium, cum plerique omnes oppoſitum apertis verbis tradant; imò Logici jam ſciunt, materiam & formam non ſemper diſtincta realiter eſſe oportere. Sed ubinam apud iſtum Biblicum Prædicantem Sac. Scriptura? ex qua nec tentat aliquid.

XVIII. *Error tertius.* Pro forma Sacramenti ex natura hujus requiritur verbum aliquod concionale. Ita communiter hujus temporis Sectarij, Speciatim Calvinus Lib. 4. Inſtitut. cap. 14. §. 4. quem ſequitur diſcipulus ejus Ameſius Tom. 3. fol. 15. ubi etiam ex eo, quod aſſeramus, in omnibus Sacramentis inveniri res, ut materiam: verba ut formam, infert, matrimonium & Pænitentiam non eſſe dicenda Sacramenta novæ Legis; quia non conſtant omnino ex rebus & verbis. Nituntur tum Authoritate D. Auguſtini, qui Tracta. 80. in Joan. ſic ſcribit: *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur.* Ergo non eſt vis in ipſis verbis, niſi quatenus inſtruunt & excitant fidem. Tum quia ſignificatio Sacramenti non poteſt celebrari ſine ejuſmodi verbo concionali, hoc eſt, inſtructionis. Tum quia conſecratio illa Papiſtica per verba eſt magia.

XIX. Errorem hunc in Concilio Florentino in decreto unionis damnatum reijciunt omnes Catholici. 1. quia in baptiſmo verba illa à Chriſto inſtituta Matth. 28. v. 20. *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Univerſa Eccleſia ſemper intellexit, non eſſe concionatoria, ſed conſecratoria; par eſt ratio de verbis aliorum Sacramentorum. 2. quia Patres apertè indicant verba formæ in Sacramentis eſſe conſecratoria; videri poſſunt apud valentiam Tom. 4. Diſp. 3. Quæſt. 1. pun. 2. ſufficiat ſolus S. Dionyſ. Ariopagita qui in lib. de Hierach. Eccles. cap. 7. part. 3. poſtquam locutus eſt de divinæ comunionis auguſtiſsimis ſignis, ita ſubjungit: *At verò efficientes conſecrationis preces non eſt fas ſcripto interpretari.* 3. quia in tota ſemper Eccleſia moris fuit, atque etiamnum eſt, verba formæ in adminiſtratione Sacramentorum referre ad conſecrationem ſeu benedictionem materiæ; *velle autem damnare tantam univerſæ Eccleſiæ praxin, inſolentiſſima eſt inſania*, ut rectè. S. Auguſtinus cenſet epiſt. 118. ad Januarium. 4. quia fruſtranea eſt concio vel inſtructio, cum baptizatur infans, aut etiam adultus jam diu ante, planè edoctus de myſterijs

Digitized by Google

myſterijs Fidei. Cum jam vulgò conſtet, hederam eſſe ſignum vini vendibilis, nunquid ridiculus foret, qui hederæ addendam judicaret epigraphen hanc: *hedera hæc ſignificat vinum vendibile?*

XX. Reſpon. ad 1. in oppoſitum S. Auguſtinum negare duntaxat aquæ vim tantam à verbo, quatenus iſtud eſt ſonus quidam materialis & tranſiens, non verò quatenus eſt aptum credi; continens videlicet & ſignificans objectum fidei à nobis credendum; quâ ratione & genuinâ expoſitione S. Pater non eſt contra nos, ſed pro nobis. Ad 2. falſum hoc eſſe, & prorſus fruſtra fingi ab Ameſio, ut ex recens dictis abunde conſtat. Ad 3. tam impiè quàm ſtolidè hic objici magiam. Nam Magia locum non habet, niſi quando ad effectum aliquẽ adhibetur cauſa minimè ad eum proportionata ac ſufficiens, qui proinde vel expreſſo vel tacito pacto à dæmone expectatur, ut alibi docetur. Hic autem ex inſtitutione Chriſti vim habent verba ad effectum conſecrationis. Minimè ergo ex diabolo, ſed ex Chriſto ejuſmodi oritur effectus. Ad id, quod de Matrimonio & Pœnitentia addit Ameſius, negamus illatum & probationem illius. Nam Pœnitentia pro materia habet rem, ſcilicet contritionem, quæ per confeſſionem ſe prodit: in matrimonio verò pro forma ſufficiunt verba æquivalentia nempe nutus, aliave ſigna, quibus internus conſenſus perinde exprimitur, ac ſi formalia verba uſurparentur.

CONTROVERS. LXIII.

DE MINISTRO SACRAMENTI: & Intentione hujus.

VIdimus priore Contr. §. 5. Concilum Florentinum in inſtructione Armenorum ad Sacramenta perficiendâ requirere tria; videlicet Materiam, Formam, & Perſonam Miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Cum igitur duo priora expediverimus, ad tertium progredimur; ſcilicet perſonam; & hujus maxime legitimam intentionem; ſine qua Sacramentum confici nequit.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Ex vi prædentis Inſtitutionis ſolus quidem homo eſt ordinarius Sacramentorum Miniſter: non tamen omnes etiam adulti poſſunt eſſe quorumlibet Sacramentorum Miniſtri. Prior pars deſumitur ex inſtitutione Chriſti, qui ſolis Hominibus; & quidem Viatoribus hanc poteſtatem conceſſit, quantùm ex Scriptura & Tridentino conſtat. Poſterior definitur à Tridentino Seſſ. 7. can. 10. conformiter Sac. Scripturæ, ex qua habetur, in Eccleſiâ eſſe officiorum diſtinctiones, ſicut in omni bene ordinata Republ. non omnes ſunt Duces, ſed alij præſunt, alij ſubſunt

II. *Doctrina ſecunda.* Valor Sacramenti non pendet à probitate aut fide Miniſtri. Ita omnes Catholici quoad utramque partem. Prior definitur à Tridentino Seſſ. 7. can. 12. ubi dicitur: *ſiquis dixerit, Miniſtrum in peccato Mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema ſit.* Poſterior pars habetur eâdem Seſſione de Bapt. can. 4: *ſiquis dixerit, baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis, in Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit.* Cæterùm quomodo Miniſtri ad ſtatum gratiæ teneantur, & quando licitè adminiſtratio peti ab ipſis poſſit, ad Theologos Morales pertinet.

III. *Doctrina tertia.* In Miniſtro requiritur aliqua intentio faciendi, quod facit Eccleſia, ſive voluntas conficiendi Sacramentum. Ita etiam Omnes Catholici, habeturque in Tridentino Seſſ. 11. his verbis: *ſiquis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Ratio eſſe poteſt; quia actiones externæ Sacramentorum ſunt ex ſe indifferentes & ad varios actus ordinabiles. Ergo ut ſint tales, quas Chriſtus inſtituit, determinari debent per actionem Miniſtri. Porro in rem præſentem quatruplex à Theologis diſtinguitur intentio; nempe Actualis, quando actu & de præſenti adeſt voluntas conficiendi Sacramenti. Habitualis, quando eſt quidem præterita, non tamen retractata. Virtualis, quando itidem intentio eſt aliquo modo præterita, ſed tamen manet in aliquâ virtute poſt ſe relicta, & ſic influit in opus. Indirecta ſeu Interpretativa, quando quis vult cauſam, ex quâ prævidet ſecuturum effectum. Ex his etſi Actualis intentio optima ſit, & ſecuriſſimus intendendi Modus, nihilominus Doctores hanc unicè non requirunt, ſed ſufficere dicunt virtualem ad Sacramentum validè conficiendum. Nam hic etiam ſolet eſſe humanus & Ordinarius Modus liberè Operandi, quando ad perfectionem operis requiritur aliqua temporis diſtantia. Et certè niſi hæc intentio ſufficeret, innumera Sacramenta redderentur dubia, innumeris ſcrupulis implicarentur Fideles, ac Sacramentorum adminiſtratio fieret periculoſiſſima: obligatio verò eadem adminiſtrandi valde exoſa & ſupra vires humanas gravis evaderet. Nam quotus quiſque eſt, qui minimas diſtractiones in hujuſmodi actionibus cavere valeat? Quomodo autem non obſtantibus hujuſmodi diſtractionibus animi nihilominus actiones externæ non ſolùm rectè fiant, ſed etiam procedant ex illa præexiſtente intentione, explicant Scholaſtici, è quibus aliqui ſemper intervenire putant tenuiſſimos voluntatis actus: alij ſufficere arbitrantur, ſi potentiæ externæ ſemel ſint applicatæ, & operari cœperint: Nonnulli non improbabiliter autumant, voluntate ex defectu cognitionis ligatâ actiones externas dependenter ab appetitu ſenſitivo peragi, abſque augmento quidem meriti, ſed quod fideles in oratione diſtracta communiter non attendunt.

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

IV. Error primus eſt Donatiſtarum, Sacramenta miniſtrari invalide à Manifeſtis peccatoribus; quod de occultis etiam aſſerverunt Huſſitæ, & Wiclephiſtæ apud Waldenſem Tom. 2. de Sacram. c. 2. & ſeq. Agrippinus Epiſcopus Africanus voluit iterari oportere ſacramenta ab hereticis adminiſtratá tanquam invalida defectu Fidei. Idem pòſt cenſuit D. Cyprianus & defenderunt mordaciſſimè Donatiſtæ Fundamentum omnium fere unicum eſt iſtud, quod impius ſacerdos & hæreticus Miniſter dare non poſſit id, quod non habet. Sed ille virtutem & gratiam iſte etiam fidem non habet. Ergo &c. Errores hos pluribus refellunt D. Auguſtinus alijque Doctores, ſed omnia eorum argumenta ad hanc fundamentalem rationem, quâ utitur S. Thomas q. 64. art. 5. & 9. revocari poſſunt. Conditio accidentalis Miniſtri, quatenus is in adminiſtratione Sacramentorum eſt inſtrumentum Dei, non conſetur eidem neceſſaria ad hoc, ut id Miniſterium ſit efficax. Sed talis conditio eſt Fides, probitas &c. Ergo ea non eſt neceſſaria. Major patet, Minorem S. Auguſtinus inde probat Tract. 5. in Ioan. quod Miniſter non ſuo, ſed Chriſti nomine atque hujus authoritate agat, ad quod improbitas & infidelitas Miniſtri velut inſtrumenti per accidens ſe habet. Unde pulchrè idem S. Pater ait; *Frater, quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus.* Ad fundamentum oppoſitum dicimus cum ijſdem Authoribus, Sacerdotem non quidem habere gratiam formaliter, poſſe tamen dici, illam habere inſtrumentaliter & miniſterialiter, quia revera Miniſter eſt cauſa aliquo modo gratiæ, non quidem principaliter (ſive ſit juſtus, ſive non) ſed Miniſterialis per actionem quam exercet.

V. *Error ſecundus.* Intentio Miniſtri non requiritur ad eſſentiam & integritatem Sacramenti. Ita ex communi ſenſu modernorum Hæreticorum Gerhardus Lib. 2. fol. 799. & ſeq. Ameſius Tom. 3. fol 17. ubi ait, præter externam expreſſionem intentionis adminiſtrandi Sacramentum requiri quidem etiam aliquam internam intentionem, ſed materialem duntaxat de rebus & verbis inſtitutis adhibendis: non verò internam illam formalem conficiendi Sacramenti, quam Bellarminus alijque Papiſtæ exigunt. Probant 1. Authoritate Doctorum Romano-Catholicorum. Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſanus unus ex Patribus Concilij Tridentini peculiare ſcriptum edidit, in quo diſtinguit duplicem intentionem, unam faciendi ſimpliciter actum externum, quem facit Eccleſia: alterùm faciendi actum externum non ſimpliciter, ſed Sacramentalem ſive animo celebrandi myſterium, quod Chriſtus inſtituit & Eccleſia celebrat. Priorem intentionem affirmat requiri: Poſteriorem negat requiri; idque multis teſtimonijs & argumentis confirmat. In eundem ſenſum docent Thomas Aquinas 3. Part. queſt. 64. art 9. ad 2. & alij. 2. Improbitas Miniſtri aut etiam hæreſis non labe factat Sacramenti eſſentiam. Ergo nec ejuſdem non-intentio, velut ſpecies generis. 3. Exodi 4. v. 25. Sephora uxor Moyſis irata abſque intentione circumcidit Filium, & tamen fecit Sacramentum. 4. Miniſter volens ritum alienum vel hæreſin introducere, rite conficit Sacramentum, ut non pauci tenent Doctores Romani, ſi ſolùm materiam & formam legitimam adhibeat. Ergo etiam abſque intentione, cum hoc multò minus ſit. 5. aliàs ſalus hominis penderet ab arbitrio Miniſtri. 6. Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum nihil de intentione curans reſpondet, ſi baptizatus eſt à Judæo ſub debita forma & materia, Sacramentum eſſe validum, ut habetur tom. 3. Concil. & c. à quodam Judæo de conſecrat. diſt. 2. 7. Athanaſius adhuc puer per ludum & jocum baptizans alios pueros rite hos baptizavit, ut cenſuit Alexander Epiſcopus Alexandriæ. 8. Geneſius Mimus baptiſmo ludicrè collato fuit juſtificatus, & Martyr poſtea factus 9. Ad valorem contractuum ſufficit, exterius requiſitas actiones præſtare etiam abſque animo ſerio, ſed ficto ſolùm. Ergo idem de Sacramentorum adminiſtratione dicendū eſt, quia hæc Sacramenta homini committuntur humano modo adminiſtranda. 10. denique in Agente inſtrumentario ſufficit ſola intentio cauſæ Principalis.

VI. Errorem hunc ex concilijs Florentino & Trident. reijciunt omnes Catholici Doctores (ſi ſolùm Catharinum excipiamus, de quo mox) & meritò illa Concilia pro alláta Doctrina noſtra intelligunt. 1. Concilium Tridentinum damnat hæreticos non admittentes intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. At iſti non negant, neceſſarium eſſe intentionem faciendi actum externum & materialem, ut patet ex allatis verbis Ameſij. 2. inutile eſſet determinare, neceſſariam eſſe ad valorem Sacramenti *intentionem faciendi, quod facit Eccleſia,* ſi per hoc nihil aliud intelligeretur, quàm intentio faciendi actum externum; cum fieri nequeat, ut Miniſter præviâ deliberatione Materiam & formam Sacramentorum adhibeat, quin habeat intentionem eas adhibendi. 3. Idem Tridentinum ſeſſ. 14. de pænit. cap. 6. abſolutionem non valere ſtatuit, *ſi deſit ſacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſolvendi;* id eſt, niſi ſacerdos proferendo verba abſolutionis ſuper debitam materiam intendat verùm adminiſtrare Sacramentum pænitenti. Ergo ex illius mente etiam non ſufficit, velle applicare exterius Materiam & formam Sacramenti, ut habeatur illa intentio Eccleſiæ, quæ ad valorem Sacramenti eſt neceſſaria. Non dici poteſt, Eccleſiam duo facere, actiones externas ſine joco externo, ac deinde Sacramentum cum effectu illius, ac ſufficere, ſi alterum ex his facere velit Miniſter. Nam Concilia indefinitè loquntur; requirendo intentionem faciendi, quidquid facit Eccleſia, & non ſatis eſt; aliquid tantùm illius facere. Cur autem intentio Materialis ad eſſentiam Sacramenti non ſufficiat, ratio à priori eſt. Illa intentio requiritur, quæ apta eſt denominare Miniſtrum Chriſti, hoc eſt operantem nomine Chriſti & ex commiſſione hujus. Atqui talis non eſt intentio præcisè faciendi actiones externas; ſiquidem hanc aliquis proprio nomine & abſque elevatione iſtarum ad rationem Sacramenti exercere poteſt vel inſtruendo alterum, vel merè repræſentando. Ergo hæc intentio non ſufficit, ſed debent actiones illæ externæ eſſe exercitæ in Nomine Chriſti, & ex commiſſione hujus, quod abſque intentione interna ponendi Sacramentum fieri non poteſt.

VII. Reſpondetur ad 1. ab authoritate, opinionem Ambroſij Catharini non differre ab opinione [illegible]mſij & aliorum hæreticorum, niſi quod Catharinus abſque ulla contumacia ſubijciat ſe Apoſtolicæ Sedi & Concilio: hæretici autem in errore ſuo pertinaces utrumque rideant. D. Thomas non vult prolationem externam verborum ſufficere ad Sacramentum in ſe, ſed quoad nos, ſeu ad pacandas conſcientias ſuſcipientium; quia quamdiu non conſtat, Miniſtrum cum prava intentione adminiſtrare, piè credendum eſt, eum ſyncerè agere, & Eccleſia; quæ de occultis non judicat, tale Sacramentum ratum habet. Plus non velle S. Doctorem, colligitur ex art. 10. ſeq. ubi ait, *tolli veritatem Sacramenti, quando Miniſtri intentio pervertitur reſpectu ipſius Sacramenti*; *puta*, inquit; *cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſoriè aliquid agere.* Cæteri quoque Doctores Catholici procul abſunt ab hac opinione, & aliam diverſam tradunt, nimirum iſtam; ſi fortè in Miniſtro deſit intentio faciendi Sacramentum, & hoc exterius conſtare non poſſit, DEUM ex infinita ſua Bonitate ſuppleturum eſſe illum defectum intentionis, conferendo illi homini non quidem characterem (ob nullitatem Sacramenti) ſed gratiam ſanctificantem. Videri poteſt Diana 3. Part. Tr. 4. Reſ. 17. qui ſententiam hanc non quidem approbat, nullâ tamen cenſurâ etiam notat. Card. Lugo Tom. de Sacram. in genere D. 1. n. 14. adducit Joan. Marium Stribonium natione Gallum, qui in Summa Theolog. Diſp. 1. de Sacram. q. 6. & 7. ſepultam Catharini opinionem reſuſcitare voluit. Sed hujus vel alterius particularis error veritati communis doctrinæ Catholicæ nihil præjudicat.

VIII. Ad 2. Omiſſionem Intentionis poſſe fieri abſque culpa, ideóque non contineri per ſe ſub genere improbitatis, tanquam ſpeciem ejuſdem. Et ſi etiam culpabiliter contingeret, non habet ſe iſta non-intentio impertinenter ad Sacramentum, ſicuti improbitas vitæ, cum abſque intentione interna faciendi Sacramenti Miniſter non agat nomine Chriſti, & ex commiſſione hujus, nec quicquam efficiat. Dependet ergo poſitio Sacramenti ab illa intentione Miniſtri, minimè verò à probis vel malis ipſius moribus. Ad 3. Sephoram ex ſubito quidem motu & terrore circumcidiſſe filium ſuum, non tamen omiſiſſe intentionem faciendi id, quod ſolent facere Iſraelitæ juxta DEI mandatum. Taceo ex Sacramentis Veteris Teſtamenti non licere argumentari ad Sacramenta Novi Teſtamenti; aliàs ſicuti illa, ita etiam iſta non requirerent certa verba, velut formam. Ad 4. Negando Conſequentiam. Nam is, qui intendit introducere novum ritum aut hæreſin, vel mutat formam ſolùm accidentaliter, vel ſubſtantialiter; ſi hoc, non conficit Sacramentum ex comuni Theologorum: ſecus ſi illud; quia non repugnat, eum, qui animo inducendi novum ritum aut hæreſin in Eccleſiam, mutare ſolùm accidentaliter formam, ac ſimul habere legitimam intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ſicuti de facto Græci utuntur formâ illâ: baptizetur ſervus Chriſti. Ad 5. retorquendo. Nunquid etiam Miniſter poteſt ponere vel non ponere legitimam materiam aut formam? Etſi ergo applicatio medij ſalutiferi ſit penes Miniſtrum: ſalus tamen hominis non à Miniſtro, ſed à DEO eſt, qui medium illud inſtituit, & defectum miniſtri in applicatione ſupplere varijs modis poteſt.

IX. Ad 6. Pontificem non egiſſe de intentione, ſed hanc ſupponendo reſpondiſſe, Baptiſmum à Judæo collatum valere, ſi materia & forma ritè ſint applicata, hoc eſt, cum debita intentione faciendi, quod Chriſtiani in ſua Eccleſia facere ſolent. Ad 7. Athanaſium adhuc puerum in luſu puerili verè baptizaſſe; quia intendit facere, quod viderat in templo fieri ab Epiſcopo. Unde dicitur inter pueros baptizaſſe ſolos Catechumenos. Ad 8. exemplũ Geneſij non patrocinari Adverſarijs. Tum quia intentio ludicra fuit exteriùs manifeſtata, quo caſu etiam fatentur non fieri Sacramentum. Tum quia ipſi quoque Adverſarij requirunt in adulto ſerium in Sacramentum conſenſum, qui tamen in propoſito non adfuiſſe videtur. Quapropter vel DEUS extraordinariè utrumque illuminavit & inſtigavit ad volendum verum baptiſmum: vel Geneſius fuit juſtificatus per actum contritionis, & in modum veri baptiſmi omnis ei pœna remiſſa. Et quidem in Geneſio facilè oſtenditur ſufficiens deſiderium baptiſmi; quippe repente ipſi Cœlum oſtendit bene longum ſcelerum, quæ patraverat, catalogum, atque his, modò velit, ſpongiam Baptiſmum promiſit. Unde ille ardentiſſimè Baptiſmum ac Chriſtum inclamavit, nec poſtea inter graviſſima tormenta ſanguinem ac vitam dare pro hoc dubitavit. Ex qua inopinata mutatione Geneſij facilè etiam fieri potuit, ut fictus ille Miniſter commotus intendere ceperit, quidquid per tales actiones ſolerent Chriſtiani. Ad 9. negando Anteced. ſaltem quoad contractus, ſeu quaſi contractus liberalis donationis, qualis fit per Sacramentum; omnes enim requirunt intentionem verbis conformem, hoc eſt, animum transferendi dominium. Deinde dato Antecedente, negatur conſequentia & paritas. Nam ut bene Eſparza tom. 2. de Sacrament. in genere. Quæſt. 13. art. 3. ad 1. hoc ideò eſt in humanis, quia homo non poteſt intueri cor & animum alterius: DEUS autem novit cor & animum Miniſtri juxta illud Reg. 15. v. 17. *Dominus autem intuetur cor.* Ergo ſi in Miniſtro non adeſt animus operandi nomine DEI, DEUS quoque non vult præſtare illum effectum, quem præſtat, quando Miniſter nomine DEI agere intendit. Ait Ameſius, verbum DEI nunquam requirit talem internam Miniſtri intentionem ad ſuum effectum producendum, cum utique ſit liberale Dei donum. Ergo nec Sacramentum. Negatur conſequentia. Diſparitas eſt. Tum quia ad excitandam fidem nulla requiritur efficientia, ſed nuda ſignificatio, quæ etiam à pſittaco præſtari poteſt. Tum quia verba concionatoria ſunt ſpeculativa: Sacramenta verò ſunt practica. Ad 10. hoc verum eſſe de mero inſtrumento, cui commiſſa eſt nuda alicujus operis executio. At miniſtri non ſunt mera inſtrumenta inanimata, ſed animata, ut diſtinguit S. Thomas q. 64. cit. art. 8. ad 1. diſpenſatores ſcilicet myſteriorum DEI & Judices, qui cum aliqua authoritate Sacramenta adminiſtrant. Quare Chriſtus non vult Sacramentum validè conferri niſi dependenter ab eorum intentione & voluntate.

***

CON-

CONTROVERS. LXIV.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

IN ſtatu Innocentiæ ſeu Naturæ integræ nullum de facto fuiſſe Sacramentum; paſſim omnes Theologi docent, quidquid ſit, an Adamo non peccante Sacramenta nihillominus inſtituta fuiſſent. Utrum in ſtatu Naturæ lapſæ ante Circumciſionem fuerit aliquod Sacramentum, non convenit inter Doctores; etſi opinio affirmativa ſit longè communior & probabilior. De ſtatu Legis Veteris & Novæ.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Sacramenta in Lege antiqua ſeu Moyſaica fuerunt plura. Ita Catholici, habeturque ex Concilijs Florentino & Tridentino, cum comparant noſtra Sacramenta cum Sacramentis antiquis, & in hoc ſolùm ponunt differentiam, quòd noſtra cauſent gratiam, non antiqua, ſed figurarint dandam per noſtra. Quænam autem illa fuerint: & quàm convenienes illorum cauſa extiterit, pulchrè oſtendit S. Thomas 1. 2. q. 120. art. 5. qui videri poteſt, cùm de his non adeo controvertatur, ſed maximè de novæ Legis Sacramentis.

II. *Doctrina ſecunda.* Sacramenta in Nova Lege ſunt ſeptem nec plura, nec pauciora. Ita omnes Catholici, & definitur à Tridentino Seſſ. 6. can. 1. *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto Ieſu Dominò noſtrà inſtituta, aut plura vel pauciora eſſe, quàm ſeptem; videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Evchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem Ordinem & Matrimonium: aut etiam aliquod horum non eſſe verè & propriè Sacramentum; anathema ſit.* Et licet hic numerus nec in ſacris litteris, nec in Patrum Scriptis diſertè poſitus reperiatur, tamen ab Apoſtolis traditus eſt juxtà regulam S. Auguſtini Lib. 4. de Baptiſmo c. 24: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs ſtatutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolicâ authoritate traditum eſſe, rectè creditur.* Cùr autem Chriſtus Sacramenta ſeptennario numero concluſerit; duæ potiſſinum rationes à Theologis afferri ſolent ex duplici fine petitæ; quorum prior fuit omnium hominum neceſſitati tam privatæ quàm publicæ conſulere: poſterior, hominem omni genere virtutum armare. Primum igitur declarat S. Thomas 3. Part. q. 65. art. 1. ſimilitudine corporis humani, quod pro ſeipſo 1. indiget generatione. 2. augmentatione; 3. nutritione. 4. medicinâ. 5. corroboratione virium. 6. pro Republica, atque inprimis Magiſtratu. 7. demum pro prolis propagatione. Sic anima ſpiritualiter generatur Baptiſmo; augetur Confirmatione, nutritur Euchariſtiâ, curatur medicinali Pœnitentiâ, corroboratur Extremâ unctione: Eccleſiæ neceſſarius Magiſtratus datur per Ordinem: proles per Matrimonium, ut nihil deſit cuiquam in ulla gratia. Alterum ſic explicamus. Armaturæ ſpirituali ſeptem præcipuæ virtutes ſunt neceſſariæ. Nimirum tres Theologicæ Fides, Spes, Charitas: Et quatuor Cardinales, Prudentia; Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, quibus totidem Sacramenta reſpondent. Fidei Baptiſmus. Spei Confirmatio. Charitati Euchariſtia. Juſtitiæ Pœnitentia. Fortitudini Extrema unctio. Prudentiæ Ordo. Matrimonio Temperantia. Ita Chriſtus ſapientiſſimè omnia *diſpoſuit in Numerò Pondere, & Menſurâ* Sap. 11. num. 21.

III. Traditionem, quâ, ut diximus, nitimur in tenendo Sacramentorum ſeptennario; nonnulli Doctores ex antiquis Patribus copiosè demonſtrant. Nos plura dicemus agendò de ſingulis Sacramentis. Nunc unus S. Auguſtinus omnium inſtar nobis ſit. Is igitur agnoſcit Baptiſmum & Euchariſtiam L. 3. de doctri. Chriſt. cap. 9. ſic ſcribens: *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & conſervatione caſtiſſimâ ipſe Dominus & Apoſtolica tradit diſciplina, ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini.* Agnoſcit Confirmationem Lib. 2. contra litt. Petiliani c. 10. his verbis: *In hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſacro-ſanctum eſt, ſicui ipſe baptiſmus.* Agnoſcit Pænitentiam Lib. de adulterinis conjugijs cap. 26. & 28. ſic loquens: *Eadem eſt cauſa Baptiſmi & Reconciliationis, ſine quibus homines credunt, ſe non debere exire de corpore.* Agnoſcit ordinem Lib. 2. contra epiſt. Parmeni. c. 13. ubi: *utrumque*, inquit, *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur; illud cùm baptizatur: iſtud cum ordinatur, ideòque in Eccleſia catholica utrumque non licet iterare.* Agnoſcit Externam unctionem ſerm. 215. de Tempore, ubi hæc habet: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenit, Corpus & Sanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat: ac deinde Corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: infirmatur aliquis, inducat presbyteros & orent ſuper eum ungentes oleo.* Agnoſcit denique matrimonium Lib. 1. de Nupt. & Concupiſc. cap. 10. ubi hæc leguntur: *Hujus Sacramenti res eſt, ut mas & fœmina connubiò copulati quamdiù vivunt, inſeparabiliter perſeverent.* Similia S. Pater de ſingulis ex ſeptem Sacramentis habet alibi, nec ullum eſſe puto, qui in recipiendò Sacramentorum numerò tanto Eccleſiæ Doctori non conſentiendum cenſeat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

IV. *Error primus eſt.* In veteri Teſtamento duo tantum propriè dicta Sacramenta fuerunt. Ita Gerhardus Lib. 2. Part 2. fol. 882. & cæteri hæretici ſolam Circumciſionem, & Eſum Agni Paſchalis prò Sacramentis agnoſcentes. Errorem hunc reijciunt SS. Patres & Catholici Doctores, plura Sacramenta in veteri Teſtamento quàm duo affirmantes. D. Auguſtinus Epiſt. 118. ad Ianuar. *Chriſtus, ait, Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis Societatem novi populi colligavit, ſicuti eſt baptiſmus*

baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus: & communicatio Corporis & Sanguinis Domini. Cum autem ſciamus S. Patrem in Teſtamento novo ſeptem Sacramenta agnoviſſe, & tamen plura aſſerat in veteri Lege, abſque dubio fuerint plura, quàm duo; quod etiam apertè docet & oſtendit S. Thomas loc. cit

V. *Error ſecundus.* Incredibilis hæreticorum variatio circa numerum Sacramentorum in Novo Teſtamento. Unum Sacramentum nempe Baptiſmum aſſeruit Lutherus in lib. de capit. Babyl. *ſi*, inquit, *juxta Scripturam loquendum.* Sed ibidem Baptiſmo Euchariſtiam & Pœnitentiam addit, & ſic tria admittit. In fine deinde duo retinet; quamvis in medio ejuſdem libri etiam ſeptem reijcere non velit. Melanchthon in ſuis locis Com. anno Chriſti 1536. 43. 52. & in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ art. 13. affirmat *Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam* (quod ultimum prioribus annis rejecerat) *eſſe verè & propriè Sacramenta.* Doctores Wittenbergici in Synodo Lypſiæ celebrata anno. 1548. (cui interfuit Melanchthon) ſtatuerunt *ſeptem Sacramenta eſſe admittenda.* Poſtea tamen concluſerunt, *quinq; eſſe retinenda.* Joan. Gerhardus de Sacramentis in communi fol. 860. ſic pronunciat: *Duo tantùm Sacramenta Novi Teſtamenti ſic propriè dicta ſunt, Baptiſmus & Euchariſtia.* Zwinglius in lib. de verba & falſa Religione *tria Sacramenta ſtatuit Baptiſmum, Euchariſtiam, & Matrimonium.* Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 18. & 20. ait quidem duo tantùm eſſe Sacramenta, nempe Baptiſmum & Cœnam; mox tamen §. 31. Sacramentis annumerat ordinationem, ut tria Sacramenta amplecti videatur; quamvis Ameſius Tom. 3. fol. 45. abſolutè aſſerat; *nos duo tantùm Sacramenta Novi Teſtamenti agnoſcimus*, ut ita plerique hodie tàm Calviniſtæ, quàm Lutherani Binario Sacramentorum ſint contenti. Videantur DD. à Walenburg Tom. 2. fol 15. & apud hos, quid in hoc negotio Wicleffus ſcripſerit. Probant Sectarij opinionem ſuam hiſce ferè argumentis 1. Sacramenta Novi Teſtamenti reſpondent Sacramentis veteris Teſtamenti; in eorum enim locum ſucceſſerunt. Atqui in Vet. Teſtamento duo tantùm fuerunt propriè dicta Sacramenta Circumciſio & Agnus Paſchalis. Ergo &c. 2. Sacra Scripura nullibi dicit; ſeptem eſſe Sacramenta; imò eadem negat eſſe, dum Apocal. 17. v. 7. *Angelus vocat Sacramentum Beſtiam, quæ ſeptem cornua habebat.* Ergo ſeptenarius Sacramentorum numerus potius ad Antichriſtum pertinet, qui per illam Beſtiam ſignificatur. 3. Antiqui Patres & Doctores Catholici tantùm hæc duo agnoverunt. Nam S. Auguſtinus de catechiſmo c. 4. ait: *exivit ſanguis & aqua, quæ ſunt Matris Eccleſiæ gemina Sacramenta.* Rupertus Abbas Tuitienſis ante 500. annos in lib. 12. de vict. verbi DEI cap. 11. interroganti, quot ſint Sacramenta; reſpondet duo. Alexander Alenſis Franciſcanus ante annos 400. in Summa Theologiæ Part. 4. q. 8. memb. 7. art. 2. ait; videri duo tantùm Sacramenta. 4. Duobus tantùm convenit definitio Sacramenti, nempe Baptiſmo & Euchariſtiæ, non item cæteris. Ergo &c.

VI. Hunc errorem jam rejecimus ex authoritate & Traditione Eccleſiæ, quæ certè hâc in re magni facienda eſt, quia nec id quidē ſatis perſpectum habere poſſumus, quænam ſit ratio & eſſentia ſeu Materia & Forma Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ tamen Sacramenta ab omnibus admittuntur. Nam tametſi Chriſtus dixerit & præceperit Apoſtolis, ut baptizarent in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti: itemque Euchariſtiam ſub ea forma tradiderit, *hoc eſt Corpus meum &c.* nihilominus non idcircò ſciremus in ijs ipſis verbis ejuſmodi Sacramentorum formam conſiſtere, aut ea neceſſariò per modum formæ adhibenda & pronuncianda eſſe, niſi id Eccleſiaſtica Traditio ita doceret; quando aliàs etiam Apoſtolus Coloſſ. 3. v. 17. præcipit, *ut quodcunque facimus, in verbo & in opere, omnia in Nomine Domini JESU Chriſti faciamus*; non utique ea verba ſemper pronunciando, ſed actiones noſtras ad Chriſti gloriam dirigendo, atque in ijs Chriſti opem invocando, Hanc Sanctæ Matris Eccleſiæ traditionem & directionem inſuper habentes hæretici in turpiſſimam illam, quam vidimus, opinionum varietatem devenerunt, ut nec Lutherani cum Calvinianis, neque illi aut iſti inter ſeipſos conſentirent. Probationes, quas pro ſe afferunt, ob ignorantiam, fraudem, & calumniam non quidem merentur refutationem, & ex dictis facilè refelluntnr. Nihilominus breviter.

VII. Reſpon. ad 1. negando inprimis Majorem. Ex quo enim Scripturæ loco habetur; Sacramenta utriuſque Teſtamenti debere numero eſſe paria? Deinde in quo loco Scripturæ etiam Circumciſio & Agnus paſchalis vocantur Sacramenta? non negamus fuiſſe Sacramenta, ſed ſolùm quærimus; unde Adverſarij contra negantem probare poſſint, cùm nullibi hoc nomine appellentur? Demum Minorem falſam eſſe, paulò ante oſtendimus in refutatione primi erroris; communiter enim docent Theologi cum S. Thoma 12. q. 102. art. 3. & 5. cit. in Veteri lege præter Circumciſionem & Agnum Paſchalem, Sacramenta fuiſſe Eſum Panum propoſitionis, Ordinationem & Unctionem ſacerdotum, Ablutiones quaſdam, & omnia Sacrificia expiatoria pro peccatis immunditiam aliquam legalem tollentia &c. Ad 2. nullam eſſe conſequentiam: hoc non eſt in Biblijs, Ergo non eſt credendum; quia non omnia credenda in Biblijs ſunt expreſſa, ut diximus in Controv. de Sac. Scriptura. Quod additur ex Kemnitio de Beſtia Apocalyptica, eſt calumnia, quæ redundat in ipſos hæreticos; ſi enim ſeptem Sacramenta noſtra ſunt ſeptem cornua Antichriſti, neceſſe eſt, etiam Baptiſmum & Euchariſtiam eſſe cornua Antichriſti; quæ tamen ipſimet Sectarij admittunt. Adhæc per ſeptem Capita intelliguntur ſeptem Reges, non ſeptem Sacramenta. Videatur textus. Ad 3. S. Auguſtinum non dicere, quod duo tantùm ſint Sacramenta; ſed quod tantùm duo fuerint ſignificata per aquam & ſanguinem è latere Chriſti crucifixi profluentes. Si etiam aliqui Patres ex hoc loco duo Sacramenta tradunt, non idcirco alia negant. Idem ſi per Sanguinem Euchariſtia fluxit ex latere, ubi Panis? fluxit ne iſte etiam ex latere Chriſti? niſi ſub una ſpecie malunt nobis Cœnam dare. Cæterùm Patres aliter etiàm hæc explicant, & duo Baptiſmata *per ſanguinem & aquam* deſignari volunt; unum in Sanguine, id eſt, Martyrium: alterum in aqua; Baptiſmum. Videatur Maldonatus ſup. cit. loc. Joannis. Ad Rupertum quod attinet, non magna eſt ejus authoritas apud Catholicos, cum manifeſtè errarit circa Sacramenta, ut oſtendit Bellarminus de Scriptorib. Eccleſiaſticis V. Rupertus.

Deinde

Digitized by Google

Deinde falſò citantur ejus verba; non quærit, quot ſint Sacramenta, ſed quot ſint præcipua Sacramenta? neque reſpondet eſſe duo, ſed tria Baptiſmum, Euchariſtiam & Pœnitentiam. Alexandrum Alenſem quoque falſò citant, quia non ex ſententia ſua dicit, eſſe tantùm duo Sacramenta, ſed per modum obiectionis opponit, videri tantùm duo, cui obiectioni reſpondet & oſtendit, eſſe ſeptem Ad 4. negando ſolùm duobus, & non cæteris quinque convenire definitionem Sacramenti; imò in hoc omnia ſeptem Sacramenta convenire univocè ſupra jam diximus, & eſt hæc ſententia nunc communior inter Doctores, ut teſtatur Tanner Tom. 4. D. 3. Quæſt. 1. n. 45. Nec doctrinam noſtram oppugnare poſſunt hæretici, quin ſua Sacramenta è medio tollant, ut ſatis ex dictis patet.

CONTROVERS. LXV.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM.

Effectus Sacramenti in communi tres aſſignantur. Gratia habitualis ſeu Sanctificans, Actualis, & Character. Ut autem hi effectus habeantur; imò ut ipſe valor etiam Sacramenti ſubſiſtat, certa in ſuſcipiente requiritur diſpoſitio, de quibus omnibus hîc decidendum.

PARS PRIOR

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Sacramenta omnia Novæ Legis in Suſcipiente rite diſpoſito cauſant Gratiam ſanctificantem. Ita definitur in varijs Concilijs & noviſſimè in Tridentino Seſſ. 7. can. 6. *Siquis dixerit, Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non-ponentibus obicem non conferre, anathema ſit.* Conſentiunt quoque Græci & Latini Patres apud Cardin. Bellarminum Lib. 2. de Sacram. in communi cap. 6. & 7. Sumitur hæc veritas ex ijs Sac. Scripturæ locis, in quibus Sacramenta conferre dicuntur effectus gratiæ ſanctificantis, ſcil. *Remiſſionem peccatorum, juſtificationem, ſalvationem, mundationem, vivificationem &c.* ut Baptiſmus Epheſ. 5. v. 29. Confirmatio Actorum 8. v. 17. Euchariſtia Joan. 6. v. 58. Pœnitentia Joan. 20. v. 23. Extrema unctio Jacobi 5. v. 13. Ordo 2. Timotheum 1. v. 7. Matrimonium Ephes. 5. v. 31. *relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*; quæ unio ſupponit unionem animorum per gratiam; etenim diſſidentibus animis nec ſtabilis cohabitatio, nec copula fideliter ſervatur. Præter gratiam ſanctificantem conferri etiam à Sacramentis Virtutes infuſas, & dona Spiritûs Sancti tanquam individuos comites illius, tradit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. ubi dicitur *homo in ipſa Juſtificatione hæc omnia ſimul accipere Fidem, Spem, Charitatem &c.* ut perinde ſicuti per Gratiam participamus divinam naturam, ità per Virtutes divinum operari.

II. *Doctrina ſecunda.* Sacramenta Novæ Legis non-ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato. Ita omnes Catholici, habetúrque itidem ex Trident. Seſſ. 7. cit. can. 8. *Siquis dixerit, per ipſa Novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema ſit.* Pro intellectu hujus doctrinæ ſciendum, duplicem eſſe modum cauſandi gratiam; unus dicitur ex opere operato: alter ex opere operantis. Ille actus dicitur ex opere operato conferre gratiam, qui vim habet conferendi gratiam non propter bonitatem & meritum, ſed propter inſtitutionem divinam; ſicuti ablutio Baptiſmi parvulis nihil merentibus, & peccaminosè à Sacerdote adminiſtrata tamen infundit gratiam: Ille verò Actus, qui ex vi ſuæ bonitatis ac meriti confert gratiam, uti opera charitatis, dicitur conferre gratiam ex opere operantis. Jam omnia Sacramenta ex inſtitutione Chriſti hominibus rite diſpoſitis conferunt gratiam, ut ſi peccator cum ſola attritione confiteatur, quæ per ſe non ſufficeret ad delenda peccata mortalia, niſi accederet abſolutio Sacramentalis à Chriſto inſtituta.

III. *Doctrina tertia.* Quædam Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis conferunt primam gratiam: quædam ſecundam. Ita omnes Catholici, pro cujus intelligentia ſciendum, Gratiam primam & ſecundam intrinſecè & eſſentialiter non differre, ſed tantùm extrinſecè per connotationem ſubjecti vel imbuti gratiâ, vel iſtâ privati; ſi gratia per Sacramenta collata inveniant ſubjectum omni gratiâ deſtitutum, dicitur gratia prima: ſi verò inveniat id jam ornatum gratiâ, dicitur ſecunda, ſicuti in alteratione naturali numerantur 1. 2. 3. &c. gradus. Jam quædam Sacramenta inſtituta ſunt ad remittenda peccata mortalia, quod fit per primam gratiam, ut Baptiſmus & Pœnitentia, quæ idcirco vocantur Sacramenta Mortuorum, ut illos vivificent: cætera quinque inſtituta ſunt ad augendam & perficiendam gratiam per acceſſum ulterioris gratiæ, quæ proinde requirunt ſubjectum jam gratiâ informatum & vivificatum, atque ideo vocantur Sacramenta vivorum. Quodſi contingat, eos, qui ſuſcipiunt Sacramenta mortuorum, jam eſſe vivos, & gratiâ imbutos, tunc Sacramentum ſuperveniens confert gratiam ſecundam, & ipſa perceptio tanquam actus meritorius adhuc aliud incrementum gratiæ ex opere operato adjungit. Si verò contingat, eos, qui ſuſcipiunt Sacramenta vivorum, deſtitui primâ gratia, quam bonâ fide habere arbitrantur, tunc probabile eſt, quod præter alios tenet Arriaga de Sacram. in genere Diſp. 16. Sect. 1. illis conferri primam gratiam, dummodo generalem dolorem habeant de ſuis peccatis. v. g. aliquis in ſtatu peccati mortalis ſubitò apoplexiâ tangitur, ut rationis deſtitutus non poſſit confiteri, ſed accipit extremam unctionem, cujus virtute per accidens acquiret primam gratiam & remiſſionem peccatorum alioquin damnandus, modò prius generalem aliquem dolorem habuerit de ſuis peccatis. Videri poteſt cit Author, cujus ſententiam plures nunc Recentiores amplectuntur, nec alienus ab eadem eſt Card. Bellarm. Lib. 4. de Euchariſt. c. 19.

IV. *Doctrina quarta.* Non omnia Sacramenta parem gratiam conferunt, ſed unum majorem altero, prout ipſum majoris eſt dignitatis. Et quo-

niam Euchariſtia omnium Sacramentorum eſt digniſſimum, utpote Chriſtum ipſum non tantùm ſignificativè, ſed realiter continens, ejus perceptio præ omnibus Sacramentis uberrimam gratiam confert. Quin etiam idem Sacramentum uni plus gratiæ tribuit, quàm alteri, prout melius diſpoſitus fuerit juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 7. aſſerens, *juſtitiam per Baptiſmum recipi* (adeóque vi Sacramenti ex opere operato) *ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & coöperationem*. Ergo ſi adultus juxta menſuram propriæ diſpoſitionis accipit gratiam, ſequitur, Sacramentum plus conferre magis quàm minùs diſpoſito. Quod ſanè rationi & æquitati conſonum. Tum quia etiam in cauſis naturalibus videmus, ſolem plus lucis immittere in conclave, quod habet majores & clariores feneſtras: & vocem tantò clariùs reſonare, quantò aër purior fuerit. Tum quia aliàs diligens præparatio ſæpe fructu careret; ſiquidem peccator accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ cum intenſiſſima attritione plus non acciperet quàm alius peccator leviſſimè attritus; cum attritio peccatoris etiam intenſiſſima, quatenus præcedit gratiam Sacramentalem, non mereatur etiam de congruo ullum gradum gratiæ, ut hîc ſupponimus. Tum quia decebat planè ita fieri ad excutiendum fidelium torporem, devotionem excitandam &c. Spectat etiam ad Providentiæ DEI perfectionem, ut promoveat honeſtos hominum conatus & ferventem uſum gratiæ antecedenter præhabitæ, donando largiùs non ſolùm plus merenti, ſed etiam melius diſpoſito, ut bene Eſparza de Sacram. in com. Q. 26. art. 2.

V. *Doctrina quinta.* Etſi ordinariè Gratia Sanctificans detur in ultimo inſtanti, quo perficitur uſus Sacramenti, ſi tamen eo tempore animus non ſit diſpoſitus ad gratiam recipiendam propter occultum aliquod peccatum mortale, tum differtur Gratia, donec obex per contritionem vel confeſſionem removeatur. Ita plerique Theologi cum S. Thoma Part. 3. q. 69. art. 10. & D. Auguſtino, qui hoc ſpeciatim docet de Baptiſmo L. 1. de Bapt. cap. 12. inquiens, *Baptiſmum à Schiſmatico receptum, poſtea quando reconciliatur Eccleſiæ, incipere illi prodeſſe ad ſalutem.* Similiter ſiquis bonâ fide communicat nullius peccati mortalis conſcius, quod tamen in anima latet, tum in ipſa communione nullam accipiet gratiam, ſed jus ad gratiam recipiendam, quando removerit obicem per actum Pœnitentiæ; ſi verò ſcienter indignè communicat, nec jus ad gratiam, nec ipſam gratiam, quæ eſt effectus illius communionis, accipiet, ut volunt plerique Scholaſtici; non deſunt tamen, qui cum Arriaga Diſp. 14. n. 16. valde probabiliter velint, omnia Sacramenta reviviſcere, quæ poſſunt validè & tamen cum obice gratiæ ſuſcipi. Ratio deſumitur ex divina Bonitate, cui conſentaneum eſt, ut intuitu meritorum Chriſti per Sacramenta exhibitorum moveatur ad dandam gratiam eam, quamprimum fuerit ſubjectum capax, ſicuti vir bonus, qui creditorem tempore ſolutionis faciendæ non reperiens diſpoſitum, alio tempore ſolvit. Confirmatur. Quia nulla videtur poſſe aſſignari ſufficiens ratio diſparitatis, ob quam aliqua Sacramenta debeant eam virtutem habere, aliqua verò non, aut ſola Euchariſtia.

VI. *Doctrina ſexta.* Quodlibet Sacramentum ex Noſtris habet propriam & Specialem Gratiam, quæ dicitur Sacramentalis. Ita Catholici Doctores cum S. Thoma 3. part. q. 62. art. 2. Nam ſingula ordinantur ad diverſum finem. Baptiſmus ad regenerandum. Confirmatio ad roborandum. Euchariſtia ad nutriendum &c. uti etiam tradit Catechiſmus Romanus q. 2. art. ult. Gratia autem iſta Sacramentalis non eſt ſpecialis habitus tam à Gratia Sanctificante, quàm cæteris virtutibus in juſtificatione infundi ſolitis diſtinctus, ſed eſt ipſa gratia communis, quatenus connotat ſpecialia quædam auxilia divina ſuo tempore conferenda, & ordinata ad illum ſpecialem effectum ac finem, ad quem Sacramentum eſt inſtitutum; ut expreſsè docet S. Thomas loc. cit. & poſt multos alios Theologos Eſparza loc. cit. quæſt. 28. Ratio prioris eſt, quia nihil opus eſt habitu ſpeciali ad finem Sacramenti, cum nullus ſpecialis aſſignari poſſit effectus, pro quo non ſufficiat gratia communis & virtutes cum auxilio actuali, quidquid nonnulli putarint. Ratio poſterioris eſt, quia cum quodvis Saramentum ordinetur ad proprium effectum & finem, ſequitur, rite ſuſcipienti debere gratiam conferri illi fini competentem v.g. Baptiſmus, quia hominem in DEI famulatum adſciſcit, eique certas leges obſervandas proponit, ideo confert ſpeciales gratias ad implendam DEI voluntatem. Confirmatio quia hominem in Chriſti militiam adſcribit ad propugnandam ejus fidem, ideo generoſam fortitudinem confert ſpreto metu & pudore. Euchariſtia quia divinam amicitiam fovet, ideo devotionem & amorem excitat. Pœnitentia quia pro injurijs DEO Satisfacere ſatagit, ideo ad opera pœnitentiæ impellit. Extrema unctio ad ultimam luctam opportunis telis inſtruit. Ordo ad cultum divinum ſanctè ac religioſè peragendum & caſtitatem ſervandam auxilia ſubminiſtrat. Matrimonium denique ad ſervandam conjugalem caſtitatem & concordiam ac patientiam juvat.

VII. Itaque in Sacramentorum ſuſceptione non confertur nuda gratia & virtutes, ſed ſimul exigentia ſive jus ad certa auxilia tempore opportuno danda & proportionata fini, quem Sacramentum intendit. Unde gratia ſanctificans, ut connotat hanc exigentiam, ſeu jus ad actualia auxilia dicitur Sacramentalis. Et licet hæc gratia Sacramentalis conferatur in matrimonio & ordine, revera tamen Gratia Matrimonialis connotat alia auxilia, quàm ordinis; & par eſt ratio de alijs Sacramentis, quæ idcirco differunt inter ſe non formaliter & ſpecificativè, ſed ſolùm materialiter & individualiter, quia totum hoc (Gratia ſcilicet. & talis auxiliorum exigentia) ordinatur ad ſanctitatem bonorum operum, quamtumvis diſtinctis vijs & modis. Porro ſicuti jus ad illa auxilia pendet à Gratia ſanctificante, ita etiam hâc pereunte extinguitur, quia propter ipſam datum eſt, & ſublato principali etiam acceſſorium tollitur. Siquis ergo gratiam ſanctificantem in Sacramento perceptam ſubſequenti peccato mortali extinguit, hoc ipſo perdit jus ad gratias actuales intuitu illius Sacramenti debitas; ſi verò per Pœnitentiam recuperet priſtinam gratiam ſanctificantem illo Sacramento collatam, probabiliſſimè etiam recuperat jus ad gratias actuales illi annexas.

VIII. *Doctrina ſeptima.* Effectus Sacramenti tertius eſt Character, per quem intelligitur ſignum aliquod ſpirituale & indelebile, animæ impreſſum

Digitized by Google

preſsũ. Ita omnes Catholici. Explicatur. Character eſt nomen græcum, & ſignificat ſignum alicui impreſſum, ut ab alijs dignoſcatur. Quemadmodum igitur Monetarij nummis, Mercatores mercibus, Domini ſuis equis certum aliquod ſignum imprimere ſolent, ita DEUS ſuis Fidelibus certum aliquod ſignum imprimit. Et ſicut olim DEUS Judæis corporale ſignum circumciſionis impreſſit, ita nunc ſpirituale aliquod ſignum animabus imprimit; quod inſinuatur Ezechielis c. 9. v. 4. ubi juſſus eſt Angelus *ſignum Tau frontibus hominum imprimere.* Et Apocal. 7. v. 3. ipſimet Angeli dicunt, *ſignemus ſervos DEI noſtri in frontibus eorum.* Ejuſdem characteris meminit Apoſtolus 2. Cor. 1. v. 21. *unxit nos DEUS & ſignavit nos.* Ephes. 1. v. 13. *ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Ibid. 4. v. 30. *nolite contriſtare Spiritum Sanctum DEI, in quo ſignati eſtis.* Imprimitur autem Character non in omnibus Sacramentis, ſed tantùm in tribus, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione, & ordine, ut habet Catholica veritas jam olim definita ab Innocentio III. c. Major. Et noviſſimè à Tridentino Seſſ. 7. can. 9. *ſiquis dixerit, in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcil. Confirmatione & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam Spirituale & indelebile, unde iterari non poſſunt, anathema ſit.* Quod quidem ex Scriptura probari clarè non poteſt, ſed nititur aliquâ traditione Eccleſiæ, cui DEUS id revelavit, & cui non minùs credendum, quàm Scriptoribus Bibliorum, cum ex ejuſdem Spiritûs Sancti infallibili inſtinctu proveniat, atque idcirco ab Apoſtolo Eccleſia vocetur *columna & Firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15. Et *qui illam non audierit, habendus pro Ethnico & Publicano* Matth. 18. vers. 17. Cur autem Chriſtus in his tribus ſolùm Sacramentis voluerit imprimi Characterem, congrua ratio reddi poteſt ex uſu humano. Nam tria tantùm hominum genera ſolent certis notis inſigniri. 1. ſervi & mancipia inuſtis ſtigmatibus, ne facilè diffugiant. 2. milites certi coloris balteis, ut ſciatur, cui parti militent, cum in conflictu propter fumum vix aliter dignoſci queant. 3. Aulici veſtimentis certi coloris & formæ, ut ſciatur, quinam admittendi ſint in aulam ad ſervitium Principis. Ita Fideles, cum primùm baptizantur, fiunt ſervi Chriſti: cum deinde confirmantur, milites: cum demùm ordinantur, fiunt officiales in Aula Chriſti. Et ideo in his tribus Sacramentis character imprimitur, eſtque ſignum merè ad placitum, ut communiter volunt Theologi; quomodo enim naturaliter ſignificare poteſt, me eſſe domeſticum, militem, aut miniſtrum Chriſti?

IX. Eſt igitur Character aliquid phyſicum, reale, & intrinſecum ſuſcipienti, nempe eſt qualitas quædam ſpiritualis & ſupernaturalis ipſi animæ ſubſtantiæ impreſſa, ut communiter docent Theologi ex citatis Conciliorum verbis. Ratio deſumitur ex duplici fine Characteris; primus, ut hominum ſtatus diſtinguat: alter, ut poteſtatem quandam moralem activam vel paſſivam conferat in ordine ad alia Sacramenta. Nam character Baptiſmi reddit hominem capacem aliorum Sacramentorum, quæ alioquin non valerent. v. g. ſiquis non baptizatus ordinetur ſacerdos, Ordo eſt nullus. Character Confirmationis facit capacem Sacramenti Ordinis; quantumvis enim Ordo validè à non confirmato recipiatur, tamen non licitè propter legem Eccleſiæ, quam DEUS præfixit. Character Ordinis poteſtatem tribuit ad conficienda Sacramenta Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, Extremæ unctionis alioquin non valitura. Diverſorum Sacramentorum characteres inter ſe differre ſpecie, communior eſt Doctorum ſententia. Ratio ſumitur ex diverſis finibus, ad quos ſinguli ordinantur; & diverſa omninò denotant; unde aliqui non improbabiliter volunt, ſingulorum etiam ordinum characteres ſpecie inter ſe differre, quia ſinguli adhuc habent ſignificationem valdè diverſam. Alij tamen aliter ſentiunt; quæ lis parvi eſt momenti & alibi decidenda. Demum characterem tam in hac quàm in altera vita eſſe indelebilem, colligitur ex praxi Eccleſiæ, quæ reſuſcitatum à mortuis nec rebaptizat, nec reordinat; nempe quia in eo manet character prior; cujus ratio melior afferri non poteſt, quàm voluntas Dei; unde etiam non dependet à gratia ſanctificante; nec per peccatum mortale vel impeditur vel extinguitur. Quæmadmodum autem Inſigne hoc animæ inſtar gemmæ in Beatis fulgebit, ita in damnatis potius erit ad ipſorum dedecus, quàm ornamentum, quod tàm perditè Chriſtum Dominum ſuum deſerverunt, cui ſinguli obligati fuerant, perinde ferme, ac ſi aliquis nobilis cum aureis calcaribus in patibulo ſuſpenderetur.

X. *Doctrina octava.* Tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti conſiſtentis in uſu requiritur in adulto aliqua poſitiva intentio ſuſcipiendi Sacramentum. Ita omnes Catholici Doctores. Ratio clara eſt. Nam de Matrimonio, cum ſit contractus mutuam obligationem inducens, indubitatum eſt, ſtare illud ſine voluntate ſuſcipientis non poſſe. Nec Sacramentum Pœnitentiæ abſque ſuſcipientis intentione ſubſiſtit, cum ſit judicium includens voluntariam accuſationem Rei ſententiam à ſacerdote velut legitimo, Judice exſpectantis. Baptiſmus, Confirmatio, Ordo hoc ipſo, quod imprimant characterem, per quem homo ad certum ſtatum officium &c. deputetur, requirunt ſuſcipientis intentionem ac conſenſum, quando is præſtare illum poteſt, aut ſaltem potuit. Externa unctio cum afferat ſanitatem internam, requirit etiam in adulto aliquem conſenſum; nam, ut teſtatur Tridentinum, *adulti nunquam juſtificantur niſi per voluntariam ſuſceptionem.* Ergo omne Sacramentũ conſiſtens in uſu (in Euchariſtia enim utiq; res aliter ſe habet) requirit aliquã ſuſcipientis intentionem, ut bene diſcurrit Card. Lugo Tom. de Sacramentis in communi. D. 9. n. 116. Non obſtat Concilium Toletanum IV. relatum Diſt. 45. cap. 5. ajens, *vi baptizatos Judæos debere in fide permanere.* Nam non loquitur de vi aut coactione tollente conſenſum, ſed de extorquente; ſufficit autem in Baptiſmo conſenſus extortus, licet involuntario mixtus.

XI. Cæterùm ad valorem & effectum in pleriſque ſacramentis ſufficit in ſuſcipiente intentio merè habitualis, non tantùm habitualis explicita, ſed etiam implicita; quia ſufficit voluntas præterita non revocata, licet hic & nunc in ſua virtute nullo modo perſeveret. Atqui hæc voluntas eſt habitualis. Ergo &c. Præter ſufficientem intentionem (ſi pænitentiam eximamus; quæ dolorem tanquam eſſentialem ſui partem poſtulat) non requiri alium actum diſpoſitionis ad valorem Sacramentorum colligitur ex praxi Eccleſiæ, quæ, ut diximus, hæreticos non rebaptizat, ſupponens, Sacramentum ſine fide

Digitized by Google

& alijs actibus modò cum debita intentione fuerit collatum & ſuſceptum, eſſe validum, quod idem etiam de cæteris ſacramentis ſentiendum.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XII. Error primus. Sacramenta Novæ Legis nullam cauſare gratiam internam. Ita Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 2. fol. 810. Calviniani aud Ameſium Tom. 3. fol. 29. & cæteri hodie Sectarij, qui non agnoſcunt gratiam internam, ſed ſolùm imputationem extrinſecæ juſtitiæ Chriſti, adeóque totam Sacramentorum efficaciam ponunt in excitatione & roboratione fidei juſtificantis. Probant 1. Sac. Scriptura affirmat, hominem juſtificari per fidem. *Iuſtus ex fide vivit* Rom. 1. v. 18. Ergo non per Sacramenta niſi quatenus excitant fidem. 2. Marci. 16. Dominus agens de Fide & Baptiſmo ait tantùm de Fide, non de Baptiſmo, quod ejus defectus afferat condemnationen, *qui non crediderit, condemnabitur*. Ergo Fides eſt propria cauſa gratiæ & ſalutis, non Baptiſmus. 3. Roman. 4. v. 10. ait Apoſtolus, *Abrahamum non eſſe juſtificatum ex circumciſione, quæ erat Sacramentum veteris Legis, ſed ex Fide, cujus ſignaculum fuit circumciſio*. Ergo eodem modo Sacramenta Novæ Legis non juſtificant, niſi excitando fidem. 4. Ephes. 5. v. 26. ſcribit idem Apoſtolus de Eccleſia, *ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. ubi totavis baptiſmi tribuitur verbo; verbum autem operatur excitando fidem juxta illud Apoſtoli Rom. 10. v. 17. *fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti*. 5. In omni Sacramento requiritur verbum Promiſſionis. Sed ubi eſt promiſſio, ibi eſt & requiritur fides, Ergo fides eſt, quæ immediatè operatur & juſtificat. 6. Multi per fidem ſaluantur ſine Sacramento Baptiſmi, ut qui non habent à quo baptizantur: & è contra qui baptiſmum habent, damnantur. Ergo in Sacramento fides eſt, quæ juſtificat, non Sacramentum.

XIII. Ex hoc errore, qui ex dictis parte priore facilè reijcitur, multa & gravia abſurda ſequuntur. 1. Sacram Scripturam eſſe Sacramentum; quia excitat & roborat fidem, ēſtque divinitus inſtituta, & conſtat verbo & elemento, hoc eſt, chartâ & vocabulis, adeóque tota illorum definitio ei convenit. 2. Sacramenta eſſe ſupervacanea, quia illorum effectus Scil. excitatio ac corroboratio fidei faciliùs poteſt per contiones obtineri. 3. Baptiſmum Infantium eſſe ſupervacaneum, cum in illis ratione carentibus non poſſit fides excitati. 4. Sacramenta eſſe falſa ſigilla, quia teſtantur, accipientem fore ſalvum, cum multi ex baptizatis, & communicantibus deficiant à fide, & conſequenter damnentur. Tenenda igitur, quam dedimus, Doctrina Catholica, nimirum Sacramenta Novæ legis inſtituta fuiſſe, ut conferrent gratiam juſtificantem, adeoque effectum illorum eſſe gratiam internam pro quo duo ſingulariter notanda. *Primum*. Cum Sac. Scriptura tam frequenter loquatur & vaticinijs, & figuris, & expreſſis verbis, ut videre eſt apud Bellarminum Lib. 2. de Sacram. à cap. 3. & tamen ne ſemel quidem dicat, vim Sacramentorum conſiſtere in excitanda vel alenda fide, ſed ſemper explicet, conſiſtere in purgandis peccatis & mundanda Anima. Quis credat, finem Sacramentorum immediatum ſemper taceri, mediatum verò toties inculcari? *Alterum* ſi negare liceat, Sacramenta verè & immediatè ſanctificare, quod tamen ſcriptura tam apertè docet, eadem ratione negari poterit, Fidem juſtificare contra ipſos Adverſarios; Nihil enim Scriptura tribuit fidei, quod non etiam tribuit Sacramentis &c.

XIV. Reſpon. ad 1. negando imprimis conſequentiam; quia multæ eſſe poſſunt cauſæ juſtificationis in diverſo genere. Nam homo juſtificatur per Fidem tanquam per diſpoſitionem præviam: per Sacramenta tanquam per cauſam inſtrumentalem: per DEUM tanquam per cauſam Principalem: per Chriſtum tanquam per cauſam meritoriam; per gratiam juſtificantem tanquam per cauſam formalem. Verba adducta ex S. Paulo Rom. 1. malè Adverſarij ad ſuum errorem detorquent, cum juxta literam aliud non velint, ut videre eſt apud Tirinum in cap. 2. Habacuc v. 4. quàm juſtum ex fide, quam habet, expectare, quæ Deus promiſit, & non deficere, etiamſi promiſſiones tradari videantur. Deinde etiamſi verba illa in pravo Adverſariorum ſenſu admiterentur, non ſequitur, quod ipſi volunt; etenim homò fidelis non magis ex fide, quàm ex Sac. Evchariſtia vivit, inde tamen non bene inferent, fidem, ſpem, charitatem non eſſe cauſam gratiæ & vitæ, niſi mediante S. Evchariſtiâ. Demum malè negant, non poſſe plures cauſas inſtrumentales eſſe juſtitiæ & vitæ; cur enim id fieri & ad Deo decerni nequeat? Ad 2. ex Marci ult, Negando iterum conſequentiam, nunquid etiam 3. Ioan. v. 5. dixit Dominus: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum cælorum*; ex quo infertur, nos per baptiſmum renaſci ſeu regenerari, quod ſine gratia juſtificante fieri non poteſt. Atque hocipſum, ſcil. ſine baptiſmo non poſſe nos intrare in regnum cælorum includitur in illo Marci 16. Nam qui non credit, conſequenter non vult baptizari. Ait Ameſius fol. 29. qui credit, poteſt non velle baptizari. Verùm cum juxta iſtos Sectarios ille, qui verè credit, etiam ſperet & diligat Deum ſuper omnia adeóque juſtificetur; quomodo nolle poteſt præceptum Baptiſmi ſervare adeo ſeverè à Chriſto latum?

XV. Ad 3. ex epiſt. ad Rom. 4. fidem in Abrahamo non fuiſſe excitatam per circumciſionem, ſed hanc extitiſſe ſignaculum ſeu teſtimonium fidei jam antea habitæ, ut ſupra jam diximus; unde inferre nequeunt Adverſarij, fidem excitari per Sacramenta, ſed illam requiri ante horum ſuſceptionem, id quod nos affirmamus. Ad 4. ex epiſt. ad Ephes. 5. per verbum vitæ non intelligi verbum concionis aut prædicationis, quo excitetur fides; ſed intelligitur forma Baptiſmi ſeu verbum illud ſolenne: ego te baptizo &c. Senſus igitur eſt, Eccleſiam mundari per baptiſmum, qui conſtat ablutione aquæ & verbo baptizantis. Atque ſic exponunt omnes interpretes, quando agunt de ſenſu literali; oppoſita Adverſariorum gloſſa non eſt Apoſtolica, ſed Luthero-Calvinica. Ad 5. ex dictis de definitione Sacramenti in Communi conſtare, contineri in ea non tam divinam promiſſionem, quàm hujus promiſſionis aſſecurationem ſeu pignus gratiæ per Chriſtum

Digitized by Google

ſtum dandæ. Quodſi daremus etiam, requiri promiſſionem, & conſequenter fidem, inde tamen non ſequeretur, fidem immediatè, unicè, & per ſe juſtificare, ſed tantùm diſpoſitivè; ex quo apparet hoc Ameſij argumentum undiq; eſſe mancum ac nullum. Ad 6. itidem conſtare ex dictis & diſcrimine facto inter adultos & parvulos. Nam parvuli per baptiſmum ſine propriâ fide actuali: adulti verò ſalvari debent per baptiſmum & propriam fidem actualem; adeóque utrumque licet diverſo reſpectu, ſcil. per baptiſmum activè: per fidem diſpoſitivè. Rurſum per baptiſmum vel reipsâ, vel voto ſeu deſiderio ſuſceptum.

XVI. *Error ſecundus.* Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato, ſed ex parte utentis requiritur fides. Ita Gerhardus lib. 2. P. 2. fol. 827. cum ſuis Lutheranis; & Ameſius Tom. 3. cum ſuis Calvinianis. Probant. Tum quia nec in Scriptura, nec in Patribus invenitur hæc barbara & ridicula phraſis; adducit Ameſius fol. 21. in confirmationem hujus P. Vaſquez in. 3. Part. D. 131. c. 1. Tum quia S. Euchariſtia ſine fide nihil prodeſt, ut docet Bellarminus Lib. 3. de Euchariſtia c. 9. Ergo infert Gerhard. fol 823. Sacramenta non proſunt ex opere operato. Tum quia S. Auguſtinus apud Lutherum in Lib. contra cochlæum, & in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ art. 13. dixiſſe fertur: *non Sacramento, ſed fide Sacramenti nos juſtificari.* Tum quia abſurdè opponitur operi operato meritum agentis vel ſuſcipientis, cum detur tertium, nempe diſpoſitiones.

XVII. Errorem hunc ex Conclio Tridentino ſupra citato reijciunt & damnant omnes Catholici: nec vocabula quemque movere debent. Nam cum quibuslibet ſcientijs proprios artis terminos excogitare liceat; cur non etiam in Theologia ad res adeò abſtruſas clariùs & meliùs explicandas? Melius eſt, inquit D. Auguſtinus in Pſal. 138. *Ut nos reprehendant Grammatici, quàm ut non intelligant populi.* Quoad rem conſtat ex citatis Scripturis & Patribus, ipſa etiam Sacramenta per ſe habere vim ad conciliandam gratiam ex ipſa divina inſtitutione. Optimè S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. ait: *Sacramentum perſeipſum multùm valere.* Et L. 4. contra Creſconium c. 16. *non eorum*; inquit, *meritis, à quibus miniſtratur: neque eorum, quibus miniſtratur, conſtat baptiſmus, ſed propriâ ſanctitate atque veritate propter eum, à quo inſtitutus eſt.* Ubi in terminis quaſi declarat eam phraſin, quid ſit ex opere operato conferre gratiam. Et Cyprianus ſerm. de cœna Domini: *Sacramenta, quantum in ſe eſt, ſine propria virtute eſſe non poſſunt.*

XVIII. Reſpon. ad 1. probationem. Eſto, ipſa vocabula nec in Scriptura nec in Patribus inveniri, rem tamen ijſdem ſignificatam apertè inibi haberi, quod ſufficit. Nec aliud intendit Vaſquez citatus, qui idcirco retinet eadem vocabula in ſenſu, juxta quem illa ſumpſit Tridentinum. Ameſius ait quidem; ſe conſentire Vaſquezio, ſed cum gratiam internam, & efficaciam immediatam Sacramentis neget, totámque vim ſoli Fidei adſcribat, alieniſſimus eſt ab eodem, & fraudulenter loquitur. Ad 2. negando conſequentiam. Nam quantumvis in Sacramentis pleriſque (non omnibus) exigatur fides actualis, inde tamen non infertur, juſtificationem fieri ex opere operantis, ſed ex opere operato, quia etſi fides aliíque boni affectus voluntatis requirantur, ut diſpoſitio, non tamen ut meritum. Quapropter DEUS gratiam confert non præcisè, quantùm opus operantis exigit, ſed quantum ex opere operato & meritis Chriſti per quodvis Sacramentum conferre decrevit. Ad 3. luculentum eſſe mandacium, non argumentum probationis, ut bene Tanner Tom. 4. D. 3. Q. 3. n. 14. Nam S. Auguſtinus nuſquam ſic loquitur, ſed ubique juxta mentem antiquæ Eccleſiæ & aliorum Patrum ſcribit: ac nominatim quod Sacramentum Baptiſmi ex ſua inſtitutione vim ſalvandi habeat, ipſe apertiſſimè declarat epiſt. 23. ad Bonifacium ſic in fine de baptiſmo parvulorum ajens: *Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit &c.* Et infra de hocipſo Sacramento: *& tantùm valebit, ut ſi ante rationis uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſtiano adjutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etſi habeat fidei Sacramentum: longeque melior eſt ille parvulus, qui etiamſi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariâ opinione opponit, unde Sacramentum ejus ſalubriter recipit &c.* Hæc D. Auguſtinus, in quibus apertè affirmat, duo de fide certa; primum Sacramentum baptiſmi mundare parvulum ab originali peccato ſine fide ipſius: alterum Sacramentum conferre ſuum effectum illi, qui non ponit obicem peccati. Utrumque negant hæretici. Et cum infidelis ſit, qui priorem propoſitionem negat; huic autem directè adverſetur illa apud Lutherum, & in Apologia: *non Sacramento, ſed fide Sacramenti juſtificamur*, unum è duobus eſſe oportet, aut illam propoſitionem apud Lutherum, & in Apologia non eſſe Auguſtini, ſed falsò huic attribui: aut Auguſtinum eſſe infidelem, quod impium & nefas eſt ſentire. Ad 4. Ameſium abſurdè in re plena & expedita tricari. Nam diſpoſitio non eſt medium quid inter actionem Sacramentalem, ut à Chriſto inſtitutam, & actionem meritoriam hominis Sacramentum miniſtrantis; ſed planè pertinet ad cauſalitatem Sacramenti ex opere operato. Perinde ut Philoſophi dicunt, quatuor eſſe cauſas, Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem; diſpoſitivam & inſtrumentalem ſub illis intelligendo.

XIX. *Error tertius.* Sacramenta quædam Novæ Legis characterem imprimere indelebilem, eſt dubium & in certum. Ita Gerhardus Lib. 2. Part. 2. à. fol. 843. & Ameſius Tom. 3. fol. 42. poſt Wicleffum, Calvinum, Kemnitium & alios Lutheranos & Calvinianos. Afferunt varias ratiunculas 1 & potiſſima eſt; quia de charactere illo nullus in Scripturis extat character. 2. ſi character eſt ſignum ſpirituale, tum non eſt Sacramentale, quod à ſenſu percipi debet. 3. idem non hominibus, ſed DEO debet ſignificare. 4. debet etiam ſignificare aliquid minùs viſibile aut notum, quàm ſit res ſpiritualis. 5. ſi character ſit ſignum animæ impreſſum, tum vel mediante gratiâ, vel immediatè; non prius, quia multi characteres habent, qui nullam habent gratiam: neque poſterius, quia Sacramenta efficiunt gratiam immediatè. 6. ſi character ſit qualitas abſoluta; tum eſt bona vel indifferens. item vel generari vel creari debet per Sacramentum. Sed nihil horum conſiſtere poteſt. 7. officia tria characteri attribui ſolita ſunt effectus gratiæ. 8. ſi character ſit in ſola anima, tum

Digitized by Google

ma, tum à Sacramento externo vel non propriè imprimitur, vel ſine contactu ſubjecti, cui imprimitur. 9. ſi character ſit indelebilis, tunc manet in ijs, qui plenè recipiunt characterem beſtiæ, & ipſis etiam damnatis; ac proinde nec aptum facit ad cultum divinum, neque configurat Chriſto, neque diſtinguit ab alijs cum ullo fructu, quæ tamen dicuntur ejus officia. 10. nulla ratio veriſimilis dari poteſt, quare gratia à ſeptem Sacramentis efficiatur, & character tantùm à tribus, cum præſertim ſit qualitas abſoluta, & nihil abſolutum ſit proprium trium Sacramentorum.

XX. Hunc errorem reijciunt & damnant Innocentius III. c. Majores de Baptiſmo & ejus effectu. Eugenius IV. in decreto Fidei ſeu unionis, ut habetur poſt ultimam Seſſionem Concilij Florentini. Tridentinum Seſſ. 7. can. 7. de Sacrament. in genere, & quâ maximè nitimur, conſtans & perpetua Eccleſiæ Traditio, quæ habetur potiſſimum ex SS. Patrum teſtimonijs. Rationem hujus characteris aſſerendi Concilia Florent. & Tridentinum ex eo ſumunt, quod aliàs nulla cauſa aſſignari poſſit, cur ſolùm tria illa Sacramenta iterari non poſſint, niſi quia ejuſmodi indelebilem characterem imprimunt. Ratiunculæ, quas accumulat Ameſius, ex dictis parte priore apparent evanidæ, ne tamen blatero aliquid ſe dixiſſe putet.

XXI. Reſpon. ad 1. ex doctrina 7. conſtare, characterem non tam Sac. Scripturâ clarâ, quàm Traditione perpetuâ Eccleſiæ niti; quamvis etiam Scripturæ teſtimonia adduxerimus, quæ explicatius videri poſſunt apud Bellarminum Lib. 2. cit. c. 20. Authores Catholici, quos Gerhardus pro ſe adducit, quaſi Characterem nihili feciſſent, aliud non volunt, quàm quod diximus, non poſſe ſcilicet liquidò eum ex S. Scriptura demonſtrari. Durandi autem ſententiam, characterem non eſſe aliquid reale ab anima diſtinctum, ſed eſſe tantùm ens rationis, hoc eſt, reſpectum adventitium ex deputatione ad certum ſtatum & officium, rectè cenſuit Bellarm. Lib. cit. c. 19. vix diſtingui ab hæreſi hujus temporis, & damnatam videri à Concilijs; quæ ſi Durandus videre potuiſſet, aliud utique docuiſſet. Ad 2. diſtinguendo; non eſt Sacramentale ſignificans exterius & efficiens gratiam, conceditur: non eſt ſignum internum conſequens ipſum externum Sacramentale ſignum, negatur. Ad 3. Characterem DEO, & Spiritibus atque hominibus beatis ſignificare. Ad 4. eundem characterem ſignificare tria illa officia apud Bellarminum L. 2. c. 19. ſcilicet aptum facere ad cultum divinum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab alijs, in quibus nihil abſurdi. Ad 5. Sacramenta utrumque immediatè præſtare, hoc eſt, producere gratiam & characterem, poſitâ diſpoſitione requiſitâ. Ad 6. omnia conſiſtere; characterem eſſe qualitatem phyſicam, bonam, productam ex potentia obedientiali animæ. Ad 7. negando conſequentiam; antecedens etiam eſt mancum; etenim gratia ſanctificans non diſtinguit Angelum ab homine, aut hominem novæ Legis à Patriarchis, quod utrumque facit character. Ad 8. in ſequenti controverſia dicemus, probabilius videri, Sacramenta moraliter tantùm producere gratiam, hoc eſt, ad eorum exigentiam rite ſuſceptorum à DEO phyſicè produci gratiam in anima. Sic ergo tenemus, ad exigentiam Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ſuſceptorum produci etiam à DEO immediatè præter gratiam in anima characterem. Ad 9. characterem non præſtare illa officia in actu ſecundo ſemper & in omnibus ſubjectis ob horum indiſpoſitionem: at verò in actu primo poſſe eadem ex ſe præſtare. Ad 10. conſtare ex dictis, ex mero DEI arbitrio hæc dependere, atque idcirco non petendam eſſe eorum rationem; congruentiam tamen ex uſu humano reddidimus.

XXII. *Error quartus.* In ſuſcipiente Sacramenta etiam in uſu conſiſtentia non requiritur ad valorem illorum intentio: nec ad majorem ex illis fructum ſeu gratiam ex opere operato percipiendam melior diſpoſitio. Ita communiter hæretici hujus temporis, qui cum Gerhardo Lib. 2. P. 2. fol. 816. & alibi ſolam fidem requirunt ad fructum ſeu gratiam Sacramenti abſque intentione tam adminiſtrantis, quàm ſuſcipientes etiam ad valorem ejuſdem. Probant. Tum quia infantes rite baptizantur ſine ipſorum intentione, ut fatentur Papiſtæ. Tum quia Gloſſa in can. ſolet de conſecrat diſt. 4. aſſerit, ad veritatem baptiſmi ſufficere intentionem Miniſtri; quidquid ſuſcipiens intendat vel non intendat. Tum quia aliàs repetendus eſſet baptiſmus, ſiquis ſine intentione Baptiſmum percepiſſet. Tum quia in Sacramentis ſola fides attenditur, & quidem fides fiduciæ in divinam miſericordiam. Tum quia gratiæ diſtributio pendet à divina prædeſtinatione & voluntate, non à noſtra diſpoſitione. Tum quia juxta Pontificios Sacramenta cauſant ex opere operato ſeu ex ſolis meritis Chriſti. Ergo major & minor diſpoſitio ſuſcipientis nihil faciet ad augmentum ejus gratiæ & fructûs Sacramentalis.

XXIII. Errorem hunc utrumque reijciunt ac damnant omnes Catholici ex dictis Part. priore §. 4. & 9. Contra eundem eſt illud effatum Chriſti Matth ult v. 19. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Ubi neminem ex adultis invitum baptizandum ſupponitur; ſed ex doctrina & inſtitutione; cur autem ex hac inſtitutione meliùs diſpoſito non conferatur plus gratiæ etiam ex opere operato, cum verba illa Tridentini Seſſ. 7. can 6. ſupra citata, *juſtitiam recipi ſecundùm propriam uniuscujuſque operationem & diſpoſitionem*, generalia ſint, & ut ſonant, de omni diſpoſitione intelligi poſſint, ut eadem intelligunt communiter Doctores? Rationes in opoſitum nihil evincunt.

XXIV. Reſpon. ad 1. negando paritatem inter parvulum & adultum; Ratio diſparitatis ſumitur ex inſtitutione Chriſti, qui nuſquam talem reſpectu parvulorum intentionem requiſivit ad valorem Sacramenti; cujus teſtis eſt uſus Eccleſiæ, quæ c. Majores de adulto ait: *ille verò, qui nunquam conſentit, ſed contradicit, nec rem nec characterem ſuſcipit Sacramento.* De parvulis verò dicit: *Originale peccatum, quod ſine conſenſu contrahitur, ſine conſenſu per vim Sacramenti remittitur.* Ad 2. opinionem Gloſſæ in can. cenſeri erroneam à Theologis apud Tanner Tom. 4. Diſp 4. Q. 2. n. 32. qui pari ratione graviter cenſent opinionem alterius Gloſſæ in cap. cit. Majores, baptiſmum fore validum, modò is, qui ſuſcipit, exterius ſignificet, ſe velle eum ſuſcipere: etiamſi animo repugnet. Ad 3. nihil abſurdi eſſe in hac repetitione; imò eam fieri oportere, clarè indicat Pontifex cap. Majores cit, cum talis

nec

Digitized by Google

nec characterem ſuſcipiat, qui ſolus, ſi adſit, reiterationem baptiſmi prohibet. Ad 4. Fidem illam fiduciæ eſſe fictitiam, ut alibi diximus. Cæterùm ad valorem baptiſmi nec fidem veram, nec pietatem ſuſcipientis requiri, tenent omnes catholici ex certa ſententia & traditione Eccleſiæ quâ baptiſmum etiam ab hæreticis, & erga hæreticos adminiſtratum valere conſtat, ut docent etiam S. Auguſtinus Lib. 3. contrà Donatiſtas cap. 14. atque alibi. S. Gregorius Lib. 9. epiſt, 61. & alij Patres. Ratio eſſe poteſt, quia aliud eſt Sacramentum, aliud effectus Sacramenti; & ſicut Sacramentum non dependet à ſuo effectu, ita nec à diſpoſitione ad effectum; quin autem ex parte ſuſcipientis neceſſaria ſit fides, ut baptiſmus ab adulto fructuosè ſuſcipiatur, non negamus. Ad 5. tametſi hoc verum ſit, loquendo de gratia ſanctificante, DEUs tamen eam ſolet per certa media & accomodatè ad diſpoſitionem recipientis, ſi adultus ſit, conferre. In propoſito autem eſt talis diſpoſitio, ob quam Chriſtus merita ſua ita voluit applicare, ut in Sacramentis major gratia magis diſpoſito conferretur. Ad 6. denique cum Arriaga Diſp. 10. n. 69. negando conſequentiam. Quia Chriſtus ipſe, qui applicuit ſua merita Sacramentis, ità ea applicuit, ut voluerit majorem cauſari gratiam juxta meliorem diſpoſitionem; non quod ea diſpoſitio ſe habeat per modum cauſæ reſpectu illius gratiæ, ſed quia eſt per modũ conditionis. Diſcrimen autẽ inter cauſam moralem & diſpoſitionem conſiſtit in diverſitate affectûs divini, quo tendit in illa, & in prædicato diverſo, vi cujus movet Sacramentũ & diſpoſitio; Sacramentũ enim movet ut operatio facta nomine Chriſti, adeóque ut habens in ſe dignitatem movendi & impetrandi id, quod Chriſtus petit. Unde, quantum eſt ex ſe, Sacramentum habet vim movendi ad gratiam dandam etiam ſine ulla diſpoſitione, ſi Chriſtus eam non exigeret, ſicuti de facto non exigit illam in infantibus quoad baptiſmi gratiam; requirit tamen etiam in adultis characterem ad gratiam aliorum Sacramentorum. Sacramentum igitur movet in actu primo ad dandam gratiam omni illi, cui Chriſtus eam voluerit conferri. At in adultis non vult Chriſtus illam conferri, niſi ut diſpoſitis hoc vel illo modo. Ergo non ex defectu Sacramenti, ſed ex voluntate reſtrictiva Chriſti provenit, ut ex parte ſubjecti diſpoſitio attendi debeat. Diſpoſitio è contra non movet hoc modo, utpote carens hujuſmodi radicali dignitate, & ſupponit aliud motivum dignificatum & potens movere, quantum eſt in ſe independenter à diſpoſitione. Videatur citatus Author.

CONTROVERS. LXVI.

DE COMPARATIONE SAcramentorum.

SAcramenta vera & propria in utraque Lege tam Antiqua ſcil. quàm Nova fuiſſe, extra omnem Controverſiam eſt. Quomodo autem ſe habeat, an utraque paris ſint efficaciæ quoad gratiam, juſtificationem, & ſalutem hominibus conferendam, non convenit inter Catholicos & Sectarios hujus temporis; quæ lis impræſentiarum decidenda eſt.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Sacramenta Antiquæ Legis non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per Paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: Sacramenta verò Novæ Legis & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt. Ita in terminis Concilium Florentinum in decreto Eugenij in inſtructione Armenorum §. 5. Addit Tridentinum Seſſ. 7. can. 8. *Sacramenta noſtratia non ponentibus obicem conferre gratiam ex opere operato.* Ex his ſupra jam fuſius explicatis cum ſatis conſtet, Sacramenta Novæ Legis aliquo modo in genere cauſæ Efficientis concurrere & cauſare gratiam; reſtat tamen dubium, moraline tantùm, an etiam phyſico influxu non quidem per potentiam merè naturalem, ſed obedientialem id præſtent? Deciſio hujus non quidem eſt hujus fori, ſed planè ad Scholaſticos ſpectat; quia tamen Ameſius Tom. 3. fol. 20. inſulsè exprobat Bellarmino, quaſi cautè difficultatem hanc declinaſſet, placet paucis aperire mentem noſtram, quo modo Sacramenta noſtra gratiam producant.

II. Supponimus ex Philoſophia, dari potentiam Obedientialem in omni genere cauſæ, quâ creatura elevata aliquid ſupra naturæ vires cauſat atq; hanc potentiam Obedientialem activã dari in quavis entitate (ſaltẽ quæ ſuapte naturâ productiva eſt) ad quemlibet effectum producendum, cum nulla hujus appareat implicantia. Nam imprimis talis potentia abſolutè & intrinſecè eſſet naturalis, utpote identificata enti naturali, & ſolùm extrinſecè ſupernaturalis, quia ad terminum ſupernaturalem. Deinde etſi intellectus produceret v.g. volitionem, non tamen diceretur volens, ſed habens volitionem, quia illud vitale etiam certum ſubjectum requirit. Denique prædicta potentia foret infinita extrinſecè ſolùm ratione connotati, non autem intrinſecè ratione propriæ entitatis. Hâc igitur Potentiâ obedientiali Sacramenta, per ſe loquendo, & ubi nihil obſtat, phyſicè concurrere ad producendam gratiam, adeoque eſſe inſtrumenta gratiæ phyſica, docent omnes Thomiſtæ cum S. Thoma 3. part. q. 62. art. 1. 2. & 3. item valentia, Suarez, Henriquez, Tanner Tom. 4. Diſp. 3. Q. 3. n. 47. & eandem ſententiam expreſsè ſequitur Bellarminus Lib. 2. de Sacrament. in genere. c. 11. ut non niſi impudenti mendacio illam declinaſſe ab Ameſio dicatur. Sed præter hanc Cauſam Phyſicam eſt alia Cauſa Moralis, quæ mediâ ſui cognitione movet moraliter agens liberum intuitu ipſius ad aliquid phyſicè producendum. Atque hâc causâ Morali ſolùm Sacramenta noſtra cauſare gratiam, hoc eſt, movere DEUM mediâ cognitione ſui & meritorum Chriſti ipſis applicatorum ad producendam phyſicè gratiam, docent Vaſquez, Coninck Præpoſitus, Cardinal. Lugo, Arriaga de Sacrament. in communi D. 10. à n. 11. &. plures alij, Hoc poſito,

III. Do-

Digitized by Google

III. *Doctrina ſecunda.* Sacramenta noſtra tantùm Moraliter influunt & cauſant gratiam, hoc eſt, movent DEUM ad gratiam illam producendam. Probatur 1. Concilia & Patres, quando dicunt, Sacramenta cauſare gratiam, eodem modo loquuntur de verbis, ac de materia Sacramentorum, & viciſſim. Atqui ſi Sacramenta non moraliter, ſed phyſicè cauſant gratiam, vix poſſunt ejuſmodi locutiones verificari; Nam vel verba abſolvuntur phyſicè ante applicationem materiæ, vel hæc fit ante finem verborum; & moraliter ferme impoſſibile eſt, ut in eodem inſtanti temporis Actio externa & verba ſimul terminentur. Ergo non poteſt niſi in aliquo caſu accidentali phyſicè cauſari gratia à verbis ſimul & rebus, quæ ſunt duæ partes Sacramenti; gratia enim non cauſatur niſi in ultimo inſtanti, quo Sacramentum totum perficitur. Patres igitur, qui non attendendo ad mathematicàm ſimultaneitatem verborum & rerum abſolutè docent, tam à verbis, quàm à rebus gratiam produci, non poſſunt de productione phyſica, ſed de morali explicari. Probatur 2. Quia ſuppoſitâ communi explicatione cauſæ Moralis, quod ſcil. ut diximus, mediâ ſui cognitione moveat moraliter Liberum Agens, negari non poteſt Sacramentis cauſalitas moralis in gratiam. Nam ſive DEUS ſe ſolo gratiam phyſicè producat, ſive aſſumat ſecum ſimul eadem Sacramenta, ut inſtrumentum phyſicum; & cum eis producat gratiam, certiſſimum eſt, ad id non procedere ac moveri DEUM, niſi ex præviſione eorumdem Sacramentorum exiſtentium. Probatur. 3. ſolutione fundamentorum, quibus noſtra doctrina oppugnatur; ſi enim nulla erit neceſſitas, hanc miraculoſam elevationem admittendi, conſequens eſt, ut Sacramentis non niſi moralis cauſalitas tribuatur.

IV. *Primum* igitur deſumitur ex S. Scripturâ, & maximè ex verbis illis ad Titum 3. v. 5. *ſalvos nos facit per lavacrum regenerationis & renovationis ſpiritûs S. quem effudit in nos abunde per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Unde ſic Adverſarij argumentantur. DEUS ut cauſa phyſica non dicitur operari per cauſam moralem, à qua movetur ad operandum. Sed potius è contra cauſa moralis dicitur operari per cauſam phyſicam. Ergo ſi DEUS gratiam produxit per Chriſtum & Baptiſmum, debet utriuſque cauſalitas eſſe phyſica. Reſpon. diſtinguendo; cauſa phyſica non dicitur operari per moralem, à qua movetur, ſi hæc ſecundùm rationem movendi non ſit illius ipſius cauſæ phyſicæ effectus, conceditur: ſecus, negatur. Merita autem Chriſti & Baptiſmus ſunt veriſſimi effectus & beneficia DEI, & quidem in hunc finem data, ut DEUS inde moveri poſſet ad gratiam nobis conferendam. Cur igitur Deus dici nequeat, per hæc ipſa conferre nobis gratiam, etiamſi moraliter tantùm influant. *Secundum* petitur ex Authoritate Conciliorum & Patrum, maximè verò S. Ambroſij, qui Lib. 1. de Sacramen. c. 5. ſcribit: *non ſanat aqua, niſi Spiritus S. deſcenderit, & aquam conſecraverit.* Reſpon. nihil inde contra nos evinci. Quæ Concilia & Patres affirmant de Sacramentorum vera & propria cauſalitate; de verborum vi, de ratione inſtrumenti alijſque rectiùs moralem eorum, quàm phyſicum influxum ſonant, ut bene advertit Card. Lugo D. 4. à num. 50. S. Ambroſius dicere ſolùm vult, quod aqua, quæ in Baptiſmo adhibetur, non ſanaret à peccato, niſi à Chriſto fuiſſet Baptiſmus inſtitutus, annuente S. Spiritu, cujus opus eſt Sacramentorum inſtitutio; & quid inde de phyſico potius influxu, quàm morali? *Tertium* ex abſurdo depromitur, quaſi ſic noſtra Sacramenta plus virium ad ſuos effectus non haberent, quàm verba aut ſigna magica à dæmone inſtituta ad ſuos. Reſpon. negando paritatem; licet enim utraque ſigna & magica & ſacra in hoc conveniant, quod non influant phyſicè, differunt tamen, quod ſacra ordinentur ad effectum ſupernaturalem, & nitantur potentiâ & promiſſione infallibili DEI: magica verò tantùm ordinentur ad effectum naturalem, & nitantur fallaci dæmonis promiſſo, ſintque fortaſſe, ut putat Lugo n. 67. potius mera conditio, quàm cauſa moralis. Sed quænam eſt illa Bonitas, quæ objectivè poſita DEUM movet ad gratiam ſuſcipientibus dandam? Dicimus, eſſe authoritatem Chriſti, ejúſque merita talibus cæremonijs alligata, & à Patre ad talem effectum impetrandum accepta; quia ex communi Doctorum Sacramenta noſtra ſunt moraliter Actiones Chriſti, juxta illud 1. Cor. v. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti &c.* Unde eadem inſtrumentaliter ſubſerviunt Chriſto & DEO tanquam cauſis Principalibus; Chriſto quidem, quia ejus merita & authoritem repræſentant, qui ut ſic eſt cauſa Principalis Moralis: DEO verò, quatenum ipſe eſt primus movens, qui Humanitatem CHriſti movit ad hoc, ut ſignis & Actionibus ſuam authoritatem communicaret.

V. *Doctrina tertia.* Sacramenta vetera non contulerunt adultis gratiam ex opere operato. Ita hodie omnes Catholici Doctores contra nonnullos veteres apud Tannerum. 4. D. 3. Q. 3. n. 20. Nam in circumciſione (eadem eſt ratio de cæteris Sacramentis) non conferebatur major gratia adultis, quam ſuâ fide & diſpoſitione mererentur; unde peccator tantùm attritus per eam nullo modo juſtificabatur. Ergo tota illa gratia dabatur præcisè ex opere operantis. Conſequentia eſt clara. Antecedens latiſſimè probat Card. Bellarminus lib. 2. de Sacramen. in com. à cap. 13. Nos breviter id ſuademus 1. ex Sacra Scriptu. Hebr. 7. v. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Ibid. cap. 9. cum dixiſſet Apoſtolus, munera oblata in veteri Lege non habuiſſe vim, ad emundandum à peccato, ſubingit vers. 9. *ſolummodo in cibis & in potibus & varijs baptiſmatibus & juſtitijs carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis &c.* Et infra v. 13. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis &c.* Ubi D. Paulus antiquis cæremonijs nihil aliud tribuit, quàm emundationem carnis, ſeu munditiem legalem, ne aliquis ſcilicet pollutus cenſeretur & inhabilis ad ſacrificandum, ſeu Templi ingreſſum, ut notat Vaſquez. in 1. 2. D. 184. c. 1. n. 4. Hinc idem Apoſtolus ad Rom. 4. v. 2. & 10. aſſerit, *Abrahamum non fuiſſe juſtificatum ex circumciſione, ſed ex fide.* q. d. per circumciſionem non accepiſſe plus gratiæ, quàm eius fides merverit. 2. ſuademus ex Concilijs & Patribus: Florentinum ſuprà Doct. primâ citatum definit, *Sacramenta Novæ legis differre à Sacramentis antiquæ legis, quod illa conferant & contineant gratiam* (ſcil.

Digitized by Google

(ſcilicet ex ſe & vi ipſius operis) *non iſta, ſed gratiam per Chriſtum dandam ſolum figurent*; in quem ſenſum Tridentinum Seſſ. 7. can. 2. de Sacramen. in genere decernit: *ſiquis dixerit, ea ipſa Novæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, anathema ſit.* Concilijs accedunt Patres, quorum 21. teſtimonia recitat Bellarmin. loc. cit. Lubet hic ſolius D. Auguſtini verba adducere ex Tra. in Pſal. 73. ubi *Sacramenta*, inquit, *Novæ & Vet. Legis, non ſunt eadem, quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem: alia promittentia Salvatorem; Sacramenta Novæ Legis dant ſalutem: Sacramenta veteris Legis promiſerunt Salvatorem.* Quæ verba ita clara ſunt, ut nullus modernorum Prædicantium nec mutire contra illa audeat. Calvinus L. 4. Inſt. c. 14. ſ. 26. olim dixerat, S. Patrem non loqui de efficacia, ſed de ſignificatione. At S. Auguſtinns apertè dicit, noſtra Sacramenta dare ſalutem, non ſignificare duntaxat Salutem. 3. Suademus ratione. Quia ante Chriſti adventum & paſſionem ejus, quæ eſt in genere meriti principalis cauſa gratiæ, & à qua etiam omnis vis ad Sacramenta derivatur, non decebat, ullum opus externum per ſe ac vi ſuâ efficacitatem habere ad gratiam conciliandam, ſed potius conveniebat, ut ſolùm ratione Fidei in Chriſtum, cujus erant proteſtationes, ad juſtificationem valerent. Ergo nullum Sacramentum vetus contulit gratiam ex opere operato. Videri poteſt S. Thomas in 3. part. q. 62. art. 6. & in 4. Diſt. 1. art. 5. quæſt. 1.

VI. Hæc doctrina, utut hodie communis ſit inter Catholicos Doctores, fuerunt tamen, ut diximus, nonnulli veteres, qui de circumciſione & Sacramento legis Naturæ aliter ſentirent, rati illud ſaltem parvulis contuliſſe gratiam ex opere operato. Pro hac lite igitur dilucidè decidenda & doctrina noſtra univerſim ſtabilienda tria eidem puncta adijcimus. *Primum.* Sacramenta vetera circumciſio ſcilicet ac Remedium Legis Naturæ profuerunt Parvulis ad tollendum peccatum Originale & ſalutem æternam acquirendam. Ita Innocentius III. Papa in cap. Majores. de Baptiſmo. Ubi licet hanc doctrinam non definiat, eam tamen clarè ſupponit, ita ait: *quoniam etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis myſterium &c.* Innocentio adſtipulantur omnes Schlaſtici, inquit Tanner Quæſt. cit. n. 144. nominatim Magiſter, D. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus & Alenſis, qui ipſi copioſè etiam Patres pro ſe adducunt. *Secundum.* Eadem Sacramenta vetera, in quorum uſu parvuli juſtificabantur, non fuerunt cauſæ phyſicæ aut morales gratiæ, ſed meræ conditiones, quibus poſitis movebatur DEUS ad dandam parvulis gratiam; non tamen ab ipſa cæremonia externa, ſed à ſolis meritis Chriſti per fidem alienam (ritu illo externo expreſſam) parvulis applicatis. Ita poſt plures alios Arriaga Diſp. 10. de Sacram. in com. num. 31. & habetur ex dictis. Nam ſacra Concilia & Patres dicunt, Sacramenta vetera non continviſſe, nec cauſaſſe gratiam; hoc autem univerſale diſcrimen omnium veterum & Evangelicorum Sacramentorum quoad efficaciam gratiæ optimè hâc viâ defenditur; cum ex una parte negari non poſſit, parvulos in uſu Sacramentorum fuiſſe tunc juſtificatos: ex altera verò affirmari nequeat, Sacramentum illud fuiſſe veram cauſam phyſicam aut moralem gratiæ. *Tertium.* Prædicta vetera Sacramenta non juſtificarunt parvulos ex opere operato. Ita cum S. Thoma q. cit. art. 6. communiter ſentiunt Theologi. Nam conferre gratiam ex opere operato eſt conferre illam ex vi inſtitutionis ſuæ. Atqui abſolutè loquendo non rectè dicimus, collatam olim fuiſſe gratiam ex vi illius veteris Sacramenti, ut patet ex locutionibus Conciliorum ac Patrum &c. Tenendum igitur, gratiam illam neque ex opere operantis, neque ex opere operato fuiſſe parvulis collatam, ſed ex ſpeciali DEI providentia ob extremam parvulorum neceſſitatem, qui proprijs actibus ſaluari non poterant.

VII. Sic ſtabilitæ doctrinæ noſtræ non obſtat D. Paulus diverſis in locis Epiſtolarum ſuarum affirmans, Legem veterem (ſub qua etiam circumciſionem comprehendit) nullam habuiſſe vim juſtificandi; unde etiam ad Galat. 4. v. 9. & ad Hebr. 7. v. 18. *vetera Sacramenta dicit infirma, egena, inutilia elementa.* Nam S. Apoſtolus majore ex parte fecit comparationem inter Judæos ſeu Circumciſos, & Gentes ſeu Præputium, & ſicut iſtis Gentibus non negavit remedium contra peccatum originale in parvulis, ita non negavit circumciſionem apud illos Judæos habuiſſe eam vim, ſed ſolùm docuit, Judæos circumciſos non habere, unde glorientur, & alios contemnant, niſi quod illis Eloquia ſacra ſint credita; non igitur vocat circumciſionem prorſus vacuam & inutilem, ſed ſolùm contendit, illam præ alijs nihil habere amplius. In eundem etiam ſenſum loquuntur Patres non niſi ſpecialem omnem utilitatem circumciſioni præ præputio negantes. Concilium autem Florentinum rectè antiqua Sacramenta à noſtratibus in hoc diſtinguit, quod hæc cauſent gratiam, illa verò non; etenim noſtra cauſant gratiam tanquam cauſa moralis: antiqua verò ſolùm uti conditio; ut proinde hæc reſpectu illorum non malè dici poſſint non cauſare gratiam, quia revera non ſunt cauſa ſive phyſica ſive moralis, ut paulò ſupra diximus. Cæterùm diſcrimen inter cauſam moralem & conditionem ſine qua non Arriaga alijque Doctores non malè deſumunt ab amore & cognitione; & ea ſolùm in genere moris dicunt conditiones, quæ concurrunt ut cognita, non verò ut amata: è contrario ea vocant cauſas morales, quæ ob bonitatem ſuam præcognitam alliciunt, non quæ ſine ullo amore pure cognita determinant. Cum ergo Sacramenta noſtra tanquam Actiones Chriſti moveant DEUM ut cognita & amata: Antiqua utpote deſtituta bonitate illâ Actionum Chriſti ſolùm concurrant ut cognita, rectè illa diximus eſſe cauſas morales: hæc verò meras conditiones appellavimus. Ex hoc autem, quod Sacramenta noſtra ut actiones externæ Chriſti moveant, non ſequitur, movere illa purè denominativè & per accidens. Nam Sacramenta noſtra non cauſant gratiam per modum meriti, ſed impetrationis ſeu orationis; inter quam impetrationem & meritum intervenit hoc diſcrimem, quod meritum ita præciſè conſiſtat in voluntate interiore, ut exterior actio ei addita omnino per accidens ſe habeat, neque augendo neque minuendo illud: at in ordine ad orationem ſeu impetrationem ipſa actio exterior etiam concurrat, ita ut ſi hæc non ſequatur,

Digitized by Google

etiam illa impetratio non ſequatur. Unus igitur idémque actus Chriſti interior, & in ſeeſt meritorius: & informat actionem exteriorem, ut præter alios Atriaga de Sacram. in com. D. 18. n. 53. pluribus id bene declarat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

VIII. Error primus. Etiam veteris Teſtamenti Sacramenta fuerunt efficacia media gratiæ, remiſſionis peccatorum, & ſalutis hominibus offerendæ ac credentibus conferendæ. Ita cum Lutheranis Gerhardus Lib. 2. part. 2. à fol. 828. & cum Calvinianis Ameſius Tom. 3. à fol. 36. Probant 1. Apoſtolus 1. Cor. 10. diſertè teſtatur, *quod Patres eandem eſcam ſpiritualem manducârint, & eundem potum ſpiritualem biberint*, quem etiam affirmat fuiſſe Chriſtum, & inde tanquam à pari concludit, non minus confidendum eſſe Sacramentis Novi teſtamenti. Probant. 2. Circumciſio à prima ſua inſtitutione habuit promiſſionem illam annexam, quâ nulla eſt major: *ero DEUS tuus & ſemini tuo poſt te Gen. 17.* quam Chriſtus ita interpretatur Matth. 22. *ut vitam æternam in illa doceat contineri.* Et Paulus ad Ephes 2. v. 13. oſtendit, *ſpem vivam ex illa dependere.* Probant 3. Promiſſio gratiæ Evangelij propriæ non ſolùm extendit ſe ad tempus Novi, ſed etiam veteris Teſtamenti, atque ad utrumque pertinet Actor. 15. v. 11. Ergo etiam Sacramenta verbo promiſſionis addita tam in Veteri, quàm Novo Teſtamento ſunt gratiæ, media, & ſigilla. Probant 4. Temporaria Vet. Teſtamenti Sacramenta v. g. tranſitus per mare rubrum, commoratio ſub Nube, eruptio aquæ de petra ac potio &c. item Sacrificia ad remiſſionem & juſtificationem valuerunt. Ergo multò magis hoc perpetuis & ordinarijs Sacramentis Vet. Teſtamenti tribuendum.

IX. Contra hunc errorem ſtat planè Sacra Scriptura. Nam præter allata priore parte dicit Apoſtolus Rom. 3. v. 20. *per legem* (tantùm) *fuiſſe datam cognitionem peccati.* Ibid. c. 4. v. 15. *legem non juſtitiam, ſed iram operatam fuiſſe.* Gal. 3. v. 19. *legem propter tranſgreſſionem poſitam.* Quibus locis univerſim infirmitas antiquæ legis ad hominem juſtificandum declaratur, utique includendo etiam ipſa Sacramenta ejuſdem. Argumenta ex dictis jam apparent diſſoluta.

X. Reſpon. ad 1. quod magni facit Calvinus Lib. 4. Inſtit cap. 14. §. 25. ſed nihil ex eo convinci, egregiè oſtendit Bellarminus Lib. 2. cit. c. 17. tria in eo expendens. Primò particulam *eandem*; dicuntur quidem Patres eandem eſcam manducaſſe; non autem, quia eſt eadem eſca illorum ſolùm omnium; nec eſca illa ac potus fuêre Sacramenta; etenim beſtiæ etiam biberunt ex petra, & manna ſumpſerunt &c. Ameſius ſuccurrens Magiſtro ſuo certum eſt, inquit fol. 40. eundem illorum potum fuiſſe cum noſtro, ſi Chriſtus ſit noſter; quia v. 4. dicitur: *petra illa erat Chriſtus.* Sed iſtud certò falſum eſt; nec leviter probari poteſt, aquam illam fuiſſe Sacramentum. Secundò particulam *ſpiritualem* Apoſtolus manna, & aquam de petra ſcaturientem vocat cibum ſpritualem non propter effectum ſeu gratiam Sacramentalem, ſed propter cauſam & ſignificationem; utrumque enim miraculosè producebatur operâ Angelorum. Unde pſal. 77. v. 25. dicitur *panis Angelorum*, non quod illo veſcerentur, ſed quod eum fecerint: nec ait Paulus, illos bibiſſe ſpiritualem petram, id eſt Chriſtum, ſed aquam ex petra ſpirituali, id eſt, Chriſto tanquam ex cauſa efficiente promanantem. Ait Ameſius, aliquo modo illam aquam fuiſſe ſpiritualem. Sed non oſtendit hunc modum, aliquam ſcilicet inſtitutionem cæremoniæ ſacræ, quæ promiſſionem gratiæ habeat adjunctam. Tertiò *ſcopum Apoſtoli*, qui non intendit oſtendere, non eſſe nimiùm confidendum in Sacramentis: ſed potius non eſſe abutendum Sacramentis; prius enim ſi voluiſſet, in exemplum vera Judæorum Sacramenta, nempe circumciſionem & Agnum paſchalem accepiſſet. Dicit Ameſius, nimiùm confidere eſt abuti Sacramentis. Diſtinguitur; eſt abuti propriè tanquàm medio & inſtrumento, negatur: impropriè, reddere tanquam objectum pravi affectûs, conceditur. Ex his ergo conſtat, argumentum iſtud nihil facere contra nos. Tum quia Apoſtolus non dicit, Hebræos eandam nobiſcum manducaſſe eſcam. Tum quia manna & aquam è petra profluentem non vocat ſpiritnalia, quaſi eſſent Sacramenta. Tum quia idem argumentatur à minori ad majus in hunc modum: ſi Judæi puniti ſint, quod ingrati ſpreverint figuras noſtrorum Sacramentorum, quantô juſtiùs Chriſtiani punientur, ſi ipſa Sacramenta contemnant. Videri poteſt Tirinus in cit. locum, quem breviter & bene explicat.

XI. Ad 2. negando, quod in hoc argumento aſſumitur, nimirum circumciſionem à prima ſua inſtitutione habuiſſe promiſſionem gratiæ annexam; nec in illis verbis (*ero DEUS tuus, & ſemini tuo poſt te.*) continetur promiſſio remiſſionis peccatorum gratiæ, & gloriæ, ſed tantum peculiaris Protectio & Beneficentia DEI erga Abraham & Poſteros ejus; etenim remiſſionem illam peccatorũ & gratiam Abraham jam ante habuerat, & permulti ex ſemine Abrahami finaliter habituri non erant; unde dicta Matthæi 22, & Ephes. 2. v. 12. nihil faciunt ad rem, videantur, quæ ad initium de Sacramentis §. 14. diximus, ubi hanc ipſam objectionem diſſolvimus. Ad 3. negando conſequentiam. Nam univerſim loquendo de promiſſionibus Chriſti & gratiæ per eum dandæ, utique iſtæ ſpectant ad utrumque Teſtamentum, ita ut tam in veteri quàm Novo omnis gratia ex meritis Chriſti provenerit; alſecurationes tamen harum promiſſionum ſeu Sacramenta ex divina voluntate non ſignificant gratiam prædictam; ſed Antiquæ Legis Sacramenta ſignificabant gratiam Chriſti dandam in novo Teſtamento: Novæ autem Legis Sacramenta ſignificant reipsâ dari gratiam rite diſpoſitis. Unde pulchrè Auguſtinus ſuper Pſal. 73. recèns cit. *alia*, inquit, *ſunt Sacramenta dantia ſalutem: alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem: Sacramenta veteris Teſtamenti promittunt Salvatorem.* Si Gerhardus ſpeciatim de promiſſionibus in Evangelio loquatur, argumentum prorſus nullum eſt, cum Chriſtus nihil circa Antiquam Legem aliud intenderit, quàm ut figuras & vaticinia de ſe impleret,

pleret, & finem eidem imponeret. Videri poſſunt, quæ diximus in Controvers. de eſſentia Sacramenti. Ad 4. malè ſupponere Gerhardum in argumento, tranſitum Maris rubri, columnam nubis ſeu commorationem ſub iſta, eruptionem aquæ de petra, ac potionem &c. item ſacrificia qualibet fuiſſe Sacramenta, & ad remiſſionem ac juſtificationem valuiſſe, quod minimè probat; ad textus enim allegatos ſufficit, quod aliquo modo præfiguraverint Sacramenta Baptiſmi & Eucharistiæ, Et mirum ſanè, Novatorem, qui Sacrificium novi Teſtamenti incruentum adeo explodit, ſacrificia tamen cruenta extollere, immemorem dicti illius Apoſtoli ad Hæbr. impoſſibile eſſe, Sacrificijs & ablutionibus Judæis remitti peccata. Videri poteſt Tanner Tom. 4. D. 3. Q. 1. dub. 1. ubi aliquos Doctores allegat aſſerentes, aliqua Sacrificia etiam pro peccato non fuiſſe Sacramenta.

XII. *Error ſecundus.* Circumciſio efficax fuit medium gratiæ, ac data, ut juſtificaret. Ita citati Sectarij. Probant 1. D. Paulus Coloſſ. 2. v. 12. Circumciſioni & Baptiſmo idem tribuit, dum eandem gratiam Circumciſionis & Baptiſmi deſignat. 2. promiſſio terrena Circumciſioni addita fuit figura promiſſionis ſpiritualis & cœleſtis dandæ illis, qui non carne ſed corde circumciderentur, idque Fideles Vet. Teſtamenti intellexerunt. Ergo Circumciſio fuit ipſis efficax medium gratiæ & ſalutis. 3. Homo per contritionem prius juſtificatur, quàm ad Sacramenta accedat, inde tamen Pontificij non admittunt, Sacramenta non juſtificare. Ergo nullum eſt hoc eorundem argumentum: Abraham juſtificatus eſt in præputio. Ergo non per circumciſionem 4. Aliqui Catholici Bonaventura, Alenſis, Scotus, Durandus, Gabriel &c. Circumciſioni tribuunt vim conferendi gratiam ex opere operato, quos idcirco Bellarminus Lib. 2. de Sacram. in com. c. 17. Lutheranæ ſententiæ ſuffragari fatetur.

XIII. Hunc errorem tam efficaciter, quàm breviter profligat D. Paulus 1. Cor. 7. v. 19. ajens: Circumciſio nihil eſt. Eundem omnes etiam Catholici ex dictis priore parte hujus Controverſiæ rejiciunt. *Conſtat*, inquit Catechiſmus Romanus ad Parochos cap. de Sacramentis, *Excellentiorem & præſtantiorem vim Sacramentis Novæ Legis ineſſe, quam olim Veteris Legis Sacramenta habuerunt, quæ cum infirma egenáque eſſent Elementa, inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, non animæ.* Quare ut ſigna tantùm earum rerum, quæ myſterijs noſtris efficiendæ eſſent, inſtituta ſunt.

XIV. Reſpon. ad 1. probationem. Negando aſſumptum. Nam etſi Apoſtolus verbis illis: circumciſi eſtis circumciſione non manu factâ &c. Baptiſmum vocet Circumciſionem, eò quod hæc fuerit illius figura; hinc tamen non infertur, eundem utriuſque fuiſſe effectum. At abſque ulla ratione, inquit Ameſius fol. 42. aſſeritur, circumciſionem fuiſſe figuram Baptiſmi; Sacramentum non eſt ſignum viſibilis Sacramenti. Meliùs regerimus, abſque ulla ratione negari iſtud. Nunquid Agnus Paſchalis fuit figura non tantùm Chriſti in Cruce fixi, ſed etiam Eucharistiæ? ita & circumciſio Baptiſmi. Effectus autem in adultis eſt prorſus diverſus in Baptiſmo, ac circumciſione; ille enim utpote circumciſio Spiritualis expoliat à toto corpore obnoxio peccatis & reddit hominem verè Spiritualem: iſta verò Judaica minimè, ſed particulam tantùm circumcidebat. Ad 2. negando conſequentiam, cum vix umbra connexionis appareat; quomodo enim ex figura promiſſionis Spiritualis & cœleſtis infertur infallibiliter conjunctum medium efficax gratiæ & ſalutis? Cæterùm per vetus Teſtamentum malè á Gerhardo intelligitur pactum illud Legale, in quo Deus legem obſervantibus promiſit vitam æternam. Nam S. Auguſtinus in ſexcentis prope locis docet, Sanctos omnes, qui ante Chriſtum vixerant, non niſi quoad Sacramenta ad vetus Teſtamentum ſpectaſſe, nullóque modo fuiſſe ſub lege, ſed abſolutè ad novum Teſtamentum & legem gratiæ pertinuiſſe; quia ſcil. Sanctitatem & juſtitiam ſuam non habuerunt ex operibus legis, ſed ex eo, quod in Chriſtum futurum crederent. Videatur Bellarminus cap. 14.

XV. Ad 3. Bellarminum Lib. 2. cit. c. 13. concedere Pontificiorum doctrinam de contritione: & nihilominus validè argumentari ad hominem; quia Adverſarij nō admittunt ſecundam juſtificationem. Cum ergo Abraham fuerit juſtificatus in præputio, utique ſequitur apud ſectarios, eundem poſtea per circumciſionem non accepiſſe ſecundam juſtificationem, quam non agnoſcunt Ad 4. Theologos illos voluiſſe circumciſioni tribuere vim juſtificandi ex opere operato; quia non eſt propriè Sacramentum Moſaicum, ſed legis Naturæ Ioannis 7. v. 22. *Moyſes dedit vobis circumciſionem; non quia ex Moyſe eſt, ſed quia ex Patribus.* Sed erraverunt; ſuo tamen errore patrocinati non fuerunt Hæreticis, unum ex antiquis Sacramentis extollendo ad noſtratia, quæ Sectarij deprimunt paria faciendo his noſtris omnia ſacramenta vetera. Quod autē Bellarminus opinioni Lutheranæ conſentiat, aſſerendo Scholaſticos quoſdam tribuere antiquis Sacrmentis vim juſtificandi ex opere operato, eſt prorſus riſu, non refutatione dignum. De reliquo quomodo Circumciſio infirmum & egenum elementū dicatur, etiamſi parvulis fuerit remedium contra peccatum originale, diximus in parte priore &c. Atque in hunc modum duo, quæ repugnare ſibi videntur, pulchrè reconciliantur; ſcilicet circumciſionem ex ſe nullatenus fuiſſe utilem ad juſtificationem: nihilominus eandem extitiſſe in parvulis remedium peccati originalis, quod DEUS infundendo gratiam ſuſtulit ad illius poſitionem, tanquam meram conditionem; quantumvis illam actus ſupernaturalis fuerit comitatus in Miniſtro Fidem in Chriſtum per talem cæremoniam proteſtante, & circumciſio ut divinæ voluntatis impletio DEO placuerit.

CONTROVERS. LXVII.

DE CAEREMONIIS SEU SACRAMENTALIBUS.

CÆremonia, generatim loquendo, eſt Actus Religionis, quo DEUM colimus, in qua latitudine eam hîc non attendimus, ſed ſolùm ut ad Sacramenta ſeptem ſpectat; ſunt autem duplices cæremoniæ in Sacramentis; quædam intrinſecæ & ſubſtantiales, quæ ſunt ipſa Sacramenta, de quibus hactenus: quædam extrinſecæ, quæ à Doctoribus definiuntur: circumſtantiæ religioſæ ad decentem

Digitized by Google

Sacramentorum adminiſtrationem inſtitutæ. Atque haſce ſtabilire contra hæreticos inpræſentiarum intendimus.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Licitæ & honeſtæ ſunt cæremoniæ, quibus Eccleſia Romano-Catholica in Sacramentis adminiſtrandis utitur. Ita omnes Catholici & definitum habetur in Concilio Tridentino Seſſ. 7. de Sacramen. in genere can. 13. hiſce verbis: *Siquis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolenni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti, aut per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Probatur 1. ex Scriptura, quæ 1. Corinth. 14. v. 4. præcipit: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant.* Ubi Apoſtolus ſupponit cæremonias aliquas eſſe honeſtas, ideóque obſervandas. Sunt autem in Eccleſia aliqua honeſtè & ſecundùm ordinem facienda circa converſationem inter ſe: aliqua circa Sacramentorum adminiſtrationem; & quia de illis eodem capite prius multa dixerat, tandem concludens citatis verbis: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant*, haud obſcurè innuit, iſta ſpeciatim de Sacramentorum adminiſtratione ſumenda & intelligenda eſſe. Probatur 2. ex perpetuo uſu Eccleſiæ & SS. Patrum authoritate, quorum teſtimonia adducit Jacobus Gretſerus lib. de Benedictionibus. Probatur 3. ratione. Tum quia per iſtas cæremonias coram alijs hominibus proteſtamur cultum DEI, id quod ſine dubio honeſtiſſimum eſt: Item per eaſdem puritatem internam, fidem, & devotionem conſervamus. Hinc Julianus Apoſtata, ut ſuperſtitionem Gentilium in poſterum ſtabiliret, eorum ſacra ac Sacrificia ad inſtituta noſtra accommodare ſtuduit, teſte Gregorio Nazianzeno Orat. 1. in Julian. Tum quia, cum homo ipſe conſtet corpore & animâ, & utrúmque à DEO acceperit, profectò æquiſſimum eſt, ut tam corpore quàm animo illum honoret, laudet, & ex omnibus viribus eidem ſerviat, ad quod mirè hiſce cæremonijs accenduntur; nam, ut ait Thriverus in apophtheg. *Sicuti in gratiam faſtidientium comparata ſunt condimenta, ita ad provocandos ſegnes quædam cæremoniæ.* Tum denique quia DEUS oſtenditur & ignominiâ afficitur non ſolùm actibus internis, ſed etiam externis. Ergo & utriſque honorandus eſt. Dicunt Sectarij cum Ameſio fol. 53. ſufficere à DEO inſtitutas, nec opus eſſe inventis ab homine. At verò omnes Catholicorum cæremoniæ indicantur à DEO in genere 1. in teſtimonio Pauli ex 1. Corinth. 14. adducto: *omnia honeſtè & ordinatè fiant.* 2. cum jubemur Præpoſitis obedire. 3. ubi Religio & partes ejus commendantur.

II. Porro aliquas cæremonias Chriſtus vel Apoſtoli inſtituerunt, quas ex nulla Scriptura, ſed ex ſola traditione habemus. Tales ſunt Chriſmatis benedictio, Communio Euchariſtiæ à jejunis facienda, Aquæ miſtio cum Vino in calice, Signum Crucis &c. Aliquas verò Eccleſia vel univerſalis, vel particularis ordinavit. Tales ſunt, quod Paſcha non inſtituatur cum Judæis, quod Dies Dominicus pro Sabbatho celebretur, quod tempore Paſchali Fideles ſtando orent, & cantetur Alleluja, quod Sacerdos nares & aures baptizanti ſputo tangat dicens: Ephata &c. Ad diſcernendos autem ritus & cæremonias legitimas à Spurijs D. Auguſtinus Epiſt 119. hanc aſſignat regulam: *Ut qui ritus non ſunt contra fidem aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtitutos cognoſcimus, laudando & imitando ſectemur &c.*

III. *Doctrina ſecunda.* In Eccleſia eſt poteſtas inſtituendi Sacramentalia ſeu cæremonias ſacras: & obligandi Fideles ad has in Sacramentorum adminiſtratione obſervandas. Ita omnes Catholici. Probatur 1. Pars. Tum ex Concilio Trident. Seſſ. 21. cap. 2. & ex verbis D. Pauli 1. Cor. 4. v. 1. ibid. adductis: *ſic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum DEI*; ubi haud obſcurè innuitur, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ ea ſtatueret, vel mutaret, quæ Suſcipientium utilitati ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum temporum & locorum varietate magis expedire judicaret. Tum quia Summus Pondifex habet poteſtatem gubernandi Eccleſiam convenienti modo. Ego negari non poteſt, quin etiam habeat poteſtatem inſtituendi cæremonias, quæ ad digniorem & pro loco & tempore convenientiorem Sacramentorum adminiſtrationem non parùm conducunt. Tum quia cæremoniæ iſtæ ſunt res pertinentes ad cultum DEI, & honeſtæ. Cur ergo Magiſtratùs Eccleſiaſticus præſcribere eas nequeat? Cæterùm multò probabilius eſt, de facto omnes has cæremonias partim ab Apoſtolis, partim à Pontificibus & particularibus Epiſcopis inſtitutas eſſe, ut nominatim docet Becanus in Theolog. ſua c. 7. de Sacrament. in genere. q. 3. Quæ autem comunes ſunt toti Eccleſiæ, cenſentur ab ipſo ſummo Pontifice approbatæ; ac proinde ſolùm iſte de plenitudine poteſtatis mutare illas poteſt, quamvis id non facturus ſit abſque urgentiſſima cauſa: quæ verò ſunt privatæ aliquarum Eccleſiarum, niſi confirmatæ ſint à ſummo Pontifice, poſſunt ab Epiſcopis illarum Eccleſiarum mutari; habent enim hi parem cum Inſtitutoribus auctoritatem. 2. Pars oſtenditur tum ex prædicto Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 13. de Sacram. in genere ſupra citato §. 1. Tum quia Eccleſia habet poteſtatem condendi leges obligantes ſub peccato, ut colligitur ex illis verbis Matthæi 18. v. 17. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Tum quia Fideles juxta Apoſtolum Rom. 13. v. 1. præceptis alioquin bonis Infidelium etiam Principum (quales tunc temporis erant) *non ſolùm propter externum timorem, ſed etiam propter conſcientiam ex DEI ordinatione obedire debent.* Ergo multò magis mandatis Principum Fidelium & maximè Eccleſiaſticoram in re ad DEI cultum & convenientiorem Sacramentorum adminiſtrationem ſpectante, qualis ſunt cæremoniæ ſacræ; cum D. Paulus dicat loc. cit. *non eſſe poteſtatem, niſi à DEO*, quaſi diceret, omnis poteſtas eſt à DEO, & ex DEI ordinatione.

IV. *Doctrina tertia.* Cæremoniarum effectus ſunt varij. Ita Catholici omnes. 1. Gratia habitualis. 2. Gratia actualis. 3. Remiſſio peccati mortalis vel venialis. 4. Remiſſio pœnæ temporalis.

5. Ex

5. Expulſio dæmonum, vel cohibitio, ne lædant. 6. Sanitas corporis, de quibus alibi pluribus agitur. Nunc ſolùm breviter dicimus, cæremonias has Sacramentales poſſe cauſare gratiæ augmentum ex opere operantis ratione actûs virtuoſi; quo exerceri ſolent: ex opere autem operato non poſſe cauſare gratiam habitualem & auxilia gratiæ; nam largitio gratiæ tam habitualis, quàm auxiliantis ex ſe eſt propria ſolius DEI, de quo non conſtat, quod hujuſmodi privilegium cæremonijs conceſſerit, quæ neque vim habent ad remittendum ullum peccatum immediatè, quia hæc remiſſio itidem propria eſt DEI, & non ſcimus, conceſſum eſſe Eccleſiæ, ut ipſa poſſit extra Sacramenta remittere peccata; interim poſſunt per modum impetrationis (ſi includant aliquas orationes) obtinere à DEO auxilia, quibus homo excitetur ad aliquem actum bonum; quo Venialium remiſſionem conſequantur. Denique prædictæ cæremoniæ Sacramentales habent quidem vim expellendi & coërcendi dæmones, eam tamen non infallibilem nec naturalem, ut bene obſervavit D. Auguſtinus Lib. 83. Quæſtionum q. 79. reddens rationem, cur DEUs aliquando non exaudiat.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM

V. **E**rror primus. Sacramentalia Eccleſiæ, hoc eſt, Cæremoniæ, Benedictiones &c. ſunt frivolæ ſuperſtitiones. Ita ex communi ſenſu aliorum hæreticorum Ameſius Tom. 3. à fol. 50. ubi non oppugnat ſolùm cæremonias Sacramentorum, ſed quaſvis alias v. g. Aquam luſtralem, Agnos DEI, palmas, Cineres benedictos &c. Movetur 1. Lex illa ſemel Eccleſiæ dicta manet æterna: *quod præcipio tibi, hoc obſervabis, ut facias, nec addes quidquam, nec detrahes.* Deut. 12. v. 32. 2. Iſaiæ 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. DEUS conqueritur de Judæis, quod eum timuerint ſeu coluerint *mandato hominum & doctrinis.* 3. SS. Patres ac nominatim D. Auguſtinus epiſt. 119. conqueritur, *quod multitudine cæremoniarum ita aliqui Eccleſiam (etiã ſuo tempore enervaverint, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum.* 4. Romanenſes in ſuis cæremonijs partim imitantur Gentes, partim Judæos; certè cæremoniæ illæ tollunt diſcrimen, quod DEUS voluit eſſe inter Judæos & Chriſtianos. 5. Chriſtus plenè nos inſtruxit de vero DEI cultu. 6. Apoſtolus Galat. 5. v. 1. & ſæpe aliàs prædicat libertatem, nec vult, ut laqueus conſcientijs Chriſtianorum inijciatur.

VI. Error iſte facilè reijcitur ex ijs, quæ priore parte attulimus, & contra Ameſium non ſolùm cæremonias in Sacramentorum adminiſtratione ſed omnes omnino Benedictiones & res benedictas deteſtantem eſt ipſemet Apoſtolus 1. Tim. 4. v. 4. ſcribens: *omnis Creatura DEI bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum DEI & orationem.* Atqui benedictio Eccleſiæ nihil eſt aliud, quàm oratio, cui DEUS audientiam promiſit Joan. 14. v. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam.* Accedit antiquus uſus Eccleſiæ, & Patrum Authoritas, quos fusè adducit Jacobus Keller in Catholico Papatu Tom. 2. fol. 852. & ſeq. Sufficiat hîc ſolus Chryſoſtomus in 1. ad Timoth. hom. 12. ſuper citata D. Pauli verba ſic ſcribens: *Non quia in mundum eſt, ideo Sanctificatur, abſit: verùm hoc in loco illos alloquitur, qui communia quædam ex ipſis eſſe arbitrantur. Duo igitur capita ponit, unum quidem, quod creatura nulla communis eſt: ſecundò, quod etſi communis ſit, medicamentum in promptu eſt. Signum illi Crucis imprime, gratias age, DEO gloriam refer, & protinus immunditia omnis abſceſſit.* Addimus S. Auguſtinum Tract. 118. in Joan. univerſim de Benedictionibus; rebus benedictis & cæremonijs Sacramentorum ſic ſcribentem: *Quid eſt, quod omnes noverunt ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, quâ regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, ſive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Videri etiam poteſt Bernardin. Vetweis in Speculo Eccleſiæ Chriſti, ubi pro cæremonijs Sacramentorum à fol. 580. plures Græcos & Latinos Patres affert. Et quis niſi rationis expers plus fidei Ameſio & hujuſmodi rabulis, quàm Auguſtino Chryſoſtomo & tot alijs Eccleſiæ Patribus adhibendum judicet? & Sacramentales cæremonias Eccleſiæ frivolas ſuperſtitiones cenſendas putet?

VII. Reſpon. ad 1. in oppoſitum. Lege illâ Deut. 12. non prohiberi quamlibet additionem ſive librorum ſacrorum, ſive præceptorum Moralium, Judicialium ad Cæremonialium. Nam poſt Deuteronomion additi tot libri ſacri, & plura in his præcepta Moralia: Judicialem legem David 1. Reg. c. 30. v. 25. addidit: Cæremonialem additam legimus Eſth. 9. Judith. ult. Machab. 1. c. 8. Prohibetur igitur additio heterogenea & corrumpens, ut alibi jam diximus. Ad 2. DEUM conqueri contra mandata hominum apud Matth. & Iſaiam meritò; ſi iſta hominum mandata pugnent cum divinis, ſi inducant cultum inutilem, ſi pluris fiant, quàm mandata divina. Nihil autem horum locum habet in præceptis Eccleſiæ de cæmonijs & benedictionibus. Ad 3. Patres intelligendos eſſe de quibuſdam cæremonijs localibus, quæ neque ab Apoſtolis profluxerunt, neque ab Eccleſia approbatæ fuerunt. Sic etiam nominatim D. Auguſtinus apertè loquitur de cæremonijs privatis; quæ neque SS. Scripturarum authoritatibus continentur; neque in Concilijs Epiſcoporum ſtatutæ inveniuntur, neque conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roboratæ ſunt; ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur. Tales & nos cum S. Auguſtino reſecandas affirmamus. Ad 4. Gentiles ex inſtinctu dœmonis in multis æmulatos fuiſſe Judæos, & iſtos habuiſſe nonnulla ſimilia noſtris Sacramentalibus: at intentionem & finem inducere differentiam inter nos Catholicos, & alios ſive Judæos ſive Gentiles quoad ritus & cæremonias externas. Cultus etiã Judaicus quà talis, hoc eſt, veteris Teſtamenti fuit principaliter externus & corporalis: noſter autem Chriſtianus eſt principialiter internus, & Spiritualis à Spiritu Fidei & Charitatis procedens, qui eſt ipſa gratia Novi Teſtamenti, & ex Veteri haberi non poteſt; ſiquidem lex vetus, quà talis, eſt ſervorum typus, & umbra Novæ Filiorum. Ad 5. id verum eſſe de inſtructione Generali, non autem de Particulari; non enim convenit rectæ gubernatoni, omnia minutatim à ſupremo Principe præſcribi, uti agnoſcit ipſe Calvinus lib. 4. Inſt. c. 10. §. 30. ubi

Arriaga D. 24. ſect. 4. Eſparza D. 38. art 4. & alij. Sacramentum hoc inſtitutum eſſe ante paſſionem, quando Chriſtus ſuos Diſcipulos primò miſit prædicatum, de quo Matth. 10. & Luc. 9. *utique & baptizatum*; quantumvis Scriptura id non exprimat. Fuit igitur Baptiſmus jam tum utilis, gratiamque cauſavit; aliàs Chriſtus illum non contuliſſet. Unde Apoſtoli & alij, qui eo tempore baptizati ſunt, & deinde, non fuerunt defraudati gratiæ effectu. Neceſſarius autem tunc baptiſmus non fuit, ſed à promulgatione primùm ipſo die Pentecoſtes facta cepit ejus obligatio: & verò ne quidem tunc univerſaliter, ſed pro Hieroſolymis & paulatim ab alijs Orbis Chriſtiani partibus ad tempus pro legis Evangelicæ promulgatione, ut docetur de Legib.

III. *Doctrina tertia.* Materia Baptiſmi remota eſt vera & naturalis aqua, quæ & elementarijs dicitur: proxima verò eſt ablutio; conſueta autē forma Eccleſiæ Romanæ eſt iſta: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Amen.* Prima pars definitur in Tridentino Concilio Seſſ. 7. can. 2.: *ſiquis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa D. N. JESU Chriſti (Joan. 3. v. 5.) niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit.* Ratio à priori non eſt alia, quàm voluntas DEI ac Chriſti, qui ſi voluiſſet, etiam alium liquorem aſſumere potuiſſet. Non obſtat, quod narrat Nicephorus Lib. 3. c. 17. de quodam Judæo à Chriſtianis arenâ baptizato; quod enim miraculosè convaluerit, magnæ ejus fidei & baptiſmo Flaminis adſcribendum, non quaſi DEus factum probaverit. Unde Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus ſapienter juſſit eum poſtea aquis baptizari. Ut autem aqua ſit idonea tres habere debet conditiones. 1. ut habeat eſſentiam aquæ elementaris. 2. ut communi hominum judicio aqua cenſeatur. 3. ut ſit fluida & lotioni apta. Ratio duorum priorum eſt, quia Chriſtus uſus eſt verbis juxta communem hominum intellectum. Ergo vocando aquam intellexit talem, ſcil. elementarem. Ratio poſtremi deſumitur ex fine, quia debet adhiberi ad lotionem.

IV. Secundam partem tenent omnes Catholici Doctores, eámque deſumunt ex illo Ephes. 5. vers. 26. *mundans lavacro aquæ.* Ratio eſt, quia illud eſt materia propria in hoc Sacramento conſiſtente in uſu & actione tranſeunte, quod per formam determinatur. Atqui forma ego te baptizo &c. non determinat aquam ſecundùm ſe, ſed quatenus eſt in uſu ſeu ipſam ablutionem per aquam. Ergo &c. Eſt autem ablutio ipſamet aqua, ut formaliter eſt in applicatione & uſu ad corpus abluendum, ſive deinde ſordes ablui contingat, ſive non. Eadem ablutio, prout eſt de eſſentia Baptiſmi, non ſumitur tantùm paſſivè, id eſt, quatenus præcisè dicit aquæ receptionem in corpore (quæ conſiſtit in contiguitate aquæ ad corpus) neque etiam tantùm activè, quatenus dicit applicationem aquæ, ut formaliter à Miniſtro provenientem, ſed ſumitur utroque modo ita ut formaliter involvat rationem actionis & paſſionis, ut poſt alios rectè Eſparza Q. 29. art. 4. Nam illa ablutio eſt eſſentialis, quæ ſignificatur per formam. Impoſſibile autem eſt, verificari formam, niſi ablutio ſumatur, quatenus provenit à Miniſtro, & quatenus recipitur in bapſizando, cujus perſonam exprimit. De reliquo ad valorem Baptiſmi ex communi Doctorum non requiritur certus numerus merſionum, vel affuſionum, ſed ſufficit una, vel etiam tres uſurpari poſſunt, quia ſingulis lotionis nomen convenit, & olim varius fuit uſus; primò trinæ immerſionis ad ſignificandum Myſterium Trinitatis; poſtmodùm in Hiſpania propter hæreticos unica merſio præcepta fuit ad ſignificandam unam Deitatem. Quiſque ſuæ Diæceſis conſuetudinem teneat.

V. Tertia demum pars definitur in Tridentino Seſſ. 6. can. 4. & ſumitur ex illo Matth. ult. v. 19. *Docete omnes Gentes baptizantes eos in Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.* A qua forma non differt ſubſtantialiter iſta Græcorum: *baptizetur ſervus Chriſti in Nomine Patris &c.* ut habetur in decreto Fidei Eugenij IV. Porro quinque ſunt, quæ ſignificantur in prolatione Formæ, juxta quæ valor ejus expendi debet. 1. perſona baptizantis ſaltem implicitè, quod in forma Græcorum non negligitur, ſiquidem Tò baptizetur idem valet, quod baptizetur à me. 2. actus baptizantis, alioquin forma non habet connexionem cum materia, eámque non determinat, cum ablutio ad varios fines referri poſſit. 3. Perſona baptizandi, quia uti ablutio, ita etiam forma circa certam perſonam verſari debet. 4. unitas divinæ Naturæ, quod fit per voces In Nomine. 5. Trinitas perſonarum, idque explicitè & diſtinctè vulgaribus vocabulis. Ita communiter Theologi, qui inde rectè negant, valere baptiſmum in Nomine Chriſti collatum; ad quid enim Chriſtus tam ſignatè Unitatem & Trinitatem expreſſiſſet, ſi hæc expreſſio neceſſaria non eſſet?

VI. Sed eſtne hæc ſententia de fide? videntur aliqui affirmare ex Zacharia & Pelagio Pontificibus, qui definierunt, baptiſmum in Chriſti nomine collatum eſſe nullum. Negant rectiùs Bellarminus Lib. 4. de Rom. Pontif. c. 12. Tanner Tom. 4. D. 4. Q. 1. n. 94. & alij. Tum quia non invenitur ulla Eccleſiæ definitio de hac re. Tum quia nec ſatis conſtat, Pelagium & Zachariam contrarium ex profeſſo definiſſe; ſiquidem teſtimonia, quæ de ijs afferuntur, apparent nonnullis aliter intelligi poſſe. Tum quia oppoſitam ſententiam tenuit S. Ambroſius Lib. 1. de Spir. S. c. 3. Nonnulli etiam Scholaſtici eandem tradiderunt apud Tanner loc. cit. n. 92. relati. Quare Bellarminus loc. cit. ab hæreſi defendit Nicolaum I. docentem, Baptiſmum in Nomine Chriſti collatum eſſe ratum; atque præter illos duos Papas etiam Concilium Anglicanum (ſi iſtud à Sede Apoſtolica verè approbatum ſit) ſolùm definiviſſe, Baptiſmum ſine invocatione trium perſonarum non eſſe ratum: non autem determinaſſe, an illæ tres Perſonæ implicitè vel explicitè nominari debeant. Quando igitur in Actibus Apoſtolorum quidam dicuntur baptizati in Nomine Domini JESU, id ita intelligendum, ut baptizaſſe dicantur in fide Domini JESU, vel authoritate Domini JESU, vel Baptiſmo à Chriſto inſtituto, vel denique in Nomine Domini JESU, ſed non ſolius, verùm adjuncto Patre & Spiritu Sancto. Fortaſſe enim ad magis commendandum Nomen JESU ita dicebant; Ego te baptizo in Nomine Patris & Filij ejus JESU Chriſti & Spiritûs Sancti. Videri poteſt Bellarminus L. 1. de Bapt. cap. 3. & Scholaſtici, qui hanc quæſtionem pluribus exponunt.

VII. De-

Digitized by Google

VII. *Doctrina quarta.* Omnis & ſolus homo iſque viator ac nondum baptizatus tam parvulus, quàm adultus eſt Capax Baptiſmi. Ita omnes Catholici. Ratio eſt, quia omnes iſti & ſoli ſunt capaces effectûs baptiſmi percipiendi, ut patet; & cum in Scriptura Sacra legantur integræ familiæ baptizatæ, plus quàm probabile eſt, in his omnis generis homines fuiſſe. In parvulis autem non requiri actualem fidem, omnes etiam Catholici tenent, de quo fusè Bellarminus Lib. 1. de Bapt. cit. c. 11. Non tamen mendacium eſt, cum in Baptiſmate loco infantium reſpondeatur, credo; non enim ſignificatur, Infantem credere proprio actu, ſed alieno; quia, ut loquitur S. Auguſtinus Serm. 10. de Verb. Apoſt: *Accommodat Mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, ut eant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut confiteantur.* In Adultis ad valorem Baptiſmi aliquam requiri intentionem, diximus ſupra. De alijs eorumdem diſpoſitionibus & requiſitis videri poſſunt Theologi Morales.

VIII. *Doctrina quinta.* Baptiſmus validè adminiſtratur à quovis homine cujuſcunque conditionis, ſexûs, Religionis, uitæ, ætatis, modò habeat uſum rationis, veram intentionem, & omnia eſſentialia adhibeat. Ita Concilium Florentinum in decreto unionis ſic loquens: *In caſu autem neceſſitatis, non Sacerdos tantùm aut Diaconus ſeù etiam Laicus, & mulier, paganus atque hæreticus validè baptizare poteſt, modò formam Eccleſiæ ſervet & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Conſentiunt unanimiter Theologi cum S. Thoma Q. 67. Ratio deſumitur tum ex voluntate Inſtituentis, quam nobis Eccleſia declarat, tum ex ſumma Baptiſmi neceſſitate, uti etiam inſinuant Concilia. Hinc videmus baptizatos ab hæreticis & ad fidem Catholicam converſos non rebaptizare; quamvis omiſſæ cæremoniæ & præſertim exorciſmi ſoleant ſuppleri; cum experientia docuerit, non-exorcizatos, quamvis validè baptizatos, nimis dæmonum tentationibus vexari.

IX. *Doctrina ſexta.* Baptiſmus omnibus parvulis à tempore, quo lex nova cepit obligare, natis eſt neceſſarius neceſſitate medij, ita ut ſine eo reipsâ ſuſcepto (extra caſum martyrij) ſalvari non poſſint. Ita certa & communis ſententia Catholicorum Doctorum. Probatur ex Sac. Scriptura Joan. 3. v. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum DEI.* Quem locum non ſolùm Concilium Florentinum, ſed tota Antiquitas de Baptiſmo intellexit. Conſentiunt Sac. Scripturæ Concilia & Patres apud Cardinalem Bellarminum loc. cit. c. 4. ex quibus S. Auguſtinus lib. 2. de Anima & ejus origine c. 12. *noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere, Infantes antequam baptizantur morte præventos poſſe pervenire ad indulgentiam originalium peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Unde nemo dubitat, inquit Arriaga D. 24. cit. num. 34. quin ſententia eorum Doctorum, qui aſſerunt, parvulos fide, precibus, & oblationibus Parentum abſque baptiſmo & martyrio ſalvari poſſe, ſit ad minimum erronea, ſi non omnino hæretica. Nam illi Infantes nec re, nec voto ſuſcipiunt baptiſmum. Non obſtat, quod multi infantes extinguantur in utero materno, quibus nullâ humanâ induſtriâ ſuccurri poteſt. Nam ex eo non ſequitur, Deum, quantum eſt ex parte ſua, non providiſſe omnibus parvulis ſufficientia remedia ad ſalutem, cum omnium etiam parvulorum ſit Redemptor, & pro omnibus ſit mortuus: ſed ſolùm ſequitur, voluntatem, quâ Deus illorum ſalutem vult, atque procurat, non eſſe omnino efficacem & abſolutam, ſed aliquo modo conditionatam, utpote qui mediorum à ſe inſtitutorum applicationem voluerit dependenter ab hoc ordine curſûque cauſarum liberarum æquè ac naturalium, à quibus ea applicatio impediri poſſet. Ita Suarez, Vaſquez, Bellarminus, loc. cit. Arriaga Tom. 1. in 1. Part. D. 33. Sect. 3. & alij Doctores communiter.

X. *Doctrina ſeptima.* Baptiſmus eſt etiam adultis neceſſarius in re vel voto ſuſceptus. Ita Catholici Doctores, & expreſsè habetur in Tridentino Seſſ. 6. cap. 4. ex cit. textu Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Dixim. in re vel noto. Quia adultorum quoad hoc melior eſt conditio, quàm parvulorum; poſſunt enim per baptiſmum Flaminis, nempe deſiderium aut dilectionem DEI perfectam etiam extra opportunitatem martyrij juſtificari. Eſt quoque neceſſarius baptiſmus neceſſitate præcepti poſitivi divini, ut indicat Tridentinum Seſſ. 7. can. 5. de Baptiſmo; ubi ſub anathemate prohibetur dicere, Baptiſmum eſſe liberum, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; ex quo planè habetur, Baptiſmum obligare ſub mortali, cum libera & voluntaria ejus omiſſio hominem ab æterna ſalute excludat. Dixim. neceſſitate præcepti poſitivi divini. Nam neceſſitatem præcepti naturalis divini eſſe inſeparabilem & indiſtinctam realiter à neceſſitate medij, patet ex eo, inquit Eſparza quæſt. 50. art. 6. quod voluntas præcipiendi nihil ſit aliud, quàm voluntas conſtituendi illud in ratione medij neceſſarij ad conſecutionem vitæ, ut idem fuſius oſtendit de Actib. Hum. Q. 20. & 21.

XI. *Doctrina octava.* Baptiſmi tres ſunt præcipui Effectus. 1. eſt gratia habitualis remiſſiva peccati Originalis & Actualis, ſi fortè ante baptiſmum ſit commiſſum. 2. eſt character indelebilis, quo baptizatus redditur incapax denuo baptiſmum recipere. 3. eſt remiſſio totius pœnæ tam æternæ quàm temporalis pro peccato debitæ. Ita Catholici Doctores apud Bellarminum Lib. 1. de Bapt. c. 13. Primus effectus habetur in Tridentino ſeſſ. 5. in decreto de peccato origina. §. 5. ubi dicitur: *ſiquis per JESU Chriſti D. N. gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam aſſerit, non totum tolli id, quod veram & propriam habet rationem peccati, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit; in renatis enim nihil odit DEUS, quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè ſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſmum in mortem, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes & novum, qui ſecundùm DEUM creatus eſt, induentes innocentes immaculati puri innoxij ac DEO dilecti effecti ſunt, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu remoretur.* Ergo per gratiam, quæ in baptiſmo confertur, non ſolùm delentur peccata mortalia originale & actuale quodvis, ſi iſtud fortè exiſtat, ſed etiam venialia (quorum complacentia non habetur) quomodo enim aliàs baptizati eſſent DEO dilecti & ita puri, innocentes, & immaculati redderentur, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli retardaret? Quoad alterum effectum. Eſt character baptiſmi validi inſeparabilis

Digitized by Google

rabilis effectus, ex quo alius ſequitur, qui eſt ſubjectio baptizati erga ſpiritualem Eccleſiæ Juriſdictionem : item capacitas & poteſtas activa & paſſiva ad alia Sacramenta recipienda, & nonnulla ex his conficienda. Redditur quoque baptizatus per characterem incapax baptiſmi iterum ſuſcipiendi. De quibus omnibus plura diximus ſupra de Sacramentis in genere. Tertium & ultimum effectum diximus, fieri in Baptiſmo remiſſionem totius pœnæ æternæ & temporalis pro peccatis debitæ. Colligitur iſte manifeſtè ex cit. Triden, loco; dicit enim, *baptizatos nihil ab ingreſſu cæli remorari.* At ſi Baptiſmus omnem omnino pœnam pro peccatis debitam non remitteret, aliquid eſſet, quod baptizatum ab ingreſſu cæli remoraretur. Ergo &c. Expreſſius hoc docet Seſſ. 6. c. 14. dicens: *in juſtificatione, quam lapſi poſt baptiſmum obtinent, ſæpe remanere obligationem ſolvendi aliquam pœnam pro peccatis debitam, quia ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, uti in baptiſmo fit, dimittitur.* Idem tradit Concilium Florent. in decreto de Armenis. Ratio eſt voluntas & Inſtitutio Chriſti. Congruentia ſumitur ex ſimilitudine, quam habet Baptiſmus cum morte Chriſti juxta illud Rom. 6. v. 4. *quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* Atqui Chriſtus Dominus ſuâ morte perfectè vicit peccatum. Ergo Baptiſmus, qui morti Chriſti aſſimilatur, peccatum baptizati perfectè vicit. Ergo non ſolùm ſecundùm culpam, ſed etiam ſecundùm pœnam illud delet, ut rectè S. Thomas q. 68. art. 5. & q. 69. art. 2. & communiter alij Theologi docent.

XII. Objicitur 1. Mors, Morbi, cæteræque hujus vitæ miſeriæ, ſicut & carnis concupiſcentia ſunt quædam pœnæ peccati originalis, & tamen non tolluntur per baptiſmum, ut conſtat quotidianâ experientiâ. Ergo per Baptiſmum non tolluntur omnes pœnæ peccati. Reſpon. mortem cæteráſque hujus vitæ miſerias non eſſe propriè dictas pœnas, ſed pœnalitates. Pro hujus intellectu diſtinguenda duplicia mala ex peccato originali ſecuta. Alia naturæ humanæ ſecundùm ſe ſpectatæ connaturalia, ſed per juſtitiam originalem impedita, & poſt eam perditam per ſe connaturaliter ſecuta, quæ non ſunt propriè pœnæ, ſed tantùm pœnalitates pœnis ſimiles; quemadmodum ſi aliquis Filius Ruſtici à viro nobili cooptatus per pravos mores adoptione privaretur, tum rediret ad ſuum priſtinum ſtatum pauperis ruſtici; qui ſtatus non eſſet propriè dicta pæna, ſed effectus naturalis pœnæ, ſcilicet privationis adoptivæ nobilitatis. Ita Corpus humanum ſuâ naturâ eſt corruptibile, & licet homo nunquam peccaſſet, tamen fuiſſet morti obnoxius; quam miſeriam miſericors DEUS per gratiam originalem impedierat, vel impedire volebat: perpetrato autem peccato gratiam illam ſuſtulit, & corpus ſuæ naturæ reliquit; unde rurſum evaſit mortale. Alia verò mala ex originali peccato ſecuta naturæ per ſe non conveniebant, ut privatio juſtitiæ, & æternæ Beatitudinis, quæ ſunt propriè dictæ pœnæ, de quibus loquuntur Concilia.

XIII. Objicitur 2. exemplum veterum Chriſtianorum, qui poſt baptiſmum pro peccatis ante baptiſmum patratis ſpontaneam pœnitentiam agebant, teſte Baronio Anno. Chr. 264. neque hic procedit diſtinctio pœnarum & pœnalitatum; quia Chriſtiani utique ſciebant & quotidie experiebantur mortem, cæteráſque pœnalitates nullâ pœnitentiâ tolli. Ergo pro pœnis propriè dictis agebant pœnitentiam, adeóque exiſtimabant, non omnes pœnas abſolui baptiſmo. Reſpond. huic objectioni varijs modis occurri poſſe. 1. forſam illos ignoraſſe tantam vim Baptiſmi. 2. forſam eos timuiſſe, ne non ſatis diſpoſiti baptiſmum receperint, adeóque non integrum effectum hujus Sacramenti perceperint. 3. nonnulli DD. hunc effectum Baptiſmi ad tollendas pœnas limitant ad pœnas alterius vitæ in purgatorio luendas, rati, aliquas pœnas dari in hac vita luendas pro peccatis ante baptiſmum commiſſis v. g. privationem gratiæ efficacis ad perſeverantiam, cui delendæ meritò adhibenda ſint opera pænitentiæ. Ita ſentit Faſolus in 1. Part. Q. 23. art. 5. n. 12. & Granado de Prædeſtin. Tract. 8. Diſp. unica. num. 39. & 40.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XIV. *Error primus eſt.* Anabaptiſtarum, infantes non eſſe capaces Baptiſmi; proinde fruſtrà baptizari; & in adulta ætate rebaptizandos eſſe. Unde nomen Anabaptiſtarum, hoc eſt, rebaptizantium obtinuerunt, cum aliàs ab Authore Thoma Muntzero dicerentur Muntzeriani, & plures abſurdiſſimos ac jam olim damnatos errores docerent, ut videre eſt apud Jacobum Gualterium in Tabulis chronographicis fol. 753. Probant 1. ex illo Marci 16. v. 15. *Euntes in univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ubi ad valorem Baptiſmi requiritur fides, quæ in parvulis non habet locum ob defectum rationis. Confirmatur ex S. Hieronymo L. 4. Comment. in Matthæum in fine. ubi ait: *Primùm docent Gentes; deinde doctos intingunt aquâ; non enim poteſt fieri, ut corpus Baptiſmi recipiat Sacramentum, niſi ante anima fidei ſuſceperit veritatem.* Probant 2. Infantibus non datur Euchariſtia, licet Chriſtus dixerit, *niſi manducaveritis carnem Filij hominis* Joan. 6. v. 54. Ergo nec parvuli comprehenduntur his verbis Chriſti: *niſi quis renatus fuerit.* Probant. 3. Infantes per ætatem adhuc capaces non ſunt myſterij baptiſmatis, quæ eſt regeneratio Spiritualis; etenim Spiritus in Scripturis nullam niſi ex incorruptibili ſemine ſcil. Verbi DEI regenerationem agnoſcit 1. Pet. 1. v. 23. Probant 4. Chriſtus ſuo exemplo docuit tempus baptiſmi ſuſcipiendi, anno ætatis 30. baptizatus. Probant 5. authoritate Patrum. D. Gregorius Nazianz. in orat. in S. Baptiſmum (quæ eſt oratio 40.) *optat differri baptiſmum, donec pueri de fide ſua poſſint aliquid reſpondere.* Et S. Auguſtinus L. 4. cont. Donatiſt. ſcribit, *baptiſmum puerorum non fuiſſe à Concilijs ſtabilitum.* Probant 6. Reprobi non ſunt baptizandi, ne prophanetur baptiſmus. Sed multi ex infantibus ſunt reprobi. Ergo non baptizandi.

XV. Errorem hunc ex libris Lutheri ſuxit Balthaſar Pacimontanus, qui primus priore ſæculo Viennæ in Auſtria an. 1528. Baptiſmum pue-

Digitized by Google

rorum oppugnavit, atque idcirco ibidem tanquam hæreticus igne combuſtus fuit, ut ſcribit Cochlæus de Actis & Scriptis Lutheri. Hunc ſecuti Anabaptiſtæ multipliciter errant. 1. quod non diſtinguant inter Fidem Actualem & Habitualem, cujus etiam parvuli ſunt capaces. 2. quod fidem ad valorem Sacramenti requirant, cum Chriſtus tantùm de fructu fuerit locutus. 3. quod non attendant ad circumciſionem figuram Baptiſmi, quæ parvulis fuit applicata, alioquin omni medio ſalutis deſtituendis, cum tamen Chriſtus valde eos dilexerit, & cæhæredes cæli appellarit Luc. 18. v. 15. *Afferebant ad illum etiam infantes, ut tangeret eos, quod cum viderent Diſcipuli, increpabant eos, JESUS autem vocans eos dixit: ſinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim eſt Regnum DEI.* 4. quod non attendant ad perpetuam Eccleſiæ praxin; de qua Auguſtinus L. 10. de Gen. c. 23. *Conſuetudo*, inquit, *Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Et L. 1. de peccat. meritis expreſsè ait, *Pelagianos non fuiſſe auſos negare baptiſmum parvulorum, quod videretur in tota Eccleſia uſitatus.*

XVI. Reſpond. ad 1. probationem, citata verba Chriſti non referenda eſſe ad infantes, ſicuti illa interpretatur Eccleſia, & continua praxis Fidelium docet, qui ſemper ſoliti ſunt infantes baptizare, & idipſum Apoſtolos factitaſſe, vel inde fit credibile, quod dicantur *integras domos baptizaſſe* 1. Cor. 1. v. 16. in quibus utique erant nonnulli parvuli. Et hanc eſſe Traditionem Apoſtolicam teſtantur D. Dionyſius Areopagita S. Pauli diſcipulus. Lib. de Eccleſ. Hierarach. cap. ult. S. Irenæus Lib. 2. c. 39. Origines Lib. 5. in caput 6. Epiſtolæ ad Romanos. S. Auguſtinus Lib. 10. de Genes. c. 23. & alij plures apud Bellarminum de Bapt. c. 8. Ad confirmationem ex D. Hieronym. dicimus, nihil aliud ibi eum intendere, quàm quod Adulti non licitè baptizentur, niſi prius veritatem fidei ſuſcipiant; quod autem parvuli validè & licitè baptizentur, ut à peccato originali liberentur, profitetur expreſsè in dialog. 3. contra Pelagianos. Ad 2. aliud eſſe, *niſi quis renatus fuerit*, quod omnes indifferenter comprehendit: & aliud, *niſi manducaveritis*, quod ad adultos & ad intelligentes pertinet. Unde noluit Chriſtus obligare Infantes ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut ad Sacramentum Baptiſmi, licet utrobique dicatur *niſi*, ſed ob diverſas cauſas, quia in uno requirit, ut vitam recipiant, quæ eſt neceſſitas Medij: in altero ut vitam conſervent, quod ſolùm eſt præcepti, & infantes non concernit. Non obſtat, antiquitus etiam parvulis datam fuiſſe Euchariſtiam. Nam conſtat, per totam Eccleſiam antiquam id non fuiſſe factum; cum tamen praxis Eccleſiæ doceat, in Eccleſia à temporibus Apoſtolorum infantes fuiſſe baptizatos propter verba Chriſti, niſi quis renatus &c. Ergo Eccleſia non ita judicavit ratione verborum illorum, niſi quis manducaverit &c. parvulis neceſſariò eſſe dandam Euchariſtiam. Ad 3. ex communi SS. Patrum conſenſu negando, infantes myſterij Baptiſmi capaces non eſſe; ſiquidem naſcuntur in peccato originali, ad quod tollendum baptiſmus inſtitutus fuit: capaces etiam ſunt regenerationis, quæ fit per gratiam Spiritûs Sancti cordibus infuſam, quam utique recipere poſſunt. Ad rationem adjectam dicimus, parvulos & adultos regenerari per verbum DEI, tanquam unicum ſemen, quod in Baptiſmo accedit ad aquam, & eſt forma baptiſmi à Chriſto inſtituta Matth. ult. v. 19. *Ego te baptizo in Nomine Patris &c.* ut pluribus oſtendit D. Auguſtinus Tract. 8. in Joan. inter cætera ajens: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.*

XVII. Ad 4. negando, Chriſtum ſuſcipiendo baptiſmum Joannis exemplo ætatis ſuæ tempus nobis deſignaſſe, quo ad baptiſmum accedamus. Nam Chriſtus baptiſmum Joannis ſuſcipiendo per miracula tunc facta innoteſcere hominibus voluit, quia mox Evangelium ſuum prædicare & baptiſmum alium inſtituere cogitabat; hæc autem non eſt cauſa, cur nos baptiſmum ſuſcipiamus, ſed ut à peccato liberemur, quod tam parvulis, quàm adultis neceſſarium eſt. Ad 5. Nazianzenum eſſe contra Adverſarios; cum in periculo mortis parvulos baptizari poſſe concedat; tametſi ſententiam illius, quod baptiſmum in parvulis ad triennium differri optet, alij Patres non probent. Auguſtinum malè citari; quippe non eo ſenſu dicit, baptiſmum parvulorum non eſſe ſtabilitum à Concilijs, quaſi eum non approbet; ſed quod antiquior ſit omnibus Concilijs. Hæc ejus ſunt verba: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolicâ authoritate traditum rectiſſimè creditur.* Unde patet, baptiſmum puerorum ex Auguſtini ſententia non indigere authoritate Conciliorum, quia ab ipſis Apoſtolis habet originem. Ad 6. iſtud argumentum nihil valere contra nos; etenim nos Catholici docemus, baptiſmum eſſe pignus gratiæ conferendæ homini, dum baptizatur: & hanc conferri etiam parvulis omnibus ſive ſint reprobi, ſive prædeſtinati. Taceo probari eodem argumento nec adultos eſſe baptizandos, cùm utique multi ex eis ſint reprobi, quod apertè eſt contra adverſarios.

XVIII. *Error ſecundus*, Infantes habere fidem actualem, quâ cognoſcunt & credunt ea, quæ aguntur, atque ijs acquieſcunt, & ideo baptizari poſſe. Ita primò Lutherus anno 1523. contra S. Auguſtinum, Cochlæum & Scholaſticos (quos omnes Sophiſtas vocat) docuit, & Lib. ad Waldenſes ſcribit, *præſtare prorſus Baptiſmum omittere in parvulis, quàm baptizare ſine fide.* Sed quia hæc doctrina cæteris Lutheranis valde dura viſa fuit, dixerunt, Spiritum Sanctum in actione Baptiſmi excitare in infantibus modum aliquem fidei ſimilem non reſpectu externarum operationum, ſed internarum, ac ſoli DEO cognitum. Probant hanc ſuam opinionem apud Gerhardum in Confeſſione ſua Lib. 2. Part. 2. à fol. 907. his argumentis. 1. exemplo Joannis Baptiſtæ, *qui in utero materno Chriſtum agnovit, & præ gaudio exilijt* Luc. 1. v. 44. 2. Matth. 18. v. 2. ait Chriſtus: *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et v. 6. *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt &c.* ubi expreſsè dicuntur credere; neque prodeſſet æquari, ſi non crederent. 3. Fides, quæ juſtificat, non eſt otioſus & tepidus habitus. At infantes habent fidem juſtificantem, ut ipſimet Pontificij concedunt. Ergo eſt fides viva efficax, & fiducialis apprehenſio meritorum Chriſti. 4. Quibus meritum Chriſti applicatur, illi habent fidem actualem, ut teſtatur tota S. Scriptura. Atqui infantibus applicatur meritum

Chriſti.

Digitized by Google

Chriſti. Ergo &c. 5. Qui ad Chriſtum veniunt & ſalvi fiunt, illi præditi ſunt fide propriâ & actuali, teſte iterum totâ Scripturâ. Infantes baptizati veniunt ad Chriſtum: Ergo &c.

XIX. Error iſte manifeſtè adverſatur Sacræ Scripturæ, quæ Deut. 1. v. 39. & Jonæ 4. v. 11. affirmat, *infantes non cognoſcere diſtantiam mali & boni.* Item S S. Patribus præſertim D. Auguſtino, qui lib. 4. de Bapt. c. 23. ſic ſcribit: *Traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum corde poſſunt credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, quod latro potuit; quin etiam flendo & vagiendo cum eis myſterium celebratur, ipſis myſterijs vocibus obſtrepunt, & tamen nullus Chriſtianorum dixerit, eos inaniter baptizari.* Similia habet alibi, ut agnoſcit ipſe Lutherus. Adhæc repugnat Verbo DEI, dari motus ſimiles actibus fidei, quia nomen fidei nuſquam in Scriptura ſignificat motum quendam ſine ſenſu & cognitione, ſed potius contrarium indicatur Roman. 10. v. 17. *Fides ex auditu.* Heb. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula &c.* Repugnat etiam rationi, inveniri prædictos motus in infantibus; etenim nequeunt eſſe in corpore, cum ſimiles ſint actibus fidei & dilectionis: nec in anima, cum implicet contradictionem, fieri abſque cognitione; quid enim eſt motus intellectûs, niſi intelligere? & quomodò voluntas poteſt inclinari ſine præcedente cognitione? Apparet profectò, Prædicantes parùm intelligere in Philoſophia, & neſcire, quid dicant.

XX. Reſpon. ad 1. in oppoſitum; hoc figmentum non habere ullum fundamentum. Nam ab exemplo Joan. Baptiſtæ non licet argumentari ad alios infantes, cum fuerit extraordinarium miraculum, ut bene advertit S. Auguſtinus epiſt. 57. ajens, *hoc in miraculis habendum divinæ potentiæ; non ad humana trahendum exempla naturæ*; alioquin poſſemus dicere, omnes aſinos loqui poſſe, cum aſinus Balaam fuerit locutus Num. 22. v. 28. Ad 2. in priore loco Chriſtum non voluiſſe nos aſſimilari parvulis in omnibus, ſed tantùm in humilitate & innocentia, ſicut explicat Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 2. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote*: in poſteriore loco Chriſtum non locutum de infantibus: ſed de grandjuſculis jam ratione utentibus; alioquin non eſſent capaces ſcandali. Accedit, quod, ſi ex his verbis Chriſti fides infantium probaretur, illi non ſolùm in baptiſmo tunc, ſed etiam poſtea ſtabiliter credere deberent, cum Chriſtus extra baptiſmum illis fuerit locutus. Ad 3. diſtinguendo Majorem, & concedendo eam, ſi intelligatur de juſtificatione, quæ in adultis fit per propriam diſpoſitionem: negando eandem de parvulis, qui ſe per actus rationales diſponere nequeunt: neq; ab ipſis exigitur. Si etiam in infantibus eſt viva efficax interna fidei operatio & fiducialis meritorum Chriſti apprehenſio, ut aſſerit Gerhardus fol. 908. quomodo eſt inexplicabilis, ut priore fol. dixerat? Ad 4. Majorem veriſſimam eſſe de adultis: falſiſſimam de infantibus, nec ex tota Scriptura una ſententiola adduci poteſt, quæ iſtud teſtetur. Ad 5. Majorem iterum veriſſimam eſſe de adultis: falſiſſimam de infantibus, ac denuo Gerhardus toti Scripturæ affingit, quod nec in una ejus lineola oſtendere poteſt.

XXI. *Error tertius eſt*, Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem tam adultis, quàm parvulis, ſed ſufficere fidem vel propriam, vel alienam parentum; etiamſi copia Baptiſmi ſuppetat. Ita Ameſius Tom. 3. à fol. 58. Molinæus à fol. 968. alijque Calviniſtæ cum ſuo Magiſtro Calvino L. 4. Inſtit. c. 15. & §. 15. & alibi. Duo autem hæc aſtruere intendit; *primum.* baptiſmum ad ſalutem & regnum cœlorum non eſſe per ſe neceſſarium, ſed tantùm eſſe ſignum, quod baptizati ſint ſalvi: *alterum.* omnes homines adhuc in utero clauſos eſſe filios iræ, ſtatim autem ac nati fuerunt, exiſtere filios DEI, ac baptiſmum ſolùm accipere in ſignum, quod ſint Filij DEI, idcirco omiſſio baptiſmi poteſt quidem eſſe peccaminoſa ratione præcepti neglecti, non tamen noxia ſaluti animæ. Calviniſtis eouſque conſentiunt Lutherani, ut putent, Fidelium infantes ſalvandos, ſi quocumque tandem caſu abſque baptiſmo diſcedant aut ab hoc impediantur, ut videre eſt apud Gerhardum L. 2. P. 2. fol. 885. Hanneken in Irenico fol. 649. & alios aſſerentes, ſolùm juxta conſuetum DEI ordinem eſſe baptiſmum Infantibus neceſſarium. Videatur Vetweiſs in Spec. fol. 598. ubi varios locos hæreticorum verbatim refert. Probant 1. diſcurſu in Sacris literis fundato, Omnes propagati ex ſemine Abrahæ ſunt DEO chari & benedicti. Sed omnes Fideles ſunt propagati ex ſemine Abrahæ. Ergo omnes ſunt DEO chari & benedicti etiam ſine baptiſmo. Majorem ſumunt ex Geneſis 17. v. 7. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim DEUS tuus & ſeminis tui poſt te:* Minorem oſtendunt ex Apoſtolo ad Roman. 4. v. 13. ubi ait, hanc propagationem non intelligendam de carnali generatione, ſed de Spirituali imitatione fidei; ſic enim loquitur: *Ut ſecundùm gratiam ſit promiſſio omni ſemini; non ei, qui ex lege ſolùm, ſed ei, qui eſt ex fide Abrahæ, qui Pater eſt omnium noſtrum.* Et ad Galat. 3. v. 7. *qui ex fide ſunt, ij Filij ſunt Abrahæ.* Et v. 9. *qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Hanc autem benedictionem etiam ad filios ſeu liberos fidelium parentum extendi, iterum oſtendunt ex Apoſt. 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem mundi ſunt*; ubi vel unius parentis fidem ad prolem ſanctificandam ſufficere affirmat. Probant 2. authoritate aliquorum DD. Catholicorum, nempe Epiſcopi Bitontini Cornelij Miſſi in cap. 5. Epiſt. ad Roman. Joannis Feri Cathedralis olim Concionatoris Moguntini, Alberti Pighij &c. Probant 3. ratione. Tum quia prophanatur, inquit Ameſius, Baptiſmus, cum datur ei, qui non pertinet ad Chriſtum. Tum quia non apparet, cur damnentur potius Infantes Chriſtianorum, qui præmaturâ morte prærepti nequiverunt baptizari, quàm Judæorum ſub veteri teſtamento, qui ante conſtitutum circumciſionis diem moriebantur. Tum quia, alioquin efficacior foret culpa Adami ad perdendum, quàm gratia Chriſti ad ſalvandum. Confirmat abviando dupliciter potiſſimo fundamendo Pontificiorum ex illo Joan. 3. niſi quis renatus fuerit &c. Nam ajunt 1. hunc locum non eſſe intelligendum de materiali baptiſmo, neque nomen aquæ propriè ſumendum pro viſibili elemento, ſed metaphoricè pro gratia Spiritûs ſancti, ut explicat S. Joannes c. 7. v. 34. cum enim Chriſtus dixiſſet, *qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; ſubjungit Evangeliſta: *hoc au-*

Digitized by Google

hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 2. etſi locus ille de materiali baptiſmo accipiatur, tamen inde non probari ejus neceſſitatem, tum quod ſimilis planè locutio habeatur Joan. 6. v. 54. *niſi manducaveritis carnem Filij hominis &c.* & tamen Catholici negant, inde probari neceſſitatem utriuſque ſpeciei, tum quod illa verba dicta ſint ad Nicodemum, cui non erat neceſſarium Sacramentum Baptiſmi, cum jam circumciſus fuerit, & per circumciſionem à peccato Originali purgatus; nec dum præceptum Baptiſmi obligabat, cum Chriſtus hoc loqueretur, ſed primùm poſt Pentecoſten, ut fatentur ipſi Catholici.

XXII. Errorem hunc damnârunt Innocentius III. cap. Majores de Baptis. Et Concilium Conſtantienſe abſolutè erroris damnando hanc aſſertionem, *poſſe parvulos ſine baptiſmo ſalvari.* Item Tridentinum Seſſ. 6. can. 4. ſtatuens, *juſtificationem poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poſſe.* Eundem Sacræ Scripturæ Joan. 3. inhærentes reijciunt Patres præcipuè S. Auguſtinus ſupra §. VI. citatus, qui etiam Lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 25. planè graviter ita definit: *Nulla præter baptiſmum Chriſti ſalus promittitur infantibus; quia infantes, ſi per Sacramentum, quod ad hoc eſt divinitus inſtitutum, in credentium numerum non tranſeunt, in tenebris manent.* Quia ſcilicet hoc pertinet ad oſtenſionem divinæ juſtitiæ, & beneficium & miſericordiam in renatos magis commendandam, ut in lege illa univerſali Joan. 3. cit. lata: *niſi quis renatus &c.* non diſpenſetur. Idem S. Pater ita epiſt. 28. ad S. Hieron. detonat contra præſentem errorem hæreticorum: *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli: qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam: ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliàs in Chriſto vivificari non poſſe.* Iterim DEUS, quantum in ſe, ſufficienter, ut diximus loc. cit. omnibus providit, inſtituendo remedium, quod ex ſe facilè omnibus poteſt applicari, eſto interveniat caſus, quo id de facto fieri non poſſit ob defectum aliquem naturæ vel parentum &c. Probationes hæreticorum contra neceſſitatem Baptiſmi allatæ nihil evincunt, ut fuſè contra Pet. Molinæum oſtendit Laurentius Forer in Antiquitate Papatûs Lib. 7. pun. 9. Controverſo, c. 1. Breviter.

XXIII. Reſpon. ad 1. Imprimis promiſſio illa liberaliter accepta non reſpicit cœleſtem, ſed terrenam hæreditatem, ut aliuncta verba indicant: *dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam*; fuit tamen illa terrena hæreditas figura cœleſtis, ut Apoſtolus loc. cit. exponit. Deinde ut aliquis ſit ſpiritualis Filius Abrahæ, qualem deſcribit Apoſtolus, non ſufficit, ut carnaliter fuerit genitus ex fideli, ſed ut ipſemet per ſe habeat fidem, quam infantes per baptiſmum accipiunt; hinc ergo non conficitur, non eſſe neceſſarium ſaltem infantibus baptiſmum, ſed potius contrarium; etenim ut compotes fiant cæleſtis hæreditatis, debent eſſe filij Abrahæ, quales fiunt per fidem, quam accipiunt per baptiſmum in re vel voto, ut ſupra explicatum. Demum ſanctitas & Mundicies, quam Apoſtolus 1. Cor. 7. liberis fidelium tribuit, non ſignificat æternam animæ juſtificationem, ſed externam & moralem honeſtatem coram hominibus. Nam tunc irrepſerat falſa opinio apud Corinthios, quaſi Matrimonium inter infideles contractum altero converſo diſſolveretur, & infidelis conjunx it deſerendus eſſet, quod refutat S. Paulus ex abſurdo conſequente, nimirum quod filij poſt alterius partis converſionem ſuſcepti forent illegitimi, cum tamen paſſim ſancti, id eſt, legitimi & honeſti habeantur; etenim ſanctificare in SS. Literis juxta idioma hebraicum ſignificat purgare, mundare, honeſtare, & hoc ſenſu dixit Apoſtolus, coniugium infidelium altero converſo non ſolùm non diſſolui, ſed ſanctificari, hoc eſt, purgari à priori infamia; prius enim deſperati & incorrigibiles videbantur, jam præbent ſpem converſionis, cum maritus infidelis uxori converſæ promittat liberum commertium Religionis Chriſtianæ. Hinc apparet, Sectarios in diſcurſu ſuo variè hallucinari, & ineptè verba D. Pauli 1. Cor. 7. huc applicare; etenim in ſenſu ipſorum coniunx infidelis ſine converſione ad DEUM & baptiſmo Chriſti ſanctificaretur, hoc eſt, ad remiſſionem peccatorum pervenire poſſet ex eo ſolùm, quod conjugi fideli adhæreret; quo quid ineptius?

XXIV. Ad 2. Præ centum Bitontinis nobis Hipponenſis Epiſcopus eſt, præ centum etiam Feris. Et verò multis locis hic Joannes Ferus non ſatis catholicè ſcripſit; unde & opera ejus ab Indice librorum prohibitorum proſcripta ſunt. Pighij quoque authoritas, etſi aliàs viri clariſſimi, tanta nobis non eſt, ut contra tantum Eccleſiæ Doctorem & communem Theologorum ſententiam valere quidquam debeat. Errarunt iſti & nonnulli alij catholici ſub ſpecie pietatis, inquit Tanner Tom. 4. D. 4. Q. 3. n. 61. non ſecundùm ſcientiam infantibus abſque baptiſmo morientibus cœlum aperientes; at diverſimòdè hi ab illis. Nam Calviniſtæ abſolutè & pertinaciter neceſſitatem Baptiſmi negantes commiſerunt hæreſin, in quam etiam incideret, qui cum eadem pertinatia parvulis aliud eiuſmodi remedium ordinariâ & certâ lege tribueret: Catholici vero DD. de quodam privilegio & quaſi extraordinaria diſpenſatione DEI loquentes doctrinam aperte falſam & improbabilem attulerunt, ut rectè cenſet cit. Author.

XXV. Ad 3. probationem. Nullam ex allatis tribus rationibus efficacem eſſe. *Non primam.* Quia Baptiſmus non prophanatur, cum datur immundis, ſed ipſos mundat; ideo quippe datur immundis, ut mundentur, ſicut communis Eccleſiæ habet ſenſus omnium ætatum, quibus ſoli fere Calviniſtæ & Pelagiani refragantur. Unde abſolutè pronunciat D. Auguſt. Epiſt 28. cit: *Sicut omnes homines per primam, hoc eſt, carnalem generationem pertinent ad Adam; Sic omnes homines qui ad Secundam, id eſt, ſpiritualem generationem veniunt, non niſi in Chriſto vivificabuntur. Non ſecundam.* Quia quoad infantes, qui in utero moriuntur, eadem olim fuit, quæ nunc eſt, ratio; quoad alios jam natos, qui ob defectum aquæ baptizari non poſſunt, ex una parte eſt rariſſimus caſus, ipſumque remedium baptiſmi per ſe verè tam facilè atque obvium eſt, quàm quodvis in lege naturæ vel Moſaica: ex altera verò parte ab majorem fidei cognitionem, & propagationem, abſolutè loquendo, infantibus hoc tempore multò magis eſt proſpectum: ac ſine comparatione plures nunc, quàm olim

olim ſaluantur. *Non tertiam.* Quia negatur ſequela; ſiquidem hoc non fit ob inefficaciam gratiæ Chriſti, ſed contingit ex eo, quod ſuppoſito peccato & demerito Adami non poſſit gratia perinde ut peccatum carnali generatione ad poſteros diffundi. Quocirca neceſſarium fuit, ut externum aliquod remedium hominum moribus & conſuetudini accommodatum inſtitueretur.

XXVI. Ad confirmationem; hiſce, quæ afferunt, minime infringi fundamantum noſtrum ex Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit &c.* Tum quia nimis audacter & contra communem Patrum interpretationem nomen aquæ ad metaphoram trahitur, & pro Spiritu ſancto ſumitur; cum tamen generalis ſit regula Interpretum, verba Sacræ ſcripturæ propriè accipienda, quantùm ſine abſurdo poſſunt; alioquin nihil certi habemus ex Sac. Scriptura, quolibet hanc prolibitu ad varios tropos detorquente. Nec conſequens eſt, ſicubi nomen aquæ impropriè pro gratia Spiritûs Sancti accipitur, etiam hic ita ſumendum; alioquin tota eſſentia hujus Sacramenti penitus evertetur, aquam ſemper ſpiritualiter accipiendo: neque poterit ex Sacra Scriptura probari, Chriſtum fuiſſe verum Filium DEI & hominem, quandoquidem nomen filij ſæpe impropriè ſumitur in Sac. litteris, ut Iſaiæ. 5. v. 1. *pinguis vinea vocatur filia DEI,* & ſæpe minora oppida reſpectu metropolis dicuntur Filiæ ejus. Tum quia non explicatur vis hujus phraſis: niſi hoc vel illud feceritis, non ſalvabimini; ſi enim non ſignificet neceſſitatem, quid aliud?

XXVII. Allatæ inſtantiæ nihil probant contrà neceſſitatem. Nam prior de neceſſitate comunionis ſub utraque ſpecie ſuo loco explicabitur, quod ſignificet, niſi neutra ſumatur; quod ſi de deſumptione unius ſpeciei reſpectu parvulorum intelligatur, ſupra jam §. XVI. ad 2. fuit oſtenſum diſcrimen inter hanc & illam propoſitionem, niſi quis baptizatus fuerit &c. Poſterior etiam inſtantia de Nicodemo non obſtat; quia licet tunc temporis nondum fuerit neceſſarius baptiſmus, tamen paulò poſt erat futurus. Ne quis autem miretur, cur ex abrupto ſine ulla occaſione data de futura neceſſitate Baptiſmi cum Nicodemo diſſerverit, ſciat talem fuiſſe diſcurſum Chriſti, paucis verbis ab Evengeliſta inſinuatum. Scio, mi Nicodeme, cur ad me venias; cupis ſcilicet ſcire, quale ſit regnum futurum toties à me promiſſum, & quomodo ejus compos fieri queas; ſed nondum es capax hujus doctrinæ; nemo enim idoneus eſt ad meam doctrinam percipiendam, niſi depoſito faſtu, & proprij judicij temeritate infantilem quandam ſimplicitatem induat, & inſtar modo geniti infantis captivato intellectu in obſequium fidei credat, quæ non videt. Ideo omnes, qui volunt in regnum meum ingredi, debent ſimpliciter renaſci per Sacramentum Baptiſmi, quod nunc quidem non capis, ſed ſuo tempore capies, illuminante Spiritu Sancto, qui ad meos diſcipulos veniet. Ita Nicodemum admiratione ſuſpenſum & ſemicredulum dimiſit, bene tamen affectum, ut in ſepultura oſtendit, & poſtea legitimè baptizatus præclarus Epiſcopus evaſit.

XXVIII. Urgent Molinæus & alij Sectarij. Baptiſmus Fluminis ſuppleri poteſt per martyrium & dilectionem DEI ſuper omnia, quæ duo Pontificij idcirco baptiſmum Sanguinis & Flaminis appellant. Ergo baptiſmus Fluminis non eſt univerſim neceſſarius. Reſp. negando Conſequent. Quia in caſu neceſſitatis & defectu aquæ DEUS voluntatem pro ipſa re accipit: ſanguinem autem effuſum ſpeciali privilegio donat. Primum horum ſumitur ex ijs Sac. Scripturæ locis, in quibus Dilectioni DEI & Contritioni promittitur juſtificatio, ut Proverb. 10. v. 12. Luc. 7. v. 47. 1. Pet. 4. v. 8. Ezech. 18 v. 30 Iſaiæ 55. v. 7. Alterum verò ex Matth 10. v. 32. ubi promiſſio Chriſti eſt generalis, & ſuadetur exemplo Innocentum, quos Eccleſia ob mortem Chriſti causâ ſuſceptam ut martyres & verè Beatos colit. Utrumque confirmatur ex conſenſu Patrum & omnium catholicorum. Itaque ex Fide tenendum, poſſe aliquem ſaluari baptiſmo Flaminis vel Sanguinis abſque Baptiſmo fluminis; ut expreſsè deciditur ab Innocentio III. Papa in cap. Apoſtolicam. de Presbyt. non baptizato, habeturque ex perpetua traditione. Ex quo Univerſalitati Chriſti Verborum Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* nihil decedit; quia iſti duo baptiſmi Sanguinis & Flaminis ab ipſo Chriſto ad æquivalentiam baptiſmi Fluminis fuerunt aſſumpti. Inſtant authoritate aliquorum Patrum abſolutè aſſerentium, abſque baptiſmo aquæ non obtineri ſalutem. Sed loquuntur vel de culpabili omiſſione baptiſmi aquæ: vel ſub baptiſmo fluminis comprehendunt baptiſmum flaminis & ſanguinis: vel aliud intendunt, quàm Sectarij velint. Singulos Patres afferri in oppoſitum ſolitos explicavi in Diſputatione mea de Triplici Baptiſmo Friburgi Briſgoiæ anno 1666. impreſſa. Videantur Vaſquez D. 150. à num. 36. Suarez, Coninck alij.

XXIX. *Error quartus eſt*, parvulos illegitimè aut ex Infidelibus natos à nemine baptizandos eſſe. Ita Calviniſtæ in Synodo Vilnenſi anno 1589. die 11. Martij, ut refert Becanus in Manuali L. 3. c. 7. fol. mihi 425. Nam prioribus, inquiunt, deeſt recta propagatio ex ſemine Abrahæ; poſterioribus verò fides parentum. Hujus erroris & apertiſſimè falſæ doctrinæ Calviniſtas meritò jam pudet. An non Chriſtus pro omnibus mori voluit tam legitimis quàm illegitimis: tam Judæis quàm Gentilibus? An non pro omnibus baptiſmum inſtituit? *In Chriſto*, inquit Apoſtolus ad Gal. 3. v. 28. *non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus neque fœmina.* Adhæc prima hujus opinionis pars de illegitima nativitate falſa eſt; quia promiſſio ſpiritualis Abrahæ facta non pendet à carnali generatione, ſed ab imitatione fidei, ſicut Chriſtus ipſe Luc. 19. Zachæum ex Gentilibus natum vocavit *Filium Abrahæ*: Altera verò, quia propria fides per baptiſmum accepta prodeſt liberis, quantumvis parentes ſint infideles.

XXX. *Error quintus eſt*, denuo Calviniſtarum cum ſuo Magiſtro L. 4. Inſtit. c. 15. §. 20. 21. & 22. Item in Andidoto Tridentini Seſſ. 7. cap. 10. Miniſtrum Baptiſmi eſſe Prædicantem, proinde alios etiam in caſu neceſſitatis nec licitè nec validè poſſe adminiſtrare. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 17. Fundamentum ipſorum eſt, quia Chriſtus ſolis Prædicantibus poteſtatem baptizandi contulit Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* ubi

Digitized by Google

mus prædicandi cum poteſtate baptizandi connectit. Ergo quibus non convenit docere & prædicare, ut mulieribus, infidelibus, illiteratis &c. eiſdem nec baptizare convenit. Addunt aliqui authoritatem Epiphanij & Tertulliani; quia ille dicit, *non permiſſum mulieribus quodcunque ſacrum obire munus in Eccleſia*: iſte verò: *non permitti mulieri loqui in Eccleſia; ſed nec docere nec tingere* (id eſt baptizare) *nec offerre*. Hunc errorem damnat Romana Eccleſia in Concilio Florentino decreto Eugenij, & can. à quodam Judæo. de Conſecrat. Diſt. 4. atque omnes Doctores Catholici reijciunt. Ratio ſumitur ex neceſſitate tanti Sacramenti. Dicit quidem Ameſius, hoc ſe fundamentum everriſſe, ſed ſtat inconcuſſum & totius Veteris Eccleſiæ authoritate roboratum, ut hæreſis iſta Calviniſtarum ulteriore refutatione non indigeat; Lubet tamen quærere ex his, cur viros quoſcunque alios inter ipſos, imò & mulieres non admittant ad Baptiſmum conferendum ſive privatum ſive etiam publicum, cum juxta placita Sectariorum quicunque viri & mulieres fideles ſint Sacerdotes ſecundùm verba illa 1. Pet. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta &c.* Reſpondemus ad fundamentum Sectariorum. Verba citata Chriſti ad ordinarium modum baptizandi pertinent: non ad extraordinariam neceſſitatem, ut interpretata eſt Eccleſia, & intellexerunt ſacra Concilia & Patres, atque ipſa perpetua praxis docet, ut negare non audeat Calvinus ſect. 20. cit. *Concedens, talem à Laicis collatum in neceſſitate baptiſmum ab ipſo fere Eccleſia exordio uſu receptum fuiſſe.* Patres Epiphanius & Tertullianus ineptè contra nos adducuntur. Nam quis Catholicorum unquam conceſſit mulieri ſacrum quodcunque munus, & ſic Baptiſmum quoque in Eccleſia obire? In domibus privatis & urgente neceſſitate extremâ atque abſentiâ Sacerdotis vel viri aliûs magis periti ſolùm permittitur, ne ſine baptiſmo mortui infantes cœleſti beatitudine excludantur. Imperitè etiam contra ipſos Adverſarios affertur Tertullianus; etenim verbum offerre hîc aliud non ſignificat, quàm Sacrificare. Ergo Sacrificium miſſæ jam in primitiva Eccleſia fuit piè ac ſanctè celebratum à Sacerdotibus, nec unquam permiſſum mulieribus, adeòque non eſt idololatria & novum Romanæ Eccleſiæ inventum, ut tamen calumniantur Hæretici.

XXXI. *Error ſextus eſt*, effectum Baptiſmi eſſe triplicem libertatem 1. à legibus divinis. 2. à legibus Eccleſiæ. 3. à proprijs votorum obligationibus. Ita Lutherus in comment. 2. cap. Epiſt. ad Galat., ubi, *ſi*, inquit, *conſcientia dictat, peccaſti; reſponde, peccavi. Ergo DEUS puniet, & damnabit; non. At lex DEI hoc dicit; ſed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Concedit ergo, facere contra legem eſſe peccatum, ſed hoc non imputari ijs, qui habent fidem, nec ſalutem iſtorum pendere à legis impletione, ſed à ſola miſericordia DEI per fidem apprehenſa. Idem ſatis apertè docet Calvinus Lib. 3. Inſtit. c. 19. §. 2. 4. & 7. Volunt igitur uterque, hominem ſolius fidei debitorem eſſe. Lutherani apud Gerhardum, & Calviniani apud Ameſium negant, hunc ſe Baptiſmi effectum, nempe triplicem libertatem admittere. Verùm quidquid dicant, ne pias aures duriùs feriant, reipsâ docent. Aſſerit Gerhardus Lib. 2. Confeſſionis ſuæ Part. 2. fol. 918. per Baptiſmum non ſolùm præterita, ſed etiam futura peccata remitti, hoc eſt, ut ipſemet ſe explicat ibid. fol. 913. peccata præterita & futura perinde ſe habere, ac ſi nunquam eſſent comiſſa; aut comittenda; quod ipſum etiam tradit Ameſius Tom. 3. cont. Bellarm. fol. 68. ubi etiam apertis verbis affirmat, ſalutem ex gratia, non ex lege in baptiſmo promitti. Quid autem hoc eſt aliud, quàm à lege omni ita eſſe liberum, ut nullum peccatum contra illam patratum habentibus fidem imputetur? quàm legis tranſgreſſionem tam parùm nocere habentibus fidem, ac ſi nunquam lata eſſet? quàm nihil hominibus cum lege eſſe? quàm ſalutem hominum non à legis impletione, ſed à ſola DEI miſericordia per fidem apprehenſa pendere? Ad probandam & confirmandam triplicem hanc libertatem veluti effectum Baptiſmi paſſim in libris & cathedris prædicant, crepant & jactant Sectarij illa verba ex epiſtola D. Pauli ad Gal. c. 4. v. 26. *quæ ſurſum eſt Jeruſalem* (id eſt, Eccleſia cœlitus inſtituta) *libera eſt.* Et v. 31. *non ſumus Ancillæ filij, ſed liberæ, quâ libertate nos redemit Chriſtus.* Et c. 5. v. 1. *nolite iterum jugo ſervitutis teneri.* Et v. 13. *vos in libertatem eſtis vocati, Fratres.* Et v. 19. *quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Atque hâc libertatis promiſſione non ſolùm vulgus in ſuas partes traxerunt, ſed etiam quoſdam Monachos & Sacerdotes, quos votùm caſtitatis abſterrebat.

XXXII. Hunc errorem & ſpurciſſimam libertatem, quæ omnibus vitijs januam aperit, jure damnavit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 19. *Siquis dixerit, nihil prorſus eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* Et can. 20. *Siquis hominem juſtificatum, & quemlibet perfectum dixerit, non teneri ad obſervationem mandatorum DEI & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, quaſi verò Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema eſt.* Et can. 21. *Siquis dixerit, Chriſtum JESUM à DEO hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut legiſlatorem, cui obediant, anathema ſit.* Idem Seſſ. 7. can. 7. de Baptiſmo. *Siquis dixerit, Baptizatos per baptiſmum ipſum ſolius fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis ſervandæ, anathema ſit.* Et can. 8. *Siquis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita ut obſervare non teneantur, niſi ſe ſuâ ſponte ſubmittere illis voluerint, anathema ſit.* Et can. 9. *Siquis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut omnia vota, quæ poſt baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in baptiſmo ipſo factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi baptiſmo, anathema ſit.* Hiſce decretis triplex illa libertas eſt damnata, cui etiam ſacræ litteræ contradicunt. Nam primò baptizatos adſtringi ad mandata DEI obſervanda, declarant verba Chriſti Matth. 28. v. 20. *docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes ea ſervare omnia, quæ dixi vobis.* Secundò Obedientiam Eccleſiæ præſtandam monet Apoſtolus Heb. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Tertiò vota obſervanda demonſtrat idem Apoſtol. 1. Tim. 5. reprehendens votifragas mulieres votum caſtitati violantes, ſic enim loquitur, v. 11. *adoleſcentiores mulieres devita* (hoc eſt, ad communem eleemoſynam non admitte) *cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, hoc eſt, contra Chriſtum, *nubere volunt habentes damnationem, quoniam primam fidem* (ſcil. promiſſionis DEO factæ) *irritam fecerunt.*

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. Reſpond. ad probationem, libertatem Chriſtianorum à S. Paulo Galatis prædicatam non ſignificare exemptionem ab omni ſervitute & obligatione, ſed tantùm à ſervitute per peccatum contracta, obligatione Moſaicæ legis, ſicuti ipſemet explicat Rom. 8. v. 2. *Lex Spiritûs vitæ in Chriſto JESU liberavit nos à lege peccati & mortis &c.* cui conſentit S. Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 16: *Quare liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicuti ſervi DEI.* Et epiſt. 2. c. 2. v. 18. redarguit hæreticos nimiæ libertatis præcones & libertatem promittentes, cum ipſi ſint ſervi corruptionis. Illud autem dictum Apoſtoli ad Galat. 5. v. 19. *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, difficultatem habet; videtur enim loqui non ſolùm de lege Moſaica, ſed etiam Naturali & Chriſtiana. Pro cujus intellectu duo explicanda ſunt; primùm, quidnam ſit duci ſpiritu: alterum, quidnam ſit, eſſe ſub lege. Spiritu duci eſt ſequi inſtinctum Spiritûs Sancti: Eſſe ſub lege ſignificat metu legis & pœnarum ejus impelli ad præſtandum officium, quod alioquin non fieret. Sunt autem quatuor principia ſeu motiva humanarum actionum. 1. eſt ſuggeſtio dæmonum. 2. carnis appetitus. 3. metus pœnarum. 4. Spontaneus amor & affectus ad honeſtatem ex inſtinctu Spiritûs Sancti conceptus. Prima duo movent peccatorem ad peccandum: tertium impellit homines imperfectos, qui adeo ſervilem habent animum, ut nihil boni facerent, niſi cogerentur legum imperio: quartū ſequuntur homines perfecti, quos Spiritus Sanctus ſimiliter incitat ad bene operandum, & hi non idcirco bene vivunt, quod cogantur ex obligatione legum & metu pœnarum, ſed quia cupiunt DEO placere, & quod illi placitum noverint, facere, ſive ſit præceptum, ſive non; ſicuti homines pij quotidiano miſſæ ſacrificio intereſſe conſueti diebus feſtis nihil cogitant de præcepto, ſed nihilominus audirent, etiamſi nullum eſſet præceptum. Similiter qui ſingulis menſibus vel etiam ſæpius communicare ſolent, in Paſchate communicant abſtrahendo à lege. Et hi non ſunt ſub lege, id eſt, non operantur ex coactione legis & ſervili pœnarum metu, ſed ex ſpontanea pietate. Itaque ſenſus verborum Apoſtoli eſt, *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, hoc eſt, ſi internum inſtinctum Spiritûs ſancti ſequamini, non premet vos jugum legis, nec invitos ſervili metu coget ad officium, ſed ſponte ſuaviter & hilariter ex amore DEI facietis omnia, ad quæ per leges obligamini, nihilominus facturi, etiamſi lex nulla foret, & quidem amplius, quàm debeatur; ſicut navis impulſa ventis non eget motu remorum, ſicuti etiam illi, quibus vernacula eſt lingua Italica, nullas ſciunt leges grammaticæ ex longo uſu, & ſic dici poteſt, eos non eſſe ſub legibus Grammaticæ. Uno verbo diſtingui poteſt illa propoſitio Apoſtoli, qui ſpiritu ducitur, hoc eſt, qui bonum Spiritûs Sancti inſtinctum ſponte ſequitur, non eſt ſub lege quoad coactionem, concedimus: quoad obligationem, negamus. Cæterùm dum Adverſarij dicunt, per Baptiſmum peccata perinde ſe habere, ac ſi commiſſa non eſſent, apertè fatentur, eadem non verè tolli, ſed ſolùm tegi ac radi, quod tamen negare hic audet Gerhardus fol. 912. cit. ſed de hoc ſupra diximus.

XXXIV. *Error ſeptimus*, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim & efficaciam, quam habuit Baptiſmus Chriſti, adeóque unum eundémque fuiſſe Baptiſmum utriuſque: Ita iterum Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. à. fol. 912. & Calviniani apud Ameſium Tom. 3. à fol. 66. Nam cum velint ſolam fidem juſtificare impium: Sacramenta verò ſolùm excitare fidem, inferunt, Baptiſmum Ioannis eundem fuiſſe cum Baptiſmo Chriſti, quod probant. Tum quia uterque baptiſmus fidem in Chriſtum excitavit. Tum quia eadem in utroque fuit doctrina, idem ritus eadem gratiæ oblatio. Ergo idem Baptiſmus, & eadem efficatia. Tum quia Lucas expreſsè ait. c. 3. v. 3. *Joannem baptiſmum prædicaſſe in remiſſionem peccatorum.* Tum quia ſuaviſſima eſt conſolatio Chriſtianorum, quod eodem baptiſmo baptizentur, quo Chriſtus fuit baptizatus. Sed Chriſtus bapizatus eſt Baptiſmo Joannis. Ergo Baptiſmus Chriſtianorum idem eſt cum baptiſmo Joannis.

XXXV. Errorem hunc damnavit Concilium Tridentinum Seſſ. 7. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Eundem apertè refutat ipſe Joannes Matth. 3. v. 11. dicens: *Ego quidem vos baptizo aquâ in pœnitentiam: ipſe autem vos baptizabit in ſpiritu Sancto & igne*; quaſi diceret: Ego ſolâ externâ aquâ vos baptizo in pœnitentiam, hoc eſt, in ſignum, quo profitemini, vos velle ſeriò pœnitere, Sed hæc cæremonia nullam vobis gratiam, nullam remiſſionem peccatorum impertit. Meſſias verò, cujus ego non niſi præcurſor, & viliſſimus ſervulus ſum, longè me fortior, imò infinitè potentior baptizabit vos etiam in Spiritu ſancto, hoc eſt, donis Spiritûs Sancti, quibus animas interius emundabit à peccatis & ſpiritualibus ac cœleſtibus gratijs replebit, illis quaſi igne vos purificans, illuminans, inflammans, & ad cœleſtia rapiens &c. Reijcit illum etiam S. Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 10. ubi etiam rationem addit, quæ eſt talis: *Si baptiſmo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præſtari potuit per baptiſmum Chriſti ijs, quos Apoſtolus Paulus poſt baptiſmum Joannis Chriſti baptiſmo voluit baptizari.* Intelligit autem S. Pater duodecim illos viros, ques ſolo baptiſmate Joannis baptizatos voluit Paulus denuo tingi baptiſmo Chriſti Actor. 19. quod utique facturus non fuerat, ſi baptiſmus Joannis non alius fuiſſet à baptiſmo Chriſti; aliter Paulus Anabaptiſta fuiſſet. Similiter diſcrimen latum inter Baptiſmum Chriſti & Joannis faciunt Origenes in cap. 6. epiſt. ad Romanos Lib. 5. Hieronym. in Dialog. contra Luciferian. & alij Patres, quos fusè adducit Verweis in Speculo Eccleſiæ fol. 622. Probationes Adverſariorum exigui ſunt momenti.

XXXVI. Reſpond. ad 1. Baptiſmum Chriſti non excitare primùm fidem in Chriſtum, ſed hanc, tanquam diſpoſitionem prærequirere, & quidem propriam & actualem in adultis, alienam ſaltem in infantibus, atque inſuper producere gratiam ſanctificantem, ſi obex abſit: ſecus ſe habet Baptiſmus Joannes. Ad 2. totum nihil valere, tum quia non fuit eadem doctrina niſi in genere; quid enim Joannes de Paſſione, Reſurrectione &c. Chriſti diſſervit? tum quia doctrina nihil valet ad Sacramenti eſſentiam; alioquin hæretici, qui falſam habent doctrinam, non haberent verum Sacramentum Baptiſmi. Sicuti ergo diverſitas doctrinæ non facit baptiſma diverſum, ita nec ſimilitudo doctrinæ facit unum baptiſma, tum quia

oblatio

oblatio gratiæ non fuit eadem in utroque baptiſmo; etenim baptiſmum Joannis ſequebatur pœnitentia, ut ejus effectus: baptiſmum autem Chriſti præcedit, ut ejus diſpoſitio. Ad 3. ex communi SS. Patrum Joannem prædicaſſe baptiſmum, qui excitaret homines ad pœnitentiam, per quam conſequerentur remiſſionem peccatorum: non qui conferret remiſſionem peccatorum, ut facit baptiſmus Chriſti. Fuit igitur confeſſio Judæorum de peccatis, cujus in baptiſmo Joannis meminit Marcus cap. 1. mera cæremonia externa, quâ teſtabantur deſiderium expurgandi animi per pœnitentiam. Ad 4. non eſſe bonam conſolationem, quæ Chriſto irrogat injuriam. Baptiſmum autem Chriſti ipſi Chriſto vix abſque injuria & blaſphemia tribuere poſſumus; quippe videri poterat indigere regeneratione & adoptione; alia eſt ratio Circumciſionis, quæ ex ſe non fuit niſi ſignum externum fœderis cum Abraham & Semine ejus, unde Chriſtus prodibat, qui proinde eodem ſigno notari atque affici poterat. Videantur DD. à Walenburg. Tom. 2. fol. 402.

CONTROVERS. LXIX.

DE CONFIRMATIONIS SAcramento.

HOc Sacramentum varijs nominibus appellari ſolet à Concilijs & Patribus. 1. *Impoſitio manuum* Actor. 8. v. 14. ſcil. Conſecrativa, non curativa aut Sanctificativa, quarum illa ſanitatem corporis, iſta gratiam Spiritûs ſancti confert: eadem impoſitio manuum non ſumitur rigidè, ſed pro attactu mobili unius dextræ, imò ſolius pollicis. 2. *Unctio* à materia proxima, quæ eſt inunctio cum chriſmate ex olei & balſami miſtione confecto. 3. *Signum vel Sigillum vel Conſignatio*, tum quod inviſibilem characterem animæ imprimat, tum quod exteriori ac viſibili ſigno S. Crucis in fronte formato perficiatur. 4. denique vocatur *Confirmatio* à peculiari effectu, quia animos Fidelium actualis gratiæ auxilijs in neceſſitate conferendis ita confirmat, ac roborat, ut nec hæreticorum dolis nec Ethnicorum minis & cruciatibus à fide Catholica avelli ſe patiantur, ſed inſtar generoſorum militum conſtantes ac immobiles inter proſpera & adverſa perſiſtant, nec mundi nec carnis illecebris vel dæmonum ſuggeſtionibus ab obedientia mandatorum DEI abduci ſe permittant, quod ſpeciale robur & firmamentum voluntatis eſt proprius effectus hujus Sacramenti, unde nomen Confirmationis, de quo hactenus, accepit. Nunc de re.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. NAturam hujus Sacramenti copioſè declarat Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum his verbis: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus Materia eſt Chriſma confectum oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris &c. Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos exhibere valeat, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) quod per Manûs impoſitionem Spiritum ſanctum dederint; loco autem illius manûs impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio; legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgenti admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ideóque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmatus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentilibus autem Stultitia, propter quod ſigno crucis ſignantur.* Hæc Concilium, unde ſequentes doctrinas depromimus.

II. *Doctrina prima.* Confirmatio eſt *Sacramentum confirmativum Baptizati per augmentum virtutis ad conſtantem fidei profeſſionem.* Ab hac definitione, quæ maximè placet Recentioribus, non diſcrepant iſtæ: *Eſt Sacramentum, quo homo baptizatus ſpiritualis gratiæ augmentum ac robur accipit per chriſmatis in fronte unctionem ſub certa verborum forma.* Item *eſt unctio chriſmatis ſub præſcripta verborum forma in fronte baptizati ab Epiſcopo, quâ is ex Chriſti inſtitutione gratiæ augmentum ac robur accipit.* Omnes iſtæ definitiones in ſequentibus doctrinis clarè apparebunt explicatæ.

III. *Doctrina ſecunda.* Confirmatio eſt Sacramentum propriè dictum: Eſt de fide apud Catholicos juxta Tridentinum Seſſ. 7. can. 1. *Siquis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam eſſe materiam: & non potius verum ac proprium Sacramentum, anathema ſit.* Hæc doctrina partim ex Sac. Scriptura, partim ex Traditione Eccleſiæ & Sanctorum Patrum teſtimonio probatur hoc argumento. Apoſtolica impoſitio Manuum ſuper capita baptizatorum dans Spiritum eſt proprium ac verum Sacramentum. Sed confirmatio apud Catholicos uſitata eſt Apoſtolica Impoſitio Manuum ſuper capita baptizatorem dans Spiritum Sanctum. Ergo eſt verum propriéque dictum Sacramentum. Maj. probatur. Omne ſignum ſenſibile à DEO inſtitutum velut pignus gratiæ per Chriſtum conferendæ eſt verum propriéque dictum Sacramentum. Sed Apoſtolica impoſitio Manuum eſt ſignum ſenſibile per Chriſtum inſtitutum velut pignus ad gratiam ab ipſo conferendam, Ergo &c. Quod ſit ſignum ſenſibile patet ad oculum: & velut pignus ordinatum ad conferendam gratiam, conſtat ex Actis Apoſtol. c. 8. & 19. ubi dicuntur Apoſtoli *impoſuiſſe manus, ut acciperent ſpiritum Sanctum*, hoc eſt, gratiam Spiritûs Sancti; aliter enim non datur Spiritus Sanctus niſi mediante effectu gratiæ; ſiquidem quoad ſubſtantiam ſuam immenſam aliàs ubique eſt, etiam in malis. Quod autem hoc ſignum impoſitionis manuum à Chriſto fuerit inſtitutum; inde colligitur, quod alioquin Apoſtoli tam certò polliceri non potuiſſent Spiritum Sanctum, niſi à Chriſto promiſſionem accepiſſent; quia humanæ poteſtatis non eſt, Spiritui Sancto præſcribere certum ſignum, quo poſito infallibiliter veniat. Quando autem & ubi hoc Sacramentum à Chriſto fuerit inſtitutum nō ſcitur; quia nec in Sac. litteris expreſſum habetur, nec ab

Eccleſia

cleſia definitur, & Theologorum variæ ſunt opiniones. Quidam putant, in ultima cœna inſtitutum fuiſſe, quando Chriſtus ſuis Diſcipulis promiſit Spiritum Sanctum Joan. 14. v. 16. & cap. 15. v. 26. & c. 16. v. 7. ubi etiam illis oſtenderit modum confirmandi. Nituntur authoritate Fabiani Papæ epiſt. 2. c. 1. Sed hanc epiſt. non eſſe indubitatæ authoritatis ait Poſſevinus in apparatu. Propterea alij putant, poſt Reſurrectionem primùm inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, quando Apoſtoli creati fuerunt Epiſcopi; quorum proprium munus eſt, confirmare, Joann. 20. v. 21. Certè S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. quaſi ad vivum depingit hoc Sacramentum: *qui nos*, inquit, *confirmat vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos DEUS, qui etiam ſignavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* ubi nomen Confirmationis expreſſum, ejus Materia unctionis, & ſignificatio crucis, & effectus gratiæ Spiritûs Sancti. Poſſunt tamen duæ iſtæ opiniones conciliari dicendo, inſtitutionem hujus Sacramenti fuiſſe tantùm inchoatam in nocte cœnæ, abſolutam verò poſt Reſurrectionem. Minor verò prioris ſyllogiſmi probatur. Quia Eccleſia per traditionem ab Apoſtolis accepit hanc ceremoniam, baptizatis per Impoſitionem manuum conferendi Spiritum Sanctum. Ita teſtantur antiquiſſimi Patres. Dionyſius Areopagita cap. 2. de Hierach. Eccleſiaſt. ait, *baptizatum divino ac prorſus deifico unguento conſignari.* Clemens Roman. in epiſt 4. *omnibus*, inquit, *feſtinandum eſt ſine mora renaſci & demum conſignari ab Epiſcopo, & Septiformem ſpiritûs Sancti gratiam recipere.* Et Lib. 3. Conſtitut. ſcribit, *baptizatos chriſmate ungi.* Cyprianus Lib. 1. epiſt. ult. ſic clarè rem exprimit: *ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate*, id eſt, unctione *eſſe unctus DEI, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* clariſſimè D. Auguſtin. Lib. 2. contra Petilianum cap. 10. dicit, *Sacramentum chriſmatis in genere viſibilium ſignorum eſt, ſicuti ipſe Baptiſmus.* Plura in rem præſentem Concilia, Summi Pontifices, ac Patres Græci & Latini videri poſſunt apud Bellarminum L. 2. de Confirmat. c. 3. & ſeq. Vetweis in Speculo Eccleſiæ fol. 633. & alios.

IV. *Doctrina tertia.* Materia remota hujus Sacramenti eſt Chriſma, hoc eſt, oleum olivarum balſamo mixtum: proxima verò eſt unctio frontis in modum crucis. Ita omnes Catholici ex Concilio Florentino cit. juxtà cujus verba communiter docent Theologi, tum oleum, tum mixtionem balſami & benedictionem Epiſcopi eſſe de ſubſtantia & eſſentia hujus Sacramenti, quantumvis id de fide non teneant. Neque ex eo, quod Innocentius III. c. 1. de Sacrament. non iterand. reſcripſerit, *nihil iterandum eſſe circa illum, qui ſolo oleo delinitus erat, ſed ſupplendum, quod erat omiſſum*, infertur, talem mixtionem non eſſe niſi ceremoniam accidentalem; quippe ſciebat Papa, hoc Sacramentum non eſſe iterabile, & ideo rectè dixit, non eſſe iterandum, ſed ſupplendum, quod omiſſum fuit, id quod etiam verificatur, quando aliquid ſubſtantiale fuit omiſſum. Unctio quoque illa ita neceſſaria eſt ad valorem Sacramenti Confirmationis, ut ſine ea manuum impoſitio non ſufficiat; repugnat enim aliquod Sacramentum ſubſiſtere ſine materia illius proxima. Et quamvis in Scriptura expreſsè de tali unctione nihil legatur; imò S. Thomas 3. part. p. 72. art. 2. ad 1. putet, Apoſtolos ex ſpeciali conceſſione Chriſti interdum ſuis manibus Spiritum Sanctum conceſſiſſe; tamen id poſteris non eſt conceſſum, ut conſtat ex antiqua traditione Eccleſiæ, & multò probabilius eſt, Apoſtolos inunctionem illam non omiſiſſe, ut infra dicemus ad objectionem ultimam in fine hujus Controvers.

V. *Doctrina quarta.* Forma hujus Sacramenti juxta idem Florentinum in his verbis conſiſtit: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in Nomine Patris &c. Ubi apparet, explicari impreſſionem ſigni militaris, & inſuper myſterium crucis, atque Sanctiſſimæ Trinitatis, in quorum utpote potiſſimorum confeſſione vel maximè exercetur fortitudo; unde in Centurijs meis Caſuum Conſcientiæ fol. 450. docui contra nonnullos, communem hanc formam eſſe eſſentialem quoad omnes ſuas partes, quæ eſt receptiſſima Theologorum ſententia.

VI. *Doctrina quinta.* Ordinarius Miniſter Confirmationis eſt Epiſcopus, cui vi hujus Sacramenti adminiſtratio valida ratione Ordinis Epiſcopalis convenit. Ita omnes Catholici, & poſt Florentin. definit etiam Tridentinum Seſſ. 7. de Confirmat. c. 3. his verbis: *Siquis dixerit, Sancta Confirmationis Ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolùm Epiſcopum, ſed quemvis alium ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Colligitur etiam ſatis ex Actor. 3. ubi ad Samaritanos jam baptizatos miſſi ſunt Petrus & Joannes, ut illis imponerent Manus, & Spiritum ſanctum conferrent. Dixi Ordinarium. Nam delegatus eſſe poteſt quilibet Sacerdos, non quidem à quolibet Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice ad hoc deputatus, ut in ijſdem Concilijs & & antiquiſſima Eccleſiæ praxi habetur; idque exigebat tum Epiſcoporum in quibuſdam Provincijs raritas, tum hujus Sacramenti in ijſdem locis vel neceſſitas vel maxima utilitas, quo plurimi aliàs carere debebant.

VII. *Doctrina ſexta.* Subjectum hujus Sacramenti eſt omnis & ſolus baptizatus necdum confirmatus etiam infans & moribundus. Nam licet iſtis non ſit neceſſaria Confirmatio, utpote brevi ex hac vita diſceſſuris, expedit tamen illis tum ob gratiæ augmentum, tum etiam pro ultima lucta contra hoſtem inviſibilem: illis autem infantibus, licet olim ſtatim poſt baptiſmum collata fuerit Confirmatio (baptizantibus tunc Epiſcopis non niſi bis in anno) hodie tamen ob graviores cauſas ſolùm uſu rationis præditi ad eam admittuntur. Solis vero baptizatis confertur Sacramentū Confirmationis exemplo Apoſtolorum, qui tantùm baptizatis manus imponebant ad dandum Spiritum Sanctum. Reliqua etiam omnia Sacramenta characterem Baptiſmi ſupponunt, alioquin non valitura.

VIII. *Doctrina ſeptima.* Effectus hujus Sacramenti in eodem Concilio Florentino indicatur triplex; nempe Gratia ſanctificans tribuens jus ad auxilia opportuna pro defendenda fortiter uſque ad mortem fide Chriſtiana contra externos ejus hoſtes: Character, de quo ſupra ſatis dictum: Exercitatio aliarum virtutum. Et quia fortitudo Chriſtianorum militum magis in patiendo, quàm agendo conſiſtit, ſolet ab Epiſcopo alapa confirmato infringi, quaſi diceret, quod Chriſtus Matth. 5. v. 39. *Siquis te percuſſerit in dexteram tuam, prabe illi & alteram.* Notant autem Theologi, Sacramentum Confirmationis plus gratiæ conferre, quàm Baptiſmum; quia iſte eſt quaſi

Digitized by Google

generatio infantis: illa autem incrementum adulti. Sicuti ergo homo per augmentum multo plus ſubſtantiæ acquirit, quàm in nativitate acceperit, ita Confirmatio plus gratiæ tribuit, quàm Baptiſmus. Quod ſi homines perpenderent, non tam facilè negligerent aut tam diu differrent uſum hujus Sacramenti adeo utilis, quantumvis non neceſſarij, nec præcepti niſi ordinandis.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM

IX. *Error primus eſt*, Confirmationem non eſſe Sacramentum. Ita Lutherani apud Gerhardum P. 2. Lib. 2. à fol. 953. Et Calviniani apud Ameſium Tom. 3. L. 3. à fol. 73. poſt alios hæreticos. Probant ex eo, quod non ſit fundamentum in Scriptura. Nam, inquiunt, manuum impoſitio, de qua in Actis Apoſtol. c. 9. & 19. fit mentio, planè fuit diverſa. tum quia nihil dicitur de aliquo unguento & cruce. Tum quia longè aliud habuit officium; quippe conferebat donum linguarum & ſpiritum Prophetiæ, quod non fit in hodierna Confirmatione. Videtur igitur fuiſſe peculiare privilegium Apoſtolis conceſſum, nobis non imitandum, nec in Sacramentis numerandum. Hunc errorem ab Eccleſia Catholica ſemper damnatum veteres hæretici ex eodem fundamento tenuerunt, ut indicat S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, ubi poſtquam dixerat, Epiſcopos Baptizatis per impoſitionem manuum dare Spiritum Sanctum, ſubjungit: *Exigis ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum. Sed etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* Inprimis igitur hoc argumentum frivolum eſt, ſæpiuſque jam exploſum: hoc non eſt ſcriptum. Ergo eſt falſum. Deinde non eſt verum, quod hujus Sacramenti nulla fiat mentio in Scriptura. Nam impoſitio manuum Apoſtolicarum fuit hocipſum Sacramentum, ut ſupra oſtendimus. Neque refert, nullam fieri mentionem in Actis Apoſtolorum unguenti & crucis; quia has ceremonias expreſſit Apoſtolus 2. Cor. 1. & ab Apoſtolis id factum aſſeruerunt SS. Patres apud Bellarminum & Vetweis loc. cit. adducti, è quibus lubet ſolùm referre Ambroſium, qui Lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Sequitur*, ait, *ſpirituale ſignaculum &c. quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* Idem Lib. 6. de Sacram. c. 2. ſcribit: *Ergo accepiſti de Sacramentis, pleniſſimè cognoviſti omnia &c. in omnibus, quæ egimus, ſervatum eſt myſterium Trinitatis.* Et infra. *Quomodo? DEUS, qui te unxit, & ſignavit te Dominus, & poſuit Spiritum Sanctum in corde tuo.* Et mox: *Ergo unxit te DEUS, ſignavit te Chriſtus, quia crucis ipſius ſignatus es formâ ad illius paſſionem &c.* Non obſtat, quod unctio Apoſtolorum contulerit donum linguarum & prophetiæ, quod hodie fieri non ſolet. Quia ille effectus non erat ordinarius, nec omnibus conferebatur, teſte Apoſtolo 1. Cor. 12. v. 29. *Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes linguis loquuntur?* Quod ſi ex miraculis velimus argumentari, etiam Baptiſmus de numero Sacramentorum erit expungendus, quia olim multa mira patrabat, quæ hodie non fiunt v. g. in curatione lepræ Conſtantini Imperatoris. Quamvis etiam hodie in Sacramento Confirmationis nonnulla miracula contingant, ut videre eſt in catechiſmo hiſtorico & paſſim alijs libris.

X. *Error ſecundus* eorumdem hæreticorum, & nominatim Kemnitij apud Bellarminum Lib. 2. de Confirm. c. 9. negantis, ullum balſamum amplius in mundo exiſtere, adeóque hominibus illudi cum chriſmate balſomato. Teſtem adducunt Plinium lib. 12. naturalis hiſtor. cap. 25. aſſerentem, ſuo tempore tantùm in duobus hortis Judææ plantas balſami fuiſſe, quæ jam unà cum hortis exciſæ & vaſtatæ ſint. Errori huic obſiſtit experientia, quæ contrarium docet; tantùm enim abeſt, ut balſamum penitus ſublatum fuerit, ut jam copioſius & pluribus in locis creſcat, quàm unquam antea. Nam olim in ſola Arabia creſcebat; unde Regina de Saba plantam Salomoni obtulit, & in Judæa quoque ſuccrevit; inde in Ægyptum miraculosè translatum eſt balſamum. Cum enim B. Virgo cum filiolo ſuo Chriſto in Ægyptum fugiſſet, aqua foris, ubi infantulus Chriſtus vel ejus panniculi lavabantur, in agros diffuſa balſamum protulit, teſte Baronio Tom. 1. Anno Chriſti 1. num. 46. & Jacobo Gualderio Chronograph. fol. 19. Nunc autem balſamum ubertim creſcit in India & quidem præſtantiſſimum, quod inde Mercatores attulerunt in Europam & Medici probarunt, ut DEUS videatur propter ipſum Sacramentum Confirmationis balſamum multiplicaſſe. Ipſas quoque olivas jam multò fertiliores eſſe, quàm olim, ne unctionibus Eccleſiaſticis oleum deeſſet, teſtatur Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ Tom. 1. fol. 131. Erravit igitur Plinius auribus potius, quàm oculis credens, in rebus evidentibus nihil valet humana Authoritas.

XI. *Error tertius eſt* Lutheranorum & aliorum Sectariorum hujus temporis, qui uti cæteras cæremonias contemnunt ac rident, ita nominatim exſibilant exorciſmos olei in benedictione Epiſcopali fieri conſuetos; id enim putant cedere in DEI contumeliam, quaſi creaturæ ipſius à dæmone poſſideantur contra Sac. Scripturam Genes. 1. v. 31. *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura DEI bona eſt.* Error iſte Sectariorum planè Mahumetanorum & Paganorum ſenſui concinit, qui omnia myſteria Chriſtiana exſibilant miſeri ipſi & deplorandi ſanniones. At ſi voluit Ameſius non meras calumnias evomere; dicendo loc. cit. fol. 81. in omnibus iſtis Eccleſiæ ceremonijs nihil eſſe niſi hiſtrionicum & ridiculum, cur non earum ſolidam refutationem attulit? ſtolidum Novatorum riſum pluris faciamus, quàm antiquiſſimum Catholicæ Eccleſiæ uſum. Itaque quæ in Eccleſia piè ſemper ſunt factitata, & ex libris omnium veterum Patrum oſtendi poſſunt, nec riſum & & contemptum merentur, nec niſi à dæmonibus & horum aſſeclis odio habentur. An non legerint Adverſarij in Evangelio complures homines à dæmone obſeſſos, & à Chriſto exorcizatos fuiſſe? at homines ſunt creaturæ DEI & quidem valde bonæ. An non meminerit, ſerpentem à dæmone obſeſſum, & cum Eva locutum fuiſſe Geneſ. 3. v. 1. item porcos Marci 5. v. 13. quaſi verò diabolus non poſſit abuti bonis DEI creaturis ad malum finem, ſicut homines cibo & potu ad

gulam

Digitized by Google

gulam abutuntur. Verùm Epiſcopi non eo animo exorcizant, quod putent, oleum à dæmone obſeſſum; ſed quòd ſciant, dœmones ſolere abuti eo ad hominis pernitiem, adeóque divinâ authoritate imploratâ jubent illum abſtinere ſacro oleo ad uſum Sacramenti deputato. Quare Lutherani, Calviniani, aliíque Sectarij tam impiè quàm ſtolidè exorciſmos ſacros proclamant Eccleſiæ impoſturas rejectas ab Ulpiano L. Præſes provinciæ ff de varijs & extraordinarijs cognitionibus, quia Juris-Conſultus non loquitur de Exorciſtis Chriſtianis, ſed longè alijs, ut oſtendit Baronius in Annalib. Eccleſ. ad an. Chr. 558. num. 10.

XII. *Error quartus* eſt eorumdem Hæreticorum contra ſignum crucis, quod in fronte confirmatorum formari ſolet, quod magnis contumelijs inceſſunt, tanquam characterem Antichriſti, de quo Joannes in Apoc. 13. v. 16. ait: *Faciet omnes puſillos & magnos & divites & pauperes & liberos & ſervos habere characterem in dextra manu ſua, aut in frontibus ſuis.* Addit impius Gerhardus L. 2. Part. 2. Confeſſ. ſuæ fol. 777. ex diabolo nos didiciſſe formare crucem ſuper cibo, & inde ſuſpectam eſſe doctrinam de efficacia ſigno crucis inhærente; unde cum Brentio in Proleg. ſuper Confeſſ. Wirtenberg. capit. de Traditi, fol. 255. ait: unâ tantùm cruce fugatur Satanas, nempe cruce Domini noſtri JESU Chriſti, eáque non digitis in aërê aut corpore efficta, ac ne illâ quidem ligneâ, in qua Chriſtus pependit, ſed ipſâ paſſione in cruce peracta, & à nobis per fidem ſuſcepta.

XIII. Huic errori opponit ſe Joannes Apocal. 7. v. 3. ubi *Angelus ſignavit ſervos DEI in frontibus eorum*; quod credibile eſt, fuiſſe ſignum crucis juxta Ezechielem cap. 9. v. 4. ſigna *Than ſuper frontes virorum.* Atqui hebraica littera Thau olim formabatur in modum crucis, ſicut Græcum X. Certè olim uſitatiſſimum fuiſſe ſignum Crucis, teſtatur Tertullianus Lib. de corona militum c. 3. dicens, *Chriſtianos ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra & menſas, ad limina, ad cubilia & ſedilia, & quacunque converſatio exercebatur; frontem ſignaculo crucis terere.* D. Baſilius Lib. de Spir. Sanct. c. 27. inter primas & præcipuas Traditiones reponit uſum ſigni Crucis. D. Auguſtin. Tr. 118. in Joannem ſcribit: *Quid eſt ſignum Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur in frontibus credentium ſive ipſi aquæ, ex qua generantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, nihil eorum ritè perficitur.* Quod etiam DEUS multis miraculis confirmavit, præſertim pellendo dæmonis inſidias, unde in proverbium abijt: *timet ſicut diabolus crucem.* Et in catechiſmo P. Petri Caniſij pro teſſera hominis Catholici ponitur. Unde apertè falſum eſt, quod Gerhardus ex Brentio attulit, nempe ſolâ Chriſti paſſione ſatanam fugari; quia hoc & experientiæ & communi Fidelium ſenſui repugnat. Et cur DEUS intuitu paſſionis Chriſti ſigno Crucis talem efficaciam dare nequeat? Quapropter bene de hiſce Crucis inimicis ſcripſit Auguſtinus de verb. Dom. Serm. 8. *De cruce Chriſti nobis inſultant ſapientes hujus mundi & dicunt: quale cor habetis, qui DEUM colitis crucifixum &c. In fronte illam figat, ubi ſedes pudoris eſt, ibi, in quo membro erubeſcitur, ibi figatur, ubi non erubeſcitur.* Ecce fronti crucem figendam eſſe, ut non erubeſcatur Crucifixus, docet S. Auguſtinus, id quod in Confirmatione fit, quid ergo reprehendi in hoc poteſt? Sine cruce etiam nihil conſecrari poſſe, teſtantur omnes fere Patres, ut ait Bellarminus Lib. 2. de Confirmat. c. 13.

XIX. Reſpondetur ad fundamentum Adverſariorum, ſignum crucis non eſſe characterem Antichriſti, id quod demonſtramus 1. ex ipſo loco Apocal. 13. ubi dicitur, *neminem niſi illo ſigno notatum tempore Antichriſti ad emendum aut vendendum admiſſum iri*; unde ſequitur, illam notam debere eſſe ſtabilem, & viſibilem, ut negotiantes videant, quis admittendus, quis repellendus, quod noſtro ſigno crucis non convenit, nihil enim ſtabile & viſibile imprimit, ſed cum ipſo motu digitorum tranſit. 2. Antichriſtus maximo odio perſequetur crucis ſignum tanquam teſſeram JESU, quem falsò pro Chriſto ſe venditaſſe, calumniabitur, & ſeſe verum Chriſtum affirmabit. Ergo minimè credibile eſt, quod pro ſuo charactere uſurpaturus ſit ſignum crucis. Quare nonnulli Interpretes Apocalypſis arbitrantur, ejus Characterem fore duas initiales litteras Nominis Chriſti, ſed invicem inflexas. Videri poſſunt, quæ diximus ſupra in Controvers. de Antichriſto.

XV. Urget Kemnitius apud Bellarminum Lib. 2. de confirmat. c. 9. Cyrillum & Ambroſium dicere, alias etiam partes chriſmate inungi. Ergo certum non eſt, frontem inungendam eſſe. Reſpon. quidquid fiat circa alias partes corporis juxta varios ritus Eccleſiæ, frontem inungi oportere, ſi valor Sacramenti ſubſiſtat. Et hæc inunctio in fronte exprimitur, quando ſolius etiam impoſitionis manuum fit mentio; quippe idem ſunt unctio chriſmatis & manûs impoſitio, ut bene notat Hugo de S. Victore Lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 2. conſtat enim, Apoſtolos uſos fuiſſe chriſmate, cum id aſſerant Dionyſ. Areopagita & Clemens: ac præterea unctionis meminerint antiquiſſimi Patres. Quando igitur Innocentius III. c. cum veniſſet ext. de Sac. unct. ait, *per frontis chriſmationem deſignari Manûs impoſitionem Apoſtol.*: & Concilium Florentinum *loco illius manûs-impoſitionis dari nunc in Eccleſia Confirmationem*, ſenſus non eſt, quaſi Apoſtoli non fuiſſent uſi chriſmate: & nos non utamur Manûs-impoſitione; ſed tam Innocentium Papam, quàm Concilium dicere velle, idem eſſe, & quod Apoſtoli fecerunt, dum manus impoſuiſſe dicuntur: & quod nunc faciunt Epiſcopi, cum confirmare ſeu chriſmare dicuntur: ſcilicet & hi & illi utrumque tam manus-impoſitionem, quàm confirmationem ſeu chriſmationem adhibuerunt. Calumniæ Gerhardi, quod formationem Crucis à diabolo didicerimus, aliud non repono, quàm mirum non eſſe, ſi Prædicantes Crucem oderint, ipſorum Pater diabolus etiam extremè eandem odit; unde ad hanc à Juliano Apoſtatâ formatam ſubitò omnes cacodæmones aufugerunt, ut teſtatur Gregorius Nazianzenus Orat. 3. cont. Julianum.

IHS.

CONTROVERS. LXX.

DE REALI PRAESENTIA *Chriſti in Euchariſtia.*

SAcramentum Euchariſtiæ inter reliqua quidem ordine tertium, dignitate verò primum eſt; quia Chriſtum totius ſanctitatis fontem continet, & , ut loquitur S. Dionyſius, *omnium Conſummatio & perfectio eſt.* Ex varijs ejus Nominibus, de quibus paſſim alij, præcipuum & antiquiſſimum eſt *Euchariſtia* à verbo εὐχαριστεῖν, quod propriè quidem gratias agere, Scripturæ autem phraſi benedicere cum gratiarum actione, ſive gratias agere cum benedictione ſignificat, ut ex Luc. 22. v. 19. aliiſque pluribus locis & exemplis probat Joannes Maldonatus in cap. 26. Matth. vers. 26. Quoad rem ipſam.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. D*Octrina prima.* Euchariſtia univerſim ſic deſcribi poteſt. Eſt Sacramentu m corporis & ſanguinis Chriſti veraciter contenti ſub ſpeciebus panis & vini poſt conſecrationem factam à Sacerdote ſub certis verbis cum debita intentione prolatis ex inſtitutione divina veraciter ſignans corpus & ſanguinem Chriſti ſub eis realiter contineri per modum cibi & potûs exhibiti in alimentum pro nutritione ſpiritualis vitæ corpori Chriſti myſtico. Ita Scotus in 4. Diſt. 8. q. 1. & alij Catholici Doctores. In hac autem deſcriptione non omnia ad hujus Sacramenti eſſentiam, ſed aliqua ac integritatem ejuſdem ſpectant, aut ex parte Principij effectivi requiruntur, ut in ſequentibus docebimus.

II. *Doctrina ſecunda.* Tam Corpus & ſanguis Chriſti, quàm ſpecies Sacramentales intrinſecè ad Sacramentum Euchariſtiæ pertinent, idque conſtituunt. Ita communiter catholici Theologi. Ratio prioris eſt, quia Euchariſtia eſt ſacramentum ſignificans gratiam per modum nutritionis. Atqui caro & Sanguis Chriſti nutriunt ſpiritualiter animam, teſte ipſo Chriſto Joan. 6. v. 55. Ergo &c. Ratio poſterioris eſt, quia de ratione Sacramenti eſt, ut ſit ſignum ſenſibile (quod ſignatè de Euchariſtia aſſerit Tridentinum Seſſ. 13. c. 3.) Atqui Corpus & Sanguis Chriſti prout exiſtens in hoc Sacramento non eſt ſignum ſenſibile gratiæ nutrientis in vitam æternam, niſi quatenus ſubſtat ſpeciebus panis & vini. Ergo etiam illæ pertinebunt intrinſecè ad eſſentiam hujus Sacramenti. Antiqui Theologi hæc tria diſtinxerunt in Sacramento. 1. id, quod eſt res ſolùm. 2. id, quod eſt tantùm Sacramentum ſive ſignum rei ſacræ. 3. id quod ſimul eſt res & Sacramentum ſive ſignum. Res ſola dicitur, quæ ſignificatur, & non ſignificat, uti eſt gratia Sanctificans, quæ in propoſito per ſpecies & corpus Chriſti ſignificatur, & non ſignificat aliud. Sacramentum tantùm dicitur, quod ſignificat, & non ſignificatur, uti ſunt in præſenti ſpecies, quæ præciſè ſignificant Corpus Chriſti & ſanguinem per modum nutrimenti. Res & Sacramentum ſimul dicitur, quod ſignificatur & ſignificat, ſicuti hic corpus & ſanguis Chriſti revera ſignificantur per ſpecies, & ulterius ſignificant gratiam conferendam. Unde facilè apparet, Innocentium III. quando c. Marthæ. de celebrat. miſſæ ait, *ſpecies viſibiles eſſe Sacramentum tantùm*, per hoc non velle excludere corpus & ſanguinem Chriſti à conſtitutione ejuſdem Sacramenti, ſed ſolummodo innuere diverſum iſtorum ab illis exiſtendi modum, à quibus etiam utriſque producitur gratia ad faciendam nutritionem ſpiritualem, quantumvis in cibo naturali ſola ſubſtantia nutriat, ut bene Card. Lugo Diſp. 1. de Euchariſtia n. 22.

III. *Doctrina tertia.* Formula quoque verborum pertinet ad intrinſecam hujus Sacramenti conſtitutionem. Ita communiter Catholici Doctores. Prob. tum ex Concilio Florentino poſt Seſſ. ultimam in decreto Eugenij IV. univerſaliter affirmante, *Sacramenta novæ Legis perfici rebus tanquam materiâ: & verbis tanquam formâ.* Ergo ſicuti hoc in cæteris Sacramentis intelligitur de intrinſeca & eſſentiali conſtitutione, ita etiam in iſto, quod apertè innuens Concilium ſtatim ſubjunxit, formam Euchariſtiæ eſſe verba conſecrationis. Tum ratione, quia illud intrinſecè conſtituit Euchariſtiam in ratione Sacramenti, à quo formaliter habet ſpecies Sacramentales, ut ſint ſignum viſibile corporis Chriſti, & conſequenter gratiæ per ipſum conferendæ. Sed hoc habent formaliter à verbis conſecratorijs. Ergo &c. Prob. Min. Corpus Chriſti in ſe non eſt ſenſibile, prout exiſtit in Euchariſtia: ſed neque eſt ſenſibile per ſpecies panis ſecundùm ſe ſumptas; hæ enim potius ſignificant panē, quàm Corpus Chriſti. Ergo vim ſignificandi Corpus Chriſti debent habere aliunde. At non habent niſi quatenus ſubſtant verbis affirmantibus corpus Chriſti ſub ſpeciebus, & quidem cum certis circumſtantijs ad hoc requiſitis, ut in intellectu humano generari hoc judicium credibilitatis poſſit. Ergo &c. Quamvis autem verba conſecrationis mox phyſicè pereant, moraliter tamen perſeverant, dum in morali æſtimationem hominu ad denominandas ſpecies ſignum viſibile corporis Chriſti perinde ſerviunt præterita verba, ac ſi eſſent præſentia: & unà cum alijs partibus Sacramenti immediatè & proximè gratiam ſignificant & cauſant.

IV. *Doctrina quarta.* Uſus ſeu ſumptio Euchariſtiæ non pertinet intrinſecè ad rationem hujus Sacramenti. Ita omnes Catholici ex Concilio Trident. quod Seſſ. 13. can. 4. definit, *Euchariſtiam extra uſum eſſe verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti.* Et can. 6. *Chriſtum in hoc Sacramento cultu Latriæ adorandum, rectéque in proceſſionibus circum ferri.* Et can. 7. *rectè aſſervari in Sacrario pro moribundis*; quæ ſanè non rectè dicerentur, ſi actualis ſumptio foret de eſſentia hujus Sacramenti, ſicut ablutio eſt de ratione Baptiſmi. Confirmatur. Sacramentum iſtud dicitur cibus animæ. Atqui cibus eſt ante manducationem, & non formaliter ipſa manducatio; item verba Chriſti (*hoc eſt corpus meum*) utique vera fuerunt ante ſumptionem.

V. *Doctrina quinta.* Materia remota, ex qua conficitur Sacramentum, eſt Panis & Vinum. Ita omnes Catholici, & ſæpe definivit Eccleſia in Con-

cilijs

cilijs Lateranenſi, Florentino & alijs, ac conſtat ex facto Chriſti, qui Matth. 26. v. 26. Marci 24. v. 22. Lucæ 22. v. 19. pro materia corporis *accepit panem præcipiens Apoſtolis, ut idem facerent.* De materia calicis colligitur ex Matth. loc. cit. ubi poſt conſecrationem Chriſtus hæc verba ſubjungit v. 29. *non bibam de hoc genimine vitis &c.* clarè innuens, fuiſſe prius in calice vinum. Itaque ſolus non tamen omnis panis eſt materia valida, ſed, ut ait Florentinum in decreto Eugenij, *triticeus*; nomine autem tritici non ſolùm venit illa nobiliſſima ſpecies, quæ preſsè & magis ſpecificè triticum dicitur, ſed etiam aliæ, quæ cum tritico maximam habent ſimilitudinem & cognationem tam ſimilitudine naturæ, quàm cummuni hominũ uſu; quamvis, quando hoſtiæ haberi poſſunt ex tritio preſsè ſumpto, non deceat, adhibere ex farina inferioris notæ propter minorem certitudinem. Porro maſſa triticea debet igni aſſari ſive in furno, ſive ſub cineribus, ſive inter ferri laminas, ſive alio convenienti modo. Debet etiam farina triticea naturali aquâ ſubigi: non autem oleo, lacte, butyro, melle, aut ſimili liquore, niſi quantitas eſſet valde modica. Demum ad valorem Sacramenti ſufficit tam panis azimus, quàm fermentatus, ut habet Catholica veritas, & deſumitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij. Ratio eſt, quia uterque eſt verus panis. Quare licet Chriſtus in alterutro pane conſecraverit, non tamen determinatè illum ita inſtituit, ut alterum tanquam inidoneum excluſerit. Unde Græcis permittitur conſecratio in fermentato, & hi obligantur ad ſic conſecrandũ non minùs quàm Latini ad azymum, niſi Latinus domicilium ad Græcos, vel è contra transferret. Videatur valentia Tom. 4. D. 6. Q. 2. pun. 1. ubi bene ait, panem azymum aptiorem eſſe ad ſignificandum tum Chriſti puritatem, tum conſcientiæ noſtræ ſynceritatem, quâ par eſt iſtud Sacramentum uſurpari juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 5. 117.: *Paſcha noſtrum eſt Chriſtus. Itaque epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis*; Unde apparet, conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ eſſe meliorem. Vinum debet eſſe de vite juxta Concilium Florentinum cit. & alia, colligitúrque ex Sacræ Scripturæ his verbis cit: *non bibam de hoc genimine &c.* Nomine autem vini ex vite intelligunt omnes Succum ex uvis maturis expreſſum, vel qui ſecundùm ſuæ naturæ exigentiam exprimi deberet, quale fuit vinum in Cana Galileæ miraculosè factum. Ante conſecrationem rectè admiſceri aquam modicam teſtantur Concilia, Summi Pontifices, & Patres, qui id proponunt & docent tanquam antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, & Apoſtolicam Traditionem Chriſti, qui illud ipſum fecerit. Hanc tamen admixtionem non eſſe neceſſariam, clarè exprimit Tridentinum Seſſ. 22. c. 7. aiens, *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino miſcerent*; Unde ſine ea ſolum & purum vinum validè conſecraretur. Videri poteſt Bellarminus Lib. 4. de Euchariſt. c. 10. & 11.

VI. Communis hodie, & poſt Concilium Tridentinum Seſſ. 13. c. 1. certa ſententia eſt, Chriſtum Dominum conſecraſſe verbis: ſatis etiam apertè ex eodem Concilio conſtat, benedictionem & gratiarum actionem, cujus meminerunt Evangeliſtæ, fuiſſe diſtinctam à conſecratione, quæ poſt benedictionem facta fuit; unde ſeries Actionum Chriſti ſic ordinari debet. 1. accepto pane oculis in cœlum elevatis gratias egit. 2. benedixit panem, hoc eſt, perijt, ut virtus divina benedictioni adeſſet. 3. fregit panem more hebræorum. 4. denique præbuit diſcipulis, & præbendo dixit: *accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum*, nempe tanquam porrigens & tanquam conſecrans. hoc poſito.

VII. *Doctrina ſexta.* Verba conſecrationis Eccleſiæ Latinæ pro pane ſunt hæc: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et pro calice ſunt iſta: *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur.* De ſufficientia hujus formulæ dubitare non licet, ſiquidem, Tridentinum Seſſ. 22. c. 6. ſub anathemate prohibet, *ne quis errorem aliquem in canone miſſæ contineri dicat*; lis tamen aliqua eſt inter Scholaſticos, quænam ex illis neceſſariò requirantur ad hoc Sacramentum conficiendum, ſintquè eſſentialis hujus formæ? Subſcribimus communi Theologorum ſententiæ, ad validam coſecrationem panis requiri ac ſufficere hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum.* calicis verò iſta: *Hic eſt calix Sanguinis mei.* vel brevius, *Hic eſt Sanguis meus.* Prob. Tum quia ſine his verbis non ſufficienter ſignificatur præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpecibus: eadẽ verò ſecluſis alijs ſufficienter prædictam præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus exprimunt. Ergo ad legitimam formam hujus Sacramenti requiruntur & ſufficiunt. Tum quia quælibet forma à quocunque canonico Scriptore tradita ſufficit ad validam conſecrationem; incredibile enim eſt, canonicos Scriptores tantum myſterium tam perfunctoriè recenſuiſſe, ut nec eſſentialia ſufficienter expreſſerint. Atqui nullus eſt, qui omnia noſtræ liturgiæ verba referat. Ergo &c. Tum quia SS. Patres relati apud Dicaſtillo de Euchariſtia D. 3. n. 82. dum de verbis loquuntur, quibus vinum convertitur, ſolùm referunt allata. Ex his rationibus planè probatio noſtra eſt efficax, utut aliàs res tota ex voluntate Chriſti dependeat.

VIII. Contra hanc doctrinam obijcitur 1. Concilium Florentinum & Colonienſe. item c. Marthæ & Catechiſmus Romanus, à quibus tota illa forma aſſignatur. 2. Sententia Cajetani (quæ eſt noſtra) juſſu Pij V. fuit omiſſa in editione Romana. 3. Omnia illa verba eodem ritu à Sacerdote exprimuntur, eodémque charactere majuſculo in Miſſali proferuntur. 4. in forma Baptiſmi ſufficienter ſignificatur ablutio per illa verba: *Ego te baptizo*, nihilominus niſi addatur illud in nomine Patris &c. nulla eſt forma Baptiſmi, Ergo &c. Reſpon. ad 1. eſto, omnia illa verba dicerentur forma, non tamen dicitur, omnia eſſe neceſſaria; tametſi enim non ſint omnia partes formæ, adhuc dici poteſt, illum textum eſſe formam; unde Catechiſmus Romanus ſignatè ait, in illis verbis comprehendi formam. Ad 2. Sententiam Cajetani non fuiſſe omiſſam, quod falſa eſſet aut improbabilis, ſed quia contrarium D. Thomæ ſententiam nimis deprimebat, quamvis S. Thomam multi in bonum ſenſum explicent. Ad 3. id dici uno eodémque ritu, quia cum pertineant ad unam eandemque orationem & locutionem, in conveniens foret, interrumpi, ſicuti nec interrumpuntur verba abſolutionis, quantumvis invocatio SS. Trinitatis non ſit de eſſentia. Ad 4. Illa verba: *Ego te Baptizo*, non ſignificare determinatè aliquam ablutionem

Digitized by Google

tionem ſupernaturalem & Superiorem purè naturali & materiali; quocirca ut determinatè ſignificent ablutionem animæ, quam efficiunt, debent adjungi Sequentia in nomine Patris &c.

IX. In ſpecie loquendo de verbis conſecrationis, quomodo in illis pronomina Hic & Hoc ſumantur, pertinet ad Scholaſticos explicandum. Breviter dicimus, pronomen *Hoc* nec panem, nec Corpus Chriſti determinatè ſignificare, ſed rationē quandam utrique cōmunem ſub ſpeciebus panis; quod contentū ſub initio propoſitionis ſit panis: in fine autem unicè Corpus Chriſti, ita ut ſubſtantia ſignificetur in Recto, & ut Quod: accidentia verò panis in obliquo & ut Quo; ſed ſubſtantia indeterminatè ac confusè: accidentia autem expreſsè ac determinatè, prout in oculos incurrunt. Pari modo dicimus de pronomine *Hic* in conſecratione calicis. Ratio hujus doctrinæ eſt. Tum quia admodum conformis eſt Tridentino, quod Seſſ. 13. cap. 4. loco pronominis Hic poſuit iſtam phraſin: *id quod ſub ſpeciebus panis*, cui æquivalet contentum ſub ſpeciebus panis. Tum quia ſic ex una parte ſalvatur tota proprietas verbi Eſt: ex altera verò adeſt ſufficiens diverſitas & identitas propoſitionis, in qua oſtendenda diverſæ ſententiæ laborant. Iiſdem Scholaſticis explanandum relinquimus, utrum prædicta verba conſecratoria cauſent converſionem panis & vini *quatenus vera*, aut *quatenus ſignificativa*? Paucis iterum reſpondemus, illa efficere ſuum objectum, quatenus ſignificativa; ac proinde in illo priori, in quo cauſant converſionem, eſſe quidem ſignificativa ſui objecti, non tamen vera veritate formali: nec falſa, ſed abſtrahere ab utroque. Ratio eſt, quia veritas verborum Conſecrationis eſt poſterior converſione Euchariſticâ; etenim ad veritatem eorum præſupponi debet converſio ipſa panis in Corpus Chriſti, & vini in ſanguinem ejuſdem. Confirmatur ex Tridentino Concilio, quod Seſſ. 13. c. 3. ait, *Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis vi verborum.* Itaque in forma Euchariſtiæ 1. eſt ſonus materialis. 2. ſignificatio. 3. converſio panis & vini. 4. formalis veritas. Videri poſſunt Arriaga D. 40. n. 63. & alij Scholaſtici.

X. *Doctrina ſeptima.* In hoc Sacramento verè, realiter, ac ſubſtantialiter inſunt Corpus & Sanguis Chriſti. Ita de fide tenent omnes Catholici juxta profeſſionem Fidei à Pio IV. editam, ubi inter alia dicitur: *Profiteor in Sanctiſſimo Euchariſtia Sacramento eſſe verè realiter ac ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem Chriſti Domini Noſtri.* Quod ipſum Chriſtus Dominus manifeſtè aſſeruit in Evangelio Joan. 6. v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et v. 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam* De reali autem manducatione Corporis ſui in Euchariſtia hic agere Chriſtum, patet 1. ex verbis *manducare & bibere*, quibus utraque ſpecies clariſſimè diſtinguitur, cum in ſpirituali manducatione per fidem idem ſit bibere, quod manducare. 2. ex vocabulo *dabo*; etenim fidem in Chriſtum, ut ſpiritualem animæ cibum jam pridem illis dederat, & nominatim hoc cap. v. 29. & ſequent. 3. ex nominibus *carnis & ſanguinis*; hæc enim non debuiſſent inculcari pro objectis fidei; quia Judæi iſta ultro admittebant in ipſo, & oculis ſuis videbant, ſed Divinitas inculcanda erat, ſi de ſola fide ageretur. 4. quia Judæi v. 53. intellexerunt Chriſtum loqui de reali manducatione veræ carnis ſuæ; hoc quippe durum, imò impoſſibile eſſe arbitrabantur; & tamen in eo intellectu non reprehenduntur à Chriſto, ſed potius confirmantur, ac ſolùm de modo realiter manducandi, quem non capiebant, inſtruuntur. 5. permiſit apoſtatare potius tot à ſe diſcipulos, quàm negaret talem manducationem veræ carnis ſuæ neceſſariam eſſe; cum, ſi de ſola ſpirituali manducatione per fidem fuiſſet locutus, uno verbulo apoſtaſiam omnem & Scandalum avertere potuiſſet, imò debuiſſet; dicendo, ſe ſolam fidem urgere, quæ facilis eſſet in re, quam oculis ſuis coram ſpectarent. 6. denique incredibile eſt, Joannem Evangeliſtam nullibi egiſſe de Sacramento Euchariſtiæ. At nullibi de eo verba fecit, ſi totum illud caput ſextum exponendum eſt de ſola Chriſti manducatione per fidem. Quare omnino dicendum eſt, in prædicto capite agi de manducatione Sacramentali, adeóque de Sacramento Euchariſtiæ, ut locum hunc poſt alia Concilia & Patres exponit Tridentinum Seſſ. 21. c. 1.

XI. Adhuc clariùs habetur doctrina noſtra in ipſa inſtitutione hujus Sacramenti Matth. 26. v. 26. per iſta verba: *Cœnantibus autem illis accepit JESUS panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens; bibite ex hoc omnes; hic eſt enim Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quæ verba tam clara ſunt, ut Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus circa annum 350. putârit, nullum eſſe locum dubitandi; ſic enim ſcribit catecheſi 4. *Cum ipſe de pane pronunciârit & dixerit: Hoc eſt Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum Idem ipſe tam aſſeveranter dixerit: Hic eſt ſanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat, non eſſe ejus ſanguinem? nonne perſuaſum firmiter habebimus, ſic eum Corpus & ſanguinem ſuum fruenda nobis donaſſe, ut ea cum omni certitudine tanquam corpus ipſius & Sanguinem ſumamus. Nam in ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem, ut cum ſumpſeris, geſtes corpus & ſanguinem Chriſti, factus ejuſdem Corporis & Sanguinis particeps; ſic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cum ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra recepe-rimus.* Et poſtea: *Quamobrem non ſic attendas hæc velim, tanquam ſint nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum; Corpus enim ſunt & ſanguis Chriſti. Nam etiamſi ſenſus aliud tibi renunciat, fides tamen in te confirmet, ne judices rem ex guſtu, ſed te citra ullum dubitationem fides certum reddat.* Græco Patri adjungo Latinum Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem circa annum Chriſti 380. Iſte Lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Tu fortè*, ait, *dicis, meus panis eſt uſitatus; ſed panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Et cap. 5. *Ipſe Dominus JESUS teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem, nunquid debemus de ejus fide & teſtificatione dubitare?* Et poſtea L. 6. cap. 1. *Sicut verus eſt DEI Filius Dominus noſter JESUS Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filius ex ſubſtantia Patris, ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus.* Eadem eſt ſententia cæterorum Patrum Græcorum & Latinorum, quos fusè & eruditè adducunt Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de Euchariſtia, & Jacobus Gualterius in Tabulis Chronograph. Verit. I. per omnes ætates.

XII. Ac-

Digitized by Google

XII. Accedit teſtimonium D. Pauli 1. Corinth. 11. verſ. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quæ exaggeratio ſceleris & punitio etiam temporalis indignæ communionis planè ſupponit realem Chriſti præſentiam; ſi enim tantùm eſſet panis materialis, & vinum ſignificans corpus & ſanguinem Chriſti, ut volunt Calviniſtæ, non plus ſanctitatis haberet, nec plus venerationis exigeret, quàm panis quotidianus impreſsâ cruce inſignitus, quem cum immunda conſcientia ſumere non eſt peccatum. Unde pulcherrimè S. Chryſoſtomus hom. 24. in cit epiſt. 1. ad Corinth. volens Fideles ad devotam Corporis Domini in Euchariſtia ſuſceptionem exhortari, de corpore Domini ſic ſcribit: *Cum honore & munditia omni ad DEUM accedamus; & quando id propoſitum videris, dic tecum, propter hoc corpus non amplius terra & cinis ego ſum: propter hoc cælum, & ea, quæ in eo bona ſunt, me accepturum ſpero: hoc corpus affixum, verberatum, morte victum eſt hoc idem corpus cruentatum, lanceâ vulneratum, fontes ſanguinis & aquæ univerſo orbi ſalutares ſcaturivit &c.* Et poſt mediam pag: *hoc corpus in præſepi reveriti ſunt Magi longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ſaltem barbaros nos, qui cælorum cives ſumus; illi enim, cum id præſepe & tugurium tantum, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderent, ſummâ acceſſerunt reverentiâ & honore: tu verò non in præſepi id, ſed in Altari, non mulierem, quæ in ulnis teneat, ſed Sacerdotem præſentem & ſpiritum perabunde ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides: nec ſimplex ut illi corpus intueris, ſed ejus potentiam & omnem cognoſcis adminiſtrationem. Excitemus igitur, horreſcamúſque & majorem quàm Barbari illi præ nobis feramus pietatem.* Et paulò infrà: *Animadvertis, quoniam pacto, quod omnium maximum atque præcipuum eſt in terra; non conſpicaris tantùm, ſed tangis, neque ſolùm tangis, ſed comedis, & eo accepto domum redis &c.* Hactenus Chryſoſtomus nobiliſſimus Pauli Interpres apertiſſimè docens, quod corpus Chriſti in Altari præſens ſit; ſicuti olim in Præſepi fuit: & quod Fideles non in cælo, ſed illud corpus Chriſti in terra comedant; atque idem propoſitum videant, ac ſecum domum ferant &c. quis autem tanto Patri aurei oris Calvinum graveolentis halitûs præferat, niſi de arcadici pecoris, non de hominum numero ſit?

XIII. Addi poſſunt Miracula plura nova & antiqua, quibus Chriſtus ſuam realem præſentiam teſtatus fuit. Multis enim Sanctis in Hoſtia viſibilem ſe præbuit, hodiéque in multis locis aſſervantur Hoſtiæ, in quibus uel particulæ carnis, vel aliæ hujuſmodi miraculoſæ immutationes apparent. Paulus Diaconus in vita S. Gregorij refert de quodam hæretico, cum S. Hoſtiam per contumeliam deglutire conaretur, illam fuiſſe verſam in lapidem in ejus gutture. Juſta ſane punitio, ut is, qui credere noluit, panem verti poſſe in Corpus Chriſti, experientia diſceret, verti poſſe in lapidem. Beatus Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Parmen. refert, Epiſcopos Donatiſtarum, cum Sacram Hoſtiam ſuis canibus objicerent; ab iiſdem fuiſſe fœdè dilaceratos. Sed hæretici vel negant hæc & ſimilia facta: vel affirmant, ope dæmonum patrata fuiſſe. Scilicet tot, tantíſque Hiſtoricis fidem non dabimus, & pauculis Novatoribus credemus? Demum licet realis iſtius præſentiæ ratio potiſſima ſit voluntas & inſtitutio Chriſti, ſuadetur tamen eadem tum ex perfectione novæ Legis, cujus ſacrificio maximè congruit non umbratilis repræſentatio Chriſti ſecundùm Humanitatem abſentis, quæ antiquæ Legis erat propria. tum ex ſumma charitate Chriſti erga nos, quæ eò ſolet inclinare, ut ſcilicet amico, quoad fieri poteſt, ſe aſſociet; quod Chriſtus ita miro modo præſtitit, ut præſentiâ ſuâ in exilio nobis concederet quidem ſolatium, patriæ tamen adhuc relinqueret deſiderium. tum ex exercitio fidei noſtræ, dum Chriſtum inviſibiliter præſentem, & multa atque ingentia, quæ interveniunt, miracula, credimus. Videri poteſt Suarez Diſp. 46. Sect. 7.

XIV. *Doctrina octava.* Non ſolùm Caro & Sanguis, ſed etiam anima & Divinitas, adeóque totus Chriſtus in hoc Sacramento reáliter continetur. Ita omnes de fide tenent Catholici ex Concilijs Conſtantienſi Seſſ. 13. Baſileenſi Seſſ. 30. Florentino in decreto Eugenij de Sac Euchariſtiâ. Et noviſſimè ex Tridentino Seſſ. 13. can. 1. ubi ſic ſtatuitur: *Siquis negaverit in SS. Euchariſtiæ Sacramento contineri verè & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem unà cum anima & divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, anathema ſit.* Idem habent SS. Patres, atque inprimis S. Andreas Apoſtolus, qui (ut referunt Presbyteri Achaiæ in ejus vita) Judici Ægeæ, ut Dijs immolaret, urgenti ſic reſpondit: *Ego Omnipotenti DEO immaculatum Agnum quotidie offero; qui cum ſit Sacrificatus, & carnes ejus verè à populo manducata, integer perſeverat & vivus.* Convincit ratio connexionis, ut expreſsè tradit Tridentinum Seſſ. 13. cit. can. 3. quæ requirit, ut ubicunque ponitur unum extremum, debeat ſaltem connaturaliter, & per concomitantiam poni & alterum. Quamvis ergo verba conſecrationis plus non exprimant, quàm Corpus & Sanguinem, adeóque vi verborum hæc ſola adſint, tamen per dictam concomitantiam & connexionem cum corpore & ſanguine Chriſti etiam Anima & Divinitas adducuntur, jam enim Chriſtus eſt immortalis, & mori amplius non poteſt ad Roman. 6. v. 9. *Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Ergo etiam Anima debet adeſſe; alioquin corpus eſſet mortuum. Deinde corpus & anima per unionem hypoſtaticam indiſſolubili nexu cum divinitate copulantur. Ubi ergo adſunt corpus & anima, oportet etiam divinitatem, adeóque totum Chriſtum adeſſe, ſicuti exponit Tridentinum Seſſ. 13. cap. 3. Imò etiam Pater & Spiritus Sanctus per concomitantiam ſunt in hoc Sacramento, ut tanquam indubitatum tradit Card. Lugo D. 8. de Euch. n. 125. alijque Theologi; quia propter conjunctionem cum Verbo debent ibi adeſſe non tantùm, ſicut in cæteris rebus creatis, ſed ſpeciali titulo, ita ut ſi per impoſſibile non eſſent ubique, deberent eſſe in Euchariſtia. Verùm hic diſcurſus licet de Corpore Chriſti bene procedat ſaltem poſt reſurrectionem Chriſti, tamen de Sanguine videtur aliquam habere difficultatem; quia juxta communem Philoſophorum doctrinam, quam alibi tenui, ſanguis non vivit. Ergo non habet connexionem cum anima. Sed Theologi Scholaſtici rem ita declarant, ut nomine Immortalitatis non tantùm excludatur mors, ſed etiam quælibet

divulſio

Digitized by Google

divulſio partium in corpore vivo exiſtentium. Cum ergo ſanguis corpori vivo adhæreat, etiam in Sacramento conjunctus eſſe debet, tametſi non vivat. Et quidem totus ſanguis ponitur, non quem unquam Chriſtus habuit, ſed quem habet tempore conſecrationis extra Sacramentum v. g. jam ponitur totus, quem habet in cælo: in ultima verò cœna totus fuit poſitus, quem tunc habuit, cujus tamen aliquæ particulæ uſque ad tempus paſſionis vel virtute nutritiva converſæ ſunt in carnem, vel in paſſione effuſæ adhæſerunt cruci, clavis, flagris, nec reſumptæ fuerunt.

XV. *Doctrina nona.* Chriſtus totus ineſt ſingulis quoque partibus ſeorſim: imò ſub qualibet etiam earum parte. Primam partem tenent omnes Catholici de fide ex Concilio Tridentino Seſſ. 13. can. 3. & ſequitur ex recens dictis, ubi oſtendimus, nec corpus nec ſanguinem ſine reliquis partibus ad integritatem pertinentibus conſiſtere poſſe, ne Chriſtus mortuus aut mutilus appareat. Alteram quoque partem intellectam de partibus ſeparatis v. g. fragmentis Hoſtiæ de fide omnes tenent Catholici ex Tridentino loc. citato: *Siquis negaverit, in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujúſque ſpeciei partibus ſeparatione factâ totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Quod etiam colligitur ex prima communione Apoſtolorum Luc. 24. qui panem à Chriſto conſecratum inter ſe diviſerunt, & tamen ſinguli totum Chriſtum acceperunt, ne inſtar Agni paſchalis dilaceraretur. Si autem loquamur de partibus ſpecierum adhuc conjunctis & unitis, non eſt de fide, quod ſingulis partibus totus Chriſtus inſit. At nihilominus eſt certum ex fundamentis Theologicis. Quia Chriſtus in Speciebus Euchariſticis non exiſtit diviſibili modo expanſus, ut in hac parte ſit caput, in aliâ manus &c. ſed indiviſibiliter, ut totus in toto, & totus in qualibet parte ſit. Sicuti anima rationalis ſuâ naturâ indiviſibilis ita diffunditur per totum corpus, ut in qualibet etiam minutiſſima parte tota exiſtat, quaſi ſæpius repetita & replicata. Confirmatur ex allata Concilij definitione de partibus ſeparatis. Si enim poſt ſeparationem Chriſtus totus eſt in qualibet parte, tum etiam ante ſeparationem ibi fuit, quia per ſeparationem de novo non producitur, cum nulla nova fiat Conſecratio. Sed de hoc Scholaſtici.

XVI. *Doctrina decima.* Chriſtus non tantùm eſt totus in uſu communionis, ſed etiam ante & poſt, quamdiu ſpecies conſecratæ ita manent incorruptæ, ut ſubſtantia panis & vini, ſi adeſſet, naturaliter ſub illis maneret: corruptis autem ſpeciebus Chriſtus non corrumpitur, ſed ſubijſdem eſſe deſinit. Ita de fide tenent Catholici ex Tridentino Seſſ. 13. can. 4. ubi ſic ſtatuit: *Siquis dixerit, peractâ conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante & poſt: & in Hoſtijs ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non manere verum corpus Domini, anathema ſit.* Ratio deſumitur ex Verbis Chriſti, qui ante communionem dixit: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus.* Ergo illorum præſentia non pendet à communione. Porro cum vi conſecrationis corpus & ſanguis Chriſti ſubſtantiæ panis & vini ſuccedant, utique tam diu manebunt, quamdiu ſubſtantia deſtructa maneret ibi, ut communis tenet ſententia cum S. Thoma 3. Part. Q. 75. art. 6. ad 3.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XVII. Error primus eſt Berengarij Eccleſiæ Andevagenſis Diaconi circa an̄um 1050. qui pertinaciter negavit, præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & idcirco damnatus fuit in varijs Concilijs, ut in Romano, & Vercellenſi ſub Leone IX. item in Turonenſi II. ubi etiam primò eandem hæreſin abjuravit. Poſtea in Concilio generali Romano ſub Nicolao II. ubi relapſus iterum hæreſin abjurare fuit coactus, ut habetur de Conſecrat. Diſt. 2. can. Ego Berengarius. Sed ad vomitum rediens in alio Concilio Romano ſub Gregorio VII. quintò damnatus veram fidei confeſſionem tertio repetivit, ubi etiam ſeriò eum reſipuiſſe, ac poſtea piè mortuum fuiſſe, refert Guilielmus Bibliothecarius Lib. 3. de geſtis Anglorum. Hunc errorem deinde anno 1380. propugnavit Wicleffus in Concilio Conſtantienſi propterea damnatus. Poſtremò eandem hæreſin circa annum 1522. primus renovavit Andreas Carlſtadius Diaconus Wittenbergenſis antea quidem Lutheri in hæreſi excitanda ſocius, deinde verò Adverſarius & hoſtis. Hunc deinde ſecuti ſunt Zwinglius, Oecolampadius, Bullingerus, Ochinus, Pet. Martyr, Calvinus & cæteri ex Zwinglio & Calvino propagati, qui Novatores communi hodie nomine Sacramentarij vocantur, quia ſcil. negant realem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento, affirmantes hoc Sacramentum eſſe ſolummodo ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, ſicut ſunt verba & imagines. Videantur DD. à Walenburg Tom. 2. à fol. 313. ubi tam publicas ſententias Reformatorum contra realem præſentiam, quàm privatas opiniones aliorum Reformatorum pro reali præſentia Chriſti in Euchariſtia referunt. Probant illi impiam & pernicioſam ſuam hæreſin *primò varijs Sacræ Scripturæ teſtimonijs*, ut videre eſt apud Molinæum fusè à fol. 1000. Ameſium Tom. 3. à fol. 84. & alios 1. habetur Luc. 22. v. 19. in verbis Inſtitutionis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Unde ſic argumentantur. Si memoria in hoc Sacramento peragitur, tunc Chriſtus non eſt realiter præſens, quia memoria eſt rei abſentis. Sed in hoc Sacramento peragitur memoria Chriſti juxta cit. verba. Ergo &c. 2. habetur Genſ. 9. v. 4. Et Levit. 17. v. 14. ubi prohibetur comeſtio carnis & ſanguinis, unde ſic ratiocinantur. Si Chriſtus in ultima cœna ſuis Diſcipulis dediſſet carnem & ſanguinem, tunc violaſſet legem Moſaicam, cum tamen fuerit ſemper ſtudioſus legis. 3. habetur Matth. 26. v. 29. Et Marci 14. v. 22. ubi Chriſtus poſt ſumptum Calicem ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Unde ſic diſcurrunt. Si in calice fuit genimen vitis, id eſt, vinum, tunc non fuit ſanguis Chriſti, qui non eſt genitus ex vite. Sed verum eſt Anteced. ex cit. verbis Chriſti. Ergo conſequens. 4. habetur Act. 3. v. 21. ubi S. Petrus pro concione dixit,

Digitized by Google

dixit, *Chriſtum JESUM oportere cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium* : Et 1. Cor. 11. v. 26. ubi Apoſtolus ſcribit : *quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Unde ſic arguunt. Si Chriſtus Dominus ſemper manet in cælo, nec unquam venit in terras ante ultimum diem judicij, tunc non eſt realiter præſens in Sacramento ſuper terram poſito. Sed verum eſt antec. Ergo & conſequens, ut patet ex cit. loc. Apoſtolor. 5. habetur ex Joan. 6. v. 64. ubi Chriſtus ait : *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam.* Unde ſic argumentantur. Si caro nihil prodeſt, tunc fruſtra eſſet in hoc Sacramento. Sed verum eſt antec. ex cit. verbis Chriſti. Ergo &c. 6. habetur Matth. 26. v. 11. ubi Chriſtus ait : *ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Unde ſic arguunt. Si Chriſtus eſſet in hoc Sacramento, tunc ſemper illum nobiſcum haberemus aſſervatum in ciborijs. Sed conſequens repugnat citatis Chriſti verbis. Ergo & Anteced. 7. habetur Luc. 24. v. 39. ubi Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam apparens Diſcipulis ait : *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ſum ipſe, palpate & videte. Unde ſic ratiocinantur.* Si talis eſt res, qualis oculorum viſu & manuum tactu judicatur, tunc iſtud Sacramentum nihil eſt aliud, quam panis & vinum, quia nihil aliud viſus & tactus judicare poteſt. Sed antecedens ſupponit Chriſtus loc. cit. Ergo & Conſeq. 8. habetur Pſal. 113. v. 5. ubi David idola deridens cantat : *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt &c.* Unde ſic arguunt. Si Chriſtus DEUS noſter realiter eſſet in hoc Sacramento, tunc Gentiles eodem illi ludibrio obijcere poſſent, quæ nos idolis obijcimus ; quia nullum ſenſum aut motum oſtendit, ſi in terram cadat, jacet immotus, nihil loquitur inſtar idoli, quæ ſunt planè abſurda, & Chriſto ignominioſa. Ergo & id ex quo ſequuntur, ſcil. realis præſentia Chriſti in Sacramento. 9. habetur 1. Cor. 10. v. 3. *Patres noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum Spiritualem biberunt.* Atqui, ſubjungunt Sacramentarij, Patrum noſtrorum eſca & potus non fuerunt caro & ſanguis Chriſti. Ergo nec noſtra eſca & potus ſunt caro & ſanguis Chriſti, ſed hæc ſpiritualiter tantùm in pane & vino illorum ſignis ſumuntur.

XVIII. Probant *ſecundò ex Sanctorum Patrum doctrinis*, qui quatuor dogmata tradunt, quæ cum reali præſentia Chriſti in Euchariſtia conſiſtere non poſſunt. 1. dicunt pronomen Hoc in forma conſecrationis deſignare panem, qui non eſt Chriſtus ; ſic loquuntur Cyrillus Jeroſolymitanus catech. 4. Clemens Romanus Lib. 1. Inſtit. cap. 17. Iræneus L. 4. adverſus hæres. c. 34. & 57. Cyprianus Lib. 1. epiſt. 6. Hieronym. epiſt. ad Hediciam. q. 2. Theodoretus dialogo. 1. &c. Atqui de pane non poteſt verè prædicari corpus Chriſti, cum ſint ſpecie diſtincta. Ergo prædicatum hujus propoſitionis : Hoc eſt corpus meum, non eſt Corpus Chriſti. 2. dicunt, hoc Sacramentum eſſe figuram, Symbolum, ſignum Corporis & Sanguinis Chriſti, ut Clemens Roman. Lib. 5. Inſtit. c. 16. Dionyſ. Areopag. L. 6. de Hierarch. Eccleſiaſt. c. 23. Tertullianus de Reſurrect. carnis c. 37. & Lib. 4. contra Marcionem c. 40. Hieronym. Lib. 2. in Jovinianum. S. Chryſoſt. hom. 43. in Joan. Gregorius Nazianzenus orat. 11. in laudem Sororis. Ephrem de natura DEI &c. Atqui ſignum & ſignificatum, figura & figuratum realiter diſtinguntur. Si ergo hoc Sacramentum eſt ſignum & figura Chriſti, non eſt ipſe Chriſtus. 3. dicunt, Chriſtum in hoc Sacramento non ſumi à malis, ſed tantùm à bonis. Ut Hieronymus in cap. 66. Iſaiæ. Auguſtinus Lib. 21. de Civit. DEI. Proſper ſententia 339. Atqui ſi Chriſtus realiter in hoc Sacramento contineretur, tum quicunque Sacramentum acciperent, ſive boni ſive mali, Chriſtum acciperent. 4. dicunt Patres, Chriſtum in hoc Sacramento non comedi corporalitec, ſed ſpiritualiter per fidem. Ut Ambroſius L. 10. in Luc. c. 24. & de Sacrament. Cyprianus de ſermone Domini &c. Atqui ſi ſubſtantialiter adeſſet, corporaliter manducaretur. *Probant tertiò ex tribus abſurdis*, quæ contra naturalem rationem ex reali Chriſti præſentia ſequi videntur. 1. eſt, quod tantus vir, quantus fuit Chriſtus, ſub tantilla particula deliteſcat. 2. quod ſimul ſit in cælo & in terra, & in plurimis disjunctiſſimis locis, ubi hoſtiæ conſecrantur. 3. abſurdum, quod omnibus hominum & beſtiarum injurijs ſit expoſitus & in ſtomachum ſordidum deſcendat, atque à muribus devoretur, pedibus conculcetur, in cloacam projiciatur, quæ planè indigna ſunt divina majeſtate, & glorioſo Chriſti corpore.

XIX. Porro conantur Hæretici probationes noſtræ Catholicæ doctrinæ pro reali Chriſti præſentia à §. X. adductas diſſolvere. *Primò* igitur *ad loca Scripturæ ſic reſpondent.* Joannis 6. ubi Chriſtus ait, *panem, quem ipſe daturus eſſet, carnem ſuam fore*, ea verba non de Sacramentali communione, ſed de ſpirituali ſumptione per fidem intelligenda, ſicuti ipſemet declaravit v. 64. *Verba, quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*, id eſt ſpiritualiter intelligenda. Affert etiam Ameſius loc. cit. hæc verba Cajetani in allegatum textum : *Manifeſtiſſimè explicat panem hunc fore paſſionem & mortem ſuam, dicendo, quod panis, quem ego dabo, eſt caro mea, non myſtica, non ſpiritualis, ſed quam ego dabo, & dicendo dabo, ſignificat voluntario dono ſe paſſurum ac moriturum.* Præter Cajetanum allegat Molinæus Gabrielem Biel, Cuſanum, Tapperum, Janſenium, Ferum, & maximè Innocentium III. Papã libr. de myſt. Miſſ. c. 14. Matth. 26. agi quidem de Sacramento, ſed nihil inde probari pro reali præſentia Chriſti, cum tota vis hujus argumenti ponatur in verbo *Eſt* : *Hoc eſt Corpus meum* ; & tamen Chriſtus eo verbo non ſit uſus ; quippe hebraicè fuit locutus, quæ lingua nullum habet verbum præſentis temporis. Et quamvis fuiſſet additum verbum eſt, tamen ſumendum foret pro ſignificat hoc ſenſu : *Hic panis ſignificat corpus meum*, ſicut paſſim in Scripturâ accipi ſolet, ut Genes. 17. v. 13. *circumciſio vocatur fœdus*, id eſt, ſignum fœderis. Exodi 12. v. 13. Agnus Paſchalis dicitur *Phaſe ſeu tranſitus Domini*, id eſt, ſignificans tranſitum Domini in communi clade Judæos tranſeuntis. Luc. 8. v. 12. dicitur : *Semen eſt Verbum DEI*, ideſt, ſignificat Verbum DEI 1. Cor. 10. v. 4. dicitur : *Petra erat Chriſtus*, id eſt, ſignificat Chriſtum. ad Gal. 4. v. 24. *Vetus Teſtamentum eſt Agar*, hoc eſt, ſignificabatur per Agar ancillam Abrahæ. 1. Cor. 11. Apoſtolum gravitatem peccati & pœnam indignæ communionis valde quidem exaggerare, inde tamen non ſequi, Chriſtum in communione realiter adeſſe, quandoquidem etiam aliorum Sacramentorum, in quibus Chri-

ſtus non eſt, indigna perceptio magnum ſcelus eſt, & gravi pœnâ dignum, ut fatentur Pontificij. Imò Paulus 1. Cor. 10. v. 5. verbis claris dicit, pleroſque Manna & Aquam Petræ indignè ſumentes judicium ſibi ſumpſiſſe. *Secundò ad loca Patrum à nobis adducta reſpondent*, ſe illos non curare, cum fuerint homines fallibiles, & potuerint errare, nec inter ſe conſpirent, ſed alij pro nobis, alij pro ipſis facere videntur. Imò, teſte Calvino in ultima admonitione ad Weſtphalum, conſtat vetuſtos omnes ſcriptores, qui totis quinque ſæculis poſt Apoſtolos vixerunt, uno ore ipſis patrocinari. *Tertiò miracula derident* tanquam fictitia vel magica, quæ vel nunquam facta fuerunt, ſed à nobis excogitata, vel ſi quando facta, ope dæmonis patrata ad nos in errore confirmandos. Quodſi etiam fuerint vera miracula à Deo facta, non ex eo ſequi, Chriſti corpus naturaliter adeſſe. Demum doctrina non ex miraculis æſtimanda, ſed ad normam verbi DEI examinanda, ſæpiſſimè falſæ doctrinæ miraculis ornatæ fuerunt.

XX. Errori huic veram ac realem Chriſti præſentiam in SS. Euchariſtia neganti adverſatur inprimis Sac. Scriptura, & Evangeliſtarum conſenſus. Matthæus c. 26. Lucas cap. 22. Marcus c. 14. affirmant, dixiſſe Dominum: *Hoc eſt corpus meum.* Et Joan. c. 6. *Caro mea verè eſt cibus: & Sanguis meus verè eſt potus.* Accedit Apoſtol. 1. Corinth. 10. v. 16. *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti?* Et c. 11. cit. *quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis &c.* Jam verò verba Scripturæ propriè accipienda eſſe, clamant indeſinenter ipſimet Prædicantes ex generali regula à D. Auguſtino tradita. Cur igitur hìc ab expreſſo Verbo DEI ad figuras & metaphoras deſcendunt? cum proprius ſenſus hìc quàm maximè ſit attendendus & retinendus. 1. Quia verba illa Teſtamentum ſeu Voluntatem ultimam Teſtatoris continent; hanc autem proprijs & claris verbis exprimendam eſſe, quis dubitet? Nam ſiquis moriens ex Catholicis Ameſio, Molinæo aut cuicunque alteri ex Calviniſtis legaſſet equos ſuos, num contentus iſte foret aut eſſe poſſet, ſi hæredes pictos ipſi equos obtrudere vellent? An non Teſtator ideo teſtamentum condit, ut pacem inter hæredes firmet, caveátque, ne qua occaſio ſit inter eos diſſentiendi? quomodo autem hoc efficeret, ſi metaphoris & improprijs vel amphibologicis intricatiſque verbis uteretur? Atqui Chriſtus Dominus hìc teſtamentum condit, unde ait: *hic eſt calix novi Teſtamenti.* Atque hocipſum Sacramentum inſtituit ad unionem Chriſtianorum conciliandam. Quomodo ergo ſibi ipſe contrarius erit? 2. Quia verba illa inſtitutionis Euchariſticæ legem continent: *hoc facite in meam commemorationem.* Verba autem legis, niſi clara, expreſſa, & propria ſint, Legiſlatoris inſipientiam arguunt, & facilè eos, qui contra legem agunt, excuſat; quippe dicere poſſunt ſubditi, ſi Legiſlator obſervari vult legem ſuam, apertè nobis loquatur. 3. Quia eadem verba continent donum juxta id Joan. 6. cit. *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea eſt, pro mundi vita.* Jam ſi Princeps aliquis Catholicus Ameſio, Molinæo, aut cuicunque Calviniſtæ Caſtrum aliquod ſeu Arcem promitteret, poſtea verò Arcem ſeu Caſtrum in tabella depictam mitteret; quæro, num hæc liberalitas homine ingenuo ne dum Principe digna eſſet? Et ſi conquerente Calviniſta, Princeps reponeret, ne indignaretur Ameſius, Molinæus aut quivis Calviniſta donatarius; ſiquidem Arx ſeu Caſtrum pictum modo quodam per metonymiam vera Arx ſeu Caſtrum dici poteſt. An non magis rideri ſe exiſtimaret, & de Principis infidelitate conquereretur? Abſit ergo, ut dicamus, Dominum noſtrum tam Munificum & prædivitem illudere nobis voluiſſe, & pro Corpore ſuo glorioſiſſimo, quod promiſit, figuram ejus tantummodò dare voluiſſe.

XXI. Accedit. Si in Sacramento Euchariſtiæ verum Chriſti corpus non continetur, indignè egit Chriſtus cum Eccleſia ſua, quam per univerſum orbem totis mille & quingentis annis in tali errore atque idololatria occaſione ſuorum verborum reliquit; imò doctrinâ Doctorum, exemplo Majorum, magnitudine ac multitudine miraculorum in eadem firmatos vi quâdam detinuit. Nam tolerabilior eſt error illorum, qui pro DEO colunt ſtatuam auream aut argenteam ſeu alterius materiæ imaginem, quo modo Gentiles Deos ſuos venerabantur: vel pannum rubrum in haſta elevatum (quod de Lappis narratur) vel viva animalia, ut quondam Ægyptij, quàm iſtorum, qui fruſtum panis tantopere colunt atque adorant, quod hactenus (ut clamitant Calviniſtæ ac Sacramentarij) per univerſum orbem tot annis fecêre Chriſtiani. Neque hìc excuſat ſimplicitas anteceſſorum; ſiquidem veram realémque Chriſti præſentiam in Euchariſtia tot generalia Concilia omni ſtudio decreverunt: ſapientiſſimi Patres Dionyſ. Areopagita, Juſtinus Martyr, Irenæus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus Papa &c. tradiderunt: omnes Fideles cujuſcunque ſtatûs in univerſa Eccleſia omnibus retro annis tenuerunt. Quis autem hoc de Sapientiſſimo, Juſtiſſimo, & Pijſſimo Deo ac Salvatore noſtro perſuadere ſibi poſſit, ita ſcilicet illum tot annis deſerviſſe univerſam Eccleſiam ſuam, ut omnibus idololatris eſſet impietate ſuâ deterior. Hinc Eraſmus cætera non bonus ex lumine tamen naturæ bene ſcripſit in epiſt. ad Ludovicum Berum: *Nunquam mihi perſuaderi potuit, neque poterit, Chriſtum, qui veritas eſt & Charitas, tamdiu paſſurum fuiſſe dilectam Sponſam ſuam hærere in errore tam abominabili, ut fruſtulum farinaceum pro ipſo adoraret.* Dicit Ameſius fol. 90. omni ex parte falſum eſſe, Teſtamentum, Legem, Donum &c. reſpuere figuratam locutionem: & in oppoſitum aliquot affert exempla ex Sac. Scriptura. Sed argumentum noſtrum non procedit de quibuslibet Tropis, ſed de Metaphora & metonymia, quibus rei veritas aufertur, ut accidit in præſenti. Adhæc etſi in uno loco nonnulla alicubi figuratè in Scriptura proponantur, alibi tamen eadem proponuntur propriè, ut ſunt pleraque exempla, quæ Ameſius hìc obtrudit, nonnulla ſpecialiter recurrunt in his controverſijs. Argumenta in contrarium ex Ameſio, Pet. Molinæo, And. Callia, alijſque Calviniſtis allata ſolutu difficilia non ſunt, nec multitudine ſuâ nos obruunt.

XXII. Reſpond. *primò ad teſtimonia ex Sac. Scriptura.* Nullum unquam hæreticum fuiſſe, qui, non prius ab Eccleſiæ Catholicæ doctrina ſe diſcrevit, & perverſum ſuum dogma multis Sac. Scripturæ verbis malè intellectis ſtabilire ſtuduit.

Sicut

Sicut etiam Satan in deſerto per intellectum Scripturæ pravum decipere Chriſtum voluit. Sed contra fallaces hoſce incurſus ſtant immoti Catholici, tenéntque veluti inexpugnabile ſcutum univerſalis ac Sanctæ Eccleſiæ ſenſum ac Scripturarum interpretationem, quam ex promiſſa divini Spiritûs aſſiſtentia errare non poſſe noverunt. Unde impræſentiarum omnia teſtimonia Sectariorum ex Sacra Scriptura allata excipiunt velut ſagittas parvulorum, quæ ſunt factæ plagæ eorum. At 1. teſtimonium ex Luc. 22. cum Bernardino Verweis in Speculo Eccleſ. L. 15. cap. 3. art. 2. Sæpius nos moneri in Sac. Litteris ut DEI meminerimus, qui tamen præſens adeſt, ſed inviſibilis. Non rarò rogamus etiam DEUM, ut noſtri meminerit, qui tamen ſemper nos ante oculos præſentes habet. Principes quoque in memoriam ſuarum victoriarum annuos triumphos ſolent inſtituere, quibus præſentes interſunt, licet alio ſtatu non jam pugnantes, ſicuti tunc fuerunt. Et vulgares etiam homines quot annis celebrant ſuum natalem in memoriam ſuæ nativitatis, quamvis iidem ipſi coram adſint, qui tunc fuerunt, ſed non amplius in ſtatu infantili. Quare ad memoriam alicujus rei ſufficit, ſi illa vel non ſit viſibilis, vel in alio ſtatu, quàm priùs fuerit; id quod etiam in Chriſto accidit, qui in Sacramento longè aliter adeſt, quàm in paſſione adfuerit; etenim ibi fuit viſibilis & patibilis: in Sacramento autem eſt inviſibilis & impatibilis. Ad 2. ex Gen. 9. & Levit. 17. tantùm ſenſibilem & cruentam comeſtionem fuiſſe prohibitam, qualis non fit in Euchariſtia, ubi nec caro nec ſanguis Chriſti ſenſu percipitur. Videatur Tirinus in cit. loc. ubi inter alias hanc rationem iſtius præcepti adducit ex D. Chryſoſt. hom. 27. ne homines aſſueſcendo ſanguini beſtiarum tandem humano non parcerent, quæ non procedit de ſumptione Sac. Euchariſtiæ. Ad 3. ex Matth. 26. & Marco 14. cum Becano in Manuali L. 3. c. 6. num. 36. Chriſtum verba illa: *non amplius bibam de hoc genimine vitis &c.* non dixiſſe poſt ſumptionem calicis conſecrati, ſed poſt propinationem alicujus hauſtûs profani more Judæorum inſtituti, ut conſtat ex Luc. 22. v. 17. & 18. ubi duplicis calicis propinationem deſcribit; unam ante conſecrationem, ubi ea verba fuerunt dicta, licet Matthæus immutato ordine alteri propinationi calicis conſecrati illa poſtpoſuerit. Itaque in Adverſarios retorqueri poteſt hoc argumentum. Si Chriſtus ante calicem conſecratum dixit, ſe non amplius bibiturum vinum, tunc in calice conſecrato (unde & ipſe tanquam propinator bibiſſe poterit) non erat vinum. Tirinus loco cit. ait, Chriſtum genimen vitis vocare partim ſpecies vini adhuc reliquas (etenim hæ revera natæ ſunt ex vite) partim vinum omne profanum, quod in menſa vel hydrijs ſupererat, quâ ratione ceſſat omnis difficultas; ſicut etiam ſi quis diceret, Chriſtum uſum fuiſſe ampliatione, quod eſt vel fuit vinum, quo modo cœci dicuntur videre, id eſt, qui ſunt vel fuerunt cœci.

XXIV. Ad 4. teſtimonium ex Actor. 3. Quamvis Chriſtus realiter ſit in hoc Sacramento, tamen nihilominus eum ſemper manere in cœlo; quia ſimul poteſt eſſe in pluribus locis. Cum autem negat, Chriſtum venturum eſſe in terras ante ultimum Judicij diem, intelligendum eſt illud de modo viſibili, ut omnibus ſit conſpicuus; etenim in Euchariſtia latet abſconditus, nec niſi rarò ſe videndum dedit. Videri poteſt Verweis loc. cit. cap. 2. art. 3. ubi pluribus de hoc argumento agit. Ad 5. ex Joan. 6. Chriſtum illis verbis: *Caro non prodeſt quidquam; Spiritus eſt, qui vivificat*; indicare ſolùm, nolle ſe homines alere carne ſuâ corporaliter, ſicut alimus carne vitulinâ, ſed ſpiritualiter, & ſub modo exiſtendi ſpirituali manducari ſe oportere, quaſi diceret, non debetis tam craſsè & carnaliter verba mea apprehendere, quaſi inſtar vituli in macello eſſem devorandus; quamvis enim meum corpus, quod vobis manducandum dabo, quoad ſubſtantiam ſit vera caro, tamen quoad modum comedendi, & quoad effectum nutritionis multùm differt à carnali cibo; quia integrè & ſine dilaceratione comeditur, & ſpirituale nutrimentum gratiæ omnibus confert. In prædictum modum expoſuit illa verba S. Auguſtinus tract. 27. in Joan. qui proinde, cum in Pſal. 89. docet, illud Joannis 6. eſſe ſpiritualiter intelligendum, non intendit, ut illum explicat D. Thomas q. 75. art. 1. quod Corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento ſolùm ſecundùm myſticam ſignificationem, ſed ſpiritualiter, hoc eſt, inviſibili modo. Ad 6. ex Luc. 24. Chriſti argumentum ab experimento ſenſuum deſumptum procedere in rebus ſenſui expoſitis, uti tunc erat redivivus: ſecus de rebus inſenſibilibus, prout eſt in Euchariſtia. Diſtinguitur igitur Major. Talis eſt res, qualis apparet ſenſibus, niſi error ſenſuum certâ ratione corrigatur, conceditur: ſecus negatur. Sicut ergo baculus in aqua videtur fractus, cum tamen ſit integer, ſic in Euchariſtia apparet ſubſtantia panis & vini, cum reverâ non adſit; ſed quemadmodum deceptio oculorum in baculo per rationem, ita ſenſus hallucinantes in Euchariſtia per fidem corriguntur.

XXV. Ad 8. ex Pſal. 113. nos non aſſerere, ſenſibiles ſpecies Sacramenti eſſe DEUM, ſicut Gentiles de ſuis ſtatuis ſentiebant. Ergo irrideri meritò non poſſumus, ſicuti jure meritiſſimo ridentur Gentiles, & à Patribus Athanaſio, Cypriano, Lactantio, Tertulliano, Juſtino & alijs paſſim reprehenduntur. Inſtant. Gentiles multi non putabunt, ipſas naturales ſtatuas eſſe Deos, ſed Spiritus in eis latentes, ſicut Chriſtus latet in Sacramento. Ergo adhuc eſt paritas inter Catholicos & Idololatras. Reſpon. cum Tirino & alijs Intrepretibus Scripturæ in cit. pſalmum. Davidem contra tales hæreticos non fuiſſe argumentatum, alioquin nihil probaſſet. Pro cujus intelligentia ſciendum eſt, triplicem fuiſſe Gentilium opinionem de ſuis idolis. *Primò*, aliqui ſtupidiſſimè putabant, ipſas naturales ſtatuas ab hominibus factas eſſe Deos, id quod hodie quoque faciunt in Indijs non pauci; & contra hanc ſtultiſſimam opinionem procedunt argumenta Davidis & aliorum Prophetarum ex inſenſibilitate & immobilitate petita; etſi enim interdum loquerentur, tamen nec labia nec oculos movebant more viventium, ut vel hinc appareret, ipſos non loqui, ſed aliquid in eis latens. *Secundò* alij intelligentiores exiſtimabant, non ipſas ſtatuas eſſe Deos, ſed aliquem Spiritum in eis latentem, contra quos non procedunt argumenta Davidis, ſed aliter refutandi ſunt; ſcilicet quod DEI majeſtatem non deceat, tam anguſto habitaculo includi. Nos autem dicimus, Chriſtum non ita

includi, ut alibi non ſit, ſed quoad divinitatem eſt ubique, & quoad humanitatem etiam in cælo. *Tertiò* adhuc ingenioſiores opinabantur, nec ſtatuas ſecundùm ſe eſſe Deos, nec Spiritus in ipſis incluſos, ſed in cœlo habitantes & per Imaginem duntaxat repræſentatos, ſicuti nos de Imaginibus Sanctorum ratiocinamur. Et contra hos etiã non militant Davidis argumenta, ſed alijs telis impugnandi ſunt, v.g. quod illi Spiritus per imagines repræſentati non habeant divinas perfectiones æternitatis, immenſitatis, omnipotentiæ, ſed fuerint mortales homines propter apparentes quaſdam virtutes in cælum ipſorum opinione tranſlati. Ad 9. denique & ultimum ex Sac. Scriptura teſtimonium jam ſupra nos dixiſſe, Adverſarios hîc bis peccare. Nam inprimis Apoſtolus non dicit, Judæos manducaſſe eandem nobiſcum eſcam, ſed ipſos inter ſe eandem eſcam manducaſſe; vult enim oſtendere, tametſi omnes tam boni, quàm mali perceperint eadem Dei beneficia, non tamen omnes placuiſſe DEO. Deinde Apoſtolus non loquitur de manducatione ſpirituali per fidem, quæ juxta Calviniſtas propria eſt Electorum, ſed loquitur de manducatione, quæ communis erat bonis & malis, ut ex ipſo textu patet. Dato etiam, non conceſſo, Patres noſtros ſub Veteri Teſtamento eandem ſpiritualem eſcam, & eundem ſpiritualem potum nobiſcum ſumpſiſſe, non ſequitur, nos in Novo Teſtamento non ſumere aliter. Veteres enim fideles & Juſti eundem Chriſtum ſumpſerunt ſolâ fide & in figura: Nos autem eundem ſumimus verè DEUM & hominem. Corpus & Animam, Carnem & Sanguinem, non typicè aut tropicè, ſed realiter & ſubſtantialiter. Ecce quomodo ex Scriptura nihil contra nos evincatur.

XXVI. Reſpond. *Secundò ad authoritatem Patrum*, dupliciter graviterque in hos peccare hæreticos. 1. quod apertè repugnent Patribus. 2. quod nihilominus plebi perſuadeant, Patres pro ipſis ſtare. Nam imprimis multi ex vetuſtiſſimis Scriptoribus expreſsè docent, panem & vinum Euchariſticum ſubſtantialiter mutari in carnem & ſanguinem Chriſti, ut Cyprianus, Gregorius Niſſenus, Ambroſius, Cyrillus Hieroſolymitanus ſupra citati &c. Ergo ex illorum ſententia Chriſtus ſecundùm carnem & ſanguinem verè eſt præſens in Euchariſtia. Deinde alij diſertè affirmant hanc Chriſti præſentiam, ut Origines hom. 5. in diverſa loca Evangelij ſic ſcribens: *Quando manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tum Dominus ſub tectum tuum ingreditur.* Hilarius Lib. 8. de Trinit. *de veritate*, inquit, *Corporis & Sanguinis non eſt relictus ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & Fide noſtra verè eſt caro, & verè eſt ſanguis.* S. Auguſtinus in Pſal. 33. conc. 1. circa hunc ejuſdem pſalmi titulum, & ferebatur in manibus ſuis, ſic ſcribit: *Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum &c.* Demum nemo unus Patrum ſolam manducationem ſpiritualem docuit, excludendo Sacramentalem, quam utrámque & ſpiritualem & Sacramentalẽ manducationem idcirco nos Catholici ſimul affirmamus; nec Ameſius negare prorſus audet ajens fol. 87. ſpiritualem manducationem eſſe rem & animam illius, quæ eſt Sacramentalis; quantumvis aliàs homo vanus SS. Patres de Sacramentali manducatione Scripturam interpretantes ſuſque deque habeat.

XXVII. Nobis Patres §. XVIII. adducti non adverſantur. Nam cum 1. dicunt, pronomina Hic & Hoc deſignare Panem & Vinum, intelligunt cum ampliatione, quod eſt, vel fuit panis & vinum; quæ reſponſio abunde ſatisfacit argumento hæreticorum; cæterùm quomodo Scholaſtici eadem exactiùs expendant, diximus ſupra §. IX. cum 2. dicunt, hoc Sacramentum eſſe ſignum & figuram Chriſti, loquuntur de ſpeciebus Viſibilibus, ſub quibus latet Chriſtus; etenim ſicca ſpecies panis repræſentat oculis Chriſti corpus exangue ac mortuum: fluidus verò liquor vini repræſentat effuſum ſanguinem atque mortem Chriſti effuſo ſanguine cauſatam. Notat autem Becanus loc. cit. num. 20. has duas propoſitiones diſtinguendas eſſe: *Chriſtus eſt in Euchariſtia præſens per ſignum & figuram ſui*; &: *Chriſtus eſt in Euchariſtia præſens per ſignum & figuram ſui tantùm*; prior vera eſt, poſterior falſa. Cum 3. dicunt, Chriſtum à malis non ſumi, nomine ſumptionis intelligunt formalem & fructuoſam perceptionem; quemadmodum ſiquis lapillum deglutiret, non diceretur comedere, quia nullum inde nutrimentum perciperet, ita qui Chriſtum ſine fructu gratiæ tanquam Spirituali nutrimento accipit, ſpiritualiter non comedit. Sic etiam DEUS dicitur longè abeſſe à cordibus impiorum; quia non ſunt in gratia DEI, licet DEUS ſecundùm ſubſtantiam ſuam realiſſimè ipſis ſit præſens: è contra qui Sacramentum ipſum reverà non ſuſcipiunt, attamen fide per charitatem operante Chriſti paſſioni inhærent, dicuntur ſpiritualiter corpus Domini ſumere, quia effectum Sacramenti conſequuntur, gratiam ſcilicet, quæ Spirituale eſt animæ nutrimentum. Videri poteſt Verweis loc. cit. cap. 2. art. 5. Cum denique 4. dicunt Patres, Chriſtum non corporaliter, ſed ſpiritualiter per fidem manducari, etiam intelligunt cum fructu ſpirituali, ad quem non ſufficit corporalis preceptio, ſed requiritur etiam fides & devotio animi; Sic Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. ait, *quoſdam ex communione non vitam, ſed judicium haurire*, non quod corpus Chriſti non recipiant, ſed quia non recipiunt Spiritu & fide. Ex his patet, Patres apertè ſtare pro reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia: & calumniam eſſe Ameſij, quando fol. 87. cit. ait. *Patres plus nimio ſuis myſticis ſenſibus, allegorijs & accommodationibus multò magis coactis* (quàm ſcil. hæretici hîc faciunt) *indulſiſſe, nemo quiſquam ignorat, qui illos à limine ſalutarit.* Videatur Franciſcus Coſterus in opuſculo ad Analyticam aſſertionem Andreæ Calliæ Calviniſtæ, ubi ſtatim ab initio duodecim Patres latinos, totidémque Græcos pro Catholica doctrina & reali Chriſti in Euchariſtia præſentia adducit ita claros & apertos, ut non niſi inviti in hæreticorum myſticos ſenſus & figuras torqueri poſſint.

XXVIII. Reſpond. *tertiò ad argumenta ex naturali ratione, & ad abſurda, quæ ex reali Chriſti præſentia ſequi putantur.* Juremeritiſſimo hîc exclamandum cum D. Auguſt. Lib. 22. de civit. Dei c. 1. *Heu qualibus argumentis Omnipotentiæ DEI humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas! Nonne deflendum, inveniri homines, qui ut futilibus retinaculis nova ſua commenta confirment, à mundo credente diſcedunt, & cum mundo credente non credunt, imò mundo credenti novam fidem obtrudunt?* Et ſi Sectarij huic myſterio realis præſentiæ corporis Chriſti in Sac.

Euchariſtia fidem negant, & capere nequeunt; corpus humanum viri proceri in anguſtiſſimum loci ſpacium contrahi: aut in diſſitis locis collocari ſimul poſſe, quomodo fidem dabunt alijs Chriſtianæ Religionis myſterijs æquè aut magis difficilibus v. g. Creationis, ubi ex nihilo cæli & terra, maria, & omnia reliqua in Univerſo mundo creduntur producta? SS. Trinitatis, ubi in tribus Perſonis veriſſimè diſtinctis creditur una Natura ſimpliciſſima? Incarnationis, ubi unam Hypoſtaſin in duabus Naturis perfectis & diſſimillimis credimus? Itaque ea, quæ naturaliter videntur abſurda & impoſſibilia, non repugnant. Nam imprimis poteſt vir procerus per penetrativam partium contractionem in punctum colligi; penetratio autem corporum ſæpius à Chriſto fuit exercita, ut cum clauſo utero Virginis in lucem prodijt: cum clauſis januis ad diſcipulos ingreſſus eſt Joan. 2. v. 29. Et inter alias dotes corporum glorioſorum una erit ſubtilitas, quâ poterunt Sancti omnia alia quantumvis denſa corpora inſtar Spirituum penetrare. Simile quid etiam in natura apparet in condenſatione Corporum, quando corpus unum & latè extenſum in arctum contrahitur, partibus invicem cōeuntibus v. g. cum magnus aër in exiguam aquæ guttulam cogitur. Non debent igitur Adverſarij impoſſibile putare, magnum Chriſti corpus in punctum contrahi, omnibus membris ſeinvicem penetrantibus, ſed ſuam erubeſcere ignorantiam in rebus & ſcientijs Philoſophicis, in quibus nec modicè ſe tinctos hac in materia ſingulariter produnt

XXIX. Deinde non repugnat, unum idémque corpus ſimul in pluribus eſſe locis, cum eadem anima ſimul ſit in capite & pedibus. Et immenſus DEUS ubique ſit præſens totúſque in omnibus locis. Chriſtus poſt ſuam Aſcenſionem ſemper in cælo manſit, & tamen ſubinde in terra apparuit, ut Paulo Actor. 9. v. 5. juxta Patrum & Doctorum interpretationem; niſi enim naturale iſtic corpus Chriſti præſens ſibi vidiſſet Apoſtolus, quomodo potuiſſet 1. Corinth. 15. v. 8. *Inter oculatos redivivi Chriſti teſtes ſeipſum recenſere?* Simile miraculum quibuſdam Sanctis adhuc in terra degentibus evenit, uti Severus Epiſcopus Ravennas ſimul domi fuit, & apud ægrum, ut Petrus Damiani ſcribit in ejus vita. Antonius de Padua ſimul in choro precatus eſt, & in cathedra concionatus, ut legitur in hiſtoria Seraphica Rudolph Toſſinracenſis fol. 80. Idem de S. Franciſco Xaverio habetur in ejus vita, quod ſcil. eodem tempore geminis in locis & longiſſimè diſſitis periclitantibus adfuerit. Uno verbo, *non eſt impoſſibile apud DEUM omne verbum* Luc. 1. v. 37. ubi per verbum intelligitur, quidquid ſine contradictione concipi poteſt, quia id ſolùm eſt impoſſibile, quod involuit contradictionem, hoc eſt, quo poſito, ſequeretur idem ſimul eſſe, & non eſſe, ſive quod pugnat cum eſſentia rei, ita ut iſta dicatur eſſe, & non eſſe. At eſſe in loco, non eſt de eſſentia corporis, ſed quid extrinſecum & accidentarium; etenim cælum extremum ſeu ultimum eſt verum corpus, & non eſt in loco. Ergo &c. Loquimur autem ſolùm de contradictione objectiva: non de formali conceptuum ſeu enunciationum; quamvis enim Petrum currere & non currere ſit contradictio; curſus tamen eſſentiæ Petri non repugnat ſed eidem adeſſe vel abeſſe poteſt; unde ruit nugatio Ameſij fol. 114. contra Bellarminum communi doctrinæ adhærentem.

XXX. Dicunt idem Ameſius loc. cit. aliíque Calviniſtæ, graviſſimos Scholaſticos (Thomam Bonaventuram, Capreolum, Durandum, Paludanum, Ferraram &c. nominant apud Radam citatos) negare; poſſe idem corpus modo naturali & circumſcriptivè eſſe in duobus locis. Reſpond: graviſſimos etiam plurimóſque alios oppoſitum tenere ac docere, unum idémque corpus poſſe divinitus in pluribus locis circumſcriptivè exiſtere, ut Scotum, Alenſem, Richardum, Aureolum, Gabrielem & Recentiores pleroſque omnes; è quibus Suarezius Diſp. 48. Sect. 4. ait: hanc noſtram doctrinam tam neceſſariò támque evidenter conſequi veritatem Catholicam de reali præſentia corpus Chriſti, ut mirabile ſibi ſemper viſum fuerit, contrariam ſententiam graviſſimis Theologis perſuaderi potuiſſe. Urgent. Si corpus poneretur circumſcriptivè in duobus locis, ſequeretur, hæc duo contradictoria eſſe vera; *hoc corpus eſt comprehenſum ab iſto loco, quia ab illo continetur & circumſcribitur: hoc corpus non eſt comprehenſum ab iſto loco, quia totum eſt extra illum.* Reſpon: negando, ſequi contradictoria. Nam cum locus ambiat omnes partes locati, ita ut nulla ſit, quæ in eo non contineatur, ex eo capite verum eſt, hoc corpus eſſe comprehenſum ab iſto loco. Licet autem idem corpus ponatur in alio loco, id non ſufficit, ut dicatur illud non comprehendi à priori loco. In eo igitur caſu potius dicendum eſt, idem corpus comprehendi à duobus locis, quàm comprehendi, & non comprehendi à quolibet ex illis. Cæterùm quantumvis hæc doctrina, quàm veroſimillimam cenſemus, non omnibus Scholaſticis probetur, nemo tamen unus illorum negat, idem Corpus poſſe divinitus ſimul eſſe in uno loco circumſcriptivè: in alijs definitivè, ut proinde nullus ex Catholicis Scholaſticis hæreſi Adverſariorum patrocinetur. Inſtant. fieri non poſſe, ut Chriſti corpus ſit ſimul & ſemel in multis locis ſive circumſcriptivè ſive definitivè; hoc quippe tantumdem valet, ac ſi diceremus, DEUM non poſſe ſibi ipſi contradicere, aut non poſſe mentiri. Reſpon. negando; quæ enim Scriptura, quæ Patrum teſtimonia, quæ Traditio docuerunt, idem valere, ac: DEUS non poteſt idem corpus in duobus locis ponere: & DEUS non poteſt mentiri? Agnoſco ſanè DEUM non poſſe mentiri: & agnoſco DEUM ſimul & ſemel poſſe in duobus locis idem corpus conſtituere, non violatâ, non in minimo læsâ hominis Chriſti, vel corporis ſui ſubſtantiâ, ideóque agnoſco Sacramentarios ineptè idoctéque argumentari.

XXXI. At, inquiunt Adverſarij, Chriſtus verum corpus humanum habet noſtris corporibus per omnia ſimile, excepto peccato. Quid tum? Nam Potentia DEI non minùs corpora noſtra vel etiam jumentorum diverſis in locis ſimul & ſemel conſtituere poteſt, quàm Chriſti. Inferunt ijdem apud Ameſium fol. 117. hanc Angeli conſequentiam Matth. 28. v. 6. *Non eſt hic, ſurrexit enim &c.* non fore bonam, ſi idem corpus poſſit ſimul eſſe in pluribus locis; poteſt enim ſimul recedere, & remanere. Reſpon. argumentationem, ſiquæ hic admittitur, optimam eſſe 1. reſpectivè

ſpectivè ad mulieres corpus Domini mortuum quærentes, ut illud ungerent in ſepulchro, quibus rectè ait Angelus; non eſt hic, id eſt, in ſepulchro mortuus, ut vos putatis, idque probat ſubjungendo: ſurrexit enim. 2. abſolutè, ſed moraliter loquendo non metaphyſicè; quamvis enim fieri poſſet, ut aliquis vivens in ſepulchro jaceat, ſi velit, moraliter tamen loquendo, qui reſurgit à morte, non manet in ſepulchro, ſed egreditur &c. Omitto plures objectiunculas, quibus necquicquam hic chartas implent Ameſius cæterique Calviniſtæ ex craſſiſſima ignorantia Philoſophiæ, & quæ ex hactenus dictis facilè rejiciuntur. Multiplicant autem hæc ſua vaniloquia, & ineptas phantaſias pluribus produnt, ne prorſus nihil dicere poſſe videantur; Nam ad clariſſima S S. Patrum teſtimonia, quæ Cardinalis Bellarminus pro veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia affert L. 2. integro per 39. capita altùm ſilent, & nullâ factâ mentione ea tranſiliunt ubi tamen pro rei momento quàm maximè loqui illos oporteret.

XXXII. Demum ſi abſurdum non eſt, immenſam Chriſti Divinitatem ubique etiam in ſordidis locis reperiri, non debet abſurdum videri, ejus Corpus ſordidos ſtomachos ingredi &c. quia tam parùm inde inquinatur, quàm radij ſolis per lutum aut fimum traſeuntes. In oculis DEI omnibus ſordibus fœdiora ſunt peccata mortalia, quæ tamen ſuſtinet, quando peccatores indignè communicant. Et hæc contumelia ab omnibus tolerata majorem illi gloriam conciliat; etenim inde apparet ejus bonitas & manſuetudo erga homines. Ex hiſce facilè conſtat, quid dicendum ad quæſtiunculam illam Berengarij hodie à Calviniſtis iteratam; ſi mures S. Hoſtiam rodunt, aut etiam devorant, quid cum illis fiat? Credo ego multo gravius Chriſtum ſentire maledicos dentes iſtorum Sacramentariorum, quàm murium; hi namque ſolas ſpecies arrodunt, aut etiam devorant: illi autem ipſum Chriſtum attingunt, ejúſque præſentiam tollunt. D. Thomas volebat, ut mures, ſi in facinore deprehenderentur, ſtatim ſecarentur, & ablatæ ex ſtomacho ſpecies in honeſto loco aſſevarentur, dum deſinerent. D. Antoninus verò ut comburerentur, & cineres in ſacrarium mitterentur. Sacramentarij, niſi reſipiſcant, merentur quidem etiam ignem, ſed quo in inferno urentur, nunquam autem comburentur, cum infinities major ſit iſtorum blaſphemia, quàm illorum edacitas, quæ idcirco horrenda blaſphemia jure æterùm punietur.

XXXIII. De reliquo Sacramentarij fruſtra laborant evertere fundamenta noſtra, quibus doctrinam noſtram de vera realique præſentia Chriſti in Euchariſtia ſtabilivimus; quippe fortiora ac ſolidiora ſunt, quàm ut phantaſticis perſuaſionibus, craſſis ignorantijs, ſtolidis irriſionibus vel minimè concutiantur, ne dum evertantur. Quaſi verò omnia in Scriptura ſub obſcura metaphora lateant involuta, quæ ſtupidis iſtis capitibus ipſius ſolis radijs non apparent clariora? Cum Evangeliſtæ & Apoſtolus agant de Euchariſtia, & Chriſtus promittat, ſe in ea daturum carnem ſuam & ſanguinem ſuum, hæc promiſſio debet propriè intelligi de vera carne Chriſti, & de vero ſanguine illius; cum ex regula S. Auguſtini generali nunquam recedendum ſit à proprio & litterali Scripturæ ſenſu, niſi manifeſtè probetur, talem ſenſum ſequendum non eſſe, ſed alium eruendum. Et quid impræſentiarum ad hoc cogit?

XXXIV. Dicunt Ameſius fol. 91. & alij Calviniſtæ paſſim, cogi ſe, hoc in loco proprium ſenſum dimittere, & admittere tropum. 1. illis omnibus Scripturis, quibus tale flagitium vetatur, quale eſt, hominem eúmque vivum devorare. 2. omnibus illis articulis fidei, qui veram Humanitatem Chriſti manere docent. 3. communi judicio totius Eccleſiæ Apoſtolicæ ad annos à Chriſto ſexcentos & amplius. Mendaciſſima impietas hujus Sacramentariæ excuſationis ex tota hac controverſia liquet. Quia nec homo inhumano modo cruentè devoratur, ſed Chriſtus ſpiritualiter ſub modo exiſtendi ſpirituali manducatur: nec Humanitas Chriſti in cœlo tollitur, ſed eadem inibi circumſcriptivè perſeverans incipit eſſe definitivè in Euchariſtia vi verborum Chriſti per converſionem panis & vini: nec de veritate Catholica veriſſimáque Chriſti præſentia in Euchariſtia ullus unquam hominum totis octingentis annis poſt Chriſtum dubitavit, ſed ex unanimi conſenſu omnes Sacram Scripturam de vero corpore & ſanguine Chriſti ſemper intellexerunt. Quis igitur audeat, prædictam Sacram Scripturam à proprio & genuino ſenſu, qui in univerſa Eccleſia ſemper receptus fuit, dimovere? Evangeliſtæ apertiſſimè teſtantur, Chriſtum dixiſſe, *hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Idem teſtatur Paulus, & tam hic quàm illi agunt de corpore, quod pro nobis traditum fuit, & de ſanguine pro ſalute noſtra effuſo: & hoc intellexit Eccleſia jam à mille ſexcentis annis de vero corpore & ſanguine Chriſti, quæ nobis realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia dari profitetur? Num ergo liceat contra aperta Scripturæ verba, contra venerandam Patrum antiquitatem, contra Majorum traditionem & ſæculorum omnium conſenſum ad tropos & figuram, ac neſcio quam phantaſticam locutionem confugere. Recipiunt Novatores ſolam Scripturam. Conſulant hanc. Nunquid Evangeliſtæ & Paulus dicunt, Chriſtum in nocte cœnæ dixiſſe diſcipulis: accipite & comedite, hoc eſt ſignum corporis mei? minimè certè; ſed aſſerunt, illum dixiſſe, *hoc eſt corpus meum.* Scriptura ergo, à qua ſola patrocinium exſpectant, unicè nobis favet, hæreticis neutiquam, imò his apertè contradicit. Quodſi Sacra Scriptura per Scripturam ſolam elucidanda ſit, ut ipſi clamant, exhibeant nobis aliquem locum Scripturæ, ex quo pateat, verba prædicta figuratè, & non in proprio ſenſu accipienda eſſe. Si verò nullus ejuſmodi locus ſuppetat, cur expreſſam Patrum expoſitionem reijciunt? Num Calvinus ſapientior fortè eſt & perſpicacior tot viris ſanctiſſimis & doctiſſimis, qui ante illum ſcripſerunt. Num ſententia illius præferenda eſt judicio & communi ſenſui Eccleſiæ, quam ſcimus à Spiritu Sancto regi, & eſſe fundamentum ac columnam veritatis, & in rebus fidei ac tanti momenti errare non poſſe? Quæ Adverſarij §. 19. ſpeciatim ad fundamenta Catholicæ noſtræ doctrinæ ſubruenda attulêre, nullius, ut dixi, roboris ſunt, & ex dictis facilè refelluntur. Nihilominus

XXXV. Reſpond. *quartò.* Inprimis quæ allegatæ à nobis Sacræ Scripturæ opponunt, minimè ſatisfa-

ſatisfaciunt. Nam quod Chriſtus Joan. 6. non locutus fuerit de reali ac Sacramentali communione, ſed ſolùm de ſpirituali manducatione per fidem, male colligitur ex his ſequentibus verbis: *quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt*; etenim hæc non ſignificant Chriſtum ſubſtantialiter non comedi: ſed non ſumi quaſi inſtar animalium ore ac dentibus corporeiſque inſtrumentis: nec nutrire uti ſolent cibi corporales per nutrimentum in ſtomacho expreſſum: ſed comedi modo ſpirituali inviſibili, & ſupernaturali, ac nutrire per nutrimentum ſpirituale, id eſt, per gratiam in anima receptam, ut cum D. Auguſtino, Chryſoſtomo aliiſque Patribus paſſim iſtum locum exponunt Doctores. Quæ ex Cajetano afferuntur, quoad rem ipſam ſaniora non ſunt, quàm heterodoxorum, ſed ſolâ meliore intentione utcunque ſalvantur. Unde tam hunc quàm pauculos alios Catholicos ſupra ex Molinæo nominatim adductos acriter perſtringit Joannes Maldonatus in cap. 6. Joan. vers. 53. quod contra Scripturæ ſenſum, contra Patrum omnium interpretationem; contra tacitum imò minimè tacitum ſed ſatis ſuperque explicatum conſenſum Eccleſiæ dixerint ac contenderint, hoc loco de Sacramento non agi. Quod, ut benigniſſimè dicam, eſt temerarium &c. quippe ingenij modeſti, & Eccleſiaſticis moribus pietateque inſtituti non eſt, omnium Veterum Patrum conſenſum contemptim faſtidioſeque repudiare: ac non ſolùm non frangi, ſed ne commoveri quidem eorum authoritate. Nam vix ulli Authori bono malove ante Calvinum venit in mentem, ut diceret, hoc loco de Euchariſtia non agi. Molinæus fol. 1023. urget Canonem ut quid Diſt. 2. de Conſec. *Ut quid paras dentes & ventrem, crede & manducaſti &c.* Reſpon. eſto S. Auguſtinus (ex quo canon iſte excerptus eſt) in iſto c. 6. intellexerit ſpiritualem fidei manducationem: poſtea tamen in Lib. contra Pelagianos retractavit, ſententiam ſuam mutans, & varios Chriſti ſermones clarè de reali & Sacramentali manducatione explicans, ut videre eſt Tom. 2. Epiſt. 106. ad Bonifacium, vel (ut alij libri) ad Paulinum. Epiſt. 107. ad Vitalem. In ſententia 8. contra Pelag. Tom. 4. L. 3. de conſenſu Evang. c. 1. Tom. 7. L. 1. de peccat. meritis & remiſſ. c. 20. Et eod. tom. 7. Lib. 1. contra Julian. c. 4. ad finem. Tom. 10. ſerm. 2. de verbis Apoſt, c. 1. &c. Itaque Auguſtino juniori opponimus ſeniorem. Quamvis etiam S. Pater idem caput. 6. uſque ad vers. 51. de manducatione ſpirituali fidei intellexerit juxta can. cit. non tamen ſequitur, eundem ſequentia Chriſti verba ſic quoque accepiſſe, ut bene advertit Bellarm. L. 1. de Sac. Euchar. c. 7. §. ad alia duo. Quemadmodum enim Chriſtus à pane, quo aliquot hominum milia miraculoſè pavit, paulatim proceſſit ad panem, quo Moyſes Judæos in deſerto aluit, & ab iſto ulterius ad ſpiritualem fidei manducationem Corporis & ſanguinis ſui aſcendit, ita tandem ad realem & Sacramentalem manducationem pervenit, dum dixit v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quod Auguſtinus non ſolùm nunquam negavit, ſed in adductis textibus etiam confirmavit. Videantur Suarez Tom. 3. in 3. p. D. 46. G. 2. Coninck & alij.

XXXVI. Quod Matth. 26. Chriſtus non uſus fuerit verbo Est, apertè falſum eſt, & contra omnes Authores; quippe Hebræis minimè deſunt verba & modi, quibus tempus præſens & identitatem inter ſubjectum & prædicatum ita exprimant, ut nullus de hac ſignificatione dubitandi ſit locus; quomodo enim aliàs dici potuiſſet Exod. 3. v. 14. *Ego ſum, qui ſum. Aut, ſic dices Filijs Iſrael: qui eſt, miſit me ad vos &c.* Quod autem verbum *Eſt* non ſumatur propriè, ſed impropriè pro *ſignificat*, non minùs falſum eſt. Unde hac de re ſic ſcribit nominatus Maldonatus in cit. cap. 26. Matthæi: *Nego verbum ſubſtantivum Eſt aut latinè, aut græcè, aut hebraicè, aut ullâ prorſus in lingua, quam ego noverim, aut in ſacris litteris aut apud ullum alium Authorem etiam apud ipſos hæreticos pro verbo Significat accipi ſolere, aut etiam poſſe, hominéſque imperitiſſimos, qui id dicunt, eſſe affirmo.* Nam in omnibus illis figuratis locutionibus, quæ ab iſtis afferuntur, vel ab ullo afferri aut excogitari poſſunt, ſi quæ figura eſt, non hæret in verbo Subſtantivo Eſt, ſed aut in prædicato aut in ſubjecto, aut in verbis non ſubſtantivis, ut ridet pratum v. g. cum dico: *Agnus eſt Paſcha*, figura eſt in nomine Paſchæ, quod nomen non ſumitur propriè pro tranſitu, ſed pro agno, qui tranſitum ſignificabat. Similiter, quando *Chriſtus* 1. Corinth. 10. v. 4. *dicitur Petra*, figura eſt in nomine Petræ, quia Chriſtus non eſt verè petra ſeu rupes, ſicuti non eſt verè vitis, leo &c. ſed ſimilitudine quâdam, quia Eccleſiæ fundamentum erat. Et ita de cæteris. Manet ergo, verbum Eſt ſemper ſubſtantiam ſeu extremorum nexum, unionem, & copulam denotare; quod etiam ſenſit Ariſtot. Lib. de Interpret. c. 3. Quod 1. Corinth. 11. ex minis Apoſtoli rectè realis Chriſti præſentia probetur, conſtat clarè ex ipſis verbis Apoſtoli, qui affirmat, eos peccare, quod Corpus Domini non dividicent, nullâ Symbolorum factâ mentione, ut obſervant Patres Cyprianus, Chryſoſtom. Anſelmus & alij. Adhæc nonne clariores olim figuræ & imagines Chriſti erant victimæ Legales, quàm eſſent panis & vinum, ſi in ſolam Chriſti memoriam benedicerentur, & comederentur? & tamen nullæ leguntur minæ contra eos, qui indignè illas ſumpſerint; licet Deus in Judæos ob idololatriam, ob murmura, ob ſeditiones, & ob alia graviſſima ſcelera ſæpe ſævierit. Quod demum Paulus non ita minetur accipientibus alia Sacramenta indignè, quantumvis etiam mortaliter peccent, hoc ipſo manifeſtè indicat præſtantiam hujus Sacramenti, quod non gratiam ſanctificantem, ſed omnes Sanctitatis Fontem ipſum Chriſtum in ſe contineat. Non taceam, Calvinum ſuo ſe gladio jugulare; Nam ſi rei fiunt corporis & ſanguinis Chriſti, qui panem & vinum benedicta, licet ſolùm ſigna & figuras Chriſti, indignè ſumunt, pari modo ipſe ejuſque ſequaces Iconoclaſtæ rei ſunt violati corporis Chriſti, quoties alias Chriſti Imagines violant, temerant, contemnunt. Et ſic incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin.

XXXVII. Deinde quod Sectarij SS. Patres ita contemnant, & ſuum judicium illis præponant, magnam temeritatem & arrogantiam arguit. Nam quamvis ſinguli homines ſint fallibiles, tamen tot & tam doctos ac pios ſimul erraſſe, non eſt credibile. Falſum autem eſt, quod inter ſe diſſentiant, ſi rectè intelligantur, ut ſupra expoſuimus. Et palpabile eſt mendacium Calvini, quod omnes vetuſti Scriptores intra quinque prima ſæcula Sacramentarijs patrocinentur. Quod mendacium nec ipſi Calviniani tegere, imò ferre

poſſunt;

Digitized by Google

poſſunt; unde Hieronymus Zanchius inter Proceres Sacramentarios haud poſtremus candidè omnium Confratrum Evangelicorum nomine profeſſus eſt: *Patres jactamus, cum nihil minùs quàm illorum doctrinam ſequi velimus.* Fratres etiam Remonſtratenſes doctrinam ſuam ab antiquis Scriptoribus prorſus alienam advertentes in vindicijs ſuis fol. 82. ſcribere non erubuerunt: *Antiquitatis Eccleſiaſticæ authoritate pugnare non eſt Reformatorum, ſed Pontificiorum: & ex Patrum erroribus Religionis Pontificiæ centonem conſutum eſſe.* Ecce quos Calvinus falsè pro ſe jactat antiquæ Eccleſiæ Patres: hos Calviniſtæ ſtolidè errorum damnant. *Nam ſi Sapientiam Antiquorum exquirit Sapiens* Eccleſiaſt. 39. v. 1. inſipientes ac ſtulti ſint oportet Sacramentarij, qui Antiquorum Patrum doctrinam negligunt, repellunt ac contemnunt.

XXXVIII. Demum quod Sacramentarij miracula, ex quibus præclariſſimis & innumeris DEUS omnibus ſæculis fidem de præſentia ſui Corporis in Euchariſtia comprobavit, à nobis conficta calumnientur, graviſſima eſt injuria; poſſunt enim legitimis teſtibus probari, inter quos nonnunquam præſentes fuerunt ipſi hæretici, è quibus inprimis famoſus eſt ille, quem D. Antonius de Padua ad ſaniorem mentem reduxit; cum enim mulus impij à negato aliquàm-multis diebus, ſed præbito demum lautè pabulo ad Antonium vocatus accurriſſet, ſanctiúſque Epulum pronus in pedes adoraſſet, ſapere à jumento ſuos etiam Dominus didicit, & Chriſtum in Sacra Euchariſtia præſentem credidit, & adoravit. Quod autem prodigia, quæ negari non poſſunt, dæmoni adſcribantur, horrenda blaſphemia eſt in Spiritum Sanctum, Chriſto Judice, cujus miracula cum Phariſæi (quos hac in parte hæretici imitantur) diabulo attribuiſſent Matth. 12. v. 24. arguit illos peccati in Spiritum S. & quidem irremiſſibilis, ſic enim ait vers. 32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Atque hæc videtur ratio inconvertibilis pertinaciæ hæreticorum, quod Spiritum S. blaſphement, miracula dæmoni adſcribendo. Nec apud homines ſatis eſt, aliquem vocare magum, ſed oportet probare. Quibus autem argumentis probabunt, miracula Catholicorum eſſe magica? quodnam indicium commercij diabolici, quod nunquam poteſt ita abſcondi, quin ſe prodat vel expreſsâ invocatine dæmonis, vel ineptis & ridiculis geſtibus &c? Cæterùm fatemur, ex eo, quod ſint miracula, non ſequi, Chriſti corpus naturaliter adeſſe: ſequitur tamen adeſſe, fidémque noſtram de præſentia corporis ejus indubitatam eſſe, quam miracula conteſtantur. Quoad id, quod doctrina non ſit ex miraculis æſtimanda. Dicimus 1. fidem non inniti miraculis, ſed primæ Veritati Revelantis. 2. miraculis nos induci ad perſuadendum nobis, hocipſum à Deo fuiſſe revelatum. 3. falſam doctrinam nunquam hactenus veris miraculis eſſe confirmatam; unde nullus hæreticorum hoc ornamentum doctrinæ ſuæ adhibere poteſt, quantumvis vehementer conetur. Antichriſtus ejuſque Propheta ſigna edent; ſed falſa, & ut Paulus 2. Theſſal. 2. v. 10. loquitur, *mendacia*, qualia à ſagis, veneficis, & id genus diabolicis hominibus diabolicâ virtute quotidie eduntur.

XXXIX. *Error ſecundus eſt*, Chriſtum in Euchariſtia eſſe quidem verè ac realiter præſentem, ſed in Hoſtia ſolum ejus corpus, in calice verò ſolum ejuſdem ſanguinem. Ita Tilmannus Heſhuſius Lib. de ſexcent. errorib. Pontif. tit. 17. err. 4. & 18. Hermannus Hamelmannus Lib de Commun. ſub utraque ſpecie. Illyricus in Lib. contra Sacramentorios, & nonnulli ex primis Lutheri aſſeclis. Probant. Tum quia plus non adeſt in hoc Sacramento, quàm Chriſtus ſuis verbis expreſſerit. Sed tantùm expreſſit in pane Corpus ſuum: & in calice ſanguinem. Ergo &c. Cur enim Chriſtus cætera tacuiſſet, ſi plura adeſſent? cur non dixiſſet: hic ſum ego? nam ſiquis alteri donet equum, non dicit, ſe donare corpus & ſanguinem equi, ſed totum equum. Tum quia ſi in una ſpecie totus eſſet Chriſtus, tunc altera ſpecies eſſet ſupervacanea; quemadmodum ſi in uno libro omnia continerentur, fruſtra libri multiplicarentur. Tum quia ſi totus Chriſtus eſſet in qualibet ſpecie, tum ſanguis ejus in Hoſtia comederetur, & corpus in calice biberetur, quod eſt abſurdum. Tum quia concomitantia illa & connexio corporis & ſanguinis nullum habet fundamentum; etenim unio hypoſtatica cum divinitate non importat hanc connexionem, ut ubicunque ſit corpus, ibi etiam ſit ſanguis, & viciſſim; ſiquidem divinitas eſt unita humanitati, & tamen non ſequitur, ubicunque eſt divinitas, ibi eſſe etiam humanitatem. Ergo etiam non ſequitur, ubicunque eſt Corpus, ibi etiam eſſe ſanguinem, ſicuti hominis caput eſt unitum animæ, & tamen anima rationalis eſt in pede, ubi non eſt caput.

XL. Error iſte Chriſtum quaſi occidit, ſæpiúſque hic iterum mori debet contra illud Pauli ad Roman. 6. v. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* At ſi corpus exanimum & exangue foret, mortuum eſſet. Utrum autem DEUS abſolutâ ſua potentiâ facere poſſit, ut Corpus Chriſti ſine anima ſub ſpecie panis exiſtat, huc non ſpectat; cum non inquiramus, quid DEUS abſolutè facere poſſit, ſi vellet, ſed quid ſit facturus, & quid reipsâ faciat. Ille autem nec facit, nec unquam facturus eſt, ut Chriſti corpus alicubi reperiatur mortuum; id quod nobis ex revelatione divina Paulo facta conſtat. Eundem errorem reijciunt Concilia & Patres apud Gregor. de Valentia Tom. 4. D. 6. Q. 4. pun. 2. ubi etiam adducit Galatinum, qui Lib. 10. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 6. ſententiam commemorat cujuſdam Rabini Chana nomine, qui ante Chriſtum natum ſcripſit ſuper cap. 49. Genes. *Panem converti in ſubſtantiam ipſius Meſſiæ*; unde ſequeretur, totum Meſſiam ſub ſpecie panis contineri. Argumenta Sectariorum nihil convincunt.

XLI. Reſpon. ad 1. negando Maj. nam eſt conſuetus modus loquendi, ut unâ parte expreſsâ cæteræ ſubintelligantur. v. g. dicimus, belli Ducem inſigni victoriâ potitum, ſcil. cum ſuo exercitu, ſine quo nihil effeciſſet. Cur autem Chriſtus tantùm corpus, vel ſanguinem expreſſerit tacitis cæteris partibus cauſa fuit, quia effuſionem ſanguinis ſui verbali quâdam ſeparatione inſinuare voluit, ut audito ſolùm corpore, poſtea ſanguine, mortem illius cogitaremus. Ad 2. quamvis in unica ſpecie ſit totus Chriſtus, tamen alteram ſpe-

Digitized by Google

ram ſpeciem non eſſe ſuperfluam, quia utráque ſimul ſumpta excitat memoriam paſſionis, ut recèns diximus. Multorum etiam ſententia eſt, utramque ſpeciem plus conferre gratiæ, de quo infra. Ad 3. negando ſequelam; quia comeſtio & potatio potius denominantur à re ſumpta, quam à modo ſumendi; nam ſi cibus ſumatur per modum potûs ſorbendo v. g. jentaculum, tamen propriè non bibitur, ſed comeditur: è contra ſi potus ſumatur per modum cibi v. g. vinum è ſcutella cochlearibus hauriendo, tamen propriè non comeditur, ſed bibitur. Ita corpus Chriſti in calice comeditur, & non bibitur: Sanguis autem in Hoſtia bibitur, & non comeditur; quantumvis ſit tantùm quæſtio de nomine, nec magnum abſurdum foret concedere, corpus Chriſti bibi; & ſanguinem manducari, quando ſub ſpeciebus potûs & cibi ſumuntur. Ad 4. concomitantiam & connexionem corporis & ſanguinis Chriſti non fundari in unione hypoſtatica, ſed in immortalitate Chriſti, cui repugnat illarum partium ſeparatio. Nam corpus ſine ſanguine & anima eſt mortuum: ſanguis ſine corpore & anima eſt ſimilis mortuo quaſi per phlebotomiam emiſſus.

XLII. *Error tertius eſt*, Chriſtum in ipſa solùm ſumptione, ſeu actu communionis eſſe realiter præſentem in Euchariſtia. Ita Bucerus apud Cochlæum Lib. 3. Miſcellan. tr. 8. quem deinde ſecuti ſunt Lutherus, Melanchthon, Brencius, Illyricus & Lutherani omnes, ut videre eſt apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. fol. 1020. Ipſe etiam Calvinus & Petrus Martyr, aliíque Sacramentarij omnes illud ſuum Sacramentum volunt tantùm in uſu conſiſtere apud Ameſium Tom. 3. fol. 140. Differunt tamen, quod Calviniani ſolùm velint eſſe Sacramentum, dum editur & bibitur: Lutherani verò dicant, Sacramentum & corpus manere in tota actione cœnæ Domini, id eſt, dum panis benedicitur, frangitur, diſtribuitur, imò etiam dum ex ipſa cœna continuò defertur ad ægrotos vel ad abſentes: Addunt nonnulli toto triduo poſſe ſervari propter ægrotos apud Bellarminum Lib. 4. de Euch. cap. 1. Probant. Tum quia Evangeliſtæ ſcribunt, inter comeſtionem omnia peracta fuiſſe à Chriſto æquè ac Diſcipulis; ſic enim loquitur Matth. c. 26. v. 26. *Accepit JESUS panem & benedixit: ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Ergo corpus Chriſti tantùm fit, quando panis ſumitur. Tum quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad uſum communionis. Ergo extra uſum communionis non ſubſiſtit, ſicuti etiam in menſam prophanam non inferuntur fercula niſi tempore comeſtionis. Tum quia Baptiſmus extra actionem non manet Sacramentum. Ergo nec Euchariſtia extra uſum. Tum quia ubi non eſt inſtitutio Chriſti, ibi non eſt Euchariſtia. Extra uſum panis & calicis non eſt inſtitutio Chriſti. Ergo nec Euchariſtia.

XLIII. Error iſte à Concilio Tridentino Seſſ. 13. c. 3. & 6. Et can. 4. & 7. damnatur, & juremeritiſſimo. Nam 1. Verba Chriſti falſitatis arguit, cum ante communionem dixerit, hoc eſſe ſuum Corpus & Sanguinem. Quia ſtatim ac pronunciata fuerant, vera erant; hoc quippe requiritur ad veritatem orationis de præſenti; vera autem fuerunt illa verba, quia erant operativa ejus, quod Apoſtoli manducaturi erant: ac inſuper continebant cauſam manducandi. Ergo prius prolata eſſe oportebat, quocunque demum ordine ab Evangeliſtis alioqui referantur. 2. verbis Apoſtoli repugnat 1. Corinth. 10. v. 15. ubi rurſum ſignificatur, jam tunc, cum panis frangitur, & benedicitur calix, adeſſe Chriſtum. Ergo eſt præſens etiam ante & extra uſum ſeu ſumptionem. 3. adverſatur pronunciato illi D. Auguſtini Tract. 80. in Joannem: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Nam per hoc indicatur, ſtatim ac legitima verba, circa materiam Sacramenti pronunciata ſunt, ſubſiſtere Sacramentum. Sed in propoſito ex ipſo verborum ſenſu, qui ab uſu abſtrahit, verba ritè ad elementum ſeu materiam conſecrabilem accedunt ante & extra uſum. Ergo etiam ante & extra uſum fit Sacramentum; quod inde confirmatur. Kemnitius 2. part. exam. Seſſ. 13. can. 3. & 6. Gerhardus loc. cit. alijque Lutherani fatentur, tempore intermedio inter diſtributionem & manducationem eſſe ac permanere Sacramentum. Ergo permanebit etiam, ſiquis aliquamdiu v. g. per dimidium quadrantem acceptæ hoſtiæ manducationem differat. At ſi per medium, cur non per integrum quadrantem? cur non per horam, diem, hebdomadem, menſem &c. Certè quicunque terminus conſtituetur Sacramento, arbitrarius, fictus non è ratione poſitus erit. Argumenta vilia ſunt, nihilque probant.

XLIV. Reſpon. ad 1. non ex verborum ordine, ut jam inſinuavi, ſed etiam ex ſenſu colligendum eſſe, quid factum ſit. Cum ergo in his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, & *Hic eſt Sanguis meus*; contineatur ratio, cur Apoſtoli bibere & comedere debuerint, ut innuit particula *enim*, omnino dicendum eſt, hæc verba præceſſiſſe comeſtionem, & bibitionem, ut evidenter conſtat ex Marco c. 14. v. 23. ubi dicitur: *Accepto calice gratias agens, dedit eis; & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* In quibus ſi verborum ordinem ſequamur, neceſſariò dicendum erit, iſta verba (hic eſt ſanguis meus) poſt bibendi actionem fuiſſe dicta, atque ita Apoſtolos non ſanguinem, ſed vinum ſolummodo bibiſſe, nec aliquid per pronomen hic fuiſſe ſubſtitutum, quod ut abſurdum nemo dicet. Ad 2. Inprimis falſum eſſe, hoc Sacramentum tantùm inſtitutum eſſe ad uſum communionis. Nam voluit Chriſtus extra communionem continuâ ſua præſentiâ jugem ſui memoriam excitare; & refugium in tribulationibus offerre, ſicuti in Veteri Teſtamento in templo ſupra menſam ſemper exponebantur 12. panes propoſitionis in perpetuam memoriam illius beneficij, quo populus Judaicus in deſerto 40. annis pane cœleſti fuit nutritus. Levit. 24. v. 8. Deinde licet concederemus, unicum finem hujus Sacramenti eſſe communionem, tamen nihilominus poſſet aſſervari in futuros uſus; v. g. pro communione morientium, ſicuti prophani panes diu aſſervantur ad futuram commeſtionem. Ad 3. negando conſequentiam. Nam Baptiſmus in re tranſeunte: Euchariſtia in permanente conſiſtit; quia baptiſmi Sacramentum non conſiſtit in aqua, quæ eſt res permanens, ſed in ablutione per aquam cum verbis facta; eſt quippe, ut diximus, lavacrum aquæ in verbo vitæ: Euchariſtiæ verò Sacramentum non conſiſtit in acceptione ſola vel manducatione aut benedictione vel ſola fractione, ſed in pane ſanctificato, quæ eſt res permanens, nec deſinit, etiamſi nemo illâ utatur. Sic & cætera Sacramenta in actione conſiſtere, ipſâ

tamen accidentia humani corporis non ſunt in dæmone, ſed in homine. Probatur 2. authoritate Patrum, quos magno numero aſſerunt Card. Bellarmin. Lib. 3. de Euchariſtia c. 2. & Bernardinus Vetweis fol. 668. in Specul. Eccleſiæ. Sufficiat nobis Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 3. Myſtogogica: ubi ait: *Panis Euchariſtiæ poſt Spiritûs invocationem non amplius eſt panis, ſed Corpus Chriſti.* Et Catech. 4. *hoc ſcias & pro certiſſimo habeas, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti: & vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtûs vinum eſſe credatur, non tamen vinum, ſed eſſe ſanguinem Chriſti.* En abſentiam ſubſtantiæ panis, manente colore & ſapore, ac proinde integram tranſubſtantiationem! Ad modum Cyrilli ſcribit antiquus Author apud S. Cyprianum de cœna Domini: *Panis iſte*, inquit, *quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi factus eſt caro.* S. Auguſtinus Serm. quem Beda citat. in c. 10. 1. Corith. ait: *Non omnis panis, ſed accipiens benedictionem Chriſti, fit corpus Chriſti.* Hunc in modum præter Bellarminum cit. producunt Suarez, Valentia, Vaſquez, Gualterius in erudita chronologia ſua, Coccius aliique per omnes ab Apoſtolis ætates ad Lutherum uſque teſtimonia Patrum, in quibus Mutatio, Converſio, Transformatio exprimitur, & panis in Corpus Chriſti, & Vini in ſanguinem converſio aſſeritur, quibus verbis Patres idem ſignificant, quod Eccleſia Tranſubſtantiationis nomine & claritatis causâ appellat. Videri etiam poteſt Papatus Catholicus P. Kelleri, ubi Tom. 2. à fol. 555. clariſſima Patrum teſtimonia pro tranſubſtantiatione adducuntur. Addo Dominos à Walenburch Tom. 2. à fol. 694. ubi ſententia D. Cyrilli Hieroſolymitani: atque ex hujus approbatione Bellarminus defenditur.

IV. Prob. 3. ratione. Quia omnia requiſita ad veram converſionem hic reperiuntur. Nam adeſt deſitio unius & poſitio alterius: oritur deſitio termini à quo ex poſitione termini ad quem: remanet aliquid commune utrique termino, in ordine ad quod uterque terminus repugnat: uterque terminus eſt realis & poſitivus, cui ex priore conditione non deeſt munus commune; quippe præcedit ſubſtantia panis & vini: deinde ſupervenit Corpus & Sanguis Chriſti, quæ repugnant ſubſtantiæ panis & vini; quia accidentia iſtorum avellunt, & ſibi approprianr; quibus ſubſtantia panis & vini deſtituta interit: denique remanent accidentia ſenſibilia panis & vini, quæ Chriſtus certo modo inferius explicando ſibi agglutinat. Probatur denique 4. ex conſenſu Eccleſiæ, quæ omnibus retro ſæculis docuit, conſecratione Naturam ipſam mutari: Sermonem Chriſti ſpecies mutare elementorum: non minus eſſe, dare naturas novas, quàm mutare naturam. Audiamus D. Ambroſium Lib. de ijs, quæ initiantur myſterijs cap. 9. *Probemus*, inquit, *non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, majorémque vim eſſe benedictionis, quàm naturæ; quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens, &c.* Et paulo poſt. *Quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba Domini Salvatoris ipſa operantur? Nam Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti: quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus eſt, novas naturas rebus dare, quàm mutare naturas.* Hæc Ambroſius, cujus clariſſimam de tranſubſtantiatione Euchariſtica doctrinam nullus unquam ex tota Antiquitate erroris arguit, aut refellit. Ergo jam ante 1200. annos pro vera Catholica doctrina fuit agnita. Diverſæ etiam definitiones Conciliorum ab annis quingentis videri poſſunt apud Cardinalem Bellarminum loc. cit. cap. 21. Ab Eccleſia Latina quoad iſtud punctum nunquam diſſentiſſe Eccleſiam Græcam, oſtendunt apertè DD. à Walenburg Tom. 2. cit. à fol. 29. contra Sectarios, qui oppoſitam ſuam opinionem imperitis Eccleſiæ Græcæ conformem eſſe doloſè perſuadere laborant. Quomodo autem fieri poteſt, ut Eccleſia univerſa tam Latina quàm Græca tot ſæculis in graviſſimo errore verſata fuerit: & non potius decipiantur, qui in eam temere inſurgunt hæretici?

V. Dicunt Sectarij. Rectè dicere poſſumus: hic homo eſt DEUS: & DEUS eſt hic homo, licet nec DEUS in hominem, nec homo in DEUM convertatur. Ergo etiam panis & corpus Chriſti poſſunt de ſeinvicem prædicari. Reſpon. Conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Nam licet verè DEUS de homine & viciſſim prædicetur, id tamen non fit vi tranſubſtantiationis alicujus, qualis nulla hic intervenit, ſed propter unionem hypoſtaticam, quâ Perſona Verbi cum humana natura unitur. Urgent. etiam hic intercedere aliquam unionem Sacramentalem inter panem & corpus, ratione cujus poteſt unum de altero prædicari, & hæc propoſitio (panis Sacramentaliter eſt corpus Chriſti) verificari poteſt. Reſp. Tò Sacramentaliter vel ſignificare, panem eſſe figuratè Corpus Chriſti, vel verè ac propriè; non 1. ne Lutherani (quorum eſt hoc argumentum) incidant in Calviniſmum: non 2. quia licet corpus ibi præſens fieret per modum ſimplicis commutationis cum pane, inde tamen non efficeretur, ut corpus Chriſti realiter de pane prædicaretur, ſiquidem anima prædicari nequit de corpore; quantumvis huic uniatur. Inſtant, quando marſupium pecunijs plenum oſtendo, verè dico: hoc eſt pecunia. Ergo etiam, quando demonſtro panem, in quo eſt corpus Chriſti, dici verè poteſt: hoc eſt corpus Chriſti. Reſp. negando paritatem. Tum quia corpus non eſt in pane, ſicuti in marſupio pecunia. Tum quia locutio illa, quando oſtendo marſupium dicendo: hoc eſt peccunia, eſt tantùm tropica & moralis, qualis non eſt iſta: hoc eſt corpus meum. Inferunt. Si neceſſaria ſit Tranſubſtantiatio, ut hæc propoſitio ſit vera: Hoc eſt corpus meum, ne videlicet per particulam Hoc demonſtretur ſubſtantia panis, fieri etiam debuit tranſaccidentatio, ne ſcil. per particulam Hoc demonſtrarentur accidentia, ac ſenſus ſit: hoc album eſt corpus meum. Sed hoc non fit. Ergo nec illud. Reſp. negando illationem; quia demonſtratâ re aliquâ pronomen Hoc nunquam ſupponitur pro accidente, ſed ſubſtantia, niſi accidens expreſsè determinetur.

VI. *Doctrina tertia.* In hac Tranſubſtantiatione fiunt multa ſingularia, quæ in naturalibus converſionibus non reperiuntur, quam idcirco ſupra diximus miraculoſam. Explicatur. *Primò* in alijs converſionibus compoſiti deſtructi remanet materia

teria prima, & in eam nova forma ſubſtantialis introducitur, ſicque fit novum compoſitum v. g. quando Chriſtus in Cana Galileæ aquam in vinum convertit, forma quidem ſubſtantialis aquæ perijt, ſed ejus materia remanſit, & in eam eſt introducta forma vini. In Euchariſtia verò tota ſubſtantia panis & vini perijt etiam quoad materiam ſolis accidentibus relictis, ut docet Tridentinum loc. cit. Cauſa illius deſtructiva eſt ſubtractio omnium accidentium, ſine quibus foret prorſus inutilis; DEUS enim & creatura nihil agunt fruſtra, & quando in eum ſtatum devenit, ut amplius non ſit uſui, DEUS quaſi ſubtractâ manu conſervatrice ſinit eam perire. Sicut ergo Formæ ſubſtantiales ad operandum deſtinatæ (etenim juxta Philoſophos eſſe eſt propter operari) quando fiunt inutiles ad operandum amiſſis aut debilitatis viribus, ſeu inſtrumentis intereunt, ita materia prima ad patiendum facta, ut formas ſubſtantiales ſuſtineat, quando fit inutilis ad hanc ſuſtentationem, deſinit; fit autem inutilis amiſsâ quantitate; quippe redditur hocipſo incapax omnium diſpoſitionū quantitati inhærentium, & conſequenter omnium formarum ſubſtantialium. At in Euchariſtia amittit quantitatē, ſiquidē Chriſtus hanc ab illa materia avellit, ideóque perit, & quidē ita, ut nec alibi in rerum natura permaneat, ut teſte Arriaga Diſp. 35. de Euch. n. 24. omnes fere Theologi ſupponunt; quæ enim ratio alia ipſi dandi accidentia? Quæſtio autem nominis eſt, an hæc deſitio poſſit & debeat annihilatio dici? Probabilior opinio negat, veram eſſe annihilationem; non quod hæc deſitio propriè dicta corruptio ſit (cum nihil ſubſtantiale utrique commune remaneat) ſed quia ſubſtantia panis non ita abit in nihilum, ut in ipſo nihilo ſiſtatur; etenim ejus deſitio non tendit ad purum nihil, ſed ad corpus Chriſti, in quod convertitur. Atque hic modus loquendi videtur conformior SS. Patribus, qui in hoc myſterio utuntur nominibus converſionis, mutationis, tranſmutationis &c. agendo de pane, qui deſinit.

VII. *Secundò.* In alijs converſionibus intervenit contrarietas diſpoſitionum, & dum novæ diſpoſitiones pro forma nova à cauſa potentiori in materiam introducuntur, cedere debent antiquæ diſpoſitiones contrariæ debiliores, ijſque ſublatis forma interit, v. g. quando lignum comburitur, introducitur in materiam ligni calor pellens naturalem craſſitiem ac duritiem, ideo forma ligni ſuis privata qualitatibus concidit. At in Euchariſtia non apparet talis contrarietas; cum enim Chriſtus ſuas naturales diſpoſitiones cum propria materia ſui corporis afferat, non eſt opus, alias diſpoſitiones ex alia materia pellere, cum bene poſſint conſiſtere qualitates contrariæ in ſubjectis ac materijs diverſis. Unde repugnantia ſeu contrarietas inter Chriſtum & Panem ac Vinum potius eſt moralis, quàm phyſica, ſcil. inter infallibilem Chriſti veritatem, quæ manifeſtè violaretur, ſi panis ac vinum præſentia manerent; etenim ſupra illa caderent demonſtrationes, & verba Chriſti dicentis: *Hoc eſt corpum meum: Hic eſt ſanguis meus*, fierent falſa, quod eſt impoſſibile. Debent igitur cedere divinæ Veritati, & perire juxta dictum Chriſti Matth. 24. v. 35. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, id eſt, potius cælum & terra deberent perire, quàm veritas meorum verborum, quantô magis panis & Vinum?

VIII. *Tertiò.* In alijs converſionibus Accidentia ex priori ſuppoſito reſidua remanent in ſuo priſtino ſubjecto, ſcil. materia prima, cui quantitas immediatè, & hâc mediante cætera inhærent. Hic verò in reliquis quidem accidentibus Euchariſtiæ nullum fit miraculum; quia retinent ſuum naturale ſubjectum, cui immediatè inhærent, ſcil. quantitatem: hæc autem ſola miraculosè ſine omni ſubjecto conſervatur, prout neceſſarium eſt ad veritatem verborum Chriſti. Nam ſi quantitas maneret in priſtina materia panis & vini, iſta demonſtraretur, non Chriſtus; ſicut quando Corpus Chriſti penetrativè erat in lapide ſepulchrali, ſiquis tunc lapidem digito monſtraſſet, verè dicere non poterat, hoc eſt Corpus Chriſti, ſed tantùm, hoc eſt lapis, quia, ut diximus, accidentia, quæ apparent, ſolùm demonſtrant ſubſtantiam, cui illa adhærent, non verò eam, quæ ſub ijſdem inviſibiliter latet.

IX. *Quartò.* Ad converſionem ſatis non eſt, aliam rem deſtruere, & ejus locum occupare, ſed oportet etiam ſuccedere in officio vel relictam materiam informando, vel ejus accidentia aſſumendo v. g. cum ex aqua fit vinum, in vino remanet fluidas aquæ; & inde fit vinum fluidum. Cum igitur Chriſtus in Euchariſtia non aſſumat accidentia, nec ab illis informetur aut denominetur rotundus, candidus, fluidus, ſapidus &c. alio id modo præſtat, unione ſcil. quâdam inter corpus & ſpecies; quæ unio ex probabiliore ſententia Suarez Diſp. 47. Sect. 8. Cardinal. Lugo D. 6. de Euchariſt. n. 19. & aliorum Theologorum eſt effectiva, & conſiſtit inprimis in actione creativa, quâ Corpus Chriſti elevatum ſuſtentet accidentia, ſupplendo concurſum & ſuſtentationem panis, non quidem in genere cauſæ materialis, ſed efficientis; cum enim ad ſubſtantiam tanquam primam radicem ſuſtentationis pertineat, ſuſtentare accidentia, cenſetur Chriſtus ſeu corpus Chriſti ſuccedere ſubſtantiæ panis in eodem munere, ſi accidentia panis ſaltem efficienter ſuſtententur. Quia verò ſuſtentatio in genere cauſæ Efficientis (ſecus eſt in genere cauſæ materialis) non neceſſariò importat penetrationem ſeu intimam cum accidentibus præſentiam (quod tamen requiritur ad hoc, ut corpus Chriſti dicatur ſub illis accidentibus contineri, & per illa demonſtrari) idcirco addunt inſuper citati Theologi, ad hanc unionem requiri, ut corpus Chriſti intimè ſit accidentibus præſens, perinde ac ſi iſta naturaliter ſuſtentaret, adeóque admittunt etiam quandam inter ſpecies & corpus Chriſti alligationem, vi cujus motis ſpeciebus conſequenter etiam moveri debeat corpus Chriſti tam bene, quàm ſi hæc duo phyſicè inter ſe unirentur. Difficile tamen explicatu eſt, in quo hæc alligatio conſiſtat. Probabiliſſimum mihi videtur, accidentia abſque alia ſuperaddita qualitate ita conſervari à corpore Chriſti, ut hæc Actio inſeparabiliter intimam corporis Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus exigat, reſpiciátque decretum DEI, quo ſtatuit, Chriſtum elevare ad conſervanda accidentia, & ſimul ad continuam præſentiam ejuſdem ſub iſtis, ut proinde Chriſtus motis ſpeciebus per impulſum ſoli quantitati impreſſum cum iſtis abſque alia ſua immutatione etiam ipſe moveatur.

Digitized by Google

tur. Hinc infertur, omnes denominationes, quæ præciſè innuunt ordinem ad locum v. g. moveri, quieſcere propriè dici de Chriſto: non autem ſtare, ſedere; quia ad hoc partes extra partes habere deberet. Plura de hoc Scholaſtici.

X. *Doctrina quarta.* Quomodo Chriſtus per conſecrationem eſſe incipiat in hoc Sacramento, Eccleſia nihil definivit, ſed reliquit Theologis exdiſputandum, qui inter ſe non conveniunt. Valentia, Bellarminus, Vaſquez, Turrianus, Lugo, Diſp. 7. de Euch. n. 21. Dicaſtillo D. 4. n. 118. Pallavicinus Lib. 6. n. 262. & alij volunt, adduci ſolùm Chriſtum, non eo ſenſu, quaſi motu locali de cœlo per medium aërem in altare devolvatur, ſed quod repente præſens fiat, ubi antea non fuerat, ac ſi de cælo deſcendiſſet. At verò P. Suarez Diſp. 50. de Euchariſt. Sect. 4. Coninck ad Quæſt. 74. art. 4. dub. 5. Tanner Quæſt. 4. dub. 5. Arriaga D. 1. de Generat. n. 17. Et de Euchariſt. D. 34. n. 4. Et rurſus Diſp. 35. à num. 17. & plures apud hos citati docent, Chriſtum per verba conſecrationis ſubſtantialiter produci, ſicuti in utero à Spiritu Sancto productus fuit, ita ut ſi ante non fuiſſet, vel eſſet, in Euchariſtia de novo inciperet eſſe; quia verò jam ante fuit, ac eſt, dicitur potius conſervari, quàm produci. Hæc poſterior ſententia mihi ſemper viſa eſt probabilior. Tum authoritate Patrum, qui ajunt ex pane corpus Chriſti in hoc Sacramento fieri, confici, creari &c. Verba eorum formalia & ad longum afferunt citati Theologi. Sufficiat modò S. Cyprianus ſerm. de cœna Domini ajens: *Uſque hodie veriſsimum & ſanctiſsimum Corpus ſuum creat.* Quid clarius pro doctrina noſtra dici poteſt? Sanctis Patribus conſentit S. Thomas Q. 65. art. 8. comparans creationem Euchariſticam cum creatione abſolutè, & ſolùm reperit hoc diſcrimen, quod in creatione nihil prorſus ſupponatur, in Euchariſtia autem ſupponantur accidentia. Ergo ſentit, ibi verè produci corpus Chriſti, & non præciſè ubicationem illius. Tum quia per hanc cauſalitatem ſubſtantialem optimè explicatur, quo pacto illa converſio ſit ſubſtantialis, veráque Tranſubſtantiatio, adjunctâ etiam Chriſti præſentiâ ſub ſpeciebus, & alligatione ad illas. Tum quia modus iſte ponendi Chriſtum per ſubſtantialem productionem eſt nobilior, quàm per productionem ſolius præſentiæ ſeu ubicationis; ſiquidem & hanc præſentiam dicit, & aliquid amplius; debemus autem, ſi commodè poſſumus, dicere, miracula à DEO fieri modo quàm decentiſſimo. Tum quia etiamſi verba Chriſti expreſsè non dicant hanc reproductionem, Patres tamen videntur eam inſinuaſſe, juxta quorum doctrinam Eccleſia illam productionem intellexit. Patrum autem teſtimonia adeo clara ſunt, ut P. Joannes Præpoſitus in 3 Part. Q. 75. ars. 2. cum aliqua expendiſſet, in hæc verba concludat: *Certè ſiquis nullâ ſit ſententiâ præoccupatus, advertátque, id divinæ Potentiæ non eſſe impoſsibile, ex his & ſimilibus Patrum locutionibus colliget, Corpus Chriſti per conſecrationem produci, & non ſolùm adduci*, ut prioris ſententiæ Authores volunt.

XI. *Doctrina quinta.* Speciebus Euchariſticis ita corruptis, ut ſubſtantiæ panis & vini conſervandæ non ſufficerent, Chriſtus, qui ejus vices ſubivit, deſinit adeſſe. Ita communiter Catholici. Deſinit autem Chriſtus non diſcedens motu locali, ſed ceſſans eſſe Sacramentaliter præſens, ſicut anima rationalis reſectũ brachium ceſſat informare, nõ tamen localiter diſcedit, nec interit, quippe immortalis, ſed amittit locum, præſentiam, & unionem cum brachio, ita Chriſtus deſerit ſpecies corruptas, uti ſupponit Eccleſia, quæ tales ſpecies non amplius veneratur, ſed comburit. Chriſti verò deſerentis loco accidentia ingreditur alia ſubſtantia novis diſpoſitionibus congrua v. g. ſanguis, pituita &c. quæ cum materiâ indigeat, DEUS miraculosè creat novam materiam, vel quod probabilius eſt, reproducit veterem. Ex his omnibus apparet, hoc Sacramentum eſſe miraculum, cui nihil in mundo ſimile reperitur, rectéque de illo dici, quod habetur Pſal. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, ſcam dedit timentibus ſe.* Ad quod cum non advertant animum hæretici, adeo graviter aberrant, ut jam patebit.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XII. **E**Rror *primus.* In Euchariſtia non fit Tranſubſtantiatio, hoc eſt, nec panis tranſubſtantiatur in Corpus Chriſti: nec vinum in ſanguinem. Ita hæretici, tam Calviniani apud Ameſium Tom. 3. à fol. 128. quàm Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. à fol. 975. qui omnes multis quidem Catholicam doctrinam cavillantur, pauca verò contra illam etiam levioris ponderis afferunt argumenta. 1. eſt ex illo D. Pauli 1. Cor. 10. v. 16. & 17. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Domini eſt.* Ex quo ſic argumentantur. Si panis participatio Corporis eſt. Ergo panis debet manere; aliàs non poſſet eſſe participatio corporis, quod enim non eſt amplius, non poteſt eſſe participatio alicujus exiſtentis. 2. ex eod. Apoſtolo 1. Cor. 11. ubi agens de pane primò quidem v. 24. panem verum naturalem intelligit. Ergo etiam deinde v. 27. quando dicit: quotieſcunque manducabitis panem hunc, Ergo manet in Euchariſtia panis. 3. Tranſubſtantiatio nullum habet fundamentum ſolidum, ſed eſt recens aliquod inventum ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi ann. 1215. excogitatum, ut rotundè profitetur Joannes Duns Scotus in 4. Sentent. Diſt. 11. q. 3. num. 3. & ſequentib. Unde Patres antiquiores præſertim Gelaſius Papa, Chryſoſtomus, & Theodoretus ajunt, poſt conſecrationem manere panem & vinum. 4. Quod à Chriſto fuit benedictum, non fuit deſtructum, ſed potius multiplicatum, ut conſtat ex multiplicatione panum Luc. 9. v. 16. Joan. 16. v. 11. Sed panis & vinum ante conſecrationem fuerunt benedicta à Chriſto Matth. 26. v. 26. Ergo non fuerunt deſtructa. 5. Quod in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini mutationes recipit ex qualibet occaſione, hoc eſt, alteratur, corrumpitur, à muribus devoratur, comburi poteſt, & in cineres verti &c. illud non interit, ſed manet. Sed ſubſtantia panis & vini prædictas mutationes recipit, ſiquidem iſtæ corpori Chriſti non conveniunt. Ergo ſubſtantia panis non interit, ſed manet. Ergo non fit Tranſubſtantiatio.

6. Si panis non adſit in Euchariſtia, falluntur ſenſus noſtri, & falſi aliquid in Sacramento veritatis ineſt. 7. Si propter hæc verba Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, deberet corrumpi panis & converti in corpus Chriſti, tunc propter ſimilia verba Chriſti ad Petrum Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* debuiſſet Petrus corrumpi, & in lapidem converti, quod eſt ridiculum.

XIII. Scire ex Adverſarijs aveo, num credant inprimis illud Salvatoris primum miraculum in Nuptijs Canæ Galileæ patratum, quando ſubſtantia aquæ in ſubſtantiam vini divinâ virtute fuit converſa, de qua Joan. 2. deinde num credant converſionem illam itidem miraculoſam, quâ fæminea caro uxoris Loth in ſtatuam & ſubſtantiam ſalis verſa eſt, teſte Moyſe Gen. 19? demum omiſſis alijs num credant miraculoſam illam ligni inanimati in animatum ſerpentem converſionem, quæ contigit divinâ virtute in virga lignea Aaronis ante Pharaonem Regem juſſu DEI projecta, de qua Exodi 7? credunt utique, aut Fideles non ſunt. Quomodo ergo negare poſſunt, fieri in Euchariſtia converſionem panis in Corpus pus Chriſti: & vini in ſanguinem ejuſdem, ita ut nihil omnino remaneat de ſubſtantia panis & vini, ſed ejus loco adſit caro & ſanguis Chriſti? Nunquid æquè in illis converſionibus, ac in iſta tranſit una ſubſtantia in aliam? Aut cur divinâ virtute fieri poſſunt illæ ſive converſiones ſive tranſubſtantiationes, & non iſta? Eſto enim diſcrimen aliquod interveniat, hoc tamen non eſt tantum, ut omnipotentiæ DEI, *apud quem non eſt impoſsibile omne verbum* Luc. 1. v. 37. præjudicare valeat, uti teſtantur SS. Patres, qui miraculoſas illas converſiones aquæ in vinum, ligni in Serpentem, carnis in Salem adducunt, & ex his tranſubſtantiationem Euchariſticam perſuadent, atque oppoſitam hæreſin reijciunt ac damnant. *Fideliter igitur*, inquit D. Auguſtinus apud Proſperum in ſententijs, *fateamur, ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formavit: poſt conſecrationem verò carnem Chriſti ac ſanguinem, quod Benedictio DEI conſecravit.* Quid autem hoc eſt aliud, ac dicere: credamus fideliter, in Sac. Euchariſtia veriſſimam fieri Tranſubſtantiationem ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis ac ſanguinis Chriſti?

XIV. Reſpon. ad 1. cum Scholaſticis & Interpretibus Sac. Scripturæ communiter, Apoſtolum non agere hîc de participatione panis & corporis, quaſi panis triticeus ſit participatio corporis, ſed agit de participatione panis conſecrati, quem frangimus, qui eſt Corporis Chriſti, quaſi diceret: O Corinthij, quando participatis de Pane benedicto, nunquid participatis de corpore Domini? etenim Corinthios redarguebat, qui, cum ſumpſiſſent Euchariſtiam, etiam vorabant idolothyta. Atque hunc eſſe legitimum ſenſum, patet ex verſu ſequenti: *de uno pane participamus*, hoc eſt, de Chriſti corpore, quod ubique eſt idem ac unum, non de pane triticio, qui cum ubique ſit diverſus, dici non poſſent participare de uno, qui de illo participant. Ad 2. cum Tirino & alijs in cit. loc. minimè abſurdum eſſe, idem à Paulo variè accipi in eodem loco; cum cap. 10. v. 16. ait, *panẽ, quem frangimus*, loquitur de Euchariſtico, ut omnes fatentur; & tamen ibidem v. 17. ait, *unus panis multi ſumus*, ubi abſque dubio, ut etiam fatentur omnes, panis pro Eccleſia ſumitur. Nihil igitur inde probatur. Cæterùm quando Paulus Euchariſtiam hîc etiam poſt conſecrationem vocat panem, facit more Hebræo, quo quivis cibus vocatur panis; ſicut in oratione Dominica petendo panem quotidianum intelligimus omnis generis alimenta. Inſuper vocat Euchariſtiam papanem, quia in illa propter remanentes hujus ſpecies videtur adhuc eſſe panis, licet revera non ſit amplius.

XV. Ad 3. quod tranſubſtantiatio ſit recens inventum, apertam eſſe calumniam, quam refellunt primitivæ Eccleſiæ teſtimoniâ, & imprimis liturgia D. Jacobi in Eccleſia Hieroſolymitana, liturgia in Eccleſia Æthiopum, liturgia S. Petri, quâ primùm uſi ſunt Romani Ignatius, Juſtinus, Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius & alij, qui videri poſſunt citati apud Bellarminum Lib. 3. de Euchariſtia cap. 3. Imò hæſis Calvini nova eſt, quæ initium habuit poſt octo jam elapſa ſæcula à Bertramo homine obſcuro anno Domini 830. eóque repreſſo renovata fuit à Berengario An. 1050. qui, ut diximus, à varijs Concilijs damnatus, ſæpiúſque relapſus tandem ſeriò reſipuit. Nunc iterum illam in inferno jam ſepultam reſuſcitavit Calvinus. Ex Patribus citatis nihil evincitur. Nam libri Gelaſij & Chryſoſtomi, quos hæretici allegant, non ſunt legitimi, ſed ſuppoſititij, ut oſtendit Vaſquez 3. P. Diſp. 180. Theodoretus quoque tantæ Autoritatis non eſt, qui aliquando favit Theodoro Mopſueſteno & Neſtorio contra Cyrillum ſanctum, attamen ante mortem reſipuit, & forſan nomine naturæ tantùm accidentia intellexit; in quem modum intelligi poteſt Gelaſius Papa aut potius alius ejuſdem nominis, non autoritatis. Videatur Laurentius Forer in Papatu antiquo L. 7. pun. 11. controvers. cap. 5. à fol. 246. Subtili Doctori Scoto magnam Neoterici faciunt iniuriam affirmando, illum rotundè fateri, Tranſubſtantiationem eſſe inventam ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi an. 1215. Dicta Diſt. 11. q. 3. n. 13. hæc habet: *principaliter tenendum eſt de Sacramentis, ſicuti tenet ſancta Romana Eccleſia, ſicut habetur. Extra. de hæreticis ad abolendum; nunc autem ipſa tenet, panem tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem, ſicut manifeſtè habetur. Extra. Sum. Trinit. & Fid. Cathol. Firmiter credimus §. una verò, ubi dicitur: Ipſe Chriſtus Sacerdos eſt & Sacrificium, cujus Corpus & ſanguis in Sacramento Altaris veraciter continentur, tranſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divinâ.* Ecce verba ipſius Scoti & Concilij Lateranenſis; ex hoc enim ille exſcripſit, ego ex ipſo; unde manifeſtè apparet, Scotum cum omni reverentia ſuſcipere Concilium, & formalibus hujus inſiſtere verbis. Ubi ergo Scotus Concilium ſugillat? ubi huic Tranſubſtantiationem tanquam novum inventum attribuit? ubi eandem tranſubſtantiationem primis quinque ſæculis fortunatioribus denegat, & poſt hæc excogitatã affirmat? A nullo homine eſt inventa, ô Hæretici, ſed à Chriſto divinitus per Omnipotentiam ſuam facta Tranſubſtantiatio in Euchariſtiæ inſtitutionẽ, cum dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* ut unanimiter hæc verba intelligunt SS. Patres, è quibus Gregorius Nyſſenus in orat. catech. c. 37. *rectè*, inquit, *verbo DEI ſantificatum panem in DEI Verbi corpus credimus immutari*; quod idem prorſus eſt ac tranſubſtantiari. Urgent Sectarii, Scotum dicere, nullum locum ſcripturæ tam expreſſum extare, ut

fine

Digitized by Google

ſine Eccleſiæ definitione evidenter cogat admittere Tranſubſtantiationem. Negat hoc melius S. Thomas 3. p. q. 75. art. 2. & plerique omnes alij Theologi; quia prædicta Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, in omni proprietate ſermonis vera eſſe non poſſunt, ſi cum corpore Chriſti adſit ſubſtantia panis. Unde opinio Scoti & nonnullorum, quæ hæreticis favet, defendi hodie nullo modo poteſt, ut bene poſt Suarez, Vaſquez & alios Tanner. Tom. 4. D. 5. Q. 4. n. 33.

XVI. Ad 4. talem deſtructionem panis & vini, qualis fit in hoc Sacramento, non repugnare benedictioni; quia multò præſtantius eſt, rem vilem in meliorem mutari, quàm in ſe multiplicari. Dicit Ameſius fol. 134. Panis cum ſit materia ex qua, debet in Sacramento manere. Reſpon. Aquam in Cana Galileæ fuiſſe materiam, ex qua fiebat vinum, nec illam manſiſſe; ſicuti tamen hic aliquid manſit, ita & in Euchariſtia manent Accidentia. Inſtat. Analogia debet eſſe in Sacramento inter rem terrenam & cœleſtem, quæ in Euchariſtia requirit, ut panis alat, & ex multis granis conſtet. Ergo oportet, ut ſit ſubſtantialis. Reſpon. Sufficere, ut naturaliter repræſentet eam rem, quæ verè nutrit. Species columbæ & ſerpens æreus habuêre ſuam analogiam, & tamen non vera columba, non verus ſerpens fuerunt. Ad 5. Si mutatio ſit ſola alteratio, condenſatio &c. tum non requiri materiam ſeu ſubſtantiam; omnia enim accidentia pro ſubjecto habere quantitatem, ſupra §. 8. diximus. Si verò ſit corruptio ſpecierum, ut in nutritione humana, combuſtione humana &c. tum requiritur quidem materia, ſed ea ſubſtituitur à DEO in illo ipſo inſtanti, quo deſinunt eſſe illæ ſpecies, & in quo aliud generatur; atque hoc abſque miraculo. Nam quando alteratio ſpecierum eò pervenit, ut adſint diſpoſitiones requiſitæ ad aliquam formam introducendam, exigente rerum ordine, DEUS materiam ſubſtituit & probabiliter illam ipſam, quæ prius fuit annihilata, atque in illo ipſo inſtanti ab agente naturali, mediantibus diſpoſitionibus præmiſſis introducitur forma ſubſtantialis. Ad 6. nihil eſſe falſi in hoc Sacramento; quia accidentia illa ſignificant naturaliter ſub illa ſpecie latere ſubſtantiam panis: in Euchariſtia autem non naturaliter, ſed ſupra ordinem naturæ fit, ut ſub illis accidentibus deſit ſubſtantia panis. Dicunt Sacramentarij Accidentia iſta vel ſunt in ſe, vel in alio? ſi in ſe. Ergo ſubſiſtunt: ſi in alio. Ergo inhærent. Ergo non deeſt ſubſtantia panis. Reſpon. eſſe in ſe, & non ſubſiſtere; quia ſunt in ſe negativè, non poſitivè; ideo quippe dicuntur in ſe eſſe, quia non ſunt in aliquo ſuppoſito, & tamen revera non ſubſiſtunt per actum poſitivum, qualis manat ex naturis ſubſtantialibus: Sic etiam accidentia dicuntur eſſe in alio, & non inhærere; quia ſunt in alio Conſervante effectivè, non in ſubjecto inhæſivè, ut diximus §. X.

XVII. Ad 7. denique nomen Petri ſeu Petræ non ſumptum fuiſſe propriè, ſed allegoricè pro Fundamento. Infert Ameſius Tom. 3. fol. 96. Ergo etiam in his verbis: Hoc eſt Corpus meum, Tò Corpus accipitur pro Pane. Nego illatum, ſiquidem hoc eſt contra ſenſum Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ; nuſquam enim in Sac. Scriptura corpus Chriſti ſumitur pro ejus ſigno vel figura. Corpus, quod hic intelligitur, pro nobis eſt datum; nunquid corpus tropicè acceptum pro nobis fuit datum? Inſtat Puritanus loc. cit. Cum Chriſtus 1. Cor. 10. accipiatur pro figura Chriſti v. 5. *Petra erat Chriſtus*, quid prohibet, quin ſimilis acceptio admittatur de corpore Chriſt? Reſpon. falſum eſſe, hic typicè ſolùm, & non verè ac propriè Chriſtum eſſe Petram. Non enim agit Apoſtolus de corporali petra ſeu ſaxea rupe deſerti, quæ typicè ſignificabat Chriſtum, ſed de Spirituali petra, quæ conſequebatur Hebræos, & ſpiritualiter ac typicè per rupem illam ſignificabatur. Hæc verò Petra Spiritualis per alteram ſignificata non erat typus ſeu figura Chriſti, ſed erat ipſemet verus Chriſtus. Ita D. Chryſoſtomus Ambroſius, Oecumenius, Anſelmus apud Tirinum in cit. textum. Urgent Sacramentarij. In Synodo Nicena II. Act. 6. Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus dicit, Euchariſtiam eſſe Imaginem Chriſti. Reſpon. Sirmandum in notis advertere; Gregorium Neocæſarienſem id recitaſſe ex ſententia Iconoclaſtarum, ut ſanè res eſt; Patres enim in illo Concilio non minus hanc hæreſin, quàm cæteras Iconomachorum damnârunt juxta hæc ipſorum verba: *Nullus aliquando turbarum Spiritus Sanctorum Apoſtolorum aut Illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum Sacrificium noſtrum, quod eſt in commemoratione Chriſti DEI noſtri, dixit Imaginem corporis ejus.* Subditur deinde: *Non dixit, accipite & comedite Imaginem corporis mei, ſed manducate carnem meam, corpus meum, quod per Sacerdotem offertur in Sacrificium.* Sententiæ Patrum aliquorum ipſe Gregorius Epiſcopus adſtipulatus dixit: *Acceptum panem benedixit, & gratias agens fregit, & dans dixit: Accipite & comedite in remiſſionem peccatorum: Hoc eſt corpus meum. Similiter & calicem tradens dixit: Hic eſt ſanguis meus.* Demum concludens ait Gregorius: *Euchariſtiæ panem non ut falſam imaginem naturalis carnis per Spiritus Sancti adventum ſignificandum divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote.* Concedamus etiam nomen imaginis hic interſeri, nihil inde infertur contra Catholicam noſtram doctrinam. Nunquid Chriſtus ipſe DEI Filius etiam dicitur *Figura ſubſtantiæ ejus* Heb. 1. v. 3? an propterea Filius DEI naturalis ac verus eſſe deſijt? Quare etiamſi Patres interdum dicant in Euchariſtia eſſe imaginem, figuram, & ſignum corporis Chriſti, non idcirco verum corpus Chriſti negant, quia nuſquam affirmant ſolam meram & vacuam figuram, imaginem, ſignum adeſſe, quæ veritatem, ſeu ipſam corporis Chriſti præſentiam excludat, ut bene notat Becanus in Manuali Lib. 3. c. 6. n. 20. Ubi etiam à num. 31. oſtendit, propriè dictum eſſe tum à Math. c. 26. v. 28. & Marco c. 14. v. 24. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, tum à S. Luc. c. 27. v. 20. & Paulo 1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*; nam illi nomen Teſtamenti ſumunt pro voluntate & promiſſione Teſtatoris: iſti vero pro inſtrumento illius promiſſionis. Unde ſenſus Matthæi & Marci eſt: *hic eſt ſanguis novi Teſtamenti*; id eſt, hic eſt ſanguis, quo ſancitur voluntas, pactum, & promiſſio DEI. Senſus autem Lucæ & Pauli eſt: *hic calix ſanguinis mei eſt novum Teſtamentum*; id eſt: hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie vini eſt authenticum inſtrumentum, quo applicatur nobis jus ad hæreditatem à DEO promiſſam. Ecce viam Tropiſtis Calvinianis ubique obſtructam ad technas ſuas & fraudulentas deceptiones. Videatur P. Simon Felix Præceptor

meus

delibus, atque adeo extat præceptum divinum communionis. Ita communiter Catholici Doctores contra nonnullos, qui apud Dianam P.9. Tr. 6. Ref. 46. negant, ullum exiſtere præceptum de Euchariſtia ſumenda. Pro doctrina noſtra duo maximè loca afferuntur, è quibus innoteſcit nobis voluntas Dei, ex qua unicè deſumenda eſt probatio hujus præcepti. Primus locus eſt Joan.6. v.54. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem nō habebitis vitam in vobis*; quæ verba Patres de Sacramentali cōmunione communiter interpretantur, & adjuncta pœna perdendæ gratiæ ſatis arguit vim præcepti mortaliter obligantis. Alter eſt Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi non ſolis Sacerdotibus præcipitur, ut conſecrent & ſumant, ſed etiam Laicis, ut communicent, teſte Apoſtolo 1. Cor. 11. v. 24. ubi agens de communione Laicorum hoc præceptum Chriſti adducit, quod proinde juxta diverſa membra & actiones ad varios homines pro cujuſque conditione & ſtatu refertur. Unde Tridentinum Seſſ. 13. c. 2. ad eadem verba Lucæ reſpiciens ait, *Chriſtum in Euchariſtiæ ſumptione nos colere ſui memoriam præcepiſſe, ſuámque annunciare mortem, donec ad judicandum venerit.* Neque dici poteſt a Cajetano hic 3. part. q. 80. art. 11. Chriſtum non præcepiſſe Euchariſtiæ ſumptionem, ſed tantùm modum ſumptionis, hoc eſt, ſi ſumeremus, ut id in memoriam Chriſti faceremus. Nam contra eſt; quod Chriſtus aliam ſuæ paſſionis commemorationem ibi non præceperit, quàm ipſammet confectionem & ſumptionem; alioquin ſi plus præcepiſſet, teneremur ibi ſub mortali inter communicandum actualem memoriam paſſionis habere, quod nemo docuit, teſte Arriagâ Diſp. 47. Sect. 1. Hinc tamen conijcitur, doctrinam noſtram non eſſe de fide, quia verba etiam Joannis multi Patres & Doctores non de reali perceptione hujus Sacramenti; ſed de Spirituali manducatione per fidem interpretantur, quos Eccleſia noluit damnare, ſed liberam reliquit interpretandi poteſtatem; ſic enim loquitur Tridentinum Seſſ. 21. cap. 1. *Neque ex ſermone illo apud Joan. 6. rectè colligitur utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, utcunque juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.*

II. *Doctrina ſecunda.* Accidentales circumſtantiæ communionis quoad Perſonas, Tempus, & modum communicandi Chriſtus noluit determinare prævidens ſcil. innumeras mutationes pro temporum ac locorum varietate faciendas, ſed hanc determinationem Eccleſiæ reliquit, ſalvâ tamen eſſentiâ à ſe inſtitutâ. Sumitur ex 1. Corinth. 4. v. 1. ubi Apoſtolus ait: *ſic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI*, hoc eſt, divinæ doctrinæ ſimul & Sacramentorum. Quæ verba repetens, iiſque innitens Concilium Tridentinum Seſſ. 21. cap. 2. de Eccleſiæ poteſtate circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ ſic loquitur: *Præterea, declarat, hanc poteſtatem in Eccleſia perpetuò fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalvâ illorum ſubſtantiâ ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Id autem Apoſtolus non obſcurè innuiſſe videtur, cum ait: ſic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores myſteriorum DEI. Atque ipſum quidem hâc poteſtate uſum eſſe, conſtat ſatis cùm in multis alijs tum in hoc ipſo Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus uſum, cætera inquit, cum venero, diſponam 1. Corinth. 11. v. 34. Quare agnoſcens Sancta Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum authoritatem &c.* Et hinc tam in antiqua, quam in moderna Eccleſia fuit orta varietas communionis, ut in ſequentibus declarabitur 1. quoad Perſonas. 2. quod Tempus. 3. quod Modum.

III. *Doctrina tertia.* Quantum ad Perſonas attinet, magna eſt diverſitas antiquæ & præſentis conſuetudinis. Nam olim etiam Infantibus dabatur Euchariſtia, ut teſtantur PP. Dionyſius Areopagita de cœleſt. Hierarch. c. 7. Clemens Romanus Lib. 1. Conſtit. Apoſtolic. c. 2. Cyprianus Serm. 5. de lapſis, ubi affirmat, hoſtiam infantibus (idipſum de morituris nonnullis tradunt alij) non tradi ſolitam, quam difficulter deglutiviſſent, ſed tantùm ſpeciem vini, quam inſtar lactis ſugebant. Fatetur & Tridentinum Seſſ. 21. c. 4. illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem communicandi parvulos; quia verò experientia docuit, in hac parvulorum communione plurimas irreverentias Chriſto illatas per vomitum vel ſputa, & ideo Eccleſia majorem honoris Chriſti, quàm parvulorum utilitatis rationem habendam exiſtimans prædictam infantium communionem abrogavit; quod conſuetudine potius compertum, quàm lege; licet enim Concilium Lateranenſe relatum c. 12. de Pœn. & Remiſſ. jubeat omnes ſemel in anno communicare, quamprimum ad annos diſcretionis devenerint, tamen non excludit Infantes a licentia, ſed tantùm à præcepto communicandi, & Tridentinum c. 4. cit. ſolùm docet, *parvulos uſu rationis carentes nullâ neceſſitate obligatos ad Sacra Euchariſtiæ communionem.* Unde non ſequitur, illis interdictam eſſe communionem, & communis ſententia Theologorum agnoſcit, eoſdem capaces validæ & fructuoſæ communionis, ſed univerſalis conſuetudo prohibet ob periculum; ut diximus, irreverentiæ, quod Sacramento huic paulatim magis in cumbebat. Olim quoque Eccleſia quibuſdam adultis graviorum peccatorum reis ſcil. Apoſtatis & excommunicatis communionem in perpetuum inhibuit etiam poſt pœnitentiam, & in articulo mortis, ut conſtat ex Concilio Eliberitano can. 1. 2. & 3. qui rigor hodie communi uſu mitigatus eſt, ut quibuſcunque peccatoribus pœnitentibus ſaltem in articulo mortis præbeatur Euchariſtia. Clericis etiam olim in pœnam gravis delicti dabatur Laica communio ſub una ſpecie ſubtrahendo Clericalem, quæ ſub utraque ſpecie dabatur; cujus communionis Laicæ frequens eſt mentio in decretis Pontificum & Concil. apud Bellarmin. Lib. 4. de Euchariſtia c. 24. qui videri poteſt.

IV. *Doctrina quarta.* Circa tempus communionis varia quoque fuit diſpoſitio Eccleſiæ. Explicatur. In primitiva Eccleſia omnes Fideles quotidie communicabant, ut indicatur Actor. 2. v. 42. *Erant perſeverantes unanimiter in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis*, hoc eſt, Euchariſtiæ, ut Syrus vertit, & ex hæreticis etiã Tremelius, Chemnitius, Oſiander, eſtque communis expoſitio Patrum; quamvis id non factum fuiſſe ex præcepto Apoſtolorum, ſed ſpontaneâ Fidelium devotione, credibilius ſit. Affertur quidem ex Canonibus Apoſtolorum capitulū 62. diſt. 1. de conſecrat. ubi jubentur puniri, *qui non percipiunt communionem*, ſed id vitioſè verſum eſt ex græco textu, qui habet: qui non permanent uſque ad

que ad communionem Sacerdotis, id eſt, ad finem Miſſæ. Et cap. 59. ead. Diſt. de conſecrat ex Epiſtol. Anicleti Papæ ſumptum: *peractâ conſecratione communicant*, intelligi debet de ſolis Clericis ſacro miniſtrantibus, ut ex antecedenti patet. Paulatim verò tepeſcente fervore, & Fidelium numero creſcente Fabianus Papa relatus à Gratiano in cap. 16. etiamſi non frequentius. de conſecrat. Diſt. 2. circa annum Chriſtianum 250. ſtatuit, *ter in anno ſuſcipi debere Euchariſtiam, nempe in Natali Domini, in Paſchate, & in Pentecoſte.* Cum autem refrixiſſet Charitas multorum, & hæc trina communio multis difficilis videretur, tandem Innocentius III. in cap. utriuſque ſexûs de pœnit. & remiſſ. ob cauſas ibidem enarratas decrevit, *ſemel in anno ſcil. Paſchatis tempore Euchariſtiam ſumendam eſſe.* Quod poſtea confirmavit Concilium Tridentinum Seſſ. 13. can. 9. Interim optans & cupiens Fideles ſuaviter induci ad frequentiorem communionem. Nam Seſſ. 13. cit. cap. 8. ait, *paterno affectu monet ſacra Synodus, hortatur, urget, & obſecrat per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, ut omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, panem illum Superſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.* Et Seſſ. 22. cap. 6. *optaret ſacra Synodus, ut in ſingulis miſsis Fideles aſtantes non ſolùm Spirituali affectu, verùm etiam Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos Sanctiſsimi hujus Sacrificij fructus uberiores pervenirent.* In qua tamen Communionis frequentia prudens moderatio ſervanda eſt. Univerſali etiam conſuetudine Eccleſiæ receptum eſt, ut Laicis non liceat uno die ſæpius quàm ſemel communicare etiam die Nativitatis, ubi Sacerdotes ter celebrantes ter communicant.

V. *Doctrina quinta.* Quoad modum communicandi. Chriſtus liberum etiam reliquit Eccleſiæ extra Sacrificium Miſſæ ſub unius aut alterius etiam ſpeciei communionem concedere. Hæc doctrina deſumitur ex praxi Eccleſiæ, quæ pro temporum varietate varia fuit. Nam inprimis ipſe Chriſtus Luc. 24. v. 30. duobus diſcipulis euntibus in Emaus unam tantùm ſpeciem panis præbuit; Chriſtum autem hîc conſecraſſe tradunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda & alij Patres & Doctores apud Tirinum & Commentores hujus loci. Utcunque etiam explicatio illius textûs ſe habeat, ſaltem Patres illi cenſuerunt, unam ſpeciem non eſſe prohibitam jure divino, ſecus ac Sectarij docent. Deinde in primitiva Eccleſia frequens fuit unius ſpeciei perceptio. Eam ex uſu ipſorum Apoſtolorum aſſerit Lucas Actor. 2. cit. v. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis.* Item c. 20. v. 7. *una autem Sabbathi cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis.* Utroque loco agi de pane euchariſtico etiam Adverſarij non pauci admittunt, quos inter ipſe Lutherus, Kemnitius, Calvinus, Beza &c. neutro autem loco fit mentio calicis. De infantibus olim ſub ſola ſpecie vini communicatis diximus ſupra doct. 2. Et pro ægrotantibus unica ſpecies aſſervabatur; unde in Orientis & Occidentis Eccleſijs paſtophoria & tabernacula eidem aſſervandæ fuerunt fabricata, qualia per Germaniam in omnibus fere templis reperiuntur tam antiqua, quàm ipſa Chriſtiana Religio eſt. Tempore quoque perſecutionis unica ſpecies domum deferenda ſingulis dabatur, ut in neceſſitate ultimum viaticum in promptu haberent, uti conſtat ex Concilio Antiſiodorenſi can. 36. & 39. Navigantes etiam ſecum habebant unicam ſpeciem pro ſubitis periculis naufragantium. Et Eremitæ in ſolitudine habitantes, ac rarò in urbem venientes unicam ſpeciem in ſuis cellulis pro ſacra communione habebant, ſicuti ex D. Baſilio probat Baronius in notis Martyrologij 15. Auguſti. Hactenus ergo libera fuit utriuſque ſpeciei communio. Petrus Molinæus fol. 1117. contra ejuſmodi inſtantias affert Concilium Laodicenſe can. 14. prohibens, ne Euchariſtia in locos diſtantes vel mittatur, vel portari concedatur. Ad inſcitiam vel nequitiam hujus Calviniſtæ detegendam adverto ex Baronio A. C. 313. n. 49. apud primos Chriſtianos fuiſſe ſolitos Epiſcopos benedicere panes à Sacerdotibus & populo oblatos & fermentatos, ac certis diebus mittere ad parachianos in ſignum unionis in fide & charitate inter ipſos & Epiſcopum. Unde fermentum Eulogiæ dicebantur panes illi. Contra has igitur eulogias agit canon, nolens deinceps illas dividi, eò quod propter eas, utut aliàs laudabiles, ſacra Paſchalis Euchariſtiæ communio negligeretur. Videatur Forer in Pap. antiq. L. 7. fol. 441.

VI. Porro circa annum Domini 492. à Gelaſio Papa Romanis aliquamdiu præcepta fuit utriuſque ſpeciei communio ad dignoſcendos hæreticos Manichæos, qui inter Catholicos cum magna fidei pernicie latebant, & una cum illis communicabant, ſed tantùm ſub una ſpecie; quia vinum tanquam creaturam diabolicam, & fel draconis abominabantur, & ſic deprehendi poterant, ſi nollent utramque ſpeciem ſumere. Sublatis autem Manichæis rurſus introducta libertas unius vel utriuſque ſpeciei pro libitu. Imò Gelaſius mandatum ſuum non ad omnes omnino caſus extendit. Tandem in Concilio Conſtantienſi ante annos 238. ſub Martino V. Laicis & Clericis non ſacrificantibus interdicta eſt utriuſque ſpeciei communio, quod decretum approbavit & confirmavit Concilium Seſſ. 21. can. 2. his verbis: *Siquis dixerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos atque etiam Clericos non ſacrificantes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, atque in eo erraſſe, anathema ſit.* Cauſæ autem potiſſimum hæ tres fuerunt. 1. multiplex irreverentia, quæ Chriſto in diſpenſatione Calicis per effuſionem & conculcationem inferebatur, nec commodè caveri poterat, ut apparet apud hæreticos in calicis diſtributione. 2. Inopia vini in multis regionibus præſertim ſeptemtrionalibus & Indicis, ubi pro tanta multitudine fidelium toties communicantium ſatis vini haberi non poteſt. 3. Errores hæreticorum paulatim irrepentes, dum non pauci exiſtimarent, in una ſpecie non eſſe totum Chriſtum, vel utriuſque ſpeciei ſumptionem à Chriſto fuiſſe præceptam; ad quos errores tollendos, veræque Fidei profeſſionem publicè edendam juſſit Eccleſia unicâ cõmunicantes ſpecie eſſe cõtentos. Dixi in doctrina *extra ſacrificium.* Nam Sacerdotes ſacrificantes ſub mortali tenentur utramq; ſpeciem conſecrare & ſumere, idque ex divino præcepto Chriſti; quia ad eſſentiam hujus ſacrificij pertinet utraque ſpecies, ut infra conſtabit: Laici verò (quibus in hac re æquiparantur Clerici & ipſi Sacerdotes extra miſſam communicantes, ut in cœna Domini vel in articulo mortis) nullo DEI præcepto obligantur ad utramque ſpeciem, nec etiam Eccleſiaſtico, ſed ad unam ſolummodo ſpeciem panis, ut diximus.

VII. *Doctrina ſexta.* Non pugnat cum mandato Chriſti communio ſub unâ ſpecie. Hanc doctrinam inter articulos Fidei numerat Tridentinum Seſſ. 21. c. 1. his verbis: *Sancta Synodus à Spiritu Sancto, qui eſt Spiritus Sapientiæ & intellectûs, Spiritus conſilij & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ judicium & conſuetudinem ſecuta declarat ac docet, nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie, neque ullo pacto ſalvâ fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat.* Et can. 1. *Siquis dixerit, ex Dei præcepto vel neceſsitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti fideles utrámque ſpeciem Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Probant & confirmant hanc poſteriorem doctrinam omnia, quæ pro priore attulimus, & utramque pluribus ſtabilit Bellarm. Lib. 2. de Euchariſt. à cap. 2. Et certè Manichæorum communionem ſub una ſpecie Epiphanius, Auguſtinus, alijque Patres nunquam improbârunt aut damnârunt, quod tamen, ſi contrà præceptum divinum fuiſſet, facere eos oportebat, qui cæteros eorum errores tam acriter perſtrinxerunt. Quamvis autem communio ſub una ſpecie ſufficiat, & ſub ſola ſpecie panis de facto non ſacrificantibus ab Eccleſia præcepta ſit, nihilominus poterit Papa, ſi judicaverit expedire vel toti Eccleſiæ vel certis Nationibus, vel particularibus Perſonis utriuſque ſpeciei uſum denuo permittere, ſicut Clemens VI. circa annum 1347. Regibus Franciæ de Sede Apoſtolica optimè meritis conceſſit privilegium, quotieſcunque vellent, ſub utraque ſpecie communicandi, quo tamen uti non ſolent, niſi bis in vita, ſcil. in die coronationis, & in articulo mortis, ut refert Jacobus Gualtierius in ſua chronologia fol. 699. Videantur DD. à Walenburg à fol. 316. ubi oſtendunt, communionem ſub una ſpecie non eſſe juſtam cauſam ſeparationis Proteſtantium ab Eccleſia Catholica.

VIII. *Doctrina ſeptima.* Effectus dignæ communionis eſt magnus & multiplex. *Primò* confert augmentum gratiæ præexiſtentis; hoc enim indicant verba illa Joan. 6. v. 58. *qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Et rurſus vers 55. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Cum autem nemo vivat propter cibum, accipiendo per illum vivere, ſed ſolùm nutriatur jam ſuppoſitâ vitâ, apertè hinc ſequitur, prædictis verbis non inceptionem vitæ ſpiritualis, ſed vitæ hujus jam ceptæ augmentum ſignificari, ac proinde dari in Euchariſtia augmentum gratiæ; & quia Euchariſtia eſt omnium digniſſimum Sacramentum, ideo vero-ſimile apparet, unicâ communione plus gratiæ acquiri, quàm longâ laborioſa & periculoſa peregrinatione. *Secundò* præbet jus ad actualem gratiam opportuno tempore conferendam pro vitandis peccatis, ſuperandis tentationibus, & gratia conſervanda, atque idcirco ſub ſpeciebus panis & vini inſtitutum fuit. Nam ſicut cibus & potus non ſumitur ad vitam primò & per ſe conſequendam, ſed conſervandam ac roborandam, ita hoc Sacramentum non eſt inſtitutum ad primò conferendam gratiam juſtificationis (ſicut baptiſmus & pœnitentia) ſed ad juſtitiam præhabitam conſervandam & augendam, ut diximus. *Tertiò.* ſubinde tamen Euchariſtia per accidens primam gratiam confert; nimirum ſiquis ignarus peccati mortalis de omnibus ſuis peccatis ſaltem attritus bonâ fide communicet; ſi autem in ipſo actu communionis deſit attritio, differtur effectus juſtificationis, donec ſuperveniat attritio. Ita cum pluribus Theologis Arriaga de Sacramentis in communi Diſp. 16. Sect. 1. Probatur ex Tridentino, quod Seſſ. 13. can. 5. contra hæreticos definit, *præcipuum Euchariſtiæ effectum non eſſe remiſsionem peccatorum.* Ergo tacitè innuit, remiſſionem peccatorum (mortalium) eſſe quidem effectum illius Sacramenti, non tamen primarium. Confirmatur. Chriſtus per Sacramenta voluit nobis faciliorem reddere ſalutem. Ergo cum perdifficile ſit, pertingere ad contritionem, & ſæpe hominem fallat perſuaſio, congruum videtur, ita inſtituta eſſe Sacramenta, ut quando quis prudenter reputat, ſe feciſſe, quod eſt in ſe, licet non habeat perfectam contritionem, defectus iſte per Sacramenta ſuppleatur, & prima gratia, quâ ſalutem obtineat, per illa producatur. Unde præcipuum ruit Adverſariorum fundamentum, quod nullus effectus tribuendus ſit Sacramentis, qui non colligatur ex inſtitutione eorum, aut à Concilijs, & Patribus tradatur. *Quartò.* In corpore Communicantis Euchariſtia ſemper minuit fomitem peccati, hoc eſt, naturalem inclinationem appetitûs ſenſitivi ad objecta per ſe mala; non quidem intrinſecè imprimendo aliquam qualitatem coërcitivam concupiſcentiæ, ſed extrinſecè partim removendo tentationes, & occaſiones peccandi, partim ſubminiſtrando auxilia gratiæ ad remittendum. *Quintò.* Ex reali contactu & ingreſſu Corporis Chriſti in corpus comunicantis oritur quaſi conjugalis amicitia inter Chriſtum & animam, & jus ad reſurrectionem, ut teſtantur SS. Patres, è quibus Laurentius Juſtinianus de triumphali Chriſti agone ait, *pro amoris pignore, próque fœdere maritali corporis & ſanguinis ſui Sacramenta conceſſit, ut non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam duo eſſent in carne una &c.*

IX. Reſtat queſtio, utrum utraque ſpecies in hoc Sacramento majorem gratiam conferat, quàm una ſola? quæ quidem quæſtio ad forum Scholaſticũ ſpectat, quia tamẽ Sectarij magnũ nobis κλεψιεροσυλίαν furtique crimen intentant ex ſubtracto calice Laicis, nec violati tantùm præcepti divini, ſed ſpolij reos faciunt catholicos privando Communicantes majore illa gratiâ & utilitate ex utraque quàm una ſpecie; idcirco illam hîc non omittendam cenſeo, ut inde etiam inanis hæreticorum querela manifeſta fiat. Affirmant igitur ex utraque parte plus gratiæ conferri Vaſquez in 3. part. Diſp. 215. cap. 2. Gaſpar Hurtadus de Euchariſtia Diſp. 10. Difficult. 6. Cardin. Lugo. Diſp. 12. n. 68. & nonnulli alij. Moventur. Tum authoritate Clementis VI. Papæ, qui, ut ſupra indicavimus, Regi Galliæ permiſit communionem ſub utraque ſpecie ob gratiæ augmentum. Tum ex communi ſenſu Patrum Tridentini Concilij in hanc ſententiam propenſorum, ut ex Franc. Blanc. refert Lugo loc. cit n. 69. Tum quia Sacramenta operantur, ut ſignificant; utpote habentia cauſalitatem ex ſignificatione Atqui ſpecies panis & vini habent diverſas ſignificationes. Ergo &c. Tum quia calix aliàs rarò aut nunquam conferet gratiam. Negant D. Thomas 3. part. Q. 80. art. 12. ad 3. Et opuſculo 58. c. 29. Richardus, Cajetanus, uterque Scotus; Roffenſis, Salmeron, Sylvius, Abulenſis, Toletus, Catharinus, Pallatius, Suarez Diſp. 63. c. 6. Bel-

Digitized by Google

larminus Lib. 4. c. 23. & poſt alios multos Matt. Eſparza Quæs. 69. quorum ſententiam probabiliorem cenſemus. Itaque ſit.

X. *Doctrina octava.* Utraque ſpecies in hoc Sacramento non confert majorem gratiam, quàm una ſola. Hic planè communis ſemper fuit in Eccleſia ſenſus. Probatur 1. ex Tridentino, quod Seſſ. 21. cap. 3. ſic loquitur: *Fatendum eſt, etiam ſub alterutra tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ neceſſariâ ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſolam ſpeciem accipiunt.* In quibus verbis licet Concilium primariò inferat, & definiat, neceſſariam gratiam ad ſalutem non minùs per unam, quàm per utràmque ſpeciem haberi, adeòque hâc gratiâ non defraudari Laicos ſub una tantùm ſpecie cummunicantes, attamen ſimul etiam haud obſcurè advertitur inferre atq; innuere, totum gratiæ augmentum in hoc Sacramento conferibile haberi per unicam ſpeciem æquè ac per utramque. Nam ratio, quam Tridentinum affert pro priore illa illatione, ſtat quoque pro hac poſteriore; eſt quippe iſta non alia, ut ex verbis allatis conſtat, quàm realis Chriſti præſentia, quæ unica eſt menſura omnis gratiæ per hoc Sacramentum conferendæ, & non minùs ſub una, quàm ſub utraque ſpecie continetur, ut bene obſervat Arriaga Diſp. 42. à num. 9. Probatur 2. ex Concilio Moguntino ſub Sebaſtiano can. 32. aſſerente, morem communicandi ſub una ſpecie eſſe ad ſalutem æquè utilem & efficacem, atque ſub utraque. Et licet Concilium hoc nec genarale ſit nec à Papa approbatum, magnum tamen pondus addit noſtræ doctrinæ, maximè cum Patres illi dicant, à nullo Fidelium ea de re dubitari poſſe. Probatur 3. Quia per unicam ſpeciem æquè ſignificatur nutritio ſpiritualis, ac per utramque; quippe differt cibus & potus iſte ſpiritualis multùm à cibo & potu corporali, & nec activitatem, nec effectus habent ſpecie diſtinctos, ſiquidem ſitis & fames ſpiritualis non diſtinguntur realiter inter ſe, ut bene advertit Eſparza. Ergo non plus gratiæ operatur utraque quàm una ſpecies.

XI. Reſpon. ad 1. probationem Adverſariorum. Papam clementem nihil definire, ſed ſolùm dare licentiam: motivum autem illud conceſſionis non ex deciſione, ſed ex privata opinione eſſe deſumptum. Addo Pontificem ibi locutū fuiſſe ſolùm de augmento majore ex opere operantis ob majorem, quam Rex habuit devotionem in utraque ſpecie ſumenda. Ad 2. bene oſtendi ab Arriaga num. 9. cit. hanc relationem & à veritate & à mente Card. Lugo eſſe alienam, & per errorem Amanuenſis Lugonis in hujus ſcripta irrepiſſe. Ad 3. cum Eſparza diſtinguendo; operantur ſicut ſignificant quoad rem ſignificatam conceditur: quoad modum ſignificandi, negatur. Ex dictis autem conſtat, cibum & potum Sacramentalem ſignificare eundem realitèr effectum cum ſola diverſitate ex modo ſignificandi. Ad 4. totam gratiam Sacramentalem conferri per ſe non ſolùm ante ſumptionem calicis, ſed etiam antequam abſolvatur tota ſumptio ſpecierum panis; ſiquidem gratia confertur, cum primùm ſumitur & in ſtomachum traijcitur minima ſpecierum pars: nec tamen ſuo deſtituitur effectu & fructu calix, quia utraque ſpecies & utriuſque ſpeciei partes conſtituunt unum ſimpliciter Sacramentum atque convivium ſpirituale moraliter unum, cum ſumptio eſt moraliter continua, ut rectè citati Authores, qui pluribus hanc noſtram doctrinam tuentur.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XII. **P**Rimus error. eſt Huſſitarum in Bohemia putantium, infantibus quoque deberi Sacram communionem propter verba Chriſti Joan. 6. v. 54. *niſi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quod teſte Bellarmino Lib. 4. de Euch. c. 24. univerſim ad omnes Fideles ſine exceptione, conſequenter etiam ad infantes extenderunt, rati, ſe inveniſſe locum contra uſum & doctrinam Romanæ Eccleſiæ Verùm hoc mandatum ad infantes non ſpectare, jam diximus controverſia de Bapt. 68. §. 16. Et clarum eſt eſt ex illis verbis: *non habebitis vitam in nobis*, ubi verbum habere non ſignificat primam acquiſitionem gratiæ per Baptiſmum acquirendæ, ſed conſervationem acquiſitæ, ut ſenſus ſit, niſi communicetis, non diu retinebitis gratiam, nec poteritis reſiſtere tentationibus ſine auxilio gratiæ per communionem conferendæ, ſicut vita corporalis ſine cibo & potu diu retineri non poteſt; ubi enim nullum eſt periculum gratiæ per peccatum amittendæ, ibi non eſt communio. Sed apud Infantes nullum eſt periculum gratiæ per peccatum amittendæ, cùm ob defectum rationis peccare non poſſint. Ergo illis non eſt neceſſaria communio; Sicut corpus glorioſum & in corruptibile non eget cibo & potu, quia mori non poteſt Apoc. 7. v. 16. *non eſurient, neque ſitient amplius &c.*

XIII. *Error ſecundus.* Omnibus etiam Laicis ex divino præcepto Chriſti neceſſaria eſt utriuſque ſpeciei communio. Adſcribitur iſte error primitus Petro Dreſdenſi & Jacobello Miſnenſi, quorum ille ex pædotriba Germano repente Theologus hunc Pragæ concionatorem in ſuas traxit partes. Iſti duo primùm ex illo Joan. 6. v. 54. *niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, nō habebitis vitam in vobis*, cōmunionem ſub utraque ſpecie ad ſalutem neceſſariam eſſe docuerunt, & perſuadere cœperunt. Hæc nova doctrina ab Huſſitis in Bohemia avidè arrepta in tam pertinacem ac funeſtam ſtatim hæreſin excrevit, ut mox ab Eccleſia ſeveriſſimum remedium opponi debuerit, & in concilio Conſtantienſi & Baſilienſi damnata fuerit. Sic abjectam iſtam hæreſin revocavit Martinus Lutherus Apoſtata & ex Bohemia in Saxoniam traduxit, quæ ſimili repente plauſu inſanæ plebis excepta inde pari volocitate cum reliquis ejuſdem hæreſibus in diverſas Germaniæ partes ſe penetravit, ubi etiamnum inſanè amatur & retinetur.

XIV. Congerunt plura argumenta Molinæus à fol. 1173. Hanneken in Irenico à fol. 124. Ameſius Tom. 3. à fol. 148. Gerhardus L. 2. Part. 2. à fol. 1046. Et præter alios Novatores Jacob. Reihing apud Simonem Felicem priore contr. §. XVII. citatum in lib. contra Apoſtatam iſtum Diſp. 7. Potiora ex Scri-

Digitized by Google

ex Scriptura, Patribus, & ratione ſunt iſta. 1. Joan. 6. cit: *niſi carnem Filij hominis &c.* Ergo ſi hic agitur de Sacramento Euchariſtiæ, ut volunt Papiſtæ, ad conſervandam vitam Spiritualem animæ neceſſaria eſt illis utriuſque ſpeciei ſumptio: 2. ex verbis Chriſti Matth. 26. v. 28. *Bibite ex hoc omnes.* 3. Lucæ 22. v. 20. *hic eſt calix novum teſtamentum*; Unde ſic argumentantur Teſtamentum Chriſti eſt immutabile, & ita ſervari debet ad litteram, ſicuti ſancitum eſt, teſte Paulo Apoſtolo ad Galat. 3. v. 15. *tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit.* Sed calix eſt teſtamentum juxta cit. verba Lucæ. Ergo eſt immutabilis; & ita ſumendus, ſicut ipſe inſtituit. Inſtituit autem; ut una cum pane omnes ſumerent calicem. Ergo ab omnibus ſumendus eſt. 4. Lucæ. 22. c. 19. *Hoc facite in meam Commemorationem*; unde ſic argumentantur. Faciendum eſt in omni commemoratione cœnæ, quod in prima cœna factum: Sed tum in utraque ſpecie omnes communicabant. Ergo &c. 5. 1. Corinth. 11. v. 23. *Ego autem accepi à Domino*; unde Prædicantes ſic ratiocinantur: Paulus nihil tradidit Corinthijs; quod non accepit à Domino. Sed tradidit Corinthijs, utramque ſpeciem ab omnibus Comunicantibus eſſe ſumendam. Ergo &c. 6. Chriſtus inſtituit cœnam ſub duplici ſpecie. Ergo ſub duplici ſumenda eſt; alioqui tantùm erit pars illius. 7. Gelaſius Papa. relatus c. 12. Diſt. 2. de conſecratione ait: *comperimus, quod quidam ſumptâ tantùm Corporis ſacri portione à Calice ſacri cruoris ſe abſtineant, qui procul dubio quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdémque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* 8. Leo Papa ſerm. 4. Quadrag. de Manichæis ita ſcribit: *ore indigno Chriſti corpus accipiunt: ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant.* 6. Cyprianus in ſermone de cœna Domini: *Lex*, inquit, *eſum ſanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur.* 10. Chryſoſtomus hom. 18. in 2. Corinth. hæc habet: *Eſt autem, ubi nihil differt Sacerdos à ſubdito, ut quando fruendum eſt horrendis myſterijs, ſimiliter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Nam ſicut in lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus; & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat Sacerdos, ſed non ſic, verùm omnibus unum corpus proponitur, & unum poculum.* 11. Concilium Claremontanum an. 1095. præſente Urbano II. Papa in Gallia celebratum can. 28. ait. *Ne quis vivat de altari, niſi corpus & ſanguinem ſeparatim ſumat.* 12. Omnes Hebræi 1. Corinth. 10. v. 4. in deſerto biberunt aquam de Petra. Ergo etiam omnes Chriſtiani debent bibere de ſanguine Chriſti; quia aqua illa fuit figura hujus ſanguinis. 13. Res Sacramenti ſunt à Deo determinatæ, ut non liceat quidquam in eis mutare, multò minùs omittere. At verò ad res Sacramenti Euchariſtici pertinet etiam vinum. Ergo nulli licet, in Euchariſtia vini diſtributionem omittere. 14. Illud Sacramentaliter ſub ſpecie panis accipimus, quod vi verborum Chriſti eſt Sacramentaliter præſens pani, & vice versâ. At corpus Chriſti non ſanguis eſt Sacramentaliter pani præſens, quia vi verborum non eſt in ſpecie panis, niſi corpus. Ergo corpus Chriſti, & non ſanguinem ſub ſpecie panis Sacramentaliter accipimus. 15. Conſecratio Sacerdoti ſub utraque ſpecie eſt præcepta. Ergo etiam adminiſtratio Sacramenti ſub utraque ſpecie facienda eſt Laicis.

XV. Res eſt admiratione digna, hæreticos adeo ferventer urgere hoc unicum præceptum Chriſti ſumendi calicem. Tum quod eorum Seductor & primipilus Lutherus paſſim agnoſcat; non eſſe præceptam ſingulis utramque ſpeciem; & atteſtetur, ſe Romanæ Eccleſiæ in alterutra ſolùm accipienda nolle obſequi. Nam de Captivit. Babyl. c. de Euchariſt. ait: *non hoc ago, ut vi rapiatur utraque ſpecies, quaſi neceſſitate præcepti ad hoc cogamur.* Et Epiſt. ad Bohemos: *quamvis pulchrum quidem eſſet, utrâque ſpecie in Euchariſtia uti: & Chriſtus hac in re nihil tanquam neceſſarium præcepit, præſtaret tamen pacem & unitatem, quam Chriſtus utique præcepit, Sectari potius, quàm de ſpeciebus contendere.* Nihilominus Tom. 7. Wittenb. fol. 367. pag. 2. de formula Miſſæ profitetur, *ſe hac in re nolle ab Eccleſiâ Concilio obſtringi; & ſi hoc permitteret utramque ſpeciem, tunc minimè omnium, inquit, nos vellemus utraque ſpecie potiri; imò in deſpectum tam Concilij quàm ſtatuti tum primùm vellemus aut alterutrâ tantùm, aut nequaquam utrâque potiri.* Tum quod alioquin Sectarij univerſim negent, præcepta DEI obſervari poſſe aut debere, rati ſolam fidem ſufficere. An Germanos ſitis adeo urget? ut quidam Poeta cecinit: *Da Calicem Calicem ſitiens Germania clamat.* Sed inſigniter à DEO puniti fuerunt ſitibundi iſti hæretici: Nam qui unicâ ſpecie Sacramenti contenti eſſe noluerunt, jam in utraque ſpecie nec micam Corporis, nec guttam ſanguinis Chriſti percipiunt; quia non habent legitimos Sacerdotes poteſtate conſecrandi præditos, & accidit illis, quod cani æſopico per pontem tranſeunti, qui fruſtum carnis ore tenens majori umbrâ carnis in aqua rivi conſpectâ hujus captandæ gratiâ ſuum fruſtum dimiſit, & ſimul umbram perdidit. Ita inquam Lutherani dum pertinaciter calicem inclamant; Chriſtum à ſe propulſant; nec enim quiſquam Chriſtum ſe habere aut retinere arbitretur, qui ejus corporis particeps non eſt, id eſt, Eccleſiæ, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 17. ajens, *unus panis, unum corpus multi ſumus.* Argumenta etiam nihil prorſus evincunt.

XVI. Reſpon. *ad 1. ex Joan. 6.* In hoc textu particulam *Et* ſumi copulativè hoc ſenſu: *niſi ſimul manducaveritis & biberitis.* Ita communiſſima interpretatio, quâ pleniſſimè ſatisfit huic præcepto per ſumptionem unius ſpeciei, cum in unica ſpecie ſimul corpus manducetur, & ſanguis bibatur; non enim dixit Chriſtus, niſi manducaveritis meam carnem ſub ſpecie panis, & biberitis meum ſanguinem ſub ſpecie vini, ſed niſi utrumque ſumpſeritis, quod fit in unica ſpecie. Nam quandocunque ſumitur caro ſive inſtar cibi deglutiendo, ſive inſtar potûs bibendo (ſicuti ægrotis deglutire non valentibus particula hoſtiæ in vino præberi ſolita) verè manducatur caro Chriſti, & ſi ſumatur ſanguis inſtar cibi v. g. cochleari, nihilominus verè bibitur; quia ad rationem manducationis ſufficit qualiſcunque modus ſumendi cibum, & ad potionem qualiſcunque ſumptio potûs, cujus exemplum habemus in pſal. 68. v. 22. ubi David de Chriſto prophetavit: *dederunt in eſcam meam fel*, quod tamen per modum potûs ſumpſit. Matthæi 27. v. 84. *Unus militum ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dedit ei bibere*, cui tamen

tamen aceto fel mixtum erat, & ſic unà comedit fel; ita ſanguis Chriſti hoſtiæ mixtus rectè dicitur in ea bibi. Aliæ hujus ipſius textûs interpretationes videri poſſunt apud Maldonatum, Cornelium à Lapide, Tannerum Tom. 4. Diſp. 5. Q. 8. à num. 158. & alios, è quibus interpretationibus nullam Adverſarijs favere, iidem AA. oſtendunt. *Ad 2. ex Matth. 25.* Nomine *omnium* tantùm intellectos fuiſſe Apoſtolos, qui erant præſentes; cum enim Chriſtus panem in varias partes diviſiſſet, & ſingulis Apoſtolis ſingulas dediſſet, calix autem eo modo dividi non poſſet, uni ex Apoſtolis integrum porrexit cum hac cautione, ut non putaret, totum ſibi eſſe ebibendum, ſed aliquid ſolummodo inde deguſtandum, ac deinde reliquis ordine porrigendum. Quare verba illa: bibite ex eo omnes, idem valent, quod iſta apud S. Lucam 22. v. 7. *accipite, & dividite inter vos,* id eſt, unus non exhauriat, ſed ſinguli aliquid bibant. Quod & factum eſt, ut teſtatur Marcus c. 14. v. 23. *& biberunt ex eo omnes*, illi ſcil. quibus à Chriſto dictum erat, bibite ex eo omnes. *Ad 3. ex Luca.* Hujus teſtamenti rationem non conſiſtere in ſumptione illius calicis, ſed in oculari propoſitione ſignificante pactum DEI cum hominibus initum, nempe quod propter paſſionem & ſanguinem Chriſti velit nobis peccata remittere, vitámque æternam concedere. Alluditur enim hoc verbo teſtamenti ad ritum veteris Teſtamenti victimarum ſanguine confirmati Exod. 24. v. 8. ubi Moyſes ſanguine aſperſit populum dicens: *hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit vobiſcum Dominus.* Quemadmodum igitur vis antiqui teſtamenti per ſanguinem confirmandi nõ cõſiſtebat in ſumptione, ſed in aſperſione ſacri ſanguinis, ita confirmatio novi Teſtamenti facta eſt nõ bibendo Chriſti ſanguinem, ſed ſpiritualiter aſpergendo per fidem. *Ad 4.* Si Major univerſaliter de omni actione & circumſtantia ac modo, quæ in cœnæ inſtitutione reperiuntur, intelligatur, eam eſſe manifeſtè falſam; alioquin oporteret ſemper cœnam aſſidendo, poſt lotionem pedum, in fracto & azymo pane &c. ſumere. Eſt igitur mandatum Chriſti circa formale, non circa quodvis materiale; illud autem eſt participatio Corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentalis; unde evaneſcunt omnia, quæ hic alij Novatores comminiſcantur.

XVII. *Ad 5.* Minorem illam gratis ſine ulla probatione ſubſumi depræcepto abſoluto; nuſquam enim Apoſtolus eam tradidit; imò vers. 27. alternativam ſumptionem haud obſcurè inſinuavit. Solùm ergo præceptum conditionatum concedi poteſt., hoc eſt; ſi quando biberitis, hoc facietis in memoriam Chriſti patientis. *Ad 6.* Si propriè & ſecundùm Evangelium loqui velimus, cœna Domini non conſtat niſi ex una ſpecie. Nam Matth. 26. v. 26. *cœnantibus illis accepit JESUS panem.* Similiter inquit Lucas 22. v. 20. *& calicem, poſtquam cœnavit.* Et 1. Cor. 11. v. 25. *Similiter & calicem poſtquam cœnavit.* Itaque in cœna non dedit niſi Euchariſtiam ſub ſpecie panis, quæ propriè reſpondet cœnæ Judaicæ, & agno paſchali: poſt cœnam verò dedit calicem. Unde Cyprian. ſerm. 5. de lapſu dicit, *calicem offerri ſolere præſentibus poſt ſolennia expleta.* Deinde etiamſi cœna Domini utrâque ſpecie conſtaret, tamen quia quælibet ſpecies continet rem utriuſque ſpeciei, tam integra cœna ex una, quàm ex duabus eſſet; ſola enim differentia eſſet in vaſis, quibus inferuntur cibi. Videri poteſt Bellarm. Lib. 4. cap 27. *Ad 7.* Gelaſium Papam tantùm locutum fuiſſe de Sacerdotibus celebrantibus, ut conſtat ex titulo illi canoni præfixo, qui ita ſe habet: *Corpus Chriſti ſine ejus ſanguine Sacerdos non debet accipere*; quia talis ſeparatio ſine Sacrilegio fieri non poteſt. Sunt etiam, qui putent, illum loqui ſolùm de Manichæis, qui ex ſuperſtitione ſe abſtinebant à ſacro Calice. Videri poteſt Becanus in Manuali lib. 1. cap. 9. conclus. 5. qui bene advertit, ſub Gelaſio adhuc remanſiſſe quoſdam Manichæos vinum ex abominabili opinione averſantes, quos idcirco Leo ejus anteceſſor ante 30. annos perſecutus fuit, ſed omnino eijcere non potuit. Unde *Ad 8.* Leonem Papam non damnare communionem ſub una ſpecie in Catholicis, qui eam legitimè tunc uſurpabant, ſed in Manichæis, qui ex ſacrilega ſuperſtitione à Calice abſtinebant, tùm quod putarent, vinum eſſe fel draconis, tùm quod negarent, Chriſtum eſſe verè mortuum, & verum ſanguinem effudiſſe. *Ad 9.* D. Cyprianum, ut probaret præceptum bibendi calicem, citaviſſe illud Joan. 6. *niſi biberitis &c.* Hoc autem præceptum, ut recèns diximus, non requirit utramque ſpeciem, ſed manducationem, & bibitionem ſanguinis, quæ fieri poteſt ſub una ſpecie panis. Et hoc inſinuat S. Pater, dum addit, *potus & eſca ad eandem pertinent rationem*; q. d. idem eſſe manducare ac bibere Chriſtum, ac proinde ſatisfieri per unam ſpeciem præcepto Evangelio, de quo ipſe loquitur.

XVIII. *Ad 10.* nullam hic fieri mentionem præcepti ſub utraque ſpecie. Nec Chryſoſtomus diſputat ibi de tali præcepto, ſed ſolùm aſſignat differentiam inter veteris ac novæ Legis Sacrificia. Nam in veteri Sacerdos unam Sacrificij partem, populus alteram comedebat; in Nova totum ſacrificium, quod ad viaticum attinet & offertur, æquè à populo, atque à Sacerdote participatur, & utrique totus Chriſtus ſecùndùm carnem & ſanguinem manducandus & bibendus proponitur, uti omnes ſacemur, nec aliud vult S. Pater. Quod verò addat: *omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum*, non de ſpeciebus, ſed de Carne & ſanguine intelligi debet; quippe ſenſus non eſt, omnibus tam laicis, quàm Sacerdotibus proponi eandem ſpeciem vini, quia hoc falſum eſt, cum ſinguli accipiant partes panis & vini inter ſe realiter diſtinctas, ſed omnibus proponi eandem Chriſti carnem & eundem ſanguinem, ita ut Sacerdos nihil carnis aut ſanguinis percipiat, quod non etiam percipiant Laici. Et in hac re ponit diſcrimen inter utriuſque legis populum & ſacerdotem. *Ad 11.* Concilium Claromontanum non juſſiſſe ſimpliciter utramque ſpeciem ſumi, ſed conditionaie, ſi ſumatur utraque ſpecies, non unitim, ſed ſeorſim ſumendam; quia tunc abuſus quidam irrepſerat, ut Sacerdotes metu effundendi ſanguinis non præberent calicem ſeorſim, ſed hoſtiam ſanguine tinctam contra inſtitutionem Chriſti. *Ad 12.* cùm Bellarmino Lib. 4. c. 27. Hebræos non bibiſſe aquam de petra ſimul cum cibo ſpirituali, ſed diverſo loco & tempore. Quare tam cibus ille, quàm potus ſignum fuit Euchariſtiæ ſub una ſpecie ſumendæ. *Ad 13.* hoc argumentum probare nimium; ſic enim abſtemij privandi eſſent Euchariſtia. Minor itaque falſa eſt; neque enim vinum eſt res Sacramenti, imò nec Sacramentum quidem, ſed

ejus

ejus ſpecies unà cum corpore Chriſti. Cæterùm argumentum hoc eſt contra Molinæum fol. 1183. ratum, nec vinum nec panem ſpectare ad eſſentiam hujus Sacramenti, & loco horum quemlibet alium potum & cibum adhiberi poſſe. Quod ipſum ſentiunt Calvinus, Beza & plerique Calviniſtæ; quibus adſtipulatur Melanchthon permittens Ruthenis mulſum pro vino. Catholici autem omnes tenent: ſemperque tenuerunt, Chriſtum in inſtitutione Euchariſtiæ materiam determinaſſe, ſcil. panem & vinum. Unde antiqui Chriſtiani ſemper pro hæreticis habuêre, qui aliud in Euchariſtia, quàm panem & vinum adhiberent. Videatur S.Thom. 3. p. q. 74. art. 1. *Ad 14.* falſum eſſe majorem in eo ſenſu, quo illam cudit Joan. Gerhardus hujus argumenti faber. Nam putat illud ſolùm eſſe præſens, quod vi verborum eſt præſens; quod negamus; cum etiam per concomitantiam aliquid fieri poſſit præſens. Quamvis igitur unâ eadémque actione formaliter vi verborum non fiat præſens ſanguis in conſetratione Hoſtiæ, fit tamen præſens realiter ac concomitanter per eandem actionem, quæ non niſi totum Chriſtum ponit. Hâc eâdem diſtinctione multæ aliæ hæreticorum cavillationes repelluntur, quæ idcirco referre omittimus. *Ad 15. & ultimum.* Euchariſtiam & Sacramentum & Sacrificium eſſe; iſtud neceſſariò utramque ſpeciem requirere: non illud. Cum igitur Sacerdotes Sacrificium peragant: Laici verò ſolùm Sacramentum ſumant, non eſt ab illis ad hos argumentatio, ut magis infra patebit.

XIX. Hæc de communione ſub una ſpecie; quæ omnibus retrò ſæculis viguit in Eccleſia Chriſti. Et licet ſubinde utraque etiam ſpecies daretur, tamen communio ſub una ſpecie ſemper ſimul permanſit apud infirmos; abſtemios &c. item licet ſubinde alibi ſub una, alibi ſub utraque ſpecie daretur communio, ex hoc tamen nulla inter Eccleſias orta fuit lis, nulla inter Epiſcopos diſſenſio, nulla partis alterius condemnatio; nullum ſchiſma, nulla hæreſis; quia ſcil. Eccleſiæ Paſtores & Doctores optimè intellexerunt, nihil hic agi contra inſtitutionem Chriſti, nihil contra præceptum divinum, ſed id cuique Eccleſiæ liberum relinqui. Unde mirum ſanè, ſiquid hic erroris & fraudis in ſubtracto Calice contra divinum præceptum interveniſſet, id à nullo Concilio, à nullo Epiſcopo, à nullo unquam Doctore animadverſum fuiſſe; aut Eccleſiam tam diu à Spiritu Sancto deſertam perſtitiſſe! Hæc profectò talis eſt conſideratio, ut cuilibet viro prudenti & ſuæ ſalutis cupido ſitim calicis extingere, & unâ contentum ſpecie à Sectarijs ad Catholicos, ac veram iſtorum Eccleſiam (in qua ſola veriſſima habentur Sacramenta) reducere juremeritiſſimo poſſit.

CONTROVERS. LXXIII.

DE SACRIFICIO MISSAE.

SAcrificia inter Fideles in Lege Naturæ æquè ac Moyſaica, imò inter Infideles ſemper fuerunt uſitata, præſertim mactationes pecorum; quia iſte honor ac cultus videbatur hominibus ſummus, quem in hac vita divinæ Majeſtati exhibere poſſent. Sed quid honoris aut commodi percipere DEUS potuit ex mactatione pecorum? nunquid odit illa & exterminari voluit? non. *Diligis DEUS omnia quæ ſunt, & nihil odis eorum, quæ fecit* Sap. 11. v. 25. an delectabatur odore holocauſtorum? non; Quæ enim delectatio ex combuſtione cadaverum hauriri queat? an carne eorum veſci cupivit? non. *Nunquid manducabo carnes taurorum aut ſanguinem hircorum potabo?* Pſal. 49. v. 13. Pro dubitationis hujus & Sacrificij explanatione.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina. prima. Sacrificium in Sac. Scriptura dupliciter ſumitur. *Primò.* latè & impropriè pro omni opere bono, quod inſtar Sacrificij. DEUM placat & conciliat; quomodo ſumitur Pſal. 4. v. 6. *Sacrificate Sacrificium juſtitiæ. Secundò* ſtrictè & propriè pro certo quodam cultu externo, & quidem in genere oblationis & ſigni ſacri, quem cultum DEO tanquam rerum omnium principio ac ſupremo Domino exhibemus; & ſequentia concurrere ad illum debent. 1. materia quædam externa DEO offerenda, ut taurus vitulus &c. 2. intentio & voluntas DEUM hoc cultu venerandi. 3. obligatio ejus verbalis aut cæremonialis, quâ ſignificatur in honorem Dei agi. 4. inmutatio rei oblatæ, ut occiſio, combuſtio, effuſio 5. ſignificatio tali immutationi legitimè impoſita; nimirum Omnipotentiæ, Excellentiæ Dei, cui jus & fas ſit, omnia deſtruere, cùm dederit omnibus eſſe, & omnia conſervet, alioquin mox in nihilum ſuum ruitura: & in cujus honorem nos vitámque noſtram offerre vellemus, ſi ita oporteret. Ex his *Intentio cultûs divini* eſt omnino neceſſaria, utpote ſine qua ritus externus mactandi bovem lanienæ potius, quàm ſacrificij habet imaginem. *Materia externa* eſt etiam neceſſaria; circa quam actus ſacrificatorius verſetur, necquælibet eſſe poteſt, ſed res aliqua DEO digna, utpote cultui externo inſerviens, & corruptibilis, & cujus deſtructione ſignificatur, quod per ſacrificiū intendimus. *Verbalis oblatio* materiæ ad rationem ſacrificij abſolutè neceſſaria non eſt, ut rectè Suarez D. 72. ſect. 31. quia nec levitici Sacerdotes, nec Chriſtus ipſe in cruce vel cœna ſuum ſacrificium peculiaribus verbis obtuliſſe leguntur. Licet igitur oblatio ſit eſſentialis ſarcificio, non tamen fieri debet per verbà, & in actu ſignato, cùm ipſamet actio ſacrificativa ſit in actu exercito quædam oblatio facilè intelligibilis ex circumſtantijs loci temporis modi &c. *Immutatio & Deſtructio* eſt quoque neceſſaria, quia ſine aliqua deſtructione non apparet, quænam peculiaris proportio ſit potius in Sacrificio ad ſignificanda ea, quæ per ipſum ſignificari debent, quàm in qualibet alia oblatione in recognitionem ſupremi dominij & excellentiæ divinæ facta; per deſtructionem autem aptiſſimè ſignificantur, quæ per ſacrificium ſignificari oportet. Utrum autem deſtructio hæc phyſica eſſe debeat, aut moralis immutatio ſufficiat, infra dicetur. *Significatio denique myſtica* accedere debet, ſine

bet, ſine qua illa immutatio & deſtuctio protſus eſſet profana. Eſſentialis autem eſt ſignificatio divinæ Omnipotentiæ, Exellentiæ. &c. quaſi Sacrificans expreſſis verbis diceret: *Quemadmodum ego hunc vitulum occido, ita DEUS tanquam ſupremus Dominus jure poſſet, ſi vellet, nos omniáque noſtra diſperdere, digniſſimus, in cujus honorem vita noſtra conſumeretur*; *id quod humiliter hoc ritu proteſtor.* Ex his

II. *Doctrina ſecunda.* Sacrificium eſt oblatio rei alicujus DEO facta in commune ſignum ſupremi dominij DEI in vitam & necem. Ita Arriaga Diſp. 49. n. 28. cum qua definitione fere conveniunt cæteræ ab alijs afferri ſolitæ. Explicatur & dicitur 1. oblatio, per quam indicatur, quod Sacrificium ſit actus diſtinctus ab alijs Religionis actibus 2. DEO facta; quia nulli alteri poteſt fieri, niſi vero DEO; eſt tamen Sacrificium vero Deo oblatum toti SS. Trinitati commune, licet unica Perſona exprimatur; ſiquidem ratio offerendi ſcil. Omnipotentia, Excellentia &c. eſt communis omnibus Perſonis. 3. in commune ſignum; Sacrificium enim debere eſſe commune & publicum, omnes fere docent, ut teſtatur Arriaga num. 12. Nec obſtat, privatas olim perſonas privatâ etiam authoritate ſacrificia obtuliſſe, uti Abel, Jacob, Abraham &c. etenim iſtæ fuerunt perſonæ publicæ, & ſuarum ſaltem familiarum Capita, ac proinde habuerunt authoritatem inſtituendi ea ſacrificia. Ob quam rationem Chriſtus Dominus, etſi unica perſona fuerit, & unicam mortem obierit, potuit authoritate, quâ pollebat ſummâ efficere, ut ipſius mors eſſet ſignum commune ac proinde verum etiam ex hoc capite Sacrificium. 4. Supremi Dominij &c. per quam diſtinguitur actus Religionis, qui eſt Sacrificij, à tribus alijs actibus Religionis, ſcil. Laudis DEI, quæ conſiſtit in verbis, & circa omnia attributa DEI verſatur: Adorationis, quæ cognoſcit Excellentiam ſeu Claritatem & Dignitatem divinam: Oblationis ſimplicis, quæ attendit ſupremum DEI dominium omnium rerum; cum tamen juxta prædictas voces Sacrificium ſpectet idem ſupremum Dominium, & DEUM ut authorem vitæ & mortis. Studio autem nulla fit mentio in definitione, an immutatio phyſica eſſe debeat, an ſufficiat moralis rei ſignificatæ, de quo infra.

III. *Doctrina tertia.* Sacrificium Miſſæ eſt verum ac propriè dictum Sacrificium. Ita Card. Bellarminus Tom. 2. L. 1. de Miſſa à cap. 6. & omnes Catholici Doctores, definitúrque in Trident. Seſſ. 22. can. 1. his verbis: *Siquis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum ac proprium Sacrificium, anathema ſit.* Prob. 1. ex illo Pſalmi 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; unde ſic argumentamur. Chriſtus ſi fuit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, tunc ſacrificavit in pane & vino, ſicuti olim Melchiſedech Gen. 14. v. 18. *Protulit panem & vinum*; *erat enim Sacerdos Altiſſimi.* Sed Chriſtus fuit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech juxta cit. propheriam Davidis, quod Chriſtus de ſe expoſuit Matth. 22. v. 44. & Paulus ad Heb. 5. vers. 6. Ergo Sacrificavit in pane & vino, ſicuti fecit in ultima cœna conſecrando panem & vinum, atque Apoſtolos imitari juſſit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi ipſum verbum *facite* favet ſacrificio, quia *facere* apud Latinos & Hebræos ſignificat ſacrificare. Major hujus Syllogiſmi probatur. Si Chriſtus in ritu ſacrificandi non imitatus fuiſſet Melchiſedech, nulla prorſus ratio foret, cur potius Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, quàm Aaronis & cujuslibet alterius Sacerdotis diceretur, cum nec ex Stirpe Melchiſedech prognatus fuerit, nec illi in officio ſucceſſerit, nec aliâ ſpeciali ratione illi potius, quàm alijs Sacerdotibus ſimilis fuerit. Accedit textus hebraicus; etenim ubi nos in Latino legimus ſecundùm ordinem, in hebraico eſt *ſecundùm ritum & morem Melchiſedech*, græce κατὰ τὴν τάξιν ſecundùm diſpoſitionē & præſcriptum ordinē. Probatur 2. ex prædictionibus aliorum Prophetarum, qui vaticinati ſunt, Gentiles ad DEUM converſos ubique & jugiter Sacrificaturos. Malachiæ 1. v. 11. *ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt Nomen meum in Gentibus, & in omni loco Sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt Nomen meum in Gentibus, dicit Dominus DEUS exercituum.* Iſaiæ 66. v. 20. *adducent omnes Fratres veſtros de cunctis Gentibus*: v. 21. *& aſſumam ex eis in Sacerdotes &c.* Quæ prophetiæ non eſſent veræ, niſi conſecratio corporis & ſanguinis Chriſti eſſet verum propriéque dictum ſacrificium. Quia Chriſtiani ex Gentibus converſi non habuerunt aliud ſacrificium, quod ubique liceret immolare; ſiquidem Sacrificium crucis, in quo Chriſtus ſeipſum cruento modo Patri Sacrificavit, ſolùm uno loco ſcilicet in monte Calvariæ & tantum ſemel oblatum fuit, in quo ipſe ſacerdos fuit, & nemo alius. Quapropter debet aliud ſacrificium aſſignari, quod in toto mundo à varijs Sacerdotibus immoletur; aliud autem aſſignari non poteſt, niſi conſecratio Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ fit in Miſſa, ut affirmat Tirinus in allatum Malachiæ textum ex unanimi SS. Patrum & orthodoxorum Doctorum conſenſu.

IV. Probatur 3. ex Apoſtolo Paulo ad Hebræos 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo ſerviunt.* Unde ſic argumentamur. Si Chriſtiani habent altare, tum habent ſacrificium; quia altare eſt locus ſacrificij, & hæc correlativa ſunt, altare, ſacrificium, victima, Sacerdos. Sed habemus altare juxta citatum Apoſtoli locum. Ergo & habemus Sacrificium: & non aliud quàm Euchariſticum, unde nobis edere licet; quia vetera ſacrificia ovium, boum &c. prorſus abrogata & à Chriſto prohibita ſunt. Qui etiam tabernaculo in veteri Teſtamento ſervierunt, non habuerunt poteſtatem comedendi de hoc altari, quia corpora vituli & hirci, quorum ſanguis expiatorius peccatorum totius populi ferebatur ſemel quot annis per Pontificem in ſancta ſanctorum: & erant typus Chriſti, ac repreſentabant victimam corporis & ſanguinis ejus in Euchariſtia æquè ac in cruce, non poterant more vulgarium comedi in caſtris à Sacerdotibus vel Levitis, ſed debebant extra caſtra cremari, videri poſſunt Cronelius à Lapide, Tirinus, & alij Interpretes in hunc locum Probatur 4. ex SS. Patribus, qui multipliciter oſtendunt, in Miſſa verum offerri ſacrificium. Tum quia non rarò diſertis id verbis affirmant. Tum quia aiunt, hoc ſacrificium fuiſſe præfiguratum per ſarificia legis Moyſaicæ, & ijs multò eſſe præſtantius. Tum quia aſſerunt, eam oblationem fieri ſoli DEO, non autem Sanctis. Tum quia docent, Euchariſtiam offerri pro vivis & defunctis. Tum denique quia agnoſcunt veros Sacerdotes, ultimque Altarium, quæ non alio fine inſtitui ſolent, niſi ut in ijs offerantur

ſacrificia

Sacrificia propriè dicta. Refert hos ordine temporum Jacobus Gualterius in Tabula chronographica. Sufficiat hic unus D. Cyprianus, qui lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium ita ſcribit: *Si JESUS Chriſtus Dominus & DEUS noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos DEI Patris, & Sacrificium ipſe DEO patri primus obtulit, & hoc fieri in ſui memoriam præcepit, utique ille Sacerdos uice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur & Sacrificium verum ac plenum nunc offert in Eccleſia DEO Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Ecce Cyprianus clariſſimis verbis docet, Chriſtum in cœna ſeipſum obtuliſſe, & præcepiſſe, ut iſtud poſtea in ſui memoriam fieret; quod dum facit Sacerdos, obit munus Chriſti, offértque DEO Patri verum ac plenum Sacrificium in Eccleſia. Probatur 5. duplici ratione. Prima eſt, quod ſi Euchariſtia non eſſet verum Sacrificium, ſequeretur in Chriſtiana Religione nullum eſſe Sacrificium propriè dictum: Hoc autem abſurdiſſimum eſt, cum nulla unquam Religio extiterit, quæ ſuis ſacrificijs caruerit. Altera eſt, quod in celebratione Miſſæ omnia neceſſaria ad veram rationem Sacrificij reperiantur, nempe Sacerdos, Altare, Res oblata, oblatio facta DEO, Rei oblatæ quædam immutatio, & Hoſtiæ conſumptio, ut ex dictis jam patet, & magis ex dicendis conſtabit.

V. Porro controverſum etiam inter Scholaſticos, in quanam Actione Miſſæ propria ratio Sacrificij reperiatur? Prima ſententia eſt aliquorum apud Dicaſtillo Tr. 5. de Sacrif. D. 1. n. 135. Verbalem oblationem, quæ fit tum in offertorio, tum maximè poſt conſecrationem, pertinere ad rationem Sacrificij. Sed contra eſt, quod ſupra jam diximus, Verbalem oblationem non eſſe de ratione Sacrificij. Secunda eſt Cani L. 12. Locorum c. 15. ad 4. & nonnullorum, Fractionem ſaltem partialiter eſſe de eſſentia hujus Sacrificij. Sed contra eſt, quod peragi poſſit Sacrificium abſque omni fractione v. g. ſi hoſtia conſecrata ante ſumptionem cadat in calicem, tum enim non frangitur, ut habetur in Miſſali Romano. Atqui non poſſet omitti fractio, ſi eſſet Sacrificio eſſentialis. Tertia & valde communis eſt opinio in ſola conſecratione totam eſſentiam Sacrificij conſiſtere. Sed contra eſt, quod iſti Authores oſtendere non poſſint, quomodo res oblata deſtruatur. Ergo non eſt Sacrificatio. Quarta eſt Alberti in 4. Diſt. 13. & aliornm in ſola ſumptione conſiſtere rationem Sacrificij. Sed contra eſt, quod ſumptio Hoſtiæ non ſit oblatio DEO facta, ſed, ut ita dicam, nobis facta. Ergo &c. Quinta denique eſt Card. de Lugo D. 19. Sect. 5. & aliorum RR. utramque actionem, nempe conſecrationem & ſumptionem pertinere ad eſſentiam hujus Sacrificij. Addunt tamen iſti, poſitâ conſecratione jam haberi ſubſtantialem ſacrificationem, nec hoc obſtare, quin adveniente ſumptione ponatur altera pars ejus ſubſtantialis ſacrificationis, ſicut quando Sacerdos ſumit mediam hoſtiam, cenſetur ſubſtantialiter ſumere hoc Sacramentum, & tamen ſumptio alterius mediæ partis eſt aliquid ſubſtantialiter pertinens ad ſumptionem Sacramenti. Sed contra eſt, quod utrique parti hujus opinionis jam objecimus; & ſi ſumptio ſaltem integralis pertineat ad ſacrificium, deberet Sacerdos omnes, quas conſecravit Hoſtias, ſumere, ne rationem Sacrificij quoad integrale complementum relinqueret imperfectam, quod eſt contra communem praxin.

VI. *Doctrina quarta.* Ex relatis ſententijs probabiliſſima videtur tertia, quæ aſſerit, ſolam conſecrationem eſſe propriè & formaliter Sacrificium. Ita D. Thomas Q. 82. art. 4. ad 1. ubi ait, conſecrationem Euchariſtiæ non eſſe, ſicut conſecrationem Chriſmatis; prior enim Sacrificium eſt: non poſterior. Similia habet paſſim D. Bonaventura in 4. Diſt. 13. art. 1. q. 4. & innumeri alij Veteres juxta ac Recentiores, quos copiosè enumerat & ſequitur P. Dicaſtillo D. 1. cit. n. 176. imò, ut ait Arriaga D. 50. n. 6. omnes ferè RR. Probatur 1. authoritate Patrum, qui ſatis frequenter videntur conſtituere rationem Sacrificij in ipſâ conſecratione, verba eorum legi poſſunt apud cit. Auth. Sufficiat modò S. Gregorius Nyſſenus L. de Bapt. ajens: *In principio panis eſt, at ubi illum myſterium ſacrificaverit* (nempe ſacrificio per conſecrationem peracto) *Corpus Chriſti & dicitur & eſt.* Probatur 2. Ex forma, quâ ordinantur Sacerdotes per verba illa: *accipite poteſtatem offerendi ſacrificium.* Nam conſtat, characterem Sacerdotum, qui per verba illa datur, directè & primariò eſſe ad ſacrandum Corpus Chriſti. Ergo ex iiſdem verbis habetur, characterem dari tanquam poteſtatem directam & per ſe ordinatam ad offerendum Sacrificium; quia actus conſecrandi corpus Chriſti idem formaliter eſt, quod actus ſacrificandi. Probat. 3. ex ratione. Tum quia certum eſt, Chriſtum in cœna obtuliſſe verum ſacrificium: non eſt autem æquè certum, ſumpſiſſe Euchariſtiam. Ergo ipſâ conſecratione obtulit; ſi enim communio pertineret ad rationem ſacrificij, Evangeliſtæ eam non omiſiſſent, utpote actum potiſſimum & eſſentialem, quem Chriſtus Apoſtolis ſuis præceperat. Tum quia Chriſtus nunc eſt principalis offerens unà cum Sacerdote. Atqui non ſumit corpus ſuum per Sacerdotem, ſicut conſecrat illud verbis Sacerdotis. Ergo Sacerdos non offert Sacrificium, quando ſumit corpus Chriſti, ſed quando conſecrat. Ergo in ſola conſecratione conſiſtit ratio hujus ſacrificij. Confirmatur doctrina iſta ſolutione variarum objectionum.

VII. *Objicitur 1.* In hac doctrina oſtendi non poteſt, quomodo res ſacrificata deſtruatur. Pro reſponſione ad iſtud argumentum ſupponimus, de eſſentia Sacrificij non eſſe phyſicam immutationem, ſed ſolùm moralem rei ſacrificatæ. Ita Arriaga D. 49. à num. 20. & hoc teſte graves alij Authores, atque inprimis hoc tradit S. Thomas 22. q. 85. art. 3. ad 3. ubi explicans ex profeſſo differentiam ſimplicis oblationis à ſacrificio docet, circa res oblatas nihil fieri factum: & hoc ſacrum non requirere determinatè, ut ſit mactatio aut conſumptio victimæ: ſed disjunctivè eſſe vel mactationem vel benedictionem victimæ, quâ benedictione illa res ſit ſacra juxta etymologiam nominis Sacrificij, id eſt, ſacrum facio. Fundamentum hujus ſumitur ex Scriptura, in qua videntur aliqua eſſe ſacrificia ſine illâ immutatione phyſica v. g. Numeror. 5. *Sacrificium Zelotypiæ.* Levit. 21. *Sacrificium panum propoſitionis.* Genes. 14. *Sacrificium Melchiſedech.* Levit. 16. *Sacrificium duorum hircorum pro peccato &c.* quæ omnia eruditè oſtendit Arriaga loc. cit. &, vera extitiſſe ſacrificia, & nullam in eis interveniſſe immutationem. Confirmatur. Quia unius oblati deſtructio, & alterius productio magis idonea eſt ad ſignificandam DEI Omnipotentiam, cujus duo ſunt opera, ſcil. res deſtruere, & producere; prius ſignificatur per de-

per deſtructionem panis & vini: poſterius per productionem vel adductionem Chriſti, ut hinc appareat, DEI dominium non tantùm conſiſtere in rebus deſtruendis, ſed etiam producendis. Negari etiam non poteſt, commodius ſic oſtendi, quo pacto Chriſtus in Altari ſacrificetur: & deſtructionem panis eſſe ſufficienter ſenſibilem; quamvis enim non ſentiatur per viſum, tamen ſentitur per auditum; cum enim id in conſecratione, quod modò panis erat, vocetur Corpus Chriſti, & id, quod erat vinum, dicatur ſanguis Chriſti, facilè colligi poteſt, perijſſe panem & vinum; alioquin non potuiſſet verè dici Corpus & Sanguis Chriſti. Reſpon. igitur ad objectionem, non eſſe omnino neceſſariam ullam victimæ deſtructionem in ſacrificio, ſed ſacrificari in conſecratione Chriſtum; quia offertur DEO Patri in ſignum publicum divini ac ſupremi dominij in vitam & mortem noſtram. Et quia ſupra ſimplicem oblationem additur phyſica productio Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, per hoc includitur quædam moralis ſanctificatio ipſiuſmet Chriſti, & totius illius complexi ex Chriſto & ſpeciebus; cum totum illud pertineat ad rationem ſacrificij ſeu victimæ; ſiquidem victima & ſacrificium debet eſſe res viſibilis ſive immediatè, ſive mediatè.

VIII. *Obijcitur 2.* Aliqui Patres communionem Sacerdotis vocant Sacrificium. Et Concilium Toletanum reprehendit illos, qui in Sacrificio non ſumebant Corpus & ſanguinem Chriſti: *quale*, inquit, *erit Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe dignoſcitur*; quibus verbis indicat, in participatione, ſive ſumptione conſiſtere rationem hujus Sacrificij. Reſpon illos nomine communionis intellexiſſe totum actum Sacrificij, qui etiam communionem Sacerdotis complectitur, unde Toletanum cit. miratur, quale ſit Sacrificium, cujus Sacerdos ipſe non fuit particeps, quamvis ex verbis, quæ ſtatim ſubjungit, ſatis colligatur, ſumptionem non eſſe partem eſſentialem Sacrificii, ſic enim loquitur: *ergò modis omnibus tenendum, ut quotieſcunque Sacrificans Corpus & Sanguinem Chriſti in altari immolet, toties perceptionis Corporis & ſanguinis Chriſti ſe participem præbeat.* Ubi clarè apparet, immolationem & ſumptionem diſtingui.

IX *Obijcitur. 3.* Si ſumptio non eſt de eſſentia Sacrificij, non eſt, cur adeo urgeatur & præcipiatur tam ſeverè. Reſpon. Chriſtum præcepiſſe ſumptionem, atque ideo eam tantopere urgeri; quia enim hoc Sacrificium inſtituebat ſimul per modum Sacramenti, jure merito, ut in ipſo cauſaret Sacrificante gratiam, juſſit illum de eo Sacrificio participare. Atque de hoc Sacramento (non Sacrificio (ait D. Thomas q. 83. art. 2. ad 2. *Sumere Sacerdotem Feriâ ſextâ in Paraſceve, ne Eccleſia careat fructu Paſſionis.* Quamvis autem Sacrificium non conſiſtat eſſentialiter in ſola communione, nec exigat hant vel ut partem vel ut complementum ſubſtantiale, exigit tamen eandem ut ornatum & perfectionem accidentalem, ut expreſsè docet cit. S. Doctor art. 4. & cæteri Scholaſtici.

X. *Doctrina quinta quedam ex dictis complectens corollaria. Primum.* Sacrificium & Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter differre. Nam Sacramentum eſt permanens in ipſis ſpeciebus Chriſtum continentibus: Sacrificium verò eſt tranſiens. Adhæc Sacramentum ſignificat gratiam homini conferendam: Sacrificium autem Potentiam, Excellentiam, Dominium DEI ſupremum &c. unde fit, Sacrificium ratione ſigni eſſe Sacramento præſtantius. *Secundum.* Chriſtum ſolam hujus Sacrificij ſubſtantiam & perfectionem inſtituiſſe, omnibus ritibus & ceremonijs Eccleſiæ diſpoſitioni relictis, ut notat Tridenrinum Seſſ. 22. c. 1. cum tamen in veteri teſtamento omnes ritus & ceremonias DEUS præſcripſerit. *Tertium.* Sacrificium crucis & ſacrificium Euchariſtiæ juxta nos non diſtingui ſpecie, cum utrumque quoad hoſtiam ſit idem; quamvis in modo immolandi cruentè & incruentè differant. *Quartum.* Ad eſſentiam noſtri ſacrificij neceſſarium eſſe utriuſque ſpeciei conſecrationem, ut communiſſima habet Doctorum Catholicorum ſententia. Ratio eſſe poteſt; quia ſi altera tantùm conſecraretur, non repræſentaretur ſatis expreſsè etiam modo incruento ipſum ſacrificium Crucis, quatenus in eo ſanguis ab illius corpore fuit realiter ſeparatus; Quapropter nunquam licet rem divinam facere cum ſola unius ſpeciei conſecratione; ſi tamen iſtud caſu quodam fieret, valida foret conſecratio, quia conſecratio unius tantùm ſpeciei, licet non ſit verum ac perfectum, eſt tamen inchoatum ſacrificium, & habet effectum ſuum ſtatim ante conſecrationem alterius ſpeciei, hoc eſt, præſentiam Chriſti Corporis ſub ſpeciebus panis; alioquin ſi per errorem ſola aqua conſecrata fuiſſet, non foret valida conſecratio hoſtiæ, quod nemo dixerit.

XI. *Doctrina ſexta.* Sacrificij naturæ & eſſentiæ varia nomina perquam aptè fuerunt impoſita. Nam 1. græco nomine vocatur *Liturgia*, id eſt, publicum officium; quia Sacrificium publico nomine totius Eccleſiæ peragitur. 2. vocatur *Collecta*, ſeu Collectio; quia Fidelibus in unum collectis Sacrificium communi omniumnomine offerebatur. 3. dicitur *Dominicum*, ut ex Baronio teſtatur Spondanus An. Chriſti 303. n. 3. quia in ſacrificio Chriſtus Dominus Sacrificatur, ac Sacerdos ejus perſonam agit. 4. hodie communiter *Miſſa* vocatur, quod nomen non eſt novum, ſed apud antiquiſſimos Pontifices & Patres reperitur, ut videre eſt apud Jacobum Keller in Cotholico Papatu Tom. 1. fol. 571. Unde verò hoc nomen deductum ſit, variant Doctores. Aliqui putant eſſe hebraicum à radice *Maſas*, quod ſignificat liquefacere, ex quo formatur verbale *Miſſa*; id eſt, oblatio, & quaſi liquefactio, dum res aliqua in DEI honorem diſolvitur; & quaſi liquefit, quæ opinio idonea eſt ad refutandos hæreticos, qui volunt ſibi nomen in Sac. Scriptura oſtendi; poteſt enim facilè oſtendi in Biblijs hebraicis Deut. 16. v. 10. ut fatetur Sebaſtianus Münſterus in ſuo dictionario hebraico. Alij putant, eſſe nomen latinum priſcis Romanis uſitatum pro miſſione ſeu dimiſſione; atque hæc ſententia eſt communior apud Catholicos DD. qui dicunt, hoc ſacrificium Miſſam appellatum ab accidentali cæremonia; cum Diaconus in fine Sacrificij canendo *Ite Miſſa eſt*; dat licentiam abeundi.

XII. *Doctrina ſeptima.* Sacrificium quatruplex aſſignari ſolet ex quatruplici fine ſcil. Recognitione ſupremi dominij: Gratiarum actione pro acceptis beneficijs: Petitione beneficiorum novorum: & Expiatione peccati. Hinc primum Sacrificium eſt *Latreuticum*, quo teſtamur, nos eſſe ſervos Dei, cui omnia debemus. Secundum *Euchariſti-*

chariſti-

Digitized by Google

chariſticum, quò oſtendimus nos gratos pro acceptis beneficijs. Tertium *Impetratorium*, quo petimus nova beneficia. Quartum denique *Propitiatorium*, quo ſtudemus DEUM placare, ut nobis peccata noſtra condonet. Porro Sacrificium in ordine ad DEUM eſt Latreuticum: in ordine verò ad hominem Euchariſticum, varióſque huic affert fructus. *Primus* eſt iſque maximè proprius & immediatus Satisfactio pro pœnis poſt remiſſa peccata reſtantibus, pro quibus offeruntur DEO merita & ſatisfactiones Chriſti in cruce præſtitæ. Hic effectus eſt infallibilis, ſi non adſit obex in eo, pro quo Miſſa offertur, ut teſte Arriaga D. 51. num. 12. communiter omnes fere docent Theologi, idque non tantùm reſpectu vivorum, ſed etiam mortuorum; ſiquidem ad utroſque æquè ſe extendit poteſtas Chriſti, qui hoc Sacrificium inſtituit; quamvis Scotus, Canus & alij apud Dicaſtillo D. 2. num. 50. de mortuis negent. Sed dici poteſt, licet non ſemper tota pœna temporalis remittatur, ſemper tamen remitti aliquid, niſi adſit obex (etenim peccatoribus in peccato mortali hærentibus nulla pœna etiam venialium peccatorum remittitur) & quidem ex opere operato ut habet communis jam ſententia Theologorum apud Tannerum Tom. 4. Diſp. 5. Quæſt. 9. n. 95. Intelligenda autem eſt hæc remiſſio de pœnis alterius vitæ, non præſentis; quia DEUS crebrò immittit temporales pœnas v. g. bellum, peſtem, famem &c. quæ nullis Sacrificijs tolli poſſunt, ut docent experientiæ; quippe DEUS ad ſuam gloriam & aliorum ſalutem cenſet neceſſarium ſtatuere exemplum juſtitiæ. Præter hanc extinctionem pœnæ temporalis per modum ſatisfactionis extinguitur etiam aliquid ejuſdem pœnæ per modum impetrationis, eò quod à DEO petatur ea remiſſio, ut cum alijs tenet Lugo Diſp. 19. n. 148. quamvis univerſim impetratio non habeat infallibilitatem, ſicut ſacrificium, ſiquidem non ita expediebat. Et hanc impetrationem verſari puto circa pœnam temporalem ſive circa hujus ſive alterius vitæ, cum non minus illam, quàm hanc petere poſſim. *Secundus* eſt remiſſio culpæ tam mortalis, quàm venialis, ſed utriuſque tantùm mediatè, quatenus ſcil. impetrat gratiam actualem ad eum actum ſupernaturalem, quo remitti illæ ſolent. Ita plures Theologi, quos citat & ſequitur Dicaſtillo D. 3. n. 13. & 31. Nam non habemus ullum fundamentum vel ex voluntate Chriſti, vel ex Concilijs & Patribus aliud ſentiendi, ut bene Arriaga loc. cit. n. 6. Ob quam etiam cauſam communis ſententia hujuſmodi effectum infallibilem eſſe negat.

XIII. *Tertius* eſt augmentum gratiæ Sanctificantis, qui tamen fructus non immediatè ex hoc Sacrificio ſequitur (immediata enim productio gratiæ Sanctificantis propria eſt Sacramentorum) ſed mediantibus auxilijs actualibus ad exercenda opera meritoria obtinetur: nec ſequitur infallibiliter; quia per vim Sacrificij non ſemper confertur gratia efficax, ſed ſubinde merè ſufficiens, abundantior tamen, quàm neceſſe foret, ut docet experientia, quia non ſemper boni & meliores fiunt, pro quibus ſacrificatur. Videatur Tanner loc. cit. n. 93. *Quartus* denique eſt bonorum Spiritualium & temporalium impetratio, ut SS. Patres & Scholaſtici frequenter docent, & declarat uſus & conſuetudo univerſæ Eccleſiæ, quæ hoc Sacrificium offert pro quibuſcunque hominum neceſſitatibus. Nam ſi DEUS Judaica ſacrificia adeo honoravit, ut Hieroſolymis in probatica piſcina (ubi boves lavabantur, & quò ſordes victimarum ex altari per occultos meatus derivabantur) quot annis certo tempore per aquæ fluctuationem indicato primum quemque quovis morbo laborantem miraculosè ſanaret Joan. 5. quanto plus tribuet Sacrificio Miſſæ, in quo DEI Filius immolatur? id certè plurima & quotidiana miracula teſtantur. Ut nihil dicam de morbis curatis; ingentes victorias miſſæ beneficio reportatas à Juſtino contra Perſas, & à Rege Angliæ contra Danos, refert Baronius Tom. 7. & 10. Notant tamen Suarez D. 79. ſect. 2. Dicaſtillo loc. cit. n. 56. & alij hunc effectum & fructum non eſſe infallibilem ex opere operato, ſed per modum impetrationis, quæ teſte experientiâ ſæpè differtur in tempus opportunum, cum tamen remiſſio pœnæ temporalis, quam diximus infallibilem, ſtatim completâ eſſentiâ Miſſæ Sacrificij confertur; quia non eſt ratio differendi. His accedunt alij effectus ex opere operantis, nempe ex fide & devotione Sacrificantium & aſtantium Sacrificio, qui ſicuti alijs bonis operibus pro peccatis ſatisfaciunt, gratias merentur, & varia beneficia obtinent, ita piâ celebratione vel auditione Miſſæ tanquam inſigni bono opere ſimilia præmia impetrant. Cætera verò, quæ de Sacrificio tractari ſolent, extra forum Controverſiarum ſunt.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XIV. *Error primus eſt*, Miſſam non eſſe Sacrificium, ſed recens Pontificiorum commentum; idololatriam; blaſphemiæ opus, notam Eccleſiæ Anti-Chriſtianæ, Sacrificij ac Paſſionis JESU Chriſti abnegationem. Ita Calviniſtæ apud Petrum Molinæum in novo Papatu à fol. 981. & rurſus fol. 1186. Et apud Ameſium cont. Bellarm. à fol. 158. Item Lutherani univerſim apud Gerhardum in Confeſſ. Auguſt. Part. 2. à fol. 115. Nominatim verò ex iſtis præfervidè Sacrificium Miſſæ oppugnat duabus vicibus primò latinè, dein vernaculo ſermone Jacobus Reihing ſuam inde apoſtaſiam obtecturus; ſed expalliatus eſt turpis Apoſtata à P. Simone Felice in lib. contra ipſum ſcripto Diſp. VIII. Præjuerunt olim circa annum Chriſti 1050. Bogomiti, qui illam dæmonum in Eccleſijs habitantium ſacrificium vocârunt. Aliàs ante Wicleff, Lutherum & Calvinum non eſt ullum reperire, qui miſſæ ſacrificium factis & ſcriptis oppugnârit. Fatetur etiam ipſe Lutherus in Lib. de privato uſu Miſſæ anno 1534. edito, *ſe à diabolo edoctum fuiſſe, quod Miſſa eſſet abominatio, idque non per ſomnium, ſed cum vigilaret.* Probant 1. Quia à nullo Evangeliſta ponitur expreſsè vocabulum illud *Sacrificium.* Ergo Chriſtus non inſtituit ullum Sacrificium. 2. Chriſtus ſemel tantùm oblatus eſt, & unicâ oblatione omnia peccata expiavit, ut apertis verbis affirmat Apoſtolus Heb. 9. vers. 28. Ergo non debet am-

plius offerri; etenim vel fruſtraneum eſt miſſæ ſacrificium, vel certè Sacrificium Crucis non ſufficit. 3. Chriſtus *eſt Sacerdos in æternum* Pſal. 109. v. 4. Ergo in Sacerdotio nullum habet Succeſſorem. Ergo nulli nunc ſunt Sacerdotes in in terris, ac proinde nulla Sacrificia. Confirmant ex Apoſtolo ad Hebr. 7. v. 21. ubi ait., ideo in veteri Teſtamento plures fuiſſe Sacerdotes, quia ſinguli erant mortales: Chriſtus autem eſt immortalis, ideòque non indiget Succeſſoribus. 4. *Sine ſanguine non fit remiſſio*, ut ait S. Paulus ad Hebræ. 9. v. 22. Ergo non poteſt eſſe ſacrificium incruentum: aut ſi ſit, non poterit remittere peccata. Porro contra fundamenta noſtra inſurgunt, & omnibus modis ſubvertere ea moliuntur. Sed has illorum machinas commodiùs proponemus & diſijciemus, ſi prius præſentes probationes diſſoluerimus. Itaque.

XV. Error iſte peſtilentiſſimus, ſi etiam nulla contra eum clara Sac Scripturæ teſtimonia extarent, vel ex ſolo conſenſu Eccleſiæ & Patrum longiſſimè reijciendus eſſet; ſiquidem conſenſus iſte omnibus retro ſæculis talis ac tantus eſt, ut nemo niſi omnino in veteribus monumentis peregrinus dubitare de illo poſſit, nec inficiari eundem Lutherus & Calvinus audeant; unde prior in Lib. de abroganda Miſſa ſic ſcribit: *profiteor inprimus adverſus eos, qui clamaturi ſunt, quod contra ſtatuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et in Lib. de Miſſa: *hic non moramur, ſi clamitant Papiſtæ, Eccleſia Eccleſia! Patres Patres! quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus, ſcimus ipſos etiam Prophetas lapſos fuiſſe atque adeo Apoſtolos:* poſterior verò ex illis Lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 1. hæc habet: *peſtilentiſſimo errore Satan totum pæne orbem excæcavit, ut crederet Miſſa Sacrificium.* Et infra §. 12. *non eſt, cur ullâ hominum Authoritate vel annorum præſcriptione patiamur nos moveri.* Mira & planè indigna res! Lutherus & Calvinus non volunt ullâ hominum authoritate moveri ne quidem Prophetarum & Apoſtolorum, & tamen ipſi ſuâ authoritate volunt alios moveri, quaſi non homines eſſent, ſed Dij. Verùm miſsâ horum tenebrionum temeritate atque arrogantiâ, non credimus, tot Sanctiſſimos Patres tradere voluiſſe, quod ignorârant, & Eccleſiam cum illis per tot ſæcula à DEO derelictam in re tam gravi aberraſſe: non credimus, tot viros vitæ integritate, doctrinâ, ac miraculis illuſtriſſimos ſacrilegos extitiſſe, & idololatriam commiſiſſe: non credimus, hoc dogma nulli ex tot & tantis DEI ſervis & Amicis, ſed ſoli Luthero & Calvino hominibus omnium turpiſſimis fuiſſe revelatum. At ſatan orbem excæcavit. Quæ lingua niſi ſatanica (qualis in ore Calvini fœdet) effutire iſtud audet? DEUS ac Dominus noſter JESUS Chriſtus in Eccleſia ſua SS. Miſſæ ſacrificium ordinauit: Diabolus in ſecta Lutheranorum & Calviniſtarum idipſum abrogavit, poſtquam infernalis ille ſpiritus fallaci ingenij ſui arte Lutherum in diſputatione de Miſſa ſuperavit, & per hunc ac Calvinum alterum ſibi charum diſcipulum velut aptiſſima diabolicæ ſuæ machinationis inſtrumenta mundo perſuaſionem iſtam de abroganda Miſſa importavit, ſcil. ut ita maximum cœleſtium bonorum theſaurum miſeris mortalibus ſuffuraretur. Sed quis adeo hebetis eſt intellectûs, ut nequiſſimæ hujus fraudis & abominandi dogmatis impietatem non clariſſimè perſpiciat? Nam ſi Sacrum Miſſæ ſacrificium eſſet DEO exoſum, Chriſto iniurioſum, ac hominibus noxium & deteſtabile, an non abiuratus iſtorum hoſtis diabolus potius omnibus modis ad illius impietatem impelleret? omnibus machinis illius abominationem abſconderet? ac devotionis coloribus illud oblinirer verborúmque fucis extolleret? ut pro ſuo inexplicabili odio ac rancore ſic magis magiſque DEUM inhonoraret, Chriſtum, ejúſque ſantiſſimam Paſſionem iniuriaret, atque hominum peccata accumularet? Unde jam olim vir quidam doctrinâ ac pietate inſignis è Religioſorum S. Bernardi Familia ad Lutherum ſcripſit in hunc modum: *Si Miſſa abominatio eſſet, uti tu blaſphemas, an putas, diabolum contra eam diſputaturum, & ad eam abolendam argumenta ſubminiſtraturum? ac non potius omnibus modis ſtabiliturum magiſque confirmaturum fuiſſe?* Videantur Florim. Remundus L. 1. de Orig. hæres. cap 15. & DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 31. ubi affirmant 1. Reformatos in Anglia conſtituere in multis eundem ordinem Miſſæ, qui à Catholicis obſervatur. 2. Joannem Huſſ tenuiſſe ſacrificium Miſſæ, & quidem propitiatorium pro vivis ac defunctis. 3. Eccleſiam Orientalem, uti ſemper olim, ita nunc quoq; eandem de miſſa doctrinam ſervare, atque liturgiam vocare 4. denique Miſſam ob antiquitatem & authoritatem Conciliorum ac Patrum negari à Proteſtantibus non poſſe. Argumenta, quibus Adverſarij errorem ſuum probare nituntur, nullius prorſus ſunt momenti, nec difficilius quàm fumus in aura diſpelluntur.

XVI. Reſp. *ad primum.* Negando conſequentiam. Nam Evangeliſtæ in tota etiam inſtitutione Euchariſtiæ nunquā poſuerunt hoc vocabulum *Sacramentum*, ſequiturne inde, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum? minimè ſanè. Quemadmodū ergo ſufficit ad Sacramentum, quod ibidem omnia ad Sacramentum requiſita inveniantur, ſic etiam ſufficit, quod hic omnia ad ſacrificium neceſſaria reperiantur. Reſpon. *ad ſecundum.* Negando iterum conſequentiam. Nam tametſi ſacrificium crucis & ſacrificium miſſæ juxta dicta ſit unum idémque ſacrificium quoad ſubſtantiam rei oblatæ, ſcil. Chriſti, quoad effectum tamen ingens inter illa eſt diſcrimen, quod Chriſtus in actu primo ſufficienter nobis per ſacrificium crucis promeruerit remiſſionem omnium peccatorum: in ſacrificio verò miſſæ nihil amplius mereatur, ſed tantùm applicet antiqua merita in actu ſecundo ad eum fere modum, quo hîc Romæ & alibi in montibus pietatis ſufficiens pecunia deponitur ſoluendis omnium pauperum debitis, quæ tamen reipsà non ſoluuntur, niſi pauperes legitimo modo ſua debita indicent, & pecuniam mutuam impetrent; Ita, inquam, Chriſti merita in paſſione exercita ſufficiunt quidem in actu primo ad omnia peccata delenda, ſed reipsà non delent niſi per Sacramenta & ſacrificia applicentur. *Inſtant hæretici*, virtutem illam poſſe applicari per alia media. Eſt veriſſimum. Sed cur non etiam per ſacrificium? certè valde congruum fuit inter alia media inſtitui aliquod ſacrificium, quod ſit memoriale ſacrificij cruenti in cruce peracti, cujuſmodi eſt ſacrificium altaris, quod duo præter alia habet. 1. quod ſit ſacrificium. 2. quod ſit repræſentativum ſacrificij crucis præteriti, ſicut Agnus Paſchalis erat verum ſacrificium, & ſimul repræſentatio ſacrificij in cruce peragendi.

Unde

Unde apparet, nec ſacrificium Miſſæ eſſe fruſtraneum, nec ſacrificium crucis inſufficiens. Nam Chriſtus obtulit unicum ſacrificium meritorium & ſatisfactorium infinitæ virtutis omnia peccata expiandi, & homines ſanctificandi: plura autem ordinavit applicatoria; licet enim in vltima cœna conſecrando etiam meruerit, quia adhuc erat viator, attamen nunc glorioſior nihil amplius meretur, tantùm applicat antiquas ſatisfactiones & merita; ratione prioris ſacrificium Miſſæ non eſt fruſtraneum, niſi etiam fidem, baptiſmum, Euchariſtiam & ſimilia, per quæ Chriſti merita nobis in particulari applicantur, fruſtranea dixeris: ratione poſterioris idem ſacrificium Miſſæ nihil derogat ſacrificio Crucis, ſed huic relinquit omne meritum & ſatisfactionem atque infinitam vim ac virtutem ad omnia peccata exhaurienda, ut ait Sac. Scriptura ſupra cit. & homines ſanctificandos.

XVII. Reſpon. *ad tertium.* Aliud eſſe, Succeſſorem conſtitui alterius: aliud fieri miniſtrum ſeu Vicarium; Prior eſt ejuſdem dignitatis cum eo, cui ſuccedit, non autem poſterior. Sacerdotes non ſuccedunt Chriſto in ſacerdotio, ſed tantùm ejus agunt vices, ut ex ipſis verbis conſecrationis patet; loquuntur enim in perſona Chriſti: Hoc eſt Corpus meum. Itaque ſolus Chriſtus eſt primarius Sacerdos, cæteri verò omnes ejus Miniſtri & Vicarij ſunt; quod ſufficit ad diſcrimen veteris teſtamenti, ubi prioribus defunctis alij Sacerdotes nomine ſuo ſacrificantes ſuccedebant. Reſpon. *ad quartum.* Huic argumento ſatisfactum jam eſſe ſupra §. 7. ubi diximus, ad ſacrificium non requiri phyſicam immutationem. D. Paulus Hebr. 9. v. 22. egit de Lege Veteri, non Chriſtiana; in illa enim peccata non remittebantur niſi per effuſionem ſanguinis hircorum, & aliorum animalium. Si tamen Adverſarij contendunt, etiam de nova lege agere Apoſtolum, tunc ſequetur contra illos per Fidem juſtificantem, quã adeo jactant, nullã fieri peccatorum remiſſionẽ, cum per eam nulla fiat ſanguinis effuſio. Denium ſive de veteri ſive de nova lege dictum illud Pauli ſit, de utraque tamen ſic intelligi poteſt, & verò debet, quod in neutra fiat remiſſio peccatorum abſque effuſione ſanguinis Chriſti, qui ſi effuſus non fuiſſet, peccator in neutra lege Deo reconciliari poſſet. Nam ſicuti ſanguis Chriſti effuſus per animalium ſacrificia veteribus applicabatur, ita etiam in lege nova idem Chriſti ſanguis effuſus per ſacrificia incruenta Miſſæ & Sacramenta nobiliori modo nobis applicatur. Ex quo clarè patet, quod jam ſupra diximus, nullam nos injuriam Chriſto facere, ſæpius offerendo miſſæ ſacrificium, quantumvis ipſe abunde pro nobis ſatisfecerit; ſiquidem nullam injuriam illi in lege antiqua faciebant, licet Chriſtus ipſe pro illis pleniſſimè ſatisfacturus eſſet.

XVIII. Nunc videamus, quibus machinis fundamenta Doctrinæ noſtræ ſubvertere nitantur Adverſarij. *Primum* erat ex Pſal. 109: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, quod in formam redactum ſic habet. Quemadmodum ſacrificavit Rex Melchiſedech, ita etiam ſacrificavit Chriſtus juxta citatum pſal. Sed Melchiſedech ſacrificavit in pane & vino. Gen. cit. Ergo etiam Chriſtus ſacrificavit in pane & vino, quod tamen nuſquam alibi feciſſe legitur, niſi in conſecratione Euchariſtiæ. Hæretici negant hujus Syllogiſmi Majorem & Minorem. Majorem quidem quaſi ſimilitudo inter Chriſtum & Melchiſedech nõ conſiſteret in ritu & modo ſacrificandi panem & vinum, ſed in quibuſdam alijs circumſtantijs. Probant 1. ex S. Paulo ad Hebr. 7. ubi ex inſtituto tractans de hac ſimilitudine nullã prorſus mentionem facit illius ſacrificij, ſed aliarum prærogativarum Melchiſedechi, nempe Nominis, Generationis, Benedictionis, Decimationis &c. ſic enim loquitur cap. 6. in fine: *JESUS ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Et deinde c. 7. vers. 1. *Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos DEI altiſſimi, qui obviavit Abraham regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diviſit Abraham.* In quibus verbis habentur hæ comparationes 1. interpretatio nominis Melchiſedech, 2. Rex ſalem, id eſt, Rex pacis. 3. Generatio ſine expreſſione Patris aut Matris, nec indicato fine vitæ, quaſi æternus fuiſſet non habens initium dierum, neque finem vitæ; & in hoc aſſimilatus eſt Filio DEI; qui manet ſacerdos in æternum. 4. quod Abraham illi decimas ſpoliorum dederit, eúmque benedixerit, hoc ipſo ſe majorem indicans. In quo diſcurſu Pauli nulla prorſus mentio fit ſacrificij panis & vini, quod ſanè non fuiſſet omittendum, ſi in ea præcipua ratio ſimilitidinis conſiſteret. Probant 2. Quia conſecratio Euchariſtiæ & oblatio panis & vini à Melchiſecho facta prorſus ſunt diſtincta. Nam Chriſtus juxta Catholicorum ſententiam panem & vinum ſubſtantialiter convertit in ſuum Corpus & ſanguinem: non item Melchiſedech niſi poſt longam digeſtionem? itaque inmodo ſacrificandi non poteſt conſtitui ſimilitudo ſacerdotij Melchſedech & Chriſti. Probant 3. Si ſimilitudo Melchiſedech & Chriſti conſiſteret in oblatione panis & vini, non eſſet ratio, cur Chriſtus potius ſecumdùm Melchiſedech, quàm ſecundùm ordinem Aaronis nominaretur, cum etiam Aaronici ſacerdotes panem & vinum obtulerint, ut conſtat ex Levit. 21 v. 8. & c. 23. v. 13. de panibus propoſitionis & libamentis vini. Minorem verò ejuſdem ſullogiſmi noſtri negant triplici ex cauſa. *Prima.* Quia non conſtat, Melchidechum fuiſſe propriè dictum ſacerdotem; quamuis enim Genes. 14. vocetur ſacerdos, tamen Nomen ſacerdotis in SS. litteris crebrò impropriè ſumitur pro eximio Principe & Magnate, ut patet ex lib. 2. Reg. c. 8. ubi Filij Davidis vocantur *Sacerdotes*, & tamen non fuerunt propriè ſacerdotes, quia non erant ex tribu Levi, de qua ſola tunc ſacerdotes aſſumebantur. Itaque Interpretes etiam Catholici nomen ſacerdotis impropriè accipiunt pro primarijs Principibus in aula Dividis. *Secunta.* Quamuis concederetur, Melchiſedechum fuiſſe propriè dictum ſacredotem, tamen non ſequitur, iſtum ſacrificaſſe in pane & vino, neque id evincitur ex verbo Genes. 14. v. 18. *protulit panem & vinum, erat enim ſacerdos altiſſimi DEI*; quia in hebraico non habetur vocula cauſalis *enim* (in qua tota vis argumenti ponitur) ſed tantùm copulativa: & erat ſacerdos Altiſſimi. Sed admiſsâ etiam cauſali voculâ enim, ea non eſt referenda ad præcedentia, quaſi ideo protulerit panem & vinum, quia erat ſacerdos; ſed ad ſequentia, ſcil. Benedixit ei (Abrehæ) quia erat ſacerdos. *Tertia.* Quia Melchiſedech non potuit ſacrificare panem & vinum, ſiquidem requiritur ad ſacrificium ſubſtantialiter mutatio rei oblatæ panis & vini:

vini; vel enim fuiſſet coctio panis & vini, vel eorum comeſtio & bibitio; ſed non prius, alioquin piſtores & coci in furno & culina ſacrificaſſent: nec poſterius, alioquin milites Abrahæ, quibus poſt prælium refocillandis panis & vinum oblata ſunt, comedendo & bibendo ſacrificaſſent, non ipſe Melchiſedech.

XIX. Iſte eſt diſcurſus Calvini, Kemnitij, & aliorum apud Card. Bellarminum Lib. 1. de Miſſa. c. 6. cui diſcurſui inſiſtunt Ameſius, Gerhardus, Molinæus, Hanneken, Reihing & Recentiores Sectarij. Unde clarè perſpicitur, nullum Scripturæ tam clarum locum eſſe, quem hæretici corrumpere, detorquere, & pervertere non audeant. Et quamvis allata argumenta videri poſſint ſpecioſa, ſunt tamen mera deliramenta. Itaque alarum textum ex Geneſi 14. de Sacrificio Melchiſedechi, & de Chriſti ſacrificio in pane & vino figurato intellexerunt non ſolùm antiqui Eccleſiæ Doctores, ſed etiam Judæi. Teſtimonia antiquorum Rabinorum refert Bernardinus Vetweis in Speculo veræ Eccleſ. fol. 710: Patrum verò Latinorum & Græcorum ordine temporis Bellarm. loc. cit. Sufficiat unicus Clemens Alexandrinus circa annum 200. lib. 4. Stromat. non procul à fine *Melchiſedech*, ait, *Rex Salem Sacerdos DEI altiſſimi, qui vinum & panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Eccleſiæ &c.* ubi Sanctus ille Pater paucis omnia complexus eſt 1. quod Melchiſedech Sacerdos panem & vinum Sanctificaverit, quod fit per oblationem Sacrificij. 2. quod illa jam oblata Deo & ſic ſanctificata dederit Abrahæ & Socijs in nutrimentum non tantùm corporis, cum Abraham aliunde haberet, ſed in participationem ſacrificij. 3. quod hæc facta ſint in typum & præfigurationem Euchariſtiæ, ſicut Euchariſtia DEO offertur, & poſtea Fidelibus in nutrimentum ſpirituale datur. Unde rectiſſimè Concilium Tridentinum hunc peſtilentiſſimum errorem Seſſ. 22. can. 4. his verbis damnat: *Siquis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti ſacrificio in cruce peracto, aut illi in hoc derogari, Anathema ſit.* Jam ad negationem Majoris, & ad 1. hujus negationis probationem. Dicimus non eſſe mirum, quod Apoſtolus ad Hebr. nullam fecerit mentionem ſacrificij, quia non conducebat ad ejus finem & ſcopum. Nam Judæi quidam cum à fide defeciſſent, alij verò vacillaſſent pluris facientes Abraham & Aaron, quàm Chriſtum, voluit Apoſtolus illis oſtendere excellentiam Chriſti ſupra dictos proceres; ad quod non faciebat ſimilitudo Sacrificij, cum veteres multò nobiliores hoſtias obtulerint, quàm Melchiſedech panem & vinum. Ita poſt alios Interpretes Tirinus ad finem cit. cap. Itaque relicto ſacrificio dignitatem Perſonæ ſacrificantis ex varijs circumſtantijs elicuit; reliquit autem ſapienter ſacrificium, quia Hebræi nondum ſatis capaces videbantur Paulo tam ſublimis myſterij, ut ſupra indicavit c. 5. v. 11. Ad 2. ſufficere ad ſimilitudinem inter Chriſtum & Melchiſedech, quod externa oblatio panis & vini, in quantum viſibilis, convenerit, quamvis occultæ mutationes longè diſpares fuerint. Ad 3. Sacerdotes Aaronicos nunquam panem & vinum ſimul tanquam unum principale & adæquatum ſacrificium obtuliſſe, uti Melchiſedech, ſed ſeorſim panem, ſeorſim vinum, & quidem ut accidentale condimentum Sacrificij, ut bene obſervat Bellarminus c. 6. cit.

XX. Quoad Minorem Syllogiſmi noſtri ab Adverſarijs rejectam. *Dicimus 1.* negari non poſſe, Melchiſedech fuiſſe propriè dictum Sacerdotem ad offerendum DEO deſtinatum; etenim hebraicum verbum *cohen* magis propriè & ſæpius Sacerdotem, quàm Principem, nec niſi uno alterove loco iſtum deſignat, ſcil. 2. Reg. 8. cit. & Iſaiæ 61. v. 6. quamvis etiam illis locis latinus Interpres Sacerdotes verterit, neque incongruè, ut Ibidem oſtendit Tirinus, ſed centenis alijs illud cohen uſurpatur pro Sacerdote. Et ita hunc locum explicant S. Paulus ad Hebr. c. 7. cit. & LXX Interpret. ac Patres, atque Judæi. Et quid novi diceret Moyſes, ſiquem antea vocarat Regem, jam Principem faceret? aut quæ ratio offerendi DEO, aut proferendi panis & vini, quia Princeps erat? neque enim Principis eſt, ſacrificare, ſed Sacerdotis ſpirituali jurisdictione præditi. *Dicimus 2. Tò Et* copulativum apud Hebræos ſæpiſſimè pro cauſali *enim* uſurpari, ut hæretici inane inde quærant effugium. Unde etiam vers. 19. ſubditur: *benedixit ei*, Melchiſedech Abrahamo, major minori, & dicimas ab Abrahamo accepit, ſcil. intuitu ſacrificij ſui & ſacri miniſterij, quo publicè fungebatur. Cum igitur conſtet, Melchiſedech fuiſſe propriè dictum Sacerdotem, & ideo protuliſſe panem & vinum, negari non poteſt, eum ſacrificaſſe panem & vinum; alioquin Sacerdotium non fuiſſet cauſa proferendi ad refocillandos milites prælio feſſos, quod quilibet profanus hoſpes præſtare poterat. Vanum iterum eſt refugium, quaſi prædicta verba, *protulit panem & vinum*, referrentur ad ſequentia, *benedixit ei*; etenim ſequitur ſenſus terminans, & æquivalens noſtro puncto. Ergo referri non poſſunt ad ſequentia, ſed referri debent ad antecedentia, erat enim Sacerdos altiſſimi DEI. *Dicimus 3.* Melchiſedechum potuiſſe ſacrificare panem & vinum, etſi ſcriptura non exprimat, quomodo ſacrificaverit, idcóque variæ de eo ſint opiniones. Vaſquez in 3. Part. D. 220. n. 28. putat, ipſum Regem Melchiſedechum coxiſſe panem, & ſic coquendo ſacrificaſſe. Cornelius à Lapide in c. 14. Geneſ. cenſet, aliquam panis partem ab eo fuiſſe combuſtam, & ſic ſubſtantialiter immutatam: reliquum militum refectioni permiſſum. Probabilius eſt, quod Becanus Tom. 2. Opuſc. 1. L. 2. c. 1. docet, panem diſſecando, vinúmque effundendo ſacrificatum fuiſſe, atque ad rigidam ſacrificij rationem non exigi ſubſtantiæ corruptionem, ut jam ſupra diximus.

XXI. *Alterum* noſtrum fundamentum erat ex prædictionibus Malachiæ aliorúmque Prophetarum deſumptum, qui vaticinati ſunt, ubique terrarum etiam inter Gentiles DEO vero ſacrificatum iri, quod intelligi non poteſt de ſacrificijs Judaicis, quæ extra templum Jeroſolymitanum offerre non licuit, ut conſtat ex Num. 14. & 15. Et Deuteron. 12. v. 5. Ergo debet intelligi de Sacrificijs Chriſtianorum, quæ non ſunt alia, quàm Euchariſtica. Opponunt huic hæretici, Malachiam cæteróſque Prophetas non de formali & propriè dicto ſacrificio locutos fuiſſe, ſed tantùm de ſpirituali & impropriè dicto, ſcil. pro quolibet honore & cultu divino. Probant 1. authoritate Apoſtoli ad Rom. 15. v. 16. ubi ſuas conciones, quibus gentes ad fidem converterat, vocat oblationes & ſacrificia his verbis: *Ut ſim Miniſter JESU Chriſti in Gentibus ſanctificans Evangelium DEI, ut fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu Sancto;*

Sancto ; cui concordant Patrum interpretationes. Tertullianus L. 4. contra Marcionem c. 1. adductum locum Malachiæ ſic exprimit : *In omni loco ſacrificium Nomini meo offertur, ſcil. oratio ſimplex de conſcientia pura.* Et Lib. 3. c. 22. *Sacrificium mundum, ſcil. Gloriæ relatio, Benedictio, Laus, Hymni.* Hieronym. in Comment. Malachiæ per incenſum intelligit orationem, dum ait, *offerri DEO hoſtiam mundam in ceremonijs Chriſtianorum.* Probant 2. Nomen Sacrificij apud Malachiam non poſſe propriè ſumi. Tum quia vox hebraica *Mincha* non ſignificat panem & vinum, ſed ſimilam oleo conſperſam. Tum quia ſi in hujuſmodi prophetijs omnia eſſent propriè accipienda, tunc deberent Chriſtiani quot annis ire Jeroſolymam ad celebrandum feſtum Tabernaculorum, ſicut prædixit Zacharias c. 14. v. 16. *omnes, qui reliqui fuerint ab univerſis Gentibus aſcendant ab anno in annum, ut adorent & celebrent feſtivitatem tabernaculorum*; quod tamen non fit à Chriſtianis. Probant 3. ex ipſis verbis Malachiæ patere, eum non loqui de ſacrificio Miſſæ; quippe loquitur in præſenti tempore: in omni loco offertur Nomini meo oblatio munda. Sed tunc temporis, cum hæc ſcriberet Propheta, nondum erat ſacrificium, neque adhuc offerebatur in omni loco, ſed tantùm in templis & ſacratis Altaribus.

XXII. Huic Adverſariorum oppoſitioni adverſatur, eámque elidit, quod vaticinium Malachiæ Eccleſia Catholica ſemper ac perpetuò de SS. Miſſæ ſacrificio interpretata fuerit, ut certò conſtat ex unanimi Patrum conſenſu, quos ordine temporis refert Bellarminus Lib. 1. de Miſſa. cap. 10. Sufficiat hic unus & alter. Juſtinus Martyr in dialog. cum Triphon. ait: *de noſtris Gentium, quæ omni loco offeruntur, ſacrificijs, hoc eſt, pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter euchariſtico jam tunc locutus Malachias prædixit; nos quidem glorificare nomen Hujus: vos autem prophanare.* D. Auguſtinus in oratione ad Judæos c. 9. poſt verba Malachiæ recitata: *aperite*, inquit, *oculos tandem aliquando, & videte ab oriente ſole uſque ad occidentem non in uno, ſicuti vobis fuerat conſtitutum, ſed in omni loco offerri ſacrificium Chriſtianorum.* Hæc verba clariora ſunt, quàm quæ in alium ſenſum detorqueri poſſint; utut aliàs ſolenne ſit Novatoribus ad declinandam argumentorum vim confugere ad improprietatem verborum: vel ad textum hebraicum, at fruſtra. Dicimus itaque ad 1. D. Paulum ad Romam. non explicare Malachiam; unde non ſequitur, ſi Paulus nomen ſacrificij impropriè ſumpſerit, etiam Malachiam ſic accepiſſe. Tertullianus & Hieronymus non litteraliter ſed myſticè interpretati fuerunt Malachiam, interim non negantes ſenſum litteralem; Nam ſi, ut S. Baſilius hom. 10. in hexameron ait, *blaſphemia eſt putare, aliquod in Scriptura eſſe verbum otioſum*; exiſtimare non debemus, ratione vacare, quod Propheta non tantùm dixerit, in omni loco ſacrificatur, aut offertur, ſed duplici verbo uſus eſt *ſacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda*, ut intelligeremus, de utroque ſacrificio locum eſſe accipiendum; ſicuti apertius LXX. verterunt: *in omni loco incenſum offertur Nomini meo, & Sacrificium mundum*; ubi licet incenſum Tertullianus, Irenæus, & Hieronymus interpretantur orationem, per Sacrificium tamen intelligunt Euchariſtiam, quod ipſum Euchariſticum Sacrificium dicti Patres clarè tradunt alibi. Tertullianus Lib. de orat. c. 14. ubi communionem vocat *participationem ſacrificij*. Irenæus Lib. 4. c. 34. *in novo Teſtamento novam oblationem eſſe aſſerens.* Et Hieronymus in cap. 11. Proverb. *affirmans, defunctos juvari miſſarum celebrationibus.* Videri poteſt Bellarm. L. 1. de Miſſ. c. 10. cit. Dicimus ad 2. vocem hebraicam *Mincha* non tantùm ſignificare certam ſpeciem Sacrificij ex ſimila & oleo confecti, ut volunt nonnulli, ſed generatim quodlibet ſacrificium, ut conſtat ex dictionarijs hebraicis; imò generatim quodlibet donum etiam profanum vocatur *Mincha*. Et licet iſta vox etiam ſumeretur ſpeciatim pro ſacrificio ex pane vel farina, tamen accedente libamine vini typus erat ſacrificij novæ legis Euchariſtici. Videatur Tirinus in cit. locum Malachiæ. Feſtum Tabernaculorum à Zacharia loc. cit. non ſumi propriè, ſed figuratè & myſticè pro conventu Chriſtianorum in ſuas Eccleſias, cujus figura fuit concurſus Judæorum in Hieruſalem; inde tamen non ſequitur, etiam Malachiam nomen oblationis & Sacrificij impropriè ſumpſiſſe, quia hîc nulla neceſſitas cogit ad improprietatem deflectere, ſicut apud Zachariam; quandoquidem lex Judaica ejúſque feſta & ceremoniæ à Chriſto ſunt abrogatæ. Dicimus ad 3. apud Prophetam Malachiam non eſſe verbum præſentis temporis, quod tamen Interpretes rectè per præſens explicârunt; quia Prophetis familiare eſt, de futuris tanquam de præſentibus loqui ob certitudinem eventûs, ſicut David Pſal. 109. de Chriſto ait: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; cùm tamen Chriſtus nondum fuerit, ſed futurus eſſet. *Omnis autem locus* à Malachia non ſumitur pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum id eſt, pro omnibus regionibus, ſicuti dicimus, aliquem omnia regna peragraſſe, licet non omnes urbes luſtraverit, ita Chriſtiani in omni loco ſacrificant, hoc eſt, in omnibus mundi plagis, non in omni loco particulari. *Urget* Herbrandus contra Miſſam n. 75. ajens, à Catholicis, ut futuritionem aſſerant, depravari textum; quippe non habetur in eo oblatio nova, ſed munda. Negamus ullum Doctorem Catholicum immutare textum, ſed Patres novam ſubſtituere pro munda, idque bene, quia revera novum eſt ſacrificium, quod veteri vi prophetiæ ſuccedere debebat. Verba formalia Patrum videri poſſunt apud Valentiam Tom. 4. D. 6. Q. 11. pun. 1. §. 13.

XXIII. *Tertium.* Fundamentum noſtræ doctrinæ erat deſumptum ex epiſt. D. Pauli ad Hebr. cap. 13. verſ. 10. ubi dicitur: *habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tarbernaculo deſerviunt.* Unde ſic concluſimus: Chriſtiani habent Altare verum & diſtinctum ab altari Judæorum & Gentilium, de quo edendi iſti non habent poteſtatem. Ergo etiam habent veram ſacrificium. Antecedens patet ex Sacra Scriptura, & eam ſic intelligunt D. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Anſelmus, Sedulius & paſſim Doctores. Conſequentia petet inde, quod Altare & Sacrificium, Victima & Sacerdos ſint correlativa. Dicunt Sectarij, per Altare & ſacrificium intelligi altare & ſacrificium Crucis. Sed de hoc jam ante annos mille & ſexcentos paracto quomodo edemus? Taceo Eccleſiam Catholicam, omnéſque Patres prædictum Sacra Scripturæ textum ſemper intellexiſſe de Altari diſtincto ab altari Crucis; unde Auguſtin. Lib. 22. de Civit. c. 10. ſcribit: *Non erigimus Altaria, in quibus Sa-*

bus Sa-

bis Sacrificamus, Martyribus, ſed uni DEO & Martyrum & noſtrum Sacrificium immolamus: ipſum verò Sacrificium Corpus Chriſti eſt, quod non offertur ipſis.

XXIV. *Quartum* denique & ultimum fundamentum noſtrum erat gemina ratio; quarum neutram attingunt Sectarij, tacitè concedentes, præter morem omnium Gentium ſe abſque Sacrificio eſſe, quod apertè etiam fatentur eorum Prædicantes ſeu Miniſtri, dum in publicis ſuis libris affirmant, ſe Sacerdotes non eſſe. Ubi autem Sacerdos non eſt, Sacrificium etiam non ſit, aportet. Dicit quidem Confeſſio Auguſtana art. 3: *Retinetur Miſſa apud nos, & ſummâ reverentiâ celebratur.* Eadem habet Apologia. Sed lepidè. Si Miſſa retinetur apud vos, ubi ergo manet Sacrificium apud vos? ubi Sacerdotium? ubi cætera, quæ de hoc Sacrificio adduximus? in cæna enim tantummodo Sacramentum, non etiam Sacrificium fuiſſe inſtitutum à Chriſto, longè falſiſſimum eſt. Erat ibi, inquit D. Auguſtinus Lib. 7. de Civit. DEI. c. 20. de cœna loquens, *Sacrificium ſecundùm ordinem Aaron: Et poſtea de Corpore & Sanguine illo inſtituit Sacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech &c.* ſed de hoc ſatis in ſuperioribus.

XXV. *Error ſecundus* eſt eorumdem Hæreticorum contra cæremonias Miſſæ, quas irrident, & ſubſannant partim ut Judaicas, partim ut mimicas geſticulationes; Nam candelabra, lampades, thuribula, incenſa &c. à Judæis ſumpta eſſe, fatetur Durandus Lib. 3. Rational. cap. 1. cum tamen Chriſtus veterem Legem pridem abrogaverit, uſum prohibuerit, teſte Apoſtolo ad Coloſſ. 2. & ad Hebr. c. 7. 8. 9. & 10. Manuum verò jactationes & diſcurſus ab uno latere ad aliud hiſtrionem potius decent, quàm ſacerdotem; certè Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ nullam talem ritum adhibuit. Ergo nec nos ejus teſtamento (ſic enim vocat hoc Sacramentum) quidquam ſuperaddere debemus, cum dicat Apoſtolus ad Gal. 3. v. 15. *hominis teſtamentum morte confirmatum nemo ſpernit aut ſuperordinat.* Errori huic opponit ſe Concilium Tridentinum de cæremonijs, quas Eccleſia eſſentiæ ſacrificij tanquam adjumenta devotionis adjunxit, ſic loquens Seſſ. 22. c. 5. *Cum natura hominum ea ſit, ut non facilè ſine adminiculis exterioribus ad divinarum meditationem ſuſtolli queat; propterea pia Mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quadam ſubmiſſâ voce, alia verò elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit: cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliáque id genus multa ex Apoſtolorum diſciplina & traditione, quò & Majeſtas tanti ſacrificij commendaretur, & Mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis & Pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplatione excitarentur.* Unde frivola ſunt, quæ occlamitant hæretici; alioquin pari ratione irrideri poſſet Baptiſmus à Chriſto inſtitutus, cujus materia nimirum lotio etiam Judæis fuit uſitata, ſiquidem ideo Salomon ampliſſimum vas aquarum (quod vocabatur mare æneum) in templum poſuit, ne unquam deeſſent aquæ lotioni Sacerdotum 2. Paralip. 4. v. 2. & 6. Ethnicis quoque Baptiſmus ridiculus videbatur, quem hiſtriones in comœdijs per ludibrium repræſentabant, ut nominatim legitur de Geneſio poſtea converſo & Martyre. Nam doctiſſimus iſte mimus, cum mores ritúſque Chriſtianos ad amuſſim perdidiciſſet, fabulámque oculis Diocletiani dare inſtituiſſet, repente cœleſti viſu converſus Chriſtum inclamat, Chriſtianum ſe jactat, & Martyrij palmam deportat, cujus memoria celebratur 25. Auguſti. Itaque

XXVI. *Reſpon. Ad 1. argumentum.* cæremonias Judaicas eatenus à Chriſto abrogatas, ut non liceret eas formaliter uſurpare tanquam veteri lege præſcriptas & cum ſignificatione Chriſti venturi, prout à Judæis uſurpabantur: interim non eſſe vetitas materialiter ſub alia ſignificatione Chriſti jam præſentis tanquam ab Eccleſia Catholica præſcriptas; alioquin nulla feſta nec jejunia forent licita; quippe olim Judæis uſitata. Adhæc geſtus & motus Sacerdotum tam graviter ac decenter in Miſſa fiunt, ut nemo niſi momus irridere valeat; imò eorum aſpectu non ſolùm Catholici ad pietatem, ſed etiam nonnulli hæretici ad Fidem permoventur, ut teſtatur experientia. Ad 2. Tametſi Chriſtus in prima inſtitutione hujus Sacramenti tales ritus non adhibuerit, tamen generatim inſinuavit monendo, ut adminiſtratio hujus Sacramenti fieret in memoriam Paſſionis ejus: determinationem verò reliquit arbitrio Eccleſiæ celebrandæ ejus memoriæ pro varietate temporum & locorum. Eccleſia autem tales ritus determinavit, qui maximè idonei forent recolendæ memoriæ Paſſionis Chriſti, ut pluribus explicant Reginaldus Lib, 19. n. 33. Bernardinus Vetweis in Speculo veræ Eccleſiæ à fol. 78. & alij. Nec ſemper impunè riſerunt hæretici ceremonias Miſſæ. Jacobus Marchantius in Candelab. Myſt. fol. 554. commemorat, in Hollandia Ann. 1574. quoſdam ſanniones per ludibrium ceremonias Miſſæ repræſentantes ſubitò peſte ſublatos.

XXVII. *Error tertius eſt*, Miſſam privatam abrogari oportere. Ita Lutherus lib. integro de abroganda Miſſa privata, quem deinde cæteri Novatores paſſim ſecuti ſunt. Vocant autem Miſſam privatam tum eam, quæ celebratur in privato aliquo loco, oratorio, ſacello, aut in ædibus etiam ſuper altare conſecratum: tum eam, quæ extra Dominicam, Feſtóſque dies fit, aut ſine populi conventu: tum eam, in qua ſolus Sacerdos communicat. Fundamentum univerſale eſt, quod Miſſa ſubſtantialiter ſit Cœna ſeu convivatio, non ſacrificium. In ſpecie hæc pro opinione ſua afferunt. 1. D. Baſilius in Pſal. 115. ait. *Non ita latebris delitoſcens ſacrificabo, ſed publicum tibi exhibebo ſacrificium.* Et ibid. ſcribit: *quod unum ſit Altare Eccleſiæ.* Idem dicunt alij Patres. 2. In Concilio Moguntino can. 43. dicitur: *Nullus Preſbyter, ut nobis videtur, miſſam ſolus rectè cantare valet, quomodo enim dicet: Dominus vobiſcum: vel ſurſum corda admonebit habere, & alia multa ſimilia his, cum alius nemo cum illo ſit?* 3. Chriſtus non inſtituit cœnam ſuam, ut eſſet actio privata Sacerdotis & Sacrificij, ſed communis totius Eccleſiæ. Ergo non eſt peragenda miſſa, in qua ſolus Sacerdos Conſecrat & communicat. 4. In Jure Can. cap. Peracta Diſt. 2. de Conſecrat. habetur: *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui noluerint, Eccleſiaſticis carere liminibus.* 5. Cum privatis miſſis mercaturam exercent, & lucra quærunt, ut affirmat Molinæus à fol. 1186. ludicrè exaggerat.

XXVIII. Errori huic univerſim adverſatur ratio Sacrificij, ad quam ſolùm pertinet, ut Sacerdos offerat pro populo, vel alijs neceſſitatibus; quod fieri poteſt, etiam in privato loco & feriali tempore extra dies Dominicos & Feſtos etiam ſine populi præſentia, etiam quando ille, pro quo

offertur

Digitized by Google

offertur, de communiter oblatis non manducat. Speciatim contra eundem errorem ſunt. Inprimis exempla Chriſti, qui primùm Miſſam celebravit ac cœnam inſtituit in domo privatâ: exempla Apoſtolorum, qui Act. 20. v. 7. circa domos frangebant panem; conſecratio autem Panis & Euchariſtiæ ritu Catholicorum non fit extra ſacrificium: exempla Pontificum Romanorum, qui tempore perſecutionum celebrabant in cryptis & cavernis ſeu terræ latebris: exempla Patrum, è quibus D. Ambroſius in domo clariſſimæ fœminæ rogatus ab illa ſacrificium obtulit, teſte Paulino in ejus vita. S. Caſſius Epiſcopus Narbonenſis in Epiſcopij ſui oratorio miſſam celebravit, quando ad Eccleſiam morbo impeditus accedere non potuit, ut refert Gregorius M. hom.37. Et quid uſitatius, quàm Epiſcopos (uti etiam Imperatores, Reges, ac Principes Chriſtianos) habuiſſe oratoria domeſtica ad Miſſas celebrandas? Deinde teſtimonia SS. Patrum. D. Chryſoſtomus hom. 3. in Epiſt. ad Ephes. ſcribit, *quotidianam ſuo tempore fieri ſolitam oblationem*: S. Auguſtinus epiſt. 23. dicit, *Chriſtum ſemel in cruce immolatum, omni die Sacramento populis immolari*: D. Hieronymus in c. 1. ad Tit. ait, *Sacerdotes quotidie pro peccatis populi ac ſuis ſacrificare.* ſimilia habent alij. Lubet addere teſtimonium unius ex ipſis ſectarijs. Brentius in confeſſ. Wittenbergenſi cap. de Euchar. aſſerit; ſatis eſſe, ſi duo tantùm adſint, nimirum unus, qui adminiſtrat Sacramentum, alter, cui porrigatur; quod ſine dubio multò magis locum habet in ſacrificio Miſſæ, dummodo adſit miniſter, qui reſpondeat. Denique decreta Conciliorum. Agathenſis plus quàm ante mille annos celebrati, in quo ſancitum, *ut ſinguli ſaltem ter in anno videl. in Natali Domini, in Paſchate, & Pentecoſte communicarent* (quod jam præceperat Fabianus Papa) & tamen can. 47. ab eodem *jubentur Chriſtiani ſingulis diebus Dominicis intereſſe Sacrificij Miſſæ uſque ad ſacerdotis benedictionem*: Turonenſis III. ſtatuentis can. 50. *ſi non frequentius, vel ter Laici homines in anno communicent*: Tridentini Seſſ. 13. can. 9. decernentis & approbantis legem ab Eccleſia latam, *ut Chriſtiani ſemel in anno, idque in Feſto Paſchatis Euchariſtiæ Sacramentum ſumant.* c. omnis de pœnit. & remiſſione. Hæc autem decreta utique nunquam facta fuiſſent, ſi in quovis ſacrificio communio ſeu diſtributio Sacramenti fieri debuiſſet.

XXIX. Reſpon. 1. ad fundamentum univerſale, negando iſtud, ſcil. Miſſam eſſe ſubſtantialiter cœnam ſeu convivationem: non ſacrificium; hæc enim mera eſſe Novatorum ſomnia, abunde in ſuperioribus oſtendimus. Ac merum delirium eſt, nos Papiſtas Sacramentum convertiſſe in ſacrificium circa tempora Gregorij M. Utrumque ſemper admiſimus, & admittimus confitentes, Euchariſtiam eſſe Sacramentum, quatenus eſt ſignum externum & viſibile gratiæ & refectionis: victimam verò & ſacrificium, quatenus DEO offertur &c. Reſpon. 2. in ſpecie. Ad D. Baſilium. Non agere ibi S. Patrem de Miſſa, quæ more catholico in quocunque loco celebratur, ſed contra hæreticos ſui temporis, qui ſacrificium celebrabant ſegregati ab univerſitate Eccleſiæ, ideo ſubjungit ibidem aiens: *audite, qui Eccleſiam relinquitis, & in publicis domibus verſati miſeras facitis Corporis pretioſi ſciſſuras.* Et poſtea: *tu aram erigis ex adverſo altaris tibi à Patribus conſtituti. Et ſic unicum in Eccleſia catholica* intelligitur Altare, etſi materialiter plura ſint per orbem chriſtianum; at verò quod contra doctrinam Eccleſiæ erigitur, ex adverſo erigi dicitur. Atque in hunc ſenſum loquuntur & intelligendi ſunt Patres. Ad Concilium Moguntinum. Nihil hæc eſſe contra catholicos, qui aſſerimus, ſacerdoti ſacrificanti ſemper debere adeſſe Miniſtrum, ſive ille cantet, ſive legat Miſſam; iſte enim Miniſter repræſentat populum, cui dicitur, Dominus vobiſcum. ac cætera, quæ ad circumſtantes diriguntur in miſſa; quamvis raræ ſint ejuſmodi Miſſæ, in quibus præter miniſtrum non plures adſint; major eſt Catholicorum pietas, quàm ſibi imaginantur Sectarij; aut ſi abſint, id per accidens eſt, nec ex ratione ſacrificij requiritur præſentia aliorum magis, quàm dum ipſi hæretici ægros ac moribundos communicant ſolo ſumente & miniſtro præſente. Ad Chriſti inſtitutionem. Miſſam nunquam eſſe privatam actionem ſacerdotis, ſed communem totius Eccleſiæ; quia à communi Miniſtro pro Eccleſiæ bono offertur. Ideo omnis Miniſter Sacerdos & *Pontifex ab hominibus aſſumptus eſt, & pro hominibus conſtituetur, ut offerat dona & ſacrificia.* Hebr. 5. v. 1. Unde ſemper ex omni Miſſa eſt communio & fructus Eccleſiæ, etſi nulli adſint; aut ſi interſint, ſpiritualiter communicare poſſunt, ex eâque communione ſpirituali publicus eſt fructus. Quodſi verò de Euchariſtiæ manducatione agatur, fatemur Chriſtum inſtituiſſe cœnam & ſacrificium ſimul: at non præcepiſſe, ut illa duo nunquam ſepararentur, quaſi ſacrificium non poſſet offerri, quando nulli adſint, aut communicare præſentes nolint. Videatur Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 6. ubi rem optimè exponit & decernit. Ad jus canonicum. Nihil in hoc aliud præcipi, quàm ut in ſolennioribus diebus Miniſtri, qui Epiſcopo ſacrificanti aſſiſtunt, communicent; id quod can. 9. Apoſtolorum jam præſcriptum erat. Videatur Anacleti epiſtola. 1. quæ habetur Tom. 1. Concil. Generál. ex qua verba illa Juris Canon. fuerunt deſumpta. Ad mercantiã. Calumnia eſt familiaris Molinæo & cæteris hæreticis, apud Catholicos exerceri mercantiam cum Miſſis, & pro rebus ſpiritualibus, quà tales ſunt, accipi pecunias, illáſque pro his vendi. Quoad rem ipſam, an liceat ſacerdoti pro dicenda miſſa accipere pecuniam ad ſuſtentationem, videatur Card. Lugo Diſp. 21. de Euchriſtia ſect. 1. & alij Theologi ſcholaſtici & Morales. Nobis hîc ſatis eſt, quod ſcribit S. Paulus 1. Corinth. 9. v. 7. in hæc verba: *Quis militat ſuis ſtipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundùm hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſis: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt DEO? an propter nos hoc utique dicit? nam propter nos ſcripta ſunt; quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? ſi alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hâc poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Quod prius etiam Chriſtus ipſe Matth. 10. v. 7 indicavit

 ajens:

Digitized by Google

aiens: *dignus eſt operarius mercede ſua.* Videmus igitur divino & naturali jure conforme eſſe, iis, qui nobis miniſtrant ſpiritualia, corporalia ſeu neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditari.

XXX. *Error quartus eſt*, Miſſam vulgari linguâ & pro Germanis germanicam celebrandam. Ita Lutherani molliores, hoc eſt, Confeſſioni Auguſtanæ adhærentes, & ex his Kemnitius in part. 2. Exam. pag. 883. & ſeq. contendens, miſſam dici oportere, ut populus intelligat. Fundamentum potiſſimum ſumunt ex Apoſtolo 1. Cor. 14. ubi reprehendit Corinthios in Eccleſia peregrinis linguis loquentes, quos alij non intelligebant vers. 24. ita dicens, *ſi conveniat univerſa Eccleſia in unum, ut omnes linguis loquantur: intrant autem Idiotæ, & Infideles, nonne dicent, inſanitis?* Addunt exemplum primitivæ Eccleſiæ: Item teſte Azorio p. 1. L. 7. Inſtit. moral. c. 26. Eccleſiam permiſiſſe, ut Alexandrini populi, & Ægyptij Arabicè, Armeni Syriacè, & Moravi olim Sclavonicè, & Ruſſi ſeu Rutheni vulgari ſuâ lingua peragerent officia divina.

XXXI. Contra errorem hunc ſic re diligenter maturequè expenſâ ſtatuit Tridentinum Concilium Seſſ. 22. c. 8. *Etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim linguâ celebraretur.* Factum fuit hoc ſtatutum propter duo maximè incomoda ſanè gravia, quæ ſequerentur. 1. quod oporteret frequenter mutare verba ſacrificij, cum vocabula, quæ uno tempore ſunt vulgaria, non diu poſt deſinunt eſſe vulgaria. 2. quod tolleretur communicatio Eccleſiarum; nec enim poſſet Germanus celebrare in Italia & Gallia: nec Italus in Germania & Hungaria, quod idem eſt de Hiſpano, Anglo, Polono, aliiſque Nationibus. Acceſſit antiquiſſima Eccleſiæ Conſuetudo. Nam in toto Oriente non inveniuntur antiquæ liturgiæ niſi Græcæ aut Chaldaicæ: in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ ſunt niſi Latinæ; quæ tamen linguæ à multis jam ſæculis deſierunt eſſe vulgares; imò Germanis, Francis, Anglis, Polonis lingua latina nunquam fuit vulgaris. Unde Sapientiſſimum fuit illud Concilij decretum; quod tamen non eò ſpectat, an ſacrificium Miſſæ non poſſit in alia præter tres ſacras linguas peragi, maximè in Syriaca & Chaldaica, quæ non aliter, quàm dialectis fere differunt, cæteriſque etiam: ſed an expediat, & cujus Authoritate permitti id debeat?

XXXII. Reſpond. ad fundamentum Adverſariorum. Apoſtolum id ſuum dictum limitaſſe vers. 5. *Major eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.* Atqui Eccleſia Catholica ſuas ceremonias in Miſſis uſitatas, ſicuti etiam Scripturam ſolet explicare per Concionatores & Catechiſtas, ſine qua explicatione non expediret populo Sacram Scripturam germanicè prælegere; quia propter obſcuritatem non intelligeret, ſed potius errores inde hauriret, ut oſtendit Forer in Antiquit. Papatûs Lib. 7. cap. 18. & 19. num. 13. Quapropter Eccleſia, ut diximus, vetuit, Miſſam dici, niſi in tribus præcipuis linguis in titulo Crucis ſacratis, nimirum Hebraica, Græca, & Latina. Et ſanè ad pietatem Fidelium generalis & confuſa notitia, (quod in miſſa nihil legatur niſi Sanctum, nempe doctrina DEI & preces ac laudes) abunde ſufficit, ſicuti etiam in privata oratione rarò ad ſignificationem verborum attenditur, ſed tantùm in confuſo aliquid pij concipitur. Chriſtus Dominus etiam Luc. 4. v. 16. in Synagoga populo prælegit Scripturam in lingua hebraica tunc vulgo ignota; quippe in captivitate Babylonica per chaldæos corrupta, ut ibid oſtendit P. Conzen. Adhæc ſacrificium non offertur ad populum inſtruendum ſi de primario & proprio fine agatur, ſed ad DEUM colendum, & ad impetranda populo beneficia. Non igitur requiritur, ut populus intelligat id, quod dicitur, ſed ſatis eſt, ſi DEUS intelligat. Ad exemplum Primitivæ Eccleſiæ dicimus, id non eſſe trahendum ad hæc tempora; quia aucto Fidelium numero in tanta multitudine varijs ex cauſis ſapientiſſimè alia expedire, quàm prius videri poſſunt. Ad Alexandrinos, Ægyptios, & Armenos ait ipſe Azor, illos permiſſionem Eccleſiæ extorſiſſe. Sed extorquebimus & nos, inquit Gerhardus L. 2. P. 2. fol. 1243. quod jus divinum non tantùm permittit, ſed etiam præcipit. Quid opus extorſione? oſtendatur jus divinum aliquid quoad hoc præcipere. Verùm quid ab homine vano requiro ſcripturam ſacram, cum neſciat ſuam Auguſtanam Confeſſionem; nunquid iſta art. 3. de miſſæ abuſibus ſic habet: *Retinetur Miſſa apud nos, & ſumma reverentia celebratur: ſervantur & uſitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod latinis cantionibus admiſcentur alicubi Germanicæ ad docendum populum*; quibus verbis haud obſcurè inſinuat, nullum extare præceptum divinum Miſſæ germanicè celebrandæ, aliàs omnia & in omni loco linguâ Germanicâ fierent. Moravi & Sclavi id Romani Pontificis authoritate obtinuerant, nec ultra evincit teſtimonium Innocentij III. ab eodem Gerhardo fol. 1238. adductum. Iſta autem facultas non omnibus fuit conceſſa; cum enim Bohemi quoque eam à Gregorio VII. ſibi peterent, reſcripſit Pontifex Duci in hæc verba L. 7. Regiſt: *Quia*, inquit, *Nobilitas tua poſtulavit, ut ſecundùm Sclavonicam linguam apud vos divinum officium celebrari annuenciemus, ſcias, nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe ſatisfacere, & hoc nempe ſæpe volventibus liquet, non immeritò ſacram Scripturam omnipotenti DEO placuiſſe, quibuſdam in locis eſſe occultam, ne ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret, & pateret deſpectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem deduceretur.* Videantur Laurent. Forer loc. cit. & Lib. 1. cap. 21. num. 70. Bellarm. Lib. 2. de Miſſa c. 11. Lib. 2. de Sacram. in gen. cap. ult. L. 2. Verbi DEI c. 16. & Gretſerus in defens. Bellarm. eod. cap. Cornel. à Lapide in 1. Cor. c. 14. v. 14. &c.

CONTROVERS. LXXIV.

DE CULTU ET VENERATIone Sacramenti Euchariſtiæ.

D. Auguſtinus Lib. 20. contra Fauſtum refert, Gentiles olim de Chriſtianis ſuſpicatos fuiſſe, colere illos Cererem & Bacchum, eò quod Chriſtum DEUM & Hominem ſub ſpeciebus panis & vini adorarent. Sectarij noſtri temporis ab hac quidem ſuſpicione immunes fuiſſent, ſed nec Chriſtiani inter Gentiles apparuiſſent. Unde conijcitur, quàm immeritò ijdem Novatores hodie litem moveant de adoratione Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ jam in primæva Ec-

va Eccleſia apud Chriſtianos à Gentilibus animadverſa. Suppoſitis ijs, quæ ſuprà de Adoratione controv. XLI. fusè diximus.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Chriſtus in Euchariſtia divino & ſupremo cultu Latriæ adorandus eſt. Ita ex fide tenent omnes Catholici juxta Tridentinum Seſſ. 13. c. 5. ſic loquens : *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti Fideles pro more in Eccleſia Catholica ſemper recepto latriæ cultum, qui vero DEO debetur, huic Sacramento in veneratione exhibeant. Nam illum ipſum DEUM præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit Pſal. 96. adorent eum omnes Angeli.* Et can. 6. *Si quis dixerit in Sacramento Euchariſtiæ Chriſtum Unigenitum DEI Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque adeo feſtivâ peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundùm laudabilem & Eccleſiæ Sanctæ univerſalem ritum & conſuetudinem ſolenniter circumgeſtandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.* Huic Tridentino non adverſatur Concilium Carthaginenſe III. præcipiens can. 23. *ut; cum Altari aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio;* loquitur enim ſolùm de Sacrificio, & vult, ut Sacerdos orationes in Miſſa tam ante quàm poſt conſecrationem ad DEUM Patrem dirigat, cui dilectus Filius ſuus offertur, & in quo Sacrificio Miſſæ memoria cruenti ſacrificij in cruce peragitur ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti. Probatur 1. ex Sacra Scriptura. In decalogo (qui eſt compendium legis naturalis) jubemur, Dominum DEUM adorare. Atqui in hoc Sacramento eſt præſens Dominus DEUS noſter. Ergo debemus adorare. Deinde Pater cœleſtis ſpeciali præcepto mandavit Filium ſuum Chriſtum incarnatum ab Angelis adorari Pſal. 96. cit. v. 8. *adorate eum omnes Angeli ejus.* Sicuti etiam in præſepi jacentem. Heb. 1. v. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Simile præceptum Patris cœleſtis habetur ad Philippenſes 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Ipſe etiam Chriſtus hoc præceptum de ſe adorando objecit dæmoni Matth. 4. v. 11. *Dominum DEUM tuum adorabis.* Non obſtat frivola excuſatio Novatorum, quod Chriſtus non juſſerit ſe adorari in Euchariſtia. Nam ſufficit generale mandatum in cit. locis promulgatum. Neque Chriſtus juſſit, ſe adorari à Magis in præſepio, neque ab Apoſtolis in Aſcenſione, à quibus tamen rectè fuit adoratus. Probatur 2. ex antiquiſſima praxi Eccleſiæ. Nam ideo in Miſſa elevatur hoc Sacramentum, ut à Fidelibus adoretur, ſicuti in primitiva Eccleſia uſitatum fuiſſe, teſtatur D. Dionyſius Areopagita S. Pauli diſcipulus in Hierach Eccleſiaſt. cap. 3. Verba illis in Tom. 1. Patrum edit. Colon. 16. 18. ſunt iſta: *Sed, ô tu divinum ſanctiſſimúmque Sacramentum, diſcooperti, ænigmatum veſtibus, quæ ſymbolicè (ſeu recondito ſenſu) circùm jacent, ut perſpicuè nobis manifeſtum evadat, mentiſque noſtræ oculos ſingulari, &, quæ obtegi non poteſt, luce comple.* Librum autem hunc de Hierach. Eccleſiaſt. eſſe Dionyſij Areopagitæ contra Hæreticos pluribus oſtendit Laurent. Forer in Antiq. Papatûs L. 7. c. 21. num. 4. & ſeq. Conſtat etiam ex Liturgijs tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ, tum ab initio Eccleſiæ, tum in quatuor primis ſæculis Sacerdotem ante Communionem verſus Venerabile Sacramentum dixiſſe. *Ecce Agnus DEI, qui &c.* Item *Domine non ſum dignus &c.* In aliquibus etiam ponitur, *DEUS propitius eſto mihi peccatori*; quæ certè omnia diriguntur ad Chriſtum DEUM adorandum.

II. Probatur 3. ex teſtimonijs SS. Patrum, quæ magno numero affert Cardinalis Bellar. Lib. 4. de Euchariſt. cap. 4. 29. & 30. Exempli causâ ſufficiat unum & alterum D. Auguſtin. qui in Pſal. 95. ſic ſcribit : *nemo illam Carnem manducat, niſi prius adoraverit.* Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Epheſ. ſimili fere modo ait : *adora & manduca &c.* D. Ambroſius Lib. 3. de Spir. Sanct. c. 12. *Videamus,* inquit, *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus JESUS in carnis aſſumptione ſuſcepit.* Itaque per *ſcabellum terræ intelligitur : per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in Myſterijs adoramus.* Patres in Concilio Niceno can. 63. ſic ſtatuerunt ex Arabica verſione : *Ut ſit in unaquaque Eccleſia œconomus, & cum eo alij habeant curam proventuum. Alij vaſorum auri & argenti & veſtimentorum. Alij habeant curam loci, in qua S. Euchariſtia ſervatur.* S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de obitu Gorgoniæ Sororis ſuæ refert, *quod ante Altare in fide procubuerit, & caput ſuper altare reclinaverit, ac Chriſtum invocaverit, ſicut olim Magdalena.* Videri etiam poteſt Jacobus Keller in Papatu Catholico Tom. 2. à fol. 712. ubi ex clariſſimis Patrum verbis oſtendit, Sacramentum Euchariſtiæ poſt Conſecrationem manere Sacramentum, credi, adorari &c. Equidem Molinæus à fol. 1146. hæc Patrum teſtimonia, nequiter eludere molitur, ſed revera clariora ſunt quàm quæ in ſiniſtrum & hæreticum ſenſum trahi aut obſcurari ſe patiantur. Ut bene oſtendunt citati Pontificij Authores. Probatur 4. exemplo Davidis Regis 2. Reg. 6. qui arcam fœderis (cui tanquam ſcabello DEUM inſidere imaginabatur) tantâ pompâ & veneratione coluit. Quantò magis venerandum eſt hoc Sacramentum, quod non ſolâ imaginatione, ſed reipſâ Chriſtum continet. Exemplum hoc præclarè imitatus fuit Carolus V. Imperator in comitijs Auguſtæ Vindelicorum habitis, ubi in ipſo die Corporis Chriſti Sac. Euchariſtiam ſolenniſſimè circum portatam ſubſecutus eſt nudo ſemper capite, tametſi ſol eſſet ardentiſſimus in manu quatri fidam geſtans facem : unde etiam inſtar Davidis mirè à DEO in omnibus fuit proſperatus, ut ejus felicitas potentiſſimo Turcarum Tyranno eſſet formidabilis. Quapropter hic maximè habet locum illud DEI effatum 1. Reg. 2. v. 30. *Quicunque glorificaverit me, honorabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Videatur Laurent. Surius in hiſtoria V. ſæculi Anno 80.

III. Probatur 5. ex miraculis, quibus DEUS obſtinatos hæreticos hujus Sacramenti adorationem detrectantes mulctavit, & ad eorum confuſionem ſtupidiſſima animalia porcos & aſinos ad ejus adorationem impulit, dæmones ejus præſen-

Digitized by Google

tiâ & virtute ejecit &c. Beatus Optatus Epiſcopus Milevitanus L. 2. contra Parmenianum refert, Epiſcopos Donatiſtarum, cum Sac. Hoſtiam ſuis canibus objicerent, ab ijſdem fuiſſe morſibus dilaceratos. Thomas Waldenſis Carmelita Tom. 2. de Sacramentis ſcribit, Londini in Anglia Sectatorem Wigleffiſtam juſſum adorare S. Hoſtiam dixiſſe, araneam digniorem eſſe adoratione, quàm Hoſtiam, & mox ingenti araneâ à tholo templi in ejus os delapsâ fuiſſe punitum. D. Bernardus in virtute Euchariſtiæ dæmones ejecit, ut in ejus vita ſcribit Wilhelmus Abbas hiſce verbis: *adeſt, inique Spiritus, Judex tuus, adeſt ſumma Poteſtas, jam reſiſte, ſi potes.* Plura ſimilia paſſim alij referunt. Probatur denique 6. largâ benedictione, quâ DEUS hujus Sacramenti cultores remuneratus eſt, cujus teſtis eſt Sereniſſima Domus Auſtriaca, quæ propter honorem Venerabili Sacramento ſemel exhibitum à ſtatu Comitum de Habſpurg ad ſummum Imperij Romani faſtigium evecta fuit. Nam cum anno Chriſti 1264. Comiti Rudolph Habſpurgi (quæ eſt arx prope Bruggum Helvetij oppidum ſita) equitanti occurriſſet Parochus Venerabile Sacramentum ad ægrotum quemdam procul habitantem deferens, & perrivum quemdam ponte carentem tranſuadare paraſſet, Comes mox equo deſiliens Parochum conſcendere juſſit, & pedes ipſe Sac. Euchariſtiam per aquas comitatus fuit. Peracto dein itinere equum etiam Parocho dono reliquit, indignum ſe ratus, eum ſe denuo equum conſcendere, cui Chriſtus inſediſſet. Quod factum quàm DEO placuerit, mox per Prophetiſſam quandam in Helvetia eidem Rudolpho Comiti ſignificavit, magnam ipſi benedictionem poſt novem annos ſecuturam pollicitus. His igitur novem annis elapſis Romanorum Imperator fuit creatus, ac novis Ditionibus & Regnis Auſtriæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. auctus. Atque hanc Imperatoriam Dignitatem adhuc retinet Archiducalis Domus Auſtriaca. Ita Joan. Albert. Widmanſt in præf. ad Epiſt. D. Pauli & alij plures. Unde tanta illa, quam etiamnum hodie conſpicit orbis Chriſtianus, omnium Sereniſſ. Archiducum devotio erga SS. Euchariſtiam. Videatur P. Thomas Le Blanc in Pſal. Tom. 2. Pſal. 21. v. 28.

IV. *Doctrina ſecunda.* Quamvis Chriſtus Dominus in hoc Sacramento latens continuâ & perpetuâ adoratione dignus eſſet, ſicuti ab Angelis & Beatis in cælo perpetim adoratur, tamen propter infirmitatem humanam varijs negotijs diſtractam non exigit à nobis continuam adorationem (ſicut nec Apoſtoli in terris com eo converſantes illum ſemper adorârunt) ſed relinquit humanæ diſcretioni, quando & quoties illum adorare velint. Ex communi & recepta conſuetudine tunc maximè id faciendum eſt, quando vel in Miſſa elevatur, vel in Proceſſione circumfertur, vel ad ægrun deportatur. Nam ſiquis tunc non adoraret, ſcandalum præberet & ſuſpicionem infidelitatis. Interim perpetuus aliquis cultus huic Sacramento exhibetur in ſplendore Tabernaculorum & Ciboriorum &c. quæ ſunt loco adorationis.

V. *Doctrina tertia.* Species Panis & vini, ſub quibus latet Chriſtus, dupliciter ſpectari poſſunt. 1. conjunctim cum Chriſto. 2. ſeparatim abillo, tamen cum aliquo reſpectu ad illum; priori modo venerandæ ſunt cultu Latriæ; poſteriore modo per inferiorem quemdam cultum. Hæc doctrina declaratur & probatur à paritate Adorationis, quam Humanitati Chriſti Suarez in 3. Part. Tanner, Cardl. Lugo, Arriaga alijque Theologi tribuunt, quos ſecuti ſumus ſupra Contr. XLI. cit. Quemadmodum ergo iſti docent, Humanitatem ſpecificè ſumptam in Chriſto adorari eodem Latriæ cultu cum Verbo, quia ſcil. totus Chriſtus adoratur, ſolo hoc interveniente diſcrimine, quod Verbum propter ſuam propriam excellentiam adoretur, Humanitas verò propter ſolam conjunctionem cum illa excellentia coädoretur: eandem autem reduplicativè acceptam ſecundùm excellentiam creatam ſupernaturalem, unionem ſcil. hyſpoſtaticam, quam habet in ſe, inferiore quodam adorationis genere coli. Ita cum ijſdem hìc docemus, ſpecies Sacramentales, ſi ſpectentur conjunctæ Chriſto, coädorari eodem Latriæ cultu cum Chriſto, quia iſte non præciſè, ſed ut his ſpeciebus affectus & præſentatus adoratur: ſi verò ſumantur ſeparatæ, non tamen abſque reſpectu ad Chriſtum tanquam ejus velamenta, coli eaſdem inferione quodam venerationis genere. Qualis autem iſte ſit cultus inferior, non convenit inter Theologos. Suarez loc. cit. D. 52. ſect. 2. §. quæret aliquis. Card. Bellarminus Lib. 2. de Imaginibus c. 22. Tanner, Arriaga & nonnulli volunt eſſe cultnm latriæ, ſed tantùm inadæquatæ & imperfectæ. Alij malunt, eſſe ſimpliciter hyperduliam, cum reverâ inferior ſit Latriâ. Res minoris eſt momenti, quàm cui diutius immoremur, & ſatis de hoc ſupra loc. cit dictum.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

VI. Error *primus eſt*, Sacramentum hoc non eſſe adorandum. Ita Lutherani apud Joan. Gerhardum Lib. 2. Part. 2. à fol. 1138. Et Calviniſtæ apud Guilielmum Ameſium Tom. 3. à fol. 156. quorum iſti nullam in Euchariſtia Chriſti præſentiam: illi in ſola ſumptione agnoſcunt; quod ſibi perſuadent hiſce argumentis. 1. Si Sacramentum Euchariſtiæ foret adorandum, cauſa eſſet, quod Chriſtus in ea contineretur. Atqui hæc cauſa nulla eſt; aliàs probaret, omnes creaturas eſſe adorandas etiam porcos & aſinos; quia in omnibus ineſt DEUS per infinitam ſuam Immenſitatem. Conſequens eſt abſurdum Ergo &c. 2. Chriſtus non inſtituit Sacramentum eo fine, ut adoraretur, ſed ut comederetur & biberetur. 3. Quia Apoſtoli in ultima cœna ſedentes communicârunt, non adorabundi in genua procidentes. Ergo nec nobis id faciendum; illi enim nobis exemplum præbuerunt, quomodo communicandum ſit; alioquin Chriſtus illos monuiſſet, & juſſiſſet ſurgere & in terram procidere. 4. Quia in tota ſcriptura nullum extat præceptum, quo jubemur hoc Sacramentum adorare; neque D. Paulus 1. Corinth. 11. accuratiſſimè deſcribens modum rectè communicandi ullius adorationis facit mentionem. 5. argumentum addunt ſpeciatim contra tertiam doctrinam à Concilijs prohiberi duas adorationes reſpectu Chriſti. 6. Gregorius Nazianzenus & alij Patres

Digitized by Google

vocant Euchariſtiam antitypam, hoc eſt, merum ſignum. Ergo Chriſtus in ſolo ſigno præſens eſt & honoratur.

VII. Error iſte repugnare videtur lumini Naturæ dictanti, DEUM Deique Filium adorandum, ubicùnque eſt; quippe in omni loco ſuam ſibi identificatam habet excellentiam, ob quam adorationem meretur. Quod ipſe etiam agnovit Lutherus; interrogatus enim circa hanc adorationem à Georgio Principe de Anhalt & Præpoſito Magdeburgenſi Anno. 1. 5. 41. reſpondit, *ſi ſpiritum ſanctum in forma columbæ videret, ſicut in Baptiſmo ſupra Chriſtum viſus eſt, prolapſurum ſe in genua, & erectis manibus dicturum, Spiritus Sanctus eſto mihi propitius; cur igitur, inquit, hocipſum non præſtem venerabili Sacramento Euchariſtiæ, in quo Chriſtus eſt præſens?* Ita refert idem Princeps Conc. 4. de Euchariſtia; qui hanc deinde doctrinam multis diducit affirmans, Chriſtum non ſolùm in ipſa ſumptione, ſed etiam extra hanc eſſ præſentem, & adorari oportere exemplo cœci; quem Chriſtus corpore & animo illuminavit Joan. 9. quamprimum enim intellexit, ſe coram Chriſto ſtare, *procidens adoravit eum.* vers. 38. quod factum approbavit Chriſtus ſubiungendo: *in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant.* Argumenta in oppoſitum allata nullius ſunt momenti.

VIII. Reſpond. ad 1. adæquatam rationem, cur hoc Sacramentum adorandum ſit, non eſſe, quod Chriſtus in eo lateat (alioquin communicantes poſt acceptam Euchariſtiam adorandi eſſent) ſed quod ſolus ibi lateat nullâ alia ſubſtantiâ præſente, quæ ſimul adorari videretur contra decentiam Religionis, ut ſi porcum vel aſinum adoraremus ob DEUM in eis latentem. Ad 2. negando conſequentiam. Nam ut aliquis ſit adorandus, non requiritur, ut captandi honoris gratiâ progrediatur, ſed ut excellentiam honore dignam exhibeat; alioquin Chriſtus in terra verſans nunquam fuiſſet adorandus, cum non propter honorem ſuum in terram deſcenderit. Joan. 8. v. 50. *ego non quæro gloriam meam.* Aiunt Adverſarij, ideo Chriſtum verbis illis ſacris: *hoc eſt Corpus meum.* Et: *hic eſt calix meus.* præmiſiſſe, *accipite & commedite: bibite ex eo omnes*, ut ſignificaret, tunc fore Corpus & ſanguinem ſuum præſentem, quando accepturi eſſent comeſturi & bibituri. Ergo eſt corpus & ſanguis in ſolo uſu. Verùm hæc explicatio verborum Chriſti non eſt conſentanea modo loquendi, ſed coacta & quæſita ſine cauſa. Siquis puero aliquid porrigat comedendum, & dicat, accipe, hoc eſt optimum pomum, quis finget, ſenſum iſtorum verborum eſſe, ſi comederis, optimum pomum erit? Injuriam ergo verbis Chriſti faciunt, qui ea ita explicant, ut cum diſerte dixerit, *comedite, hoc eſt corpus meum*, ipſi velint, ſenſum eſſe, ſi comederitis, erit corpus, aliàs non.

IX. Ad 3. Inprimis Apoſtoli probabiliter non ſedentes, ſed in lecto iacentes comederunt; Judæi enim veteri more non ſedebant ad menſam, ſed in lectis recumbebant, ut conſtat ex varijs Sac. Scripturæ locis. Deinde adoratio non ſolùm conſiſtit in genuflexione, aut proſtratione, ſed in varijs ceremonijs. licet ergo Apoſtoli communicantes non ſurrexerint, nec in genua prociderint, potuerunt tamen alijs modis Euchariſtiâ adorare, ut capitis inclinatione, manuum complicatione, quod eos feciſſe credibile eſt. Demum ſi Apoſtoli in omnibus geſtibus imitandi ſunt, non ſtantes, ſed ſedentes vel jacentes debemus communicare, quod nec Lutherani faciunt. Nam Apoſtoli Chriſto familiares & perpetuò cum eo verſantes non ſemper adorabant, ſicut nec Aulici ſuos Principes ſemper honorant; nos verò rariſſimé ad Chriſtum accedentes magis venerari decet, ſicut peregrinos, qui petitâ audientiâ ad Principem ingrediuntur, cum magna honorris exhibitione Ad 4. negando inprimis conſequentiam; quia ad licitum actum non requiritur præceptum 1. Tim. 1. v. 9. *Juſto non eſt lex poſita.* Ergo ſine lege juſtè benéque agit. Deinde negando antecedens. Quia lex Naturæ jubet adorare DEUM, & Cœleſtis Pater Filium ſuum adorari præcepit, ut patet ex doct. 1. partis prioris. Denique quamvis Apoſtolus ad Corinthios non fecerit mentionem ſpecialem adorationis Euchariſtiæ, tamen Roman. 13. v. 7. generatim monet, *reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem &c.* Ad 5. hoc fieri contra Neſtorium aliôſque hæreticos, introducentes Chriſti adorationem complecam terminari ad duas in eo perſonas, quarum unam per alteram diverſo cultu adorandam dicebant; ut proinde prædicta Concilia nihil habeant contra nos, qui non loquimur de adoratione totius ſuppoſiti, nec volumus Humanitatem veluti diverſum ſuppoſitum more Neſtroriano adorari poſſe diverſo cultu ab eo, qui toti ſuppoſito tribuitur; hoc enim longè abſit à nobis.

X. *Error ſecundus.* Sacramentum Euchariſtiæ non eſt theatricè circumgeſtandum. Ita ijdem Hæretici, nominatim Joannes Gerhardus loc. cit. fol. 1140. ubi ſingulariter in Proceſſiones cum venerabili Sacramento Euchariſtiæ (uti fit apud Catholicos in feſto Corporis Chriſti) inſurgit, ridiculè theatricam circumgeſtationem vocat, & abijciendam judicat. Tum quia circumgeſtatio hæc repugnat Chriſti inſtitutioni, qui Panem conſecratum ſolùm Diſcipulis manducandum dedit aiens: *accipite & comedite.* Matth. 26. v. 26. Tum quia Apoſtoli & primitivæ Eccleſiæ Fideles nuſpiam leguntur Panem conſecratum circumgeſtaſſe & oſtentaſſe. Tum quia theatrica iſta circumgeſtatio occaſionem præbet idololatriæ & varijs ſuperſtitionibus. Error iſte non eſt minor priore, nec ab eo diverſus, ac revera ſanæ rationi repugnat. Si enim Rex David & omnis Domus Iſrael laudabiliter fecerunt, Arcam DEI ſeu Fœderis cum ingenti jubilo & clangore Buccinæ de domo Obededom in Ieruſalem ac civitatem David introducendo 2. Reg. 6. cur Eccleſia peccet, maléque faciat, Sacro-Sanctam Euchariſtiam, quam repræſentabat Arca Teſtamenti, cum maximo honore, devotione, ac ſpirituali gaudio circumferendo atque adorando? Tum ut ſic publicè Fidem ſuam proteſtetur. Tum ut Chriſtum per fidem cognitum palam honoret. Tum ut Chriſto tanto ſuo Benefactori, quantam poteſt gratitidinem exhibeat. Tum ut injurias ac contumelias à Judæis, Gentibus, & Hæreticis Chriſto illatas omnibus modis ac viribus compenſet. Tum ut hoc cœleſti præſidio urbes domôſque ſuas muniat ac ſupernam benedictionem accerſat. Tum denique ut ſolenni hoc atque univerſali cultu reſarciat, quidquid à ſingulis Fidelibus debitæ venerationis per annum fuit neglectum; ut aſſerit

Digitized by Google

Urbanus IV. Papa in decret. Inſtit. Feſti Corporis Chriſti. Singulas haſce rationes pluribus declarant P. Georgius Scherer, Matthias Faber, & alij in ſuis Concionibus & Tractatibus.

XI. Reſpond. ad 1. in oppoſitum. Legem Naturæ præcipere adorationem DEI, & cœleſtem Patrem jubere Filium ſuum adorari, ut pauló ante diximus. Ipſe etiam Chriſtus inſtitutionem hujus ſolennis & publici honoris Venerabili Sacramento Euchariſtiæ exhibendi voluit, & Eccleſiam mirabili revelatione ad eandem impulit, ut videre eſt apud Dieſtemium in Libello anno 1603. edito, Sanctum Antoninum 3. Part. Tit. 19. c. 1. Onuphrium & alios. Ad 2. hoc mirum non eſſe; quia Apoſtoli & primi Chriſtiani dominantibus adhuc Gentibus auſi non fuerunt, fidem hujus Sacramenti tali publicâ ſolennitate proteſtari; idque palam honorare, nec pretioſam Margaritam producere in lucem, ne pecorum (Gentilium) pedibus conculcaretur. Ad 3. nullum eſſe periculum idololatriæ & ſuperſtitionis; atque adeo non ſolùm non peccamus adorando: ſed peccaremus non adorando, ut S. Auguſtinus in Pſal. 38. de adoratione Euchariſtiæ gravibus verbis dixit, omnéſque Sectarios Sterili & ſubſannanti Michol ſimiles oſtendit.

CONTROVERS. LXXV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

SAcramentum Pœnitentiæ in Nova lege ita connexum eſt cum virtute Pœnitentiæ, ut nec Sacramentum iſtud ſine virtutis Pœnitentiæ actu conſiſtere poſſit: nec actus virtutis Pœnitentiæ ſine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto ad juſtificationem prodeſſe valeat. Unde Scholaſtici priuſquam ad ipſum Pœnitentiæ Sacramentum accedant, de virtute Pœnitentiæ tractare ſolent. Verùm quia omnia, quæ ab hæreticis moventur, Sacramentum Pœnitentiæ concernunt, ideo virtute Pœnitentiæ vix obiter tactâ ſtatim ad Sacramentum Pœnitentiæ properabimus explanandum, & nec hoc univerſim (cum plura in eo ad Theologos morales ſpectent) ſed reſtrictim, quatenus Controverſum eſt; in quem etiam modum poſtea Indulgentias Pœnitentiæ annectemus, utpote huic affines.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Pœnitentiæ nomine in communi intelligitur dolor quidam & retractatio prioris facti. Theologicè accipitur pro dolore de peccatis commiſſis. Quâ ratione dubium eſſe non poteſt, quin ſit Virtus; quia per ſe patet, deteſtari peccatum, ut ſatisfaciamus DEO offenſo, & cum eo celeriter in amicitiam redeamus, eſſe actum de ſe bonum & honeſtum, adeóque actum virtutis, non tantùm ſecundùm quid, ſed etiam ſimpliciter, ut teſte Card. de Lugo Diſp. 8. Tom. 1. de Pœnit. num. 1. communiter tenent Doctores. Sed minimè convenit inter eoſdem, qualis ſit virtus. Durandus Diſt. 14. q. 2. putat, non eſſe certam virtutem in ſpecie determinatam, ſed virtutum omnium globum ſeu Juſtitiam generalem, quæ reſarciat ac reparet errata omnia contra virtutes omnes. S. Thomas verò 3. Part. Q. 85. art. 2. & 3. atque alij plerique Scholaſtici multò probabilius contrarium tenent. Unde

II. *Doctrina ſecunda.* Pœnitentia eſt virtus ſpecialis ab omnibus alijs diſtincta. Probatur. 1. pars. Quia ibi datur ſpecialis virtus, ubi ádeſt ſpeciale motivum. Atqui tale adeſt pro Pœnitentia, ut conſtabit. Ergo &c. Non obſtat, quamlibet virtutem deteſtari poſſe peccata ſibi oppoſita ex proprio & peculiari ſuo motivo, & ſic aliquo ſenſu pœnitentiæ nomen mereri. Nam adhuc datur aliud motivum extendens ſe ad omnia peccata, quod ſola pœnitentia attingit, ideóque ſpecialis virtus dici debet juxta D. Thomam Loc. cit. ad 2. Prob. 2. pars. Quia ſi motivum ſpecialis Pœnitentiæ differt à motivo aliarum virtutum, tunc & ipſa ab alijs diſtinguetur. Sed verum eſt Anteced. Ergo &c. Nam 1. differt à charitate; quia non eſt virtus theologica; ſiquidem non attingit immediatè & ratione ſui, atque ut objectum primarium DEUM; eſto circa hunc verſetur, ut objectum Cui. Equidem SS. Patres, cum agunt & loquuntur de Pœnitentia, maximè dolorem ſeu contritionem perfectam & ex charitate ortam intelligunt. Sed per hoc non negant aliud motivum & habitum, qui non ſit virtus theologica, ſed ſpecialis Pœnitentia. 2. differt à Religione, quia actus hujus, ſeu cultus DEI eſt planè independens ab omni peccato; etenim nihil aliud in ſuo conceptu involuit, quàm reddere DEO reverentiam debitam ob ſummam ejus Maieſtaten: at verò Pœnitentia deteſtatur peccatum ex longè alio motivo, ut conſtabit. 3. à Juſtitia vindicativa; quia punire peccata ex juſtitia vindicativa pertinet ad Superiorem ſeu Judicem. Nullus autem poteſt eſſe ſui Judex aut ſuperior. 4. à Juſtitia Diſtributiva; quia hæc verſatur circa diſtributionem bonorum communium ſervando proportionem geometricam; id quod alienum eſt à ſpeciali virtute Pœnitentiæ peccata commiſſa deteſtantis. 5. denique differt à Juſtitia Commutativa humana, quia ex communi ſententia Theologorum eſt habitus per ſe infuſus & ſupernaturalis.

III. *Doctrina tertia.* Probabilius videtur, habitum ſpecialis Pœnitentiæ eſſe veram quandam ſpeciem Juſtitiæ Commutivæ hominis ad DEUM, quâ homo non ſolùm Jus divinum læſum reparet, ſed etiam illæſum illud conſervet, aut ab alijs quoque læſum reſtituat. Ita expreſsè Suarez de Pœnit. D. 1. S. 2. Tanner ibid. Q. 2. num. 30. Arriaga tum alibi, tum de Pœnit. Diſp. 2. n. 50. & apud hoc alij plures tam veteres quàm Recentiores Theologi, ac nominatim S. Thomas: quem pro hac ſententia ſtare fusè oſtendunt cit. Authores. Probatur. Tum. quia inter Deum & hominem poteſt eſſe vera Juſtitia, ut docui in Diſput. de Incarnatione verbi anno. 1661. Friburgi Briſg. impreſſa à theſi XCVII. cum Thomiſtis, Suarez, Tanner, Mendoza, Arriaga & alijs: ac vera injuria DEO per peccatum infertur, ut ſæpe innuit Sacra Scriptura, idcirco peccata

Digitized by Google

cata appellans *iniquitates*, *injuſtitias*, *adulteria &c.* quæ planè Juſtitiæ opponuntur. Ergo ex eadem Juſtitia tenemur ad reſtitutionem ſeu compenſationem; quo poſito nulli commodius poſſumus id attribuere, quàm Pœnitentiæ, cum ſatisfacere & pœnitere ſit revera idem. Tum quia in rebus etiam humanis ad eandem virtutem Juſtitiæ ſpectat, & jus illæſum alteri ſervare, & læſum Compenſare v.g. nolle furari, vel ſatisfacere pro furto. Ergo etiam in ordine ad DEUM. Tum quia nulla alia virtus fingi poteſt, ad quam pertineat jus DEI illæſum ſervare, & læſum reparare, quàm Pœnitentia. Ergo ſi id pertineat ad ullam virtutem, ſpectabit ad Pœnitentiam. Unde infertur, habitum Pœnitentiæ eſſe quidem veram quandam ſpeciem Juſtitiæ, diſtinctam tamen à Juſtitia etiam infuſa, quâ homines inter ſe Juſti ſunt, propter Jus longè excellentius & ſuperius, quod Pœnitentia reſpicit, ut apertè docent Suarez Diſp. 7. Sect. 1. & alij, fateturque Card. Lugo de Incarnat. D. 3. num. 67. Sed non ultra; quia jam ſententiam hanc ſolùm volo primis digitis attingere, non manutenere, uti faciebam in Theologia Scholaſtica.

IV. *Doctrina quarta.* Pœnitentia eſt verum & propriè dictum Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum. Ita omnes Catholici. Prior pars deſumitur ex Sacra Scriptura Joan. 20. vers. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quo in loco habetur 1. ceremonia quædam externa; nempe judicialis Actio, quæ in propria & voluntaria accuſatione & abſolutione Sacerdotis à peccatis conſiſtit. 2. Pignus ſeu Promiſſio gratiæ; quia remiſſio peccati juxta præſens decretum DEI non fit abſque infuſione gratiæ. 3. Mandatum divinum, quatenus prædictis verbis hæc alia fuerunt præmiſſa: *ſicut me miſit Pater, & Ego mitto vos.* Cum ergo iſta ad verum & propriè dictum Sacramentum ſufficiant, perſpicuum eſt, Pœnitentiam verum & propriè dictum eſſe Sacramentum; ſic enim ex his, & ijs, quæ de Sacramenti in communi definitione ſupra diximus, argumentari poſſumus. Quidquid eſt ceremonia ſacra, ſenſibilis, ſtabilis, in pignus gratiæ inſtituta, eſt Sacramentum verum. Pœnitentia eſt talis Ceremonia. Ergo &c. Quod etiam poſt Conſtantienſe, Florentinum, & alia Concilia definit Tridentinum Seſſ. 14. can. 1. his verbis; *Siquis dixerit, in Eccleſia Catholica Pœnitentiam non eſſe verè & propriè dictum Sacramentum pro Fidelibus à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Idem tradunt Patres apud Bellarminum Lib. 1. de Pœnit. c. 10. & 13. è quibus D. Gregorius Nyſſenus in lib. de vita Moyſis ſic ſcribit: *Moyſes mundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualéque ſit Pœnitentiæ Sacramentum, docet. Nam qui ad Ægyptias voluptates, poſtquam biberunt de liquido, lapſi ſunt, poſſunt tamen virtute Pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, invenire.* Poſterior pars itidem definitur à Tridentino Seſſ. cit. can. 2. *Siquis Sacramenta confundens ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.* Hic articulus fidei in Scriptura quidem diſertè non exprimitur, tamen per bonam conſequentiam inde colligitur, maximè ex citatis verbis Chriſti Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Unde ſic ratiocinari poſſumus. Quæcunque Sacramenta habent diſtinctum finem & effectus, quos per ſe & primariò reſpiciunt, illa inter ſe diſtinguuntur. Sed Baptiſmus & Pœnitentia habent talem finem & effectus. Ergo &c. Probatur Min. Baptiſmus per ſe inſtitutus eſt tantùm ad delendum peccatum originale, & ſecundariò duntaxat ad auferenda peccata actualia, ſiquæ ſint cum Originali conjuncta: Pœnitentia verò inſtituta fuit ad delenda peccata poſt ſuſceptum Baptiſmum commiſſa. Ergo &c. Vocat autem Concilium Pœnitentiæ Sacramentum ſecundam tabulam, quaſi poſt naufragium peccati mortalis remanentem; non reſpectu tabulæ alicujus prioris itidem ex navi naufraga relictæ, ſed ipſius navis ſeu ſtatûs integritatis & innocentiæ per Baptiſmum comparati. Quanquam dici etiam poſſet, poſt naufragium totius humani generis in peccato primi parentis factum, primam ſalutis tabulam eſſe Baptiſmum: alteram Pœnitentiam; utroque enim modo rectè explicari hanc metaphoram communiter notant Theologi, eámque uſurpârunt Patres Hieronymus in caput 3. Iſaiæ, & in Epiſtola ad Demedriatem. Tertullianus Lib. de Pœnit. Ambroſius ad Virginem Lapſam c. 18. &c.

V. Porro inſtitutum fuit Sacramentum Joan. 20. cit. quando Chriſtus inſufflans in Apoſtolos dixit: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* ut tradit idem Tridentinum S. ſſ. cit. cap. 1. ajens: *Dominus autem Sacramentum hoc Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis reſuſcitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Santum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenda ſunt.* quæ verba ex Joan. 20. cit. fuerunt deſumpta. Non obſtat, quod Concilium dicat *præcipuè*; per iſtam enim particulam non voluit indicare, hoc Sacramentum etiam alibi fuiſſe inſtitutum, ſed duntaxat, Sacramentum iſtud alibi fuiſſe promiſſum & quodamodo inchoatum, ut Matth. 16. v. 19. quando Chriſtus Petro dixit, *tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ſolueris &c.* Rurſus Apoſtolis omnibus Matth 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Hæc tamen promiſſio divinæ ratificationis, quod ſcil. DEUS perinde in cælo Apoſtolorum abſolutionem & ligationem ſit ratam habiturus, ac ſi ipſe feciſſet, intelligenda eſt cum tacita conditione, ſi legitimè utantur poteſtate illâ; etenim homines impœnitentes & indiſpoſitos abſolvendo nihil efficerent, nec DEUS id ratum haberet.

VI. Demum etiam obſervandum, hanc poteſtatem clavium S. Petro tanquam deſignato ſummo Pontifici ſeorſim promiſſam & traditam latius patere, quàm poteſtatem alijs diſcipulis conceſſam; deſignabat enim non ſolùm poteſtatem remittendi peccata, & iniungendi pænitentiam, ſed etiam plenam facultatem omnia ſalutis impedimenta removendi, & liberum ingreſſum in cœlum aperiendi, uno verbo, faciendi omnia ad rectam gubernationem totius Eccleſiæ neceſſaria, uti ſunt legum latio, cenſurarum inflictio, indulgentiarum conceſſio, diſpenſatio in votis & juramentis, deciſio dubiorum, convocatio Conciliorum &c. ſicuti bene advertit Marius Alterius Tom. 1. de Cenſuris. fol. 25.

VII. *Doctrina quinta.* Sacramentum Pœnitentiæ conſtat materiâ & formâ tanquam partibus eſſentialibus intrinſecè ad ejus compoſitionem pertinen-

Digitized by Google

pertinentibus. Ita Concilium Florentinum in decreto Unionis univerſim affirmans, novæ legis Sacramenta conſtare ex rebus tanquam materia: & ex verbis tanquam forma; aliunde autem ex Philoſophia conſtat, materiam & formam in compoſitis tam naturalibus quàm artificialibus eſſe partes intrinſecè conſtituentes. Materia autem proxima ſive partes materiales hujus Sacramenti ſunt tres actus Pœnitentiæ, nempe Contritio, Confeſſio, Satisfactio, ut expreſsè tradit Tridentinum Seſſ. 14. c. 3. ſic ajens: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio*; ubi particula quaſi non habet ſenſum abalienantis, ſed tantùm diſtinguentis materiam hujus Sacramenti à materia quorumdam aliorum. Ex his actibus Contritio & Confeſſio ſunt partes eſſentiales: Satisfactio autem ſolùm integralis; quia apud omnes indubitatum eſt, per Sacramentum Pœnitentiæ cauſari gratiam etiam diu ante, quàm reipsâ ponatur ſatisfactio; cum tamen gratia non detur, priuſquam Sacramentum ſubſiſtat. Quare de hac ſatisfactione ob peculiares difficultates ſequenti controverſia agemus: nunc cœtera de Pœnitentia expedimus.

VIII. *Doctrina ſexta.* Contritio, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, neceſſariò debet eſſe Formalis, ita ut virtualis in nullo caſu ſufficiat. Ita cum S. Thoma 3. Part. q. 84. art. 1. ad 1. communis ſententia Theologorum. Prob. 1. ex Concilio Tridentino Seſſ. 14. c. 3. recèns citato, ubi dicitur, *materiam quaſi hujus Sacramenti eſſe actùs pœnitentis, nempe contritionem &c.* Ex quo ſic argumentari licet. Materia quædam conſiſtens in actibus pœnitentis eſt de eſſentia hujus Sacramenti. Ergo aut omnes actus pœnitentis ſunt de eſſentia, aut ſaltem ij, quos nec manifeſta ratio, nec auctoritas excipere cogit, qualis inprimis eſt contritio. Ergo impoſſibile eſt, eſſentiam aut effectum Sacramenti Pœnitentiæ conſiſtere ſine formali Pœnitentia. Probatur 2. ratione. Tum quia nec confeſſio vera & accuſativa ſui eſſe ſine formali pœnitentia: nec abſque tali confeſſione forma hujus Sacramenti & veritas ejus conſiſtere poteſt; ſiquidem iſta veritas confeſſionem & accuſationem ſui ſupponit. Tum quia ex ipſa rei natura pœnitentia formalis eſt accommodatiſſimum medium ad offenſam DEI tollendam. Videatur Tanner Tom. 4. Diſp. 6. Q. 6. n. 74. Diximus *nullo caſu.* Nam contritio ſeu Pœnitentia Formalis atque explicita eſt, quando cum dolore deteſtamur peccatum, id quod eſt formaliter denominare pœnitentem, ſive deinde motivum ſit ſpecialis pœnitentiæ, ſive alterius virtutis ad omnia peccata commiſſa ſe extendentis: Virtualis verò & implicita, quando amamus bonum peccato oppoſitum, etenim cui bonum placet, hocipſo malum oppoſitum eidem diſpliceat oportet. Si ergo pœnitens conciperet contritionem ſeu dilectionem DEI abſque formali dolore de peccatis commiſſis, aſſequeretur quidem effectum Sacramenti, cum Dilectioni DEI ſæpius in Sacra Scriptura promittatur remiſſio peccatorum. Sed hoc fieret extra Sacramentum & ex mera hypotheſi; quippe abſolutè fieri nequit, ut quis actualiter & formaliter cogitet de peccatis & ſimul afficiatur ad motivum illis oppoſitum, quin ea actualiter & formaliter odio habeat, ut bene Eſparza de Pœnit. Quæſt. 88. art. 4. & 5.

IX. Porro Contritio alia eſt perfecta, alia imperfecta; prior eſt; quæ ob perfectionem motivi ſui ſcil. charitatis diſponit ultimò ad juſtificationem etiam extra Sacramentum, & abſolutè contritio appellatur: poſterior eſt, quæ ex motivo turpitudinis peccati; vel ex metu pœnarum elici, & Attritio vocari ſolet. Hanc Attritionem ut cognitam non ſufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ tenent Magiſter Sentent. D. Bonaventura, Hugo de S. Victore, Abulenſis & alij apud Vaſquez. Quæſt. 92. art. 1. & 2. Tum propter authoritatem PP. Auguſtini, Gregorij, Clictovæi & aliorum aſſerentium, peccatorem prius vivificari à Deo, quàm à Sacerdote abſolvatur. Ergo ad abſolutionem præſupponi debet contritio perfecta. Tum quia homo mortaliter peccans cenſetur amare bonum creatum, cujus gratiâ peccat appretiativè ſupra DEUM. Ergo ut reconcilietur Deo, tenebitur ipſum amare ſuper omnes creaturas; alioquin præcedens actus tam diu manet, donec per aliquem contrarium revocetur, conſequenter non poterit homo ſine perfecta contritione formali vel virtuali juſtificari.

X. *Doctrina ſeptima.* Attritio etiam ut talis cognita ſufficit ad valorem & fructum hujus Sacramenti. Ita communiter Catholici Doctores, & videtur hoc definiviſſe Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 4. ſic loquens: *Quamvis* (attritio) *ſine Pœnitentiæ Sacramento per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam DEI in Sacramento impetrandam diſponit.* Utique non tantùm remotè & inſufficienter (hoc enim etiam extra Sacramentum facit) Ergo proximè & ſufficienter; Concilium enim ibi diſtinguit contritionem, quæ ſolùm ſufficit cum Sacramento ad juſtificationem, ab ea contritione, quæ ſufficit ſine Sacramento. Confirmatur doctrina noſtra. Ex comuni conſenſu Theologorum, imò ex definitione Eccleſiæ & vi ſuæ inſtitutionis Pœnitentia eſt mortuorum Sacramentum. Ergo non ſupponit gratiam. Ergo nec requirit perfectam contritionem, ut in ſimili de Baptiſmo argumentamur. Reſpond. ad 1. in oppoſitum cum Dicaſtillo Diſp. 6. de Pœnit. num. 34. Patres non loqui de vivificatione animæ, quæ fit per gratiæ & ſanctitatis infuſionem, ſed de aliquo motu vitæ, quo peccator incipit ſe diſponere ad pœnitentiam & juſtificationem. Ad 2. conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Nam inordinatus boni creati amor ſufficienter retractatur per attritionem efficacem, quâ poſitâ verum eſt dicere, talem hominem diligere DEUM ſuper omnia; non quidem poſitivè, ſed negativè, hoc eſt, ita ut nullam rem creatam ei præferat (quod tamen nondum ſufficit, ut peccatum cenſeatur ablatum) Si ergo tali homini conferatur gratia & charitas virtute Sacramenti, cenſebitur hocipſo, uti prius, DEUM habitualiter ſuper omnia diligere.

XI. *Doctrina octava.* Dolori, de quo diximus, in Sacramento Pœnitentiæ adjunctum eſſe oportet Propoſitum non peccandi de cætero. Ita communiter Theologi Catholici, & habetur in Concilijs Florentino & Tridentino; quorum illud in decreto Eugenij docet, *primam partem Pœnitentiæ eſſe contritionem cum propoſito non peccandi de cætero:* iſtud verò Seſſ. 14. c. 4. ait, *contritionem eſſe deteſtationem peccati commiſſi cum propoſito non peccandi de cætero.* Ratio eſt, quia ipſa etiam ratio naturalis

dictat,

Digitized by Google

dictat, in exhibenda ſatisfactione præſertim voluntaria diſpoſitionem maximè accommodatam ad reconciliationem læſi eſſe propoſitum emendationis, adeóque abſtinendo impoſterum ab offenſa. Cæterùm non convenit inter Doctores, utrum propoſitum iſtud non peccandi de reliquo debeat eſſe formale & expreſſum? Affirmant Card. Bellarminus L. 2. de Pœnit. c. 6. & 7. Toletus, Canus, & nonnulli, qui putant, attritionem etiam ex motivo univerſali non poſſe eſſe propoſitum implicitum non peccandi impoſterum. Tum quia ad vitandas pœnas æternas & ſalutem non amittendam non eſt neceſſarium, non peccare: ſed ſolùm requiritur non mori in peccato mortali. Ergo in ea deteſtatione præteritorum ob hujuſmodi motiva non includitur voluntas non faciendi illa: ſed agendi pœnitentiam de iiſdem ante mortem. Tum quia ſiquis ex conſideratione inferni diceret: mallem peccare, quàm æternùm ſuſtinere has inferni pœnas, peccaret, & non poſſet hoc peccatum refugere ex odio pœnarum. Ergo &c. Negant melius Villalobus Tom. 2. Tr. 9. difficult. 19. num. 8. Card. Lugo de Sacram. Pœnit. D. 14. Sect. 5. Arriaga, Dicaſtillo, & plerique alij. Nam impoſſibile eſt, ut aliquis ex ſupernaturali & univerſali motivo (quale in præſenti ſupponimus) efficaciter doleat v. g. de furto propter pœnam inferni, carentiam Beatitudinis, turpitudinem peccati &c. ac ſimul velit offendere DEUM in diverſo genere; aliàs vellet contradictoria. Ergo dolor iſte extendit ſe implicitè ad vitanda omnia peccata, quæ ſunt offenſæ graves Dei. Aliud eſt de dolore ex motivo non univerſali, ſed ſpeciali, per quod pœnitens dolet de peccatis illis, quæ confitetur; præter hunc enim dolorem ſpecialem requiri propoſitum formale & univerſale, rectè concedit Lugo loc. cit. Reſpon. ad 1. in oppoſitum, negando conſequentiam. Nam cum homo eoipſo quod peccet, jam ſit dignus inferno, & omnino ſit incertus de tempore & auxilio efficaci ad pœnitentiam, id ſufficit, ut nolit ullo modo ſe ei periculo exponere. Ad 2. cum Lugo loc. cit. n. 59. & Dicaſtillo D. 6. de Pœnit. num. 222. & alijs, negando antecedens; etenim tale peccatum poteſt odio haberi ex metu inferni, quia de facto illud etiam peccatum reddit hominem dignum eâ pœnâ, & ad deteſtandum idem non eſt neceſſe dicere: malo pati pœnas, quàm peccare, ſed de objecto nihil dicendo poteſt de ipſo actu reflexè dolere, ſiquidem iſte de facto induxit dignitatem pœnæ æternæ; diceret ergo homo ille: doleo, quod poſtpoſuerim pœnas peccato, per quam prælationem incurri dignitatem earum pœnarum, ubi non ait è contrario: poſtpono peccatum pœnis, ſed ab his omnino abſcindit. Bene etiam advertit Arriaga Diſp. 38. num. 6. Adverſarios argumentis ſuis non tam probare, in attritione non includi propoſitum non peccandi de reliquo, quàm vi illius non poſſe hominem deteſtari omnia peccata præterita. Verùm quod attritio in actu quaſi exercito magis fugiat infernum, quàm peccatum, facit quidem, ut illa non ſit actus perfectiſſimus, minimè verò, quod ſit malus.

XII. *Doctrina nona.* Confeſſio Sacramentalis omnium peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum tùm publicorum tum occultorum eſt inſtituta à Chriſto, adeóque jure divino neceſſaria. Ita omnes Catholici de fide tenent. Probatur 1. ex Sac. Scriptura. Joan. 20. Chriſtus conferens Apoſtolis eorúmque Succeſſoribus judiciariam poteſtatem ait v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Cum igitur nemo judicare poſſit de re, cujus nullam habet notitiam, ſi Sacerdos judicare debeat, num peccata remittenda an retinenda ſint, ſcire profectò illum oportet, quænam ſint peccata. Atqui hoc ſcire non poteſt citra revelationem divinam, niſi pœnitens ea aperiat, ſiquidem ſæpe occultiſſima ſint; non ſolùm autem publica, ſed etiam occulta peccata judicari à Sacerdote debere, colligitur ex generalibus illis verbis, *quorum remiſeritis peccata, quæcunque alligaveritis &c.* Ergo ſi Sacerdos ex inſtitutione judicare debeat de omnibus peccatis etiam occultis, neceſſariò ex eadem divina inſtitutione requiretur confeſſio, quâ peccator ſe voluntariè accuſat. Confirmatur ex alijs Sacræ Scripturæ locis atteſtantibus in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum uſitatam fuiſſe peccatorum confeſſionem, utique ad veniam impetrandam; ſic enim ſcribit D. Lucas Act. 19. v. 18. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos; multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati* (id eſt, Magi & Venefici) *contulerunt libros, & combuſſerunt.* D. Jacobus c. 5. v. 16. ait: *confitemini alterutrum peccata veſtra*; ubi tamen vox *alterutrum* non nimis grammaticè ſumenda; quaſi invicem oporteret confiteri; cum non omnes ſint Sacerdotes, quibus ſolis competit hoc judicium, ſed paulò largiùs accipienda, unus alteri confiteatur, ſicut S. Petrus epiſt. 1. c. 4. v. 9. ait: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes.* Ubi loquitur de Eleemoſyna, quam divites ex opibus à DEO collatis in pauperes expendere debent, non autem viciſſim pauperes, qui non habent.

XIII. Probatur 2. ex Figuris Veteris Teſtamenti, ubi Sacerdotibus commiſſum fuit judicium lepræ, ut quem ipſi leproſum pronunciarent, hominum conſortio excluderetur, quem verò mundum declararent, communi Societati reſtitueretur Levit. 6. v. 2. Num. 5. v. 6. quod etiam Chriſtus probavit Lucæ 17. v. 14. Hoc judicium Sacerdotale fuiſſe figuram Novi Teſtamenti, conſtat tum ex generali doctrina Apoſtoli 1. Cor. 10. v. 6. *hæc omnia in figura contingebant illis.* Et ad Hebr. 10. v. 1. *Umbram habens lex futurorum bonorum &c.* tum ex ſpeciali ratione lepræ; cujus judicium potius ad Medicos quàm ad Sacerdotes pertinuiſſet; niſi aliquod ſacrum myſterium Novæ legis ſignificaſſet; quodnam verò aliud, niſi Sacramentum Pœnitentiæ, ubi Sacerdotes de Spirituali lepra peccatorum judicant. Ne autem hæretici hinc argumententur; quemadmodum Sacerdotes Judaici lepram corporalem curare non potuerunt, ſed tantùm curatam pronuntiârunt, ita Sacerdotes Chriſtianos peccata non remittere, ſed per fidem remiſſa declarare, ſciant, omnem ſimilitudinem claudicare, nec figuram figurato exactè reſpondere, ut clarè patet in æneo ſerpente ſuper lignum ſuſpenſo, cujus aſpectu lethale venenum ſerpentum curabatur. Num. 21. v. 9. quam Chriſtus ipſe ſuæ crucifixionis figuram geſſiſſe affirmat Joan. 3. v. 14. Unde tamen non licet inferre; ſicut æneus ille ſerpens non ſuo merito, ſed nudâ ſignificatione venenum pepulit, ita Chriſtum Crucifixum peccati virus non per meritum ſuæ paſ-

 ſionis

Digitized by Google

ſionis curaſſe. Quare ſimilitudo inter Sacerdotes Vet. ac Novi Teſtamenti quoad curationem lepræ Spiritualis & corporalis non eſt in modo operandi, ſed in effectu, ſcil. reſtitutione prioris ſanitatis. Ita S. Chryſoſtomus explicat Lib. 3. de Sacerdotio ſcribens: *Corporis purgare lepram, ſeu, ut verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probarè Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat: At verò noſtri Sacerdotes non tantùm lepram corporis, verùm animæ ſordes non tantùm purgatos probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.*

XIV. Probatur 3. ex Concilijs & Patribus, quorum plura teſtimonia adducit Card. Bellarmin. Lib. 3. de Pœnit. à cap. 5. Sufficiat nobis unum & alterum. Concilium Cabilonenſe II. ante annos octingentos can. 32. ſcribit: *Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus, quod quidam, dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt &c. Solerti igitur indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio, ſcil. ut & ea confiteantur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur.* Similia ſunt in Concilio Turonico III. can. 22. Moguntino ſub Rabano c. 26. & Wormatienſi c. 25. quibus accedit Tridentinum Seſſ. 14. c. 6. contra Sectarios ſic definiens: *Siquis negaverit, confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit, modum ſecretò confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ſemper ab initio obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & mandatum eſſe humanum; anathema ſit.* D. Cyprianus Serm. de Lapſis ſic hortatur: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos Fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui delinquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata eſt.* D. Chryſoſtomus hom. 20. in Geneſin hæc habet; *qui voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adjumento, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & Medico oſtendere ulcus, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit; confeſſio enim peccatorum abolitio eſt delictorum.* S. Auguſtinus hom. 12. ex 50. ita ait: *In omnibus Scripturis divinis utiliter & ſalubriter admonemur, ut peccata noſtra debeamus jugiter & humiliter non ſolùm DEO, ſed etiam Sanctis & DEUM timentibus confiteri.* Videri etiam poſſunt Jacobus Keller in Papatu Catholico à fol. 740. Bernardinus Vetweis in Speculo veræ Eccleſiæ à fol. 808. Gregorius de Valentia Tom. 4. Diſp. 7. Quæſt. 9. pun. 2. & alij, qui apertiſſima veterum Patrum verba allegant. Unde ſic argumentari poſſumus. Antiquus Eccleſiæ uſus & praxis in re fidei & à Chriſto præcepta non rejici, ſed retineri debet; quis enim ſani judicij homo Eccleſiam DEI in re tanti momenti & per tot ſæcula uſurpata arguere erroris, ac corrigere audet? Sed confeſſionis privatæ omnium peccatorum mortalium, quorum homo recordatur, uſus & praxis fuit omnibus retro ſæculis in Eccleſia DEI, ut expreſſiſſimè teſtantur Sac. Concilia & Patres. Ergo non abijciendus, ſed retinentus eſt. Probatur 4. ratione. Tum quia in omni reconciliatione & ſatisfactione requiritur recognitio & confeſſio offenſæ. Cum ergo Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ directè ordinaverit ad reconciliationem pœnitentis, voluit, confeſſionem etiam externam coram Sacerdote in illo intervenire. Tum quia cum homo per peccatum mortale ſuperbè à Deo ſe avertat, atque hunc rebus creatis turpiter poſtponat, convenientiſſimum eſt, ut in reconciliatione ſeſe rurſus coram Miniſtro Chriſti humiliet, ad pedes hujus ſe abijciendo &c. Tum quia lex Nova ſic apertius reſpondet legi veteri, eámque ſuperat. Quemadmodum enim Sacerdotes Moſaici de lepra ſolùm corporis factâ prius exploratione judicium tulerunt, ita Sacerdotes Novæ Legis ſimili exploratione præviâ de animæ lepra ſententiam ferunt non aliâ utique ratione cognoſcendâ, quàm propriâ pœnitentis confeſſione.

XV. Ex dictis tria inferimus. 1. Confeſſionem eſſe neceſſariam neceſſitate medij in re vel voto; quia ſine ea non poteſt obtineri remiſſio peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi, vel ſaltem non ſine ordine aut directâ obligatione ad illam: atque aliunde eſt medium per ſe ordinatum ad talem effectum. 2. Confeſſionem privatam non eſſe ita de neceſſitate Sacramenti, ut publica non ſufficiat, ut communiter docent Theologi, apud Suarez D. 24. Sect. 2. quidquid nonnulli ſecus putent; etenim Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. ait, *Chriſtus non vetuiſſe publicam confeſſionem, ſiquis in vindictam ſcelerum ſuorum ob ſui humilitatem & aliorum exemplum ita expedire judicaverit.* Verum propter varia incommoda, quæ emergere interdum poſſunt, jam in uſu eſſe deſijt. 3. Venialia peccata includi ſub poteſtate abſolvendi, non retinendi; nam qui dat poteſtatem abſolvendi & condonandi graves incurias, à fortiori dare cenſetur poteſtatem condonandi leves: at non è contrario, qui negat poteſtatem abſoluendi á gravibus, ideo conſetur negare poteſtatem abſoluendi á paruis. Etiamſi igitur extra Sacramentum hoc in re vel voto non fiat poteſtas abſoluendi á mortalibus, non ideo ſequitur, non eſſe modum alium abſoluendi á venialibus.

XVI. *Doctrina decima.* Forma hujus Sacramenti Pænitentiæ ſunt iſta verba: Ego abſolvo te à peccatis tuis in Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. ut habet communis & certa ſententia catholicorum Theologorum cum D. Thoma 3. Part. quæſt. 84. art. 3, Nec dubitari poteſt, quin hæc forma ſit optima. ut patet ex uſu Eccleſiæ; certè luculenter ſignificat effectum hujus Sacramenti, ſcil. remiſſionem peccatorum judicialiter factam.

XVII. *Doctrina undecima.* Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ ſolus Sacerdos eſſe poteſt. Ita tenent omnes Catholici, & clarè definit Tridentinum Seſſ. 14. can. 10.: *ſiquis dixerit, non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis &c. anathema ſit.* Sacerdos autem efficitur aliquis per poteſtatem ſacrificandi. Unde cum in Eccleſia non ſit aliud ſacrificium, quàm confectio & oblatio Corporis Chriſti, ſequitur, non poſſe de facto concedi facultatem abſolvendi ei, qui vel non prius, vel ſaltem ſimul accipiat poteſtatem ſacrificandi. Quare ſi aliquis in ordinatione ex quocunque defectu non acciperet verè poteſtatem conſecrandi & offerendi ſacrificium, non reciperet etiam deinde poteſtatem abſolvendi; quippe non poteſt hanc accipere poteſtatem, non acceptâ priore, etiamſi poſſet accipere poteſtatem conſecrandi abſque poteſtate abſolvendi, ut bene advertit Arriaga Diſp. 39. num. 2. Porro hanc poteſtatem eſſe judicialem, & ſic Apoſtolos eorúmque Succeſſores á DEO fuiſſe Judices conſtitutos, rectè Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. tradit & ex conſtat; nam abſolvere

ſolvere reos vel punire, Judicis eſt officium. Judiciariæ autem poteſtatis duo ſunt actus; nimirum ſolutio & ligatio. Quid ſit Solutio, clarum eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, quæ non tantum fit moraliter & extrinſecè, ſicut in humanis judicijs, ubi ſententia abſolutoria non tollit reorum delicta, ſed tantùm declarat, non eſſe commiſſa. At in hoc Spirituali & Sacramentali judicio peccata, quæ conſtat eſſe commiſſa, tolluntur per phyſicam & realem infuſionem gratiæ Sanctificantis; cum enim peccatum mortale (ſive adæquatè ſive inadæquatè aut ſaltem per modum conſequentis proprietatis pro ſententiarum varietate) ſit privatio gratiæ Sanctificantis, tolli non poteſt, niſi per ejus gratiæ infuſionem, ſicut tenebræ non poſſunt tolli, niſi lucis productione.

XVIII. Quid verò ſit Ligatio, utrum poſitivum quoddam vinculum peccatori à Sacerdote injectum: an ſolùm negativa omiſſio abſolutionis prius vinculum relinquens, ſatis eſt obſcurum. Tridentinum judicat, eſſe obligationem ad opera pœnitentiæ à Confeſſario impoſita, adeóque poſitivam injectionem novi vinculi, ſic enim loquitur Seſſ. 14. c. 8: *debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualibet criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere; nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxit, ſed etiam ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres credunt & docent.* Et can: 15: *Siquis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium & contra inſtitutionem Chriſti &c. anathema ſit.* Econtra hanc ligationem tantùm negativè pro non-ſolutione præhabiti vinculi peccatorum accipit D. Hilarius ante annos 1300. in caput 8. Matthæi his verbis: *quos in terris ligaverint, hoc eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint*, &c. quæ expoſito ſuadetur. Tum quia in verbis Chriſti ligare & retinere pro eodem ſumuntur, cum unus Evangeliſta hoc, alter altero verbo fuerit uſus, Atqui retinere non ſignificat impoſitionem novi ligaminis, ſed prioris derelictionem, ſicut ægrotus in morbo detinetur ſubtractis medicamentis. Tum quia ſolvere & ligare ſunt oppoſita. Sed impoſitio pœnitentiæ non opponitur ſolutioni peccatorum, ſed ſimul conſiſtit. Ad Tridentinum dici poſſet; illud vel non adhibuiſſe hanc Scripturæ interpretationem per modum definitionis, ſed tantùm per modum probationis, vel locutum fuiſſe ſolùm de obligatione conditionata ad pœnitentiam, ſiquis frui velit virtute Sacramentali, per quam opera à Confeſſario injuncta ex opere operato multò plus pœnæ delent, quàm opera ſpontanea tantùm ex opere operantis proficua. Verùm ut quàm ſecuriſſimè procedamus, & tam Autoritatem Concilij reſpiciamus, quàm Authorum rationes attendamus, utrumque conjungimus, & aſſerimus, ligationem ſignificare partim negativam non-ſolutionem peccatorum, partim poſitivam pœnitentiæ impoſitionem; quia revera ad utrumque ſe extendit, ut apertè tradit Tirinus in Matth. c. 16. v. 19. his verbis: generalis ligandi poteſtas exercetur 1. culpam non abſolvendo, ſed ut erat relinquendo. 2. remiſsâ culpâ pœnitentiam injungendo. 3. excommunicando, ſuſpendendo à ſacris, & interdicendo. 4. præcepta & leges Eccleſiaſticas præſcribendo. 5. definitione controverſiarum ſcripturæ, vel fidei judicium noſtrum adſtringendo. Ex quibus patet è contrario, quâ ratione ſolvendi poteſtas exerceatur. Atque hæc etiam mens videtur eſſe aliorum Doctorum & Interpretum.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XIX. **E**Rror primus eſt communis omnium hujus temporis hæreticorum Lutheranorum apud Gerhardum in Confeſſ. Lib. 2. P. 3. à fol. 1. & Calviniſtarum apud Ameſium Tom. 3. cont. Bellarmin. à fol. 179. Pœnitentiam non eſſe Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum. Probant 1. Quia in ſcriptura nihil legitur de hoc Sacramento Pœnitentiæ. 2. Quia miniſtri Chriſti ad conciliandam hominibus peccatorum remiſſionem eo modo miſſi ſunt à Chriſto, quo modo ipſe à Patre juxta illud Joan. 20. v. 21. *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos &c.* At Chriſtus non per miniſterium alicujus Sacramenti Pœnitentiæ; ſed annunciando hominibus Evangelium, & animum placabilem conciliavit peccatoribus veniam. Ergo &c. 3. In omni Sacramento pro materia debet eſſe aliquod elementum, ut docet S. Auguſtinus Tr. 80. in Joannem: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* At in Pœnitentia nullum eſt elementum, ſed mera verba confitentis & abſolventis. Ergo &c. 4. Pœnitentia non fuit verè & propriè Sacramentum ante Evangelium promulgatum: Et poſt Evangelium promulgatum non alterius Pœnitentiæ uſus debet eſſe, niſi illius ipſius, quod fuit ante. Ergo nunquam cenſendum eſt Sacramentum. 5. Suppetunt alia media obtinendæ remiſſionis peccatorum, ſcil. fides juſtificans, quâ credimus Chriſtum pro nobis ſatis feciſſe. Ergo fruſtraneum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quo nemo prudens uti volet cum tanta confuſione, cum alio faciliori modo reconciliari DEO poſſit, nempe fide, ut diximus, aut memoriâ Baptiſmi &c.

XX. In hoc errore (quem ſupra jam diximus à diverſis Concilijs fuiſſe damnatum tanquam S. Scripturæ Patribus & rationi contrarium) tria continentur gravia abſurda. 1. inconſtantiæ & mutabilitatis in fide. Nam initio ſuæ defectionis, ſeu ut ipſi ſectarij aiunt, reformationis tria Sacramenta agnoverunt, Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam, ut conſtat ex Apologia Confeſſionis Auguſtanæ: poſtea Pœnitentiam de numero Sacramentorum expunxerunt, duobus tantum relictis Baptiſmo & Euchariſtiâ, eoipſo fatentes, ſe prius in fide erraſſe. Quis ergo credat, eos deinceps ab errore immunes fuiſſe? aut quis eorum doctrinæ ſecurè fidat? 2. eſt cœcitatis, quod Baptiſmum & Pœnitentiam confundant, quæ toto cælo differunt; quippe Baptiſmum quilibet homo adminiſtrare poteſt: non item Pœnitentiam, ſed ſoli ſacerdotes. Baptiſmus ſemel collatus repeti non poteſt: at Pœnitentia ſæpius iteratur. 3. temeritatis, quod antiquiſſimam doctrinam à SS. Patribus traditam abſque ulla firma ratione imprudenter reijciant, cum

Digitized by Google

cum argumenta illorum prorſus frivola ſint, imò nonnulla indigna, quæ referantur.

XXI. Reſpon. ad 1. falſitatem hujus priore parte. doctr. 4. jam fuiſſe oſtenſam, ubi ex verbis Chriſti Joan. 20. v. 22. evidenter hoc Sacramentum deduximus; neque enim neceſſe eſt, omnia diſertè in ſcriptura exprimi, ſed ſufficit, fundamentum poni; unde per bonam conſequentiam deducantur. Sicuti Chriſtus Matth. 22, v. 44. ſuam divinitatem probavit per diſcurſum ex Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Et ſicuti ipſimet Lutherani & Calviniſtæ baptiſmum legitimum infantium nequeunt oſtendere, niſi per diſcurſum ex illo Matth. 28. v. 19. *euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Adhæc ſi omnia fidei dogmata apertis verbis in ſcriptura monſtrari oportet, ubi hæretici oſtendent, libros, quos pro Canonicis habent & credunt, verè eſſe verbum DEI. Ad 2. Imprimis retorquendo; ſic enim neque per Baptiſmum peccatores à Miniſtris reconciliari DEO debent, cum Chriſtus neminem baptizarit. Joan. 4. v. 2. Deinde dicendo, ſimilitudinem ſignificari à Chriſto tantùm in genere, quod ſcil. Miniſtri Chriſti mittantur cum poteſtate & authoritate ſuo modo, non in ſpecie & tam excellenti modo, quo Chriſtus à Patre fuit miſſus ad peccatorum veniam hominibus impertiendam. Ad 3. cum S. Thoma 3. p. q. 84. art. 1. nomen elementi dupliciter ſumi. 1. latè pro quolibet ſigno ſenſibili; quo ſenſu etiam verba dici poſſunt elementa, ſicut grammaticas vocamus elementa linguæ græcæ, aut latinæ. 2. ſtrictè pro 4. ſimplicibus corporibus, è quibus mixta componuntur; ſcil. aqua terra &c. quo ſenſu accepit loc. cit. S. Auguſtinus non loquens de omnibus Sacramentis, ſed tantùm de Baptiſmo; alioquin nec Euchariſtia eſſet Sacramentum; quia panis & vinum non ſunt propriè elementa, ſed mixta. Urget Gerhardus fol. 2. ſignum ſenſibile, quod pro elemento obtruditur, debere ſaltem eſſe ſubſtantiam Sed hoc abſque ulla ratione aſſeritur; ſolùm quippe requiritur res externa ſenſibilis, qualis etiam verba ſunt; imò ſubſtantia non eſt talis per ſe, ſed ſolùm per accidentia ſua percipitur. Ad 4. fuiſſe quidem ante & poſt Evangelium eandem Pœnitentiæ virtutem, atque etiamnum eſſe, non tamen eandem ſimpliciter pœnitentiam ſemper extitiſſe; ſicut enim poſt Evangelium novus eſt adhibendus Baptiſmus, ita & Pœnitentia. Urget Kemnitius in exam. Trident. Seſſ. 14. c. 1. & can. 1. D. Paulum Actor. 26. v. 22. teſtari coram Agrippa Rege, non aliã ſe pœnitentiã prædicare, quàm illam à Prophetis annunciatam. Aio, quemadmodum Apoſtolus de Baptiſmi & alijs omnibus Chriſti mandatis concionabatur, etiamſi pleraque hujuſmodi non explicitè, ſed ſolùm implicitè fuiſſent à Prophetis annunciata, ſic putandum, illum de Sacramento Pœnitentiæ prædicaſſe; etenim obſervabat procul dubio præceptum illud Domini Matth. 28. v. 20. docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et quomodo aliàs loc. cit hortari Paulus potuiſſet Agrippam, ut digna Pœnitentiæ opera faceret; an non in lege Evangelica ad dignum opus Pœnitentiæ etiam confeſſio requiritur?

XXII. Ad 5. negando ſolam fidem delere peccatum, ut ſatis patet ex ijs, quæ de Juſtificatione ſupra diximus. Ameſius à fol. 184. contendit, Baptiſmi vim extendere ſe ad omnia peccata totius vitæ. Sed ſi Baptiſmus delet peccata poſtea per totam vitam commiſſa, cur non multò magis cavet & obſtat, ne ea fiant? Adhæc ſi Baptiſmus valet ad peccata futura delenda; vel delet iſta cum ſuſcipitur: vel poſtea ad memoriam revocatus; ſi prius, remittuntur peccata, antequam admittantur, quod eſt abſurdiſſimũ, cùm ſic nulla peccata baptizato nocere poſſent, adeóq; omnes baptizati Salvarentur. Ait Ameſius fol. 186. Baptiſmum delere peccata futura non completè, ſed virtualiter; compleri autem per fidem & pœnitentiam. Sed ſi totum facit fides & pœnitentia, ad quid igitur fingitur memoria Baptiſmi? Si poſterius, ſequitur, incertam fore juſtificationem utpote ab hominum teſtimonio pendentem. Ait iterum Ameſius, juſtificationem non ita alligari ſigno externo Baptiſmi, ut, ſiquis ſine ſua culpa fruſtraretur illo, idcirco non poſſit particeps fieri virtutis ejus. Sed, utut illi ſic conſulatur, qui ad amorē & contritionē perfectam pertingit; quid fiet imperfectis in amore Dei? Non tacuerim, ſic etiam ſublatū iri S. Euchariſtiæ frequentationem, cum pariter ſufficere poſſit memoria ſpiritualis cibi, aliquando guſtati, ſicuti ſufficit memoria lavacri aliquando ſuſcepti. ſi enim iſta ſufficit, cur non etiam illa in ordine ad ſuum quoque effectum. Ecce quò tandem miſeri deveniant!

XXIII. *Error ſecundus* (juxta pleroſque Saltem Theologos) eſt, ad Sacramentum Pœnitentiæ abſolutè & in reipſa neceſſariam eſſe Contritionem perfectam proprio ſtudio excitatã. Ita Cornelius Janſenius Iprenſis. Tom. 3. Lib. 5. c. 33. colum. 589. & alibi docens, *attritionem ex timore pœnarum infernalium non eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem in Sacramento Pænitentiæ recipiendam: hallucinari Authores oppoſita ſententiæ, & fundamentis D. Auguſtini directè refragari &c.* Movetur. Tum quia dolor iſte ad juſtitiam acquirendam non eſt proportionatus. Tum quia non continet voluntatem relinquendi peccata, ſed manet ſemper repugnantia voluntatis, quâ nollet facere, ſi pœna tolleretur. Tum quia attritus ob gehennam nihil facit ex animo & volenter, nihil coram DEO, ſed tantùm in ſpeciem coram hominibus operatur. Errorem iſtum reijcit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. c. 6. &can. 9. ubi damnantur Sectarij hujus temporis, aſſerentes abſolutionem eſſe nudum miniſterium pronunciandi & declarandi, remiſſa eſſe peccata. Hinc Suarez, Tanner, & alij affirmant, ſine errore negari non poſſe, Sacramentum hoc aliquo tandem modo ſeu quoad effectum *ex attrito facere contritum*; omnes enim Doctores ſic loquuntur in 4. Diſtin 17. Arriaga Tom. de Pœnitent. D. 17. n. 25. Et Diſp. 24. n. 19. abſolutè cenſet errorem in fide, attritionem etiam ut cognitam non ſufficere ad valorem & fructum hujus Sacramenti; cum Tridentinum apertè diſtinguat contritionem, quæ ſolùm ſufficiat cum Sacramento ad juſtificationem ab ea contritione, quæ ſufficit ſine Sacramento. Certè ſi attritio cum Sacramento non ſufficiat, Chriſtus per inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ non tam ſublevavit, quàm aggravavit onus Pœnitentiæ atque ipſum ſalutis iter.

XXIV. Reſpon. ad 1. probationem. Cum Attritio efficax talis ſit, ut per eam abſque peccandi affectu à peccatis abſtineamus, teſte Tridentino Seſſ. 6. can. 8: & donum Spiritus Sancti exi-

ſtat,

Digitized by Google

ſtat, quidni proportionata ſit diſpoſitio ad gratiam Sacramenti? Quare ſiquis illam ex motivo charitatis neceſſariò concipiendam eſſe ſentiat, naturam hujus Sacramenti evertit, & contra Scripturam & Patres negat, communicatam nobis poteſtatem remittendi peccata. Ad 2. Qui DEUM timet vindicem, ne eum experiatur talem, renuit offendere illum, ac proinde ſe convertit; ſtatuitque vitam emendando DEO adhærere. Timor igitur aliquis ex gehenna intentata conceptus complectitur omnia, quæ vera Pœnitentia, etſi non ex charitate profecta, comprehendit. Quæ doctrina eſt communis Patrum, nominatim S. Auguſtini diverſis in locis, ac diſertè traditur à Tridentino Seſſ. 14. cap. 4. cum in contritione non tantùm ceſſationem à peccato, vitæ novæ propoſitum ac inchoationem, ſed veteris etiam vitæ tædium contineri doceat, eáque communia eſſe ſtatuat contritioni perfectæ & imperfectæ ſeu Attritioni, ut loquitur, ex gehennæ metu conceptæ. Quare falſum eſt, dolorem iſtum attritionis non continere voluntatem relinquendi peccata; de hoc enim intelligendum illud Proverb. 14. v. 17. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruinis.*

XXV. Ad 3. eſſe quidem timorem nonnullum, qui rei deſerendæ amorem inefficacem ad mittat perſiſtentem: dari nihilominus alium, qui omnem rei prius amatæ amorem ac voluntatis repugnantiam excludat; qualem aſſerimus eſſe timorem efficacem gehennæ, qui utilis eſſe non poteſt ad finem intentum, niſi affectum omnem excludat erga peccata prius amata; Illum autem non extortum & coactum, ſed liberum & voluntarium tradit Tridentinum Seſſ. 14. cap. 4. cit. Unde ſic timens ex animo & ex corde legem implere, & abſtinere poteſt à peccato, uti definitur à Tridentino Seſſ. 6. can. 8. itid. cit. Quemadmodum igitur juxta ſacri hujus Concilij doctrinam tenendum, ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ requiri contritionem imperfectam, quæ ſit veteris vitæ odiũ ac piæ vitæ deſiderũ: ita ex præſcripto ejuſdem & doctrina Patrũ dicendũ, duas iſtas conditiones attritioni ex gehẽnæ metu conceptæ convenire; quod per illam, dum efficax eſt, ſubijciat ſe quis quoad omnia legi divinæ: quodque ejus Authorem ex timore offendere recuſet. Ait Janſenius Lib. 5. cit. Tom. c. 34. col. 591. hoc ipſo non eſſe attritionem, ſed veram contritionem unicè à Tridentino requiſitam. Negatur illatum Nam ex prædicto affectu attritionis non proximè deletur culpa, uti contritione perfectâ: ſed obex tollitur, ut ſe exerere valeat virtus Sacramenti, nihil aliàs effectura.

XXVI. Non obſtat refutationi hujus erroris, etiam Catholicos Doctores, ut ſupra vidimus, negare attritionem ſolam ſufficere ad Sacramentum. Nam iſti plerique ſcripſerunt ante Concilium Tridentinum, & explicari poſſunt de attritione, quæ non tranſit aut tranſire poteſt in contritionem, ſcil. quoad effectum; nec iidem ita abſolutè, ut Janſenius, negant, attritionem prorſus eſſe inſufficientem, ut ex attrito nunquam fieri poſſit contritus; certè nullâ pertinaciâ ſe opponunt, ſed ſolùm Eccleſiæ mentẽ nondũ ſe perſpicere oſtendunt. Omitto deliramentum Gerhardi Lib. 2. P. 3. à fol. 24. contritionem cordis, quæ eſt pars Pœnitentiæ, eſſe paſſionem. Nam ſic contritio non prærequireret ullam notitiam? nec eſſet hominis, ut ſic, actus vitalis, ſed omninò ſimilis contritioni lapidis, aromatum &c. quo quid ineptius cogitari poteſt?

XXVII. *Error tertius eſt*, Specialem confeſſionem peccatorum, coram Sacerdote non eſſe neceſſariam ad remiſſionem peccatorum, ſed ſufficere, ſiquis DEO ſoli in ſuo corde confiteatur. Ita communiter hodie hæretici, nominatim Lutherani apud Gerhardum in Confeſſ. Lib. 2. Part. 3. à fol. 37. & Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 3. cont. Bellarm. à fol. 197. His adſtipulatus fuit Jacobus Reihing inter cauſas, quas prætexuit transfuga, etiam auricularem confeſſionem numerans. Sed cauſam hanc eſſe non-cauſam & meram impietatis fucum bene oſtendit Simon Felix in libro, quem contra Apoſtatam illum ſcripſit. Diſp. IV. Probant ſeptemplici argumento. 1. Contritis promiſſa eſt à DEO plena omnium peccatorum venia. Ergo non eſt neceſſaria confeſſio hominibus facienda. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur ex Sac. Scriptura Ezechielis 18. vers. 2. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis; quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et vers. 27. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam; ipſe animam ſuam vivificabit.* Ubi ad remiſſionem peccatorum nulla Confeſſio exigitur, ſed ſola averſio à peccatis & emendatio vitæ. 2. Si ad remiſſionem peccatorum requireretur ſpecialis confeſſio corã homine, tunc lex Evangelica foret multò durior, quàm Iudaica. Conſequens repugnat Scripturæ Ergo & Antecedens. Sequela majoris probatur. Quia non tenebantur ad confeſſionẽ tam difficilem & duram propter examen & pudorem, ſed ſolâ juſtificabantur contritione. Minor probatur. Quia S. Petrus Actor. 15. v. 10. veterem legem vocat jugum importabile, *quod nec ipſi, nec Patres eorum portare potuerunt.* Et Chriſtus Matth. 11. vers. 30. ſuam legem vocat *jugum ſuave, & onus leve.* 3. ab exemplo Chriſti, qui peccatores ſine ulla confeſſione abſoluit, ut paralyticum Matth. 9. v. 2. & adulteram Joan. 8. v. 11. quod exemplum utique nobis imitandum, neque plus à peccatoribus exigendum, quàm Chriſtus exegerit. Confirmatur exemplo Apoſtolorum, qui Chriſtum imitati ſimiliter non exegerunt confeſſionem peccatorum in ſpecie, quando iſta hominibus remiſerunt. 4. ab exemplo veteris Eccleſiæ, cui non fuit uſitata particularis & auricularis confeſſio, ſed in occidentali Eccleſia Romana primùm introducta fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ante annos. 475. ut conſtat ex jure Canonico c. 12. de Pœnit & Remiſſ. In orientali Eccleſia Græcorum uſitata quidem fuit publica confeſſio, ſed propter abuſus denuo ſublata à Nectario Patriarcha Conſtantinopolitano ante annos 1200. ut teſtantur antiquiſſimi Hiſtorici Socrates Lib. 5. c. 18. & Sozomenus Lib. 9. c. 15. Ergo non fuit Confeſſio à Chriſto inſtituta; aliàs Eccleſia illam non poſſet abolere, vel denuo introducere.

XXVIII. Gratianus in decret. de Pœnit. Diſtin. 1. can. quamvis plenitudo, in cujuſque arbitrio relinquit, an Confeſſio ſit facienda Sacerdoti; quia ſcil. utraque ſententia negativa ſcil. & affirmativa ha-

Digitized by Google

ſiva habet ſapientes & religioſos viros. Ergo non eſt certum, Confeſſionem omnium peccatorum fuiſſe à Chriſto inſtitutam. Addit Gerhardus loc. cit. fol. 40. Gloſſatorem (quem aliqui vocant Bartolomæum Brixinenſem, alij Joannem Senecam Teutonicum) qui in Diſt. 5. de Pœnit. can. 1. expreſsè docet, confeſſionem fuiſſe ab Ecclecleſia inſtitutam, adeóque non eſſe Sacramentum; ſic enim loquitur: *Videndum eſt, quando fuerit inſtituta hæc confeſſio? utrum ſit neceſſaria, vel tantùm voluntaria? qualiter ſit facienda? & cui, & quo modo? Dicunt quidam inſtitutam fuiſſe in Paradyſo ſtatim poſt peccatum, dicente Domino ad Adam. Adam ubi es? ideo enim quæſivit, ut ipſo confitente peccatum daretur forma alijs impoſterum confitendi. Sed quia in illa interrogatione Dominus minùs expreſsè videbatur ad confitendum monuiſſe, ideo poſt exquiſivit à Cain fraticida expreſſiùs, ubi eſt Abel Frater tuus? Alij dicunt, quod ſub lege primò ſit inſtituta, quando Joſue præcepit Achan, & iſte crimen ſuum confiteri efflagitatus eſt Joſue 7. v. 19. Alij dicunt, in novo Teſtamento à Jacobo dicente c. 5. v. 6: confitemini alterutrum peccata veſtra &c. Sed melius dicitur, illam inſtitutam fuiſſe à quadam Eccleſiæ univerſalis traditione potius, quàm ex veteris vel Novi teſtamenti Authoritate.* 6. ab autoritate Joannis Chryſoſtomi, qui in pluribus locis confeſſionem coram homine videtur improbare, vel certè ut non neceſſariam præterire. Ita enim ſcribit hom. 2. in Pſal. 5. *non dico*, inquam, *ut confitearis conſervo tuo, qui exprobret.* Et hom. 4. de Lazaro: *cave homini dixeris, ne tibi exprobret; neque enim conſervo tuo eſt confitendum, qui in publicum proferat, ſed Domino, qui tui curam geret.* Et rurſus hom. 2. in Pſal. 50. *ſi confunderis alicui dicere, dicito quotidie in anima tua.* Et ſimilia alia ſæpe repetit. 7. denique à ratione. Tum quia omne Sacramentum debet eſſe ſignum gratiæ, ſed confeſſio peccatorum non eſt ſignum gratiæ, quia tantùm ſignificat peccata commiſſa. Ergo non eſt Sacramentum. Tum quia in Baptiſmo peccata remittuntur abſque confeſſione peccatorum omnium prævia. Ergo & in Sacramento Pœnitentiæ. Tum quia confeſſio ſingulorum peccatorum in ſpecie eſt miſerrima conſcientiarum carnificina, & obligatio ad rem impoſſibilem ex varijs Scripturæ locis, quos allegat Gerhardus fol. 39. ubi plura ſimilia deliramenta hæreticorum contra confeſſionem adducit. Idem faciunt Hanneckenius in ſuo Irenico à fol. 72. & Molinæus in Novitate Papat. à fol. 718. ubi à fol. 746. Confeſſionem auricularem vocitat *medium perquam aptum ſubditis contra Reges & Principes concitandis, & inde Regicidia emanaſſe clamitat.*

XXIX. Errorem hunc jam olim à Montaniſtis, Meſſalianis, & Jacobitis invectum, & à varijs antiquis Concilijs damnatum noſtro ævo reſuſcitarunt Novatores, & auricularem confeſſionem omnibus retro ſæculis in Eccleſiæ DEI apud Chriſtianos uſurpatam abrogârunt ingenti malo, non ſolùm Fidei catholicæ, à qua facilè homines inde deſciverunt, ſed etiam vitæ & morum Chriſtianorum occultis nefandiſque criminibus corruptorum, à quibus priùs frænum Confeſſionis privatæ animos inhibuerat. Teſtatur hoc Senatus Norinbergenſis (quæ civitas Imperialis Norinberga inter primas adhæſit Lutheranæ Sectæ) ad Auguſtiſſimum Imperatorem Carolum V. Legatos mittens, qui ſupplicando inſtarent, ut ſua Majeſtas confeſſionem auricularem per Cæſareum mandatum reſtitueret, eò quod poſt illam abrogatam civitas illorum occultis & nefandis criminibus contra Juſtitiam omnémque virtutem & honeſtatem fuerit repleta. Sed nihil ab univerſa aula Imperatoria niſi ingentem riſum tulerunt; ſi enim, ut ipſimet clamitant, homines jure divino obſtringi nequeunt ad confeſſionem occultórum ſuorum peccatorum utpote miſerrimam conſcientiarum carnificinam & obligationem impoſſibilem, quomodo humano præcepto Imperatoris ad eandem obligari poterunt? ſcribit iſtud factum Dominicus Sotus Lib. 4. ſentent. Diſtin. 18. q. 1. art. 1. qui tunc præſens fuit, & ipſi Carolo V. Imperatori à ſacris confeſſionibus.

XXX. Reſpond. ad 1. argumentum. Negando conſequentiam. Nam quamvis contritioni promiſſa à DEO ſit venia pleniſſima peccatorum, non tamen abſolutè, ſed conditionatè, nempe ſi habens contritionem *cuſtodierit mandata mea*, ut ait Ezechiel, per cuſtodiam intelligens voluntatem cuſtodiendi omnia præcepta, inter quæ in Novo Teſtamento eſt præceptum confeſſionis omnium peccatorum; etenim omnes Theologi cum Tridentino Seſſ. 14. c. 4. docent, contritionem implicitè involuere confeſſionis votum, ſeu, quod idem eſt, voluntatem confitendi omnia peccata. Videatur Jacob. Tirinus in cit. locum Scripturæ. Ad 2. Negando ſequelam Majoris. Ad probationem hujus oſtendit Bellarminus Lib. 3. de Pœnit. c. 3. etiam in Veteri Teſtamemto Judæis confeſſionem peccatorum in ſpecie fuiſſe impoſitam. Nam c. 5. v. 6. & 7. Libri Numerorum ſic habetur; *ſive vir ſive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum*; quæ verba in hebræo cum majore explicatione ſic leguntur; *confitebuntur peccatum ſuum, quod fecerunt.* Unde S. Antoninus 3. part. Tit. 14. c. 6. §. 1. ſuæ Theologiæ affirmat, Judæos doctiores ante mortem confiteri ſolere omnia peccata Levitæ alicui, ſi quem fortè nacti fuerint. Adhæc onus confeſſionis tantum non eſt. Tum quia homo ea ſolùm peccata confiteri tenetur, quæ poſt diligens examen ocurrunt. Tum quia confeſſio fit homini vices DEI gerenti, & ad ſummum ſilentium obſtricto. Tum quia auxilium DEI, exempla omnium Catholicorum, tranquillitas conſcientiarum, alijque ſpirituales fructus ex ea obtineri ſoliti mirè eam ſuavem facilémque reddunt, experientiâ teſte, ut lex Chriſti rectè onus leve dicatur, comparata importabili jugo legis veteris Judæorum. Ad 3. Chriſtum nec Sacramento Pœnitentiæ (quod tunc nondum erat inſtitutum) alligatum fuiſſe, ſed pro poteſtate excellentiæ ſine illo remittere peccata potuiſſe: nec indiguiſſe hominum confeſſione, quippe ipſe ſciebat perfectiſſimè, quid in homine eſſet; Miniſtros autem Chriſti, cum ſimilter, quoad fieri poteſt, cognitâ causâ remittere hominibus peccata debeant, nec tamen iſta abſque pœnitentium confeſſione noverint, omnino eâdem confeſſione præviâ opus habere, ut ſic munere erga ſibi commiſſos rite fungantur. Ad confirmationem negamus conſtanter, Apoſtolos unquam miniſterium illud reconciliationis fidelium exercuiſſe abſque ſpeciali eorum confeſſione. Neque probare hoc ſectarij ullo modo poſſunt, niſi quia id expreſſiſſimis verbis in ſcriptura non legitur; quam ſanè probatio-

Digitized by Google

bationem ineptè adhibent; etenim nec ipſi locum ullum Sac. Scripruræ adducere poſſunt, ubi ab aliquo Apoſtolorum privatam alicui abſolutionem more Lutherano impertitam fuiſſe narretur.

XXXI. Ad.4. Negando antecedens. Nam falſum eſt, quod Innocentius III. confeſsionem primò inſtituerit; cum duntaxat tempus illius determinaverit, ſcilicet ſemel in anno circa Paſcha. Quoad Nectarium Patriarcham Conſtantinopolitanum variè ſentiunt Authores. Aliqui concedunt, illum propter exortum ſcandalum ſuſtuliſſe confeſſionem ſecretam, ex ferventi ſcil. zelo magis; quàm prudenti. Sed malè; quia conſtat, confeſsionem ſecretam in ſuo ſemper vigore perſtitiſſe. Alij volunt, illam hiſtoriam à Socrate Novâti fautore confictam eſſe. Sed etiam malè, quia plures eam hiſtoriam referunt. Eſt autem hiſtoria iſta. Mulier quædam prænobilis poſt confeſsionem privatam Pænitentiario factam in publica deinde confeſsione propalavit, ſe concubuiſſe cum Diacono illius Eccleſiæ; unde magnum populo univerſo ſcandalum, Clero autẽ ingentem infamiam peperit; & Nectarium eò impulit, ut publicum iſtum confitendi modum tolleret. Fatemur igitur, hiſtoriam illam videri veram: minimè verò Nectarium inde confeſsionem ſecretam ſuſtuliſſe, ſed tria alia, quæ per accidens ad illam ſe habent. *Primò* abrogavit munus Presbyteri Pœnitentiarij; quia occaſione hæreſis Novatianorum (qui negabant, in Eccleſia eſſe poteſtatem abſolvendi à peccatis) præter eos, qui alioquin privatis & ſecretis confeſsionibus audiendis operam dabant, in ſingulis Eccleſijs unus quidam deſignabatur ad fidelium confeſsiones eo fine privatim audiendas, ut prudenter deinceps decerneret, quænam peccata ex auditis publicâ confeſsione in aliquam partem Pœnitentiæ eſſent propalanda; cujus tamen directionem mulier illa ex quacunque cauſa inſuper habuit. *Secundò.* abrogavit ipſam publicam confeſsionem ex occaſione prædicti ſcandali; id tamen factum Nectarij nonnulli improbarunt; quaſi eâ ratione laxata fuerit diſciplina Eccleſiaſtica, ut videre eſt in hiſtoria tripartita apud Sozomenum L. 9. c. 35. *Tertiò* abrogavit etiam pœnitentiam publicam, ad quam confeſsio publica ordinabatur. Nam hæc duo ſola ſufficiebant, ad ſedandam populi concitationem & hujuſmodi ſcandalum deinceps evitandum. Quando igitur Hiſtoriographi ajunt, relictum fuiſſe quémque ſuæ conſcientiæ, ut ad ſacram communionem accederet, non indicare volunt, relictam eſſe facultatem accedendi ſine ulla confeſſione etiam ſecreta, quaſi & hæc abrogata eſſet, ſed quia, cum ante publici peccatores arcerentur à communione, donec pœnitentiam publicam coram illo presbytero ſeu ex ejuſdem mandato agerent, ut Eccleſiæ innoteſceret, jam tunc relinquebantur ſuæ conſcientiæ; nec opus erat, coram Eccleſia pœnitentiam agere etiam de publicis. Videatur Bellarmin. Lib. 3. de Pœnit. c. 14.

XXXII. Ad 5. privatum eſſe errorem Gratiani, quod plures eſſe viros Religioſos putaverit, qui Sacerdoti confeſſionem neceſſariò faciendam non eſſe arbitrarentur: ac multò magis hallucinatum fuiſſe, exiſtimando, ſe cit. Diſtinct. talium virorum ſententias aliquas contra confeſſionis neceſſitatem adduxiſſe; etenim ex 90. canonibus in illa Diſt. comprehenſis nec unicus eſt, qui ullius Patris dictum contineret, quo confeſſionis ſecretæ neceſſitas infringeretur, uti per ſingulos oſtendit Valentia Tom. 4. D. 7. Q. 9. pun. 2. Gloſſator Juris Canonici craſsè etiam erravit, cujus ruditas ex ipſo diſcurſu apparet, quod figuras Vet. Teſtamenti cum Confeſſione figurata confundat, atque falsò attribuat Doctoribus innominatis; nullus enim Theologus tam imperitus fuit, ut diceret, Sacramentum Confeſsionis in veteri Teſtamento fuiſſe inſtitutum, ſed tantùm Præfiguratum atque adumbratum. Ad 6. Sanctum Chryſoſtomum ejuſmodi loquendi modis duo ſolùm docere. Inprimis tanquam Studioſus defenſor ſui Anteceſſoris Nectarij carpit & improbat confeſſionem publicam, quæ fit coram teſtibus ob rationem ſuperius dictam; atque in hunc modum intelliguntur prioris generis ſententiæ, ut colligi poteſt tum ex adjuncta voce exprobrandi, tum ex eo, quod in eadem homil. 4. de Lazaro dicat: *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes, mihi ſoli dic peccatum tuum, ut ſanem ulcus, téque dolore liberem.* Deinde verò in poſteriori loco aliiſque ſimilibus abſolutè velut maximè ſalutarem commendat quotidianam confeſsionem ſoli DEO factam. Quò nimirum ſpectat etiam illud homil. 2. in Pſal. 50. *Ecce habes codicem, ubi ſcribas quotidianum penſum, habeto codicem conſcientiam tuam, & ſcribe quotidiana peccata, quando accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris, antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium codicem conſcientiam tuam.* Ubi S. Pater quotidianum examen conſcientiæ commendat. In eundem modum intelligi debet Caſsianus collat. 30. c. 8. ubi ait: *quis eſt, qui non poſſit ſuppliciter dicere, peccatum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non Operui? ut per hanc confeſsionem etiam illud confidenter ſubjungere mereatur: & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Quodſi verecundiâ retrahente revelare* (ſcil. in præſenti) *coram hominibus erubeſcis, illi, quem latere non poſſunt, confiteri eâ jugi ſupplicatione non deſinas.* Quibus etſi tam à Chryſoſtomo quàm Caſſiano quotidianũ conſcientiæ examen & peccatorum confeſsio coram Deo commendetur; non tamen idcirco neceſſitas confeſsionis ſecretæ coram Sacerdote ſuo tempore faciendæ negatur; ut manifeſtè patet ex ipſis verbis Chryſoſtomi priore parte §. XI. adductis. Caſsianum aliqui non tanti faciunt, cum Cenſores Romani nonnulla in ejus libris improbarint, ut refert Bellarminus de Script. Eccleſ. V. Joannes Caſsianus. Sed explicari prædicto modo poteſt. Videatur Forer de Antiquitate Papatûs Lib. 7. pun. controverſo 6. cap. 2. ubi de Nectario Patriarch. Conſtant. pluribus agit, & alios Patres contra ſecretam Confeſſionem nequicquam afferri oſtendit.

XXXII. Ad 7. denique & 1. rationem. Diſtinquendo Majorem. Sacramentum debet eſſe ſignum gratiæ, ſi ſumatur adæquatè cum materia & forma, conceditur: ſi ſeorſim ſolummodo, negatur. Patet hoc in alijs Sacramentis; etenim ſola aqua vel oleum, vel panis ſeorſim ſumpta ſine reſpectu ad formam non ſignificant gratiam. Sic ergo enumeratio peccatorum per ſe ſola non ſignificat etiam gratiam remiſsionis, ſed quatenus fit in ordine ad formam abſolutionis, ſignificat gratiam, quam ſperat. Ad 2. rationem, eſſe diſparitatem inter Baptiſmum & Pœnitentiam; in illo enim homo peccatis mortuus primùm regeneratur ad ſpiritualem vitam, & Eccleſiæ ſubjicitur: in hac

Digitized by Google

in hac verò jam ſubjectus reconciliatur poſt amicitiam cum DEO ſponte violatam; quid ni igitur diſpar in utroque conſcientiarum & peccatorum cognitio requiratur. Videri poteſt Valentia loc. cit. fol. 1760. Ad 3. rationem. Nullam in hujuſmodi confeſsione impoſsibilitatem, adeóque nullam carnificinam apparere, ut ex dictis jam patet. Cætera, quæ Gerhardus, Hanneken, Molinæus accumulant & exaggerant, ſicuti ex vano hauſta ſunt, ita eòdem recidunt. Interim Novatores non conſtant ſibi, nec retorſionem advertunt. Nam Calvinus & Lutherus in diverſis locis (quos nominatim citat Vetweis in ſpeculo Eccleſiæ veræ fol. 804.) confeſsionem homini faciendam penitus negant: ipſi Calviniſtæ & Lutherani hanc confeſsionem homini faciendam prorſus affirmant eſſe neceſſariam. Et nunquid apud Paſtores & Miniſtros Verbi eadem fieri poſſunt, quæ apud catholicos timeri poſſe arbitrantur, aut facta eſſe criminantur?

XXXIV. *Error quartus.* Sacerdotes non habent poteſtatẽ remittendi peccata, ſed tantùm denunciant eorum remisſionem à DEO factam credentibus & pænitentibus. Ita ijdem morderni Sectarij. Lutherani apud Kemnitium in exam Trident. Seſſ. 14. c. 1. can. 1. qui idicirco verba illa Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata &c.* interpretatur in eum modum, ac ſi Chriſtus dixiſſet: quibus annuntiatione Evangelij proponitis gratiæ promisſionem, remittentur eis: & *quorum retinueritis*, id eſt, quos propoſitâ etiam irâ DEI & ſeveritate legis ob illorum impœnitentiam terrebitis, oſtendetiſque eos manere irretitos peccatis & obnoxios iræ DEI, his peccata non remittentur. Unde inferunt, operam Confeſſariorum non tam neceſſariam eſſe, quàm utilem 1. ad excitandum horrorem peccatorum, in quo ipſi pœnitentiam ponunt. 2. ad excitandam fidem in Chriſtum, qui pro nobis abunde ſatisfecit. 3. ad conſolandos Credentes, eiſque denunciando remisſionem peccatorum. Calviniſtæ eundem errorem tenent apud Ameſium Tom. 3. à fol. 194. ubi inprimis fatetur Matth. 16. v. 19. Et cap. 18. v. 18. Item Joan. 20. v. 23. fieri mentionem judiciariæ poteſtatis; addit tamen, ejus authoritatem & poteſtatem eſſe penes Chriſtum ſolum, & miniſterium tantummodo penes Chriſti Miniſtros. Deinde ad genium hæreticum mox rediens, & conceſſæ ſacerdotibus judiciariæ poteſtatis quaſi pœnitens ait, retentionem peccatorum non pendere ex voluntate ſacerdotum; vel enim remittuntur peccata credenti & reſipiſcenti (quidquid Sacerdos velit aut nolit) vel Evangelium non eſt verum. Demum proponit caſum ſatis lepidum: Sint, inquit, duo ſacerdotes unam & eandem confeſsionem audientes; ſi iſti inter ſe diſſentiant, ita ut unus remittat, alter retineat peccata confitenti, quid tandem fiet? Conſentit Molinæus negans præfractè à fol. 764. judiciariam poteſtatem ſacerdotibus conceſſam, ideóque abſoluere nihil ait eſſe aliud, quàm pœnas & Cenſuas excommunicationis ac Suſpenſionis dimittere, quibus ſacerdos peccatorem irretire poſſet.

XXXV. Errorem iſtum efficaciter reijciunt verba Chriſti Matth. & Joan. citata. Nam iſtis, quorum remiſeritis &c. non vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti: at verò Evangelium omnibus indefinitè prædicandum eſt Marci 16. v. 15. *euntes in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ &c.* poteſt etiam omnibus dari abſolutio illa conditionalis (remittuntur tibi peccata, ſi credis) Ergo non loquitur Chriſtus de prædicatione Evangelij, ſed da vera, licet miniſteriali poteſtate remittendi peccata. Confirmatur. Si abſolutio non eſt actio judicialis, ſed ſimplex annunciatio divinæ promiſſionis, tum Laicus, fœmina, puer, infidelis, diabolus, pſittacus non minùs abſolvere poterit, quàm Sacerdos. Sequelam non poſſunt negare Adverſarij, quia omnes iſti hominem ob peccatorum ſenſum territum verbo Evangelij erigere, & remiſſionem peccatorum annunciare valent, ac nominatim de Laico & fœmina atque etiam puero concedit Gerhardus Part. 3. Libri. 2. fol. 63. ubi ait, *omnes pios in Novo Teſtamento eſſe ſpirituales coram DEO ſacerdotes 1. Pet. 2. v. 5. Apoc. cap. 1. v. 6.* Attamen eſt contra veterum omnium confeſſionem, ac contra conſuetudinem omnium Eccleſiarum & omnium ætatum. Unde territus Ameſius negat ſequelam, ajens, paſtorem fidelem ſingulariter deſignari à Chriſto ad iſtam legationem. Ita quidem eſt, ſed idcirco etiam DEUS ſingularem illi authoritatem delegavit præſtandi ea, quæ à Laico, fœmina &c. præſtari nequeunt. Taceo hunc errorem in alio fundari, videlicet, ſolam fidem juſtificare, qui omnibus Sacramentis vim conferendæ gratiæ adimit, & conſequenter omnia Sacramenti funditus evertit, quaſi tantùm ſigna ſint fidem excitantia, ſicuti contiones & libelli ſpirituales, ut alibi jam inſinuavi.

XXXVI. Reſpon. 1. ad Kemnitium, negando hunc eſſe ſenſum verborum illorum Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata &c.* Nam Chriſtus in hoc loco ſignificat, eam poteſtatem remittendi peccata tradere ſe Miniſtris, quam ante eiſdem promiſerat ajens Matth. 18. cit. *quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis &c.* Adhæc poteſtas non eſt qualiſcunque, ſed planè cum autoritate judiciaria conjuncta, ut ſcil. cognitâ cauſâ & ſtatu hominis ipſi remittantur, vel retineantur peccata. Ergo & illa apud Joannem; etenim ſola denuntiatio veniæ peccatorum non eget clavibus, neque ſolvit aut ligat. Sicqui juſſu Medici ſignificat ægro, morbum ceſſaſſe, & plenam ſanitatem rediјſſe, non dicitur ægrum curaſſe, aut morbum depuliſſe, aut vinculum morbi, quo lecto alligatus fuerat, ſolviſſe. Confirmatur. Quando Matthæi 9. v. 2. dixit JESUS paralytico: *remittuntur tibi peccata tua*, ex præſentibus nemo intellexit hæc verba de ſola anunciatione, ſed de vera peccatorum remiſſione; idcirco dixerunt Marci 2. v. 7. *quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus DEUS.* Neque ideo à Chriſto reprehenduntur; imò ipſe hanc interpretationem potius confirmat, cum oſtendit, ſe habere poteſtatem dimittendi peccata &c. non verò dicit, vos malè interpretamini hæc verba: non dimitto, ſed annuntio ſolùm, dimiſſa eſſe peccata. Frivola igitur eſt interpretatio ſectariorum, merúmque effugium non ad conſolandos credentes ſeu Fideles, ſed ad ſeducendos inventum, ut vinculis peccatorum maneant irretiti, æternúmque pereant.

XXXVII. Reſpond 2. ad Ameſium. Inprimis neque nos aſſerimus, quod conſtituerit Chriſtus ſacerdotes tanquam Judices abſolutos & independentes, ſed miniſtros Chriſti ſubordinatos, attamen judices. Nam Præfecti Civitatum v. g. ſunt veri judices, etſi non tantâ, quantâ Principes,

Digitized by Google

cipes, & illimitatâ polleant authoritate. Deinde fatemur, Lutheri vel Calvini Evangelium eſſe falſum. At veriſſimum Chriſti Evangelium clarè affirmat, à ſacerdotum abſolutione pendere peccatorum remiſſionem, quotieſcunque ſcilicet contritio pœnitentis non eſt ex charitate perfecta, ideóque per ſacerdotalem abſolutionem ſuppletur. Demum caſus ſeu quæſtio propoſita nihil prorſus habet difficultatis. Nam ſi pœnitens à parte rei ad abſolutionem Sacramentalem ritè eſt diſpoſitus, remittuntur ei peccata, quantumvis alter ſacerdotum refragetur; quippe perinde eſt, ac ſi uni legitimo Sacerdoti fuiſſet confeſſus, atque ab eodem abſolutus, cujus ſententiam alius illegitimus & errans utique reddere irritam non potuiſſet.

XXXVIII. Reſpon. 3. ad Molinæum. Verba Sacræ Scripturæ eſſe clariora radijs ſolis. Cur ergo, ut ex ore DEI proceſſerunt pro judiciariâ poteſtate Socerdotibus conceſſa non intelligantur? Dicit Molinæus ideo non poſſe allata verba ſic intelligi. 1. Quia aliàs ſacerdos foret ſuprà DEUM. 2. Quia ſcriptura abſolutionem & mundationem à peccatis ubique Chriſto, ejuſque paſſioni ac meritis tribuit. 3. Quia peccatori verè contrito prius jam condonantur peccata, quàm ſacerdos illum ab eis abſolvat. 4. Quia eſt aperta inconvenientia & impietas, aſſerere, ſacerdotem culpam ac pœnam inferni condonare, atque inſuper dare vitam ac beatitudinem æternam. Sed hæc prorſus frivola ſunt, & nullum ex illis quidquam evincit. Non 1. quia Deus nulli obligatur, & ſemper ſupra omnes eſt; quantumvis factâ promiſſione ex fidelitate non poſſit non ſtare promiſſis. Cum igitur promiſerit, remiſſa fore peccata ijs in cælo, quibus Apoſtoli & ſacerdotes illa remiſerint in terra, vi hujus promiſſionis fieri id oportet; ſiquidem *unum iota, aut unus apex non præteribit* de verbis & promiſſis DEI Matth. 5. v. 18. Non 2. Quia veriſſimum eſt, Chriſtum, ſanguinem ac Paſſionem hujus liberare ac mundare nos à peccatis meritoriè: ſed præter has cauſas meritorias dantur Sacramenta tanquam cauſæ inſtrumentales, quæ Sacramenta veluti inſtrumenta gratiam DEI per merita ac Paſſionem Chriſti illis applicata in nobis operantur. Unde Confeſſioni & Abſolutioni, hoc eſt, Sacramento nequaquam tanta virtus tribuitur, quanta ipſi Paſſioni ac meritis Chriſti. Verisſimè igitur & Chriſtus & Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ &c. nos mundant à pecatis, nempe ille principaliter: iſta inſtrumentaliter. Non 3. Quia DEUS utique de eadem re bis ſententiam ferre poteſt; primò apud ſemetipſum in altisſimo & ſecreto ſuo conſilio, quod nulli niſi ipſi patet: deinde apud Eccleſiam & hujus Miniſtros, qui vices DEI gerunt, & cum peccatoribus agunt. Cum enim DEUS non abſque medijs nobiſcum tractet, utitur curatoribus animarum veluti inſtrumentis. Et quid occlamitare poſſunt hæretici, ſi DEUS peccata utroque modo, ſicuti poteſt, peccatoribus remittat? Non denique 4. Quia nullum prorſus eſt in conveniens, DEUM mediantibus Miniſtris Eccleſiæ & animarum curatoribus donare vitam ac beatitudinem æternam, atque inſuper culpam & pœnam æternam condonare; imò palpabilis ac horrenda eſt impietas, iſtud contra expreſſa verba ſcripturæ negare. An non ait Chriſtus Joannis 20. v. 23. *quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Quid ergo hæreamus? Non magis expresſis DEI verbis credamus, quàm Molinæo aut Ameſio? Nunquid ipſe Calvinus ait L. 4. Juſt. c. 1. n. 4. non alium nos habere aditum ad vitam, quàm per Eccleſiam matrem noſtram, ſi iſta in ventre ſuo nos concipiat, pariat & uberibus ſuis lactet? Si igitur DEO placuit, nos ſolummodo per miniſterium Eccleſiæ, & non per aliam viam acrationem ad cælum ducere, ejudens eſt, huic divinæ ordinationi perquam conſentaneum eſſe, ſi dicamus, DEUM remittere nobis per Eccleſiæ Miniſtros & animarum Curatores culpam & pœnam æternam: atque inſuper dono concedere Beatitudinem, ſemper intelligendo, ſacerdotes ſolùm tanquam inſtrumenta & virtute conceſſæ ipſis poteſtatis, ac vice DEI: ipſum verò DEUM tanquam ſupremum Dominum habere id rà um juxta promisſionem ſuam. Unde cum veritate dici nequit, hac in re quidquam DEI honori atque authoritati detrahi.

CONTROVERS. LXXVI.

DE SATISFACTIONE.

Diximus ſupra §. V. Satiſfactionem eſſe partem Pœnitentiæ, & ad materiam hujus Sacramenti ſpectare, quæ proinde in præcedente controverſia unà cum alijs partibus expediri potuiſſet; quia verò eſt tantùm pars integralis, & plura continet, quæ hæretici in litem trahunt, idcirco illam peculiari controverſiâ tractandam ſumpſimus; & cum eadem ſatiſfactio potiſſimum fieri amat per orationem, eleemoſynam, jejunium ac corporis caſtigationem, de his quoque ſingillatim nonnihil dicemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. *Doctrina prima.* Remiſſo peccato Mortali quoad culpam & reatum pœnæ æternæ de facto non ſemper etiam remitti pœnam temporalem. Ita omnes Catholici, & habetur in Tridentino Seſſ. 6. c. 14. cit. ſupra Contr. 61. §. 14. ubi hanc ipſam doctrinam obiter attigi cum alijs Doctoribus, qui eandem pluribus ibidem tradere ſolent. Probatur 1. aliquot exemplis Sac. Scripturæ. primò ipſius Adami & Poſterorum ejus, qui in vindictam peccati originalis, quantumvis jam remiſſi per baptiſmum in Teſtamento Novo: & per circumciſionem aut aliud remedium in veteri, morte puniuntur, alijſque calamitatibus ſubijciuntur, juxta verba illa DEI Genes. 3: *quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et ibid. *in ſudore vultûs tui veſcêris* pane tuo. Et iterum: *in dolore paries filios*: Et Apoſtoli Roman. 5. v. 12: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per*

Digitized by Google

& per peccatum mors Secundò Moyſis & Aaronis Num. 10. v. 12. *Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron, quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo.* Et Deuter. 32. v. 48.: *locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Aſcende in montem iſtum, & morere, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, quia prævaricati eſtis contra me in medio Filiorum Iſrael.* Quid clarius? ideo puniuntur, quia prævaricati ſunt: Davidis Regis, qui poſt remiſſam culpam adulterij & homicidij punitus eſt morte Filij, alijſque pœnis 2. Reg. 12. v. 11. & 24. Et rurſus ob peccatum numerati populi licet remiſſum quoad culpam eligere cogitur aut bellum aut famem aut peſtem 2. Reg. 24. v. 13. Similia habentur Exodi 33. Num. 14. & 26. 3. Reg. 12. 1. Corinth. 11. &c. Duo contra obijci poſſunt. Primum. Pænæ iſtæ ſunt per modum medicinæ & cautelæ. Alterum eædem pœnæ ſunt extraordinarium DEI opus. Verùm interpretatio hæc planè adverſatur Sacræ Scripturæ. Quoad primum igitur fuiſſe pœnas iſtas non tantùm per modum medicinæ & cautelæ, Sed etiam vindictæ inflictas, patet clarè tum ex ipſo quandóque pœnarum genere, quia mors non poteſt ipſi peccanti propriè dici medicinalis, ſiquidem ipſa penitus tollit, non curat; ſimiliter dolor, quem ſentit mulier in partu, nihil habet medelæ & cautelæ, qui ſpectando ſolam naturam reipsâ eveniſſet, etiamſi peccatum non extitiſſet; tum ex ipſius ſcripturæ textu loc. cit. quippe non medentis ſed punientis & vindicantis eſt vox illa 2. Reg. 12. v. 10. *quamobrem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eò quod deſpexerit me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut eſſet uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores in oculis tuis. &c.* In quem ſenſum etiam Exodi 32. DEUS, poſtquam peccatum idololatriæ tum propter populi pœnitentiam, tum propter Moyſis interceſſionem remiſerat, nihilominus ſubjungit v. 24. *ego autem in die ultionis viſitabo hoc peccatum* eorum. Quoad alterum, non fuiſſe eaſdem pœnas extraordinarium DEI opùs, patet itidem tum ex frequentia exemplorum, tum ex ſimilitudine rationis; ſi enim uno in caſu poſt remiſſam peccati culpam remanet aliqua pœna temporalis ſecundùm divinæ Juſtitiæ ſententiam luenda, quidni etiam idem accidat in alijs caſibus, & quidem ijs omnibus, in quibus non plena ſatisfactio pro peccato fuit exhibita.

II. Probatur 2. ex Patribus. S. Auguſtinus Tract. 124. in Joann. ita ſcribit: *hanc itaque vitam, de qua ſcriptum eſt: nunquid non tentatio eſt vita ſuper terram; cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis; quamvis ut in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſa peccatum. Productior eſt enim pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitium neceſſariæ Pœnitentiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quam jam ad damnationem æternam reum non detinet culpa.* Et in enarrat. Pſal. 50. circa illum vers: *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, ſic ait: *veritatem dixiſti, id eſt impunita peccata eorum etiam, quibus ignoſcis, non reliquiſti.* Et ibidem. *confitenti ignoſcis, ſed ſeipſum punienti. Ita ſervatur miſericordia & veritas. Miſericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur.* Conſentiunt alij Patres & Doctores, qui ob hanc ipſam etiam cauſam tum ſatisfactionum uſum, tum Miſſæ ſacrificium commendant. Videri poſſunt Cardinal Bellarminus Lib. 4. de Pœnit. c. 2. & Gregor. de valentia. Tom. 4. Diſp. 6. Q. 17. pun. 5. Probatur 3. Tum ex ordine Juſtitiæ, qui exigit, ut qui DEUM offendit, ipſi ſatisfaciat. At quamvis homo non poſſit ſatisfacere pro pœna æterna, poteſt tamen pro temporali. Sicuti ergo ad Miſericordiam ſpectat, ut æterna pœna gratis illi remittatur, ita ad Juſtitiam ſpectat, ut pro tenporali pœna homo ſatisfaciat. Tum ex eo, quod in omni Republica bene ordinata ſimile quid Videatur. Nam etſi reo dolenti remittatur culpa in ratione culpæ, pœna tamen ſeu ſatisfactio adhuc aliqua ei imponitur. Sed unde hæc pœna temporalis oritur? Valde probabile videtur, quod docet Arriaga Diſput. 19. de Pœnit. ſect. 2. totâ, non oriri ex natura rei, & quaſi neceſſariò, ſed ex libera DEI voluntate, non tamen abſque juſtiſſimis cauſis ita diſponentis. Quando igitur DEUS ſtatuit, hominem in mortali decedentem æternâ pænâ damnare, nihil quidem noſtro concipiendi modo cogitavit de ſtatuenda pœna aliqua temporali, caſu quo peccatum condonaretur, ſed circa hanc præciſivè ſe habuit; attamen optimo jure poſtea, dum acceptare decrevit noſtram contritionem pro remiſſione culpæ, dicere potuit: Etiamſi velim poſitâ contritione te in amicitiam meam recipere, & pœnæ æternitatem condonare, nolo tamen totam pœnam dimittere, ſed adhuc pro furti peccato v. g. duobus diebus: pro tali autem luxuria tribus &c. te in purgatorio punire volo. Quamvis autem pœna hæc temporalis ex veriore ſententia Bellarmini, valentiæ, & aliorum Theologorum per ſe, & ſecundùm primariam divinæ Providentiæ legem in altera vita ſit luenda, hoc tamen non obſtat, quò minus ex divina quadam indulgentia in hac vita exſolvi poſſit. Dixi valde probabilem eſſe ſententiam P. Arriagæ, ut ſuam relinquerem probabilitatem opinioni quorumdam Recentiorum, qui in peccato tres conſiderant formalitates; primam ex tranſgreſſione legis: ſecundam ex voluntaria averſione ab vltimo fine: tertiam ex offenſa divinæ Majeſtatis, ac primæ harum velut effectum moralem reſpondere ajunt pœnam temporalem ſubeundam. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. à fol. 271. ubi doctrinam noſtram contra Crotium in Anti-Becano pluribus tradunt ac tuentur.

III. *Doctrina ſecunda.* Ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ ſive ad plenam remiſſionem peccatorum quoad culpam & pœnam neceſſariò quoque eſt ſatisfactio aliqua ſive exſolutio pœnæ poſt remiſſam culpam reſtantis: & pro hac pœna homines in iſta vita ſatisfacere poſſunt. Ita omnes Catholici. Prima pars conſtat ex priore contr. §. 7. Alteram tradit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. can. 13. his verbis: *Siquis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè DEO per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à ſacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejunijs orationibus, eleemoſynis, vel etiam alijs pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, anathema ſit.*

IV. Hinc infertur 1. Confeſſarium ordinariè teneri ſub mortali injungere pœnitenti ſatisfactionem ſive pœnitentiam. tum quia hoc præcipit Tridentinum Seſſ. 14. c. 8. ſicuti etiam cap. omnis utriuſque ſexûs. tum quia hoc Sacramentum inſtitu-

Digitized by Google

inſtitutum eſt per modum judicij & medicinæ; in judicio autem delictum non omninò condonatur, ſed vindicatur, imponendo pœnitentiam delinquenti: medicina verò tendit ad correctionem. Unde etiam pœnitens tenetur eam ſatisfactionem legitimè impoſitam acceptare & implere, ut docent ſcholaſtici. Nam juxta Tridentinum facultas imponendi pœnitentiam oritur ex poteſtate ligandi, quam Chriſtus dedit ſacerdotibus. Ergo pœnitens tenetur impoſitam ſatisfactionem à Confeſſario non tantùm acceptare, ſed etiam implere; ſiquidem poteſtas ligandi in ſuperiore trahit ſecum neceſſariò ſuum Correlativum, obligationem ſcil. in ſubdito; aliàs non eſſet ligatus, ſi maneret ut ante. Infertur 2. fieri poſſe, ut tota pœna per hoc Sacramentum remittatur; nimirum ſi contritio ſit ſatis fervens & perfecta, ſicuti innuit Tridentinum Seſſ. 14. can. 12. ſolùm negans, illam ſemper remitti, & hoc ipſo tacitè inſinuans, interdum remitti, ſicuti D. Petro & Magdalenæ nulla pœna à Chriſto iniuncta legitur. Infertur 3. triplicem eſſe ſatisfactionem, ut apertè docet idem Tridentinum Seſſ. 14. cit. c. 9. primam ſpontaneam, opera pœnalia in vindictam peccatorum ſuſcipiendo: alteram à Confeſſario impoſitam, exequendo opera, quæ ipſe in ſatisfactionem iniunxit: ultimam à DEO immiſſam patienter ſuſtinendo, quidquid vel ipſe nobis adverſi immiſit, vel aliunde accidere permiſit. Inter omnia autem opera ſatisfactionis, quæ à nobis ſuſcipi poſſunt, ſingulariter commendantur oratio, Eleemoſyna, Iejunium &c. Infertur 4. Pœnas à DEO inflictas interdum nullis ſpontaneis pœnitentijs redimi aut commutari poſſe, ut conſtat experientiâ. Nam mors cæteræque hujus vitæ miſeriæ in pœnam peccati originalis inflictæ nullis bonis operibus redimi valent; ſicuti nec Moyſes nec David ullis precibus aut jejunijs pœnas à DEO determinatas effugere potuerunt; idipſum etiam hodie fieri videmus in privatis morbis, vel peſte, fame & bello; quamvis autem DEUS non exaudiat preces in eo concedendo, quod petitur, tamen aliquid melius concedit, videlicet patientiam, & bonam mortem.

V. *Doctrina tertia.* Juſti per opera pœnalia in hac vita extra Sacramentū Deo ſatisfacere poſſunt pro pœnis temporalibus, quæ poſt peccata quoad culpam deleta remanent. Ita omnes Catholici de fide tenent. Probatur. Tum ex illo Luc. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Tum quia iſtud apertè poſt Florentinum Concilium definit Tridentinum Seſſ. 6. cap. 14. Et Seſſ. 14. cap. 8. & 9. ac can. 13. cit. Tum quia SS. Patres paſſim hortantur nos ad opera Pœnitentiæ pro integra peccatorum remiſſione acquirenda; quod inprimis ſedulò facit D. Auguſtinus inſtruens; quomodo nos ipſos puniamus, & DEUM præveniamus, cum peccatum puniri debeat; ſi ipſimet non puniamus & DEO ſatisfactionem præbeamus, ipſe hanc à nobis exiget & ſumet. Ita in Pſal. 44. ſcribit: *puniendum eſt peccatum; ſi puniendum non eſſet, nec peccatum eſſet. Prævem illum (DEUM) non vis, ut ipſe puniat, tu puni; ideo enim adhuc parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc eſt, minas; clamaret tantùm feriturum ſe, ſi vellet ferire. Differt ergo manum à peccatis tuis, tu noli differre. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita eſſe peccata non poſſunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipſo. Tu agnoſce, ut ille ignoſcat.* Similia habet in Pſal. 50. ſuper illa verba. *Et à delicto meo munda me.* Et alibi. Tum quia idem perpetua praxis Eccleſiæ tenuit, ut videre eſt apud Card. Bellarminum de Pœnit. Lib. 4. c. 9. ubi per undecim ſæcula clariſſima Patrum teſtimonia adducit; in quibus cum peculiaris fiat mentio orationis, Eleemoſynæ, Iejunij, Caſtigationis corporis, placet diſtinctim de ijſdem tradere eam Eccleſiæ doctrinam, à qua Sectarij aberrant, & in altera hujus Controverſiæ parte refutari debent Itaque.

VI. *Doctrina quarta.* Oratio ac nominatim illa, quæ certis horis ex præſcripto Canonum fit, atque idcirco horæ canonicæ dicuntur; eſt optima, utiliſſima, Deòque gratiſſima. Ita omnes Catholici de fide tenent. Probatur 1. authoritate Apoſtoli ad Ephes. 5. v. 19. ſic exhortantis: *implemini ſpiritu, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti DEO & Patri.* Quam Apoſtolicam adhortationem Eccleſia planè per officium iſtud exequitur. Nam, ait Haymo in cit. hoc. *nobiſmetipſis loquimur, quando alternatim canimus pſalmos; Pſalmus dicitur à pſallendo: Hymnus ſonat Laus DEI &c.* Hymnos autem apud Latinos compoſuerunt Ambroſius & Hilarius præclariſſimi viri. Probatur 2. ab exemplo ipſius Chriſti Domini, qui cum Diſcipulis ſuis hymnum ſolitus fuit dicere Matth. 26. v. 30. *& hymno dicto exierunt*: Davidis Pſal. 118. v. 164. *ſepties in die laudem dixi tibi.* Et rurſus v. 62. *mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Et v. 148. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Demum Pſal. 54. v. 18. *Veſpere & mane & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*: Danielis, qui tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram DEO ſuo, ſicut facere conſueverat. Danielis 6. v. 6: Atque etiam aliorum Sanctorum, quos conſtat, ſimiliter ſtatis temporibus & certo modò precari fuiſſe ſolitos, juxta id, quod univerſim de Juſto dicitur Eccleſiaſt. 39. v. 6. *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur &c.* Probatur 3. ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu; quippe conſtat, jam ab Apoſtolorum temporibus fuiſſe uſitatam à viris præſertim Eccleſiaſticis certam aliquam orandi normam; quæ non multo poſt inprimis ex parte, dein omnino in hanc ipſam horarum canonicarum formam redacta ſit. Unde Venerabilis Beda in cap. 18. Lucæ circa illud v. 1. *oportet ſemper orare.* hujuſmodi orationem tanquam antiquâ Eccleſiæ traditione comprobatam memorat, atque etiam uſitato nomine Horas canonicas appellat: *Dicendum,* inquit, *eum ſemper orare, & non deficere, qui Canonicis Horis quotidie juxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis pſalmodijs, precibúſque conſuetis Dominum laudare & rogare non deſiſtit: & hoc eſt, quod Pſalmiſta dicebat Pſal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Pſalmus autem alternis choris recitari ſolitos fuiſſe, conſtat ex antiquiſſimo Tertulliano, qui lib. ad uxorem ſcribit, *pſalmum inter duos ſonare*; Atque hunc pſallendi modum Angelorum exemplo didiciſſe, & Eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe Ignatium Martyrem, ſcribit Socrates Lib. 6. Hiſtor cap. 8. Probatur denique 4. ratione. Quia nihil eſt in toto hoc Horarū Canonicarū inſti-

 tuto,

Digitized by Google

tuto, quod jure reprehendi poſſit. Nam in eis vel laudatur & rogatur DEUS: vel leguntur Sacræ hiſtoriæ aut Prophetiæ aut doctrinæ & admonitiones Sacræ, uti fit in Antiphonis, pſalmis, hymnis, lectionibus, reſponſorijs, verſiculis, capitulis, collectis: vel etiam quandóque imploratur interceſſio Sanctorum apud DEUM, quod omnino piè ſalubrirtérqre fieri, ſupra oſtendimus. Quod autem Perſonæ Eccleſiaſticæ ad certam hanc orationis formam obligentur, nihilo magis diſplicere poteſt; ſiquidem Eccleſia habet poteſtatem obligandi ad actus pios & ſalutares, quales ſunt hæ precationes Canonicæ. Et quos magis ex omnibus hominibus, quàm Eccleſiaſticos convenit in terra imitari Seraphinos, qui in cælo DEUM laudando *clamant aſſiduò alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus &c?* Iſaiæ 6. v. 3.

VII. *Doctrina quinta.* Eleemoſyna vim habet delendi peccara, & pro his ſatisfaciendi. Ita omnes Catholici, & habetur clarè in Sacra Scriptura. Tobiæ 4. v. 11. *Quoniam Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur, animam ire in tenebras.* Ibidem c. 12. v. 9. *quoniam Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* Eccleſiaſt. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Danielis 4. v. 24. *Et peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Lucæ. 11. v. 41. *Verumtamen quod ſuper eſt, date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Sacræ Scripturæ conſonant teſtimonia SS. Patrum. D. Chryſoſtomus Conc. 4. de Lazaro ſic ſcribit: *Supplicium de ſeipſo exigat* (homo) *prò peccatis &c. per Confeſſionem, per jejunium, per eleemoſynam, per continentiam ac charitatem, ut poſſimus omnes omni modo hic depoſitis peccatis multâ cum fiduciâ illuc proficiſci.* D. Hieronymus in Pſal. 133. ita commentatur: *Grande nobis beneficium præſtant pauperes. Peccata, quæ jam aliter lavare non poſſumus, extinguit eleemoſyna. Quid ſcriptum eſt? ſicut aqua extinguit ignem, ſic Eleemoſyna extinguit peccata. Quomodo Baptiſma nobis peccata dimittit, ita & eleemoſyna nobis peccata dimittit; peccatis enim gehennæ ignes præparati ſunt, hos autem extinguit Eleemoſyna.* D. Auguſtinus in Pſal. 37. *hoc eſt*, inquit, *gerere curam pro delicto, ſemper niti, ſemper intendere, ſemper ſtudioſè & ſedulò agere, ut ſanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, ſed fortè lacrymæ currunt, & manus ceſſant. Fiant Eleemoſyna, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato DEI. Eget ille, eges & tu. Eget ille ad te, & tu ad DEUM. Tu contemnis egentem tui, DEUS non contemnit egentem ſui. Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat DEUS interiora tua. Hoc eſt curam geram prò peccato meo, faciam omnia, quæcunque facienda ſunt, ad abluendum & ſanandum peccatum meum.* Similia habent alij SS. Patres in Papatu Catholico Jacobi Keller. Tom. 2. à fol. 766.

VIII. Sed quâ ratione Eleemoſyna gratiam & remiſſionem peccatorum conciliat? Pro reſolutione hujus dubij duo ex communi ſententia Scholaſticorum ſtatuo. *Primum.* Eleemoſyna per ſe vim infallibilem ad gratiam conciliandam aut conſervandam non habet ex opere operato, ut Sacramenta: nec ex opere operantis, ut actus v. g contritionis perfectæ ſeu amoris DEI ſuper omnia. Probatur. Tum ex Sac. Scriptura 1. Corinth. 13. v. 3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Luc. 11. v. 42. *Væ vobis, qui decimatis menthām &c. hæc oportuit facere &c.* Tum quia Eleemoſyna quælibet per ſe ſtare poteſt cum affectu vigente ad peccatum mortale. Unde nonnulli Theologi, hæreticum eſſe dicunt, quod eleemoſyna remittat peccatum ſine pœnitentia. *Secundum.* Eleemoſyna duobus alijs modis liberat à peccato juxta allegatas ſcripturas; uno modo infallibiliter, ſed per accidens, ratione ſcil. adjunctæ charitatis, quando propter DEUM ſuper omnia dilectum datur: altero modo per ſe quidem, at remotè tantùm, & non infallibiliter, quatenus videlicet per eam piè ac legitimè frequentatam impetrantur auxilia gratiæ actualis, quibus plerumque homines liberaliter miſericordes efficaciter commoventur ad quærendam amiſſam gratiam ſanctificantem, atque obtentam conſervandam; de quorum proin ſalute ſpes magna jure concipi poteſt juxta illud Matth. 5. v. 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*; quod nominatim tradunt Beda & Bonavent. in illud Luc. 11. v. 41. *Ecce omnia munda ſunt vobis.*

IX. *Doctrina ſexta.* Jejunium, ut eſt actus abſtinentiæ à cibis alioqui licitis ad edomandam carnem aut alios fines laudabiles directus, eſt bonum, pium, atque utile. Ita omnes Catholici. Probatur 1. Tobiæ 12. v. 8. *Bona eſt oratio cum jejunio.* Joëlis 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Matth. 6. v. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum &c. & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* 2. Corinth. 6. v. 5. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut DEI miniſtros in multa patientia, in vigilijs, in jejunijs, in caſtitate.* Probatur 2. ex Patribus. In concilio 1. Toletano in aſſertione Fidei *approbarunt Patres abſtinentiam à carnibus avium ſeu pecudum pro caſtigatione corporis.* Tertullianus Lib. de Reſurrect. carnis: *Sacrificia DEO grata conflictationes dico animæ jejunia & ſeras & aridas eſcas.* D. Athanaſius Lib. de Virginitate. *Amplectamur*, inquit, *valde jejunium; magnum enim munimentum eſt.* Et infra: *Dæmones fugat maláſque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus ſalubrius, & ad thronum DEI ſiſtit hominem.* Leo ſerm. 2. de jejunio decimi menſis ſic præclarè ſcribit: *Semper virtuti cibus jejunium fuit; de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria concilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innovatur.* Similia paſſim alij. Probatur 3. ratione. Nam ſicuti malum quoddam hominis eſt, carnem & ſenſualitatem repugnare rationi: ita ex oppoſito bonum ejuſdem eſt, ſecundùm rectam rationem vivere, uti tradit S. Dionyſius de div. Nom. cap. 4 part. 4. Ergo illud etiam per ſe bonum, pium & utile eſt homini, quod valet ad ſubjugandam carnem rationi & ſpiritui; cujuſmodi vel maximè eſt jejunium. Par eſt ratio de alijs finibus pijs, quos in allatis verbis inſinuârunt Patres, & ad illos obtinendos ſervire jejunium affirmarunt.

X. Præter hanc univerſalem doctrinam ſpeciatim nonnulla dogmata de jejunio tenenda. *Primum.* Fideles in conſcientia ad certos jejunij dies obligari poſſunt. Probatur. Rom. 13. vers. 2. dicitur: *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Ubi D. Paulus non ſolùm de ſæculari, ſed etiam de Eccleſiaſtica poteſtate loquitur; hanc autem in conſcientia obligare, patet tum ex verbis illis *qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit*, tum ex iſtis,

qui re-

qui reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt, tum ex v. 5. *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, id eſt, non ſolùm propter metum pœnæ, ſed etiam propter metum culpæ. Ergo poteſtas Eccleſiaſtica in conſcientia obligat. Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit &c.* Hæc verba, ſive de Apoſtolis & eorum Succeſſoribus ſigillatim, ſive de omnibus ſimul congregatis intelligantur, oſtendunt vel toti Eccleſiæ vel ejus Præſidibus eſſe obediendum, tanquam Chriſto, & conſequenter omnes Fideles in conſcientiâ ad obſervationem Chriſti præceptorum obligantur. Nec dici poteſt, obligationem obediendi Eccleſiæ præceptis oriri ſolùm ratione ſcandali, & culpam omnem ſupra ſcandalum, non autem ſupra præceptum cadere. Nam quis dicere audeat, Fidelem ſepoſito ſcandalo non peccare in conſcientia, ſi DEO non obediat? Cum autem non ſit poteſtas niſi à DEO, & qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtat: item cum Chriſtum non audiat, qui Eccleſiam non audit, ut ex recèns dictis patet, apertè ſequitur, eum, qui Eccleſiæ non obedit præceptis, Deo etiam non obedire; adeóque ſepoſito ſcandalo in conſcientia peccare. Unde S. Leo Papa ſerm. 13. de jejunio decimi menſis: *in his*, inquit, *diebus, qui huic operi* (jejunio) *ſunt ſpecialius præſtituti, major animoſitas, & cura excitanda eſt ferventior, ne quod piuin eſt agere non indictum, impium ſit negligere prædicatum.*

XI. *Secundum.* Certi illi dies, quales ſunt quadraginta Feſtum paſchale præcurrentes, quatuor tempora, vigiliæ, feria ſexta & Sabbathi non ſuerunt privatâ cujuſpiam authoritate jejunijs deputati, ſed à Chriſto & Apoſtolis profecti. Probatur ex opinione antiquiſſimorum Patrum. S. Ignatij Martyris in epiſt. ad Philipp. S. Hieronymi Epiſt. ad Marcell. Et in c. 3. Jonæ. Epiphanij hæres. 73. Auguſtini in Pſal. 110. ubi ait: *Præcipitur nobis Quadrageſimale jejunium & ex Lege, & ex ipſo Evangelio.* S. Leo ſerm. 9. de Quadrag. ubi ait: *à Sanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritûs Sancti majora ſunt inſtituta jejunia, ut per commune conſortium crucis Chriſti etiam nos aliquid in eo, quod propter nos geſſit, ageremus.* Similia habent alij. Confirmatur ex communi receptáque D. Auguſtini Regula, Lib. 4. de Bapt. cap. 24. quam in formam Syllogiſticam ſic redigimus. Illa omnia credenda ſunt deſcendere ab Apoſtolica inſtitutione & authoritate, quæ univerſa primitiva Eccleſia per continuam temporum ſucceſſionem ſemper obſervata, & in nullo Eccleſiæ Concilio fuerunt inſtituta. Sed jejunium quadrageſimale, aliáque ſupradicta eſſe talia, patet inde, quod in nullo Concilio Eccleſiæ eorum inſtitutio inveniatur, & eorumdem mentionem faciant Patres, qui Concilia Eccleſiæ præceſſerunt. Ergo certi dies iſti jejuniorum ab Apoſtolica inſtitutione & authoritate cenſendi ſunt deſcendere. Plura de hac re Cardinal. Bellarminus Lib. 2. de bonis operib. in partic. à cap. 14.

XII. *Tertium dogma.* Jejunium Eccleſiæ eſt pium & laudabile, dum ſit per abſtinentiam à carnibus, ovis, lacticinijs, adeóque cum delectu ciborum. Probatur 1. Daniel cap. 10. vers. 2. ait: *Trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* De Joanne Baptiſta Matth. 3. v. 4. legimus: *eſca autem ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre.* Hiermiæ 35. v. 6. Recchabitarum & Nazaræorum lex dicitur, *ut à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtineant.* Et hoc jejunij & abſtinentiæ genus laudatur in Sac. Scriptura; imò ex humano etiam præcepto ſuſceptum præmio afficitur, ut patet ex cit. cap. Jeremiæ. Prob. 2. ex Concilijs & Patribus relatis apud Valentiam Tom. 3. D. 9. Q. 2. fol. 1633. Sufficiat nobis S. Epiphanius in compendiaria doctrina de Fide Cathol. & Apoſt. Eccleſiæ ubi ſcribit: *Sunt præterea aliæ præeminentes vitæ converſationes, quæ in eadem Sancta Catholica Eccleſia ſervantur, eorum; inquam, qui ab omnibus carnibus abſtinent.* Accedit huic probationi, apud Eremitas Antonios, Hilariones & ſimiles uſum abſtinentiæ à carnibus nominatim, & non ſolùm à lautitijs in communi fuiſſe frequentiſſimum, & maximè probatum & laudatum. Probatur 3. ratione. Finis jejunij eſt, corporis concupiſcentias edomare, & in ſervitutem redigere, ut docet S. Auguſtinus Lib. 30. cont. Fauſtum c. 5. neque Adverſarij id negant. Atqui non poterat certa & communis regula conſtitui circa quantitatem cibi ſumendi, vel circa lautitias & condimenta ciborum; ſiquidem hæc innumeris modis variantur, & quod multum eſt uni, modicum eſt alteri, quod uni lautum, alteri non eſt tale. Ergo regulam conſtitui oportet penes abſtinentiam ab aliquo genere cibi, qui univerſim loquendo magis nutrit & delectat, qualem eſſe carnem pecorum & avium omnes facilè concedunt.

XIII. *Doctrina ſeptima.* Flagellatio, cæteráque corporis caſtigatio piè ſanctéque ſuſcipitur ad ſatisfaciendum DEO offenſo. Ita omnes Catholici Prob. 1. ex Sacra Scriptura. Coloſſens. 3. v. 5. *Mortificate membra, quæ ſunt ſuper terram.* Galat. 5. v. 24: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt.* Hos locos Patres communiter de corporis caſtigatione, quæ per flagella, cilicia &c. contingit, interpretantur. D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Paſcha ſcribit, *DEUM creaſſe hominem: eundem ſpiritum & carnem; ſpiritum propter gratiam, carnem ob elationem: illud ut maneat, eúmque, cujus beneficijs ornatus eſt, concelebret: hoc ut vexetur, ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine ſibi placens erudiatur & coërceatur.* Et mox: *Tibi per zonam & temperantiam reſtingatur pars illa, quæ libidine affluat, ac velut hinnitum edit; hoc namque verbo ſcriptura hunc affectum exagitans utitur. Ita fiet, ut mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram, Paſcha purè comedas.* Apoſtolus ad Corinth. epiſt. 1. c. 9. v. 27. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Caſtigo, inquit, ſcilicet per jejunia, vigilias, cilicia, flagella &c. græcum enim verbum ὑπωπιάζω etiam Beza, Melanchthon, Caſtalio, alij vertunt *contundo*; contuſio autem non fit ſine percuſſione, verbere, vel ſimili violenta carnis afflictione; quam aptiſſimum inſtrumentum eſſe ad virtutē & perfectionem, plenámq; de vitijs & hoſtibus victoriam, dummodo cum diſcretione aſſumatur, docent S. Hieronymus Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius & D. Thomas relati apud Tirinum in hunc text. quibus addo Gregor. Nazianzenum orat 16. ubi ait: *Pulchra res corporis caſtigatio! id tibi Paulus per ſuadeat, ſeipſum adhuc domans & coërcens.* Probatur 2. Ex Sanctis Patribus, quos fusè allegat Jacob. Keller in Cathol. Papatu Tom. 2. à fol. 235. ſufficiat nobis D. Epiphanius commemorans, quas caſtigationes corporis in Majore ſeu Sancta Hebdomade

domade antiqui Chriſtiani exercuerint: & quomodo hæretici (uti nunc etiam fieri amat) ijſdem impiè inſultârint, ſic hæreſi 75. ſcribit: *in diebus autem Paſchatis, quando apud nos fiunt humidormitiones, caſtigationes, afflictiones ſiccorum eſus, preces, vigiliæ ac jejunia & omnes animarum ſalutes per ſanctas afflictiones: ipſi à ſummo mane obſonantur, carnéque ac vino venas ſuas explentes cachinnantur ridentes ac ſubſannantes eos, qui Sanctum hunc cultũ hebdomadis Paſchatis perficiunt.* Probatur 3. Ratione. Quidquid in vera Chriſti Eccleſia apud ſanctos homines ſemper in uſu & praxi fuit, id non niſi temere & inſipienter reijcitur. Atqui flagellatio & dura corporis caſtitio apud ſanctos DEI ſervuos ſemper fuit in uſu & praxi. Ergo non niſi temere & inſipienter reijcitur. Major patet per ſe. Minorem oſtendunt tot exempla Sanctorum, quorum alij ſemper alios priores in Sancto exercitio imitati ſunt, ut in illorum vitis videre eſt. De Sancto Dominico Prædicatorum Fundatore ſcribit S. Antoninus Part. 3. Hiſtor. Tit. 23. c. 1. §. 2. in hæc verba: *Trinam diſciplinam quaſi quotidie de manu propria non chordulâ, ſed catenâ ferreâ uſque ad ſanguinis effuſionem capiebat. Pro ſuis culpis unam, quæ minimæ erant. Pro in purgatorio exiſtentibus aliam. Tertiam pro ijs, qui in mundo verſantur.* Videantur Jacobi Gretſeri libri tres de Spontanea Diſciplinarum ſeu Flagellorum cruce, quos ex Sacris litteris, Sanctorúmque probatis Hiſtorijs potiſſimum collegit, & nullus unquam hæreticus refutare illos potuit.

XIV. *Doctrina octava.* Juſti per prædicta opera pœnalia in hac vita non quomodocunque ſolùm ſatisfacere pro pœnis temporalibus poſſunt, ſed etiàm de condigno & ad æqualitatem juſtitiæ. Ita communiter ſentiunt Catholici Doctores, teſte Cardinali de Lugo Tom. de Pœnit. Diſp. 24. num. 8. Ratio eſt, quia Juſtus per opera bona poteſt de condigno & ad æqualitatem Juſtitiæ promereri vitam æternam, ut diximus ſupra Contr. 57. §. 3. Ergo multò magis poterit ſic promereri remiſſionem pœnæ temporalis, adeóque etiam pro ea de condigno & ad æqualitatem ſatisfacere. Porrò ad prædictam Satisfactionem variæ requiruntur conditiones. 1. ut ſit hominis juſti; quia univerſim in peccatore nullum propriè eſt meritum. 2. ut ſit viatoris; quia in altera vita ſatiſpaſſio, non item etiàm ſatisfactio locum habet. 3. ut opus ſatisfactorium ſit ſaltem denominativè liberum aut dignificatum per actum bonum formalitèr liberum. Quia, inquit Arriaga Diſp. 20. num. 16. ejuſmodi ſatisfactio eſt effectus aliquis moralis fundatus in actione libera non minus, quàm ipſum meritum, ut proinde ſine hac bonitate actionis liberæ non poſſit explicari proportio inter opus ejuſmodi pœnale hujus vitæ, cum dolore ſurgente ex viſionis beatificæ dilatione. 4. ut idem opus ſit ſupernaturale; ſic enim probabilius poſt Suarez & alios cenſet cit. Author n. 21. quia dolores illi phyſici purgatorij ſunt in ordine longè altiore reſpectu noſtrarum paſſionum, ut planè non videantur ullam cum illis habere condignitatem. Cæterùm opera ex eo, quod ſint ſub præcepto, non impediuntur ullo modo, quin ſint ſatisfactoria, ut poſt Suarez, Vaſquez, Tanner & plures tenent Cardinal Lugo Diſp. 24. num. 34. Palao Tr. 23. Diſp. unica. pun. 21. §. 2. n. 16. &c. Unde de Horis Canonicis, ad quas Clerici obligantur, paulò ſupra egimus, ſiquidem etiam iſtæ pro pœnitentia imponi, & aſſumi recitarique in ſatisfactionem poſſunt. 5. ut interveniat DEI acceptatio juxta communem Doctorum opinionem conformiter Tridentino Seſſ. 14. c. 8. cit. etenim labores noſtros Deus ex varijs alijs titulis exigere poteſt. 6. denique conditio eſt, ut opus ſatisfactorium ſit pœnale. Ita D. Thomas in 4. Diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtion. 1. D. Bonavent. Richardus & alij, quos refert & ſequitur Suarez D. 37. Sect. 6. n. 2. Ratio eſt, quia ſatisfactio eſt opus, quo quis vindicat & punit in ſe divinam injuriam. Ergo debet eſſe aliquo modo pœnalis.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XV. E*rror primus.* Factâ peccatorum veniâ nullam pœnam reſtare, neque ullâ ſatisfactione opus eſſe ultra illam. Ita moderni hæretici, Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 3. à fol. 37. Et apud Guilielmum Ameſium Tom. 3. contra Bellarmin. à fol. 329. Calviniſtæ communiter aſſerentes, Chriſtum non ſolùm pro omnibus peccatis, ſed etiam per omnibus peccatorum pœnis tam corporalibus, quam cæteris ſatisfeciſſe, ac proinde credentibus in Chriſtum & culpam & pœnam non ſolùm æternam, ſed etiam temporalem remitti. Nec mirum, Lutheranos & Calviniſtas ita unaminiter negare ſatisfactionem, quia præjuerunt illorum Parentes hæreſiarchæ Calvinus L. 3. Inſtit. c. 4. ſect. 25. Et Lutherus in aſſertione 5. ſuorum articulorum ajens, *vehementer ſe odiſſe vocabulum ipſum ſatisfactionis.* Molinæus à fol. 826. adſtipulatur quidem Calviniſtis; interim fatetur, præter ſatisfactionem Chriſti aliam à nobis requiri fol. 836. ubi ait *oportere, ut propter peccata noſtra humiliemus nos coram DEO, eadem peccata ipſi confitendo, ex corde credendo, hanc eſſe optimam, imò unicam pœnitentiam, quod de peccatis doleamus, & bonis operibus ſtudeamus.* Quid opus iſtis, ſi Chriſtus in omnibus pro nobis ſatisfecit; imò ſuperabundè ſatisfecit, & omnia omnino peccata & pœnas ſuſtulit? tamen poſſunt in curru volante abſque impedimento in cælum evehi. Probant 1. Si poſt veniam datam DEUS adhuc pœnam exigeret, tunc non penitus oblitus fuiſſet peccatorum. Conſequens repugnat Sacræ Scripturæ Ezech. 18. cit: *peccatorum ejus non recordabor.* Ergo & anteced. 2. Si adhuc ſatisfacere debeamus, tum Chriſtus non plenè pro nobis ſatisfecit: Conſequens, inquit, Ameſius fol. 347. repugnat honori Chriſti. Ergo &c. 3. Chriſtus peccatoribus ignoſcens nullam pœnitentiam impoſuit. Ergo nec nos imponere debemus. 4. Si amicitiâ reſtitutâ pœna peccati remanet luenda; tunc amicus DEI poſſet condemnari, quod diſertis verbis Apoſtolus deteſtatur Rom. 8. 5. Sublatâ culpâ tollitur effectus. Sed peccatum eſt cauſa pœnæ. Ergo ſublato peccato tollitur pœna. 6. Contra juſtitiam punitur peccatum bis; etenim propter peccata noſtra percuſſit filium ſuum dilectiſſimum Iſaiæ 53. v. 47. S. Ambroſius Lib. 10. cap. 22. in Lucam de converſione Petri poſt Chriſtum negatum ſic ſcribit: *Lacrymas ejus lego: ſatisfactionem non lego.* Ergo opus non eſt ullâ ſatisfa-

ſatisfactione. Argumenta plura quibus Molinæus, Ameſius, Gerhardus, Hanneken & cæteri Novatores errorem probare velint; non reperio: plures autem inſperſas calumnias, falſitates, cavillationes &c. familiaria ipſorum ad pugnandum arma.

XVI. Errorem hunc repugnare Sacræ Scripturæ, definitioni Conciliorum, doctrinæ Patrum, perpetuæ Eccleſiæ praxi diximus parte priore. Et bene tenendum, quod is, qui alterum lædit, etiam amiciticiam & juſtitiam lædat; reconciliarique poſſit amicitia; remanente reatu juſtitiæ reſarciendæ. v. g. cum quis ad petitionem in gratiam recipitur, onus autem reſarciendæ juſtitiæ tantum eſt, ut non niſi longo tempore exſolvi queat. Exemplo ſit antiquæ nobilitatis Aulicus, qui neceſſitate preſſus Principi ſuo magnam pecuniæ ſummam abſtulit. Princeps remittit illi culpam, reſtituit illum loco & honori ſuo in aula; At pecuniam paulatim diminutione ſalarij vult reſtitui: vel ſi contumeliam Principi intulerit, cupit certum honorem ſibi ab Aulico illo ſingulis annis exhiberi in compenſationem violati honoris, etiamſi ſuo loco & honori Principiſque gratiæ jam reſtitutus ſit. Sic è contrario fieri poteſt, ut ſatisfiat juſtitiæ ab invito, manentibus aſſiduis odijs. Ita dicimus, fieri in judicio divino. Læſimus DEUM peccatis noſtris, violavimus amicitiam & juſtitiam, proinde pœnis æternis addicti ſumus; pœnas requirebat juſtitia, æternas poſtulabat inimicitia ſuſcepta cum æterno & infinito Rege, veniam petivimus, placatus eſt DEUS propter innocentiſſimam mortem, quam pro nobis Filius DEI ſuſtinuit. In gratiam ergo & amicitiam recepti ſumus, æternitate pœnarum (cujus reatus cum amicitia conſiſtere non poteſt) miſericorditer remiſsâ, pœnas tamen aliquas temporales juſto judicio remanere voluit; quas vel hic, vel in altera vita ſubiremus, ſcil. ad correctionem noſtram & aliquam læſæ juſtitiæ ſatisfactionem. Conſtat hoc ex varijs exemplis Sacræ Scripturæ, quæ ſupra adduximus. Plura paſſim occurrunt in hiſtorijs etiam prophanis.

XVII. Reſpon. ad 1. negando Minorem. Locus Ezechielis intelligitur vel de perfecta contritione, quæ delendæ culpæ & pœnæ ſufficit, vel de oblivione ſolùm culpæ, quatenus inimicum Deo & damnationis æternæ reum facit. Non taceam hîc ſceleſtam calumniam Molinæi fol. 844. aſſerentis, DEUM impium, barbarum, tyrannicum Patrem fore, ſi dimiſsâ culpâ & reatu pœnæ æternæ adhuc exigeret pœnam temporalem, ut ajunt Papiſtæ. Ergo Magiſtratus ſæcularis impius barbarus & tyrannicus eſt, ſi remiſsâ culpâ, adhuc pœnam à reo exigat, ut virgis cedatur, patriâ aliquamdiu exulet &c? Ergo DEUS erga Davidem fuit impius, barbarus, tyrannus, dum dimiſsâ culpâ & pœnâ æternâ, adhuc pœnam temporalem ab illo exigeret, ut perſecutionem à filio ſuo pateretur &c? ô impium & diabolicum os? Ad 2. negando ſequelam Majoris. Nam ſupra jam diximus, Chriſtum, licet non plenè ſatisfecerit in actu ſecundo: attamen ſatisfeciſſe abunde in actu primo; quippe merita illius tanta fuerunt, ut ſi plenè nobis applicarentur, omnem culpam ac pœnam delerent, ſicuti faciunt in baptiſmo; in pœnitentia verò non plenè applicantur, ſed ſolùm quoad culpam, & pœnam æternam. Interim ſatisfactio nihil derogat honori Chriſti, quia noſtra opera bona vim ſuam habent ex meritis Chriſti, quorum intuitu dantur nobis auxilia actualia ad bene operandum neceſſaria, & gratia habitualis dignitatem operibus conferens. Sicut fides verbis Legatorum præbita propter autoritatem Principum, à quibus Legati ſunt, & quorum perſonam ſuſtinent, nihil derogat Principum authoritati, ſed eorum honorem amplificat. Ad 3. Chriſtum peccatoribus non impoſuiſſe pœnitentiam, quod vel contriti fuerint, vel ipſe Author Excellentiæ totam pœnam condonarit, quod Sacerdotibus non eſt conceſſum. Ad 4. Amicum DEI poſſe condemnari ad aliquam pœnam temporalem, non autem ad æternam. Nam repugnat divinæ Juſtitiæ ſeparatio amici Chriſti perpetua & ſtatus damnationis, de quo ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergò nunc damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto JESU.*

XVIII. Ad 5. diſtinguendo Majorem; ſi effectus non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſervari à cauſa dependeat, concedimus: ſi ſolùm in fieri; negamus, ſicuti filius à parente tantùm pendet in fieri, non in conſevari; etenim patre mortuo perſeverat. Ita pœna pendet à culpa tantùm in fieri, non in conſervari; quemadmodum debitor creditori debito tempore non ſolvens debitum ſub certa pœna promiſſum offendit creditorem, qui minatur, ſe illi amplius non daturum mutuum; & licet humili deprecatione debitor illum reconciliet, debet nihilominus ſtatutam pœnam ſolvere. Ad 6. patere ex dictis, ſcilicet Chriſtum, licet in actu primo abunde ſatisfecerit pro culpa & omni pœna, non tamen applicaſſe plenè ſua merita, ſed tantùm pro culpa, & pœna æterna: pro temporali verò voluiſſe, ut ipſe homo eadem merita per propriam ſatisfactionem ſibi applicaret, ſicque pœnam illam temporalem expungeret; unde clarum eſt; nec idem peccatum bis puniri, nec DEUM injuſtitiæ argui poſſe, quaſi pro una eadémque pœna ſatisfactionem à duobus, hoc eſt, à Chriſto atque ab homine exigat. Nam hoc nullo modo DEUS facit, ſed ſolùm vult, ut perfectam illam Chriſti ſatisfactionem homo ſibi applicet, quam Chriſti ſatisfactionem ab homine per divinam gratiam debitè ſibi applicatam tanquam ſatisfactionem hominis pro pœna DEUS benigniſſimè acceptat. Ad 7. D. Ambroſium nomine ſatisfactionis non intellexiſſe ſolutionem pœnæ, ſed defenſionem peccati, ut patet ex ſequentibus verbis: *ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt*; in quem modum ſatisfactionem ſumpſit S. Petrus Epiſt. 1. c. 3. v. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.*

XIX. *Error ſecundus.* In Sacramento Pœnitentiæ nihil operis laborioſi à Sacerdote imponi debet. Ita ijdem hæretici Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 3. fol. 84. Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 3. fol. 203. Probant 1. Chriſtus nuſquam juſſit, ut Apoſtoli pœnitentibus pœnas ſatisfactorias imponerent, ſed in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicare juſſit. Prob. 2. Nuſquam vel Chriſtus vel Apoſtoli pœnitentibus certas mulctas indixiſſe leguntur, ſed gratuitam peccatorum remiſſionem illis annunciarunt, & à peccatis impoſterum cavere juſſerunt. Inceſtuoſum Corinthum ſeriò ad Deum converſum ſine ullius ſatisfactionis interventu

Paulus

Paulus recepit &c. Prob. 3. Pœnitentes ex aliquorum Theologorum Pontificiorum ſententia recuſare ſatisfactiones abſque peccato poſſunt: Item Sacerdos poteſt nullam imponere pœnam ſatisfactoriam. Prob. 4. Eadem & eorumdem peccata eodem tempore hâc ratione ſolverentur & ligarentur; ſolverentur in abſolutione: ligarentur in pœnæ & ſatisfactionis injunctione. Prob. 5. Vetus illud Eccleſiæ inſtitutum in ſatisfactionibus publicis ſpectabat ſolùm ad externam quandam Eccleſiæ diſciplinam illis temporibus utilem ad cavenda ſcandala; ſiquidem tunc temporis plerique Magiſtratus erant gentiles, & multa vitia relinquebant impunita. Addit Molinæus fol. 828. eò rem apud Papiſtas veniſſe, ut pro pœnitentia & ſatisfactione imponantur homicidia, traditiones, & inhoneſta quævis opera.

XX. Errorem hunc reijcit Tridentinum Seſſ. 4. c. 3. ubi *Satisfactio pro materia hujus Sacramenti aſſignatur.* Et c. 8. ubi dicitur, *Sacerdotes debere ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, idque non ſolùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, eò quod claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed ad ligandum etiam ſint conceſſæ.* Et can. 15. habetur: *ſiquis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium & contra inſtitutionem Chriſti &c. anathema ſit.* Quare huc etiam pertinet ex Scriptura illud Matth. 18. v. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Et Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis, peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis* (ſcil. etiam quantum ad pœnæ reatum) *retenta ſunt.* Sac. Concilio Tridentino S. Scripturæ innixo conſentiunt alia Concilia Nicænum can. 12. Carthaginenſe IV. can. 76. Arauſic. c. 1. can. 3. &c. Item Patres Cyprian. Lib. de Lapſis. Ambroſius Lib. 1. de Pœnit. c. 16. Hieronym. in Epitaphio Fabiol. ad Oceanum. Gregorius in 1. Regum c. 7. & plures alij, quos refert Jacob. Keller in Papat. Cathol. Tom. 2. à fol. 759. Audiamus ſolùm Leonem Epiſt. 91. ad Theodorum, ubi ſic loquitur: *Mediator DEI & hominum homo Chriſtus JESUS hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Kemnitius alijque Sectarij non habent, quod Patribus opponant, niſi eos exceſſiſſe, & hyperbolicè magis, quàm verè ſcripſiſſe. Scilicet iſti ſcioli meliùs intelligunt verba & ſenſum S. Scripturæ, quàm Sac. Concilia & ſanctiſſimi & Doctiſſimi Eccleſiæ Patres. Sed ſic ſapiendo, quàm maximè inſipiunt. Accedit ratio, quæ multipliciter congruum fuiſſe oſtendit, ut in Pœnitentiæ Sacramento DEUS vellet per Miniſtros ſuos etiam mulctam peccatoribus imponi. 1. qui peccant ante Baptiſmum majori miſericordiâ digni ſunt, quàm qui poſt baptiſmum. 2. maximè conſentaneum eſt, ut ſi DEUS ex miſericordia condonet peccata, etiam Juſtitiæ, quoad ejus fieri poteſt, ſatisfieri velit. 3. Pœnitentia, quia eſt medicamentum animæ vulneratæ, id planè exigit, ut qui curatur, medicinales uſtiones, pharmaca amara, aliáque id genus multa ſuſtineat.

XXI. Reſpon. ad 1. probationem Adverſariorum negando, Chriſtum nuſquam inſtituiſſe Apoſtolos, ut pœnitentibus pœnas ſatisfactorias imponerent. Nam ſicut Chriſtus Apoſtolos univerſim inſtituit de Sacramento Pœnitentiæ, ita ſingillatim partes ejuſdem explicavit, quantumvis iſtud ſpeciatim non ſit ſcriptum. Quomodo enim aliàs Concilia & Patres ita ſeriò & unanimiter pœnas à Sacerdotibus imponendas urgerent, niſi hæc doctrina ad illos veniſſet ab Apoſtolis, & iſti à Chriſto eandem accepiſſent. Verum eſt, Chriſtum juſſiſſe Apoſtolos prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ſed ſimul etiam explicare, quæ in illo Pœnitentiæ Sacramento partes continerentur, & quid ratione iſtarum fieri oporteret. Ad 2. Chriſtum utpote Supremum ac independentem Judicem poſſe & peccata & pœnas condonare, prout ipſi placet, ſicuti latroni in cruce totum ſimul dimiſit, ac paradyſum promiſit Luc. 23. v. 43. At verò ſubordinati & ſubjecti Chriſto Judices tenentur judicare & abſolvere ſecundùm præſcriptum ordinem & legem, quæ requirit, ut licet peccata jam fuerint dimiſſa, nihilominus peccatori ex jure pœna temporalis remaneret luenda; ſiquidem juſtitia exigit, ut nulla culpa ſit impunita; nempe ordinariè; fieri enim poteſt, ut peccator vel in præſentia Chriſti, aut Apoſtolorum, vel per ſpecialem Spiritûs Sancti gratiam adeo conteratur, & in talem cordis dolorem moveatur, qui omnem culpam & pœnam deleat, ſicut de nonnullis hiſtoriæ produnt, nominatim in vita S. Vicentij Ferrerij apud Surium 5. April. Adhæc Apoſtoli maximè in convertendis & baptizandis Infidelibus laborarunt; Baptiſmum autem ſimul peccatum & pœnam delere, paulò ſupra diximus. Ad 3. Pœnitentem teneri pœnitentiâ aliquâ juſtâ à Confeſſario impoſitâ acceptare ac implere, ut communis habet Doctorum ſententia, adeo ut Vaſquez. quæſt. 94. art. 2. dub. 1. n. 4. affirmet, id nunc eſſe de fide definitum; unde viderint, qui contrarium cum Scoto & Gabriele tenent, quorum opinionem Suarez D. 38. ſect. 7. n. 2. ſaltem temerariam cenſet. Ratio ſumitur tum ex illis, quæ recèns contra errorem iſtum diximus, tum quia alioquin Sacerdos fruſtra obligaret pœnitentem; imò obligare omnino non poſſet, ſi hic ad obtemperandum non teneretur, tum quia non minùs pœnitens quàm Confeſſarius tenetur ad procurandam eam Sacramenti integritatem in exhibenda ſatisfactione poſitam: atque in omni foro tenetur reus obtemperare Judici in acceptanda juſta pœna, & hîc quidem per ſeipſum exequenda, cum hoc judicium ſit voluntarium ac ſpontaneum, non verò coactum & violentum. Quando vel Jeſuitæ (quos ſolos nominat Ameſius) vel alij Pontificij ajunt, Confeſſarium non teneri ſemper ad pœnitentiam imponendam, id non niſi de rariſſimo caſu intelligendum v. g. cum pœnitens vel eſt in articulo mortis, aut ob amiſſum rationis uſum impotens ad præſtandam ſatisfactionem: item quando ex circumſtantijs conſtat, ratione contritionis aut aliorum operum pœnitentem jam ante integrè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis, nec ullâ medicinâ ulterius opus habere. Notat etiam Tanner Tom. 4. D. 6. Quæſt. 8. n. 14. obligationem imponendæ & acceptandæ pœnitentiæ etiam ad tempus jubilæi extendi, idque non malè; quidquid ſecus putet Bellarminus Lib. 1. de Indulg. c. 14. ex antiquis quibuſdam Indulgentiarum formulis, quæ tamen ad publicas potius, quàm privatas pœnitentias reſpexerunt;

Digitized by Google

runt; quippe per indulgentiam non tolli debet propriæ ſatisfactionis neceſſitas, ſaltem in quantum medicinalis eſt.

XXII. Ad 4. prodere Adverſarios hâc probatione inſignem ſuam ignorantiam, dum Sanct. Patres & Catholicos Doctores contradictionis arguere volunt. Quid enim, quæſo, in hoc contradictionis? nunquid etiam inter homines poteſt offenſa ac injuria remitti ſub modo aliquo aut conditione? exemplum clarum ſupra §.XIV. attulimus de aulico, qui poſt damnum illatum Principi ſuo iterum huic reconciliatur cum onere reſarciendi damnum. Ad 5. conſtare hanc probationem ex meriſſimis figmentis. Nam oppoſitum ſemper in Eccleſia Catholica viguiſſe, & in privatis confeſſionibus fuiſſe pœnas ſatisfactorias pœnitentibus impoſitas, patet manifeſtè ex Concilijs & Patribus adductis, è quibus D. Gregorius in 1. Lib. Reg. c. 7. ſic ſcribit: *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum eſt idonea, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata: cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis pro modo criminis onus ejus decernitur afflictionis.* Igitur eò tendit ex mente SS. Patrum pœna juxta rationem delicti à Sacerdote impoſita, ut peccatum per illam penitus deleatur, & ita DEO plenè ſatisfiat: non verò ſolùm, ut ſcandala vitentur, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſerventur, ſicuti hæretici ex vano fingunt, & plebi illudunt. Id, quod ex Molinæo addidimus, calumnia eſt coronata & palpabilis. Omnes Catholici Doctores, dum agunt de Pœnitentiæ operibus à Confeſſario imponendis docent unanimiter, ea oportere eſſe bona opera; inhoneſtum autem opus non eſt bonum. Videatur Forerns in antiquitate Papatûs L. 7. pun. 8. controvers. c. 1.

XXIII. *Error tertius.* Juſti per opera pœnalia, qualia dicunt orationem, jejunium, eleemoſynam &c. pro reatu pœnæ temporalis ſatisfacere non poſſunt. Ita communiter Sectarij Lutherani & Calviniſtæ Petrus Molinæus, Jacobus Hailbrunner, Meno Hanneken, Joan. Gerhardus L. 2. Part. 3. à fol. 79. & à fol. 940. Ameſius Tom. 3. contra Bellarminum à fol. 207. & alij. Probant. 1. Ezechielis 33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei, quo die converſus fuerit ab impietate ſua.* Prob. 2. Loca à Pontificijs è ſcriptura adduci ſolita ſonant præceptum divinum. Atqui eorumdem opinione ſatisfactio conſtat operibus indebitis, non præceptis. Ergo hæc ſatisfactio ex Scriptura non oſtenditur. Prob. 3. Sacra Scriptura in multis locis adverſatur eidem ſatisfactioni per orationem eleemoſynam & jejunium. Nam Uſus Horarum Canonicarum & obligatio ad iſtas repugnat libertati Chriſtianæ toties in nova Lege aſſertæ. Eleemoſyna, quam Daniel ſuaſit Nabucchodonoſori nihil facit ad ſatisfactionem apud hominem infidelem, gentilem, & extra Eccleſiam exiſtentem; unde miratur Molinæus in ſuo Neopapatu fol. 880. Cardinalem Bellarminum hoc non obſervaſſe. Jejunium non ſtat cum mandato Chriſti Luc. 10. v. 7. *Manducate, quæ apponuntur vobis*; ubi quovis tempore promiſcuè quoſuis cibos ſine delectu manducare jubet. Unde Apoſtolus 1. Timoth. 4. v. 1. & ſeq. *in noviſſimis*, inquit, *temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus; quia omnis creatura DEI bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum DEI & orationem.* Probant 4. Satisfactio noſtra per opera pœnalia derogat meritis Chriſti, qui abunde tam quoad culpam, quàm quoad pœnam pro nobis ſatisfecit. Probant 5. Quidquid facere poſſumus aut pati, id totum innumeris titulis DEO eſt debitum. Non poteſt autem debitum per debitum ſolvi. Et quomodo Deo ſatisfacere poſſumus, cum ſervi ſimus inutiles, ſi etiam totum, quod fuit nobis præceptum, faceremus. Luc. 17. v. 10.

XXIV. Errorem hunc rectiſſimè damnârunt Sacra Concilia Florent. & Tridentinum ſupra §. IV. allegata. Nam omnes omnino Patres partim Apoſtolorum coætanei, partim immediati Suceſſores docuerunt, per opera pœnalia, nominatim per Orationem, Eleemoſynam, Jejunia poſſe juſtos pro pœna temporali ſatisfacere; quis autem ſanæ mentis dubitare poteſt, quin hæc ipſorum doctrina ſit ſecundùm genuinum Sac. Scripturæ ſenſum, atque in primitiva Eccleſia firmiſſimè credita. Agnoſcit iſtam communem Patrum mentem ipſe quoque Calvinus nimis apertè, quantumvis ſtultiſſimè judicet, melius eſſe, illos reprehendere, quam ſequi. Ita Lib. 4. c. 38. Inſtitut. ſcribit: *parùm me movent, quæ in Veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter omnes fere, quorum libri extant) aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè, ac durè locutos.* Et paulò poſt: *ſcio*, inquit, *Veteres interdum duriuſculè loqui: nec, ut nuper dixi, lapſos eſſe nego &c.* Quæ eſt hæc Calvini arrogantia, & intolerabilis ſuperbia? dum unus ipſe tot Eccleſiæ Lumina, quæ varijs temporibus non ſolùm inſigni doctrinâ, ſed etiam probitate incomparabili, par etiam miraculis aut martyrio claruerunt, prorſus contemnere & caſtigare non erubeſcit? In hac temeritate & impudentia ſequuntur Calvinum non ſolùm Calviniſtæ, ſed etiam Lutherani jam aliàs ex ductu Lutheri ſui ad contemptum SS. Patrum proclives. Et hos contemptores Sanctorum Patrum Fidei tradendæ divinitus conceſſorum putemus Reformatores à DEO datos veræ doctrinæ?

XXV. Reſpon. ad 1. probationem. Dictum illud Ezechielis c. 33. non poſſe intelligi de pœna temporali; cum manifeſtum ſit exemplis ſupra allatis Adami, Moyſis, Aaronis, Davidis &c. hoſce poſt peccatum dimiſſum tamen temporaliter fuiſſe punitos. Intelligitur igitur duntaxat de nocumento æterno. Sicuti vice verſâ bona opera impiorum DEUS ſæpenumerò temporali mercede remuneratur, ut docent Sancti Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, Chryſoſtomus & alij Patres. Ad 2. probationem. negando Minorem, ſi de indebitis abſolutè procedat; etenim talia opera ſatisfactoria; etſi aliàs forent indebita, ſi homo maneret innocens; at ubi lethaliter peccat, illorum debitum ex præcepto divino incurrit; id quod verum etiam eſt de eleemoſyna & orationibus frequentibus & liberalioribus, ac multò magis de jejunijs & cæteris abſtinentijs & auſteritatibus, quas SS. Patres in verè pœnitentibus tantopere requirunt. Urget Ameſius fol. 216. opinione Pontificiorum indulgentiæ remittunt ſatisfactiones. At non ſolvunt nos illis præceptis: *Facite fructus dignos. agite pœnitentiam &c.* Ergo iſta non ſunt ſatisfactionum præcepta. Verum eſt, indulgentias non ſol-

vere à præcepto illo univerſali ſolvendi debita : attamen efficiunt, ut non reſtet alicui debitum ulterioris ſatisfactionis. Ad 3. probationem Negando, Sacram Scripturam in ullo loco adverſari ſatisfactioni per orationem, Eleemoynam, Jejunium. *Quoad orationem.* Uſus horarum Canonicarum & obligatio ad iſtas non derogat libertati, quâ nos Chriſtus donavit, per hanc quippe ſolùm eximimur à jugo veteris legis : non autem ab obedientia debita Præpoſitis Eccleſiaſticis, quibus ipſe Dominus in Evangelio obtemperare nos juſſit, Matthæi 23. v. 3. *omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite*; id quod maximè Dominus intelligi voluit de Eccleſiæ Prælatis; adeóque ſalvâ libertate Chriſtianâ his obedientia præſtatur orando horas canonicas, jejunando &c. Dicunt Adverſarij, orationem non eſſe laborioſam & dolorificam, quod tamen Gregorius de Valentia Lib. de Satisfact. c. 4. & alij Pontificij ad opus ſatisfactorium requirunt. Reſpon. ſi oratio cum ſuis circumſtantijs ritè peragatur, & flexis genibus & ex panſis brachijs longiùs producatur, quiſque experientiâ diſcet, orationi laborem & dolorem non deeſſe. Sed de hac experientia nihil ſciunt Prædicantes, quia nihil aut parùm orant.

XXVI. *Quoad Eleemoſynam*, facit hæc eximiè ad ſatisfactionem, & ſapientiſſimè ſuaſa fuit à Daniele Nabuchodonoſori, quantumvis iſte tunc fuerit adhuc in ſtatu peccati, & extra Eccleſiam; quod etſi ex dictis ſatis conſtare poſſit, quia tamen Adverſarij adeo urgent. Advertendum, Eleemoſynam habere triplicem virtutem, Impetratoriam, Satisfactoriam, Meritoriam. Primam harum habet Eleemoſyna ante hominis converſionem, ſi ex divino auxilio procedat: ſecundam & tertiam habet poſt hominis converſionem, acceptâ jam gratiâ ſanctificante. Jam eſto Daniel præcipuè & primariò ſuaſerit Nabuchodonoſori eleemoſynam tanquam diſpoſitionem præviam & medium perquam utile impetrandi contritionem veram, & mediante hâc peccatorum remiſſionem, uti Suarez in 3. Part. Tom. 4. D. 37. ſect. 2. n. 9. alijque Scholaſtici docent, ſiquidem fruſtra quis contendit obtinere remiſſionem pœnæ, priuſquam culpa fuerit condonata, nihilominus nemo inficias ibit, Prophetam conſilio ſuo ſpectaſſe ſecundariò ad remiſſionem pœnæ temporalis peccatis decretæ, cum ex textu liqueat, illum Regi oſtendere voluiſſe viam, quâ ſimul avertere à ſe poſſet & culpam & pœnam in ſomno à DEO intentatam, ad quod eleemoſyna poſt converſionem facta medium eſt inprimis aptum. Atque has ambas operationes & effectus eleemoſynæ Daniel verbis ſuis innuit, ſiquidem tam poſt quàm ante Regis converſionem fuit locutus & pro utriſque conſilium præſcripſit. Unde D. Cyprianus Lib. de Opere & Eleemoſynis dixit, *ſi Rex Nabuchodonoſor audiviſſet conſilium Danielis, futurum fuiſſe, ut pœnam, in quam poſtea incidit, evitaret, cum vocem tam redemptionis, quàm ſatisfactionis uſurpâverit.* Sentit igitur Pater iſte, Eleemoſynam ita eſſe conſtitutam ut eam DEUS pro pæna temporali loco redemptionis receptet, ſi homo iſtud redemptionis pretium DEO numeret, & iſtum pro pœna temporali contentum reddat. Quid autem hoc eſt aliud, quàm ſatisfactio? Ad id, quod fuit adjectum, Nabuchodonoſorem fuiſſe extra Eccleſiam, potuit in Veteri Teſtamento extra Judaicam Eccleſiam peccatum redimi per veram contritionem, cum illa non fuerit nniverſalis Eccleſia. In novo Teſtamento debet quis eſſe in ſtatu gratiæ & Eccleſia Chriſti re aut voto, ſi DEO ſatisfacere cupiat, quo modo etiam Ehnici, ſi ſe convertant, eſſe in Eccleſia Chriſti poſſunt. Fieri etiam ex juſtis cauſis poteſt, ut Confeſſarius injunctum opus ſatisfactorium corporis nimis afflictivum commutet in pecuniam ſeu Eleemoſynam pauperibus elargiendam; quidquid Molinæus & alij Sectarij inſulsè rideant. Videatur Baronius ad A. C. 1055. n. 9. quomodo iſtud antiquitus fuerit factum.

XXVII. *Quoad jejunium.* Optimè iſtud ſtat cum mandato Chriſti. Verba Luc. 10. ſi ſecundùm litteram ſumantur, abſurdè ſequitur, Chriſtum juſſiſſe non ſolùm manducare cibos contra legem Moyſaicam oppoſitos, aut etiam in lege nova vetitos ſanguinem & ſuffocatum, ſed etiam venenum, aut quodvis aliud noxium, ſi apponeretur. Voluit ergo Chriſtus ex communi Patrum interpretatione per illa verba diſcipulos ſuos exhortari ad frugalitatem, ut ad quoſcunque divertiſſent, non lautitias ciborum quærerent, ſed appoſitos cibos licet viliores ſumerent, & his contenti eſſent. Verba quoque D. Pauli ad Tim. 1. c. 4. non ſpectant ad Chriſtianos, ſed ad antiquos hæreticos Simonianos, Saturnianos, Ebionitas, Marcionitas, Manichæos, & Encratitas, qui putabant cibos quoſdam per ſe malos & à DEO malo procreatos : item nuptias à malo deo vel dæmone inſtitutas, ut teſtantur Clemens, Epiphanius. Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus & alij, quos cum ſuis locis adducit Tirinus in hunc textum. Nos autem Catholici non prohibemus legitimas nuptias, ſed ſolùm ſacrilegas ſacerdotum & Monachorum, nec interdicimus carnes tanquam in ſe & per ſe malas, ſed ſolùm abſtinentia à quibuſdam cibis per certos dies præcipitur ad refrænandam concupiſcentiam, ad exercendam obedientiam, pœnitentiam, ſtudium orationis &c. exemplo Joannes Baptiſtæ & infinitorum Sanctorum primitivæ Eccleſtæ. Sed cur, inquiunt Adverſarij, piſcibus & vino non interdicitur; cum illi bene conditi: & iſtud generoſum æquè carnem irritent? Facilis eſt reſponſio; quippe certum eſt, piſces per ſe, utpote tenuioris ſubſtantiæ, magis ad finem jejunij conducere, quàm carnem, & per acidens eſt, ſi illi lautius, quàm iſta condiantur, ad quod non potuit reſpicere Eccleſia, ſed communem aliquam certámque regulam ſtatuere debuit. Vinum Eccleſia veluti Mater permiſit corpori calefaciendo; cum de cætero nullam paret materiam, ſicuti carnes. Molinæus fol. 697. comparat nos Catholicos Montaniſtis hæreticis, ajens, hos pari nobiſcum modo fuiſſe de ſuis jejunijs locutos, & tamen ab Eccleſia damnatos. Sed nequiter, calumnioſè, & imperitè. Nam Montanus cum ſuis jejunijs ab Eccleſia fuit rejectus ob has cauſas. 1. cum homo eſſet privatus, univerſalem Eccleſiam jejunijs gravavit. 2. hoc fecit quaſi Spiritus Sanctus, ut ait Spontanus ad A. C. 171. n. 3. 3. putavit, hominem ſpiritualem eſſe non poſſe, qui non ſua obſervaret jejunia. 4. voluit contra uſum Roman. Eccleſiæ, homines non niſi exſiccatis veſci debere cibis. 5. triplex ſuum jejunium ordinavit, putans tres eſſe Salvatores, ut teſtatur S. Hieronym. epiſt. 54. Quomodo ergo fieri potuit, ut Montaniſtæ hæretici paria nobiſcum verba facerent? Videatur Forer. Lib. 7. pun. controv. 5.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Ad 4. probationem. Satisfactionem noſtram nihil prorſus derogare meritis Chriſti, uti ex ſæpe jam dictis conſtare poteſt, quæ ſummatim repetendo huic ſyllogiſmo includo. Qui confitetur, omnem vim & virtutem imo omne pretium ſatisfactionis ſuæ pro ſuis culpis & pœnis provenire ex meritis & ſatisfactione Chriſti, nihil meritis & honori Chriſti derogat, ſed potius extollit. Atqui nos Catholici confitemur, omnem vim & virtutem, imò omne pretium ſatisfactionis noſtræ pro culpis & pœnis provenire ex meritis & ſatisfactione Chriſti. Ergo nihil derogamus meritis & Paſſioni Chriſti, ſed magis exaltamus. Minorem nemo melius quàm nosipſi ſcire poteſt. Majorem probamus. Quia in peculiarem Chriſti honorem cedit, id eum per ſanctiſſimam Paſſionem ſuam meruiſſe, ut nos miſeri homines cœleſti adjuti gratiâ ex peccatis ſurgere, & ad divinum favorem pervenire, atque etiam per exigua opera noſtra apud Deum mereri, ac pro reliquis peccatorum pœnis ſatisfacere valeamus, id quod totum fit virtute Chriſti, qui talia nobis media meruit. Confirmatur. Si doctrina, quod Domino DEO bonis operibus pro peccatis ac pœnis ſatisfieri poſſit, honori & meritis Chriſti deroget, omnes Sancti Patres non ſolùm fuerunt ignari rerum fidei, ſed etiam blaſphemi, & ſuum Chriſto honorem abſtulerunt; ſiquidem nemo unus ex omnibus ſibi non perſuaſit, eſſe in operibus noſtris à Chriſto pretium, quo peccata ac pœnas redimere queamus. Reclamitant hæretici. Chriſtus pro omnibus noſtris peccatis & pœnis per omne tempus & æternitatem quoad ſufficientiam, quantum ſcil. divinæ juſtitiæ placandæ ſufficiebat, ſatisfecit & pretium ſolvit. Minimè hoc negamus. Verùm æternus Pater ex pacto cum Chriſto inito non aliter accepit, niſi hâc conditione, ut intuitu ſatisfactionis Chriſti culpa & pœna æterna per Baptiſmum & alia Sacramenta: pœna autem temporalis tum per Sacramenta & contritionem, tum per opera noſtra ſatisfactoria aut etiam per indulgentiam remittantur. Quamvis igitur Chriſtus etiam pro pœnis temporalibus ſatisfecerit abunde quoad ſufficientiam, tamen æternus Pater quoad effectum acceptare non vult extra Sacramentum & indulgentiam, niſi per opera noſtra ſatisfactoria, quibus ſæpe dicta merita, Satisfactionem & pretium Chriſti nobis applicemus. Inſtant. Repugnare ignem purgatorium eſſe applicationem ſatisfactionis Chriſti: item Miſericordiæ DEI adverſari, Filij ſui beneficia per opera pœnalia nobis applicari. Affingitur nobis, quaſi diceremus, ignem purgatorium eſſe medium applicationis, cum non ſit in hac vita: nec medium ſatisfactionis, ſed ipſa pœna, quam ſuſtinere quis debet, donec DEO ſatispaſſus videatur. Si Miſericordiæ DEI adverſetur, beneficia dilecti Filij nobis per cruces & tribulationes applicari, poſſunt Adverſarij contra iſtud litem movere S. Paulo hoc aſſerenti Rom. 8. v. 17. *Cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quid iſtud eſt aliud, quàm ultra ſatisfactiones Chriſti ex parte noſtra aliquid adhuc requiri.

XXIX. Ad 5. denique probationem, ſupra jam fuiſſe dictum, opera noſtra non ita eſſe DEI propter ordinarium concurſum, additáſque gratias, quin etiam ſint noſtra propter arbitrij noſtri libertatem, quâ illa facimus, & quia DEUS ex ſua miſericordia tanquam noſtra propria acceptare dignatur. Cæterùm verba Chriſti Luc. 17. non ita ſonant: ſervi inutiles ſumus, ſed: *dicite, ſervi inutiles ſumus.* Quo Chriſtus innuere voluit, ut de nobis atque operibus noſtris demiſsè ſemper ſentiremus & loqueremur; ſiquidem totum, quod facimus, non ex proprijs viribus, ſed ex gratia DEI facimus, ut S. Ambroſius Lib. 8. in Luc. declarat. Et S. Paulus 2. Ephes. v. 28. & 2. Corinth. 3. v. 5. indicat, ſcil. ſervos nos eſſe inutiles, cum vires noſtræ ſolæ ſervandis præceptis non ſufficiant; interim inficias non it, nos per media divinorum auxiliorum aliquouſque utiles eſſe, ſiquidem ſcribit ad Timoth. 2. epiſt. cap. 2. v. 21. in hæc verba: *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum;* attamen ſolummodo per gratiam DEI.

XXXIX. *Error quartus.* Flagellationes alijque corporis cruciatus DEO non probantur, ideóque nec meritorij, nec ſatisfactorij ſunt. Ita communiter hodierni Novatores Gerhardus in Confeſſ. ſua Auguſtana Lib. 2. P. 3. à fol. 114. Pet. Molinæus. Jacobus Hailbrunner &c. Probant. Tum ex Sac. Scriptura Ad Ephes. 5. v. 29. *nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.* Jſaiæ 58. v. 5: *in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra. Nunquid tale eſt jejunium, quod elegi.* Coloſſens. 2. v. 23. Paulus caveri vult eos, qui corpori non parcunt; Unde idem 1. Cor. 9. v. 27. cit. loquitur metaphoricè de illicitorum corporis motuum ſuppreſſione. Tum quia flagellatio cedit in injuriam Chriſti, qui pro nobis flagellatus fuit & ſatisfecit. Tum quia flagellatio ethniciſmum ſapit, unde originem traxit. Tum quia eadem mori idololatrarum Baals non eſt abſimilis. Tum quia ordo flagellantium Papæ & Imperatori valde diſplicuit, contra quam ſectam Joannes Gerſon durante Concilio Conſtantienſi an. 1417. tractatum ſcripſit.

XXXX. Errorem iſtum ſufficienter reijciunt antiquorum Patrum doctrinæ & ſanctiſſimorum hominum exempla, quorum ſupra §. XII. meminimus. Lubet obiter ſolùm indicare, quod de ſancto Elzeario Comite ſcribit Surius in ejus vita 27. die Septemb. nempe quod, cum neſcio cujus noxæ periculum adijſſet, Chriſtus eum per totum carminis Davidici, quod quinquageſimum numeramus, decurſum, flagellis ceciderit. Ecce Chriſtus adhuc in iſta vita pro culpa levi ejúſque ſatisfactione flagellat S. Elzearium, cur noſmetipſi flagella nobis incutere nequeamus, ut pro gravioribus culpis & pœnis ſatisfaciamus? conditiones omnes ad condignam ſatisfactionem requiſitas & ſupra §. XII. recenſitas æquè flagellationes cæteræque corporis aſperitates habent, ac oratio, jejunium, & cætera pia opera pœnalia. Non igitur eſt negandum, omnia hæc DEO probari, ideóque & meritoria & ſatisfactoria eſſe.

XXXI. Reſpon. ad 1. probationem ex ſcriptura, flagellationem & diſciplinam non repugnare amori; quia DEUS homines præſertim electos amat, & quidem impensè; & tamen, *quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* proverb. 3. v. 12. Juxta D. Paulum igitur ad Ephes. 5. is, qui corpus flagellis caſtigat, non oſor, ſed ſyncerus illius amator eſt. Jſaiæ 58. non reijcit DEUS jejunium rite inſti-

 tutum?

tutum; ſed inter vitia & averſionem voluntatis à DEO ſuſceptum, ut bene declarat D. Hieronymus Lib. advers. Jovinianum; quomodo utique etiam flagellationes DEO non probabuntur. Coloſſens. 2. loquitur Apoſtolus de Lege Moyſaica & huic adhærentibus conſuetudinibus aut ſuperſtitionibus Phariſæorum, qui à certis quibus cibis tanquam immundis ſe abſtinebant. 1. Corinth. 9. verba D. Pauli præſertim adjunctâ interpretatione Patrum & Doctorum clara ſunt; cur ergo in eis ad tropum fugiam, hoc eſt, nodum in ſcirpo quæram, nullam rationem video; nec ſectarij quærerent, niſi diſciplinæ, hoc eſt, caſtigationis per verbera ſponte ſuſceptæ capitales hoſtes eſſent. Ad 2. probationem. SS. Patres & univerſa Catholica Eccleſia, quæ aſperrimam vitam & ſeveras Sanctorum caſtigationes flagellis, cilicijs &c. exercitas ſemper approbavit & laudavit, novit utique, quid ſanctiſſimæ Paſſioni ac meritis Chriſti injurioſum ſit, quid non. cur ergo toti huic Eccleſiæ & univerſis Patribus non potius fidem habeamus, quàm hæreticis heri natis & corporum ſuorum ac voluptatum mancipijs? Quidquid iſtis corporum cruciatibus apud DEUM obtinetur, ſit illud ex meritis & ſatisfactione Chriſti, ut jam ſæpe diximus. Taceo aſſumi durities has corporum non ſolùm ad ſatisfaciendum, ſed etiam carnem crucifigendam cum vitijs & concupiſcentijs. Gal. 3. v. 24. Ad 3. nullius momenti eſſe hanc conſecutionem: Ethnici hoc vel illud fecerunt. Ergo eſt illicitum. Alioquin multa reijci oporteret, quæ in ſe mala non ſunt, & ideo alio modo aliáque intentione rectè piéque fieri poſſunt. Gentiles utique ſacrificia obtulerunt, orationes fecerunt &c. Nos idcirco DEO non ſacrificemus? preces non offeramus &c? aut Populus Judaicus ideo non fuit auſus ſacrificia offerre DEO? Patres etiam probè noverunt hunc Ethnicorum morem, & tamen Chriſtianorum aſperitates & corporum caſtigationes non reprehenderunt. Ad 4. Veritates ſectariorum haud abſimiles eſſe mendacijs & fraudibus illorum ſacerdotum Baals. Quidquid fecerint iſti ſacerdotes Baals. Sancti Patres & univerſa Eccleſia nunquam improbarunt flagellationes cæteráſque corporis aſperitates; imò eaſdem ſemper magni æſtimarunt. Si diabolus aliquando Prædicantem ageret, ut fieri facilè poſſet, nunquid omnes prædicantes deſinere vellent, eſſe Prædicantes? Ad 5. & ultimam probationem, etiam nobis non placere flagellatores, non præciſè, quod flagellaverint ſe, ſed quod modum & rationem exceſſerint, ſimúlque in hæreſin inciderint, ut patet ex Gerſone allegato; quia in magno numero ex uno in alium locum ſe conferebant non abſque periculo ſeditionis ac tumultûs recuſantes obedire legitimo Magiſtratui: *conſtat per experientiam*, inquit Gerſon. part. 1. pag. 637. operum ſuorum, *quod taliter ſe flagellantes non curant de Sacramento Confeſſionis vel Pœnitentiæ Sacramentalis dicentes, quod hæc flagellatio potior eſt ad delenda peccata, quàm qualibet confeſſio.* Propter hæc & ſimilia Flagellantes meritò damnati omnibus diſplicuerunt.

:o: IHS. :o:

CONTROVERS. LXXVII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

VOcatur Sacramentum iſtud Extrema Unctio; tum quia per unctionē quandam confertur, tum quia eſt extremum omnium Sacramentum, & in extremo vitæ articulo adhibetur. Referunt nonnulli Authores, oleum in mare effuſum ſedare tempeſtatem. Veriùs ſacrum iſtud oleum ſedat fluctus tentationum à dæmone excitatarum in agone mortis, ubi maximè ſævit tempeſtas.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Extrema Unctio eſt verum propriéque dictum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Eſt de de Fide ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 1. *Siquis dixerit, Extremam unctionem non eſſe verè propriéque dictum Sacramentam à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à B. Jacobo promulgatum, ſed ritum tantùm à Patribus acceptum, aut figmentum humanum, anathema ſit.* Fundamentum hujus articuli præcipuum eſt D. Jacobus Apoſtolus cap. 5. ſuæ epiſtolæ v. 14. ſic ſcribens: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ubi omnia ad eſſentiam Sacramenti requiſita exprimuntur; ſcil. ceremonia ſeu ſignum ſenſibile, unctio olei cum oratione: pignus ſeu promiſſio gratiæ ad remittenda peccata: mandatum divinum; inducat presbyteros, & orent ſupereum. Unde formatur hic ſyllogiſmus. Omnis ceremonia Sacra, ſenſibilis, ſtabilis in pignus gratiæ inſtituta eſt Sacramentum. Sed extrema unctio eſt ceremonia ſenſibilis, ſtabilis, in pignus gratiæ inſtituta. Ergo &c. Et quamvis Jacobus nullam faciat mentionem inſtitutionis Chriſti, tamen ex ipſo loquendi modo facilè colligitur; neque enim auſus fuiſſet tam aſſeveranter promittere remiſſionem peccatorum, niſi ſciviſſet promiſſionem Chriſti, qui non dedit Apoſtolis poteſtatem inſtituendi Sacramenta, ſed ſibimet reſervavit.

II. Quando verò hoc Sacramentum Extremæ Unctionis fuerit inſtitutum, non convenit inter Doctores. Aliqui volunt inſtitutum fuiſſe Marci. 7. v. 3. ubi de Apoſtolis, ſic legimus *ungebant oleo ægros, & ſanabantur.* Alij putant inſtitutum fuiſſe in ultima cœna, ut habetur ex traditione Apoſtolica, licet in Evangelio non exprimatur, teſte Fabiano Papâ, qui ante annos 1200. ad Epiſcopos orientales ſcripſit, & juſſit eos, more Romano in cœna Domini novum chriſma conſecrare, & vetus comburere hoc argumento; *in illo enim die Dominus JESUS, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes (ſicuti à SS. Apoſtolis Pra*

lis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chryſma conficere docuit, Ubi nomine chryſmatis non ſolùm intellexit oleum balſamo mixtum, quale in confirmatione uſurpatur, ſed etiam ſimplex oleum infirmorum; nam & in cœna Domini renovari ſolet, ut conſtat ex epiſt. 1. Innocentij 1. Papæ cap. 8. Sed contra priorem ſententiam eſt. Tum quia per ſe ac primariò Sacramenta pertinent ad ſalutem animæ. At illa unctio, de qua loquitur Marcus, ſolùm pertinet ad ſanitatem corporis, ut ex contextu patet. Tum quia Apoſtoli promiſcuè ungebant quoslibet ægros, cæcos, claudos &c. At Sacramentum Unctionis non datur niſi illis, qui ſunt in periculo vitæ, item baptizati & fideles. Contra poſteriorem verò. Quia non eſt probabile, Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem conferendi extremam unctionem, antequam eiſdem conceſſerit poteſtatem remittendi peccata, & abſolvendi ab iſtis; ſiquidem Tridentinum Seſſ. 14. in doctr. de Sacramento Extremæ unctionis vocat Sacramentum hoc *conſummativum Pœnitentiæ*. Quare multo probabilius eſt, idem Sacramentum Extremæ Unctionis inſinuatum fuiſſe apud S. Marcum: dein promulgatum per S. Jacobum, ac demum inſtitutum fuiſſe à Chriſto poſt Reſurrectionem intra ſpatium illud 40. dierum, quibus Chriſtus cum Apoſtolis verſatus eſt. Actor. 1. v. 3. Primum & ſecundum punctum hujus doctrinæ apertè tradit Tridentinum Seſſ. cit. c. 1. tertium verò inſinuatur ab eodem per rationem ex illo adductam. Et apertè idem docent Suarez D. 39. ſect. 2. Tanner Diſp. 7. de Ext. unct. Q. 1. n. 8. & alij. Non obſtat, in cœna Dominum docuiſſe Apoſtolos chryſma, & etiam oleum infirmorum conficere; ex hoc enim plus non ſequitur, quàm diſpoſitionem ac præparationem ibidem ad hoc Sacramentum præceſſiſſe.

III. *Doctrina ſecunda.* Materia remota hujus Sacramenti eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum: proxima verò eſt unctio in certis partibus. Prima pars eſt indubitata apud Theologos, & definitur à Tridentino c. 1. ſumitúrque ex cit. loco S. Jacobi; ſiquidem oleum ſimpliciter dictum conſueto uſu loquendi ſignificat oleum propriè olivarum, non autem oleafictitia è varijs herbis per medicos expreſſa. Ratio conveniens deſumitur ex effectibus & ſignificationibus olei, quod & pacis ſeu tranquillitatis ſymbolum eſt Genes. 8. v. 11. & pinguedinem gratiæ ac Spiritûs Sancti denotat juxta. D. Gregorium L. 4. in 1. Regum c. 4. Atque olim ab Athletis certaturis adhibebatur. Altera pars traditur à Concilio Florentino Seſſ. ult. Unionis, & Tridentino loc cit. ubi abſolutè pro materia hujus Sacramenti conſtituitur oleum ab Epiſcopo benedictum, quâ ratione de aqua baptiſmi non loquuntur. Unde communiter docent Theologi, hoc oleum benedictum eſſe non ſolùm de præcepto, ſed etiam de neceſſitate Sacramenti. Ratio convenientiæ eſt, quia cum oleum ad effectum Sacrum & ſublimem adhibeatur; neque tamen id Sacramentum adeo omnibus neceſſarium ſit ad ſalutem, conveniens erat, ut ex ipsâ Chriſti inſtitutione virtute Chriſti per ſupremos Miniſtros ad inferiores derivatâ ab Epiſcopo prius benediceretur, quàm ad uſum Sacramenti adhiberetur. Non refert, à Jacobo ſolùm requiri oleum, non autem benedictum. Quia ex uſu & traditione Eccleſiæ habemus, Apoſtolum non ſimplex, ſed benedictum oleum loc. cit intellexiſſe. Ultima pars eſt communis Doctorum. Tum quia Jacobi cit. loc dicitur: *ungentes oleo.* Tum quia Trident. Seſſ. 14. c. 1. ſic habet: *intellexit enim Eccleſia, materiam* (nempe remotam) *eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum*; *nam unctio* (utique velut materia proxima) *aptiſſimè Spiritus Sancti gratiam, quâ inviſibiliter ægrotantis anima inungitur, repræſentat.* Tum quia aliàs unctio ipſa quaſi poſt confectum jam Sacramentum validè & efficaciter à quolibet Miniſtro applicari poſſet.

IV. Cæterùm unctio olei (quod illius anni novum eſſe debet) à ſacerdote ex conſuetudine fit per modum Crucis, licet id non ſit de neceſſitate Sacramenti, ſicuti nec invocatio ſanctiſſimæ Trinitatis. Hanc unctionem in ſeptem partibus corporis fieri poſſe, ſcil. auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, & renibus, colligitur ex Florentino. Sed in renibus ſaltem fœminæ non unguntur ob decentiam, nec ubique fit unctio in pedibus. Quinque autem priores ſunt haud dubiè de neceſſitate præcepti, ut conſtat ex conſtanti uſu univerſalis Eccleſiæ, à quo in re gravi nefas eſt diſcedere. An etiam ſint de neceſſitate Sacramenti, in dubium vertitur? Affirmativa ſententia videtur probabilior. Tum ex recepta conſuetudine in Eccleſia. Tum ex conſenſu communi Theologorum. Tum quia Sacramentum hoc ſignificat perfectam ſanationem hominis, ad quam fuit ordinatum; iſta autem integra ſanatio perfectè non repræſentatur, niſi per unctionem quinque ſenſuum, qui ſunt veluti radices morborum ſpiritualium. Videri poteſt Tanner Tom. 4. Diſp. 7, Q. 1. cit. n. 6.

V. *Doctrina tertia.* Forma hujus Sacramenti eſt deprecatoria, quâ Sacerdos infirmis auxilium & miſericordiam à DEO precatur, ut conſtat ex cit. verbis Apoſtoli Jacobi, qui licet ſpecialem formam unctionis non præſcripſerit, tamen Eccleſia declaravit hanc formam: *Per iſtam ſacram unctionem, & per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquiſti per viſum &c.* Et ſic de reliquis. Dubitatur. An neceſſe ſit, formam hujus Sacramenti eſſe deprecativam? Negant aliqui, quos ſequi videtur Becanus de hoc Sacramento q. 4. Affirmant communiter cæteri. Tum ex Concilijs Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino c. 1. cit. Tum ex perpetuo uſu Eccleſiæ atque hujus traditione. Tum quia ſic voluit Chriſtus, ut colligit Eccleſia ex verbis Jacobi c. 5. cit: *orent ſuper eum.* Non obſtat, Formam Ambroſianam & venetam non eſſe deprecativam: item Baptiſmi & Pœnitentiæ Formam à D. Auguſtino & Leone 1. vocari *ſupplicationem Sacerdotis.* Nam Forma Ambroſiana & veneta ſolùm ut præparatoria fuit adhibita. Baptiſmi autem & Pœnitentiæ Forma non niſi virtualis & impropria deprecatio vocatur. videatur Palao de Extr. unct. Diſp. unica. pun.4. num. 1.

VI. *Doctrina quarta.* Subjectum capax hujus Sacramenti eſt homo hiſce conditionibus affectus. 1. debet eſſe Chriſtianus & baptizatus; quia abſque baptiſmo nemo eſt capax ullius Sacramenti recipiendi, ut docuit Florent. in decreto Eugenij. 2. viator; quia Sacramenta ſolùm pro viatoribus ſunt inſtituta; unde in dubio, an inungendus adhuc vivat ſub conditione ſaltem mente retentâ adminiſtranda eſt unctio, ut docet Lay-

cet Layman L.5. Tr. 8. cap. 8. n. 2. & communiter alij. 3. adultus, hoc eſt, qui rationis uſum vel habeat, vel aliquando habuerit; quia infantes aut perpetuò amentes hujus Sacramenti capaces non ſunt, ut inſinuant verba illa Jacobi: *Infirmatur quis, inducat presbyteros:* item *ſi in peccatis ſit, remittentur illi*; etenim infans nec peccare nec vocare presbyteros poteſt, ſicut etiam amens perpetuò. Non inferri hinc poteſt, ijs etiam non concedendum hoc Sacramentum, qui actu non habent rationis uſum, etiamſi habuerint. Nam ſufficit apud iſtos habitualis petitio, & quæ aliquando præceſſerit, quæ præſumitur ex eo, quod infirmus chriſtianè vixerit. Pueris quoque ſufficientem uſum rationis habentibus non neganda extrema unctio, tametſi ſacram Euchariſtiam non percipiant, cum inde nonnunquam ſalus illorum dependere poſſit. 4. debet infirmus eſſe; quia illi, qui bene valent, poſſunt agere pœnitentiam; hoc autem Sacramentum eſt ſpecialis miſericordia, quæ exhibetur ægrotis, qui pœnitentiam agere, & ſatisfactionem externam ſubire non valent. 5. graviter infirmus, ita ut medicorum judicio periculum ſit vitæ. Ita Florent. An. 1438. ſub Eugenio IV. dicens, *hoc Sacramentum non niſi infirmo, & de cujus morte timetur, dari debet*; quod ipſum fuſius tradit Tridentinum Seſſ. 14. cit. c. 3. Unde hoc Sacramentum miniſtrari non poteſt damnatis ad ſupplicia, parturientibus mulieribus, pugnantibus in bello periculoſo, aut committentibus ſe certo vitæ diſcrimini ex quavis alia cauſa; poteſt tamen adminiſtrari ſenibus, quia ſenectus ipſa eſt morbus. 6. non excommunicatus. 7. denique debet ſciens non eſſe in peccato mortali, ſed prius confiteri, ſi poteſt, ut abſolvatur. Porro quamvis hoc Sacramentum iterari poſſit, non tamen in eadem infirmitate & periculo. Quodſi ægrotus convaluerit, & poſtea iterum incidat in tale periculum, poteſt reiterari, nec exſpectandum eſt, ut ægritudine amittatur uſus ſenſuum; hoc enim pertinet ad abuſum potius, quàm ad rectum uſum hujus Sacramenti.

VII. *Doctrina quinta.* Miniſter hujus Sacramenti validè adminiſtrandi eſt ſolus Sacerdos. Ita Concilium Florentinum in decret. Eugenij, & Tridentinum Seſſ. 14. can. 4. colligitúrque apertè ex illo Jacobi 5. v. 14. *Inducat Presbyteros.* Nam quamvis Presbyter ſecundùm græcam etymologiam ſignificet ſeniorem, & ſic nonnunquam in Scriptura uſurpetur; tamen hic pro Sacerdote accipiendum definit Concilium Tridentinum can. 4. cit: *Siquis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus inducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis civitate, ob idque proprium Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit.* Atque hunc ſenſum D. Jacobi ex Apoſtolica traditione per manus acceptaEccleſiam didiciſſe, teſtatur idem Tridentinum c. 1. Non obſtat Innocentius I. Epiſt. ad Decentium aſſerens, non ſolùm Presbyteris, ſed omnibus etiam Chriſtianis licitum eſſe, uti ſacro oleo in ſua & ſuorum neceſſitate ungendo. Quia vel non loquitur de unctione Sacramentali, ſed de unctione pia & devota, ut cum aliquibus ſentit Valentia Tom. 4. Diſp. 8. Q. 2. pun. 1. vel non de uſu activo hujus Sacramenti ſeu de adminiſtratione, ſed de uſu paſſivo, hoc eſt, de illius ſuſceptione, ut cum alijs docet Coninck D. 19. dub. 8. num. 27. Congruentia doctrinæ noſtræ eſt. Quia hoc Sacramentum eſt perfectius Sacramento Pœnitentiæ, utpote hujus conſummativum & ſuccurrens homini in majore neceſſitate. Ergo Miniſter illius non debet eſſe inferioris ordinis: quia verò eſt imperfectius Confirmatione & Ordine, ideo non requirit Epiſcopalem dignitatem. Deficiente Parocho poteſt quilibet alius Sacerdos licitè conferre, quia in tali caſu cenſetur adeſſe tacita Parochi licentia, aliàs irrationabiliter cenſeretur invitus. Jubet quidem D. Jacobus vocare presbyteros in plurali numero, quaſi unus ad miniſterium hoc non ſufficeret; ſed utitur plurali numero pro uno ex pluribus juxta morem Scripturæ, ſic enim Matth. 27. v. 44. dicuntur Latrones in cruce Chriſto improperaſſe, id eſt, unum ex latronibus; alter enim bonus illum defendit, & ſocium maledicum reprehendit. Quodſi periculum foret, ne infirmus ante moreretur, quam ab uno Sacerdote integrè inungeretur, probabilius eſt, poſſe plures ſimul hoc Sacramentum conferre, & diverſarum partium unctiones, & correſpondentes formas. Sed de hoc Theologi morales.

VIII. *Doctrina ſexta.* Effectus hujus Sacramenti varij ſunt, ut conſtat ex Trident. in proœmio. 1. eſt Augmentum gratiæ ſanctificantis, quam præſupponit in ſubjecto. Quia hoc Sacramentum non eſt mortuorum, ſed vivorum. Unde ſi æger ſit conſcius ſibi peccati mortalis, debet illud prius per pœnitentiam expiare; Nam impœnitentibus non conferendam extremam Unctionem, ait Innocentius I. epiſt. 1. cit. c. 8. Putant aliqui gratiam ſanctificantem, quatenus eſt ex divina inſtitutione remiſſiva peccatorum venialium, eſſe præcipuum hujus Sacramenti effectum. Sed malè; quia primarius & præcipuus effectus hujus Sacramenti non conceditur ſub conditione, ſed abſolutè, cùm ſit infallibilis & certus non ponentibus obicem. At per accidens eſt, quod recipiens extremam unctionem in peccatis exiſtat.

IV. 2. eſt Collatio primæ gratiæ ſanctificantis, ſi æger vel per ignorantiam, vel propter defectum rationis non poterit confiteri, tunc enim per accidens extrema unctio confert primam gratiam ſanctificantem, & peccatum mortale delet, ut dictum in Controvers. de Sacrament. in genere, modò præceſſerit aliqua ſaltem generalis attritio, ſicut præſumitur de Catholicis repentino periculo oppreſſis. Unde multi per Extremam Unctionem ſalvantur aliàs damnandi, ut planè non negligendus ſit ejus uſus. Dicet forſan aliquis, Tridentinum effectus hujus Sacramenti enumerans primo loco ponere peccatorum remiſſionem: *Gratia,* inquit, *Spiritûs Sancti, quæ delicta, ſiqua ſunt expianda, abſtergit.* Aio, Concilium non loqui de effectu, qui per formam abſolutè ſignificatur, ſed de eo ſolùm, qui ſub conditione & quaſi præter intentionem, ut recèns dictum.

X. 3. Igitur effectus & primarius hujus Sacramenti eſt Gratia habitualis non utcunque ſed ſecum infallibiliter trahens auxilia & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, confirmatur, & roboratur ad ultimam eamque periculoſiſſimam luctam cum dæmone, qui in fine vitæ vehementiſſimè oppugnat (non raro viſibili etiam ſpecie) præcipua fundamenta ſalutis fidem ſpem & charitatem ſuggerendo dubia contra fidem, deſperationem de miſericordia DEI, odium proximi, aut vanam fiduciam in proprijs meritis. Quemadmodum igitur corpus per Spiritus vitales

ex cibo

Google

ex cibo & potu genitos roboratur ad labores & pugnas, ſic animus per bonas cogitationes & affectus à Spiritu Sancto ſuppeditatos (qui vocantur actuales gratiæ) confirmatur ad ſuſtinendos morbi dolores, & vincendas dæmonis tentationes, quam D. Jacobus vocat alleviationem. Itaque primarius & præcipuus Effectus hujus Sacramenti eſt finalis perſeverantia in Gratia ſanctificante uſque ad mortem, unde dependet ſalus æterna; *qui enim perſeveraverit uſque ad mortem, hic ſalvus erit* Matth. 10. v. 22. Videatur Trident. Seſſ. 14. in proœmio. Dixi effectum eſſe gratiam habitualem ſecum trahentem auxilia &c. quod intelligi debet, quando æger illis auxilijs indiget; ſecus ſi illorum eſt incapax, vel quia eſt phreneticus, vel quia ſenſibus deſtituitur &c.

XI. 4. denique effectus hujus Sacramenti eſt Sanitas corporis juxta promiſſum D. Jacobi loc. cit. quod frequens experientia probat. Nam multi ægroti à Medicis deſperati per hoc Sacramentum repente ſibi reſtituti ſunt. Hæc tamen Sanitatis promiſſio cum tacita conditione eſt intelligenda, ſi longior vita ſaluti animæ conducat, ut exponit Tridentinum Seſſ. 14. c. 2. Unde etiam effectus iſte proprius quidē eſt, ſed ſecundarius. Sotus in 4. Diſt. 23. Queſt. 1. art. 2. putat, hoc Sacramentum nunquam habere effectum, prout expedit animæ, ſed prout vis morbi eum admittit, ut proinde ſanitas non ſit effectus ſolius Sacramenti, ſed etiam coöperantis naturæ. Ratio ipſius eſt præcipua, quia ſæpe moriuntur, qui ſi viverent, meliores exiſterent: alij vivunt, qui deteriores fiunt. Ergo Extrema unctio non concedit ſanitatem, cum expedit. Verùm hæc opinio adverſatur tum communi ſententiæ Theologorum, tum Concilijs Florentino & Tridentino definientibus, iſtud Sacramentum interdum concedere ſanitatem corporis, videlicet quando animæ expedit. Ratio ſumitur ex inſtitutione Chriſti pro benignitate ſua volentis totam homini ſanitatem conferri. Nec dici ſine abſurdo poteſt, virtutem Sacramenti ita limitatam eſſe, ut gravitatem morbi ſuperare nequeat, cum virtute ſupernaturali operetur. Ad rationem adductam dicimus, incertum eſſe, an illi, qui moriuntur, meliores forent; & eſto, meliores futuri eſſent; tandem mutarentur: quod verò alij vivant, qui deteriores evadunt; non inde infertur, ſanitatem illis ex Sacramento obveniſſe, cum ex naturalibus cauſis illam obtinere potuerint. Adhæc pro aliquo tempore ſanitas corporis ſaluti animæ expedire potuit, ob eámque cauſam vi Sacramenti concedi, tametſi occurrentibus tentationibus fructus ille amittatur; etenim, ut benè notat Suarez D. 41. ſect. ult. n. 5. neceſſum non eſt, ut fructus ſpiritualis, ob quam corporis ſanitas vi Sacramenti conceditur, ſit perpetuus per totam vitam, ſed ſecundùm ordinem diſpoſitionis divinæ. Videri poſſunt Ferdinandus de Caſtro Palao, & alij Theologi Morales.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETICORUM.

XII. *Error primus.* Extrema Unctio non eſt in numerum Sacramentorum admittenda. Ita poſt antiquiores aliquos hæreticos Lutherus Lib. de captivit Babyl. cap. de Extrema unctione, quem ſequuntur hodie communiter Lutherani apud Gerhardum in Confeſſ. Auguſtana Lib. 2. P. 3. à fol. 191. Item Calvinus, qui non ſolùm negat hoc Sacramentum, ſed multis modis ſubſannat Lib. 4. c. 19. §. 18. aiens: tertium Sacramentum eſt extrema unctio &c. Et poſt pauca: *ejuſdem rationis eſt iſta unctio, cujus eſſe manuum impoſitionem ſupra demonſtravimus, hiſtrionica hypocriſis.* Fundamentum Lutheri & ſuorum eſt, quod in Sacra Scriptura Extrema unctio non reperiatur; Nam Epiſtolam illam S. Jacobi dicunt non eſſe canonicam; nec inter libros ſacros numerandam, cum multi olim Patres de ejus authoritate dubitarint. Addit Gerhardus fol. 193. nullum extare exemplum, quod Sancti viri in extremis agentes oleo injungi voluerint. Calvinus cap. cit. §. 21. ait: Sigebertum in chronico referre, hoc Sacramentum ab Innocentio 1. fuiſſe inſtitutum.

XIII. Errorem hunc univerſa reijcit Eccleſia Latina & Græca; quia etiam iſta ſemper agnovit Extremam Unctionem tanquam verum Sacramentum etiam poſtquam ab Eccleſia Romano-Catholica defecerat; quod evidens eſt argumentum; ab antiquis Sanctis Patribus doctrinam hanc Græcos accepiſſe; quod ipſum fatetur apertè Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus Reſpons. 1. cap. 7. ubi enumerat ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & dicit; non eſſe plura & pauciora, & inter illa Extremam unctionem recenſet, de qua ſic ſcribit: *Sacrum verò oleum & hoc nobis eſt traditum, & ipſum eſt divinum Sacramentum; divina nobis miſericordia typum repræſentans, quod in redemptionem & Sanctificationem illis, qui à peccatis convertuntur, conferri ſolet, multis infirmitatibus nos ſublevat, eóſque, qui illo dignè utuntur, ſanctificat &c.* hæc ille. Unde cum S. Auguſtino Epiſt. 118. dicimus: *ſiquid per orbem frequentat Eccleſia, hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare; inſolentiſſima inſania eſt.* Conſtat autem, quod non tantùm hodie per univerſum orbem Latinum & Græcum hoc verum Sacramentum frequentetur; ſed jam in antiqua tota Eccleſia ſemper frequentatum fuerit, nec aliud ejus initium, quàm à tempore Apoſtolorum fuiſſe, oſtendi poteſt. Inſolentiſſima igitur inſania & blaſphemia eſt Sectariorum, hoc Sacramentum negare; imò etiam ut hiſtrionicam hypocriſin ſubſannare.

XIV. Reſpon. ad fundamentum Lutheri & ſuorum adhærentium; hæreſiarcham iſtum poſt tot ſæcula, & contra tantam authoritatem atque univerſæ Eccleſiæ conſenſum D. Jacobi Epiſtolam impudenter oppugnare, contemptim ſtramineam appellare, & ex canone ſacrorum librorum impiè extirpare. Dubitârunt quidem olim de illa nonnulli Patres, ſed hæc dubitatio non fuit diuturna, ſed tantùm duravit uſque ad Concilium Carthaginenſe III. provinciale quidem, ſed confirmatum in VI. Synodo generali, ubi can. 47. *Placuit,* inquit, *ut præter Scripturas canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ Geneſis &c. (Epiſtola) Jacobi una.* Hunc canonem accepit Concilium ab Innocentio I. Pontifice, qui vixit an. Chr. 402. Et deinceps eundem omnes Patres tenuerunt humiliter prædicti Concilij decreto ſe ſubmittentes, ſicuti etiam alij omnes boni Catholici acquieverunt, uti ſupra jam in Controv. de SS. Scripturis diximus. Quare Lutherus

therus canonicam hanc Epiſtolam D. Jacobi appellando ſtramineam, dignus profectò eſt, qui ob ſuam blaſphemiam non inſtar ſtraminis citò conflagret, ſed æternùm vratur & nunquam comburatur. Ad id, quod adjecit Gerhardus, dicimus, non extare ejuſmodi exempla, quia non ſcribuntur res notiſſimæ & quotidianæ. Ad Calvini additamentum negamus, Innocentium I. inſtituiſſe Extremam Unctionem, ut ſatis apertè ex ipſius patet verbis. Sed etiam ipſe Sigebertus id non dicit, ſed ſolùm refert verba Innocentij. Et ſi quoque Sigebertus longè poſterior id de Innocentio ex falſa ſua opinione dixiſſet, quid ad rem iſtud? cum veritas ex ipſomet Innocentio & tot aliorum Patrum teſtimonijs conſtet, quæ videri poſſunt apud Vetweis in Specul. Eccl. fol. 818.

XV. *Error ſecundus.* Extrema Unctio, prout à Papiſtis exercetur & adſtruitur, non convenit cum epiſtola D. Jacobi. Ita hodierni Calviniſtæ, qui concedendo epiſtolam D. Jacobi eſſe canonicam contendunt, eam nobis non patrocinari ob multiplex, inquiunt, diſcrimen, quod inter unctionem à S. Jacobo deſcriptam, & noſtram Extremam unctionem intercedit. Nam 1. Jacobus generatim omnes infirmos inungi jubet: Papiſtæ ad moribundos reſtringunt. 2. Jacobus exigit plures Presbyteros: Papiſtæ unicum ſufficere arbitrantur. 3. Jacobus nomine Presbyterorum intelligit ſeniores judicio pollentes, qui diſcernere valeant, an expediat, miraculoſam ſanitatem expetere, ne DEUS tentetur: Papiſtæ ſolos vocari volunt Sacerdotes, qui ſubinde ſunt adhuc juvenes, indiſcreti, ſine judicio &c. 4. Jacobus contentus eſt quâlibet oratione ex fide profecta: Papiſtæ certa verba requirunt, eiſque divinam miſericordiam alligant. 5. Jacobus non determinat certam partem corporis, quæ oleo inungatur: Papiſtæ certa membra & ſenſuum organa determinant; & quàm ridiculum eſt, cæco dicere, quidquid deliquiſti per viſum, cum nihil unquam viderit? 6. Jacobus non exigit oleum benedictione Epiſcopali conſecratum: Papiſtæ exigunt, & oleum prius exorcizari volunt, quaſi à dæmone poſſideretur, eóque tam feroci, ut non niſi ab Epiſcopo expelli poſſit. 7. Jacobus omnem vim ſanitatis & remiſſionis peccatorum precibus adſcribit: Papiſtæ oleo tribuunt egeno elemento. 8. Jacobus ad effectum harum precum requirit fidem, quâ certò credamus, nos impetraturos, quod petimus: Papiſtæ talem fidem non habent, ſed de effectu dubij hærent. 9. Jacobus ſuadet unctionem ad vitam prolongandam: Papiſtæ ijs tantùm adhibent, quos certò morituros credunt abſque ulla ſpe ſanitatis. 10. Jacobus generatim loquitur de peccatis remittendis: Papiſtæ reſtringunt ad peccata ſenſuum, quidquid deliquiſti per viſum. 11. Jacobus nomine alleviationis intellexit crectionem corporis, ut indicat græcum verbum ἐγερεῖ, nempe redditis cruribus, ut infirmus poſſit è lecto ſurgere: Papiſtæ neſcio quem reliquiarum peccati expunctionem ſignificatam volunt. Hinc inferunt Calviniſtæ, unctionem, de qua S. Jacobus fuit locutus, non eſſe Sacramentum, ſed vel naturalem medicaminis applicationem, vel miraculoſam curationem, de qua Marc. 6. cit. quæ tamen gratia Apoſtolis conceſſa pridem ceſſaverit. Addit his Ameſius Tom. 3. fol. 243. argumentum 12. cur Unctio Extrema non ſit Sacramentum, quia non habet effectum infallibilem more aliorum Sacramentorum.

XVI. Errorem hunc, quod Extrema Unctio non ſit verè propriéque dictum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & à S. Jacobo c. 5. cit. promulgatum, ſed neſcio quid aliud inferius, reijcit & damnat Eccleſia Catholica in Concilijs Tridentino, Florentino, Vienneſi, Lateranenſi, Moguntino ſub Rabono, Aquiſgranenſi, Melidenſi, Wormatienſi, Cabilonenſi, & Niceno 1. in Arabic. can 68. Conſentiunt Patres, quorum copioſum indicem texuit P Nicolaus Serrarius in Diſp. de Extrema Unctione theſ. 20; quod certè omni pio Catholico viro ſufficere poteſt, & debet contra omnes inſultus, quos frivolis ſuis rationibus attentant Novatores, ad quas ex dictis abunde patet. Ne tamen in ulla illarum vis aliqua eſſe videatur, ſingularum inanitatem breviter oſtendemus.

XVII. Reſpon. igitur ad 1. D. Jacobum nomine infirmitatis non quamlibet, ſed periculoſam & lethalem morbum intellexiſſe, ut diximus. Ad 2. nomen plurale Presbyterorum pro ſingulari accipi juxta phraſin ſcripturæ, ſicuti Chriſtus Luc. 17. v. 14. dixit Leproſis: oſtendite vos ſacerdotibus, id eſt, ſacerdoti uni Ad 3. nomen Presbyteri variè ſumi in ſcriptura, modò pro ſenioribus, modò pro ſacerdotibus, ut oſtendit Card. Bellarminus Lib. 1. de Clericis c. 14. & 15. Hic autem pro ſacerdotibus accipiendum, declaravit Eccleſia per Apoſtolicam traditionem edocta, cui favet materia ſubſtrata, quia remiſſio peccatorum ad ſacerdotes ſpectat, quibus humanæ ſalutis cura incumbit, non Laicis juxta id Malachiæ 2. v. 7: *Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ad 4. formam extremæ unctionis ab Eccleſia præſcriptam non eſſe huic Sacramento eſſentialem, ſed ſufficere verba æquivalentia. Et quamvis D. Jacobus certam orandi formulam non præſcripſerit, tamen utique intellexit fini accomodatam orationem, quâ ſcil. petatur remiſſio peccatorum. Unde verba illa: *& ſuam miſericordiam piiſſimam*, quæ habentur in Florentino, videntur eſſentialia; eoipsò enim, quod ſacerdos dicat, indulgeat tibi DEUS, ſatis poſtulat miſericordiam divinam, quâ nititur deprecatio, quia DEUS ex miſericordia ſua peccatoribus veniam concedit. Ad 5. velle quidem aliquos Theologos non improbabiliter, determinationem certarum partium corporis oleo inungendarum non eſſe eſſentialem, ſed ſufficere cujuslibet membri inunctionem v.g. frontis, modò congrua forma adjungatur: alios verò Doctores comunitet velle, quinque organa ſenſuum eſſe inungenda, quos ſupra §. IV. ſecuti ſumus, quia hoc tenet recepta in Eccleſia conſuetudo. Neque abſurdum eſt, cæcis poſtulare veniam peccatorum per viſum commiſſorum; licet enim actuali viſione non peccaverint, potuerunt tamen peccare illicito deſiderio videndi, ſicuti Eunuchi impotentes fornicari, poſſunt peccare deſiderio fornicandi Eccleſiaſt. 20. v. 2. *concupiſcentia ſpadonis devirginavit juvenculam.* Ad 6. benedictionem Epiſcopalem olei non eſſe, eſſentialem huic Sacramento, docere quidem aliquos, quos ſequitur Serrarius theſi 83. in Diſp. de Extrem. unct. Sed oppoſitam ſententiam tanquam probabiliorum

biliorem ſupra §. 3. dedimus. Neque idcirco exorzizatur oleum, quaſi à dæmone poſſideretur, ſed quod eo, ſicuti & alijs creaturis, ad noſtram pernitiem abuti diabolus ſoleat, niſi à Deo prohibeatur, ideo per exorzismos jubetur DEI nomine illo abuſu abſtinere. Ad 7. Sicuti remiſſio peccati originalis Sacramento Baptiſmi: & actualium Pœnitentiæ adſcribitur, ita remiſſio reliquiarum peccatorum extremæ unctioni tribui, à quo Sacramento preces hocipſo non excludimus, quod juxta D. Jacobum. formam deprecativam requiramus. Cæterùm quidam Theologi reliquias ex peccato originali vocant inclinationem ad malum, & difficultatem ad bonum: ex actuali verò phantaſma, vel habitum, quibus redditur vitium facilè, & virtus difficilis; has reliquias tolli volunt, dum per hoc Sacramentum conceditur robur medijs auxilijs excitantibus, per quæ difficultates prædictæ ſuperantur, Alij malunt reliquias illas dicere peccata mortalia, aut venialia poſt cætera Sacramenta relicta: item torporem, mœrorem, & anxietatem ex peccatis relinqui ſolita; quo modo acceptæ reliquiæ etiam per gratiam Sacramentalem tolluntur.

XVIII. Ad 8. nos credere, quod extrema unctio ſit verum Sacramentum Novæ legis à Chriſto inſtitutum, & firmiſſimè confidere, ejus nos effectum obtenturos, ſi illud rite piéque ſuſcipiamus: Fiduciam illam Lutheranorum, in cujus excitatione & roboratione totam Sacramentorum efficaciam ipſi ponunt, tanquam inanem alibi jam rejecimus. Ad 9. utrumque fieri ſub diverſa ratione, in ordine ad ſanitatem corporis reſtituendam, ſi hæc expediat æternæ animæ ſaluti: in ordine ad felicem egreſſum, ſi DEO viſum ſit, filum vitæ rumpere. Ad 10. Cum omne peccatum ſit libera præcepti tranſgreſſio, nullum propriè à ſenſibus committi, in iiſque ſubjici poſſe, ſed cauſam immediatam, & ſedem ejuſdem ſolam eſſe voluntatem, quæ formaliter & unicè libera eſt; inunguntur tamen ſenſus, & fit deprecatio eorum, quæ homo per ſenſus deliquit, quia peccata per ſenſus veluti per primas portas ingrediuntur, & per alias potentias ſe inſinuando tandem à voluntate admiſſa committuntur. Ad 11. D. Jacobum non de corporali ſed ſpirituali erectione fuiſſe locutum, ſicuti ſupra §. X. diximus. Ad 12. denique additamentum Ameſij, promiſſionem abſolutam non eſſe de ſanitate corporali, ſed de gratia Sacramentali, hoc eſt, de gratia Sanctificante trahente ſecum auxilia, & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, ut ſupra diximus, qui effectus eſt etiam infallibilis, niſi obex ponatur. Urget idem fol. 244. contra effectum hujus Sacramenti, quem diximus eſſe, reliquias ex peccatis tollere; abſterſio, inquit, peccati quoad culpam in Pœnitentia Extremam Unctionem antecedente habetur: abſterſio autem quoad pœnam vel ſatisfactionem vel indulgentiam juxta Papiſtas requirit. Dicimus, per hoc Sacramentum remitti peccata mortalia ea tantùm, quorum quis conſcientiam non habet ſive ob oblivionem ſive ob morbi gravitatem; etenim illa, quorum ſcientiam habet, debent Sacramento Pœnitentiæ expiari. Conducit itaque tunc, quando quis ad remiſſionem peccati mortalis jam quidem fuit confeſſus & communicavit, attamen id non rite peregit, & quidem præter advertentiam illius: aut certè rectè utrumque fecit, ſed poſtmodum peccato ſe lethali, quod ſupplicio æterno luendum foret, obſtrinxit, ſed hoc quoque non conſiderat, & ad illud non advertit. Et hoc inſinuat S. Jacobus c. 5. v. 11. ajens: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Declarat verò Tridentinum Seſſ. 14. c. 2. inquiens: *Unctio Spiritûs Sancti delicta, ſiquæ ſunt adhuc expianda, abſtergit.* Quodſi lethalia etiam peccata modo prædicto remittuntur in hoc Sacramento, multò magis venialia, quæ ſunt reliqua. Unde etiam iſtud Sacramentum idem Tridentinum in proœmio ad Extrem. Unctionem vocat conſummativam totius vitæ Chriſtianæ.

CONTROVERS. LXXVIII.

DE INDULGENTIIS.

HÆc eſt materia, quam non malè dixerim Petram Scandali; ex ea enim Martinus Luther perverſionis ſuæ ſumpſit initium, & poſtea ſuſque deque vertendo omnia maximo Eccleſiæ & Germaniæ damno in hæreſiarcham peſtilentiſſimum evaſit. Nam cum ordo Eremitarum S. Auguſtini, (in quo ipſe Monachum egit doctrinâ & eloquentiâ non incelebris) per multos annos in Moguntina Archidiœceſi ſacras indulgentias promulgare conſueviſſet: anno autem Domini 1517. Albertus Margravius Brandenburgenſis Archiepiſcopus Moguntinus Elector & S.R.E. Cardinalis illarum indulgentiarum promulgationem Ordini S. Dominici commiſiſſet, id adeo ſenſit Lutherus, ut ſuperbiâ, ambitione, irâ, & invidiâ ſtimulatus ceperit publicè eas carpere, vilipendere, & dicterijs traducere, nec ab hac audacia & impietate ſua deſiſtere, uſque dum alia, ex alijs in Eccleſia Romano-Catholica reprehendere, contemnere, & abjicere fuerit auſus ac tandè contumax Religionem ſimul ac Fidem abjecerit, ipſam quoque Eccleſiam è culmine ſuo dejecturus, ſi turpiſſimus Apoſtata id potuiſſet. Videri poteſt Floremundus Remundus in hiſtoria hæreſum à fol. 36. Tractant Authores de Indulgentijs communiter poſt Pœnitentiam; ſed quia etiam Extrema unctio ad reliquias ſaltem peccatorum tendit tollendas, utrique ſubjungimus eaſdem, poſtquam enim homo per utrumque Sacramentum à peccatis æternóque cruciatu ſit liber, à temporali quoque pœna per Indulgentias ſolvitur.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. INdulgentiæ Nomen non ſumitur hic pro conniventia, ſed remiſſione alicujus debiti; quo modo uſurpatur tum in Scriptura, quando DEUS indulgere peccatoribus dicitur, tum à Patribus Hieronym. in cap. 4. Danielis, Auguſtino in Pſal. 101. & alijs, ut proinde Eccleſiaſtico uſu Indulgentia idem ſit ac relaxatio, condonatio, venia &c. alicujus debiti.

Digitized by Google

pœnitentibus concederetur, nullo utique ipſorum damno ſed fructu, ut videre eſt apud Tertullianum lib. ad Mart. c. 1. & Cyprianum lib. 3. Epiſtol. 15. Eademque relaxandæ ſeu imminuendæ pœnitentiæ publicæ ratio pro pœnitentium diſpoſitione etiam in Concilio Nicæno ſtatuta eſt can. 11. vel. 12.

VI. Porro ad valorem Indulgentiæ ex parte dantis neceſſaria eſt cauſa juſta. Ut autem juſta ſit, debet eſſe vel adæquata, vel proportionata; juſtum quippe non eſt, niſi aliquo modo rei adæquetur, vel proportionetur. Ita Cardinal. Bellarminus Lib. 1. de Indulgent. c. 12. Suarez in 3. Part. Tom. 4. D. 54. Sect. 3. Tanner Tom. 4. D. 6. Q. 8. dub. 4. & plerique alij Doctores. Non videtur tamen improbabile, quod ſentit Valentia Tom. 4. D. 7. Q. 20. pun. 4. ad valorem indulgentiæ ſufficere quamcunque cauſam piam, etſi concedens ex indiſcretione aliqua aut ratione ſcandali peccare poſſit. Ratio eſt. Tum quia eædem Indulgentiæ frequenter pro cauſis admodum diverſis conceduntur: nec præſumi debet, id temere fieri à ſummis Pontificibus. Tum quia Chriſtus & Sancti minimam gloriam divinam, quæ ex opere quocunque pio & utili Fidelium redundare poteſt, pluris faciunt, quàm quodlibet opus ſatisfactorium, ut præciſè ſatisfactorium eſt, quale ad pœnam temporalem ſolvendam requiritur. Præter has rationes eidem opinioni non deeſt authoritas aliquorum Theologorum, quos adducit cit. Author, inprimis verò S. Thomæ in Supplem. q. 25. art. 3. ubi ſic ait: quæcunque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio, indulgentias faciendi, & ideo dicendum, quod indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit Authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte cauſæ pietas. Ita S. Doctor, quem ſequntur omnes Thomiſtæ. Accedit huic doctrinæ pondus ex eo, quod oppoſita ſententia Bellarmini, Suarezij, &c. Fideles in frequentes ac moleſtas dubitationes, hæſitationes, atque anxietates conijciat; quis enim noſſe poteſt, Papam in his vel illis indulgentijs tales habuiſſe cauſas, quæ conceſſionem vel æquent, vel eidem proportionentur?

VII. *Doctrina ſecunda.* Indulgentia ex communi Authorum dividitur in Totalem & Partialem. Prior (quæ etiam Plena, Plenior, Pleniſſima vocari ſolet) non tantùm pœnitentiam injunctam per Confeſſarium, vel Canones, aut ſecundùm hos injungi debitam, ſed etiam omnem purgatorij pœnam tollit: nec differt à Jubilæo, niſi accidentaliter privilegijs quibuſdam, ut quod in jubilæo licita ſit diſpenſatio in certis votis, abſolutio à reſervatis & cenſuris, ac quod Confeſſarius quilibet approbatus eligi poſſit. Poſterior eſt unius, aut aliquot annorum, item Septenæ, Quadragenæ, carenæ: item tertiæ partis peccatorum; per quas indulgentias non ſignificatur, tolli tantam durationem purgatorij, ſed quod tanta pœna remitteretur, quanta deberetur per jejunium unius aut aliquot annorum, vel 40. dierum in pane & aqua ſecundùm canones olim imponi ſolitum; quod jejunium 40. dierum à carentia cibi & potûs hominùmque conſortij carena vocabatur durans à principio quadrageſimæ uſque ad diem cœnæ Domini. Quodſi delictum extraordinarium eſſet, tunc utráque pœnitentia, & quadragenarij jejunij & ſeptem annorum imponebatur. Alia eſt diviſio Indulgentiæ ſatis communis in Perſonalem, & Localem ſeu Realem. Perſonalis eſt, quæ Perſonæ conceditur, quámque ſecum portat, quocunque proficiſcatur. Localis eſt, quæ alicui pio loco annexa eſt, non quaſi ipſe locus capax ſit alicujus indulgentiæ & remiſſionis, ſed quod in ejus favorem hominibus ibdem orantibus indulgentia concedatur; quâ ratione aliquibus agnis Dei benedictis, imaginibus, crucibus, &c. indulgentia concedi ſolet, non quidem ipſis, ſed hominibus illa ſecum deferentibus, aut coram eiſdem orantibus. Plura circa hæc Videri poſſunt apud Palao Tr. 24. D. unic. pun. 3.

VIII. *Doctrina tertia.* Indulgentiæ proſunt ſolùm ad remiſſionem pœnæ temporalis etiam in foro DEI debitæ ac divino judicio in hac vel altera vita exſolvendæ: non autem ad remiſſionem ullius culpæ. Poſterior iſta pars eſt communis Theologorum. Ratio ſumitur tum ex ſenſu & uſu Eccleſiæ. Tum quia non fit remiſſio peccatorum abſque propria diſpoſitione & pœnitentia. Quodſi in aliquibus Indulgentiarum formis dicitur fieri condonatio à culpa & pœna, eatenus à culpa fieri intelligitur, quatenus conceditur facultas eligendi confeſſarium, qui à quavis culpa abſolvat, ut cum Eckio in Diſp. Lipſiaca notat Valentia Quæſt. 20. cit. pun. 3. Prior illa pars eſt itidem comunis, nec debet hæc ratio ex comuni ſenſu Eccleſiæ & Doctorum putari parvi momenti, ut bene Cajetanus Tom. 1. Opuſc. Tr. 6. q. 4. eſt enim, inquit, tantæ authoritatis, ut non liceat niſi temere ſentire oppoſitum; ſiquidem fundatur in Scriptura, quæ ſicuti loc. cit. Petro poteſtatem à Chriſto conceſſam affirmat ſolvendi & ligandi peccata in foro DEI, ita etiam pœnas in eodem debitas. Addit cum aliquibus Doctoribus Tanner Quæſt. 8. cit. num. 75. per indulgentias, quæ de facto conceduntur, non tantùm remitti pœnas in foro DEI debitas reſpondentes pœnitentijs in Eccleſiæ ſeu Pœnitentiæ foro interno ſive externo injunctis, ſed etiam cæteras; ſaltem ſi in formula conceſſionis omittatur vocula *de injunctis.* Nam eſto Indulgentiæ ſint ſtrictè interpretandæ, non tamen ſunt reſtringendæ, veluti favores, qui in ſalutem animarum cedunt. Quod ſi vocula illa de injunctis addatur, eſt quidem iſta reſtrictiva, ſed tamen laxè explananda, ut intelligatur de pœnitentijs tum decretis in antiquis canonibus, tum impoſitis unquam à Sacerdote, ſupponendo etiam, quod rigidè juxta quantitatem peccatorum impoſitæ fuerint; imò etiam de Sacramentali antea impoſita, quà præciſè ſatisfactoria, non medicinalis eſt. Vide cit. Authorem, ubi plures pro ſe allegat. Quando indulgentiæ in Sacello Pontificio promulgatæ dicuntur dari ſecundùm formam Eccleſiæ conſuetam, non ſignificatur Indulgentia de injunctis, ſed conſuetudo, quæ ſervatur in Eccleſia in ſuſcipiendis indulgentijs, ut nimirum Suſcipiens illas ſit in ſtatu gratiæ, faciátque ea, quæ præſcribuntur, uti bene notat Becanus in Sum. Theolog. fol. 1081.

IX. *Doctrina quarta.* Indulgentiæ proſunt omnibus Chriſtianis tam vivis quàm defunctis, ſi ſint in gratia. Ita Catholici Doctores, qui tamen hoc addunt diſcrimen, ut conceſſio indulgentiarum pro vivis non ſolùm contineat veram the-

piſtolam ad Philomenem D. Auguſtinus in ſerm. de Martyrib. alijque Patres ajunt, *ſine peregrinatione & pecunia vel ſolo animi propoſito remiſſionem peccatorum obtineri poſſe.* 6. Chriſtus tam pro culpa, quàm pro pœna ſatisfecit. Ergo non eſt locus pœnæ delendæ per indulgentias. 7. Sicut ſatisfactio Chriſti fuit infinita, ſic etiam peccatum fuit infinitum, pro quo ſatisfecit; ſiquidem illud extitit offenſa Perſonæ infinitæ. Ergo ſatisfactio Chriſti fuit exhauſta in delendo peccato, ita ut nihil reſtaret. Confirmatur. DEUS reddidit Chriſto cumulatum præmium juxta illud ad Philip. 2. v.8. *Humiliavit ſe &c. propter quod Deus exaltavit illum &c.* 8. Si poſt applicatas Chriſti ſatisfactiones reſtarent aliæ applicandæ, divideretur Chriſtus, & alij dimidiatam tantum, alij verò plenam Chriſti redemptionem haberent ſibi applicatam. 9. Omnes Sancti receperunt plenam mercedem laborum ſuorum; imò etiam ſupra condignum Luc. 6. n. 38. *Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Adhæc Sancti nihil egerunt vel paſſi ſunt propter DEUM, quod facere vel pati non tenerentur. Ergo nihil ſuper eſt, quod communicare alijs poſſint. Antecedens patet ex illo Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* 10. Si Sanctorum paſſionibus expiari poſſent peccata noſtra, vocare eos poſſemus Redemptores ſaltem ex parte. Atqui hoc eſt falſum. Chriſtus enim ſolus eſt Redemptor noſter. 11. Si indulgentia eſſet abſolutio judicialis, Pontifex non poſſet eſſe particeps ullius Indulgentiæ, quia non poteſt ſeipſum judicialiter abſolvere. Item abſolutio judicialis requirit cognitionem cauſæ. Sed indulgentia non requirit cognitionem cauſæ; ſæpe enim datur ijs omnibus in communi, qui hoc vel illud præſtiterint, non cognitis illorum cauſis. Ergo &c. 12. Denique doctrina de indulgentijs pugnat contra præcipuos articulos fidei; nempe contra meritum & ſatisfactionem Chriſti ac remiſſionem peccatorum per ipſum: contra claves regni cœlorum; quia cum Miniſtri remittere deberent penitus peccata, retinent pœnæ reatum: contra fidem & doctrinam de bonis operibus. Eædem indulgentiæ tollunt partem Sacramenti, fructus dignos pœnitentiæ, compenſationem injuriarum Deo factarum, & medicinam animæ peccatrici neceſſariam. Sunt denique Indulgentiæ merum inventum Pontificium, nutrimentum avaritiæ, & larva iniquitatis, quæ proinde non abſque Numine primò detracta fuit, cum ſtabulum Papæ purgaretur. Unde nonnulli Papiſtæ fatentur, indulgentias deſtitui ſuffragio primitivæ Eccleſiæ, numerarique inter pias fraudes Papæ, vel Romanæ Eccleſiæ.

XII. Errorem iſtum damnat Concilium Tridentinum Seſſ. 25. decret. de Indulg. anathemate percutiens Indulgentiarum contemptores. ita loquitur: *Sacroſancta Synodus indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eóſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Concilia, quorum auctoritatem allegat Tridentinum, ſupra nominavimus §. 1. nempe Lateranenſe, Lugdunenſe, Viennenſe, Conſtantienſe. Ante autem & poſt hæc Concilia ſemper in Eccleſia DEI uſus viguit Indulgentiarum. Sanctus Sylveſter Papa ante annos 1300. legitur, indulgentias conceſſiſſe viſitantibus ſacellum S. Crucis in Jeruſalem à S. Helena extructum. D. Gregorium Magnum ante annos 1000. ſtationes Romanas additis indulgentijs inſtituiſſe referunt D. Thomas, & alij in 4. Diſt. 20: aut certè in ordinem redegiſſe, ſi ante jam fuerint, ut affirmat Onuphrius Panvinius in tract. ſuo de Stationibus. Paſchalis 1. qui ante 800. annos ſedit, indulgentiam conceſſit templo S. Praxedis ad columnam Chriſti liberationem unius animæ in purgatorio, ubi etiam ipſe poſt Sacras Miſſas animam ſui Nepotis liberavit, & in cœlum ferri vidit; quam indulgentiam confirmaſſe undecim ſequentes Pontifices, tradunt antiqua monumenta illius templi. Leo III. ad inſtantiam Caroli M. Imperatoris Aquiſgrani in templo B. Virginis multas indulgentias conceſſit. Ita ſcribit Ludgerus in epiſt. de S. Swiberto c. 9. *Leo Papa anno Domini Incarnationis octingenteſimo tertio cum magna ſolennitate ſuorum Cardinalium Archiepiſcoporum Epiſcoporum & Prælatorum ac Primatum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperialiter cum ſuis ſuſceptus inter multa pietatis ſuæ opera inſtantiâ ejuſdem sereniſſimi Imperatoris & Regis Aquiſgrani in palatio dedicavit Eccleſiam perpetuæ Virginis MARIÆ donans eam Eccleſiam multis indulgentijs.* Et infra: *obtulit idem Sanctus Papa eidem Eccleſiæ ſpeciales Indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus feſtum S. Swiberti Epiſcopi & ad divina confluentibus.* Sergius ante annos fere 800. indulgentias trium annorum & trium quadragenatum conceſſit Romæ in feſtivitatibus anniverſarijs Eccleſiæ S. Martini in montibus, uti antiquus marmoreus lapis in altari maximo ejuſdē Eccleſiæ inſculptis literis etiamnum hodie oſtendit. Alexander III. ante annos 450. ſcribit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem de remiſſionibus, quæ fieri ſolent in Dedicationibus Eccleſiarum & conferentibus ad ædificationem pontium c. quod autem de pœn. & remiſſ. Honorius III. ante annos 370. indulgentiam ab ipſo Chriſto (ut ex fide dignis habetur) in Eccleſia S. Mariæ de Protiuncula Aſſiſij precibus D. Franciſci conceſſam ſuâ etiam authoritate ſanxit & ſtabilivit; cum Chriſtus præcepiſſet Franciſco, ut id ab eodem tanquam Vicario ſuo peteret. Leo X. hoc ſæculo Lutherum Indulgentiarum contemptorem damnavit, approbante hanc impij capitis anathemate percuſſionem toto orbe Chriſtiano. Omitto plurium Paparum conceſsionem Indulgentiarum præſertim poſt illa Concilia: conſtantem earumdem uſum in Eccleſia Catholica: Et Sanctorum Patrum conſenſum adeo apertum, ut Kemnitius in Exam. Seſſ. 25. Trident. ſcribere fuerit coactus: *nec verò ſum neſcius, veteres aliquos nimis largiter diſciplinam illam canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit, ſatisfactionibus illis peccata expiari. Cyprianus illis peccata redimi, ablui, ſanari, & Judicem placari. Auguſtinus, DEUM illis de peccatis præteritis propitiari.* Quid verò ad hos ipſe? eò confugit, ut dicat, *Patrum ſententias non eſſe ſcripturarum regulæ præferendas*; Scilicet veſpertiliones & talpæ iſti hæretici Sacrarum arcanum Scripturarum penitius clariúſq; penetrarunt, quàm Aquilæ illæ, Sancti Patres, inquam, antiquiſsimi & preſpicaciſsimi. Unde iterum cum S. Auguſtino Epiſt. 118. ad Januar. dicimus: *Siquid per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Atqui univerſa DEI Eccleſia Indulgentias frequentat

Digitized by Google

quentat, ſemperque frequentavit: nec aliud earum initium, quàm à tempore Apoſtolorum fuiſſe oſtendi poteſt, nec ab ullo unquam hæretico miniſtro oſtenſum fuit. Inſolentiſsima igitur inſania & graviſsima blaſphemia eſt Lutheri, & Calvini atque horum aſſeclarum Kemnitij, Molinæi, Hailbrunneri, Ameſij, Gerhardi, Hannekennij & hujuſmodi tenebrionum, ſacras indulgentias non ſolùm negare, ſed ut Papiſticum, nutrimentum avaritiæ, ſentinam myſterij iniquitatis appellare atque injuriari. Adverſariorum argumenta viliſsima ſunt, & contemptum ac riſum potius, quàm ſolutionem merentur. Nihilominus.

XIII. Reſpon. ad 1. negando, indulgentias deſtitui Sac. Scripturæ teſtimonio. An non clara ex illa loca fuerunt adducta, & Auctoritate Patrum & Doctorum confirmata? D. Antonino fit injuria, ita ſcribit: *De indulgentijs nihil expreſſè in Scripturis habemus.* Hoc non eſt idem ac fateri, indulgentias deſtitui teſtimonio Sacræ Scripturæ. Si omnia expreſsè in Sacra Scriptura contineri debent, cur aſsiduò crepatis, ſufficere ad dogma fidei, illud per bonam conſequentiam ex Scriptura Sacra deduci? Implicitè autem indulgentias haberi in Scriptura, oſtendit S. Antoninus cap. 3. cit. ſic ſcribens: *Claves iſtius theſauri ad ipſum erogandum habet plenariè Papa; ideo dictum eſt Petro, tibi dabo claves regni cœlorum &c.* Addit mox, *aliquos adducere S. Paulum 2. Corinth. 2. cit. tanquam expreſsè loquentem de indulgentijs*; ubi etiam ad iſtarum confirmationem ait: *Dicitur tamen B. Gregorius impoſuiſſe indulgentias ſeptennes in ſtationibus Romæ.* Demum probat Indulgentias ex Symbolo Apoſtolico hiſce verbis: *Nota, quod cum in Symbolo Fidei unus ex articulis ſit: Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remiſsionem peccatorum, in quo comprehenduntur effectus gratiæ, remiſsio peccatorum per Sacramenta, & effectus gratiæ, qui eſt communicatio meritorum bonorum operum, quæ eſt per charitatem. Cum relaxatio pœnæ, quæ fit per indulgentias, innitatur meritis Eccleſiæ & præcipuè Paſsionis Chriſti; pertinaciter tenere, quod Indulgentiæ non valeant ad remiſsionem pœnæ, habitis debitis circumſtantijs: vel quod Papa non poſsit concedere plenariam indulgentiam, eſt hæreticum, cum ſit contra articulum fidei, & contra determinationem univerſalis Eccleſiæ.* Ecce quid Adverſarij lucrentur ex D. Antonino, ſcil. quod ſit hæretici, ſiquidem negant indulgentias, & quidem pertinaciſſimè. Ad 2. negando, non ſatis conſtare ex verbis Chriſti. Matth. 16. eum loqui de poteſtate ſolvendi à vinculo etiam pœnæ temporalis poſt interpretationem Patrum & uſum Eccleſiæ perpetuum. Nam ſummi Pontifices ab annis mille & pluribus tanquam ex veteris Eccleſiæ inſtituto Indulgentias conceſſerunt: neque ullus eorum velut de re nova locutus eſt, ſed planè, ut de re antiqua & tali, cujus vi promiſſionis Chriſti Matth. 16. Petro factæ ſemper habuerint poteſtatem. Unde Innocentius III. ſupra relatus in celeberrimo illo & frequentiſſimo Concilio Lateranenſi nemine Patrum refragante quaſi indubitatam habens poteſtatem formas concedendi indulgentias præſcripſit, & indiſcretas prohibuit. Nunquam autem prædicta verba Chriſti Matth. 16. vel iſte vel alius Pontifex aut Pater ad Solutionem matrimonij conſummati extendit, cujus cauſam infra in controverſia de matrimonio dabimus. Ad 3. hoc nihil obeſſe, cum multa alia in Veteri Teſtamento facta non fuerint, quæ in Novo Teſtamento locum habuerunt. An idcircò mala ſint? Tunc temporis ſummis Pontificibus claves regni cœlorum & poteſtas ſolvendi & ligandi non erant traditæ, ſicuti poſtea D. Petro ejúſque Succeſſoribus fuerunt datæ. Quare mirum non eſt, illos nec indulgentias, nec merita & ſatisfactiones Noæ, Abrahæ, Moyſis &c. in hunc finem attendiſſe.

XIV. Ad 4. falſum eſſe, D. Paulum condonaſſe Corinthio ſolam pœnam in foro externo; quia Paulus loquitur de illa pœna, quam illi inflixerat 1. Corinth. 5. v. 5. quæ profectò intelligenda eſt de foro conſcientiæ & coram Deo, ut patet ex eodem capite. Item falſum eſſe, univerſim in Veteri Eccleſia indulgentiam in finem iſtum duntaxat fuiſſe conceſſam, ut pœna ante offenſam communitatem imminueretur &c. Nam in primis negari non poteſt, Apoſtolos eorúmque Succeſſores habuiſſe legitimam poteſtatem remittendi aut imminuendi pœnam, quam pœnitentes coram DEO debebant; ſiquidem verba Chriſti generalia ſunt abſque limitatione aut exceptione de ſolvendo omni eo in cœlo, quod Apoſtoli eorúmque Succeſſores in perſona Chriſti ſolverint ſuper terram. Inter quæ non ſolùm peccatum, ſed etiam pœna DEO debita continetur. Quid autem hoc eſt aliud, quàm aliqua indulgentia? Deinde Patres frequenter talia habent in Scriptis ſuis, quæ haud obſcurè indicant, tunc peccatoribus non ſolùm inflicta fuiſſe opera pœnalia, ut ſic caverentur ſcandala, & offenſa Communitas redderetur contenta, ſed etiam, ut Juſtitiæ DEI ſatisfieret. Quando igitur Pœnitentibus Indulgentia eſt conceſſa, ea non merè in foro externo Eccleſiæ, ſed etiam in foro conſcientiæ & coram DEO facta fuit. Denique judicium Eccleſiæ Catholicæ non contemnendum, quæ omnibus retro ſæculis indulgentias approbavit & laudabiliter uſurpavit. Et quia hæc eſt columna & firmamentum veritatis, cur non plus fidei mereatur, quàm Sectarij, qui novitate ſuâ orbem in rebus credendis perturbando tot jam errorum & falſitatum convicti fuerunt? Ad 5. Patres illos loqui de remiſſione maximè quoad culpam, quæ videlicet remiſſio hominem reſtituit gratiæ & amicitiæ divinæ; quamvis etiam remiſſio omnis pœnæ in momento obtineri poſſit, quando ſcil. dolor pœnitentis valde eſt intenſus & vehemens; quodſi accidat, nec ad remiſſionem pœnæ quidem obtinendam alio labore opus erit præter dolorem illum momentaneum. Cæterùm quanto labore & ſollicitudine pro pœna ſit DEO ſatisfactum oſtendunt alijs in locis ijdem Patres, ut jam vidimus. Ad 6. Chriſtum abunde ſatisfeciſſe in actu primo pro omni culpa & pœna: applicationem verò ſuorum meritorum & ſatisfactionum pro pœna temporali reliquiſſe hominibus faciendam, ut ſupra ſæpius jam diximus, & indicat D. Paulus ad Coloſſenſes 1. vers. 24. ajens: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſsionibus Chriſti.* Quid deeſt paſſionibus Chriſti? ipſane ſatisfactio Chriſti culpæ & pœnæ non ſufficit delendis? maximè; ſufficiunt illæ per ſe, & quoad actum primum abundantiſſimè pro omnibus omnino culpis & pœnis: ſed Applicatio deeſt earundem Paſſionum Chriſti, quæ fit, & fieri ab hominibus poteſt & debet per Baptiſmum, Pœnitentiam, Indulgentiam &c. Unde impudens eſt calumnia Kemnitij loc. cit. ſcribentis, exiſtimare nos, Chriſtum pro ſola remiſ-

ſione

Digitized by Google

ſione peccati quoad culpam: non verò quoad pœnam ſatisfeciſſe; quaſi verò ſapientiſſima Mater Eccleſia ab heri exurgentibus rebellibus filijs & ſciolis ignorantiæ incuſari, & doceri poſſet.

XV. Ad 7. fuiſſe quidem quoduis opus ſatiſfactorium Chriſti ſimpliciter in ratione meriti & ſatisfactionis infinitum, quia immediatè erat à Perſona infinita: at non item peccatum, ſed iſtud ſolummodò ſecundùm quid habuiſſe infinitatem, ut docent Theologi cum S. Thom. in 3. Part. de Jncarnatione verbi, & apparet ſanè, ſcientiâ Chriſti Prædicantes parùm eſſe tinctos. Unde Apoſtolus etiam Rom. 5. v. 15. *non ſicut delictum*, inquit, *ita & donum*. Et infra v. 20. *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*. q. d. potentius fuit donum & Paſſio Chriſti, quàm peccatum Adami. Confirmatio non eſt ad rem; quia procedit de Paſſione Chriſti, ut eſt meritoria; nos autem loquimur de illa, quatenus eſt ſatisfactoria; etenim Chriſtus paſsione ſuâ meruit ſibi exaltationem ſui nominis, non tamen ſatisfecit prò ſe; quia cum eſſet expers omnis peccati, non indigebat ſatisfactione pro ſe. Ergo valor ſatisfactionis nobis eſt reſervatus. Videatur Diſp. mea Theolog. de Jncarnat. Ad 8. non magis ſequi diviſionem Chriſti ex hoc, quàm ex eo, quod nonnullis Chriſtus quoad efficaciam meruerit ingentem cumulum gratiarum: alijs perquam tenuem, ut apparet infantibus recens poſt Baptiſmum mortuis, ſi cum Deipara, Apoſtolis &c. comparentur. Ad 9. argumentum hoc procedere de merito, non de ſatisfactione. Nam merita Sanctorum habent ſuum præmium; ſed aliquæ ſatisfactiones manent in communi theſauro, quibus ſcil. illi non indiguerunt. Luc. 17. Chriſtus loquitur de præceptis decalogi, quæ ſervare, & debemus, & quando ea ſervamus, vult nos non gloriari, quaſi aliquid peculiare fecerimus. Nihilominus præter obſervationem præceptorum poſſumus alia multa præſtare, quæ non ſunt præcepta, & ex ijs potes aliquid ſupereſſe, quod alijs communicetur, id quod maximè in Sanctis locum habet. Non obſtat. prudentes Virgines noluiſſe communicare aliquid de oleo ſuo dicentes Matth. 25. v. 9. *neſortè non ſufficiat nobis & vobis*. Nam loquuntur non de ſatisfactione, ſed de oleo gratiæ & charitatis habitualis, ſine quo ſalvi eſſe non poſſumus; quod quidem oleum unuſquiſque retinet ſibi, nec poteſt in alios effundere.

XVI. Ad 10. Solum Chriſtum propriè & abſolutè loquendo eſſe Redemptorem noſtrum. Nam ille propriè & abſolutè dicitur Redemptor, qui redimit à captivitate, non autem ille, qui ſolvit pro aliquo debito parvi momenti; dicimur verò captivi, quando ſumus in peccato mortali actuali aut originali, à quo nos liberat ſolus Chriſtus, non autem Sancti. Ad 11. varias eſſe Doctorum opiniones. 1. Pontificem non poſſe frui indulgentijs. 2. Pontificem erga alios uti abſolutione & ſolutione ſimul: erga ſe verò ſolùm ſolutione, ſicuti erga defunctos. 3. Pontificem poſſe dare facultatem Confeſſario, ut ipſum non ſolùm abſolvat in Sacramento Pœnitentiæ, ſed etiam Indulgentias conferat extra Sacramentum. 4. Pontificem indirectè fieri poſſe participem indulgentiarum, ſi videlicet ea præſtet, quæ ab alijs requiruntur ad illas conſequendas; tunc enim non ſe habet ut Paſtor, ſed veluti unus ex grege, & veluti per accidens ſibi ipſi ſubjectus; quæ ultima opinio videtur cæteris probabilior. Ad id, quod fuit additum, ſciendum, quod duplex ſit abſolutio; una particularis & abſoluta, quæ fertur ſecundùm allegata & probata, atque hæc requirit particularem cognitionem cauſæ: altera eſt generalis & conditionata; quæ non requirit cognitionem cauſæ niſi generatim. Prior abſolutio dicitur ſententia ab homine: Poſterior à jure. Itaque Indulgentia, quæ datur ſingulis pœnitentibus, & olim uſitatiſſima erat, ſimilis eſt priori abſolutioni, ideóque cognitionem cauſæ in particulari requirit. Indulgentia verò, quæ datur omnibus generatim & cum conditione certi operis præſtandi ſimilis eſt poſteriori abſolutioni; atque ideo ſatis eſt, Papam cognoſcere adeſſe juſtam cauſam concedendi talem indulgentiam. Similiter Indulgentia ſicuti & abſolutio à peccatis non poteſt dari invito, licet ſic dari poſſit abſolutio à cenſuris; quia nimirum hæc non requirit aliquam actionem in eo, cui datur, ſicuti illa, etenim Indulgentia requirit in eo, cui datur, ſtatum gratiæ & poſitionem eorum; quæ in Bullâ præſcribuntur: abſolutio verò à peccatis dolorem, confeſſionem &c.

XVII. Ad 12. denique hæc omnia eſſe inania verba, mendacia, & calumnias Novatorum, quæ non merentur reſponſum, ſed riſum ac contemptum, & ſatis produnt iſtos rabulas non ratione & auctoritate, ſed merâ ſuperbiâ, odio, invidiâ; perversâ voluntate, atque hæreticâ rabie contra indulgentias ſtimulari. Breviſſimè negatur 1. Indulgentias ulli dogmati fidei aut Paſſioni & honori Chriſti derogare, ut ſatis patet ex ſupra dictis. Negatur 2. eaſdem tollere partem Sacramenti eſſentialem, fructus dignos pœnitentiæ &c. Quia ſatisfactio eſt pars Pœnitentiæ ſolùm integralis, nec abſque juſta cauſa aufferturr. Prudentes Chriſtiani ſic indulgentias accipiunt, ut ſimul dignos fructus pœnitentiæ faciant; norunt quippe bene, in Eccleſia extare poteſtatem concedendi indulgentias, & in particulari fieri poſſe; ut indulgentia vel non ſit rata, vel non proſit; ut rectè Bellarminus Lib. 1. c. 12. Compenſatio injuriarum Deo factarum non conſiſtit in indiviſibili ſeu uno modo, nec per indulgentias omittitur. Demum, ut ſupra jam innuimus, per indulgentias remittuntur pœnitentiæ impoſitæ ſolùm ut ſatisfactoriæ, non ut medicinales ſunt; etenim non ſunt in deſtructionem, ſed ædificationem animarum. Negatur 3. Indulgentias eſſe commentum novum & avaritiæ nutrimentum. Nemo enim niſi rudiſſimus ignorat antiquiſſimum indulgentiarum uſum; aut nominetur Pontifex, qui poſt primævam Eccleſiam illas induxerit? Gregorius M. ante mille annos indulgentias Romæ conceſſit, ut ſupra diximus; utique non abſque exemplo Majorum. Bonifacius Papa in Extravag. 1. de Pœnit. & Remiſſ. ait: *Antiquorum habet relatio fida, quod accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſa ſint magnæ remiſſiones & indulgentiæ*. Eleemoſyna, quæ ſubinde in conceſſione Indulgentiarum expetitur, non eo fine juxta inſtitutum Eccleſiæ requiritur, ut per eam quaſi negotiatione quâdam remiſſio pœnæ ematur, ſed ut exhibito illo opere pio & ad bonum finem neceſſario cauſa idonea ſuppetat diſpenſandi per indulgentias Eccleſiæ theſaurum, qui abſque cauſa in Eccleſiæ utilitatem ce-

dente

Digitized by Google

dente diſtribui non poteſt; unde antiquitus indulgentias per tria CCC obtineri oportere dicebatur; nempe per *Contritionem, Confeſſionem, Contributionem* ad defenſionem Eccleſiæ, contra Infideles & Rebelles Eccleſiæ, vel pro reparatione Eccleſiarum, Viarum, Pontium &c. Ut explicat Joannes Kaiſerſperger Dominica 2. poſt Paſcha, cui conſentit Godeſchalchus relatus ab Hailbrunner. Quodſi abuſus aliqui irrepant, non id Eccleſiæ, ſed aliorum vitio accidit, cum Eccleſia illos vehementer caveri mandet, ut videre eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cujus decretum legitur de moderandis indiſcretis indulgentijs; quod etiam fecit Concilium Viennenſe Lugdunenſe, Tridentinum Seſſ. 25. Nonnullos ex Catholicis Doctoribus de Indulgentijs quædam non ſatis apprehendiſſe, ideóque incautè de ijſdem ſcripſiſſe, non ignoramus. Sed iſti non fecerunt id animo obſtinato, ſed parato ad correctionem, ſi aliud ab Eccleſia teneri intellexerint. Quod verò vel D. Bonaventura vel alius unquam Catholicus Doctor ſcripſerit aut docuerit, Indulgentias eſſe pias fraudes Papæ vel Matris Eccleſiæ, eſt longè falſiſſimum, & palmaris ac prorſus adipata ac pinguiſſima calumnia Novatorum, qui ex mendacijs compoſiti pridem omnem frontem exuerunt & fidem perdiderunt.

XVIII. *Error ſecundus.* Indulgentijs animas in Purgatorio juvari non poſſe. Ita omnes Sectarij, qui purgatorium negant. Nominatim verò indulgentias pro defunctis hîc oppugnat Petrus Molinæus in ſuo novo Papatu fol. 632. Tum authoritate Gelaſij Papæ in commonitorio ad Fauſtum Legatum, ubi ait, *Scriptum eſſe, quidquid ſolveris ſuper terram: non infra terram &c.* Tum quia facultas Apoſtolis conceſſa à Chriſto conſiſtit inſeparabiliter in ſolvendo æquè ac ligando. Atqui Papa non habet poteſtatem in animas defunctorum ligando eas in purgatorio. Ergo neç ſolvendi. Tum quia ſi Papa habet poteſtatem animas in purgatorio ſolvendi, cur non omnes liberat?

XIX. Hunc errorem reijcit Eccleſia, dum damnat anathemate negantes purgatorium. Et communis eſt doctrina omnium Doctorum Catholicorum, Papam ſeu Eccleſiæ Paſtorem & Spiritualem Theſaurarium offerre atque exhibere DEO ſatisfactiones Chriſti ac Sanctorum pro liberatione Animarum è purgatorio; atque hoc eſt, quod ajunt, *Indulgentias prodeſſe animabus defunctorum per modum ſuffragij.* Ratio hujus eſt, quod Fideles in purgatorio adhuc vinculo Fidei Spei & Charitatis vivis in Eccleſia militante conjuncti ſint, ita ut ſimul unum corpus Eccleſiæ efficiant, ut teſtatur S. Auguſtinus Lib. 20. de Civitate DEI cap. 8. *Neque piorum,* inquit, *animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiamnunc eſt regnum Chriſti.* Alioquin nec ad altare DEI fieret eorum memoria in communione Corporis Chriſti. Hinc fit, quod etiam privatæ perſonæ opera mortificationis ſuæ, hoc eſt, jejunium, diſciplinam cilicium, eleemoſynam &c. per modum ſuffragij defunctis applicare valeant. Si autem privatæ perſonæ ex ſuis ſuccurrere ac juvare animas defunctorum poſſint, cur Papa id nequeat ex communi theſauro Eccleſiæ, cum iſte theſaurus ejúſque diſpenſatio ipſi fuerit commiſſa? Non exſpectent Novatores aliquid indulgentiæ poſt mortem; quia non venient ad purgatorium, alibi verò, nempe in inferno, quò properant, indulgentia non obtinetur, ſed æternus atque inextinguibilis ignis ſuſtinetur.

XIX. Reſpon. ad 1. Gelaſium Papam loqui de ſolutione judiciali; Papa autem non concedit defunctis indulgentias per modum abſolutionis judicialis, ſed ſolummodo per modum ſuffragij. Conſtat autem ex recèns dictis, inter illos, qui ſunt ſupra & infra terram in purgatorio, aliquam intercedere communicationem meritorum ac ſatisfactionum. Quamvis igitur Animæ in purgatorio Papæ juriſdictioni & poteſtati judiciali ſubjectæ amplius non ſint, adhuc tamen ſpiritualium bonorum capaces exiſtunt, quæ bona Eccleſiæ eiſdem communicare vult. Ad 2. verum eſt, quod poteſtas judicialis abſolutionis inſeparabiliter unita ſit poteſtati judicialis ligationis. Papa autem non liberat animas è purgatorio per modum judicialis abſolutionis, ſed per modum ſuffragij duntaxat. Ad 3. Cur Papa non omnes animas ſimul è purgatorio liberet, noverit ipſe. Et quia DEUS eidem ſpiritualem Eccleſiæ theſaurum commiſit, ſciet etiam, quo modo hunc ita expendat, ut ad DEI gloriam cedat. Caveant autem hæretici, ne DEUM etiam crudelitatis incuſent, quod in uno momento non omnes homines ſalvet, cum facillimè poſſet. Miſericordia quidem agnoſcatur, ſed Juſtitia non prorſus arceatur.

CONTROVERS. LXXIX.

DE SACRO ORDINE.

DE hoc ſacro Ordine, & hominibus ad ejus dignitatem evectis Gelaſius Papa in Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem ſic ſcribit: *Duo ſunt, Imperator, quibus principaliter hic Mundus regitur. Authoritas ſacra Pontificia: & Regalis Poteſtas; in quibus tantò gravius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam de ipſis Regibus hominum in divino judicio ſunt reddituri rationem.* Poteſt & ſolet Ordo accipi aliquando paſſivè, hoc eſt, pro gradu ipſo v. g. Diaconatûs & Presbyteratûs &c. Et hoc modo eſt effectus, & non Sacramentum, ut ex dicendis conſtabit: aliquando accipitur activè pro ipſa actione, quâ confertur poteſtas; Atque hoc eſt Sacramentum, de quo in præſenti.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Ordo eſt ceremonia ſacra, quâ ordinato conceditur poteſtas ad aliquod Altaris officium ſtabiliter peragendum. Ita cum Magiſtro ſententiarum in 4. Diſt. 24. communiter alij Doctores Ordinem definientes: *Signaculum quoddam Eccleſiæ, quo Spiritualis poteſtas traditur Ordinato.* Unde Miniſterium hoc revocari, aut deleri nunquam poteſt, tametſi ejus exercitium ſuſpendi queat, ut dixit S. Auguſtinus Lib. de bono conjugali. c. 24. Et Tertullianus Lib. de Presbyteris advertit, *hæreticorum proprium eſſe, ut cras ſint Laici, qui hodie ſunt Miniſtri.* Sola etiam

hæreſis

Digitized by Google

hæreſis miniſterium cultûs divini ſine ſacerdotio & ſacrificio introduxit, inſtituitque, cum tamen nulla unquam gens aut natio hominum fuerit, quæ ex lumine naturæ aut verum DEUM aut falſos colens non etiam Sacerdotium & Sacrificium ad Religionis cultum inſtituerit, atque ordinaverit.

II. *Doctrina ſecunda.* Ordo eſt Sacramentum verum à Chriſto inſtitutum partim ante, partim poſt Reſurrectionem. Prima pars definita eſt in Concilio Florentino in decreto Fidei poſt Seſſ. ultimam §. ſextum Sacramentum. Et in Tridentino Seſſ. 7. can. 1. & Seſſ. 23. can. 3. iſtis verbis: *Siquis dixerit, ordinem ſeu Ordinationem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis: aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi Miniſtros Verbi DEI & Sacramentorum, anathema ſit.* Probatur 1. ex S. Script. 1. ad Timoth. 4. v. 14. ait D. Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Ubi per vocem *Prophetiam* ex probabili interpretatione denotatur forma verborum adhiberi ſolita in impoſitione manuum & ordinatione presbyterorum; conſuetâ nimirum Sacræ Scripturæ phraſi vocantis prophetiam omnem divinum ſermonem. Quod autem illa manuum impoſitio ſit gratiæ cauſa, clarè indicatur ab eodem Paulo 2. ad Timoth. 1. v. 6. dicente: *admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum*; ubi per nomen gratiæ denotari non ſolùm poteſtatem conſecrandi, offerendique ſacrificium, ſed etiam ipſam gratiam habitualem, colligitur apertè ex ratione, quam vers. 7. ſubjungit Apoſtolus, cur Timotheus debeat gratiam reſuſcitare, ſcil. quia *DEUS non dedit nobis Spiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis.* Atqui Spiritus virtutis, dilectionis, & ſobrietatis eſt charitas gratiáque juſtificans. Ergo per impoſitionem manuum hæc gratia confertur. Deinde ad ritè peragendam conſecrationem, offerendúmque Sacrificium gratia habitualis eſt neceſſaria, quæ proinde ſimul cum illa poteſtate conferri debuit; cum præſertim collata fuerit per ceremoniam & ritum externum, firmum ac ſtabilem, nempe manuum impoſitionem, cujus etiam mentio fit in ordinatione Diaconatûs Actor. 6. v. 6. Et generatim in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ 1. Tim. 5. v. 22. *manum nemini citò impoſueris*; olim enim hæc manuum impoſitio fuit in Eccleſia ceremonia, quâ miniſtri Eccleſiæ conſtituerentur & deſtinarentur. Habemus igitur, in ordinatione intervenire ſignum ſenſibile, cauſativum gratiæ, adeóque totam eſſentiam Sacramenti.

III. Probatur 2. ex perpetua Eccleſiæ traditione, cujus teſtes ſunt Concilia, Pontifices ſummi, & Patres. Ex Concilijs habemus Chalcedonenſe Act. 15. can. 2. Braccarenſe II. can. 3. Carthaginenſe IV. can. 2. in quo ordinationem Epiſcopi, & can. 3. in quo ordinationem Presbyteri præſcribit ijs ritibus & verbis, quibus Sacramentum eſt aſſertum. Florentinum conſentientibus Latinis & Græcis. Tridentinum Seſſ. 23. c. 2. & can. 3. Ex Pontificibus ſummis habemus Innocentium I. Epiſt. 18. ad Alexand. ubi Ordinem cum Baptiſmi Sacramento confert. Leonem I. Epiſt. ad Dioſcorum Alexandrin. 81. c. 1. ubi Ordinationem Sacramentum vocat, idque non niſi à jejunis ſuſcipiendum & adminiſtrandum. Et Epiſt. 87. c. 1. de ordinatione agens, *quis*, inquit, *diſſimulare poteſt, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam.* Similia habent Anaſtaſius II. epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 1. Gregorius M. Lib. 4. in Lib. Reg. cap. 5. ubi ibidem de ordinatione agens ait, *is, qui promovetur, bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur.* Ex Patribus habemus Dionyſium Areopagitam L. 2. de Eccleſ. Hierarchia c. 5. quem numerare ordinem inter Sacramenta, agnoſcit etiam Luther. Lib. de capt. Babyl. Hieronymum, qui toto libro contra Luciferanos Ordinationem cum Baptiſmo confert. Chryſoſtomum Lib. 3. de Sacerdot. Ambroſium Lib. de dignitate Sacerdotali c. 5. Auguſtinum Lib. 2. contra Parmenianum c. 13. *ipſimet*, inquit, *explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinis poſſit amitti? ſi enim utrumque Sacramentum eſt, ut nemo dubitat, cur iſtud amittitur, & illud non amittitur? neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Similia habet alibi, & hac in re notandum eſt, S. Patrem non loqui ex ſua ſolùm ſententia, ſed ea, quæ tunc temporis univerſalis fuit Eccleſiæ. Probatur 3. ex conſenſu Scholaſticorum Magiſtri in 4. Diſt. 24. D. Thomæ ibid. quæſt. 1. art. 1. & in ſuppl. q. 34. a. 1. 2. 3. & cæterorum, ex quibus omnibus nec unus eſt, qui de hoc Sacramento dubitet. Cujus denique ratio eſt. Quia omnis cæremonia viſibilis ſtabilis, & à Chriſto inſtituta in pignus gratiæ eſt verum Sacramentum, Atqui Ordo eſt talis cæremonia viſibilis, ſtabilis à Chriſto inſtituta, in pignus gratiæ, ut ex dictis patet. Ergo eſt Sacramentum.

IV. Altera pars doctrinæ noſtræ videtur communis Doctorum, quam ſpeciatim tradit Vaſquez in 3. Part. D. Thomæ. Tom 3. D. 235. c. 3. num. 23. & ſumitur tum ex illo Lucæ. 22. v. 19: *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi Chriſtum ordinaſſe Apoſtolos Sacerdotes, definit Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. & can. 2. tum ex illo Joannis 20. v. 22: *hæc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur iis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quam poteſtatem abſolvendi pertinere ad Sacerdotij ordinem, patet ex ijs, quæ in Contr. de Pœnit. diximus §. XVI. Accedit, cum nuſquam conſtet, Chriſtum ante Reſurrectionem diſertè explicaſſe, vel inſtituiſſe ſingulorum reliquorum Ordinum poteſtatem, credibile eſt, eos aut omnes aut ſalem ex majore parte poſt Reſurrectionem ſuam expoſuiſſe diebus illis quatraginta, quibus præbuit ſeipſum vivum apparens & loquens de regno DEI. Actor. 1. v. 3.

V. *Doctrina tertia.* Ordines in Eccleſia ſunt ſepten. ſcil. Sacerdotium, Diaconatus, ſubdiaconatus, Acolythatus, Exorciſmus, Lectoratus, Oſtioratus. Sacerdotij autem complementum eſt Epiſcopatus. Ita definit Tridentinum Seſſ. 23. cap. ult. Et can. 2. Probatur hæc veritas ex teſtimonijs veterum Patrum, qui hos Ordines tanquam rem minimè in Eccleſia novam, ſed ab Apoſtolis acceptam commemorant. Cornelius Papa, qui ante 1300. annos præfuit Eccleſiæ, in epiſt. ad Fabianum Antiochenum Epiſcopum ſcribit, *ſuo tempore fuiſſe Romæ Presbyteros quatraginta ſex: Diaconos ſeptem, totidemque ſubdiaconos: Acolythos quatraginta duos: Lectores, Exorciſtas, Oſtiarios in univerſim viginti quinque.* Plures Patres videri poſſunt apud Valentiam Tom. 4. Diſp. 9. Q. 1. pun. 2.

Digitized by Google

pun. 2. Unde D. Auguſtinus pulchrè huc accommodat illud Pſal. 47. juxta interpretationem ſeptuaginta: *DEUS in gradibus ejus cognoſcetur*, hoc eſt, *in Gradibus Ordinum*. Congruentia hujus numeri deſumenda eſt á fine, ad quem omnes hi Ordines inſtituti ſunt, atque deſerviunt. Singulorum officia breviter perſtringendo.

VI. Sacerdotalis ordinis officium eſt, ſacrificium DEO offerre, & homines eidem reconciliare. Diaconi, in ſacrificio ſacerdoti miniſtrare, calicem (ſi in uſu eſſet) populo concedere, baptizare, & prædicare ex Sacerdotis commiſſione. Subdiaconi munus eſt, miniſtrare Diacono in ijs, quæ ad ſacrificium peragendum fuerint neceſſaria, præparare aquam ad Altaris miniſterium, porrigere calicem & patenam in uſum ſacrificij, pallas & Corporalia abluere. Acolythi eſt ceroferarium ferre, lumina Eccleſiæ accendere, vinum & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare, ideóque Diacono & ſubdiacono inſervire. Exorciſtæ eſt, dæmones ex obſeſſis eijcere, ut dignè ſacrificio aſſiſtant, & aquam in miniſterium Baptiſmi præparare, locúmque communicaturis concedere. Lectorum eſt, legere & canere, quæ à Sacerdote prædicantur, & quæ ipſi olim extra miſſam annunciabant, ut ſic præſentium animi ad reverentiam excitentur. Oſtiarij denique munus eſt, pulſare cymbolum tempore ſacrificij in illius honorem, aperire templum & Sacrarium dignis, & librum ei, qui prædicat; dignis, inquam, quia in Eccleſiam admittere non debent infideles, ne divinorum ſpectatores & irriſores ſint: item excommunicatos, utpote à Fidelium communione præciſos. Hinc apparet, quare Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus dicantur Ordines Sacri & Majores: Acolythatus autem Lectoratus Exorciſmus & Oſtiariatus nec ſacri nec majores appellentur. Nempe Majores vocantur, quia ſacrificio Altaris, ad quod omnes ordines diriguntur, proximè inſerviunt, alij remotè: Sacri verò, quia forſam ipſi ſolùm ſunt Sacramenta, non autem quatuor Minores: & præcipuè, quia votum caſtitatis habent annexum, quo homines in DEI cultum ſacrantur.

VII. *Doctrina quarta.* Prima Tonſura non eſt ordo ſtrictè loquendo. Ita communis Theologorum, quidquid nonnulli ſecus putarint. Probatur. Tum. quia nec in Pontificali Romano, nec in Concilio Tridentino Seſſ. 23. c. 2. Et can. 2. cit. ubi diſtinctè ordines recenſentur, uſquam prima Tonſura vocatur ordo, ſed ab ordinibus potius diſtinguitur, & ſejungitur. Tum quia per illam non confertur poteſtas ſpecialis ad functionem certam & ſpecialem in cultu DEI & ordinatione ad peragendum ſacrificium, ſed ſolùm conſtituitur Miniſter Eccleſiæ (quod eſt omnibus Miniſtris Eccleſiæ commune) & eſt quaſi aditus & diſpoſitio & præparatio ad Ordines recipiendos efficiens Clericum, & ſecernens à Laico, ſicque tribuens privilegium immunitatis Eccleſiaſticæ & capacitatem beneficiorum.

VIII. *Doctrina quinta.* Epiſcopatus eſt quidem Ordo, non tamen diverſus à ſacerdotio, ſed illud perficit & complet. Ita Card. Bellarminus Lib. de Sacram. Ordinis c. 5. Vaſquez Diſp. 240. c. 5. Coninck Diſp. 20. dub. 2. in fin. Layman L. 5. Tract. 9. c. 3. n. 6. & plures alij. Prior pars manifeſtè habetur in Trident Seſſ. 23. c. 4. ubi aſſerit, *ad Eccleſiaſticam Hierarchiam & ordinem Epiſcopos ſpecialiter pertinere, ſuperiores ſacerdotibus*. Poſterior pars probatur. Quia, licet cæteri ordines habeant inter ſe aliquam ſubordinationem, vi cujus tanquam partes heterogeneæ conſtituant unam infimam ſpeciem Sacramenti: & per ſe loquendo, non liceat recipere ſuperiorem non accepto prius inferiore, hæc tamen graduatio non eſt ordinibus ita eſſentialis, ut collatio ſuperioris non valeat ſine inferiore præſuppoſito c. unico de clerico per ſaltum promoto. Et teſte D. Thoma in 4. D. 24. q. 1. art. 2. quæſtium. 1. in primæva Eccleſia ordinabantur Presbyteri non acceptis prius ordinibus inferioribus, qui tamen omnia poterant, ac ſi inferiores prius accepiſſent, quia inferior comprehenditur in ſuperiore. At verò Epiſcopatus eſſentialiter præſupponit Presbyteratum prius collatum, & ſic eſt modificativus hujus, cui accedit, ſicut virilitas juventuti, ac proinde non eſt cauſa diſtinguendi, ordinem Epiſcopalem à Presbyterio, ſed potius eſt fundamentum dicendi, quod unum ordinem conſtituant. Item quemadmodum poteſtas abſolvendi à peccatis, quam Chriſtus Dominus Joan. 20. cit. Apoſtolis contulit, & quæ in ordinatione ſacerdotibus communicatur illis verbis; *accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* non conſtituit diſtinctum ordinem ab eo, quem conſtituit poteſtas Corpus & ſanguinem Chriſti conſecrandi, quia hanc eſſentialiter in ſubjecto prærequirit. Sic poteſtas conceſſa Epiſcopis in eorum conſecratione; quia eſſentialiter ſacerdotalem poteſtatem ſubjecto conceſſam ſupponit, non conſtituit ordinem diſtinctum ab ordine prædicto ſacerdotalis poteſtatis, ſed illum ſupplet, perficit, & extollit. Non obſtat his Anacletus Papa epiſt 3. c. 1. aiens, *ſacerdotum ordo bipartitus eſt, & ſicut Dominus illum conſtituit, à nullo debet perturbari.* Et infra: *amplius, quàm iſti duo ordines ſacerdotum.* Non obſtat, inquam, quia loquitur de ordine incompleto, & non adæquatè perfecto ſecundùm quam rationem Sacerdotium ab Epiſcopatu diſtinguitur, duóque ordines ſacerdotij enumerari poſſunt; alter incompletus & perfectibilis, qualis eſt ſimplicium Sacerdotum: alter completus & perfectus ſcil. Epiſcoporum. De charactere Epiſcopali dicemus infra. Videatur Bellarminus loc. cit.

IX. *Doctrina ſexta.* Sacerdotium eſt verum Sacramentum. Ita omnes Catholici ex Tridentino definiente Seſſ. 23. c. 3. can. 3. *Sacrum Ordinem eſſe Sacramentum*, quod ſaltem de præcipua ordinatione verum eſſe debet. Adhæc can. 4. ait. Concilium, *per Ordinationem communicari Spiritum Sanctum illis verbis: accipite Spiritum Sanctum, & imprimi characterem, ita ut qui ſemel Sacerdos fuit, Laicus eſſe non poſſit.* Sed hæc ſtare non poſſent, niſi Ordo Sacerdotalis foret Sacramentum. Ergo &c. Duplex autem poteſtas confertur in Sacerdotali ordine, nempe conſecrandi & abſolvendi, quarum iſta neceſſariò ſupponit illam, non viciſſim; utriuſque tamen collatio Sacramentum eſt, quia eſt ſignum ſenſibile, quo Spiritus Sanctus communicatur; priorem dedit Chriſtus in cœna dicens: *hoc facite in meam commemorationem*: poſteriorem poſt reſurrectionem ajens: *accipite Spiritum Sanctum &c.* Inde tamen non duplex fit Sacramentum, quia utraque poteſtas ad completum ordinem ſpectat:

neque

Digitized by Google

neque duplex imprimitur character, ſed impreſſus in poteſtate conficiendi Sacram Euchariſtiam ex DEI ordinatione deſtinatur ad poteſtatem abſolvendi à peccatis abſque alia intrinſeca mutatione.

X. *Doctrina ſeptima.* Epiſcopatus etiam, quà talis, eſt Sacramentum, attamen incompletè ſolùm à Sacerdotio diſtinctum. Ita Card. Bellarminus Lib. 1. de Ord. c. 5. Valentia Tom. 4. D. 9. Q. 1. pun. 4. Tanner Tom. 4. D. 7. Q. 2. n. 23. Coninck D. 20. dub. 6. n. 43. Layman L. 5. Tr. 9. c. 4. n. 2. & plures alij. Probatur 1. ex Script. aſſerente, per Epiſcopi conſecrationem conferri gratiam 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Et 2. ad Tim. 1. v. 5. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* In quibus locis ſermonem eſſe de Epiſcopis, conſtat ex conditione ipſius Timothei, ad quem ſcribitur, & quem fuiſſe Epiſcopum inter omnes convenit. Ergo Epiſcopatus quà talis, eſt Sacramentum; cum eadem ſit ratio in conſecratione Timothei, de qua loquitur Paulus, ac quælibet aliùs Epiſcopi quoad gratiæ collationem. Probatur 2. ex Concilio Trident. Seſſ. 23. quod, cum cap. 3 ex allegatà Scripturà indefinite probaſſet, ordinationem ſacram eſſe Sacramentum, ſimúlque abſolutè aſſeruiſſet, Ordinem eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, poſtea cap. 4. definit, *præter cæteros Eccleſiaſticos gradus Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum pervenerunt, ad Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere.* Et can. 6. *damnat aſſerentes, non eſſe Hierarchiam in Eccleſia Catholica divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis.* Ergo manifeſtè ſupponit Concilium, Epiſcopatum quà talem, eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum. Probatur 3. Quia per Epiſcopi ordinationem confertur poteſtas quædam ſacra & ſingularis adminiſtrandi Sacramenta, quæ ſine gratia rectè adminiſtrari non poſſunt; talis eſt ipſa poteſtas ordinandi, confirmandi &c. Cum ergo Chriſtus in neceſſarijs Eccleſiæ non defuerit, exiſtimandum, eum quoque ritum, qui ordinandi poteſtatem confert, ad rationem Sacramenti ſeu efficacis ſigni gratiæ evexiſſe.

XI. Oppoſitum doctrinæ noſtræ tenent D. Bonaventura in 4. Diſt. 24. p. 2. art. 2. q. 3. Dominicus Sotus q. 1. art. 2. & 3. item Lib. 10. de Inſtit. quæſt. 1. art. 2. & alij. Probant. Tum quia ſic Epiſcopatus diſtinctum foret Sacramentum à Sacerdotio, cum diverſo etiam tempore & conſecratione conferatur. Tum quia in conſecratione Epiſcopi nec Spiritus Sanctus dari, nec character imprimi videtur. Tum quia per eandem conſecrationem Epiſcopi datur poteſtas Epiſcopis confirmandi & ordinandi, non autem conſecrandi Corpus & ſanguinem Chriſti, hæc conceſſa ſupponitur. Sed hæc tanti momenti non ſunt. Reſpon. ad 1. Sicuti ſuprà diximus, Epiſcopatum non eſſe abſolutè Ordinem à Sacerdotio diſtinctum, quia ille eſſentialiter iſtud ſupponit, ità nunc dicendum, non eſſe Sacramentum diſtinctum; etenim Epiſcopatus non diſtinguitur à Sacerdotio completè & perfectè: at bene in completè & partialiter ex novo ſigno gratiæ ſanctificantis ſuperaddito. Inſtas Tanner loc. cit. num. 32. Si Epiſcopatus non eſt Ordo à Sacerdotio diſtinctus. Ergo quatenus à Sacerdotio diſtinguitur, nec eſt Ordo, nec Sacramentum. Negatur ſuppoſitum; quia Epiſcopatus quà talis eſſentialiter ſupponit Sacerdotium; & ut ſic abſtrahi & diſtingui ab iſto non poteſt. Ad 2. negando, in conſecratione Epiſcopi vel Spiritum Sanctum non dari, vel Sacerdotij characterem non perfici; debet tamen Epiſcopus ſacerdos eſſe; aliàs conſecrari non poſſet, & conſequenter nulla foret conſecratio. Excellentia autem & Superioritas, quam habet Epiſcopus ſupra alios ſimplices Sacerdotes conſiſtit in eo, quod ultra ſacerdotium addat poteſtatem confirmandi fideles, & ordinandi Sacerdotes, quæ nullatenus ſimplicibus Sacerdotibus convenit, ob idque dignior eſt, cui latior juriſdictio concedatur. Ad 3. inde non ſequi, Sacramentum Ordinis non conſtitui ex relatione ad Euchariſtiæ conſecrationem, adeóque Ordinationem Epiſcopi eſſe adæquatè diſtinctam à Sacerdotio. Nam poteſtas conſecrandi Sacerdotes directiùs & immediatiùs Euchariſtiæ peragendæ ſervit, quàm poteſtas Exorciſtæ aut Lectoris: item quàm Diaconi & Subdiaconi; ſiquidem abſque illa poteſtate Euchariſtia non conficeretur, quia non eſſent Miniſtri: attamen confici poſſet, quamvis Subdiaconi aut Diaconi non adeſſent.

XII. *Doctrina octava.* Diaconatus & Subdiaconatus ſunt etiam Sacramenta. De Diaconatu eſt certum contra Durandum & Cajetanum, ità ut Vaſquez Diſp. 238. c. 2. exiſtimet, abſque errore negari non poſſe ob definitionem Concilij Tridentini Seſſ. 23. can. 6. aſſerentis, *in Eccleſia eſſe Hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris*; quia Concilium ibi agnoſcit ex Chriſti inſtitutione aliquos miniſtros ultra Epiſcopos & Presbyteros ad Hierarchiam ſeu ordinem Eccleſiaſticum pertinere, qui ſaltem Diaconi eſſe debent, utpote excellentiores, & Sacrificij adminiſtrationi proximiores. Adhæc Diaconus ordinatur per manûs impoſitionem, & prolata ab Epiſcopo illa verba: *accipe Spiritum*, ut conſtat ex Rituali Romano. At ſi illis verbis Spiritus Sanctus non conferretur ordinato, fruſtra Epiſcopus ea proferret contra deciſionem Tridentini Seſſ. 23. can. 4. Et licet in hac ordinatione Diaconi manûs impoſitio non ſit Ordinationis materia, & illa verba: accipe Spiritum Sanctum non ſit forma; attamen ex eo, quod ab Eccleſia uſurpentur in hac ordinatione, ſatis indicatur, effectum gratiæ, qui per manûs impoſitionem ſolebat conferri, in præſenti illa aut alia ceremonia communicari. De Subdiaconatu non eſt æquè certum, quod ſit Sacramentum; quia de illo nulla eſt in ſcriptura expreſſa mentio; non tamen recedendum à communiore ſententia, quæ aſſerit, nec apparet ratio, quæ ab illa dimoveat. Nam quod in Scriptura non fiat mentio Subdiaconorum, ex hoc non ſequitur, quod tempore Apoſtolorum non extiterint Subdiaconi, ſed accidit illud forſan, quod ipſorum miniſterium eo tempore parum fuerit neceſſarium ob Fidelium paucitatem. Addo, Subdiaconatum tempore primitivæ Eccleſiæ non fuiſſe inter Ordines ſacras computatum; non quia Sacramentum non fuerit, ſed quod tunc non habuerit votum caſtitatis annexum. At tempore Urbani II. imò ante ipſum Urbanum Subdiaconatus inter Ordines ſacros numeratus fuit, ut probat Innocentius III. in cap. à multis. de ætate & qualitate, conſtátque ex 6. Synodo generali can. 6. Pontifices verò Anacletus & Damaſus; ille epiſt. 3. c. 1. iſte epiſt. 4. non volunt, nullum

Ordinem eſſe abſolutè præter illos duos Epiſcoporum & Sacerdotum, ſed nullum alium eſſe præter dictos in ordine Sacerdotali. Confirmabitur hæc noſtra doctrina ex ſequenti. Itaque

XIII. *Doctrina nona.* Quatuor Minores ordines ſunt quoque Sacramenta à Chriſto inſtituta. Ita plerique Theologi cum S. Thoma P. 3. Q. 22. art. 2. quos ſequitur Bellarminus de Sacramento Ordinis cap. 6. 7. & 8. Probatur. Tum quia vix apparet, qui conciliari poſſit ſententia negativa cum verbis Concilij Florentini in decreto Eugenij Papæ: ubi *ſextum*, inquit, *Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem Confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patena cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuppoſita traditionem, & ſimiliter de alijs per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem.* Ergo ſentit Concilium, his Ordinibus Minoribur æquè rationem Sacramenti & veram illius materiam & formam convenire, ſicut convenit presbyteratui diaconatui & ſubdiaconatui. Tum quia Tridentinum ſatis idipſum inſinuat Seſſ. 23. c. 3. & can. 3. vocans *Ordinem Sacramentum* nullum faciendo diſcrimen inter ſeptem ordines prius enumeratos. Tum quia S. Auguſtinus Lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 3. probat, Ordinem eſſe Sacramentum, ſicut Baptiſmum, nec iterari poſſe. Cum ergo omnes ordines initerabiles ſint, videtur ex mente Sancti Auguſtini omnes eſſe Sacramentum. Non obſtat, varietatem fuiſſe olim in Eccleſia in prædictorum Ordinum enumeratione. Nam hoc fuit factum, quia non ſatis explorata erat eorum inſtitutio; ſemper tamen ab initio Eccleſiæ non ſolùm officia horum Ordinum, ſed & illorum nomina fuerunt cognita, ut expreſsè teſtatur Tritendinum Seſſ. 23. cit. c. 2. indicans, à Chriſto Domino inſtitutionem dimanaſſe, tametſi illorum diſtinctio non ſatis cognita fuerit. Hinc facilè perſpicitur, Sacramentum Ordinis eſſe unum unitate quâdam Ordinis, quia omnia dicunt relationem ad Sacerdotium, ut cum S. Thoma in 4. Diſt. 24. q. 2. art. 1. communiter ſentiunt Scholaſtici, qui proinde etiam tenent, Ordinem eſſe unum ſpecie infimâ Sacramentum. Alij tamen cum Vaſquez Diſp. 238. c. 3. num. 23. agnoſcunt unitatem Generis, non ſpeciei infimæ; quia, inquiunt, ſinguli ordines ſunt per ſe integra & in ſuo genere perfecta Sacramenta, conferentia diſtinctum characterem, & peculiarem gratiam, nec tamen ordinantur intrinſecè ad unum finem proximum &c. Res eſt exigui momenti, & lis non tam de re, quàm de voce.

XIV. *Doctrina decima.* Materia cujuſque ordinis eſt id, per cujus traditionem confertur ordo: Forma verò ſunt verba Epiſcopi, per quæ exprimitur actus Traditionis, & poteſtas circa rem traditam. Ita communiter Theologi. Explicatur per ſingulos Ordines. *Oſtiarius* igitur, qui etiam Ædituus ſive Janitor vocatur, ordinatur *per traditionem clavium templi.* Forma eſt iſta: *Sic age quaſi redditurus DEO rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Et hæc eſſentialia ſunt hujus Ordinis, non item cæremoniæ ſubſequentes, ut deductio ad fores templi aperiendas & claudendas, & ad pulſandum. *Lector* ordinatur *per trationem libri ſacrarum lectionum.* Forma eſt iſta: *Accipe, & eſto verbi DEI Relator, habiturus, ſi fideliter & utiliter compleveris officium tuum, partem cum his, qui verbum DEI bene adminiſtrarunt ab initio.* *Exorciſta* ordinatur *traditione libri exorciſmorum ad pellendos dæmones.* Forma eſt iſta: *Accipe & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos ſive baptizatos ſive catechumenos. Acolythus* ordinatur per duplicem quaſi partem; primò *per traditionem candelabri cum cereo extincto* ſub hac forma: *accipe ceroferarium cum cereo, ut ſcias, te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipatum in nomine Domini*: deinde *per traditionem urceoli* ſub hac forma: *accipe urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Domini.* Unde dubium inter Authores, in qua traditione ſita ſit materia ordinationis? Verius exiſtimo cum Vaſqez D. 2. 37. cap. 3. n. 36. & alijs ab ipſo relatis, in traditione utriuſque ſitam eſſe; cum enim utrumque munus conferatur ceroferario, & duplici traditione ſub duplici forma indicetur, duplex illa traditio materia ordinationis eſſe debet.

XV. *Subdiaconus* ordinatur *traditione calicis vacui & patenæ vacuæ.* Ita communiter Doctores ex Concilijs Florentino, & Carthaginenſi IV. c. 5. Ratio eſt, quia ea eſt materia ordinationis, per quam ſignificatur præcipuum illius ordinis miniſterium. Sed præcipuum miniſterium Subdiaconi eſt, Sacerdoti inſervire in ſacrificio miniſtrando calicem & patenam mediante Diacono; quod officium nullo alio ſigno meliore ſignificatur, quàm traditione calicis & patenæ. Ergo &c. Unde minùs probabilis eſt opinio Viguerij Inſtit. Theolog. c. 16. §. 6. materiam Subdiaconatûs eſſe traditionem libri epiſtolarum ſub illis verbis: accipe librum epiſtolarum &c. cum præcipuum officium Subdiaconi non ſit legere vel canere epiſtolam. Nec verum eſt, Subdiaconis unquam prohibitum, ſacra vaſa tangere vacua, ſed continentia Chriſti corpus & ſanguinem; hoc ſolum eſſe prohibitum in Concilio Laodicenſi c. 21. probat Vaſquez D. 238. c. 6. n. 61. *Diaconi* ordinatio duobus modis conficitur. 1. *impoſitione manûs* ſub hac forma: *accipe Spiritum Sanctum & robur ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus.* 2. *traditione Evangeliorum* ſub hac forma: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Utrum autem in duplici hac materia & forma eſſentia conſiſtat, lis eſt à Scholaſticis decidenda. Probabilius videtur, ſolùm poſterius ad eſſentiam requiri, ut teſte Vaſquez D. cit. c. 4. à. n. 36. communis habet ſententia. Ratio ſumitur ex definitione Eugenij IV. in qua ſic ait Papa: *Diaconatus per libri Evangeliorum dationem confertur.* Cum igitur de impoſitione manuum nullam fecerit mentionem, manifeſtè infertur, manuum impoſitionem in hoc ordine non eſſe materiam præcipuam. Si ergo caſu quodam fuiſſet omiſſa, ordo non eſſet iterandus, ſed ritus ille cautè ſupplendus, jux c. Presbyter de Sacramentis non iterandis.

XVI. *Sacerdotis* ordinationem præcedit unctio manuum, quæ eſt ceremonia Eccleſiaſtica ad eſſentiam non pertinens. Triplex deinde actio intervenit. 1. eſt impoſitio manuum Epiſcopi cum alijs Sacerdotibus, ſed ſine Verborum forma. 2. eſt traditio panis & vini in patena & calice cum hac forma: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & defunctis. 3. eſt impoſitio manuum ſolius Epiſcopi cum hac forma: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittentur &c. Ex his *traditionem calicis cum vino & patenæ cum pane* eſſe materiam hujus Ordinis: formam verò illa verba: *accipe poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* omnes fere docent Doctores,

colligi-

Digitized by Google

colligitúrque ex Florentino & definitione Eugenij §. 6. argument. Ratio eſt, quia effectus Sacramenti Ordinis Presbyterij, quæ eſt poteſtas ad conſecrandum corpus & ſanguinem Chriſti nullis alijs rebus aptius & expreſſius ſignificatur, nec ſignificari poteſt quàm prædictis traditione & verbis. Poſteriorem *manuum impoſitionem* cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* pertinere eſſentialiter ad materiam & formam conſecrationis Sacerdotis, negant nonnulli. Verùm ſententia oppoſita & affirmativa eſt probabilor, eadémque, ut ait Tanner Tom. 4. Quæſt. 2. n. 73. SS. Scripturis Concilijs & Patribus convenientior. Nam hæ poteſtates, ut diximus ſupra, diviſim ſunt Apoſtolis conceſſæ: nec iſta verba fruſtrà profert Epiſcopus, ſed operatoria ſunt illius, quod ſignificant, uti tradidit Tridentinum Seſſ. 23. c. 3. c. 4. ſignificant autem, concedi gratiam ad remittenda peccata. Ergo hanc gratiam & poteſtatem Operantur.

XVII. *In Epiſcopi* ordine plures actiones interveniunt. Ungitur illi Caput ſacro Chriſmate. Traditur liber Evangeliorum; & prius quidem imponitur Scapulis, deinde præbetur manibus. Traditur Baculus paſtoralis. Immittitur annulus digito. Imponitur Capiti mitra. Ac demum imponuntur illius Capiti *Manus à tribus Epiſcopus* ſub hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum.* Et in hoc ultimo conſiſtere eſſentiam hujus ordinationis ſeu Epiſcopatûs, prout à Sacerdotio diſtinguitur, ac novam illi perfectionem ſuperaddit, eſt communis ſententia apud Ferdinandum Palao de Sacramento Ord. Diſp. unic. pun. 4. apud quem plura videri poſſunt. Duo ſolùm breviter advertimus. Primum. Quæ hucuſque dicta ſunt, in Eccleſia latina obſervantur, non in Eccleſia Græca, in quâ ſola manuum impoſito adhibetur in ordinatione Diaconi & Presbyteri. Neque hinc ſequitur, ab Eccleſia eſſe mutatam materiam à Chriſto deſignatam. Nam placuit Chriſto, materiam hujus Sacramenti determinare ſub conceptu generico cujuſcunque actionis certæ ad ſignificandam traditionem poteſtatis, & relinquere Eccleſiæ ultimam electionem determinatæ actionis. Elegit autem & ſuperaddidit Eccleſia Latina manuum impoſitioni pro magis explicitâ ſignificatione traditionem inſtrumentorum. Indicavi hanc doctrinam obiter in Contr. de Sacram. in communi. Alterum. Sacerdotio initiandus debet phyſicè tangere calicem & patenam, aut ſaltem hanc illi ſuperadditam, licet non hoſtiam. Et omnes ordinandi debent conari, non ſolùm ut oſtendant, ſe acceptare, quod traditur, (quod eſſet moraliter tangere) ſed etiam ut phyſicè & reverà tangant, quod Palao loc. cit. num. 22. cum pluribus alijs Theologis putat ad valorem Sacramenti requiri ex praxi Eccleſiæ & tam ordinantium, quàm ordinandorum ſolicitudine circa prædictum contactum præſtandum. Quidquid ſit de hoc. Negari non poteſt, eundem ſaltem phyſicum contactum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, & abſque peccato mortali omitti liberè non poſſe ob periculum invalidæ ordinationis; interim neceſſe non eſt, ut tactus ſit magnus aut prolixior, ſed ſufficit levior ac brevior &c.

XVIII. *Doctrina undecima.* Epiſcopus major eſt Presbytero tum poteſtate Ordinis, tum etiam juriſdictione. Ita communiter Catholici Doctores cum Magiſtro Sentent. in 4. Sent. Diſt. 44. Et S. Thoma 22. q. 184. art. 6. idque ex jure divino affirmantes. Probatur prior pars. Tum quia ſolus Epiſcopus poteſt ordinare Presbyteros, ut conſtat ex continua Traditione apud Sanctos Patres relatos longâ ſeriè à Bernardino Vetweis in Specul. veræ Eccleſiæ fol. 823. Unde Epiphanius hæreſi 75. Aërij errorem (quem ipſe furorem vocat) perſtringens ait: *Dicere ipſum Epiſcopum & Sacerdotem æqualem eſſe, quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum enim Ordo Patrum generator eſt (Patres enim generat Eccleſiæ) Presbyterorum autem Ordo, non potens generare Patres, per lavacri generationem generat filios Eccleſiæ.* Ubi obſervandum, niſi S. Pater id ex jure divino eſſe cenſuiſſet, fruſtra quæſijſſet, quomodo erit poſſibile; quippe poſſibile foret per legis Eccleſiaſticæ abrogationem aut diſpenſationem. Tum quia irritum habetur, ſi ordinatio ab ijs fiat, qui veri Epiſcopi non ſunt, ut præter alios Patres apertè docet S. Damaſcenus in Epiſt. loquens de Chorepiſcopis qui cum ſoli eſſent Presbyteri, Epiſcoporum more ordinare præſumebant: *vacuum*, inquit, *eſt & inane, quidquid in prædicto Sacerdocij ſummi egerunt miniſterio.* Ergo ex jure divino ordinant Soli Epiſcopi; etenim ſi Presbyteri eodem jure vi ordinationis ſuæ illudipſum poſſent, non invalidum, ſed illicitum tantùm foret, contra Eccleſiæ prohibitionem tale quid audere & facere. Tum quia ſoli Epiſcopi ut Ordinarij Miniſtri poſſunt confirmare Baptizatos, nec non templa & altaria conſecrare, ut docent S. Leo in Epiſtol. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ. Damaſus in epiſt. 3. cit. & alij Patres; imò videmus etiam Actor. 8. Apoſtolos ipſos, quibus Epiſcopi ſuccedunt, miſſos, ut per manuum impoſitionem darent Spiritum Sanctum jam baptizatis.

XIX. Probatur poſterior pars de poteſtate Juriſdictionis. Tum quia D. Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium Epiſcopos comparat cum Aarone: Presbyteros autem cum filijs ejuſdem Aaronis. Quis autem dubitat, quia Aaron in poteſtate etiam juriſdictionis filijs ſuis jure divino fuerit ſuperior? Tum quia Apoſtoli jure divino majores fuerunt LXX. diſcipulis; unde cum Actor. 1. numerus duodenarius ex apoſtaſia Judæ imminutus eſſet reſtaurandus, fuit aſſumptus Matthias nec abſque ſolenni quadam cæremonia, qui tamen antea erat unus ex LXX. Diſcipulis. Sed Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis; Presbyteri verò Diſcipulis LXX. ut docet apertè Concilium Neocæſarienſe can. 13. & conſtanter Sancti Patres. Ergo Epiſcopi jure divino Presbyteris ſunt majores. Tum quia ipſo tempore Apoſtolorum Presbyteri ſuberant Epiſcopis 1. Tim. 5. v. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus; peccantes autem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Quibus verbis poſſetne clarius exprimi officium & authoritas Judicis in ſubditos? Nam apud Romanos officium Judicis tria complectebatur, quæ haud obſcurè hîc apparent in Epiſcopo; inprimis enim dat petentibus in presbyteros actionem, & hujus formulam: deinde cognoſcit de controverſijs: demum jus dicit, ſive lite conteſtatâ ſententiam pronunciat; nec tantùm in Presbyteros, ſed in omnes Chriſtianos. Plura apud Bellarm. Lib. 1. de Clericis cap. 14. Et nos in altera parte contra errores hæreticorum.

Digitized by Google

XX. *Doctrina duodecima.* Miniſter ordinarius Sacramenti Ordinis eſt ſolus Epiſcopus. Ita omnes Catholici, habetúrque in Concilijs Florentino in decreto Eugenij. Et Trident. Seſſ. 23. can. 4. & 7. Ratio præcipua petitur à Voluntate Chriſti; qui ita hoc Sacramentum inſtituit, ut voluerit, non alium eſſe ordinarium illius Miniſtrum, quàm Epiſcopum. Quod autem Chriſtus ita ordinaverit, ſatis colligitur ex perpetua & conſtanti praxi Eccleſiæ, quæ non niſi per Epiſcopos conferre ſolet Ordines. Congruentia, cur ſolus Epiſcopus ſit Miniſter Ordinarius, ex eo ſumitur, quod, cum ſolus Epiſcopus ſit Princeps Reipubl. Chriſtianæ, ad illum ſolum ſpectat, dignitates & miniſteria Eccleſiaſtica diſtribuere, ſicut ad Principem ſæcularem officia politica, ut docet S. Thomas Supplem. q. 83. art. 1. Dixi Ordinarius. Nam 1. ex commiſſione ſummi Pontificis poteſt ſimplex Sacerdos conferre ordines Minores, ut probant privilegia quibuſdam Abbatibus conceſſa. 2. ex eadem commiſſione Sacerdos non Epiſcopus conferre poteſt Diaconatum & Subdiaconatum propter privilegium aliquod ab Innocentio VIII. an. 1489. collatum Abbati Ciſtertienſi & alijs quatuor primis Abbatibus ejuſdem Ordinis, ut poſſet prior omnes Ordinis ſui Monachos: reliqui verò ſolùm ſibi ſubditos ad prædictos Ordines promovere; quamvis non deſint, qui hoc privilegium in dubium revocent.

XXI. *Doctrina decima tertia.* Ad valorem Ordinationis neceſſe eſt, ut qui Ordines ſuſcipit, ſit vir, iſque baptizatus. Ita omnes Catholici. Prior pars præcipuè colligitur ex voluntate Chriſti, qui dum in cœna Apoſtolis dedit poteſtatem conſecrandi: item quando poſt Reſurrectionem inſufflavit in eos, & dixit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* nullam mulierem ordinavit, nequidem ſanctiſſimam Matrem ſuam; quod certè argumento eſt, ſexum fœmineum eſſe ex jure divino incapacem ordinationis etiam primæ tonſuræ, cum hæc ſit deputatio ad Ordines ſuſcipiendos. Hujus incapacitatis, quam Eccleſia ſemper agnovit, variæ congruentiæ afferri ſolent. Nam 1. per Ordinationem confertur officium quoddam publicum, & præeminentia quædam ſuper alios: fœminæ autem ex lege naturæ ſubjiciuntur viris Genes. 3. v. 16. 2. ordinatus debet eſſe idoneus, qui doceat populum in Eccleſia; fœminas autem hoc munus non decet 1. Tim. 2. v. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione, docere autem mulieri non permitto.* 3. Fœmina non eſt idonea ad repræſentandum Chriſtum, ut ſponſum Eccleſiæ. Ergo nec debebat eſſe capax Epiſcopatûs. Ergo nec reliquorum Ordinum, quibus homo ad Epiſcopatum diſponitur. Per Presbyteras igitur, de quibus interdum in Concilijs agitur, intelliguntur viduæ ſeniores, quæ alijs ratione ætatis præerant. Vel fœminæ, quarum mariti ex earum conſenſu ad Sacerdotium evecti ſunt, quæque caſtitatem ſervare tenebantur. Similiter nomine Diaconiſſæ intelligi ſolet fœmina deputata ad aliquod miniſterium quodammodo ſacrum in Eccleſia exercendum v. g. ut Sacerdoti baptizanti inſervirent: Vel cujus vir ad Diaconatum promotus erat, quæque non poterat, eo vivente, alteri conjugio copulari. Poſterior pars conſtat. Tum ex capitulo ſiquis de Presbytero non baptizato. Tum quia ſupra jam diximus, Baptiſmum eſſe januam & fundamentum omnium Sacramentorum. Unde communiter dicunt Authores, characterem Ordinis ſupponere characterem Baptiſmi.

XXII. *Doctrina decima quarta.* Infantes validè poſſunt ordinari ante uſum rationis: in adultis tamen conſenſus ad valorem ordinationis requiritur. Ita communis ſententia Catholicorum. Prior pars haud obſcurè habetur c. unic. de Clerico per ſaltum promoto. Et traditur à D. Thoma in 4. Diſtinct. 25. q. 1. art. 1. quæſtium. 2. Et poſt alios à Vaſquezio D. 246. cap. 1. num. 6. & Layman Lib. 5. Tr. 9. Cap. 6. n. 4. Probatur. Tum à ſimili. Nam infantes ante uſum rationis ſunt capaces Baptiſmi & Confirmationis. Cur non etiam Ordinis? cum hæc tria Sacramenta id habeant commune, ut characterem imprimant. Tum congruentiâ, quia Ordo nullum Infantibus infert onus, ſed potius honorem (non enim teneretur Infans ſervare Caſtitatem, nec Ordines exercere) Apparet itaque congruum, ut Infantibus ordo validè conferri poſſit, eſto, ob varia inconvenientia illud non liceat. Poſterior pars ſufficienters probata manet ex dictis de Sacramentis in genere, ubi docuimus, ad valorem Sacramenti neceſſariam eſſe intentionem ſuſcipientis, ſi ſit adultus; quod nominatim hic extendimus ad amentem, qui aliquando uſum rationis habuit, eum ſcil. ordinari non poſſe, niſi tempore diſcretionis ordinem poſtulaverit; etenim Sacramenta, quæ neceſſitatis non ſunt, ſed voluntatis, repelli cenſentur, ſi poſtulata non fuerint tempore, quo liberè poſtulari poterant, ut bene advertit Vaſquez loc. cit. n. 8. Cæterùm ex lege Eccleſiaſtica pro ordinum diverſitate diverſa ætas requiritur, ut licitè recipiantur. Ad primam Tonſuram non admittitur quis ante annos diſcretionis, qui communiter adſunt expleto ſeptennio. Pro Minoribus ordinibus nulla certa ætas præcribitur. Pro Subdiaconatu requiritur annus vigeſimus ſecundus. Pro Diaconatu vigeſimus tertius. Pro Presbytero vigeſimus quintus, ſcil. inchoati. Pro Epiſopatu trigeſimus completus, niſi diſpenſetur. Quodſi non obſervatis temporibus ordo conferatur, valet ordinatio, cum ſit actus ordinis, non juriſdictionis, adeóque nullâ lege poteſt actûs valor impediri vel irritari. De cæteris requiſitis Moribus, Doctrina, Beneficio &c. videantur Theologi Morales.

XXIII. *Doctrina decima quinta.* Effectus ordinis Sacramentalis eſt Gratia habitualis fundans auxilia actualia opportuna ad functiones rite obeundas. Et Character. Ita omnes Catholici, habetúrque in Concilio Tridentino Seſſ. 23. c. 3. Et ſufficienter intelligitur ex ijs, quæ de effectu Sacramentorum in communi diximus. Solùm circa characterem ex communiore doctrina Theologorum hæc tria addo 1. Character ſacerdotalis conſtituitur ex duplici charactere partiali propter duplicem poteſtatem, quam accipit, conſecrandi & abſolvendi. 2. ordinatione Epiſcopali etiam confertur character dependens à charactere Presbyterali; quia itidem confertur poteſtas ſpiritualis perpetua ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, confirmandi &c. 3. Character particularis Presbyterij collatus cum poteſtate abſolvendi dependet à charactere collato cum poteſtate conſecrandi; nec poteſt conferri poſterior non habenti priorem,

Digitized by Google

rem, ut jam ſupra inſinuatum. Congruentia hujus eſſe poteſt, quia ſicut corpus Chriſti verum præſupponitur ad corpus Chriſti myſticum, ita congruum erat, ut poteſtas conficiendi corpus verum præſupponeretur à poteſtate diſponendi & præparandi proximè membra Corporis Myſtici ad veram Corporis CHriſti communionem.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XXIV. ERror primus. Ordo non eſt verum ac propriè dictum Sacramentum. Ita Martinus Lutherus ex omnibus hæreticis primus rationem Sacramenti denegare Sacro Ordini auſus Lib. de Captivit. Babyl. cap. de ordine, quem plerique Lutherani ſecuti fuerunt, nominatim Kemnitius P. 2. Exam. & Gerhardus in Confeſſ. ſua Auguſt. L. 1. P. 3. à fol. 205. Calvinus Lib. 4. Inſtitut. c. 14. §. 20. & alibi oppoſitum quidem docet, Calviniſtæ tamen Luthero adhærent, ut videre eſt apud Ameſium Tom. 3. contra Bellarm. à fol. 245. Argumenta, quibus magis fidunt, ſunt iſta. 1. In Ordine nullum eſt ſymbolum externum, quod repræſentat & obſignat unionem noſtram cum DEO per Chriſtum. 2. Apoſtoli extenderunt quidem Manûs impoſitionem in ordinationem Miniſtrorum Eccleſiæ, non tamen ideo, ut per eam cæremoniam conferrent Sacramentum, ſed ut eos DEO commendarent, ac pro iiſdem orarent. 3. Finis, ad quem ordinatio fit, eſt aliorum ædificatio Epheſ. 4. v. 12. non propria juſtificatio. Item omne Sacramentum eſt bonum totius Eccleſiæ: Ordinatio non eſt bonum totius Eccleſiæ, ſed certi alicujus ſtatûs, nempe Miniſtrorum Eccleſiæ proprium, Ergo &c. 4. Præter impoſitionem manuum aliæ olim cæremoniæ Iudæis & Gentilibus familiares non fuerunt adhibitæ; imò raſura capitis & barbæ prohibetur Levit. 19. v. 27.

XXV. Errorem iſtum abunde ſupra §. 1. rejecimus authoritate Scripturæ, Conciliorum & Patrum. Ei certè vel ſolius Auguſtini teſtimonium (qui in lib. 2. contra Parmenianum c. 13. & Lib. 5. de Bapt. c. 1. fere decies Ordinationem vocat Sacramentum) plus ponderis habet, quàm univerſæ Novatorum objectiunculæ, quas etiam Melanchthon non tanti fecit, quò minùs contrarium aſſereret in locis Anni 36. 52. & 58. ut & in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ art. 13. Unde ſapienter docuit Concilium Tridentinum Seſſ. 23. cap. 3. in hæc verba: *Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis; inquit enim Apoſtolus: admoneo te, ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Argumenta minimè difficilia ſunt.

XXVI. Reſpon. ad 1. Manuum impoſitionem ſemper in Eccleſia habitam fuiſſe tale Symbolum, idque ex apertis Sacræ Scripturæ teſtimonijs; etſi hæc non conceptis verbis affirment, illam eſſe Symbolum gratiæ, ſed nec iſto opus eſt. Inquit Kemnitius, in ordinatione Apoſtolorum Chriſtus nullo uſus videtur ritu exteriori. Inprimis hoc falſum eſſe, patet ex Sac. Scriptura Joannis 20. v. 22. cit. Deinde ſi etiam daretur, nihil ex eo contra nos probaretur; quia Chriſtus per poteſtatem excellentiæ effectum Sacramentorum dare potuit ſine ritu exteriore, ac nihilominus ritum exteriorem certum conſtituere in Ordinatione miniſtrorum deinceps obſervandum. Dicit Hailbrunner in ſuo Papatu non-Cathol. pag. 582. Teſtimonia Scripturæ non pro vero Sacerdotio, ſed prædicandi officio intelligenda eſſe. Contra hoc effugium ſic argumentor. Notum eſt, per impoſitionem manuum conſecrari præcipuos DEI & Eccleſiæ Miniſtros, qualis fuit Timotheus à D. Paulo ordinatus 1. Tim. 4. & 2. ad Tim. 1. cit. Atqui præcipui Eccleſiæ Miniſtri fuerut veri Sacerdotes. Ergo veri Sacerdotes initiati fuerunt per Manuum impoſitionem. Minor inde conſtat, quod in Novo Teſtamento Sacerdotes ſemper extiterint non ſolùm generali ſignificatione quaſi ſacra tractantes, ſed verè & propriè dicti; ubi namque eſt propriè dictum Sacrificium, ibi verè propriéque dicti ſunt Sacerdotes. Verum autem propriéque dictum Sacrificium eſſe in Eccleſia Chriſti, abunde ſupra demonſtravimus. Ergo in eadem verè propriéque dicti Sacerdotes ſint, oportet, ut copioſé teſtantur SS. Patres itidem ſupra adducti. Ad 2. falſum eſſe; Apoſtolos per manuum extenſionem ſolùm oraſſe pro Ordinandis. Tum quia Actor. 6. v. 6. ubi ordinantur Diaconi ab Apoſtolis, Oratio diſtinguitur ab impoſitione manuum. Tum quia verba illa Apoſtoli citata: *Manum citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*, non poſſunt explicari de oratione; ſed de ceremonia, quâ ordinantur Miniſtri; non enim communicat peccatis alienis, qui orat pro indignis, ſed qui ordinat indignum, & confert illi Sacramentum. Dicunt Adverſarij, non extare mandatum de manuum impoſitione in Scriptura. Eſto, non extet diſertis verbis, evidenter tamen ex Scriptura colligitur; etenim nullus Angelus vel homo, ſed ſolus DEUS poteſt gratiam alligare certo ſigno, aut inſtrumento, uti etiam Sectarij concedunt. Atqui gratia eſt alligata impoſitioni manuum in Ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ, ut patet ex verbis cit: *Reſuſcita gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

XXVII. Ad 3. finem extrinſecum Ordinis jam collati & in facto eſſe ſine dubio eſſe ædificationem Eccleſiæ: in fieri autem ſeu collationem & receptionem characteris Sacerdotalis habere pro fine intrinſeco ipſius perſonæ ordinandæ habilitationem, quâ per dona ſupernaturalia characteris, gratiæ Sanctificantis, & auxiliorum actualium idoneus & potens redditur ad miniſtrandum alijs præcipuè SS. Euchariſtiæ & abſolutionis Sacramenta. Atque ex his patet etiam ad argumentum adjectum; eſto enim Sacer Ordo non ſit in bonum totius Eccleſiæ ſubjectivè, eſt tamen terminativè; quia Chriſtus inſtituendo ſacrum Ordinis Sacramentum revera principaliter reſpexit ad bonum totius Eccleſiæ procurandum, nunquam illum Ordinem inſtituturus, niſi hoc bonum Eccleſiæ Univerſæ intendiſſet. Ad 4. etiam olim præter impoſitionem Manuum alias cæremonias fuiſſe adhibitas, ut conſtat ex S. Dionyſio c. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Ubi teſtatur,

Pontificem

Digitized by Google

Pontificem uti oleo ſacro in omni fere conſecratione Pontificali idque traditum fuiſſe ab Apoſtolis. Vetus Teſtamentum raſuram prohibens non amplius obligat à Chriſto abolitum. Neque refert, quod olim Judæi & Gentiles ſimiles quaſdam cæremonias uſurparint; quia nos longè aliâ intentione & ſignificatione uſurpamus. Hinc D. Auguſtinus Lib. 20. contra Fauſtum cap. 23. ait: *Etſi uſus quarumdam rerum ſimilis videtur nobis eſſe cum Gentilibus, ſicuti cibus & potus, lectorum, veſtimentorum &c. Eccleſia tamen longè aliter his rebus utitur, quæ ad alium finem earum uſum refert.* Quærere autem lubet ex Prædicantibus, unde nam ipſi hauſerint ritum ſuæ ordinationis, quam alicubi obſervant, ut teſtatur Coſterus in compendioſa Fidei demonſtratione propos. 4? ubi Candidatum in templum deducunt, ibique manibus capiti ejus impoſitis ori ſalem immittunt, tum hauſtum vini præbent, & aquam Baptiſmi, ac denique librum cantionum, ex quo cantare debet: Erhalte vns HErr bey deinem Wort. Vnd ſtewr deß Bapſts vnd Türcken Mord. Die JEſum Chriſtum deinen Sohn. Wollen ſturtzen von ſeinem Thron. hoc eſt latinè: Conſerva nos Domine apud tuum Verbum. Et Papæ ac Turcæ ſiſte mortis ferrum. Qui JESUM Chriſtum Filium tuum. Jactum volunt extra thronum ſuum. Certè iſti ritus nec in Sacra Scriptura continentur, nec in hiſtoria Eccleſiaſtica aut ullo Sancto Patre reperiuntur.

XXVIII. *Error ſecundus.* Presbyteri jure divino Epiſcopis ſunt æquales. Ita Ærius, de quo ita ſcribit Epiphanius hæreſi 75: *Erat ipſi ſermo furioſus magis, quàm humanæ conditionis, & dicebat, quid eſt Epiſcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo; unus enim eſt ordo, & unus honor & una dignitas. Imponit manus Epiſcopus, ita & presbyter &c.* Secuti hunc fuerunt moderni Novatores Wicleff, Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 4. §. 2. Kemnitius in Exam. Trident. Seſſ. 23. Et alij Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. Part. 2. & Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. à fol. 104. Probant 1. *Apoſtolus epiſt. ſuam ad Philipp. ſic c. 1. v. 1. inchoat: Paulus & Timotheus ſervi JESU Chriſti omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus.* Ubi per Epiſcopos intelliguntur Presbyteri. Probant 2. In 1. ad Timotheum c. 4. v. 14. ſcribit idem Apoſtolus; *noli negligere gratiam, quæ eſt tibi data cum impoſitione manuum presbyterij.* Probant 3. S. Hieronymus in epiſt. ad Titum c. 1. ſic ſcribit: *Idem Presbyter, qui Epiſcopus.* Et in epiſt. ad Evagrium: *quid facit Epiſcopus, exceptâ ordinatione, quod non etiam facit Presbyter?* Probant 4. Chriſtus ordinavit presbyteros in ultima cœna ſecundùm omnes Catholicos. At nuſquam legitur ordinaſſe Epiſcopos. Ergo Epiſcopatus non eſt introductus jure divino, ſed merè humano, ut volunt Sectarij loc. cit.

XXIX Hunc errorem jure meritiſſimo damnavit Concilium Tridentinum Seſſ. 23. c. 3. can 7. ubi definijt, *Epiſcopos Presbyteris eſſe ſuperiores.* Et ibid. can. 6: *ſiquis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierachiam divinâ ordinatione conſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Jure, inquam, damnavit; quia jam olim inter hæreſes idem error eſt poſitus ab. Epiphanio loc. cit. ubi inter alia ſic ait: *decipit autem Ærium nugacitas ipſius & æmulatio; profert autem ad errorem ſuum, quod Apoſtolus ſcribit Presbyteris & Diaconis, & non ſcribit Epiſcopis &c.* Item ab Auguſtino de hæreſibus cap. 53. ubi ſic ſcribit: *qui Ærius, cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod non Epiſcopus potuit ordinari & in Arianorum hereſin lapſus propria quoque dogmata addidiſſe nonnulla &c. dicebat etiam Presbyterū ab Epiſcopo debere nullâ differentiâ diſcerni &c.* Ubi S. Pater ſupponit certum, quod Epiſcopi novâ ordinatione creandi ſint, cum presbyteri ſunt: & quod dogma hæreticum ſit., Presbyreros ab Epiſcopis non differre. Ratio juſtæ hujus damnationis eſt, quia Epiſcopi non ſolùm conſecrant, ſed etiam regunt & gubernant Presbyteros juxta illud 1. ad Tim. 5. v. 19: *adverſus Preſbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus, aut tribus teſtibus,* uti jam ſupra diximus. Unde Tertulianus in Lib. de Baptis: *jus* inquit, *habet dandi baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, ſed non ſine Epiſcopi voluntate.*

XXX. Reſpond. ad 1. probationem Sectariorum cum D. Thoma 22. q. 148. art. 6. ad 1. illa duo nomina Epiſcopus & Presbyter tempore Apoſtolorum fuiſſe communia omnibus Sacerdotibus tam majoribus & primæ claſſis, quos Epiſcopos vocamus, quàm minoribus & ſecundæ claſſis, quos Presbyteros appellamus, licet res ipſæ & poteſtates eſſent diſtinctæ. Itaque Paulus nomine Epiſcoporum complexus eſt omnes Sacerdotes. Videri poteſt Baronius in hiſt. Eccleſiaſt. ad annum Chriſti 60. Ad 2. cum Cornelio à Lapide, Tirino, & alijs Interpretibus in hunc locum, *per impoſitionem manuum presbyterij* intelligi cœtum Presbyterorum majorum & primæ claſſis, hoc eſt, Epiſcoporum. Nam juxta Apoſtolicam traditionem Epiſcopus ordinari debet à tribus ſaltem Epiſcopis, ut ſupra diximus. Ad 3. quæ eſt Achilles Sectariorum, D. Hieronymum non omnimodè æquare Presbyteros Epiſcopis, apertè conſtare ex adductis verbis ad Evagrium, *exceptâ ordinatione.* Senſit itaque S. Pater ſolummodo, quod Epiſcopi, licet jure divino ſint Majores Presbyteris quoad poteſtatem Ordinis, non tamen in primitiva Eccleſia fuerint quoad Jurisdictionem in actu ſecundo majores. Nam Jurisdictio Epiſcopalis olim in primitiva Eccleſia etiam ſecundæ claſſis Sacerdotibus ſeu Presbyteris conferebatur in actu ſecundo: & ideo ipſi etiam presbyteri tunc aliquo modo vocabantur Epiſcopi ſeu Antiſtites, ſicuti viciſſim Sacerdotes primi ordinis ſeu Epiſcopi vocabantur Presbyteri, ut patet ex 1. ad Timoth. c. 4. & 5. & notavit Chryſoſtomus hom. 11. Poſtea autem, cum auctâ Eccleſiâ ex hac conceſſione ſpeciali Sacerdotibus ſecundæ claſſis per diſpenſationem facta diſſenſiones & ſchiſmata orirentur, deſijt ea poteſtas ipſis ultra committi. Itaque quoad jurisdictionem diſtinguendum inter actum primum & ſecundum. In actu primo ſeu debito jus divinum plus jurisdictionis confert Epiſcopo, quàm Presbytero; quia ratione Epiſcopatûs & muneris Epiſcopalis plus juris illis Epiſcopis, quàm his Presbyteris confertur: in actu ſecundo autem poteſt Eccleſia parem jurisdictionem utriſque concedere, ut olim contigiſſe conſtat, ac de Chor-epiſcopis docet Cardin. Bellarminus Lib. 1. de Clericis cap. 17. Breviter. D. Hieronymus ſolùm vult, non vanè Epiſcopo gloriandem de jurisdictione in alios; ſiquidem prærogativa iſta non ita illi per ordinem Epiſcopalem convenit, quin eadem in actu ſecundo meris

Sacerdo-

Digitized by Google

Sacerdotibus ex commiſſione convenire poſſit; eſto per dictum ordinem Epiſcopalem ſemper retineat, quod ipſe Sacerdotes ordinare valeat: iſtud autem in nullo caſu Sacerdoti mero convenire queat. Ad 4. à Chriſto fuiſſe ordinatum S. Petrum Epiſcopum: à S. Petro Jacobum & Joannem: ab his cæteros Apoſtolos, ut copioſè oſtendit Joannes de Turrecremata Lib. Summæ Eccleſiaſticæ cap. 32. Bellarminus Lib. 1. de Pontifice cap. 23. &c.

XXXI. *Error tertius eſt.* Neminem ad Ordines promovendum eſſe ſine conſenſu populi & Magiſtratûs civilis. Ita communiter moderni Sectarij Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. Confeſſ. Auguſt. à fol. 1. Et Calviniſtæ apud Ameſium Tom. 2. contra Bellarminum à fol. 75. Probant 1. Actor. 1. v. 23. Cum aliquis Apoſtolus loco Judæ proditoris ſubſtituendus eſſet ad implendum numerum duodenarium à DEO determinatum, Petrus totum populum fidelem convocavit, eiſque permiſit deſignare novum Apoſtolum. 2. Iterum Actorum 6. v. 5. electio Diaconorum omnibus Fidelibus fuit permiſſa, qui elegerunt Stephanum, uti alios ſex. 3. Olim Cleri populique ſuffragia requiſita fuiſſe, conſtat ex nonnullis canonibus Juris Canonici apud Gratianum Diſt. 23. 24. 62. 63. 65. 67. Et cauſa 8. q. 1. can. licet. 4. antiquitus etiam Epiſcopi & Pontifices ab Imperatoribus non ſolùm electi, ſed etiam confirmati, imò depoſiti fuerunt. Atque hanc electionem à Laicis per annos fere mille trecentos citra omnem controverſiam fuiſſe factitatam, affirmat Illyricus Lib. de Elect. Epiſc.

XXXII. Errori huic inprimis adverſantur Sacræ Scripturæ. Actor. 13. v. 3. DEUS non populo, ſed *Prophetis & Doctoribus mandavit, ut iſti, qui erant Antiochiæ, Saulum & Barnabam ſegregarent in opus, ad quod Spiritus Sanctus eos aſſumpſerat*, hoc eſt, ordinarent illos perfectè & publicè Miniſtros Eccleſiæ. Ibidem c. 14. v. 22. abſque mentione populi *conſtituerunt per ſingulas civitates Presbyteros.* Mandat & Paulus Tito c. 1. v. 5. abſque recordatione populi, *ut per civitates ordinaret Presbyteros &c.* Deinde decreta Conciliorum, quibus popularis electio inhibetur. Synodus VIII. Generalis, quæ eſt Conſtantinopolitana IV. Act. 1. expreſsè ponit, *non convenire populo electionem Miniſtrorum Eccleſiæ; cum in talibus nullam poteſtatem quemquam poteſtativorum vel aliorum Laicorum habere conveniat.* In Concilio Martini I. c. 1. apertè decernitur his verbis: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur.* Nicenum II. quod eſt Synodus VII. Generalis can. 3. ſic abſolutè ſtatuit: *Omnis electio Epiſcopi vel Presbyteri, quæ fit à Magiſtratu, irrita maneat, oportet enim eum, qui eſt promovendus, ab Epiſcopis eligi.* Demum huic errori adverſantur ipſimet Novatores; ſiquidem in pleriſque jam locis acatholicis, teſte Chriſtophoro Beſoldo in motivis converſionis ſuæ fol. 91. vocatio & ordinatio Miniſtrorum à ſolis Principibus & Magiſtratibus ſæcularibus dependet, ita ut iſti populo quidem indicentur & proponantur, minimè tamen penes hunc ſtet, unum à Principe electum aut conſtitutum Miniſtrum repudiare, imò ipſa etiam inveſtitura ſub nomine ſolius Principis fit. Unde ſic concludo. Vel hujuſmodi vocatio Miniſtrorum acatholicorum eſt valida, vel non? ſi prius. Ergo Populus nullum habet ſuffragium. Ergo functiones Miniſtrorum illegitimè vocatorum ſunt nullæ, nominatim conſecratio Cœnæ, abſolutio in confeſſione &c.

XXXIII. Pro majore declaratione, & clariore refutatione argumentorum in oppoſitum. Advertendum, inſtitutionem ſeu creationem Miniſtrorum Eccleſiæ tria complecti. Primò. Electionem ad Ordinem, quâ quis ad ſacrum ordinem ſuſcipiendum eligatur & deſtinetur. Secundò Ordinationem, ut certo ritu & cæremoniâ ordinetur. Tertiò. miſſionem ſeu Vocationem, ut ordinatus datâ jurisdictione ad ſacras functiones cum poteſtate & authoritate reipsâ obeundas legitimè mittatur. Hoc poſito. Doctrina Catholica circa conſtituendos Eccleſiæ Miniſtros ſtat in ſequentibus punctis. *Primum.* Electio & Inſtitutio Miniſtrorum Eccleſiæ non fit immediatè à DEO. Probatur tum ex Sac. Scriptura Actor. 6. v. 5. cit. ubi Electio ſeptem Diaconorum, & inter hos ipſius etiam Nicolai Hereſiarchæ facta eſt ab Eccleſia. Tum ratione, quia conſuetus divinæ Providentiæ modus eſt, ut inferiora gubernet per media. Accedit, quod Electio Miniſtrorum debeat eſſe viſibilis, ut fidelibus conſtare de iiſdem poſſit. *Secundum.* Electio Miniſtrorum Eccleſiæ, ut v. g. Papæ, Epiſcopi, & Paſtorum jure divino non convenit populo toti, nec ex ejus conſenſu & ſuffragio dependet. Probatur tum exemplo Chriſti, qui ſine ullo ſuffragio elegit Apoſtolos duodecim & ſeptuaginta duos diſcipulus. tum ex Concilijs Nicæno II. Conſtantinopolitano IV. citatis, quæ prohibent, *Ne Magiſtratus & Principes ſæculares ejuſmodi electionibus ſeſe immiſceant. Tertium.* Ordinatio Epiſcoporum & aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ non pertinet ad populum ſeu plebem, ſed ad ſolos Epiſcopos. Probatur tum ex Concilijs præſertim Nicæno I. can. 4. Carthaginenſi II. can. 12. & alijs. Tum ex perpetua praxi Veteris & Novi Teſtamenti; quemadmodum enim Aaron & reliqui Sacerdotes non ab alio, quàm Moyſe ordinati fuerunt, ita Miniſtri novi Teſtamenti in Eccleſia Primitiva non niſi per Apoſtolos aut Epiſcopos ab Apoſtolis ordinatos mediante manuum impoſitione ordinati fuerunt Actor. 6. & alibi. *Quartum* denique punctum. Miſſio ſeu vocatio Miniſtrorum non pertinet ad populum, ſed ad Epiſcopos & præcipuè ad Summum Pontificem. Ratio eſt, quia hæc miſſio eſt actus jurisdictionis Eccleſiaſticæ; hæc autem jurisdictio non eſt in populo, ſed in Prælatis Eccleſiæ; quippe non populo dictum eſt: *Tibi dabo claves*, aut, *paſce oves meas*, aut: *quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c.* Hinc ab Apoſtolis fuerunt miſſi Epiſcopi ad convertendos Infideles in varia loca: à Gregorio Bonifacius ad Germanos, Auguſtinus ad Anglos &c. & ab alijs alij, nec potuit quidem electio populi, ad quem Epiſcopi mittebantur, intervenire. Videantur, quæ diximus ſupra de vocatione Miniſtrorum Contr. XXXVII. Nunc

XXXIV. Reſpon. ad 1. probationem hæreticorum, hanc non eſſe contra nos, quia non dicimus, populum ex conceſſione non poſſe admitti ad electionem (hoc enim ſæpius eſt factum) ſed aſſerimus, non eſſe juris divini, ut populus habeat ſuffragium; etenim ſi iſtud eſſet, electio foret nulla, in quam populus non conſentit, quod eſt falſum, ut ex dictis apertè conſtat. Equidem ſub initium Eccleſiæ, cum adhuc latè non pateret numerus Fidelium, & unum eſſet cor omnium, atque una anima, facilè & ſine incommodo potuit

Digitized by Google

populi conſenſus obtineri ad dignam ac ſalutarem electionem faciendam, ideóque etiam ipſi qualiſcunque petitio ſeu nominatio eligendorum ſine incommodo permittebatur, eáque conſuetudo poſt aliquamdiu in Eccleſia fuit tolerata. Sed poſtea cum ob multitudinem & inſolentiam populi magnæ perturbationes & clades in ejuſmodi popularibus electionibus intervenirent, quod antea toleratum fuerat, paulatim Sanctis Patribus & Eccleſiæ Prælatis diſplicere meritò cepit, donec tandem neceſſitate cogente populo hujuſmodi poteſtas ob imperitiam & multitudinem atque improbitatem ablata fuit. *Dixi qualiſcunque petitio ſeu nominatio eligendorum.* Nam hujuſmodi electio Apoſtoli & Diaconorum, de quibus in Actis Apoſtolorum, non fuit ordinatio, ſed tantùm præſentatio etiamnum Laicis Patronis conceſſa, ultimo tamen judicio Eccleſiæ relicto, utrum præſentati ſint digni; univerſo autem populo hanc præſentationem permittere, non amplius expedit, ut diximus. Ad 2. jam dictum, poſſe iſtud fieri ex conceſſu Prælatorum. Apoſtoli autem conceſſerunt multitudini, ut eligerent ſeptem viros plenos ſpiritu ſancto; quamvis in hoc ipſo loco, ut modò diximus, electio melius ſumatur pro nominatione ſeu præſentatione, manente ſcil. liberâ diſpoſitione penes Apoſtolos; unde vers 3. dicitur: *Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu Sancto & Sapientiâ, quos conſtituamus ſupra hoc opus.* Conſtiruere ergo ad Apoſtolos pertinebat: conſiderare verò ſeu delectum habere perſonarum, eáſque Apoſtolis præſentare, Fidelibus permittebatur. Ad 3. vetuſtum morem Apoſtolorum aut Pontificum in requirendo populi conſenſu jam pridem abrogatum fuiſſe, ut conſtat ex Diſt. 63. cit. ubi cap. 1. ſic ait Adrianus Papa: *Nullus Laicorum Principum vel Potentum ſemet inſerat electioni aut promotioni cujuslibet Epiſcopi, ne inordinata & incongrua fiat electio vel confuſio vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam Laicorum habere conveniat.* Quod confirmant Synodus generalis VIII. & Martinus Papa verbis cit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur, ſed in judicio ſit Epiſcoporum.* Non obſtat Cyprianus Lib. 1. epiſt. 4. ubi ait: *plebs maximè habet poteſtatem eligendi Sacerdotes, & indignos recuſandi, quod & ipſum videmus de divina authoritate deſcendere.* Nam S. Pater non dicit, populum habere poteſtatem eligendi & ſuffragandi per calculum, ſed ſolummodo per teſtimonium, quia teſtari poteſt, ordinandum eſſe bonum vel malum, & ſic teſtimonio ſuo efficere, ut eligatur, vel non eligatur; Atque hoc ait deſcendere de divina authoritate, hoc eſt, ſcripturarum exemplis, & doctrinæ majorumque traditioni conſentaneum eſſe, ut ſcilicet populus talem poteſtatem habeat. Unde etiamnum ante ordinationem proclamante Diacono cuilibet ſit liberè pronuntiandi poteſtas, ſiquid adverſus ordinandum opponere poſſit, ut habetur in Pontificali Romano. Ad 4. denique probationem, poteſtatem partim tyrannicè ab Imperatoribus fuiſſe uſurpatam, ut quidem de Juſtiniano fusè proſequitur Baronius Tom. 7. partim quoad electionem & confirmationem à Summis Pontificibus & Eccleſiæ Rectoribus conceſſam, tum ob inſignia quorumdam Regum in Eccleſiam merita, tum ob publicam pacem ac promptiorem ipſorum Principum obedientiam, ſicuti nominatim de Carolo & Othone refert Gratianus eâdem Diſtinct. 63. Unde apparet, quàm Splendidè mentitus fuerit Illyricus ſupra adductus, qui idcirco ulteriorem refutationem non meretur.

XXXV. *Error quartus.* Omnes Chriſtiani ſunt Clerici & Sacerdotes. Ita Lutherus, qui Lib. de abroganda Miſſa ſcribit: *Clerum à Laicis non niſi impia hominum traditio diſcrevit*; cujus etiam impia eſt opinio iſta: *omnes promiſcuè homines naſcuntur Sacerdotes, cum poteſtate ad ſacrum miniſterium requiſita.* Luthero adſtipulatur Calvinus, cujus in comment. in epiſt. 1. Sancti Petri c. 5. impium votum eſt, *ut nomen Cleri Patribus nunquam in mentem veniſſet*, quam ideo etiam inſectatur Lib. 4. Inſtit. c. 4. §. 9. Uterque ſuos habet Sectatores; ne autem confuſio ſit in hoc munere, addunt requiri ſolùm certorum hominum deputationem vel à populo, vel à Magiſtratu politico factam, ut jam illa ſcenica impoſitio manuum & Ordinatio Miniſtrorum, quæ à Superintendente & Prædicantibus accedit, non niſi applicatio ad officium remaneat. Probant 1. ex Sac. Scriptura omnibus Chriſtianis Sacerdotium adſcribente. 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta.* Apoc. 1. v. 6. *Fecit non regnum & Sacerdotes DEO Patri ſuo.* Prob. 2. ex SS. Patribus. Irenæus Lib. 4. c. 20. ait, *omnes Juſti ſacerdotalem habent Ordinem.* Chryſoſtom. hom. in Matth. *Omnis Sanctus Sacerdos eſt.* Ambroſ. libro 4. de Sacram. c. 1. *Unuſquiſque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum &c.* Prob. 3. ratione. Tum quia omnes Chriſtiani ſunt ſors peculiaris Chriſti, quam ſignificationem innuit vox clerus à voce græca κλῆρος. Tum quia inter Chriſtians non eſt diſcrimen; etenim *in Chriſto JESU non eſt maſculus & fœmina* ad Gal. 3. v. 28. Tum quia fœminæ ſunt Prophetiſſæ Num. 12. Maria Soror Moyſis. Luc. 2. Anna filia Phanuel. Actor. 21. filiæ Philippi, cur non etiam Sacerdotes?

XXXVI. Errorem hunc reijcit & damnat Concilium Tridentinum Seſſ. 23. c. 4. ubi ſic ſtatuit: *Quod ſiquis omnes Chriſtianos promiſcuè novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata* (Cant. 6. v. 1.) *confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam* (Epheſios 4. v. 11.) *omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores.* Similis huic locus eſt ejuſdem Apoſtoli 1. Corinth. 12. v. 28. in quibus verbis D. Paulus non ſolùm diſtinguit inter gratias gratis datas, ſed etiam inter officia Eccleſiaſtica, puta Apoſtoli, Prophetæ, Doctoris &c. quæ negat omnibus convenire, quod tamen contra illum affirmant Sectarij; ſi enim omnes Sacerdotes. Ergo omnes Epiſcopi, cum inter Sacerdotes & Epiſcopos in eorum opinione non ſit differentia. Si autem omnes Epiſcopi. Ergo omnes Apoſtoli, Doctores, Paſtores &c. Ratio ſumitur ex proportione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cum Civili, in qua periret omnis Ordo, pax & tranquillitas, ſi nulla eſſet in ea graduum & dignitatum diſtinctio. Probationes ſunt prorſus futiles & explodendæ potius, quàm ſolvendæ. Nihilominus breviter.

XXXVII. Reſpond. ad 1. ex Sacra Scriptura. D. Petrum & Joannem non loqui de Sacerdotibus propriè dictis, ſed impropriè & metaphoricè, ſicut omnes Chriſtiani impropriè ſacrificia ſcil. laudis, precum, & bonorum operum offerunt. Hinc Petrus v. 3. præmiſit: *domus Spiritualis, Sacer-*

dotium ſanctum; offerre ſpirituales hoſtias. Nec S. Joannes ex eo, quod dicat, Chriſtum feciſſe regnum DEO Patri ſuo, dicere vult, omnes Chriſtianos propriè eſſe Reges. Ad 2. ſimiliter Patres appellare omnes Chriſtianos impropriè ſolùm Sacerdotes; in quem modum illos explicat D. Thomas 3. P. q. 82. art. 1. ad 1. ajens: *Bonus Chriſtianus dicitur Sacerdos ſpiritualiter, non autem quoad ordinem.* Ad 3. Clericos propriè non dici, niſi illos, qui peculiariter per ſacrum Ordinem DEI cultui mancipati ſunt, vel quia de ſorte ſeu hæreditate ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors ſeu pars eſt Clericorum: omnes autem Chriſtianos non niſi impropriè & latè vocari Clericos, in quem modum D. Petrus epiſt. 1. c. 5. v. 2. ajens: *neque dominantes in cleris*, accipit nomen cleri pro omnibus Fidelibus, qui ſunt ſors & hæreditas Chriſti, qui aliàs propriè dicuntur populares ſeu laici à græca voce λαὸς quæ populum ſeu plebem ſignificat. Ad 4. negando inter Chriſtianos nullum eſſe diſcrimen, adeóque nullos eſſe laicos meros. D. Paulus ad Galat. cit. ſolùm vult in Chriſto JESU ejúſque lege nullum eſſe diſcrimen quoad juſtificationem per Baptiſmum & gratiam ibidem communicatam, de hac enim loquebatur Apoſtolus. Ad 5. prophetiæ donum utique etiam fœminis dari poſſe, quæ tamen per illud non accipiunt ſacrum Ordinem, & Sacerdotes propriè conſtituuntur, ut idcirco in officio & ſtatu Eccleſiæ emineant, ſicuti Clerici ratione ſtatûs ſui ſupra alios fideles laicos tam viros quàm mulieres præſtant. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 995. ubi hanc propoſitionem Conringij: *Lege divinâ atque æternâ ad vera Eccleſiæ eſſentiam Presbyteros aut Epiſcopos non exigi*, juremeritiſſimo cenſent abſurdam, ſi agatur de Eccleſia non quacunque poſſibili, ſed de tali, qualem DEUS de facto conſtituit, & uſque ad finem mundi perſtitura eſt.

CONTROVERS. LXXX.

DE IMMUNITATE ECCLEſiaſtica.

SAcramentum Ordinis cum peculiari ratione hominem ſacro DEI cultui deſtinet, aliquam inde eminentiam dignitatémque ei tribuit, ut tum ipſe, tum ea, quæ ipſius ſunt, in majori præ cæteris reſpectu habeantur, nec pari paſſu cum illis procedatur. Unde Immunitas & Exceptio Clericorum ſeu Libertas Eccleſiaſtica breviter à Tannero Tom. 4. D. 7. Q. 4. dub. 5. num. 98. deſcribitur: Jus ac libera facultas utendi fruendique omnibus juribus exemptionibus & privilegijs, quibus univerſim ſeu divino ſeu humano jure Perſonæ & res Eccleſiaſticæ ſunt affectæ. Brevius à Fagnano in cap. cum cauſa n. 33. de ſent. excom. definitur: Libertas, quæ competit Eccleſiaſticis Perſonis & rebus ad eos ſpectantibus. De hac Immunitate Eccleſiaſtica multa habent Scholaſtici & Morales Theologi: item Canoniſtæ, & ex his breviter Felice Via in ſumma Juris Canonici; nos ea, quæ ab hæreticis in controverſiam trahuntur, paucis expediemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. DOctrina prima. Clerici exempti ſunt à poteſtate Laicali. Ita omnes Catholici. Probatur. Tum ex c. at ſi Cleric. c. Clerici. c. cum non ab homine. c. qualiter de judic. c. ſi diligenti. c. ſignificati de foro competenti. Authent. ſtatuimus de Epiſcopis & Clericis. Tum quia hâc exemptione Clericorum dignitas commendatur, & major illis honor ac reverentia defertur. Atque hanc Eccleſiaſticam libertatem omnibus retro ſæculis in Eccleſia ſemper viguiſſe, eruditè oſtendit Tanner loc. cit. à num. 101. contra quoſdam ejuſdem hoſtes ſcribere auſos, *uſque ad Juſtinianum Imperat. nullum in jure extare privilegium de exemptione Clericorum.*

II. *Doctrina ſecunda.* Clerici non omnino ſunt liberi à poteſtate ſæculari quoad vim ejus directivam in legibus civilibus, quæ conducunt ad bonum ſtatum Reip. & non repugnant Eccleſiaſticis Canonibus, aut ipſi Clericorum ſtatui; imò jure divino Clerici in his facere id tenentur, quod ſæcularis poteſtas ſtatuit: Ita omnes Catholici. Prob. 1. ex Script. Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; quod S. Chryſoſtom. Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, D. Thomas, alijque Interpretes affirmant dictum eſſe omnibus etiam Monachis, & alijs cujuſcunque conditionis hominibus, nempe juxta ſenſum allatæ doctrinæ; in quem etiam modum loquitur D. Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter DEUM, ſive Regi, tanquam præcellenti &c.* Prob. 2. authoritate Patrum in cit. textus Sac. Scripturæ. Nicolai I. in epiſt. ad Michaelem Imperatorem ſub finem &c. quibus addendus Valentinianus pijſſimus Imperator in epiſt. ad Epiſcopos Aſiæ apud Theodoretum Lib. 4. hiſt. cap. 3. Prob. 3. ratione. Quia Clerici ſunt etiam cives & membra Reipubl. politicæ. Ergo in politicis rebus, quæ eorum ſtatui non præjudicant, ſinere debent ſe dirigi ad commune bonum, pacem, & tranquillitatem; *turpis quippe eſt omnis pars, quæ non eſt toti conformis.*

III. *Doctrina tertia.* Clerici in cauſis ſpiritualibus nempe Fidem, Sacramenta, ſacrificium, divinum cultum, animarúmque ſalutem reſpicientibus jure divino exempti ſunt à juriſdictione Laicorum. Ita omnes Catholici, è quibus hanc doctrinam latiùs oſtendunt P. Franciſc. Suarez in Defens. Fidei Lib. 4. de Immunit. Eccleſiaſt. cap. 2. Molina Theol. Tom. 1. D. 31. concl. 2. Covarr. pract. quæſt. c. 31. n. 2. &c. Fundamentum eſt, quia harum cauſarum ſpiritualium judicium illis ſolùm competere poteſt, quibus Chriſtus conceſſit, cùm ab iſto conſtitutio illarum emanaverit. Atqui Chriſtus ſoli Petro, ejúſque ſucceſſoribus judicium illud promiſit Matth. 16. v. 18. his verbis: *Tues Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et confeſtim eidem adjecit Ioan. 21. v. 17: *paſce oves meas.* Ergo ſolùs Petrus ejuſque Succeſſores, & quibus ipſe commiſerit, hoc judicium habent. Ergo Imperatores, Reges, alijque Principes humani illo carent. Ergo ab iſtorum juriſdictione in his cauſis Clerici ſunt

Digitized by Google

rici ſunt exempti. Imò in judicio prædictarum cauſarum non ſolùm Clerici ſunt exempti, ſed etiam laici, quia iſti ſubdi non poſſunt ſæculari jurisdictioni, niſi cauſa agitanda ad ſæcularem jurisdictionem pertineat. Cum ergo cauſa ſpiritualis extra jurisdictionem ſæcularen ſit, efficirur ſanè nequaquam in illo foro judicari de eadem laicos poſſe. Confirmatur ex D. Paulo 1. Corinth. 6. v.1. ubi noluit civiles Chriſtanorum lites deferri ad judicium Gentilium. Quantô minus Apoſtolus Eccleſiaſticas cauſas ab eodem Gentilium judicio decidi voluerit? Unde etiam Conſtantinus M. Theodoſius, alijque Chriſtiani Imperatores cauſas Clericorum & ſaçerdotum ad Epiſcoporum judicia remisêre.

IV. *Doctrina quarta.* Clerici quoad gubernationem perſonarum ſuarum, adeóque quoad vim coactivam: itemque quoad bona & cauſas politicas contentioſas omnino à jurisdictione ſæculari ſunt exempti jure humano tam eccleſiaſtico, quàm civili. Ita omnes Catholici. Probatur prima pars quoad perſonas Clericorum à vi coactiva Poteſtatis ſæcularis. Tum ex jure Eccleſiaſtico antiquorum Conciliorum, & Decretorum Pontificiorum; videlicet ex Concilio chalcedonenſi can. 9. Toletano III. can. 13. Matiſcorenſi II. can. 9. Et ex Caio Papa in epiſt ad Felic. Epiſcopum. Ex Gregorio lib. 10. Regiſt. epiſt. 14. &c. Item ex Jure civili. nempe Juſtiniano in Novellis conſtitut. 79. 83. & 123. ubi in civilibus quidem ſimpliciter eximit clericos à poteſtate coactiva ſæculari: in crimialibus autem hoc modo, ut Judex ſæcularis poſſit quidem de cauſa cognoſcere, attamen non condemnare Clericum, niſi prius fuerit ab Epiſcopo degradatus. Verùm Jus Canonicum ſimpliciter eximit in criminalibus etiam quoad cauſæ cognitionem; quod jus omnino prævalet, cum ſit præſtantius civili, & poſſit illud corrigere in ijs, quæ ad bonum Eccleſiæ pertinent. Tum ratione. Nam cum Clerici in ſpititualibus civili Magiſtratui præſint, inconveniens foret, ſi ipſi coram ſuis ſubditis etiã in alio genere cauſarũ comparerẽt, & ab ijs judicarentur, niſi quando dignitate clericali exuti ab Eccleſia illorum poteſtati ſubijciuntur. Unde ſummæ laudi datur Conſtantino Imperatori, quod Epiſcopis quibuſdam aliorun Epiſcoporum nomen deferentibus reſpondetit: *Vos Dij eſtis à DEO conſtituti, & vobis DEUS poteſtatem dedit, de nobis quoque judicandi, & quaſi DEOS quoſdam conſtituit: conveniens non eſt, ut homo Deos judicet.* Ita refert Ruffinus Lib. 10. hiſtor. c. 2. D. Gtegorius Lib. 4. Regiſt. epiſt. 75. ad Maurit. Imp. & Gratianus 2. q. 1. can. continua.

V. Probatur altera pars quoad Bona Clericorum & controverſias politias itidem. Tum ex jure Eccleſiaſtco & Civili. nempe ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. p. 1. cap. 19. Et Innocentio III. ca. 46. Item ex cap. ſanctæ Mariæ extra. de conſtitutionibus. & cap. quia nonnulli. & cap clericis de immunitate Eccleſiar. L. 6. & cap. quanquam Lib. 6. Item ex Juſtiniano L. ſancimus c. de ſacro ſenctis Eccles. Ante Juſtinianum autem clerici liberi quidem erant à tributis perſonalibus, ut apparet ex Hieronym in cap. 17. Matth: non auten à tributis poſſeſſionum, ut intelligi poteſt ex Ambros. in otat. de tradendis Baſilicis. Tum ex ratione. Nam ſubiectio quoad perſonarum cauſas contentioſas, ut iſtæ rigoroſè diſcutiantur: & quoad bona, ut ex his tributa pendantur, pendet velut ex radice ex ipſarum perſonarum ſubiectione (juxta id Apoſtoli Rom. 13. vers. 6. ideo enim & tributa præſtatis) etenim à ſubditis tributa exiguntur, & iſtorum lites cum authoritate deciduntur. Ergo eoipſo, quod Clerici quoad perſonas jure Eccleſiaſtio civili rectè eximantur, etiam quoad bona ſua & cauſas litigioſas exempti ſint oportet. Confirmatur. Clerici ipſi in ſortem & peculiũ Dei tranſeunt, ac ratione peculiari DEO conſecrantur; quidni igitur ea, quæ ad eos ſpectant, à ſæculari poteſtate cum ijſdem ſimul eximantur?

VI. Nunc autem reſtat gravis inter Catholicos Doctores quæſtio. Utrum Immunitas hæc Clericorum quoad Perſonas & bona ac controverſias politicas non ſolùm ex jure humano Eccleſiaſtico & Civili, ſed etiam ex jure divino & naturali proveniat? Quæ lis cum fidem Catholicam minimè concernat, non diutius ei immorabimùr, ſed placita ſolùm diverſorum Authorum cum ſuis quæque fundamentis breviter referemus, ac deciſionem alijs relinquemus. Negant Immunitatem Eccleſiaſticam quoad Perſonas & Bona ex divino & naturali jure provenire viri graves & docti, teſte Tannero loc. cit. num. 134. nominatim Victoria Relect. 1 de Poteſt. Eccleſiaſt. q. 6. Joannes Medina Cod. de Reſtit. q. 25. Sotus Lib. 4. ſent. D. 25. q. 2. art. 2. Michael de Palatio ibid. Diſput 3. conclus. 3. Sayrus Tom. 1. Caſuum in explic. Bullæ cœnæ. Excom. 17. Henriquez Lib. 10. Theolog Mor. c. 15. n. 4. Jnnocent. in c. de maior. & obedien. Alciat. in cap. cum non ab homine col. 2. de judicijs. Covarr. pract. quæſt. c. 31. Molina Theol. Tom. 1. de Juſt. Diſp. 31. Bannez 22. q. 67. art. 1. &, ut fatetur Valent. Tom. 4. Diſp. 9. Q. 5. pun. 4. aſſert. 3. pleriq; Theologi aſſerentes, Immunitatem Eccleſiaſticam quoad perſonas & bona à ſolo jure humano Eccleſiaſtico & Civili introductam fuiſſe. Moventur 1. Quia nullus in Sac. Scriptura apertus habetur locus conceſſæ Immunitatis Eccleſiaſticæ. 2. Quia S. Paulus Roman. 13. v. 1. & S. Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 13. volunt, ut omnes eſſent ſubditi ſublimioti poteſtati. 3. Quia ipſemet Apoſtolus Actor. 25. v. 12. appellavit ad Cæſarem. 4. Quia Glerici longo poſt Apoſtolos tempore fuerunt ſubiecti ſæcularibus Principibus, ut apparet ex codice Jnſtinianeo tit. de ſacroſanctis Eccles. &c. 5. Si dignitas clericalis & Immunitas eſt juris divini & naturalis, in nullo caſu Clerici ſubijci ſæculari poteſtati poſſunt, cujus tamen contrarium conſtat, & juxta Tridentinum Seſſ. 23. c. 6. de reformat. initiati quatuor Minoribus, ſi beneficium non habent, privilegio fori non gaudent; ratio ſequelæ eſt, quia prærogativa juris divini & naturalis eadem ſemper in omnibus eſſet, 6. Character Sacri Ordinis ex ſe non eximit clericum à jurisdictione ſæculari; ſiquidem hominem ſolùm divino deputat cultui, quem cultum ſubjectio ſub illa jurisdictione per ſe non impedit; aliàs nunquam fieri potuiſſet. 7. In lege Naturæ Primogeniti fuerunt ſacerdotes, nec tamen exempti à majorum ſuorum poteſtate.

VI. Affirmant, Immunitatem Eccleſiaſticam quoad Perſonas & Bona tam à jure divino & naturali, quàm humano Eccleſiaſtico & Civili fuiſſe introductam plerique omnes Canoniſtæ, ex

quibus

Digitized by Google

quibus plures refert Covarruvias loc. cit. Item ex Theologis Jacobus Almainus Tr. de Eccles. poteſt. Joan. Driedo L. 1. de Libert. Chriſtian. cap. 9. conſid. 3. & ſeqq. Valentia Tom. 4. D. 9. Q. 5. pun. 4. Suarez in defenſ. Eccles. Cathol. L. 4. c. 9. Tanner Tom. 4. D. 7. Q. 4. dub. 6. Layman Lib. 4. Tr. 9. cap. 8. Antonius Diana Part. 4. Tr. 1. Reſol. 44. & P. 6. Tr. 1. Reſol. 34. à §. ſed ſupereſt. Et ex part. Reſol. 29. §. Quartò. in quibus locis plures citat, & hanc affirmativam ſententiam dicit eſſe communem DD. Probant 1. ex varijs teſtimonijs Antiqui & Novi Teſtamenti; nominatim ex Matth. 17. ubi Chriſtus v. 25. ſe veluti naturalem DEI Filium à tributo liberum pronunciat. Ergo etiam exempta eſt tota illius familia, quam Clerici conſtituunt illius cultui ſpeciatim deſtinati. 2. ex varijs textibus Conciliorum & Juris Canonici apud citatos adductis; nominatim Tridentinum Seſſ. 25. c. 20. de reform. ait, *Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticarum Immunitatem DEI ordinatione & canonicis ſanctionibus conſtitutam*. 3. Suppoſita inſtitutione Clericatûs, quam Chriſtus fecit, Clerici ſunt Patres, Magiſtri, & Superiores ſæcularium. Ergo jure divino & naturali à poteſtate horum exempti. 4. Si exemptio Clericorum non provenit à Chriſto, ſitque ideò juris humani, non apparet, quomodo Pontifex tot homines quoad ſe & bona ſua à poteſtate ſæculari eximere poſſit. 5. Omni tempore in Eccleſia fuit immunitas Eccleſiaſtica, prout ratione temporum fieri poterat adverſus poteſtates ſæculares; ut videre eſt apud Suarez Lib. 4. cit. c. 3. & 12. & apud Tannerum loc. cit. à num. 101. 6. Nulla poteſtas ſeu juriſdictio extendit ſe virtute ſuâ ultra limites objecti ſui. Ergo nec ſæcularis poteſtas in Perſonas & Bona Eccleſiaſtica. 7. Circa eadem objecta eaſdémque res non verſantur diverſæ poteſtates. Ergo nec circa Perſonas & Bona Eccleſiaſtica poteſtas Eccleſiaſtica & Sæcularis.

VII. Hæc ſunt diverſa cum ſuis fundamentis placita Doctorum, quos haud ægrè conciliari poſſe arbitramur. Nimirum ſi priores negantes jus divinum intelligamus de divino in ſacris litteris expreſſo: poſteriores verò affirmantes accipiamus de fundamento in Sacris Scripturis præbito ad jus humanum pro Immunitate Eccleſiaſtica ſanciendum. Nam Chriſtus Matth. 16. & Joan. 21. commiſit Petro ejúſque Succeſſoribus Eccleſiæ ſuæ gubernationem; quæ cum rite regi non poſſit abſque immunitate & exemptione Eccleſiaſtica, omnino tenendum, quod Chriſtus non ſolùm contulerit Petro ejúſque Succeſſoribus poteſtatem eximendi Clericos à Juriſdictione ſæculari, prout conveniens Eccleſiæ fuerit viſum, ſed etiam ſpecialiter talem ipſi exemptionem præceperit, id quod ſatis apertè indicat Tridentinum Seſſ. 25. cap. 20. cit. affirmans *Eccleſiæ & Perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem DEI ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtitutam*. Si autem non ſolùm hominum conſtitutione, ſed etiam DEI ordinatione. Ergo DEUS voluit & ordinavit hanc Immunitatem concedi: modum verò hujus conceſſionis tum quoad perſonas, tum quoad materias ipſi Pontifici reliquit diſponendum. Declaratur à ſimili. Chriſtus Petro commiſit Eccleſiæ gubernationem, & neceſſariam huic poteſtatem conceſſit; quæ gubernatio cum fieri rite non poſſit abſque aliqua juriſdictione ſpirituali penes Epiſcopos & Paſtores, hoc ipſo Chriſtus dedit Petro præceptum ſaltem incluſum in poteſtate conceſſa regendi Eccleſiam, voluitque ut ſubjectis ſibi Epiſcopis & Paſtoribus juriſdictionem ſpiritualem communicaret: at quantitatem hujus juriſdictionis ipſi Petro (& hujus Succeſſoribus) reliquit determinandam, prout in bonum Eccleſiæ viſum fuerit. Ita de Immunitate & exemptione Clericorum diſcurrimus. Atque in hunc ſenſum dicimus, verúmque eſt, prædictam Immunitatem in Jure divino fundari; quippe provenit à jure divino, ut concedatur: modus autem conceſſionis Papæ relinquatur.

VIII. Hanc reconciliationem innuit Cardinalis Bellarminus Lib. 1. de Clericis c. 28. ubi hanc ſuam propoſitionem (Exemptio clericorum in rebus politicis tum quoad perſonas tum quoad bona introducta eſt jure humano pariter & divino) ita explicat, ut dicat, per divinum jus non intelligere ſe præceptum DEI propriè dictum, ſeu poſitivum divinum ſtrictè ſumptum, ſed ſolùm deductum per exempla & teſtimonia Sacræ Scripturæ, DEUM voluiſſe ſcil. talem exemptionem ſtatui. Eandem reconciliationem apertiùs inſinuat Ferdin. à Caſtro-Palao Tract. 12 Diſput. unic dub. 1. Quapropter probabiliſſimè doceri poſſe videtur, Immunitatem Eccleſiaſticam quoad Perſonas & materias immediatè quidem proveniſſe ex jure humano poſitivo Pontificio; attamen fundamentum illius in jure divino præextitiſſe. Priorem partem ſuadent argumenta à Doctoribus jus divinum negantibus adducta. Ex poſteriore parte, nempe ex eo, quod fundamentũ Immunitatis Eccleſiaſticæ per ſupremum Eccleſiæ Rectorem condendæ in jure divino præextitiſſe dicamus, argumenta à Doctoribus jus divinum affirmantibus allata penitus enervantur. 1. quidem. tum quia præcepta divina Uet. Teſt. non habent vim, niſi quatenus fundantur in jure naturali, à quo exemptionem non provenire, inde liquet, quod ea non ſit æqualis in omnibus Clericis, quod tamen eſſet, ſi ex jure naturali foret. tum quia ex illo Matth. 17. nõ infertur, omnes Clericos eſſe exemptos; ſiquidem exempto Patrono à tributo non eximuntur neceſſariò omnes ejus Familiares. 2. quia ex Concilijs & Canonibus non evincitur jus divinum. Tridentinum jam explicavimus. 3. quia non repugnat, diverſo reſpectu eſſe ſuperiorem, & Subditum, ut patet in eo, qui filium habet Regem; filio enim eſſet ſubditus ratione regiæ dignitatis, & eodem eſſet ſuperior ratione patriæ poteſtatis. Sic clericus ratione Clericalis dignitatis eſt ſuperior etiam Regibus, & iiſdem ſubditus quoad politicum regimen. 4. quia penes Pontificem eſt poteſtas à Chriſto eximendi Clericos. 5. quia Immunitas & Exemptio iſta Clericorum ſemper à Magiſtratu Eccleſiaſtico provenit. 6. quia ſtatus Clericalis per ſe non eſt exemptus à poteſtate ſæculari, ſed ex hac extrahitur per leges Eccleſiaſtici Magiſtratûs, quâ exemptione factâ illa poteſtas ſæcularis non amplius ſe extendit in Clericos. 7. denique quia oppoſitum nimis eſt clarum & verum; etſi diverſo reſpectu, ut in propoſito accidit.

Sed, ut diximus, deciſio ſit meliori judicio relicta.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

IX. Error primus. Clerici ne jure quidem humano quoad perſonas & materias rectè à poteſtate Magiſtratûs Civilis eximuntur. Ita Ameſius Tom. 2. à fol. 130. duce Calvino L. 4. Inſtit. c. 11. §. 15. Gerhardus L. 2. P. 2. à fol. 136. & alij Sectarij communiter. Probant. 1. ex illo ad Rom. 13. v. 1. & 1. Pet. 2. v. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Subjecti igitur eſtote &c.* Ergo jure divino etiam Clerici ſubjecti eſſe debent humanæ ac ſæculari poteſtati. 2. ex eo, quod Canſtantinus apud Theodoretum Lib. 1. c. 20. dixerit, *ſe Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum Arianum ejeciſſe in exilium, ac ſubjunxerit, ſiquis Epiſcopus tumultuatus fuerit, illius audaciam ſe coërciturum.* 3. ex pari. Ordo Clericalis non liberat à debito ſervitutis, à debito pecuniario, à debito conjugali. Ergo nec à debito ſubjectionis civilis. 4. ex injuria, quæ fit Principibus, ſi inviti ſuo jure priventur.

X. Errorem hunc poſt plura Concilia & Canones reijcit ac damnat Tridentinum Seſſ. 25. de Reform. c. 20. cit. decernens, *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis ſanctionibus inſtitutam.* Et ſanè ipſa quoque Sacra Scriptura ejuſdem exemptionis Clericorum tam quoad perſonas, quàm bona Eccleſiaſtica faciendæ haud levem dat anſam præter locos citatos 1. Corinth. c. 6. ubi Apoſtolus acerrimè per 7. verſus reprehendit Corinthios, quod ad Judicium ſæculare ſuas cauſas civiles deferrent, jubétque omnino, ut ipſi inter ſe viros judicjo idoneos præ ficiant &c. Quantò autem magis abſurdum foret, ut ſupra jam inſinuavi, ſi Clerici (qui ſupra cæteros authoritate & poteſtate eminent) tam quoad perſonas, quàm bona & controverſias ſuas politicas foro & poteſtati ſæculari ſubijcerentur. Unde à Sacris Concilijs & Canonibus exemptio Clericorum à poteſtate ſæculari ſapientiſſimè facta eſt, nec abſque fundamento in jure divino præbito, ut jam diximus. Cæterùm cum Lutherus Lib. de abrog. miſſæ univerſim de Sectarijs ſcribat: *Hoc dixiſſe contenti ſumus, Chriſtianum populum eſſe ſimplicem, in quo nulla prorſus ſecta, nulla differentia perſonarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus raſus, nullus Monachus eſſe debeat.* Cum, inquam, Lutherus hiſce coloribus Miniſtros Sectarum depingat, utique Prædicantes & quivis alij Miniſtelli verbi ob nullam rationem eximi à poteſtate ſæculari merentur; Imò illorum vilitatem & abjectam ſortem erubeſcunt, & dedignantur, quicunque ex familia paulò magis honorata ſe prognatos noverunt. Probationes nullius ſunt momenti.

XI. Reſpondetur ad 1. intelligi hoc de legitimis Superioribus; quales Reges & Magiſtratus ſæculares reſpectu Clericorum non ſunt, factâ iſtorum exemptione per ſupremum Eccleſiæ Rectorem, & hujus poteſtatem ſupernaturalem eidem à Chriſto pro recta Eccleſiæ gubernatione conceſſam. Unde breviter infero 1. nullâ humanâ poteſtate hanc exceptionem Clericorum à Pontifice factam tolli poſſe. 2. neque ipſum Papam integrè ac penitus auſferre eandem poſſe. 3. ipſum D. Petrum, ejúſque Succeſſores immediatè à Chriſto exemptum fuiſſe. Ad 2. Conſtantinum feciſſe id, poſtquam ille Euſebius fuerat depoſitùs ab Epiſcopatu, & à Concilio Niceno degradatus: nec dixiſſe Conſtantinum (ut pro mendaci ſuo genio refert Calvinus) ſe audaciam Eiſcoporum cöerciturum, ſed Laicorum Nicomedienſium, ſi malint ſequi Epiſcopos hæreticos, & non eum, quem ipſis Concilium conſtituerit & propoſuerit. Ad 3. non eſſe parem rationem; quippe majus eſt vinculum inter Dominum & Servum, inter creditorem & debitorem, inter virum & uxorem, quàm inter Principem ſeu Magiſtratum & Civem. Ad. 4. non facere ulli injuriam illum, qui utitur jure ſuo. Videatur Bellarminus Lib. 1. de Clericis cap. 28. ubi bene ait, ſi Clericus violet ciuilem legem, cariùs vendendo, quàm lex præſcribat, peccare eùm, ac reſtituere teneri: non tamen poſſe conveniri apud Judicem ſæcularem, ſed apud Epiſcopum tantùm; quia etſi Clerici ſubſint legibus talibus quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam & cöercitivam, ut violatores legum illarum puniri à ſæculari Magiſtratu poſſint.

XII. *Error ſecundus.* Clerici etiam in rebus & cauſis merè Eccleſiaſticis Poteſtati ſæculari ſubijciuntur. Ita Philippus Melanchthon in locis cap. de Magiſt. ſectatus Marſilium de Padua, & Joan. de Janduno, qui etiam Chriſtum dixerunt ſubjectum fuiſſe legibus politicis. Iſte error adeo abſurdus eſt, ut eum etiam Calvinus loc. cit. & cæteri Novatores, erubeſcant. Quare nec nos illum refutatione, ſed exploſione dignum cenſemus.

CONTROVERS. LXXXI.

DE MATRIMONIO.

IN Matrimonio duo ſunt conſideranda prædicata, ſcilicet Contractûs, & Sacramenti. Matrimnium, ut habet rationem Sacramenti ſpectat propriè ad Theologiam: ut habet rationem Contractûs, hoc eſt, reciprocæ obligationis conjugalis, agunt de eodem tum Juris Periti, tum Theologi ſcholaſtici & Morales. Nos pro foro noſtro ea ſolùm referemus, quæ inter Catholicos & Hæreticos controverſa ſunt, eáque breviter expediemus cum multis non indigeant.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. Doctrina prima. Matrimonium, ut contractus ſic communiter deſcribitur: *Eſt conjunctio maritalis legitima viri & fœminæ inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Mart. Perez. D. 13. Sect. 10. & alij, omiſſis cæteris, dicunt Matrimonium *eſſe Conjunctionem Maritalem.* Rectè & breviter, ſed clariùs dici poteſt, quod

Digitized by Google

quod ſit *dominium mutuum corporum ad uſum generationis.* Hoc namque dominium mutuum eſt id, quod ex maritali Contractu reſultat ac ſtabiliter permanet. Hoc eſt illud vinculum morale ac conjunctio, quâ conjuges invicem nectuntur, obſtringuntur, & in unam carnem radicaliter uniuntur. Hæc eſt ipſa eſſentia Matrimonij ſtabilis ex quâ proprietates ac paſſiones ceteræ deducuntur. Hæc denique eſt illa mutua corporum poteſtas, quam Doctor Gentium Paulus 1. Corin. 7. v. 11. expoſuit. Atque hoc mutuum in corpora dominium ad uſum generationis humanæ ortum ex legitimo contractu maritali fundat mutuam utriuſque conjugis obligationem ad reddendum debitum; idque eſſentialiter connotat & reſpicit. Nam omnis alia traditio corporum ad amicabilem cohabitationem, ad mutua & ab uſu conjugali extranea obſequia nec eſt, nec fundat matrimonium, & poteſt inter viros & viros eſſe, fæminas & fæminas, fratres & fratres &c. Debet proinde, ut ſit matronium, eſſe Jus mutuum in corpora in ordine ad generationem humanam, & conſequenter ad copulam carnalem; quia tamen hæc non eſt de eſſentia, nec de integritate Matrimonij in ſenſu, in quo agimus, accepti; imò per accidens, ſive per mutuam renunciationem, ſive per aliam cauſam perpetuò impediri poteſt, idcirco non debet intelligi jus in corpora, uti & obligatio proxima & formalis, ſed ſolùm remota & radicalis, quæ ſola eſſentialiter requiritur & ſufficit; quantumvis ſemper, ubi nulla intervenit inter Conjuges conventio, aut utriuſque votum continentiæ, ipſam radicalem obligationem reddendi debitum, comitetur formalis & proxima.

II. Quod verò ipſum jus proximum ad corpora, & obligatio formalis ad debitum conjugale ſalvâ Matrimonij ſubſtantia, per accidens ſeparari poſſit ab obligatione & mutuo corporum dominio radicali, conſtat ex eo, quod poſt nuptias Conjuges aut voto caſtitatis, aut aliàs mutuâ renunciatione proximi juris petendi, amittere poſſint formale & actuale dominium ad copulam carnalem, ita tamen ut maneant veri conjuges matrimoniali adhuc vinculo obſtricti, etſi per accidens nequeant petere & matrimonium uſu conſummare. Unde dubium eſſe non debet, ipſum Matrimonium conſiſtere in radicali & mutuo corporum dominio & aptitudinali ad reddendum debitum obligatione.

III. Hinc deducitur, quâ ratione explicari & propugnari poſſit caſtiſſimum B. Virginis cum S. Joſeph Matrimonium, idque verum ac proprium, ut tenet communis Catholicorum Sententia. Nam licet puriſſima Virgo & Sponſa Spiritûs Sancti ante deſponſationem cum S. Joſepho votum perpetuæ Caſtitatis emiſerit, ut tradunt SS. Patres apud P. Petrum Caniſium Lib. 2. Marialis. c. 14. & ratio ipſa ſuadet: ſiquidem Sanctiſſima Virgo longè antequam S. Joſepho nuberet, divinis inſpirationibus ſplendidè edocta agnovit, virginitatem voto conſecratam Deo longè gratiſſimam eſſe; unde ſicut proniſſima erat ad majus beneplacitum DEI, ita haud dubiè eidem illibatum ſuum pudorem ſtatim vovendo obtulit, adeo ut Spinellus c. 32. n. 26. ex Suarez inferat, illud votum in primâ ſtatim conceptione emiſſum fuiſſe. Licet inquam B. V. Votum ediderit, & poſitivè diſſenſerit ab omni carnali copulâ, nolueritque proximam ad uſum conjugij poteſtatem admittere, nihilominus cum Virgineo Sponſo S. Joſepho verum ac proprium contraxit matrimonium, concedendo dominium radicale, & conſentiendo in aptitudinem & remotam obligationem, de quâ paulò ante dictum eſt.

IV. At verò ſi B. Virgo verum habuit matrimonium cum S. Joſepho, tunc inivit cum ipſo verum contractum ultro citróque obligantem. Conſequens dici non poteſt; ſic enim conſenſiſſet in copulam, quam novit in illo contractu involui. Reſpon. conceſsâ ſequelâ, negando Minorem, ejúſque probationem. Nam neque contractus Matrimonialis, neque Contrahentes etiam implicitè tendere ac conſentire debent in formalem & actualem obligationem uſûs conjugalis; ſiquidem hæc obligatio eſt ſeparabilis à ſtatu matrimoniali. Novit quidem B. Virgo contractum hunc tendere & connotare copulam conjugalem, ſed in hanc cognitam non conſenſit, nec amavit illam, ſicuti Deus cognoſcit peccatum, non amat illud; quin autem contrahentes intendant & conſentiant ſaltem implicitè in obligationem radicalem ad uſum generationis, non videtur negandum, idque concedunt Rebellus, Perez, & alij contra Pontium, quia hæc continetur in mutuo corporum dominio ad uſum generationis, in quo ſita eſt eſſentia Matrimonij: Videatur Perez D. 13. Sect. 5. Occlamat Gerhardus Lib. 2. P. 2. fol. 336. abſurdum eſſe, Sponſam facere eam, quæ nequit eſſe conjunx. Aio abſurdum id eſſe Prædicantibus & hujuſmodi hominibus, quibus nihil in hoc mundo eſt amabilius, quàm Veneris thalamus: minimè vero abſurdum eſſe alijs, qui mentem ultra has quiſquilias terreſtres extollunt. Negatur etiam, Beatiſs. V. Mariam non factam fuiſſe uxorem juxta illud Matth. 1. v. 20. *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Et mox v. 24. *accepit Conjugem ſuam.*

V. Matrimonium antecedunt ſponſalia, quæ idcirco S. Thomas in 4. q. 5. art. 1. ad 6. *Viam ac diſpoſitionem ad nuptias nuncupavit*; ſi quis tamen ampliorem expoſitionem deſideret, quæ ſingula expreſsè referat & ob oculos ponat, definiri poterunt ſponſalia: *Mutua inter idoneas perſonas directa determinato tam interno voluntario ac deliberato conſenſu facta, quàm exterius ſignu ſufficienter manifeſtata promiſſio futuri Matrimonij.* Quæ omnia pluribus declarant Theologi. Solùm addo, ubi Tridentinum non eſt receptum, ſponſalia jure antiquo tranſire in Matrimonium per quævis ſigna externa matrimoniali affectu exhibita: ubi verò illud receptum fuit, hæc ſigna non tenere, ſi ſint clandeſtina, ideóque graviter in ijs peccari poſſe.

VI. *Doctrina ſecunda.* Matrimonium eſt verè propriéque dictum Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Eſt de fide ex Trident. Seſſ. 7. & Seſſ. 24. can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit.* Qui articulus fidei magis nititur Patrum & Conciliorum Authoritate ac univerſalis Eccleſiæ traditione quàm Sacrâ Scripturâ. Videtur quidem id aſſerere Apoſtolus Ephes. 5. v. 31. hiſce verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia* Et ita illum intelligunt Bellarm. L. 1. de Matr. cap. 2. Tanner Tom. 4. D. 8. Q. 2. dub. 2. & alij, idque deſumunt tum ex voce Sacramenti, tum ex ſignificatione

Digitized by Google

catione myſtica conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. Sed bene notant Vaſquez D. 2. de Matr. n. 53. & alij, neutram harum probationum eſſe efficacem; non 1. quia nomen Sacramenti in Scriptura variè ſumitur: non 2. quia illa ſignificatio omnibus matrimonijs poſterorum Adæ conveniebat; & tamen in veteri Teſtamento non eratSacramentum. Quia tamen Matrimonium difficultates & gravamina maxima communiter affert: & juxta dicta verba Pauli ſpecialiter eſt repræſentativum conjunctionisChriſti cum Eccleſia, decebat, ut haberet efficaciam conferendi conjugibus gratiam ſpecialem ad gerendum ſe ita, prout convenit, nempe ſectantibus conjugium ſpirituale inter Chriſtum omnis gratiæ fontem & Eccleſiam ſibi per gratiam copulatam. Videantur DD. à Walenburch Tom. 2. fol. 38. Quando autem fuerit matrimonij contractus ad rationem Sacramenti elevatus à Chriſto, non poteſt certò definiri. Illud tamen eſt probabiliſſimum, fuiſſe inſtitutum hoc Sacramentum vel in nuptijs in Cana Galileæ Joan. 2. vel Matth. 19. quando Chriſtus ſuſtulit Libellum repudij, & polygamiæ reductâ primævâ indiſſolubilitate, vel certè ante hæc tempora. Nam, ut bene obſervant moderni Doctores, non eſt credibile, Chriſtum interfuturum fuiſſe nuptijs purè prophanis & naturalibus eáſque illuſtraturum fuiſſe primo & inſigni miraculo, præſertim cum jam decreviſſet hoc Sacramentum inſtituere, vel inducturum fuiſſe novum onus indiſſolubilitatis & ſimplicitatis abſque novo ſubſidio gratiæ ſpecialis ad hoc onus ſuſtinendum. Ex his facile apparet, hoc Sacramentum phyſicè definiendum eſſe *Contractum Matrimonialem* (ſupra explicatum) *ex inſtitutione Chriſti collativum gratiæ ſpiritualis in ordine ad generationem & educationem prolis:* Metaphyſicè autem rectè ac preſsè meliùs dici poſſe: *Sacramentum novæ legis conferens peculiarem gratiam ad conjugatorum ſpiritualem amorem.*

VII. *Doctrina tertia.* Materia remota Matrimonij, circa quam verſatur contractus matrimonialis, ſunt corpora habilia: proxima verò ſunt verba exprimenta conſenſum, quatenus ſignificant uniuſcujuſque reſpectu alterius traditionem corporis. Forma ſunt eadem verba exprimentia conſenſum, quatenus uniuſcujuſque reſpectu alterius acceptationem indicant. In materia remota conveniunt omnes. In proxima & ipſa forma diſcrepant Authores, ſed lis eſt de mero nomine, cui occaſionem dedit decretum Eugenij IV. Papæ, in quo mutuum conſenſum expreſſum matrimonij cauſam affirmavit, quod quiſque exactiùs, & quidem in nimis ſtrictè obſervatâ cum alijsSacramentis paritate conatus eſt interpretari. Sed ſententia noſtra eſt communis ac magis recepta, quam expreſsè tenet S. Thomas in 4. D. 26. q. 2. a. 1. ad 2. ubi dicit, actus ſenſui ſubjectos eſſe materiam Sacramenti Matrimonij. Et Bellarminus de Matr. c. 6. Eſt eadem ad mentem Eugenij. Nam ſi juxta illum contractus conjugalis, & conſequenter ipſum Sacramentum, conſiſtit in mutuo & expreſſo conſenſu, (quem Matrimonij, id eſt, vinculi conjugalis ac perpetui juris in corpora cauſam dixit) neceſſe eſt, unum ex his ſive internum conſenſum ſecundùm ſe, ſive ſigna externa, quatenus illum exprimunt, matrimonium appellari; prius etſi putârint Gloſſ. in capitul. tuæ. de ſponſalibus, Abbas, & alij, attamen ſuſtineri non poteſt; quomodo enim tota materia proxima contractûs politici ac ſenſibilis eſſe poſſit penitus inſenſibilis, ſicuti eſt conſenſus internus? poſterius ergo tenendum. Deinde in alijs jurium translationibus præſertim gratuitis, ubi traditio ſolet eſſe realiter diverſa ab acceptatione, illa veluti pars perfectibilis ac determinabilis pro materia: hæc veluti pars perfectiva & determinativa contractûs pro forma debere ſolet juxta analogiam ad materiam & formam phyſicam. Ergo pariter ſigna indicantia conſenſum in Matrimonio, prout æquivalent traditioni corporum determinabili, & acceptationi determinativæ, rectè materia & forma dicuntur; quoniam prædicata realiter inter ſe identificata, quæ realiter diſtinctis æquivalent, eundem adhuc ſervant proportionaliter ordinem, qui ineſt rebus diſtinctis. Atqui traditioni & acceptioni realiter diſtinctis convenit materialis & formalis ſignificatio, ut prior eſt determinabilis, & poſterior determinativa. Ergo etiam ratione noſtrâ retinetur illa in formalitatibus æquivalentibus ac realiter indiſtinctis. Hinc infertur, hoc Sacramentum eſſe ſimul in duobus ſubjectis, in marito & uxore, & quidem in ſingulis totum; quia in ſingulis eſt traditio & acceptatio, & ſinguli dicunt: ego trado tibi meum corpus in uſum Matrimonij: & viciſſim tuum corpus mihi traditum accepto; quamvis autem propriùs ſolum conſenſus phyſicè ſit in ſingulis, & alienus moraliter, id tamen ſufficit ad ſubjectum Sacramenti, cum etiam in alijs Sacramentis formula verborum non phyſice, ſed tantùm moraliter ſit in ſubjecto.

VIII. *Doctrina quarta.* Sicuti contractûs nuptialis, ita Sacramenti Miniſtri ſunt Perſonæ baptizatæ, rationis compotes, ut aliàs legitimè & de præſenti contrahentes. Ita communis Doctorum contra Canum. L. 8. de locis c. 5. Ratio eſt. Tum quia Sacerdos in matrimonio non pronunciat formam, quod proprium eſt Miniſtri. Ergo Sacerdos non eſt miniſter. Antecedens probatur. Eadem eſt forma poſt inſtitutionem hujus Sacramenti quæ fuit ante; Chriſtus enim reliquit invariatum Matrimonium. Sed ante inſtitutionem non erat certa forma proferenda per Sacerdotem. Ergò nec poſtea. Adeoque verba illa (ego vos conjungo) præter ſacram benedictionem nihil penitus ſignificant. Tum quia Sacramentum Matrimonij, & Contractus maritalis inter Baptizatos cum debitâ intentione contrahentes ſunt idem. Atqui contractum maritalem efficiunt contrahentes Baptizati ut Miniſtri: Ergo etiam ipſum Sacramentum Matrimonij. Hinc cum contrahentes ſint, qui afficiuntur à contractu, & per eundem obligantur; Miniſtri hujus Sacramenti non ſunt procuratores, qui pro abſentibus ſponſis nuptias ineunt.

IX. *Doctrina quinta.* Hujus Sacramenti nemo eſt capax niſi Baptizatus. Ita omnes; quia character Baptiſmi tanquam neceſſaria diſpoſitio ad capacitatem cæterorum Sacramentorum præſupponitur, ut ſuo loco dictum. Unde infertur Matrimonium Gentilium non eſſe Sacramentum, ſed tantùm contractum civilem, ſicuti fuit in veteri Teſtamento ante adventum Chriſti. Sed hinc quædam inquiri ſolent breviter decidenda. Itaque

X. *Quæſtio prima.* Si unus Conjugum ſit baptizatus, an ſaltem ex parte illius ſit Sacramentum? Reſpon. negativè, quia unus non eſt adæquatum ſubjectum Sacramenti, ſed uterque ſimul, ideòque ambo conjuges debent eſſe baptizati; ſicuti ad ſuſcipiendum baptiſmum, non ſufficit ſolùm corpus,

nec ſola

nec ſola anima, ſed utrúmque debet eſſe conjunctum. Quod ſi poſt Matrimonium converſi baptizentur, matrimonium prius contractum probabiliter fiet Sacramentum, præſertim renovato conſenſu maritali.

XI. *Quæſtio ſecunda.* Utrum Chriſtus ita elevárerit contractum Maritalem Fidelium ad dignitatem Sacramentalem, ut nollet deinceps ullum eſſe validum ac legitimum matrimonium inter Eccleſiæ ſuæ membra, niſi ſimul eſſet Sacramentum? Negant Vaſquez Tom. 2. in 3. P. d. 138. c. 5. Baſilius Pontius L. 1. de Matr. c. 9. n. 3. & nonnulli, arbitrati ſub gravi ſolùm præcepto teneri fideles, ne contractum conjugalem merè politicum ac civilem ineant. Affirmant meliùs Sanchez. L. 2. de Matr. d. 10. num. 6. Coninck. d. 24. dub. 6. concluſione 4. Palao d. 2. puncto 2. Num. 5. & pleriq; alij conformiter Concilijs Tridentino & Florentino aſſerentibus univerſali & indefinito decreto *Matrimonium Chriſtianorum eſſe verum Sacramentum.* Eodem ſenſu etiam loquuntur Patres præſertim S. Auguſt. L. de bono conjugij. & S. Ambroſ. in c. 5. ad Epheſ. ac Lib. 1. de Abraham c. 7. nec poſſunt Adverſarij vel unum adducere, qui cum illis hanc exceptionem addiderit, nempe ſi Chriſtianè nubendo velint facere Sacramentum. Ratio noſtra eſt; quia Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum pro Eccleſia ſua voluit, ut deinceps ſuorum Fidelium matrimonia non eſſent prophana ac merè civilia, ut Gentilium, ſed ſanctificata ac ſuæ Sacræ Reipubl. conformia. Atqui hoc ipſo voluit, ut omnis contractus maritalis & validus inter ſuos ſubditos eſſet Sacramentum; aliàs ejus intentio fruſtrari poſſet. Ergo ex inſtitutione Chriſti omne Matrimonium validum inter fideles eſt Sacramentum; ſiquidem contractus matrimoniales tales ſunt, quales Chriſtus in bonum commune Eccleſiæ intendit. Confirmatur ex majori inſolubilitate conjugij inter baptizatos, quàm inter infideles celebrati. Tum quia hæc proprietas rectiſſimè fundatur in ratione Sacramenti. Tum quia Chriſtus abrogato Libello repudij in Synagogâ uſitatô, ſicuti in Eccleſiâ ſuâ voluit matrimonia juxta primam inſtitutionem inſolubilia, atque adeo difficiliora quàm ante, ita etiam omnibus ſuperaddi gratiam Sacramentalem decrevit.

XII. Objiciunt Adverſarij 1. Neque ex Scriptura, neque ex Concilijs & Patribus conſtat, Chriſtum ita annexuiſſe rationem Sacramenti contractui Civili. 2. Rationem Sacramenti poſteriorem eſſe, & ſequi ad ſubſtantiam contractûs conjugalis, velut ejus accidens. 3. Rationem contractûs non involuere Sacramentum, ſed ſine hoc ſubſiſtere. 4. Chriſtus ſic mutaſſet contractum Conjugalem plus ad eum exigendo inter Chriſtianos, quam per ſe requiratur. Reſp. ad 1. Ex dictis conſtare, indiviſibilitatem Sacramenti à valido contractu jure divino, & Eccleſiaſtico firmatam eſſe. Ad 2. Negando rationem Sacramenti velut accidens ſeparabile ſubſequi contractum matrimonialem in ſuo valore jam conſtitutum; quia ipſe contractus eſt Sacramentum: nec aliud ex parte contrahentium ſuperadditur præter intentionem modo Chriſtiano nubendi. Ad 3. Concedendo ad contractum civilem & legitimum ſecundùm ſe ſpectatum non requiri rationem Sacramenti; inde tamen non ſequitur, eandem etiam ſuppoſitâ inſtitutione Chriſti ad fidelium contractus non pertinere; ſicuti per ſe & jure naturali ad legitimum conjugium non ſpectat præſentia Parochi, & duorum teſtium, & tamen, ubi promulgatum eſt Tridentinum, ſine hac ſolennitate irritum eſt matrimonium. Ad 4. Negando. Nam contractui conjugali ſecundùm ſe invariato addidit Chriſtus dignitatem Sacramentalem & effectivam gratiæ, quam nemo niſi volens ac ritu Chriſtiano nubere intendens conſequi debebat. Videatur Eſparza Tom. 2. Q. 114. ubi hanc quæſtionem fusè & ſolidè tractat.

XIII. *Quæſtio tertia.* An hæreticorum Matrimonia ſint Sacramenta? Ratio dubitandi in utramque partem occurrit. Pro affirmativa ſtat capacitas ſubjecti baptizati. Pro negativa defectus intentionis; cum enim hæretici non credant, Matrimonium eſſe Sacramentum, utique non volunt facere Sacramentum; ad confectionem autem cujuslibet Sacramenti eſſentialiter requiritur intentio Miniſtri; ſi enim Sacerdos abſque intentione conſecrandi pronunciaret verba conſecrationis, nihil efficeret. Reſpondetur. Hæreticorum Matrimonia eſſe Sacramenta. Ita communiter Theologi Catholici. Nam tametſi Hæretici explicitè proteſtentur, nolle ſe Sacramentaliter contrahere, quia in hoc puncto fidei errant, appretiativè tamen malunt conjugium Sacramentale, quàm ſuo fine fruſtrari ac contrahendo nihil agere. Atque hæc voluntas appretiativè firmior cum prævaleat minùs efficaci & explicitè propoſitæ, verè ſufficit ad rationem Sacramenti, uti communiter & rectè tradunt DD. Talis autem voluntas inde colligitur; quia Sectarij abſolutè & ſimpliciter intendunt contractum validum & juxta mentem ac ordinationem Chriſti. Atqui contractus validus inter Catholicos eſt Sacramentum. Ergo & ipſi abſolutè & ſimpliciter intendunt Sacramentum, tametſi ex errore interveniat inefficax voluntas, quâ excludere conantur à contractu conjugali non creditam rationem Sacramenti. Neque facilè eſt quiſquam tam perverſus, qui rationem Sacramenti à Chriſto ſuperadditam matrimonio ac per ſe à nemine contemptibilem adeo oderit, ut malit contrahendo nihil operari, quàm inire contractum Sacramentum.

XIV. *Quæſtio quarta.* An ipſum Matrimonium Fidelium non ſolùm in fieri ſed etiam in facto eſſe ſit Sacramentum? Affirmat Bellarm. L. 1. de Matr. c. 6. Sanchez. L. 2. diſp. 5. n. 7. Layman L. 5. tract. 10. part. 2. c. 2. n. 4. & alij nonnulli. Negant Coninck D. 24. dub. 2. n. 11. Palao D. 2. punct. 2. n. 3. & plures alij. Reſpon. multò probabilius videri, hoc Sacramentum, ut ſignum practicum gratiæ, non eſſe permanens, adeóque in facto eſſe non habere veram & propriam Sacramenti rationem. Nam Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt ſignum practicum gratiæ ſanctificantis, id eſt, ex ſuo uſu & opere operato ſuſcipientem Sanctificat, ut dixit Florentinum in decreto Eugenij & Tridentinum Seſſ. 7. per totum. At Conjuges uſu matrimonij non ſanctificantur opere operato, ut omnes fere DD. concedunt. Ergo Matrimonium in facto eſſe propriè non eſt Sacramentum. Unde quoad hoc inter Euchariſtiam & Matrimonium diſcrimen eſt, quod illa continuo uſu: hoc autem ſolùm initio, dum fit maritalis contractus, gratiam ſignificet efficiat & conferat. Quod ſi ſumatur matrimonium pro ſignô ſpeculativo rei Sacræ, hoc eſt, unionis, ſive verbi cum Humanitate, ſive Chriſti cum Eccleſiâ, vel anima rationali, quale ſignum fuit conjugium, licet imperfectè, antequam inſti-

Digitized by Google

tueretur Sacramentum, nihil vetat dicere myſterium permanens. Quin etiam Sacramentum Matrimonij in facto eſſe conferat actualia auxilia ex jure, quod Gratiæ Sanctificanti in fieri fuit annexum, non negamus, idque ſupra jam diximus.

XV. *Doctrina ſexta.* Matrimonium non omnibus eſt permiſſum, ſed propter varia impedimenta partim à Deo, partim ab Eccleſiâ ſtatuta multi illicitè, multi invalidè contrahunt. Ita omnes Catholici DD. qui alia impedimenta matrimonij vocant impedientia ſolùm: alia dirimentia. Priora ſunt, quæ matrimonium ſolùm faciunt illicitum, & continentur his verſibus:

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechiſmus, crimen, Sponſalia, votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Poſteriora ſunt, quæ matrimonium etiam dirimunt, & comprehenduntur his verſibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Ætas, Affinis, ſi clandeſtinus & impos.
Raptáque ſit mulier, nec parti reddita tutè;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hæc utriúſque ſortis impedimenta pluribus explicantur à Theologis Moralibus & Canoniſtis, ac breviter à Felice Via in Summa Juris Canonici à fol. 143. quibus eadem relinquimus. Solùm de voto aliquid dicere lubet. Eſt aliud ſimplex, aliud ſolenne. Votum ſimplex Caſtitatis ſive Religionis, ſive non nubendi, ſive Ordines ſacras ſuſcipiendi obligat te ex jure divinô & naturali abſtinere à nuptijs regulariter ad uſum conjugalem proximè ordinatis. Nam Deus rigidiſſimè exigit ſolutionem votorum ſibi nuncupatorum Eccleſiaſtici 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei omnis infidelis & ſtulta promiſſio.* Si igitur ſtante hoc voto contrahatur, fit quidem matrimonium illicitum, non tamen invalidum (*excepto illo voto ſimplici, quod religioſi in Societate JESU unâ cum duobus fundamentalibus alijs Religionis finito Tyrocinio & aliàs emittunt, ac per ſe fiunt ac ſunt veri Religioſi non ſecus átque ipſi tum Societatis tum quorumvis aliorum Regularium ordinum profeſſi, ut definitum eſt in Extravag. Gregorij XIII. quæ incipit: Aſcendente Domino, additu in contradicentes graviſſimis cenſuris*) Quomodo autem cæteri cum voto ſimplici illicitè contrahentes deinde in uſu matrimonij gerere ſe poſſint, declarant citati Theologi Morales. Ex votis Solennibus alterum ineſt Religioſæ profeſſioni, alterum majoribus Ordinibus, de quibus Controverſiâ 38. ſatis diximus. Profeſſio igitur Religioſa non tantùm impedit & dirimit matrimonium contrahendum, ſed etiam contractum irritat, ut habet Trid. Seſſ. 24. can. 9. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ vel voto, poſſéque omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt caſtitatis, etiamſi eam voverint, donum habere, anathema ſit.*

XVI. Dubitatur autem valde, quô jure votum ſolenne in Religione impediat, & diſſolvat connubium? Durandus, uterque Sotus, & alij apud Dicaſtillo d. 6. dub. 30. exiſtimant oriri ex natura rei & jure divino naturali. Sed multò rectius ſentiunt Suarez Tom. 3. de Relig. 2. c. 9. Vaſq. in 1. 2. d. 162. Palao d. 4. punct. 6. & plerique alij, Profeſſione Religioſâ tantùm Eccleſiaſtico jure dirimi matrimonium. Imprimis enim ſolennitas voti (quæ juxta Theologos conſiſtit in perpetuitate & obligatione ad certum & ſtabile officium, vel vivendi modum ab Eccleſia approbatum) eſt tantum Juris Eccleſiaſtici. Ergo & illius effectus. Antecedens conſtat ex clarâ definitione Bonifacij VIII. In capitulo unico. de voto in 6. quam citata Bulla Gregorij XII. repetijt. Neque votum ſolenne ſecundùm ſe & ſuam obligationem ſubſtantialiter differt aut magis tradit voventem DEO, quàm ſimplex votum continentiæ; & quamvis votum ſolenne Religionis conjunctum ſit cum traditione, quâ ſe vovens pro majore perfectione conſequenda Religioni tradit, in ea tamen adæquatè nō ſtat ratio ſolennitatis, ut bene demonſtrat Suarez L. 2. c. 2. & ſequent, & palam eſt ex votis ſimplicibus Societatis JESU. Unde ad propoſitam quæſtionem ſumitur ratio à priori. Religioſus qui ſe ſe cum voto caſtitatis Religioni donat, tradit ſe ut ad obtinendam perfectionem dirigatur, ſed huic fini, ſecluſo uſu, non obſtat conjugium. Ergo &c. Minor patet ex caſtiſſimo Matrimonio B. Virginis, quod neutiquam fuit impedimento ſummæ perfectionis. Videantur cit Authores.

XVII. *Doctrina quinta.* Matrimonium Sacramentale eſt inſolubile. Ita omnes Catholici Doctores. Nam cum matrimonium ad decentem prolis propagationem, átque educationem ordinetur, non minùs ex natura rei congruit ipſi indiſſolubilis conjugum nexus, quàm unitas uxorum, quæ habetur ex cap. 19. Matth. ubi Chriſtus reducit matrimonium ad primam illius conditionem, quam habebat, quando primi parentes matrimonium inierunt: & revocat facultatem Judæis conceſſam dimittendi uxores, & plures ducendi. Unde Trident. Seſſ. 24. can. 2. ſic ſtatuit. *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul uxores habere, & nullâ lege divinâ eſſe prohibitum, anathema ſit.* Eſt autem inter Fideles Matrimonium aliud Ratum, aliud Conſumatum; prius maritalem contractum ſine ſubſecuto uſu conjugali: poſterius eundem contractum, ſed ſubſecutâ perfectâ & ad generandum aptâ copulâ completum ſignificat; utrumque ex mutuo contrahentium conſenſu eſt indiſſolubile, ita tamen, ut matrimonium, ſi conſumatum fuerit, nullâ prorſus lege poſſit diſſolvi, niſi quoad uſum & cohabitationem: ratum verò poſſit Eccleſiaſticâ authoritate diſſolvi, & facultas dari ineundi novum matrimonium. Deſumitur hæc poteſtas ex promiſſione Chriſti Petro facta. Matth. 16. v. 19. *quidquid ſolveris &c.* quæ poteſtas ſolvendi non tantùm pertinet ad vincula peccatorum, ſed ad omnia ſalutis impedimenta. Ita ſolvuntur matrimonia per profeſſionem Religioſam ex generali conceſſione Eccleſiæ in Jure Canon. capitul. 14. de converſ. conjugatorum & Trident. Seſſ. 24. c. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non conſumatum per ſolennem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.* In particularibus etiam caſibus matrimonia quorundam diſſoluta ſunt ex gravibus cauſis ad bonum publicum pertinentibus v. g. ad ſedanda bella, ad Religionem Catholicam conſervandam & propagandam &c. Nam ex legibus divinis, ad quas pertinet inſolubilitas matrimonij, non poteſt Eccleſia ſine gravi causâ diſpenſare; gravis autem cauſa in propoſitô cenſetur, quæ non ſolùm ad privatam quorundam ſalutem, ſed ad publicum bonum & majorem Dei gloriam pertinet; aliter facta diſpenſatio

Digitized by Google

ſatio non ſolùm illicita, ſed etiam invalida foret, ſicut univerſim docent Theologi de diſpenſationibus legum à ſuperiorum poteſtate latarum, ubi plus non licet inferiori, quàm ſuperior conceſſerit vel de ejus conceſſione prudenter præſumi potuerit; non poteſt autem prudenter præſumi de mente ſuperioris, quod velit ſuas leges infringi ob leves & privatas cauſas bono publico noxias, ſicuti multùm noceret Reipublicæ & in magnam conjugum injuriam cederet, ſi paſſim conjugia diſſolverentur, & conjuges invitæ repellerentur, non facilè alios maritos reperturæ tanquam ſuſpectæ de malis moribus. Videatur Henriquez. L. 2. c. 8. ubi teſtatur, Gregorium XIII. eodem die undecim matrimonia rata diſſolviſſe.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XVIII. **E***rror primus eſt*, Matrimonium non eſſe Sacramentum. Ita Luth. in capt. Babylon. Calvin. L. 4. Inſtit. c. 19. ſect. 34. & ſeq: & omnes reliqui hujus temporis ſectarij. Probant 1. Quia ex ſcripturâ non poteſt probari; multæ enim aliæ res in ſcripturâ dicuntur eſſe ſimiles alijs rebus ſacris, nec tamen ideo ſunt Sacramenta. v. g. officium Paſtoris erga oves eſt imago curæ Chriſti erga Eccleſiam 2. Quia conjugium Adæ & Evæ ſignificavit conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ, nec tamen fuit Sacramentum. 3. Quia in hoc Sacramento non confertur gratia, ut in alijs, ut ait Gloſſ. 32. q. 2. can. honorantur, & aliqui Canoniſtæ, quos ſequitur & citat Durandus in 4. diſt. 2. 3. q. 3.

XIX. Mirum ſanè, adeo conſpirare Sectarios in abneganda Matrimonio ratione Sacramenti, quod aliàs tanti faciunt, ut nemo illo ſpoliatum ſe velit. Et ſi matrimonium non fuerit inſtitutum à Chriſto Sacramentum, ſemperque in Eccleſia tale traditum, dicant quò tempore haberi cœperit pro tali? quod cum nunquàm oſtendere poſſint, ſapientiſſimè tenetur, quod univerſa per orbem Eccleſia ſemper tenuit. D. Auguſt. qui floruit Anno Chriſti 420. Jam agnovit matrimonium veriſſimè eſſe Sacramentum. Nam L. de bono conjugij c. 18. & 24. Matrimonium quinquies Sacramenti nomine compellat. hæc expreſſa ejus ſunt verba: *bonum nuptiarum,* inquit, *ad populum DEI permanet etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio interveniente alteri nubere, dum vir ejus vivit.* ubi rectiſſimè S. Doctor indiſſolubilitatem matrimonij Catholici, conſummati præſertim, ſanctitati Matrimonij, ut Sacramenti, cum omnibus Catholicis Theologis attribuit. Plura clariſſima teſtimonia tum ipſius S. Auguſt. tum aliorum antiquiſſimorum. PP. refert præter Bellarm. & alios Bernardinus Vetweis in ſpecul. Eccles. à fol 834. an non igitur hic locum habet, quod idem Sanctiſſimus Præſul Hypponenſis Epiſt. 118. & alibi ſcribit: *de eô,* inquit, *quod univerſa frequentat Eccleſia, diſputare inſolentiſſima eſt inſania.* Qualem inſaniam jam olim oſtenderunt Eytichiani illi, qui & Armeni dicti ſunt, deterrima ſcilicet Eytichianorum ſoboles, quorum triginta duas hæreſes recenſet Gualterius in ſua chronol. fol. 545. inter quas 23. eſt, Matrimonium non eſſe Sacramentum, quam inſaniam hodierni etiam ſectarij oſtendunt, ut ſupra diximus, & videre eſt apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 205. & Ames. Tom. 3. à fol. 249.

XX. Reſpond. ad 1. probationem, fundamentum hoc, quod ex ſcriptura probari non poſſit, matrimonium eſſe Sacramentum, ſæpius rejectum jam eſſe, oſtendendo, fidem divinam non niti ſolùm ſcripturâ, ſed quolibet DEI teſtimonio ſeu ſcripto ſeu non ſcripto, modò ſatis certificato, ſicuti maximè certificatur matrimonium eſſe Sacramentum per authoritatem Eccleſiæ, ſine qua nec ſcripturæ authoritas nobis conſtat. Hoc autem Eccleſiæ teſtimonium non habent res aliæ, quantamcunque ſimilitudinem cum aliquibus rebus ſacris præſeferant. Adhæc quamvis ſupra cum Vaſquezio diximus, non efficaciter evinci ex loco D. Pauli ad Ephes. 5. Matrimonium eſſe Sacramentum, negari tamen non poteſt, probabiliſſimè ex eo colligi, junctâ præſertim continuâ Eccleſiæ traditione; unde Concilium Tridentinum in præfat. Seſſ. 24. ait, *hoc Sacramentum à Paulò innui,* nempe tanquam idoneam materiam, accedente Chriſti ordinatione. Et S. Chriſoſtomus hom. 10. in Epiſtl. ad Ephes. verba illæ: *magnum myſterium*, tribuit conjugio, licet per allegoriam repreſentent conjugium ſpirituale Chriſti cum Eccleſia. At, inquit Ameſius de matrimonio. fol. 255. hæc eſt turpis repugnantia Papiſtarum, matrimonium eſſe immunditiem, pollutionem, ſordes carnales, & ſimul eſſe Sacramentum. Retorqueo rectius & dico: turpiſſimam eſſe hanc Calviniſticam & mendacem calumniam. Quis enim unquàm Catholicorum iſtud de vero & legitimo matrimonio pronunciavit? ſi ſacrilegi concubitus ſacerdotum & Monachorum reprehendantur tanquam pollutiones; quid quæſo hoc ad legitimum matrimonium facit? Ad. 2. Matrimonium Adæ & Evæ figuraviſſe quidem futuram conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ ſecundùm carnem: at verò non propriè per gratiam, quæ per ejus uſum conferretur aut præſens eſſet; & nec id quidem fortè ex inſtitutione DEI, ut notavit valentia Tom. 4. diſp. 10. q. 1. punct. 5. Quare matrimonium nec in veteri lege ullam Sanctificationem vel expiationem aut munditiam legalem contuliſſe legitur; ſicuti nec manna propriè Sacramentum fuit, quantumvis Sacramentum Euchariſtiæ per modum figuræ repræſentârit. Ad 3. Durandi & illorum Canoniſtarum opinionem eſſe erroneam poſt definitionem Concilij Florentini & Tridentini; nec verò iſti Catholici Doctores unquam negaſſent, matrimonium eſſe propriè Sacramentum, & gratiam conferre; ſi definitionem illorum conciliorum perſpexiſſent. D. Bonaventuræ & ſubtili Scotò injuriam facit Ameſius, dum eos fol. 249. pro ſententia Durandi citat; quam Puritanus ille ex eo urget, quod in matrimonio conjunctio viri & fæminæ naturalem cauſam habeat. Sed non advertit Rabula, non quamlibet hic effici unionem inter virum & fæminam, ſed planè indiſſolubilem non ſolùm corporum, ſed etiam animarum per veram Charitatem, ut uxor jungatur viro, ſicuti Chriſtus Eccleſiæ; ac proinde ſit unio ſanctificans, quam utique naturaliter ſignificare nequeunt verba illa conjugum, quæ in celebratione matrimonij adhibentur.

XXI. *Error ſecundus* eſt, votum Caſtitatis eſſe

Digitized by Google

illicitum, atque invalidum, ac proinde non impedire matrimonium, ſed eo contempto non ſolùm Laicos ſed etiam Religioſos poſſe ac debere contrahere matrimonium. Sed hoc jam refutatum eſt ſupra Controv. 38. de cœlibat. Videantur DD. à Walenburch. Tom. 1. fol. 380. Argumentantur autem hæretici hîc ſpeciatim ex principijs Theologiæ Catholicæ contra votum Caſtitatis in hunc modum, ſi DEUS non acceptat votum caſtitatis, tum nec valet, nec obligat. Sed DEUS non acceptat votum caſtitatis. Ergo nec valet, nec obligat. Major docetur paſſim à Catholicis Doctoribus; ſicut etiam promiſſio homini facta nihil operatur, nec valet, ſi homo ille noluerit acceptare. Minor probatur. Quia DEUS non acceptat votum, quod impedit majus bonum, ſed votum caſtitatis impedit majus bonum. Ergo DEUS non acceptat. Minor traditur ab ijſdem Theologis, & facilè probari poteſt; quia Deus cupit nos meliora ſectari 1. ad Corinth. 10. v. 13: *æmulamini chariſmata meliora.* Minor probatur; quia votum caſtitatis impedit matrimonium, quod eſt majus bonum, utpote Sacramentum. Atqui Sacramentum utique melius eſt non Sacramento. Ergo Matrimonium melius eſt Caſtitate.

XXII. Respond. ad hoc argumentum, Matrimonium abſolutè non eſſe melius continentiâ ſed tantùm ſecundùm quid, quatenus eſt Sacramentum efficax gratiæ; cujus tamen efficaciam caſtitas multis alijs modis compenſat, ſicuti innocentia utique melior eſt, quàm pænitentia, licet Sacramentum ſit pænitentia, innocentia non. Aliud ergo eſt comparare ſtatum cum ſtatu: aliud ſtatum comparare cum Sacramento, ſtatus continentiæ eſt altior matrimonio, ac majoris gratiæ & meriti; *qui enim nubit, bene facit, qui non nubit, melius facit.* 1. ad Corinth. 7. v. 39. Sacramentum tamen ſemper auget gratiam in quocunque ſtatu accipiatur. Sed ſi idem continens propter DEUM nuptias contempſiſſet plus gratiæ à DEO accepiſſet, quàm ſit illa, quæ per Sacramentum matrimonij communicatur.

XXIII. Urget Ameſius fol. 257. contra rationem Sacramenti Matrimonij. Omne quod confert gratiam, ut Sacramentum ex opere operato, illud præſtatius eſt voto continentiæ, quod nihil tale præſtat, Sed matrimonium non eſt Sacramentum conferens gratiam ex opere operato. Reſpondetur ex dictis diſtinquendo Majorem. omne quod confert gratiam, ut Sacramentum, ex opere operato, illud eſt præſtantius voto continentiæ, ſecundùm quid, eſto: abſolutè negatur. Si enim omne id, quod confert gratiam ex opere operato abſolutè præſtantius eſſet illô, quod nihil tale præſtat, ſequeretur, intenſiſſimum actum charitatis, quô Beatiſſima Virgo vovit caſtitatem perpetuam, minùs præſtantem eſſe baptiſmo infantis, quod dici nequit; quis enim dubitare poteſt, quin actus ille Deiparæ. ſimpliciter nobilior ſit multis hujuſmodi parvulorum Baptiſmis? ipſa gratia in ſe ſpectata ſemper eſt ejuſdem rationis ſive ex opere operato, ſive ex operе operantis acquiratur. Libernm autem fuit Chriſto, ut, licet continentia ex genere ſuo eſſet opus perfectius & magis meritorium, quàm matrimonium, hoc tamen præ illâ in Sacramentum elevaret, quò virtute hujus & ex opere operato gratia propter difficultates in matrimonio occurrentes ad ejus finem referretur. Itaque ſimpliciter falſa eſt hæc propoſitio: *quævis actiô & gratia Sacramentalis præſtantior eſt quâjus actione & gratiâ non Sacramentali.* Sed poſſunt ſe habere ut excedens & exceſſum; & ſecundùm quid etiam ſemper habet aliquid gratia Sacramentalis præ gratia non Sacramentali.

XXIV. *Error tertius eſt.* Eccleſiam non habere poteſtatem, nova impedimenta matrimonij dirimentia conſtituendi. Ita communiter hæretici noſtri temporis, ut videre eſt apud Kemnitium in Exam. Concilij Trid. Seſſ. 24. c. 4. Ratio ipſorum eſt, quia Pontifex aut Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramentorum à Chriſto inſtitutam. Ergo non poteſt efficere, ut perſona, quæ jure divino habilis eſt ad Sacramentum Matrimonij, fiat inhabilis. Atqui perſona v. g. clandeſtinè contrahens, vel conſanguinea habilis eſt jure divino ad Sacramentum Matrimonij. Ergo Pontifex aut Eccleſia non poteſt reddere inhabilem. Ergo non poteſt impedire clandeſtinum matrimonium. Confirmatur. quia Eccleſia non poteſt facere, ut aqua elementaris in Baptiſmo non ſit apta materia Baptiſmi, & ſic de cœteris loquendo. Tum quia Eccleſia non habet authoritatem inſtituendi Sacramenta. Ergo nec conſtituendi ſubſtantiam Sacramentorum, ſive ea, quæ ad ſubſtantiam requiruntur. Propter hoc argumentum multi Epiſcopi ac Theologi, qui fuerunt in Concilio Trident. antequam res definiretur, putârunt Eccleſiam non poſſe irritare vel dirimere clandeſtina matrimonia. Et Dominicus Soto in 4. diſt. 28. q. 1. art. 1. ad Im. nihil audet definire, ſed Eccleſiæ judicio relinquit definiendum.

XXV. Errorem hunc damnat Concil. Trid. Seſſ. 24. de reformat. Matrimonij c. 1. ubi ita re ipſâ irritavit matrimonium clandeſtinum conſtituendo novum impedimentum dirimens matrimonij. & ibidem can. 3. id ipſum ex inſtituto definitur his verbis: *ſi quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contactum, nec poſſe Eccleſiam, in nonnullis eorum diſpenſare, aut conſtituere, ut impediant & diriment, anathema ſit.* Et can. 4. *ſi quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimoniorum dirimentia, vel in ijs conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Ratio eſt, quia Eccleſia eſt Res publ. perfecta habens proinde poteſtatem in ordine ad finem ſpiritualem, ſeu ultimam hominis beatitudinem conſtituendi ea, quæ ad eundem finem neceſſaria ſunt, tum in rebus cæteris, tum præcipuè in rebus ſpiritualibus ordiniſque ſupernaturalis, uti eſt ratio cōtractûs matrimonialis juxta illud Chriſti Math. 16. v. 19. *quodcunque ligaveris &c.* & Math. 18. v. 18. *quæcúnque alligaveritis ſuper terram &c.* Reſpond. juxta ea, quæ diximus ſupra Cont. LXII. §. VI. Conceſſo Antecedente, negando conſequentiam. Quamvis enim Eccleſia aut Pontifex invalidare non poſſit materiam aut perſonam, ſi in eo ſtatu & natura permaneant, in quâ Chriſtus eas invenit; ſi tamen phyſica aut moralis mutatio in ijs accidat, ut non amplius tales ſint, quales Chriſtus invenit, tum per ſe deſinunt eſſe validæ. Cum igitur materia Sacramenti matrimonij ſit moralis, nempe legitimus contactus tam humanis, quam divinis legibus conſentaneus, Pontifex aut Eccleſia ponentes novas

leges

Digitized by Google

leges irritantes contractus matrimoniales, aut reddendo aliquas perſonas inhabiles ad matrimonium, hoc ipſo facit contractum illegitimum & conſequenter inſufficientem ad matrimonium. Sic etiam Eccleſia alias perſonas inhabiles facit, & contractus alios irritat, puta novitios in Religionibus & profeſſionem illorum factam ante annum novitiatûs vel ſedecim ætatis annos expletos, ut patet ex Concilio Trid. Seſſ. 25. de Regul. cap. 16. Atque ex his etiam ad ſubſumptum & confirmationem utramque abunde conſtat. Nam perſona clandeſtinè contrahens eſt quidem habilis ad Sacramentum ſecundùm ſe: non tamen juxta præſentes leges eſt habilis ad talem contractum, quæ ad Sacramentum elevari, & cui ratio Sacramenti conjungi poſſit. Item quamvis Eccleſia humanâ poteſtate conſtituere non poſſit ſubſtantiam Sacramentorum in genere & formaliter: eadem tamen in particulari & materialiter efficere valet, ut hoc vel illud habeat rationem materiæ Sacramentalis à Chriſto inſtitutæ, quod antea nòn habebat eam, vel ut jam ejuſdem materiæ rationem non habeat, quod antea habebat illam. Videatur Tanner Tom. 4. Diſp. 8. Quæſt. 4. a. n. 4.

XXVI. *Error quartus eſt*, Præcepta omnia, quæ de gradibus prohibitis Levit. 18. habentur, jure divino obligant Chriſtianos, & hanc naturalem juſtitiæ normam nō minùs jam à Chriſtianis, quàm olim à Judæis obſervandam, nec ullâ diſpenſatione immutandam continent. Ita Lutherani apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 294. Calviniſtæ apud Ameſium à fol. 269. & alij Sectarij. Fundamentum præcipuum eſt, quod DEUS videatur citato loco Levit. declaraſſe, prohibitiones illorum graduum non fuiſſe ceremoniales, aut judiciales, ſed juris naturalis, átque adeo ad omnes homines & ad omnia tempora pertinere, tametſi lex ipſa ſcripta pro illo populo per ſe nos non obliget. Confirmatur ab Ameſio fol. 270. DEUS Levit. 18. & 20. pronunciat, ſe Gentes puniturum propter omnia illa conjugia, quæ ibi prohibentur, quales etiam conjunctiones in ipſis Gentibus vocat abominationes. Ergo præcepta illa de gradibus cognationis non ſunt judicalia, ſed moralia & naturalia, cum ſint univerſalia, átque ad certa aliqua ſcelera reſtringi nequeant.

XXVII. Errorem hunc reijciunt omnes Catholici Doctores ex definitione Concilij Tridentini Seſſ. 24. can. ſupra jam §. 25. cit. Ratio eſt. Tum quià leges Moſaicæ ceremoniales & judiciales per Chriſtum abrogatæ ſunt, & Chriſtianos per ſe non obligant, ut alibi docetur. Quare in contrahendis Chriſtianorum matrimonijs univerſim ac per ſe loquendo, non eſt habenda ratio legis divinæ Veteris ſeu Moſaicæ, Levit. 18. cit. Tum quia conjugia in quibuſdam horum graduum morte puniuntur: in quibuſdam verò pænâ leviore, ut patet ex v. 20. & 21. Ergo conjugia hæc non prohibentur jure Naturæ ſed proprio Judæorum; & ſanè per ſe rationi conſonum erat, ut in lege poſitiva Moyſis prò Judæorum Republ. non ſolùm prohiberentur gradus jure naturali prohibiti, ſed etiam alij nonnulli, ut communiter omnium Gentium more eſt receptum. Tum quia habemus exempla non pauca Sanctorum, qui antequam lex iſta ferretur, in gradibus Levit. cit. prohibitis connubia inièrunt; hæc autem nunquam feciſſent, ſi illa præcepta ſemper obligaſſent. Tum quia citato loco Levit. interdicitur matrimonium nepotis cum amita, vel matertera: non tamen neptis cum patruo vel avunculo, cum tamen omnes ſint in eodem gradu lineæ tranſverſæ æquales. Item prohibetur conjugium cum uxore fratris defuncti, non tamen cum ſorore uxoris defunctæ, ubi rurſus eſt idem affinitatis gradus. Unde ſic efficaciter argumentari poſſumus. Si omnia illa præcepta Levit. de gradibus jurè naturæ conſtituta eſſent, tum intra eundē gradum omnia matrimonia eſſent illicita. Sed Moyſes quædam conjugia prohibuit, & quædam permiſit in eodem gradu. Ergo &c. Videri poſſunt Bellarm. de Matrim. à cap. 25. Valentia, Tanner alij. Reſpond. ad fundamentum Adverſariorum, negando omnino, DEUM in Levit. declaraſſe, prohibitiones illas omnes prorſus eſſe abſolutè juris naturalis, ita ut in nullo caſu jure naturali & divino liceat contra illas facere. Ad Confirmationem. Suum iſta haberent pondus, ſi ſcriptura diceret: Gentes illas propter ſingula peccata enumerata eijci è terra meruiſſe. At iſtud non dicit. Equidem deliquerunt Gentes commiſcendo ſe abſque ullo delectu contra jus Naturæ: attamen non ita graviter, ut propter hæc præcisè è terrâ eſſent eijciendæ; ſiquidem iſta pæna propriè ſpectat crimen idololatriæ, adulteria ac flagitia prodigioſa cum beſtijs & maſculis &c.

XXVIII. *Error quintus eſt*. Eccleſia non poteſt diſſolvere Matrimonium ratum per ſolennem Religionis profeſſionem alterius conjungis. Ita hæretici noſtri, dum univerſim cælibatum Sacerdotum & Monachorū reijciunt, ut ſpeciatim videre eſt apud Joannem Gerhardum L. 2. part. 2. fol. 353. Rationem particularem hic adducunt. Tum ex Math. 19. v. 6. ubi Chriſtus ait: *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet*. Tum quia pontifex non poteſt diſpenſare in jure divino & naturali, ut communiter tradunt Theologi de legibus. Atqui matrimonium etiam ratum eſt indiſſolubile jure divino, & naturali. Ergo &c.

XXIX. Errorem hunc, nempe matrimonium ratum & non conſummatum diſſolvi non poſſe quoad vinculum per profeſſionem Religionis, damnat Concilium Trid. Seſſ. 24. c. 6. his verbis: *Si quis dixerit matrimonium ratum non conſumatum per ſolennem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi. Anathema ſit.* Cæterùm an univerſim etiam extra hunc caſum religioſæ profeſſionis pontificiâ diſpenſatione matrimonia Chriſtianorum rata non conſūmata ſolvi poſſint, lis eſt Scholaſtica, non fidei? Multò probabilius affirmant Card. Bellarm. L. 2. de Monachis c. 38. Valentia Tom. 4. d. 10. de matrimonio q. 1. punct. 7. Azor Tom. 2. L. 5. c. 2. q. 3. Sanchez. L. 2. d. 14. n. 2. Tanner d. 18. q. 5. n. 62. & plures alij Theologi, atque univerſim Canoniſtæ. Moventur 1. quia ſæpe Videmus Summum Pontificem in Matrimonio rato diſpenſaſſe & illud diſſolviſſe, & multi Authores fide digni teſtantur, ſuô tempore varios Pontifices id factitaſſe, ut ſupra intelleximus ex Henriquez. Quis autem credat in re adeo gravi Eccleſiam, quæ à Spiritu Sancto regitur & illuminatur, errare. 2. Conceſſa Eccleſiæ poteſtas Matth. 16. v. 19. ſolvendi & ligandi quàm latiſſimè eſt explicanda, cum ſit utilis animarum ſaluti, & univerſalis. 3. Matrimonium non habet omnimodam indiſſolubilitatem; nec ratione contractûs, ut patet, in matrimonio infidelium: nec ratione Sacra-

ſiquidem aliud eſt de infidelibus. Nam ſi duo infideles contrahant matrimonium, & poſtea alter conjugum fiat Chriſtianus, alterò perſiſtente in ſua infidelitate, poteſt Chriſtianus infidelem dimittere, & cum alia Chriſtianâ contrahere, ut docet Apoſtolus 2. ad Corinth. 7. v. 15. quod Chriſtianis non licet.

XXXIV. Reſpond. nunc ad fundamentum Hæreticorum ſupra ex Matth. 19. v. 9. allatum, quod valde urgent Gerhardus L. 2. parte 3. à fol. 246. & Ameſius à fol. 260. exceptionem illam Chriſti : *Niſi ob fornicationem tantùm* pertinere ad dimiſſionem uxoris à toro & cohabitatione: non ad alterum conjugium, ut ipſe verborum ordo indicat. Nam Matthæus priori verſiculi parte excipere voluit caſum fornicationis, ut oſtenderet plenè ac ſolidè à Chriſto reſponſum eſſe petitioni Phariſæorum, ſcilicet non ex quacunque causâ; ſed ob ſolam fornicationem (ſubaudi vel aliud gravius crimen) licere divortium facere; divortium, inquam, non quoad vinculum Matrimonij, quod ex natura ſuâ (quam fornicatio non immutat) eſſe inſolubile, in prioribus verbis probatum fuit; ſed quoad torum ſeu cohabitationem. Quemadmodum ergo Matthæus in poſteriore verſiculi parte abſque ulla exceptione dixit, qui dimiſſam duxerit, mœchatur, ſic inquam, in priori ejuſdem verſiculi parte etiam abſolutè & univerſim pronunciat, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, non init verum matrimonium, ſed adulterium committit, ita ut exceptio, quæ ibidem interijcitnr, ſolummodò ad caſum fornicationis, & ad ſeparationem à toro & cohabitatione pertineat; cætera autem verba inſolubilitatem vinculi matrimonialis indicent. Alioquin Matthæus non ſolùm Sanctis Marco, Lucæ, Paulo, & Tridentino, ſed etiam ſibi ipſi adverſaretur, judicans melioris eſſe conditionis illam, quæ ob fornicationem ſeu adulterium dimitteretur, quàm quæ citra crimen aut culpam ſuam innocens dimitteretur, ſiquidem hæc alteri nubere non poteſt. Atquè ſic corruit Achilles hæreticorum: neque his favent Cajetanus in cit. cap. Matthæi, & nonnulli Catholici; etenim iſti quidquid olim putârint, Eccleſiæ judicio diſertè ſe ſubjecerunt, nondum ſcilicet cognita definitione Concilij Tridentini. Manet autem ſemperque manebit turpitudo Lutheri, ejuſque ſpurcitiem Gerhardus quidquid fol. 333. conetur, nullis unquam verborum telis velabit, ne dicam emundabit. Videri poteſt Card. Bellarm. de Matr. à cap. 13.

XXXVIII. *Error ſeptimus eſt.* Matrimonia filiorum nulla ſunt, ſi Parentes in ea non conſentiant. Ita Novatores noſtri temporis, ut videre eſt apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 267. & Ameſium tom. 3. à fol. 268. Nituntur aliquot Sacræ Scripturæ teſtimonijs 1. Exod. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. Jerem. 29. v. 6. & 1. ad Corinth. 7. v. 36. præceptum de matrimonio filiorum parentibus potius datur, quàm filijs 2. Exodi 22. v. 16. & Deut. 22. v. 29. permittitur arbitrio Patris, an ſtuprator filiæ ſuæ accipiat eam in uxorem, nec ne. 2. Promiſſionem Filij DEO factam poteſt Pater annihilare Num. 30. v. 4. 5. & 6. Ergo multo magis promiſſionem homini factam de conjugio. Confirmant ex quibuſdam canonibus, conſenſum Parentum ad matrimonia filiorum requirendum eſſe.

XXIX. Errorem hunc reijcit Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 5. de reformat. Ubi anathemate damnantur, qui falsò affirmant, matrimonia à filijsfamilias ſine parentum conſenſu contracta eſſe irrita, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe. Idem habetur in capit. cùm virum. de regularibus. Ratio eſt. Tum quia filij quoad electionem ſtatûs ac matrimonij ſunt ſui juris, ut pluribus oſtendit Bellarminus de Matr. L. 1. c. 19. & 20. & alij. Tum quia omnia, quæ ſpectant ad eſſentiam matrimonij, adhiberi poſſunt, etiamſi Parentes non conſentiant, nempe Materia, Forma, Miniſter, qui ſunt ipſi contrahentes, & præterea parochus cum duobus alijs teſtibus. Ergo nulla eſt ratio, cur contractus Matrimonij tunc non valeat.

XL. Reſpond. ad 1. ex Script. plus hinc non haberi, quàm ad parentes pertinere directionem, ut prudenter Filij matrimonium contrahant. Item verba: *filiam tuam non dabis filiò ejus*, Cananæi ſcilicet, plus non probare, quàm parentem poſſe imperare filio, ut non contrahat cum tali, cùm qua revera ei non expedit contrahere, non ideo autem reddi irritum contractum. Ad 2. hoc non eſſe ad rem noſtram; ſiquidem in ijs locis non ſtatuitur, fore matrimonium irritum, ſi eò caſu puella & ſtuprator, inſcio patre, matrimonium contraxiſſent. Ad 3. Legem illam divinam loqui de filiabus, quæ adhuc ſunt in puellari ætate ſeu impuberes; eſt autem nimis magna diſparitas inter votum puellæ impuberis, & contractum matrimonialem filiæ familias pubertatem egreſſæ. Ad Confirmationem. Canones, qui exigunt conſenſum Parentum, intelligendi ſunt ex honeſtate & decentia: non ex neceſſitate Sacramenti. Si quæ verò leges tale matrimonium irritent, eæ ſunt juxta communem ſententiam jure canonico abrogatæ. Dicit Gerhardus fol. 269. conſenſum filiorum ſine conſenſu parentum non eſſe integrum & legitimum, ut docent Juris conſulti. Ergo deeſt forma Sacramenti. Diſtinguo; deeſt aliquid, ut honeſte fiat uſquequaque, concedo: deeſt aliquid, ut validè fiat, nego. Ut ſi aliquis celebret nuptias tempore prohibito, ſine dubio non honeſtè & legitimè facit; quis tamen contractum hunc pronunciare auſit irritum?

XLI. *Error Octavus eſt* Anabaptiſtarum, qui polygamiam plurium uxorum concedunt, atque ita ſtatuerunt in Conciliabulo Monaſterienſi in Weſtphalia 1531. & re ipsâ fecerunt ſeptenas & octenas uxores ſimul ducendo. Nituntur Tum Exemplo Abrahami, Jacobi, Elcanæ & plurium aliorum. Tum authoritate Apoſtoli. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. ubi ſolis Epiſcopis & Diaconis plures uxores prohibuit. Ergo Laicis plures concedit. Non eſt alienus ab hac opinione Lutherus in Comment. in Genes. Wittenbergæ 1561. editus: *polygamiam expreſsò textu in lege Evangelicâ non prohiberi, & liberum eſſe eam uſurpare, cum id Abrahamo, Jacobo, Davidi, & alijs viris in uſu fuerit.* Gerhardus non poteſt iſtud negare, excuſat tamen Magiſtrum ſuum fol. 333. quod Monachus & Papiſta inſaniſſimus fuerit, nondùm plenè illuminatus. Sed hoc non eſt tam excuſare Lutherum, quàm incuſare Proteſtantes, omneſque Lutheranos ſummæ levitatis, quod inſanum Monachum, & tenebris ignorantiarum involutum cæco impetu ſecuti fuerint, Sanctâ

Digitized by Google

Romanâ fide & Eccleſiâ, quæ tot ſæculis illæſa ſtetit, perfidè relictâ. Teſtatur etiam Coſterus in Compendio. demonſtratæ Fidei fol. 382. tum temporis Prædicantibus admodùm familiare fuiſſe, ut invicem ſuas uxores tanquam equas permutarent, atque intra medium annum unus tres, quatuorve uxores haberet. Addi poteſt exemplum Valentiniani Imperatoris pij atque catholici, qui legem promulgavit, ut liceret unicuique plures uxores accipere teſte Sacrate L. 4. c. 27.

XLII. Errorem quoque iſtum reijcit Tridentinum Seſſ. 24. can 2. his verbis: *ſi quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & nullâ lege divinâ eſſe prohibitum, anathema ſit.* Et meritò. Nam Chriſtus in Evangelio Matth. 19. reducit Matrimonium ad primam illius conditionem, quam habebat, quando primi parentes matrimonium inierunt, revocando facultatem Judæis conceſſam dimittendi uxores & plures ſimul ducendi. Unde Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 2. monet, *ut unus quiſque ſuam uxorem habeat vitandæ fornicationis causâ*; ſuam, inquit, non autem duas, vel tres, vel plures. Accedit, quod polygamia repugnet aliquo modo Naturæ, ut cum S. Thoma 3. P. q. 65. a. 1. docent paſſim Theologi; quia contra legem naturæ eſt, quando res uni tradita, & ab eô legitimè poſſeſſa, alteri traditur poſſidenda. Sed maritus in Matrimonio corporis ſui poteſtatem dat uxori. Ergo jure naturæ non poteſt illam alteri tradere. Dixi aliquo modo; nam finis matrimonij triplex eſt. 1. procreatio, ſeu propagatio prolis. 2. mutuum obſequium conjugum. 3. remedium concupiſcentiæ. Ex his primus eſt primarius, duo reliqui ſunt ſecundarij; unde ſequitur, polygamiam ratione finis primarij eſſe conformem legi Naturæ; per plures enim uxores propagatio prolis potius promovetur, quàm retardetur: ratione autem finis ſecundarij eſſe repugnantem.

XLIII. Reſpond. ad 1. argumentum Novatorum. Deum poſt diluvium conceſſiſſe, ut liceret plures habere uxores ſimul, quod antea non licebat Genes. 1. v. 27. *Maſculum & fæminam fecit eos.* Matth. 10. v. 4. *Qui fecit hominem ab initio, Maſculum & fæminam fecit eos.* Conceſſit autem Deus poſt diluvium polygamiam tum ad propagandam prolem, qui eſt primarius finis, tum ut eſſet figura & typus pluralitatis, ſeu multitudinis Gentium, quæ Chriſto tanquam Sponſo erat conjungenda, ut cum S. Thomâ loc. cit. art. 2. ad 5. docent Theologi. Ad 2. Apoſtolum tantùm loqui de pluribus uxoribus ſucceſſivè, quas Clericis interdicit, Laicis permittit. Ad 3. Imperatorem illum meritò ab aliquibus reprehendi, quod auſus fuerit legem à Chriſto latam abrogare, & contrariam ſtatuere, quò facilius libidinem ſuam explere poſſet, ducendo aliam uxorem, primâ, ex quâ Gratianum ſuſceperat, ſuperſtite. Non deſunt alij, qui putent, eſſe meram hominis Ariani calumniam, qualis Socrates erat; ſi enim Valentinianus talem legem promulgaſſet, Sanctiſſimi viri Damaſus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, qui circa illius tempora vixerunt, utique totis viribus illi reſtitiſſent, & nefandam illius impudicitiam ſcriptis damnaſſent, quod tamen minimè fecerunt; quin eximia illius Imperatoris Caſtitas à varijs Authoribus celebratur.

***

):(IHS.):(

F I N I S.

Omnia ad Majorem DEI gloriam, & Sanctæ Matris ECCLESIÆ Catholicæ incrementum: cujus etiam JUDICIO omnia humillimè ſubjecta ſunto.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A.

Adoratio quid, & quotuplex ſit, ac quomodo hæretici de hiſce membris ſentiant. fol. 275.
Quæ Adoratio Deo, quæ Chriſto Deo & Homini; item quæ Humanitati Chriſti ſpecificativè in eo ſpectatæ: quæ demum eidem reduplicativè ſumptæ conveniat. 276. Error oppoſitus 277.
Deus & Chriſtus adorantur in cœlo ab Angelis & Animabus, quamprimùm iſtæ ex hac vita diſceſſerint, & emaculatæ fuerint. 276. Err. op. 277.
Abſolutionis Sacramentalis quæ ſit forma. 498. Et quid in ea ſit *Solutio & Ligatio* 499.
Altarium cultus non eſt ſuperſtitioſus. 302.
Antiquitas Romano-Catholicæ Eccleſiæ eſt à tempore Apoſtolorum. 124.
Antichriſti nomine quid ſignificetur. Et an ſit unus ſingularis homo 210. Err. op. 212.
Antichriſtus magnus utrum jam venerit in mundum 210. Err. op. 213.
Antichriſto quæ Notæ in Sacra Scriptura attribuantur: & an eæ Papæ conveniant. fol. 214. & ſequentib.
Antichriſtus magnus an ſit Romanus Pontifex. 211. Err. op. 214.
Alexander III. Papa an Friderici Imperatoris caput pede calcaverit &c. 214.

B.

Baptiſmus quid ſit. Quando à Chriſto inſtitutus. Quæ ejus materia remota & proxima 438.
Quæ ſit forma Baptiſmi in Romana Eccleſia. Et an de fide ſit, *Baptiſmum in nomine Chriſti collatum non valere*. 439.
Quodnam ſit ſubjectum Baptiſmi. Et quis ejus Miniſter 440. Err. op. 441.
Baptiſmus eſt neceſſarius parvulis neceſſitate medij. 440. Err. opp. 441.
Idem Baptiſmus adultis eſt neceſſarius in re aut voto ſuſceptus. 440. Err. op. *quaſi ſufficeret fides propria vel aliena*. 443.
Effectus Baptiſmi præcipui ſunt tres *Gratia*, *Character*, *Remiſſio totius pœnæ* 440. Err. op. 446.
Infantes ſunt quidem capaces Baptiſmi, in hoc tamen non habent actualem fidem. 443.
Baptiſmus Joannis non habuit parem vim cum baptiſmo Chriſto. 447.
Bibliorum variæ linguæ & verſiones. Et quæ hodie verſio ſit Authentica. 41. & 49.
Bibliorum vulgata editio latina non eſt ab omnibus prorſus mendis purgata 43.
An eadem vulgata Bibliorum editio ſit verbum DEI. 49.
Utrum Biblia in vulgaribus linguis edita vendi, legi &c. ſine facultate Epiſcoporum poſſint. 55.
Utrum hodie in Germania permiſſa ſit lectio Bibliorũ vernaculorum. Et unde hoc conſtet. 56.
Qualis reverentia debeatur ſacris Biblijs. Et quales abuſus huic repugnent. 56.
Utrum Biblia in quavis lingua ideo prohibeantur legi, ne errores Catholicorum deprehendantur. 57.
Utrum Sacra Biblia à Catholicis ad Lutheranos venerint. 58.

C.

Canon quid ſit. Et quid ſit liber Apocryphus. 40.
In canone qui & quot libri ponantur. 41.
Utrum Eccleſia pro ſuo arbitrio facere poſſit librum canonicum. 41.
E canone quot & quos libros arceant hæretici. 45. & ſeq.
Catholici in toto orbe non ſunt pauci. 18.
Chriſtus an ſit verus Deus. 59.
Chriſtus quà Deus an ſit Filius naturalis 62.
Chriſtus quà Deus cur dicatur generatus: Non autem ſic Spiritus Sanctus 63.
E quibus locis Sac. Scripturæ Chriſtus videri poſſit, non eſſe Deus 64.
Chriſtus an ſit filius adoptivus. An quà homo reduplicativè: aut etiam ſecundùm humanam Naturam 65. & ſeq.
Chriſtus an ſit verus homo. 70.
Ubi & quomodo Chriſti corpus fuerit formatum. 74.
An organizatio corporis Chriſti facta fuerit cum anima rationali & unione hypoſtatica in uno codémque inſtanti. 74.
Chriſti conceptio quare tribuatur Spiritui ſancto 75
Chriſtus quomodo deſcenderit de cœlo in uterum Virginis 75.
Utrum Chriſtus ſecundùm humanitatem ſit filius Spiritûs Sancti. 75.
Chriſti conceptio ex quibus capitibus dicatur felix 75.
Chriſti corpus an fuerit pulchrum. An habuerit morbum 76. Err. op. 80.
Anima Chriſti an perfectior fuerit omnibus animabus hominum: & an contraxerit peccatum Originale. 76.
Utrum eadem in primo inſtanti Conceptionis habuerit uſum rationis, & omnes ſtatim ſcientias, ac quæ per ſingulas cognoverit. 78.
Quomodo reliquæ potentiæ internorum atque externorum ſenſuum, ipſæ quoque paſſiones in Chriſto ſe habuerint 79.
Utrum Chriſtus ſtatim fuerit ſanctus. 79.
Chriſti omnes actiones, quas liberè exercuit, fuerunt meritoriæ 79.
Chriſtus fuit valde potens in ſermone & opere, atque efficax in dicendo 79.
Utrum Chriſtus in ſcientia potuerit proficere. 81.
Voluntas Chriſti an fuerit prorſus impeccabilis: & quomodo nihilominus libera, ita ut Chriſtus fuerit liberè mortuus. 78.
Utrum Chriſtus in paſſione ſuſtinuerit deſperationem, dolores inferni ac damnatorum 82.
Anima Chriſti manſit in limbo Patrum toto illo triduo uſq; ad Reſurrectionẽ 84. err. op. 85. & ſeq.
Chriſtus an & quale Caput ſit Eccleſiæ ſuæ de facto. 156. Et an præter Chriſtum ſit aliud Caput viſibile in Eccleſia 157.
Utrum ulla ſecta Novatorum ſit Catholica 120. Err. op. 122.
Conciliorum origo unde. Item quid & quotuplex ſit. Concilium 221.
Poteſtas convocandi concilia ad quem ſpectet. Err. op. Et utrum Papa delegare eam ſæcularibus poſſit. 222.

Digitized by Google

Præſidentia & Directio Conciliorum ad officium ſpectat Eccleſiaſticum 222. Err. op. 224.

Quot & quæ hominum genera ad Concilia vocentur 225.

In Concilijs ſoli Epiſcopi & Prælati perſonas Judicum ſuſtinent, adeóque non ſunt ſolùm Conſiliarij. 225. Err. op. ſcil. *etiam Laicos eſſe ad concilia admittendos.* 226.

An Præſules in concilijs habeant poteſtatem judicandi de fide, & non tantùm indagandi ſenſum Scripturæ 227.

Quis modus & proceſſus in Concilijs ſervari ſoleat 227.

Utrum Concilia Generalia legitimè celebrata, & à Papa approbata ſint infallibilia ex peculiari aſſiſtentia Spiritûs Sancti. 227. err. op. 230.

Concilium nullum etiam Generale eſt infallibile abſque approbatione Romani Pontificis 228.

An de fide certum ſit, hoc vel illud Concilium fuiſſe legitimum 232.

Concilium Generale, ſi Papam ſecludamus, non eſt ſupra Summum Pontificem 232. Err. op. 234.

Quot Concilia ab Apoſtolis fuerint celebrata. Et quot in quinto concilio canones facti. 235.

Quot & quæ Concilia Generalia poſt tempora Apoſtolorum legitimè fuerint celebrata 236.

Quæ Concilia Particularia fuerint habita, & ab Eccleſia approbata. 237.

Ex allatis Concilijs quænam ſint partim confirmata, partim reprobata, & quænam prorſus rejecta tanquam *Conciliabula* 238.

Error hæreticorum eſt, Concilia univerſim eſſe parvi facienda, atque de ijs ex Scripturis judicandum 239.

An aliqua Concilia de facto, ut volunt hæretici, erraverint, & quænam illa. 239.

An quædam Concilia ſecum pugnent, & quænam ſint illa 239.

Utrum Canon VI. Concilij Nicæni repugnat Primatui Papæ, atque idcirco in Concilio Chalcedonenſi fuerit corruptus. 241.

Clerici omnes in majoribus conſtituti tenentur ad perpetuam continentiam, ita ut poſt ſuſceptos Ordines nullam uxorem ducere valeant, & ſi quam antea duxerint, ab ejus uſu abſtinere debeant. 254.

Cœlibatus jure tantùm Eccleſiaſtico eſt annexus Sac. Ordinibus, ita ut obligatio ſit non tantùm ex voto, ſed etiam ex lege 255.

An prædicta Lex Eccleſiaſtica ſit injuſta: & quibus argumentis id aſſerant hæretici. 257.

Cœlibatûs ſtatus utrum majus ſit bonum, & Deo gratius, quàm ſtatus matrimonij. 256. err. op. 257

Cerei ſacri an rectè in Eccleſia adhibeantur. 304.

Certitudo quid & quotuplex 358.

Communionem ſeu realem Euchariſtiæ perceptionem præcepit Chriſtus Fidelibus 472. Err. op. *debere etiam Infantibus dari.* 476.

Communionis accidentales circumſtantiæ quoad Perſonas, Tempora, & Modum Chriſtus Eccleſiæ reliquit determinandas 473. & ſeq.

Comunio ſub una ſpecie non repugnat cum mandato Chriſti 475. err. op. *fuſe rejectus* 476.

Communionis dignæ qui & quotuplices ſint effectus 475.

Communio ſub utraque ſpecie non confert plus gratiæ, quàm ſub una ſola 476.

Quid ſit Confirmatio. An Sacramentum, & quando inſtitutum 448. err. op. non eſſe Sacramentum. 450.

Quæ ſit materia remota & proxima; item quæ forma Confirmationis 449. err. op. *non dari balſamum.* 450.

Quis ordinarius Miniſter. Quodnam ſubjectum. Et qui effectus Confirmationis 449.

Utrum in Confirmatione rectè adhibeatur Exorciſmus: & Crux in fronte confirmati formetur 451

Confeſſio Sacramentalis omnium peccatorum mortalium poſt baptiſmum tam publicorum, quàm occultorum eſt inſtituta à Deo, adeóque neceſſaria jure divino 447. err. op. *fusè cum ſuis fundamentis proponitur & rejicitur* 510. & ſeq.

D.

DEUS utrum exiſtat. Unus in Natura, & Trinus in Perſonis 59.

Natura Dei in quo ultimatè conſiſtat. 62.

Diſſentio in articulis fidei magna eſt apud Hæreticos: nulla apud nos Catholicos 113.

E.

Eccleſia quid ſit. Et quæ hujus diviſio. Quæ ejuſdem ſint membra. An etiam *Hæretici, Schiſmatici, Catechumeni, Excommunicati, Peccatores, Reprobi.* 102. & ſeq.

Eccleſia vera Chriſti debet eſſe ubique locorum una 110. Sic Romano-Catholica eſt una & concors in articulis Fidei ibid. Nulla hæreticorum Eccleſia eſt una. 111.

Eccleſia Chriſti vera debet eſſe ſancta moribus & doctrinâ 114. Eccleſia Catholica eſt verè ſancta moribus & doctrinâ. 115. err. op. 116. & 117. Nulla Eccleſia Hæreticorum eſt ſancta doctrinâ & moribus 116. & 118.

Utrum & quo ſenſu Eccleſia Chriſti debeat eſſe Catholica. 119. Et an Romana Eccleſia verè ſit per univerſum orbem diffuſa 120. Nulla autem Secta hæreticorum ſic orbem totum permeavit. 120. Errores oppoſiti 121. & ſeq.

Eccleſia Chriſti debet eſſe Apoſtolica & antiquiſſima. Et talis fuit Eccleſia Romana 124. Quæ conditiones requirantur, ut aliqua Eccleſia cenſeatur Apoſtolica. Et an iſtæ apud ullam Sectam reperiantur. 125. & 127.

Eccleſia Chriſti eſt ſemperque fuit viſibilis. Nulla autem ſecta ſemper fuit viſibilis 129. & ſeq. err. op. 130.

Eccleſia Chriſti vera quomodo debeat eſſe viſibilis. Et quomodo in aſſignanda viſibilitate Eccleſiæ Catholici differant ab Hæreticis 133. & 136.

Eccleſiæ Chriſti quas notas aſſignent hæretici. Et an ſint veræ notæ 133. & 135.

Eccleſia Romano-Catholica nunquam erravit in fide; neque deinceps unquam errabit. Et quomodo intelligendum illud *1. Tim. 3. v. 15. Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis* 135. err. op. 139

Eccleſia Chriſti vera à primordio hucuſque interruptâ ſerie fuit continuata. Et deinceps uſque ad finem mundi permanebit. 139. err. op. 140.

Eccleſiæ infallibilitas quomodo abſque vitioſo circulo legitimè probetur 139.

Eccleſia Romano-Catholica ſemper floruit miraculis, atque etiamnum floret: nulla autem alia ſecta hæretica 144. errores op. 149.

Eccleſia Romana ſola veros habet Martyres tanquam notam certam veritatis doctrinæ ſuæ 151. err. op. 153.

Quot univerſim aſſerantur Notæ veræ Eccleſiæ. Et an eodem modo ex omnibus argumentari poſſimus. 154.

Euchariſtia quid ſit. Et quæ intrinſecè ad hujus rationem ſpectent. 453.

Eucha-

Digitized by Google

Euchariſtiæ quæ ſit materia remota, ex qua conficitur. Et quæ ſint verba in Eccleſia latina tam panis quàm calicis, eàque ſufficientia pro Forma ejuſdem 453.
Quomodo ſumantur in verbis conſecrationis particulæ *Hoc & Hic*. Item utrum eadem conſecrationis verba cauſent converſionem panis & vini *quatenus vera, aut quatenus ſignificativa* 454.
Utrum in Euchariſtiæ Sacramento verè realiter & ſubſtantialiter inſint Corpus & Sanguis Chriſti 494. err.op. 456. fusè proponitur & reijcitur.
Utrum non ſolùm Caro & Sanguis, ſed etiam Anima & Divinitas adeóque totus Chriſtus in hoc Sacramento ponatur 455.
Utrum Chriſtus totus inſit non ſolùm ſingulis ſpeciebus, ſed etiam ſingulis harum partibus ſeorſim 456. err. op. 464.
In Euchariſtia Chriſtus non ſolùm in uſu eſt præſens, ſed etiam ante & poſt, quamdiu ſpecies conſecratæ manent 456. err. op. *Chriſtum eſſe ſolùm præſentem in ſumptione*. 465.
Ipſa ſumptio Euchariſtiæ an ſaltem ſit pars integralis Euchariſtiæ. 466.
In Euchariſtia Chriſtus cultu Latriæ eſt adorandus, non tamen aſſiduò, ſed juxta diſcretionem 491. err. op. 492.
Ipſæ ſpecies Euchariſticæ Panis & Vini quomodo adorandæ 492.
Euchariſtia an in proceſſionibus publicis rectè circumferatur 491. err. op. 493.

F.

Fidei divinæ Nomen, Definitio ſeu Eſſentia. Objectum. Motiva credibilitatis. Pia affectio. Proprietates. fol. 2. & ſeq.
Fidei divinæ objectum Formale defenditur contra Muſæum. 5.
An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit, modò honeſtè vivat. Et præſertim ſi potiſſimos articulos fidei de SS. Trinitate & Chriſto in ſymbolo Apoſtolico contentos credat. 8. & ſeq. *fusè*.
Utrum aliquis Catholicus docuerit, *fornicationem non eſſe peccatum*. 117.
Feſta Sanctorum an ſuperſtitiosè obſerventur. 303.
Quot Fides aſſerant & diſtinguant hæretici. 357.
In fidei actibus quæ & quotuplex ſit certitudo atque evidentia 358.

G.

Germaniæ primi Prædicatores qui & quales fuerint 115.
Generatio divina quomodo differat ab humana. 63
Quid ſit Gratia actualis 316.
Quomodo iſtæ gratiæ in Sac. Scriptura appellentur, & in nobis à Deo excitentur 317.
Gratiæ actuales & Auxilia divina non neceſſitant hominem ad aſſentiendum, ſed tantùm ſuadent atque alliciunt, ut homo illa accipere, vel reijcere poſſit 317. err. op. 318. *Inſuperabilis in hoc difficultas Sectariorum, quomodo peccator juſtè à Deo puniatur*. 320.
Gratiæ Actualis diviſio in Sufficientem & Efficacem 320. Illa autem gratia eſt verè Sufficiens, quæ ſufficit, ut homo non quomodocunq; poſſit, ſed etiam actu operetur, ſi velit 321.
Etiam poſt lapſum Adæ præparatur à Deo & offertur omnibus hominibus gratia ſufficiens. 320. non tamen quovis tempore, quantumvis omnibus ſit parata, quando peccatum urget. 321. Error autem eſt Janſenij Iprenſis & Calviniſtarum, *nullam de facto dari gratiam, quæ non ſit efficax* 324.
Gratia efficax eſt, quæ ſortitur infallibiliter effectum, variiſque appellatur nominibus. Et unde ejus infallibilitas à diverſis Authoribus deſumatur. 321. & ſeq. *ubi natura hujus gratiæ pluribus explicatur*.
Eadem Gratia efficax quomodo ſubdividatur in Prævenientem, Concomitantem, ſed ſubſequentem. 323.
Deus dando talem gratiam efficacem finalē alicui, ſecernit hunc tanquam electum à reprobo 323.
Utrum gratia efficax abſque conſenſu liberi arbitrij ſola in nobis omnia operetur, ut volunt Sectarij, & Janſen. 325.
Utrum homo virtutibus ſupernaturalibus fidei ſpei charitatis &c. actum ſupernaturalem elicere poſſit ſine auxilio gratiæ actualis. 330. *Ibidem 7. propoſitiones fidei, quod homo ſolis natura viribus nullum actum ſupernaturalem elicere poſſit*. err. op. 332.
Cum divina gratia ſervare poſſumus omnia præcepta ſub mortali obligantia, & ſic omnia peccata mortalia vitare. 334. err. op. ſcil. *legem ſervari non poſſe* 335.
In Gratia & Auxilio Dei fiducia collocari poteſt; nec tamen temere præſumendum. 335.
Gratia ſanctificans eſt habitus diſtinctus à virtute charitatis. Opinio oppoſita. Eadem gratia eſt participatio Naturæ divinæ, vi cujus homo fit *amicus Dei, filius adoptivus, hæres regni caleſtis*. 340.
Gratia ſanctificans de ſe & ex natura ſua exigit expulſionem peccati. 345. err. op. 346.
Gratia expellit peccatum ſolùm moraliter. 346.
Gratia ſanctificans augetur in juſtificatis per bona opera, idque phyſicè 362. err. op. 363.
Eadem ſemel habita iterum poteſt amitti. 363. err. op. 364.
Cum gratia Dei ordinaria non poſſumus ſimul ſervare omnia mandata Dei ſolùm ſub veniali obligantia, ac conſequenter non evitare omnia peccata venialia. 334.

H.

Qui olim contra Humanitatem Chriſti fuerint errores. 71.
Utrum Humanitati Chriſti vi unionis Perſonalis & exaltationis ad dextram DEI verè & realiter communicata fuerint dona *reipsâ divina & infinita: itémque Majeſtas & Gloria verè divina atque infinita*. 92. & ſeq.
Utrum eadem humana Chriſti Natura verè, ſubſtantialiter; ac perinde ſit ubique omnipræſens atq; immenſa, ſicuti ipſa Divinitas, cui eſt unita? 96. *Corollaria ex affirmatione hujus & errore hæreticorum* 101. & ſeq.

I.

Jacobus Apoſtolus an fuerit ſupra Petrum & Paulum 194.
Idiomatum communicatio novem regulis explicatur. 92.
Imagines ſanctorum piè, rectéque à Fidelibus honorantur & adorantur. 286. err. op. 291.
Imagines quoque ipſius SS. Trinitatis ac DEI rectè conſtruuntur, atque ad cultum & venerationem proponuntur 289. err. op. 295.
Imagines quotupliciter conſiderari poſſint: & quæ tanquam certa ex eis ſupponantur 289.
Imagines verè & propriè, licet reſpectivè, coluntur & adorantur 289. & non ſolùm externa ſigna honoris cum ſimplici affectu eis exhibentur, ſed ipſi etiam interni affectus reverentiæ

& cultûs ſeu adorationis verè ac propriè ad imagines diriguntur 290,
Quando verò eædem imagines formaliſſimè ſumuntur, tunc tam ſigna externa, quàm affectus interni circa imaginem & prototypon ſimul eodem cultu verſantur. ibid.
Imagines Chriſti, B. V. ac cæterorum Sanctorum poſſunt per ſe, ac ſeorſim tanquam res ſacræ aliquo modo coli, non adorato directè prototypo. 291. err. op. 296.
Ad quam virtutem prædictus cultus ſpectet. 296.
Quid ſit Indulgentia. Quotuplex. Et quid ex parte concedentis requiratur, ut valeat 522. & ſeq.
Indulgentiæ proſunt omnibus Chriſtianis tam vivis, quàm defunctis, ſi ſint in gratia, ſolùm tamen ad remiſſionem pœnæ temporalis etiam in foro Dei. 523. errores op. 524. & ſeq. *qui fuſè reijciuntur.*
Quid ſit Immunitas Eccleſiaſtica. In quibus rebus Clerici ſint excepti à poteſtate ſæculari 539. Item quo jure 540. errores oppoſiti 542.
Judex controverſiarum datur in Eccleſia. Conditiones ſeptem ad eum requiruntur 194.
Judex iſte non eſt DEUS ſeu Chriſtus ſolus 198. Non Spiritus S. prout in ſcriptura loquitur 198. Non privatus cujuſque inſtinctus ſeu inſpiratio Spiritûs Sancti, prout iſte per privatam & internam inſpirationem homini loquitur 201. Sed eſt ſummus Pontifex tam cum Concilio, quàm abſque eo conſideratus 195.
Quamvis Sumus Pontifex lege naturæ ante ſuam definitionem Controverſiæ fidei magnâ diligentiâ veritatem inquirere, alióſque doctos viros conſulere teneatur, ſi tamen debitam illam conſultationem & conſiderationem omitteret, nihilominus foret infallibilis in dubijs fidei cauſis decidendis. 197.
Hiſtoriæ de Ioanna Papiſſa quid veritatis ſubſit. 219
Juramenta an ſuperſtitioſè fiant Sanctis. 303.
Judæorum Synagoga an fuerit infallibilis. 230.
Juſtificatio, ut communiter fit, eſt tranſitus à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ. Undè de facto fit per gratiam Juſtificato intrinſecè inhærentem. Et eſt probabilius poſt Tridentinum Concilium de Fide, *dari juſtificatis gratiam & charitatem per modum permanentis, & habitualis* 339. err. op. 342.
Impoſſibile eſt, aliquem verè juſtificari per juſtitiam phyſicè extrinſecam, & moraliter duntaxat illi imputatam 341. err. op. 342. *fuſè rejectus.*
Utrum in juſtificato peccata verè tollantur, non ſolùm tegantur. 347.
Ad juſtificationem aliqua eſt neceſſaria diſpoſitio. Eſt alia Remota, alia Proxima. Item aliæ ſe tenent ex parte intellectûs, aliæ ex parte voluntatis. 349. err. op. *non dari diſpoſitionem Spei, Charitatis, Pœnitentiæ &c. ad juſtificationem requiſitam.* 350.
Utrum ſola fides tanquam inſtrumentum apprehendendi Chriſti juſtitiam juſtificet: Et hæc ſola ſufficiat, ita ut nihil aliud requiratur 350. *ubi error fuſè proponitur & reijcitur, atque diverſi loci Pauli & Jacobi; item de Abrahamo reconciliantur, ac varia demum corollaria attexuntur.*
Juſtificatio per ſe fit in inſtanti 349.
Juſtificationis noſtræ Cauſa Formalis eſt Gratia juſtificans: Finalis eſt Gloria DEI, Chriſti, ſuprema noſtra ſalus: Efficiens Principalis eſt Deus, Moralis verò Chriſtus: Cauſa Principalis ipſius gratiæ ſanctificantis eſt ſolus Deus, 356. err. op. 357.
Juſtificatus citra ſpecialem revelationem non poteſt eſſe certus de ſtatu gratiæ certitudine fidei; imò nec Theologicâ, multò minus certitudine evidenti aut metaphyſicâ, ſed ſolùm certitudinè morali, ſeu conjecturali 359. err. op. 360.

L.

Lex & Evangelium quomodo ſumantur, & inter ſe differant 365.
Quid ſit Liberum arbitrium ſeu libertas in actu primo & ſecundo. Et quotuplex eadem ſit. 309
Utrum homines habeant liberum arbitrium etiam poſt lapſum Adæ 309. err. op. 312.
Utrum liberum arbitrium in ſuis actibus ſemper ſit liberum. Item an ſit partim potentia activa, partim paſſiva 311.
Utrum liberum arbitrium per Adæ peccatum ſaltem ſit nonnihil imminutum. Et an amor in communi ſit liber 311.
Poſt Adæ peccatum datur libertas indifferentiæ, non ſolùm à coactione. 313. *ubi error op. Janſenij fuſè reijcitur.*
Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat 365.
Ad limbum Patrum Chriſtus deſcendit, ut animas ibi detentas educeret 83.
In limbo Patres ſtatim ad deſcenſum Chriſti acceperunt eſſentialem Beatitudinem, non tamen ante Chriſtum in cælum aſcenderunt 84.
Lutherus qualis fuerit 116. An fecerit miraculum tot hominum tractione ad ſuam doctrinam. 149
Lutherus (idem de Calvino Zwinglio &c. putandum) non habuit veram ac legitimam vocationem ad reformandam Eccleſiam, & novam fidē introducendam; *non mediatam ac ordinariam vel ratione communis ſtatûs Chriſtiani, vel ratione Sacerdotij, vel ratione Doctoratûs: non immediatam atque extraordinariam* 245. & ſeq. err. op. 25. *fuſè rejectus.*
Lutherani (idem iterum putandum de Calviniſtis &c.) non habent veram Eccleſiam, nec veros Miniſtros Altaris & Abſolutionis 249. err. op. 252

M.

Maria Mater Chriſti ſemper fuit Virgo. 75. err. op. 80.
Maria V. non fuit concepta in peccato originali, ſed ſpeciali privilegio ab eo præſervata 396. err. op. *quaſi de fide eſſet, B. V. Mariam in peccato Originali fuiſſe conceptam* 400.
B. V. Maria fuit abſque omni peccato actuali, etiam veniali 334. err. op. 337.
Inter B. V. Mariam & S. Joſephum fuit verè ac propriè dictum Matrimonium. 543.
Mediator verus, univerſalis, ac perfectus fuit Chriſtus ita ſolus, ut hoc officium, quà tale, nulli puræ creaturæ convenire poſſit. 87.
Chriſtus fuit Mediator ſecundùm ſolam humanam naturam: radix autem, ex qua opera vim illam ac valorem perfectè ſatisfaciendi traxerunt, fuit Verbum divinum 87. *Ex qua doctrina quatuor corollaria inferuntur* 88. errores op. 89.
Mediator Dei & Hominum Chriſtus meruit omnibus hominibus remiſſionem peccatorum, atque omnia ad ſalutem conducentia: ſibi verò gloriam corporis 89. errores op. 90. & ſequenti.
Miraculum quotupliciter ſumatur: & ſecundùm quam acceptionem uſurpetur in præſenti. 141.
Miracula ſunt genuinæ notæ Fidei & Eccleſiæ veræ. 141. err. op. 145.
Quomodo vera miracula à falſis dignoſci poſſint. 144. Et vera miracula, quibus rationibus oppugnentur. 147.

Marty-

Martyrium quid ſit: & quæ ad iſtud requirantur 151.
Utrum martyrium etiam ſolâ attritione toleratatum juſtificet illos homines ex opere operato 151.
Martyrum conſtantia eſt certum ſignum veræ Eccleſiæ Chriſti. 151. err. op 152.
Sola Eccleſiæ Romana habet veros martyres. 151. err. op. 153.
Miracula per Reliquias ſacras facta an probent licitum earum cultum. 306.
Meritum quid ſit. Quot ac quæ conditiones ad id requirantur. 371. *ubi de ſingulis conditionibus; ac demum meritum definitur* 374.
De merito condigno & congruo 174. Err. op. *contra prius* 175. *contra poſterius* 177.
Quæ ſint præmia ſupernaturalia: Et quæ ex his ſub meritum cadant 174. err. op. *quaſi vita æterna ſub meritum non caderet.* 178.
Quilibet actus ſupernaturalis & liber Juſti eſt meritorius 174.
De Miſſæ ceremonijs malè ad hæreticis ſubſannatis 488.
De Miſſa privata 488. An bene in lingua Latina ubique celebretur 490.
Matrimonium ut contractus quomodo deſcribatur, & in quo ejus conſiſtat eſſentia 543
Quomodo deſcribantur Sponſalia 543.
Matrimonium verè propriéque dictum eſt verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum 543. err. op. 547.
Quæ ſit materia Remota: quæ Proxima: Quis Miniſter: Quodnam ſubjectum matrimonij &c. 544.
Utrum Chriſtus ita èlevaverit contractum maritalem Fidelium ad dignitatem Sacramentalem, ut nollet deinceps ullum matrimonium eſſe validum, niſi ſimul eſſet, Sacramentum 545.
An Matrimonia hæreticorum ſint Sacramenta. Et ſi unus conjugum ſit baptizatus, an ſaltem ex parte ſit Sacramentum. 544. & ſeq.
An matrimonium Fidelium non ſolùm in fieri, ſed etiam in facto eſſe ſit Sacramentum 145.
Matrimonium non omnibus eſt permiſſum, ſed multi illicitè, multi invalidè contrahunt propter varia DEI & Eccleſiæ impedimenta. Quot & quæ ſint iſta 546. err. op. 549. *quaſi Eccleſia non haberet poteſtatem nova impedimenta conſtituendi.*
Matrimonium Sacramentale eſt inſolubile. Eſt aliud Ratum, aliud Conſummatum, utrumque mutuo conſenſu inſolubile; prius tamen poteſtate Eccleſiaſticâ: poſterius nullo modo ſolvi poteſt 549. Err. 549. & ſeq. ubi de verbis illis Matthæi 19. *niſi ob fornicationem &c.*
Quo jure votum ſolenne in Religione impediat & ſolvat matrimonium ratum 546.
Utrum omnia præcepta, quæ de gradibus prohibitis Lev. 18. habentur, jure divino Chriſtianos obligent, ut diſpenſari in illis nequeat 549.
Utrum matrimonia Filiorum ſint nulla, ſi Parentes in ea non conſentiunt 551.
Utrum polygamia plurium uxorum ſit licita. 551.

N.

Quot univerſim Notæ afferantur pro vera Chriſti Eccleſia fol. 109. & ſeq.
Utrum pari modo ex omnibus Notis veræ Eccleſiæ pro eadem argumentari poſſimus 154.
Naturæ humanæ Status quid, & quotuplex ſit. 328.
Naturæ puræ ſtatus an ſit poſſibilis 329. Err. op. *Janſ. Iprenſis &c.* 331.
Utrum homo in ſtatu Naturæ lapſæ ſit debilior, quàm in ſtatu Naturæ puræ 329.
Utrum ad actus Naturales eliciendos ſufficiant vires naturæ, & non requirantur auxilia gratiæ, etiamſi illi actus ſint naturaliter honeſti, boni &c. 330.

O.

Opera bona juſtificatis ſunt ad ſalutem neceſſaria 367. err. op. 369.
Opera bona Juſtus eum divina gratia efficere poteſt, quæ ſint meritoria & digna mercede & præmio 367. err. ob. 369.
In Operibus ac meritis, quæ verè talia eſſe compertum eſt, fiduciâ aliqua poni poteſt. 367. err. op. 371.
Ordo quid ſit. Quotùplex. Quæ ſingulorum officium. An ſit Sacramentum. Et quando à Chriſto inſtitutum 528. err. op. 531.
Prima Tonſura an ſit propriè Ordo 530.
Epiſcopatus eſt quidem Ordo, non tamen diſtinctus à Sacerdotio, ſed iſtud perficit ac complet 530. Idem etiam Epiſcopatus quà talis eſt Sacramentum, attamen incompletè ſolùm à Sacerdotio diſtinctum 531.
Ordo Diaconatûs & Subdiaconatûs: ac probabiliter quatuor ordines minores ſunt quoque Sacramenta 532.
Quæ ſit Materia & Forma ſingulorum ordinum. 532. & ſeq.
Epiſcopatus eſt major ſacerdotio tum poteſtate ordinis, tum juriſdictionis 533. err. op. 536.
Quis ſit Ordinarius Miniſter Sacramenti Ordinis. Et quodnam ſubjectum 534. err. op. *omnes Chriſtianos eſſe Clericos & ſacerdotes: ac neminem eſſe promovendum ad ordinem ſine conſenſu populi* 538.
Infantes quoque validè ordinari poſſunt: in adultis tamen conſenſus ad valorem requiritur 534.
Utrum ab Ordinibus ſacris excludantur, qui ante hos duxerunt uxores, aut ex ijs proles ſuſceperunt 256.

P.

Apoſtolus Petrus fuit Sum. Pontifex à Chriſto conſtitutus. 159. err. op. 162. Ejuſdem prærogativæ præ alijs Apoſtolis 161. Eſtque idem abſolutè Caput totius Eccleſiæ 162.
D. Paulus utrum omnino par fuerit D. Petro quoad univerſæ Eccleſiæ gubernationem 163.
D. Petro aliquis ſucceſſit, & continuè ſuccedere debuit, idque factum ex inſtituto Chriſti & jure divino 165. err. op. 169.
S. Petrus præter univerſalem totius Eccleſiæ habuit peculiarem curam Urbis Romanæ; cujus loci proprius fuit Epiſcopus, & in eadem urbe per Crucis martyrium ſpiritum Domino reddidit 170.
Papæ omnes, qui hactenus D. Petro in Pontificatu ſucceſſerunt, fuerunt Romani Pontifices: & probabilius eſt, ſummum Pontificatum ex jure divino & Chriſti inſtitutione eſſe annexum Urbi Romanæ; ut nullus eligi poſſit Papa, quin ſit Romanus Pontifex. 171.
Papæ electio quo jure & modo fiat. Et quid fieri oporteret, ſi Pontifex abrogaret iſtum eligendi modum, ac moreretur antequam novum præſcriberet. 165.
Utrum de fide ſit, hunc numero Pontificem pro tempore exiſtentem eſſe verum Papam, opinio & err. op. 175. & 183.

Digitized by Google

Papa unde accipiat ſuam poteſtatem. 175. Et an iſtam iterum amittere poſſit, ac in quibus caſibus. 176.

Utrum ex Romanis Pontificibus omnes fuerint veri & legitimi Pontifices 170. Err. oppos. *an probetur ex authoritate, mala vita & moribus Pontificum* 179.

Papa quà privata perſona errare, & in hæreſin incidere poteſt; *quidquid ſit, an aliquis unquam in hanc inciderit.* 185.

Papa ut perſona publ. ex cathedra aliquid definiens totique Eccleſiæ proponens tanquam fide tenendum errare non poteſt 186. err. op. 190.

Idem de Papa ſentiendum 1. etiamſi id ſeorſim & extra Concilium faciat. 2. in approbatione Religionum. 3. in Canonizatione Sanctorum. 4. in Beatificatione 187. err. op. 193.

Prædicta infallibilitas Papæ habet has limitationes 1. quatenus eam requirit infallibilitas Eccleſiæ. 2. quatenus non verſatur circa quæſtiones facti. 3. quatenus verſatur tantùm circa ſententiam definitivam 198.

Quâ ratione multi ſummi Pontifices ab errore excuſantur 192.

Papa habet immediatè à Chriſto poteſtatem condendi leges canonicas univerſam Eccleſiam obligantes 202. Err. op. 205.

Papa habet etiam poteſtatem ferendi leges civiles, ſed ſolùm obligantes terram ſibi temporaliter ſubjectam 203.

Papæ & ſubordinatis ei Clericis poteſtas in Eccleſiam & Religionem ita unicè convenit, ut eadem nullo modo ſit penes Reges; Principes ac Magiſtratus ſive ſupra Perſonas ſive ſupra res Eccleſiaſticas 203. err. op. 266.

Non repugnat ſimul eſſe Principem Eccleſiaſticum & ſæcularem 204. err. op. 208.

An repugnet Papam ſe ſubijcere Concilio Generali, aut ulli homini 233. err. op. 236.

Peccatum originale datur hominem verè DEO reddens exoſum, idque eſt verum ac propriè dictum peccatum 394. er. op. 399.

Quæ cauſa peccati originalis. Et quomodo dicimur in Adamo interveniente pacto inter hunc & Deum peccaſſe 394. err. op. 399. *quaſi peccatum Originale eſſet concupiſcentia.*

Omnis & ſolus homo ordinariè ab Adamo deſcendens eſt ſubjectum remotum peccati originalis. 396.

Per peccatum originale privati ſumus juſtitiâ originali, & quatuor vulnera accepimus 398. Nec ſublato peccato tales aliæque miſeriæ fuerunt ſublatæ, ſed verſæ in pœnalitates 492.

Qui cum ſolo peccato originali moriuntur, in altera vita non patiuntur pœnam ſensûs, ſed ſolùm pœnam damni 398. err. op. 403.

Quid ſit peccatum Actuale. Et an omnia hominum opera ſint peccata 404. err. op. 407.

An omnia peccata ſint mortalia: nullum veniale ex natura ſua. err. op. 410.

Peccata ſunt inæqualia 404. err. 410.

An ſola peccata contra fidem, aut Infidelium aut Reproborum ſint mortalia 405. err. op. 406.

Deus verè & propriè non eſt Author & Cauſa peccati. 406. err. op. 410. *fusè reijcitur.*

Quinam ſint effectus peccati tam mortalis, quàm venialis. 407.

Utrum unum peccatum poſſit eſſe propriè pæna alterius. 404.

Quid nomine Pœnitentiæ intelligatur. Et an ſit virtus ab omnibus alijs diſtincta, ac qualis. 494.

An Pœnitentia ſit verum & propriè dictum Sacramentum. Quando inſtitutum 495. err. op. 499.

Pœnitentia quas habeat partes. Et utrum contritio, quæ eſt pars, debeat eſſe formalis 496.

Utrum dolori in Pœnitentia debeat eſſe adjunctum propoſitum de cætero non peccandi: formale an virtuale 496.

Contritio quomodo dividatur. Et an attritio etiam ut talis cognita ſufficiat in Pœnitentiæ Sacramento 496. er. op. 500.

Remiſſo peccato mortali quoad culpam & reatum pœnæ æternæ non ſemper remittitur temporalis pœna. 505. err. op. 510.

Ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur etiam remiſſio pœnæ reſtantis 508. *Unde Confeſſarius ordinariè tenetur injungere pœnitentiam.* err. op. 511.

Juſti per opera pœnalia extra Sacramentum ſatisfacere poſſunt pro pœnis temporalibus reſtantibus, *nominatim per Orationes, horas ſcil. Canonicas, Eleemoſinam, & jejunium ac flagellationes. 506. & ſeq.* err. op. 517. & ſeq, *fusè.*

Per opera pœnalia Juſti ſatisfacere poſſunt in hac vita pro pœnis temporalibus de condigno & ad æqualitatem juſtitiæ 510.

Proſtratio coram Sanctis an rectè fiat 304.

Peregrinationes an ſuperſtitiosè inſtituantur 304.

Quid nominis, & rei Prædeſtinatio. Quos actus involuat. Et quis ejus Terminus. 177.

Datur in DEO actus Beneplaciti, quo vult omnes homines ſalvos fieri 377. err op. 385.

Prædeſtinatio adæquatè ſumpta nõ habet cauſam ex parte prædeſtinati 378. err. op. 386.

Sententiæ diverſæ, num detur voluntas in Deo abſoluta & efficax conferendi gloriam prædeſtinatis ante abſolutam prævisionem ſive præſcientiam gratiæ & meritorum 378.

Utrum Deus poſſit, & de facto prædefiniat abſolutè actum liberum creaturæ rationalis. 379.

Utrum Deus ex ſpeciali benevolentia prædeſtinet homines ſimul ad gratiam finalem & gloriam ut coronam ante præſcientiam abſolutam meritorum in ſeipſis. 379.

Prædeſtinatio ordinaria eſt facta cum allegatione ad certa & determinata media, quæ Deus per communem providentiam offerre ſolet cum quibus ſi homo non viſus fuiſſet cooperaturus, non propterea accepiſſet alia, ſed ex decreto permiſſivo lapsûs non prædeſtinatus fuiſſet. 381. err. op. *Calvini, qui fusè proponitur & reijcitur 387. V. Reprobatio.*

Quid & quot ſint effectus Prædeſtinationis 383.

An aliquis ſcire infallibiliter poſſit, ſe eſſe prædeſtinatum 384. err. op. 392.

Datur Purgatorium 268. err. op. 270.

Utrum omnes Animæ in purgatorio igne torqueantur. 270.

Deus precibus & alijs pijs operibus exoratus pœnas in purgatorio condonat aut mitigat 270.

Utrum ſemper fuerit articulus, dari purgatoriũ 277

R.

Romanam eſſe Eccleſiam & Catholicam, an ſit idem 123.

Regimen univerſim quotuplex ſit. Et quale Chriſtus inſtituerit in ſua Eccleſia 155.

Religioſæ vitæ ratio eſt ſancta pia ac laudabilis. 262. err. op. 264. & 266.

Reliquiæ

Digitized by Google

Reliquiæ ac Crux Chriſti tanquam res ſacræ poſſunt per ſe ac ſeorſim aliquo modo coli, non adorato directè exemplari 299. err. op. ibid.

Utrum in Reliquijs tanta ſit fallacia ut credere illis nemo poſſit 307. *ubi de plurimis particulis Crucis: de pluribus Dentibus S. Apolloniæ: de multis atque iiſdem Reliquijs in diverſis locis.*

Reprobatio quomodo ſumatur. Et an detur Poſitiva ac Negativa, ac qui utriuſque ſint effectus 384.

Ordo actuum tam Prædeſtinationis, quàm Reprobationis. Diſcrimen inter Reprobum & Prædeſtinatum. Et utrum in poteſtate hominis ſit reprobari aut prædeſtinari 384.

Circa Reprobationem & Prædeſtinationem error Calvini 1. Deum æterno decreto abſque ullo reſpectu ad meritum aut peccatum aliquos prædeſtinare, alios reprobare poſitivè. 2. Prædictum DEI decretum eſſe ineluctabile, adeóque tollere omnem libertatem. 3. Deum negare reprobis fidem & gratiam. 4. impellere eoſdem ad peccatum. 387. & ſeq. 5.

Diſcrimen inter Calvini errorem circa Reprobationem & Prædeſtinationem: ac doctrinam Catholicorum Doctorum.

S.

Sacramenti Nomen, Definitio, & Eſſentia. 414. err. op. 416.

Sacramenta N. T. omnia conſtant rebus & verbis 416. err. op. 419. *quaſi, requireretur verbum concionale.*

Utrum *pignus* in definitione Sacramenti apud Catholicos idem ſit, quod apud hæreticos *Sigillum.* 418.

Utrum ad Sacramentum neceſſariò requiratur ſignum viſibile 419.

Utrum materia & forma Sacramenti ſit aliquo modo à Deo determinata atque invariabilis, ita ut Sacramentum ſit nullum, ſi mutatio ſit eſſentialis 416.

Solus quidem homo eſt Miniſter ordinarius Sacramenti: non tamen omnis etiam adultus 420

Valor Sacramenti non pendet à Fide & Probitate Miniſtri. 420. err. op. 421.

In Miniſtro requiritur aliqua intentio faciendi id, quod facit Eccleſia. Quotuplex ſit iſta intentio, & quæ ſaltem ſufficiat 420. err. op. 421.

Quot ſit Sacramenta in lege Nova: & quot in Veteri fuerint. 422. err. op. 422. *ubi mira varietas hæreticorum.*

Sacramenta omnia in Nova Lege cauſant gratiam in ſuſcipiente 425. err. op. 428. Eadem cauſant gratiã ſanctificantem ex opere operato 425. err. op. 429. *ſcil. fidem ex opere utentis requiri.*

Quædam Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis cauſant gratiam primam, quædam ſecundam.

Quando Sacramenta conferant gratiam 426.

Quodlibet ex Sacramentis noſtris habet ſpecialem gratiam, & quænam ſit illa. 426.

Sacramentum utrum cauſet characterem. Quid ſit iſte, & quotuplex 427. err. op. 429.

Utrum Sacramenta cauſant majorem gratiam pro majore diſpoſitione ſuſcipientis 425. err. op. 430.

Ad valorem & effectum Sacramenti conſiſtentis in uſu requiritur in adulto aliqua poſitiva intentio ſuſcipiendi Sacramentum 427. err. op. 430

Sacramenta Antiquæ legis non cauſabant Gratiam, ſicuti Sacramenta Novæ legis 431. err. op. 434.

Sacramenta quomodo influant, & cauſent gratiam 433.

Sacramenta Antiqua utrum contulerint gratiam ex opere operato. Et quid nominatim de Circumciſione ſentiendum 433. err. op. 435.

Licitæ & honeſtæ ſunt ceremoniæ, quas Eccleſia Romana in Sacramentis adhibet 436. err. op. 437

In Eccleſia eſt poteſtas inſtituendi Sacramentalia ſeu ceremonias ſacras, & obligandi Fideles ad eaſdem in Sacramentorum adminiſtratione adhibendas 436.

De effectu ceremoniarum in Sacramentis 436. err. op. 438.

Sacrificium quotupliciter ſumatur in Sac. Scriptura. Quæ ad verum Sacrificium concurrant, & an omnia eſſentialiter 479.

Quid ſit Sacrificium. An Miſſa ſit verè ac propriè Sacrificium. 480. err. op. *fusè proponitur & reijcitur.*

In qua actione Miſſæ reperiatur propria ratio ſacrificij 485.

De varijs nominibus Sacrificij, & effectibus 481.

Sacerdotes an habeant poteſtatem remittendi peccata 504.

Satisfactio V. opera pœnalia.

An detur Scriptura divina. Et unde conſtet, hunc vel illum librum habere authoritatem Sacræ Scripturæ, adeóque eſſe canonicum. 21. & ſeq. Utrum hæc eadem quæſtio ſit indigna Chriſtiano. ibid.

De Sac. Scripturæ infallibilitate nihil dubitandum, ſed aliqua ſpeciem duntaxat erroris præ ſeferre videntur. 22.

Varij modi externi & interni ſeu critiria cognoſcendi, quænam ſit Sacra Scriptura, ab hæreticis afferuntur & reijciuntur. 24. & ſeq.

Utrum Sac. Scriptura contineat omnia credenda. 30. err. op. 34. *ubi de hoc pernicioſo errore fusè.*

Quotuplex ſit ſenſus Sac. Scripturæ tam generatim, quàm verus & à Deo intentus. Quid ſit ſenſus myſticus & quotuplex 40. & ſeq.

Quæ juvent ad ſenſum litteralem inveniendum, Et an non ſolùm ex iſto, ſed etiam ex myſtico efficax argumentum petatur 50. err. op. 53.

In Sacra Scriptura multa ſunt valde obſcura, & intellectu difficilia 51. err. op. 53. Et unde proveniat illa obſcuritas 51.

Utrum Sacra Scriptura à Catholicis vilipendatur 58.

Spiritus Sanctus an ſit verus Deus: an Procedat à Patre Filioque ſimul, & tanquam ab uno Principio ſpirituali, 66. & ſeq. errores op. 68 & 169.

Spiritus Sanctus an petat à duobus procedere. Et ſi per hypotheſin non procederet à Filio, an ab iſto diſtingueretur. 67. Quando & à quo ad proceſſionem ſpiritûs Sancti à Patre adjecta fuit particula *Filióque.* 69.

Sancti rectè coluntur propter intrinſeca dona ſupernaturalia, adeóque plus, quàm cultu merè civili 278. err. op. 269.

Sancti in cælo, ipſa etiam Beatiſſima Virgo Maria non eo modo coli poſſunt, quo DEUS, ſed longè inferiore, ſcit. hyperduliâ, ac duliâ. 278. err. op. 280.

Sancti in cælis orant pro vivis in terra non tantùm in genere, ſed etiam in particulari. Et bene piéque in hac vita à nobis invocantur 281. err. 282. & 284. *Ubi oſtenditur, invocationem San-*

Digitized by Google

ctorum nec eſſe contra Sac. Scripturam, nec contra Sanct. Patres; nec contra principia naturalia, nec eſſe juxta ritumGentiliũ.

Quæ Sancti in cælo videantin DEO præter ea, quæ in eo ſunt formaliter. 283.

An ſtatus Religioſus dari poſſit alius ab eo, qui convenit omnibus Fidelibus. 264.

Symbolum Apoſtolicum diverſimodè creditur à Catholicis atque ab hæreticis 10.

T.

Traditio quid ſit, & quotuplex. Atque an præter Verbum DEI ſcriptum etiam non ſcriptum ſeu Traditiones admittendæ ſint. 29. &. ſeq. err. op. 34.

Quomodo Traditiones legitimæ ab illegitimis diſcerni poſſint. 33. Item quomodo ipſæ etiam Traditiones divinæ & Apoſtolicæ dignoſcantur. 34.

Utrum in Eccleſia Romana habeantur Traditiones merè humanæ. 38.

Quæ dogmata teneantur de fide ob Traditionem nullibi in Scriptura expreſſam. 31. err. op. 39.

Traditiones divinæ utrum ejuſdem ſint authoritatis cum doctrina Chriſti in Evangelijs conſcripta. Et ſic Traditiones Apoſtolicæ cum doctrina Apoſtolica ſcripta &c. 33.

Thurificatio ſeu ſuffitus an rectè in templis fiat 304.

Templorum cultus an ſit ſuperſtitioſus 302.

Tranſubſtantiatio, quomodo generatim definiatur. Et quæ ad converſionem (quæ ejus eſt genus) requirantur. Ac quomodo in Tranſubſtantiatione vera ſit converſio 466.

Tranſubſtantiatio vera tunc fit, quando in converſione Euchariſtica poſt verba conſecrationis Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ponuntur: & vi hujus poſitionis deſinant adeſſe ſubſtantiæ panis & vini, ita ut ſolæ ſpecies remaneant 466. err. op. 469. *ubi fusè iſte error reijcitur & doctrina Catholica ſtabilitur.*

Tranſubſtantiatio an fiat per adductionẽ aut productionem Chriſti 469. err. op. ibid. *quaſi neutro modo Chriſtus præſens fieri poſſet.* Poſt tranſubſtantiationẽ ſpeciebus Euchariſticis ita corruptis, ut ſubſtantiæ panis & vini ſervandæ non ſufficerent, Chriſtus ſubijſdem eſſe deſinit.

U.

Unio Verbi cum Humanitate an facta ſit cum Perſona verbi ſeu in Suppoſito. 70.

Utrum eadem Unio ſemper etiam poſt mortem complexa ſit Humanitatem, neutram partem relinquando 71.

Vocatio Miniſtrorum ad munus Eccleſiaſticum v. g. Epiſcopi, Parochi &c. quotuplex ſit. Et quomodo Utræque ſe habeant in Veteri ac Novo Teſtamento. 242.

Vocatos legitimè à DEO Doctores ac Paſtores habet ſola Eccleſia Romano-Catholica 243. error op. 252.

Vocatio ad munus Eccleſiaſticum ac reformationem Eccleſiæ an detur mixta, hoc eſt, partim ordinaria partim extraordinaria 252.

Quid ſit votum. 262. An vota emitti poſſint piè ac religioſè vivendi causâ, ac nominatim religioſa vota Paupertatis, Caſtitatis, obedientiæ 263. & 265. err. op. 266.

Vota rectè fiunt Sanctis. 303.

Unctio Extrema eſt verum propriéque dictum Sacramentum 516. A Chriſto inſtitutum poſt Reſurrectionem Promulgatum à S. Jacobo 517. err. op. 519.

Quæ ſit materia proxima ac remota. Quod ſubjectum. Quis Miniſter. Et qui effectus extremæ Unctionis. 518. Err. op. 620. *quaſi extrema Unctio, prout à Romano-Catholicis adminiſtratur, non conveniret cum Epiſtola S. Jacobi.*

F I N I S.

ERRATA.

Paginâ.	§	Verſu.	Mendum.	Lege.
2	8	4	ſalciunt	fulciunt
3	16	13	tibi	ſibi
6	28	2	meam	meram
7	31	penult.	judicat, moventur	judicent, moveamus
14	19	12	mixa	nixa
25	24	23	mixino	minimo
30	5	10	tenetque	tenetúrque
137	27	ultimo	involat	involvat
140	22	16	nituntur	nititur
152	7	9	multam	mulctam
172	9	15	docet	donec
203	4	6	ab injuſto ad juſtum	a juſto ad injuſtum
252	38	19	diſcendit	diſceſſit
312	14	17	opſeris	dempſeris
341	7	45	Non	Nam
346	4	46	præterito	præteritio
346	5	9	delectivæ	deletivæ
364	13	15	[illegible]	[illegible]
364	14	2	ſcitiam	inſcitiam
379	10	35	velitba	velit ab
382	18	26	intendereter	intendere iter
392	51	25	non ſeparare	nos ſeparare
437	5	18	enervaverint	oneraverint
440	8	20	a alid e	aliunde
444	22	2	liberaliter	literaliter
467	4	48	diſendiſſe	diſſenſiſſe
498	14	29	Medio	Medico

Cætera, optime Lector, emenda, ſciens, humanum laborem rariſſimè eſſe perfectum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

gitized by Google